15



C. 1, 37.

P.M.F. IOANNIS
PRVDENTII,
COMMENTARIORVM
IN TERTIAM PARTEM
Sanctiſſimi Thomæ,

TOMI DVO.

REVEREND^mo. PATRI MAGISTRO FRATRI

ILDEFONSO DE SOTO MAYOR MAGISTRO GENERALI

TOTIVS REGALIS ORDINIS B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Domino Varoniæ de Algar.

IN fructibus inconcuſſi mei laboris non munera, ſed hoſtias meditor (prælibate Religioſorum floſcule Religionis ſupremum numen) & illico mihi priſca illa Romanorum religio, ſeu inueterata lex obuerſatur: *Quibus Diis hoſtiis: cui maioribus, cui lactantibus prouidento*: lactantes parentes exigunt, qui infantiles Filiorum ſales in pretio & deliciis æſtimant. Ex quo ego primæuos, & tenellos ingenij fœtus tam inclyto Mæcenati haud ſatis decoctos fore pertimeſco. Parenti meo, humaniſſimo ſanè numine, dicare mea feſtinauit animi teneritudo, nouum præſenſi auguramen; verum poſt infantilia illa prima crepitacilla, dum adultum magis opus exero, paternos fugio amplexus, & de Iacob prototypo lapidem erigo in titulum, ſub quo mea detriumphatura auguror ſtudia. Poſt ſuperatos ingentes Occeani fluctus, poſt tot exantlatas difficultatum ſyrtes; & abſorptas Carybdum ſpumeſcentes procellas, tuis manibus (religioſiſſime mihique obſequentiſſime Pater) appendere volui æternum mauſeolum, volumina potius *de Incarnatione* profluxi in ſcelera orbis inſtauratoris, tot myſteriis, quot exarata lineis. Tuæ Dominationi remitto amicitiarum, & beneuolentiæ pignus Betica riſurum littora, & ſacras ſapientiſſimi Magiſtri adoraturum Phœnices. Debui obſequium hoc vetuſtiſſimę ſtirpis tuæ ingenti claritudini. Debui multiplici & intritæ eruditioni. Debui incredibili ſtudio, quo ſemper litteratos viros, etſi modica litteratura intinctos, es proſequutus. Debui raræ pietatis documentis. Debui beneficiorum, & numero, & granditati. Quo innitens fulcimine, vt Aquillinus pullus, nec ad tuarum virtutum coruſcantes radios nictam; nec flammantis ſplendore Solis præſtringar, ſed magis illuſtrabor, & proritabor magis ad lumen. Sane mihi (Reuerendiſſime Pater) dum fælici animi perſcrutatione magnitudinum tuarum nubem examino; modo perilluſtrem Proſapiæ tuæ antiquitatem proſpectem, modo dignitatem tuam ſapientiamque hæſi-

tabundus admirer, nequeo, mutuata encomij laude, non exclamare, vna cum Theodoſij Auguſti Panegyriſta Latino Pacato: *Solum tibi Hiſpania eſt, terris omnibus terra fœlicior, cui excolendæ, atque adeo ditandæ ingentius, quam Bæticis Gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit.* Hæc tibi vnica ſit laus; hic honos, hoc decus, Hiſpanum ſortitum eſſe nomen. Et quid? ſuadæ noſtræ hic curſus ſiſtet? minime. Nam ſi gratulabundam mentis aciem ad Proſapiam tuam erigere ſim ratus, video vel nictans ad radios, Maiores tuos ab Eniponte progerminari; tot Auguſtorum ſplendoribus conſpicuos, tot tam in toga, quam in ſago, deauratis inſigniis adſplendeſcentes, quos in Bœtica à primis vagientis regni primordiis Procerum locum obtinuiſſe, & in coronam illorum tuorum lauros maiorum contexuiſſe diſcimus. Quorum in te confluens lumen, virtutis tuæ reflexione intendens, etiam vel ſola ſpe, quamuis ampliſſimos, amplias. Nolo hac de re, & ſi liquido innoteſcit, ampliùs affari, ne ad plauſum, & pompam verba fudiſſe videar. Ad tuas proprias properemus laudes, eaſque venerabundi potius, quam irreuerenti euoluamus.

Horatius. *Nam genus, & Proauos, & quæ non fecimus ipſi.*
Vix ea noſtra puto.

Hæc licet prudentem virum non abhorreant, bene noſti illud Satyrici,

Tota, licet veteres exornent vndique Ceræ
Idem. *Atria, nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.*

Dum ad tua inceſſus encomia aſtruo, feracem auſpicor laudum ſegetem. Vndenam primigenium Mineruæ noſtræ exurget? Vnde; niſi ex ſacro illo, atque thurigero colle, quo feſtinanter repetitum ſcandis. Ex pellicido atque perenni Religioſorum ſtemmatum fonte: ex ominata fruticum ſupernorum radice, quæ ſe in varias ſpargit virtutum propagines; & ramos prudentiæ, pietatis gemmatos floſculis. Ex oratione, inquam, in qua tua protendis charitatis vela; & tui expandis deuoti animi ſinus almi ſpiritus dulcedine expongiatos. O quam ſuaues, iucundoſque dies tranſigis in illo thuris colle! ô quot horas diu, noctuque in otio negotioſo traducis! Dum tu, Moſis inſtar, in mōnte etiam tuo manus ad alta peruehis, vincunt tui, tuaque domus Apoſtolica ſollicitudine moderata hoſtiles excurſus vndique ſubſilientes compeſcit. Ex hoc ſacro perfectionis monte, quot quantaque prudentiæ ſtoïcæ, Pietatis heroïnæ, Religioſitatis eximiæ ſeſe præcipitia agant exundantia flumina tot notulis, quot guttis collucentia, mirari omnes, imitari paucos, habere tu, narrare nemo compos. O te fortunatiſſimum orationis concinnatis vlnis, tamquam *deargentatis pennis* ſuffultum! *O bis, terque, quaterque Beatum!* O Heroam expeditiſſimum ad ferinos dæmonum impetus propulſandos, infringendos! iam equidem haud miror; te, ita toto animo diuinitus incubuiſſe, vt verſatiles honorum vmbras, quæ (vt modulate cecinit Lyricus) *fugacem inſequuntur virum.* tamquam adblandientes ſyrenum cantus opilatis auribus aſpernaſſe, aufugiſſe. Hinc illa in periculis fortitudo, in laboribus conſtantia, in iniuriis perferendis altitudo animi.

Hinc

Hinc ortum traxit tua illa religioſa modeſtia in honoribus,non ſemel oblatis,vix à te concupitis.Quanti hęc laus;proh dolor!hac calamitoſa tempeſtate,'qua omnia ferme mortalium ingenia fœtido ambitionis fundo ſunt demerſa,habeatur, tibi relinquitur commentandum, mihi condolendum, & omnibus deplorandum.Idcirco Cypriani aſſertum percurro,quo,in epiſtola ad Antonianum ſancti Cornelij mirabilem honorum deſpicientiam collaudat: *Iſte Cornelius,*inquit,*ad Epiſcopatum non ſubito peruenit,ſed per omnia officia promotus,& in Religioſis adminiſtrationibus Domino ſæpe promunitus ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendit. Tum deinde ad Epiſcopatum, ipſum, nec poſtulauit, nec voluit, vt cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, inuaſit ſed quietus, & modeſtus, quales eſſe conſueuerunt,qui ad hunc locum dignitatis eliguntur,pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ,& pro humilitate ingenitæ ſibi,& cuſtoditæ verecundiæ,non vim fecit,vt Epiſcopus fieret,ſed ipſe vim paſſus eſt,vt Epiſcopatum ſuſciperet.*Nonne hiſce verbis , quibus Cornelium (amantiſſime Parens) te quoque tuoſque virgineos mores depinxit Cyprianus ? Gradatim ad apicem Generalatus conſcendiſti. Primo commendatorem, non inertem,& otioſum, ſed familiam religioſe inſtituendo,confeſſionibus audiendis vacando, ſtudiis indefeſſo labore incumbendo; pſalmodiæ iugiter inhærendo , hoſpitalitatis, & miſericordiæ functionibus inſiſtendo.Hæc innocens,& purà æque,ac charitatis & zeli referta vita omnium ſuffragia exciuit;vt Bœticæ Prouincialis eligereris. Mox totius Ordinis concordia te vnicum Parentem fortunatè ſortita eſt.Quo in officio,quod refulſeris omnium virtutum ornamentis non eſt horum temporum anguſtiarum rudi penicillo recenſere. O mentem publicæ vtilitatis altricem!ô animum omni honore maiorem!qui dignitatibus adnatum ſplendorem obſcurare non dubitat ! Hæc ſunt vera decora. Hæc tua.Hæc æterna.Hæc non tempori,non fortunæ,non inuidiæ,non ipſi vnquam morti ceſſura. Accipe ergo hoc amoris, & obſeruantiæ tum meæ, tum totius noſtræ Religionis erga te ſymbolum,& teſſeram.Illud de te mereri ſpero, non quia dixerim, aut tacuerim laudes tuas, ſed quia per vocem malis laudanda præſtare,quam audire.Huius ergo reor meas non indignanter lucubratiunculas admiſſurum,vt multo plus tibi,quam Domino ſuo hic labor debiturus ſit. Accipe ingenij mei primitias.

Et hoc veri complectere pignus amoris
Quod ſi digna,tua,minus eſt mea pagina,laude
At voluiſſe ſat eſt.

Animum,non verba iacto. Vale.

Humillimus Reuerendiſſimæ mihi
obſequentiſſimæ veſtræ Paternitatis
ſeruus.

Fr. IOANNES PRVDENCIO.

Notaturo Lectori.

B*REVEM tibi (grauiſſime Lector) villicationis huiuſce rationem perbibebo. In hanc potius, quam in aliam me iniectum lucubratiunculam excipies, non amicorum preſſis vinctum catenulis, nec quia Maiorum præcepto hortatuivè religioſè annuentem. Sat ſcire ſit tibi Anſelmi aſſertum:* Si Chriſtum ſcirem, me totum ſcire præſumerem. *Sciſcitaberis item de tam longiſſima vigintiquatuor quæſtionum tertiæ partis ſanctiſſimi Thomæ indagine per duos tomos facta, cui peritiſſimi alij ſcriptores vnico dumtaxat inſudarunt ad gulam? tibi adſit in promptu illud ad Epheſios* 3. Multiformis, *quod Syriacus textus vertit:* Sapientia Dei differentiis plena, *nec abſonat inſtituto huic. Quorſum, ais, varietas differentiarum iſta? Quia varij ad Sapientiæ valuas, vt addiſcant, properant, quibus pro varietate eſt propinandum Sapientiæ condimentum, ſic accinit Gregorius lib.2. Moralium, c.2. Nunc à te peto, Quot librorum Lectores contrectaſti? Præteruolare numerum deſignationem affaberis. Idem tibi de varietate humorum, quibus lectores conſtant, pro reſponſione rependo. Quoſdam enim crapulari dogmatum vetuſtati expertus affixos, vt probro dent quidquid nouitatis vmbram augurari conſpexerint, morſibus placita recentiora corrodentes, & comminuentes. Alios recentiorum aſſerta ambabus vlnis vice verſa amplexantes, & principia, tametſi pretioſo veritatis vnguento delibuta, non alio ab eiſdem depulſa prætextu, niſi quia ex ſenili Parentum fonte perenni fluxu defluxerunt. Alios in ſinu voluptatis militantes, & in ſuperficie tantùm vocularum hærentes ſtylum præoptant miſcellaneum, verſatilique leuitate huc illucque volitant, & in rebus ſeriis hebeſcunt. Alios anguſti ſermonis cupidos, quòd malint cluneum ſub cortice difficultatis obſeratum relinquere, quam eius colonem reſerare, ſi votum aliter quàm vnum folium præter inſpecta inſpiciendo lucrari præſumat. Alios tandem, qui obrugatum difficultatum excitamentum flagitioſum affantur, in campum quæſtionum vberrimum propendent: dubiorum ſpatioſam, ideoque ſpecioſam autumant indaginem. En tam multiplex diſſitaque Lectorum complexio, & aliæ, ac aliæ, quas calamus ſculpere veretur. Quorum ergo nulla ſupereſt ſcribendi via, cui non immineat lector iniquus. Quam bene Galenus accinit lib. 2. de criſibus:* Breuitatem vituperant, vt quæ obſcurè doceat, & multa prætermittat, neque plura audire ſuſtinet. *Da quæſo, qui nouiſſima collimet Conſtantinopolitanæ Synodi ſententiæ protectus, nempe,* Beatus, qui prædicat verbum inauditum. *Cum vti in præruptis ac ſalebris vagantem damnabit Lector Baſilij motus aſſerto lib. de Spiritu ſancto, cap.6.* Nos nouitatis architectos, & nouos tractatores probroſſimis nominibus appellant. *Da, qui adhæreſcens veteribus, aut in iota ab antiquis non deflectat, & eundem Lector Senecæ lib.6. nat. quæſt. confodiet mucrone:* Quotidie aliquid ſubtilius, aliquid elegantius cogitat luxuriæ furor, vſitata contemnet. *Da tandem quemque malueris, & non deerit Lector, qui pronuntiatum Senecæ epiſtola* 114. *ex aduerſo prælibet:* Nullum ſine venia placuit ingenium, da mihi quemcumque vis magni nominis virum, dicam, quid illi ætas ſua ignouerit, quid in illo ſciens diſſimulauerit, multos dabo, quibus vitia non nocuerint, quoſdam quibus profuerint. *Si igitur tam numeroſa regnat Lectorum hac noſtra tempeſtate conditionis combinatio, quam deuincere totus ſcriptorum cœtus eſt impos? Criminationem, qua impingar de duorum tomorum excuſione, patienter feram: verùm, vt aliqualiter impetum corroſoris declinem, aduerto, me nihil, quod indagini præſenti viderim proficuum, omiſiſſe: ne dum Antiquos, & Recentes, qui prælo dederunt ſtudia, lectitantem, ſed & Complutenſium,*

plutenſium , Salmanticenſiumque manuſcriptos codices iterum , atque iterum prægustantem; è quibus diligenter opinationes à tantis viris aliàs ſubtiliſſimis , quippe contrariis progerminatas decerpſi, excripſi; vt fraudem ex aſſertorum , & argumentorum præciſione ſubortam, (querelam iuſtam inducente,) ſedulo ſtudio depellerem. Te iterum notantem deprecor, ſanctiſſimi Doctoris Aquinatis ita ingenti ſtudioſitate aſſedam calamum experieris , quod aſſertorium nihil euulgauerim ex ipſius articulis diſertè non erutum. Concluſio vna vix ſemper reſpondet quæſtioni. Frequenter ſententiarum roſarium non recito ſigillatim ; ſed dum obiectio obſiſtit aſſerto,adſtat Author,& finis,in quem agmina excitat ; ſicque tam ingens ſententiarum iterata colluuio nec eſt otium calamo,dicendorum memoriæ obex pellitur,& vtrumque vnico ictu lucratur : vnam inquam concluſionem ſcribo, ne placitorum multitudo legentem deficiat ad nauſeam. Præterea ratio vna munit aſſertum , quippe veritatis vnitas , vnam ſibi accerſit viam , qua adipiſcatur variè. Argumenta & ſolutiones contiguam inter ſe arripuerunt ſedem ; nam præ vicinitate medelæ dolor, quem incuſſit arguens, decreſcat celeriùs. Argumentorum ſtructura eiſdem verbis,ac à ſuis Patronis architectata reſponſio in forma paratur, quorſum enim Authoritatum aceruus,magna doctrinarum moles,ſi tantæ materiæ defuerit pulchritudo formæ? In decurſu toto huius geminati voluminis quæſita plura cranium proprium agnouere ſolum,vt ſcholarum intingeretur publicæ concertationis luce; nec oculum in quæſtionem aliquam iniicies , quod nouitatis aliquid, tametſi vetuſtiſſimis ſanctiſſimæ Thomæ innixum principiis,non redoluerit. Hacque ratione pronuntiatum Chriſti illibatum cuſtoditur, qui de Patrefamilias ediſſerens de theſauro ſuo noua, & vetera deducente,vetuſtatem haud propulſans,nec nouitati interdicens,vtramque tamen amicabili nexu coniungit. Hæc dedi, ſi placuerint, lucrabor votum,& tria volumina in primam partem ſanctiſſimi Thomæ,quæ inter alia celeriùs excurrent ad prælum,propinabo. Sin minùs arriſerint,pœnitebit,& calami curſus,quippe communi vtilitati abſonos protinus arcebo. Vale.

Approbatio Collegij Complutenſis Fratrum Diſcalceatorum B.Mariæ Virginis de Monte Carmeli.

IMPERIO ſupremi Senatus perlegimus pulchrum , & præclarum opus in duos tomos partitum. cui titulus eſt, *Commentary ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones ſanctiſſimi Thomæ* , Author R.P.M.F. IOANNE PRVDENTIO CÆSAR-AVGVSTANO , in Sertoriana Academia olim ſanctiſſimi Thomæ Cathedræ profeſſore , nunc in Complutenſi Vniuerſitate Moderatore Cathedræ Theologiæ Moralis , Ordinis B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, & eiuſdem Electore generali ; opus inquam auguſto Marte compoſitum , florenti Minerua elaboratum , ſubtili penicillo depictum. Vt enim tot eſt diuinæ ſapientiæ lineamentis refulgens , tot Angelicæ doctrinæ viuidis coloribus picturatum , tot præſtantis ingenij vberrimis pulcherrimorum floſculorum racemis redimitum,vt nullus ſit adeo in Theologicorum voluminum pratis diuagatus,*Cuius viſionem errantem ſiſtere non faciat*, (verba ſunt ſacri Seleuciæ Antitiſtis oratione 2.) *huius operis , nec publicæ vtilitati , nec mortalium admirationi vnquam intermoritura deformatio.* Tantus eſt in illo diſciplinarum,& ſcientiarum omnium theſaurus,quibus ſtellis,ac gemmis mirificus noſter artifex nitidam ſui laboris texturam exornat, vt facile appareat, neque eruditius, neque ſublimius, neqne conformius menti, & litteræ ſancti Thomæ in materia de Incarnatione , vel ante tempora noſtra prodiiſſe quidquam, neque deinceps futuris temporibus fortaſſe proditurum. Perlegat,perlegat prudens,& ſimplex Lector, intelligat ſapiens, collaudet diſertus; hoc vnum opus eſt , in quod omnes ſeſe Complutenſium Scholaſticorum laudes effundere debent. Adeſt hic natiua,nuda, & venuſta Angelici ſermonis puritas admirabili docendi facilitate decorata, cui nulli vnquam, vel diſcipulorum Angelici Præceptoris diſſertiſſimo contigit. Non ſolum Prudens,ſed Prudentiſſimus horum Commentariorum Author gloriari poteſt in Domino,& quia in illis,& ingenio ſubtilis,& ſermone Scholaſticus ob Angelicæ doctrinæ conſtantiam , & ſubtiliſſimi , & fundatiſſimi Theologi cognomen promeretur. Ideo noſtrum iudicium,& deſiderium eſt, vt prodeat in lucem ad communem Eccleſiæ vtilitatem, & Thomiſticæ doctrinæ ſplendorem. In hoc Complutenſi Diui Cyrilli Collegio Fratrum Diſcalceatorum B.Mariæ Virginis de Monte Carmeli,die 21.Decembris. Anno ſalutis 1651.

Fr. AVGVSTINVS de ſancta Maria , R.

Fr. IOANNES à Concept. L. P.

Fr. IOSEPH à Ieſu Maria Lector Veſpertinus.

Fr. GEORGIVS à ſancto Ioſeph Lector Scripturarius.

APPRO

EX Commiſſione D ac D Roderici de Mendia & Parga Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Diui Iacobi Domini Prioratus Regij ; de Cabeiro, &c. In hac Philippica Curia Vicarij Generalis Libros duos, quorum inſcriptio eſt hæc: commentarij ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones tertiæ partis ſanctiſſimi Thomæ Authore P.M.Fr.Ioanne Prudentio in Sertoriana Academia Cathedræ ſanctiſſimi Thomæ Profeſſore, nunc in Complutenſi vniuerſitate moderatore Cathedræ Theologiæ Moralis. Ordinis B.Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, & eiuſdem Ordinis Generali electore. Quos nunc in lucem proferre conatur attentè luſtrauimus, ſedulaque pro viribus diligentia, non impari voluptate perlegimus. Opus equidem ſumma induſtria, pulcherrimo ſtylo, maximaque profunditate elaboratum Auctoris ſui vere nobis veſtigia clara relinquit: Et hoc maximè, inter alia, admirationis cauſa fuit, quod dum præeuntium exempla ſectari ſollicitat, abſtruſaque iudicia veſtigare contendit, & Angelici Doctoris viam fideliſſimo pede, ſequaci rectitudine, curſirat, nouas & ſubtiliſſimas quæſtiones propria eruditione reſoluit, quin ab eius mente, nec in apice veritatis aberret *Proderit ſapienti ſapiens* (ſcribit Seneca) *non ſcilicet tantum ſuis viribus ſed ipſius, quem adiuuat.* O quantum igitur roboris ſuo clariſſimo cumulatur ingenio, dum tot Doctiſſimi viri hoc munitiſſimo ſapientiæ adiuuantur auxilio, ditabuntur ſane quam plurimi ſi ſtudioſa pro funditate laboris huius radicum arcana veſtigent. Imo nequid lateat inſalubre huius vitalis ligni fundamento explorent, dum ſuauiſſime fructuum odoramenta percipiant linguæque voto probent, adhuc Lectorum ſegnitia ſine præmio non abſcedet. *Qui in ſolem venit* (idem Hiſpanus aiebat) *licet non in hoc venerit colorabitur: Qui in vnguentaria reſederunt, & paulo diutius commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt: Et qui apud Philoſophum fuerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus*: Et ſane inexcuſabilis negligentia eſt, quæ toto naturæ impulſu opus hoc vſque ad intima rimari non geſtiat (licet in tanto dulcore impingi haud fælicitate careat) vt ore pleno ſuauiſſima mella deguſtet. Siquidem.

Senec. Epiſtol. 109.

Idem Epiſt. 108.

Vt valeat dulces Lector guſtare medullas
Saxea nunc Calamo, conterit oſſa leui.

Sed non ipſum commendent humana ſolum, diuina dum peragit myſteria, multoque multis penitius, verbi potentiſsimo tis prodigium in carne aſſumpta exponit. Cancellis corporeis obſtructa iamiam Moſis Anima limina mortis ſubintrante, Dei populum paterna benedictione fælicitauit. Ad Aſer igitur eum protenderet manus, hiſce verbis euenturam ſortis fortunam prædixit. *Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & intingat in oleo pedem ſuum, ferrum, & æs calceamentum eius, ſicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.* En quam prophetico auſpicio Moſes protulit, non inuerſa ſemita, ad hunc præclariſſimum virum, benedictio cucurrit, dumque opera manuum ipſius (Digniſſime Antiſtes) noſtris obtutibus præſentaſti, fæliciter dignouimus appuliſſe. *Aſer* (inquit doctiſſimus Lyra) *bonus doctor, & ſapiens intelligitur. Benedictus in filiis* (id eſt) *in bonis diſcipulis quos relinquet poſt ſe ad informationem Eccleſiæ.* Quis non ipſi huius præſtantiſſimæ gloriæ meritum arroget, pronoque argumento deducat, ſucceſſores poſt ſe ad Eccleſiæ informationem relicturum, ſi idipſum quod eam formauit, Incarnationis myſterium quod argutas ſane Theologici ingenij experit curas, exinde doctiſſima claritate exaratum, ſui indefeſſo labore, immortalis pagina ſuſtentat. *Sit placens in fratribus ſuis* ideſt (exponit idem) *Doctoribus aliis, eo quod reuerenter tractet eorum doctrinam.* Plurima neruosè refutat, ratione innixus quantoties è maiorum placitis calamum retrahit, ſed quod omnis conſummationis tetigit metam, quod incrementa capeſſere non valuit hoc laudandum maxime eſt, vt nec in minimo Doctoris reuerentiſſimi tranſgrediatur terminos: ex quo confiteri inficiabitur nemo, quod ſi qui eorum, ipſius facta reuiſerent, potius gratiarum vices rependere, quam modeſtiſſimam acrimoniam incuſare deberent: ſed quid mirum vltimæ fortunæ ſtatio, primæuæ fælicitatis in cauſa fuit. *Intinxit ſanè in oleo pedem ſuum.* Tali ſtudio opiniones tractans, quod licet vſque ad neruos, & oſſa difficultatum, vi argumentorum penetret, ſubtilioreſque rimulas ſubintret, non Auctores incompte dilacerat, ſed potius vrbana demulcet. Dum ergo à Theologica veritate verſutias aberrantium contrectat, *ferrum & æs calceamentum eius exiſtit.* Ita errorum aculeos calcans, quibus ſectator veritatis ſupplantari formidat, dum aduerſantium ſemitas decurrit, vt eos inoffenſo tramite conterat, intruento pede comminuat. Vnde Scholaſticæ veritatis ſine dubio vernabunt in eius opere, immortali viriditate flores, ſi nec ſentium inimica errorumque caterua, eas immani obſidione captiuat: *Et ſicut dies iuuentutis eorum ita & ſenectus erit.* Ergo nullius erroris ſuſpectum, nihilque male conceptum aut dogmatibus noſtræ fidei, vel bonis moribus aduerſum,

Deuter. cap. 32. verſ. 24. & 25.

Lyra ſuper hunc locum ad mores.

in

in præclara huius operis doctrina adeſſe ſentimus, potius plurima, quæ ſtudioſos fæliciter iuuare valebunt Ideoque ad Auctoris ſui gloriam immortalem, & ſuæ candidatæ familiæ præclatiſſimum ornamentum, communemque omnium vtilitatem, typis mandari meritiſſimum iudicamus. Datum Matriti in noſtro Conuentu ſanctæ Mariæ de Atochas die vigeſima menſis Auguſti Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Fr. DIDACVS RAMIREZ, Magiſter & Prior ſanctæ Mariæ de Atocha.

Fr DOMINICVS GVILLEN. Magiſter & Lector Theologiæ.

Fr. IOSEPHVS GONZALEZ, Magiſter & Lector Theologiæ.

PRÆCLARVM opus, cui titulus eſt, *Commentaria in vigintiquatuor primas quæſtiones tertiæ partis ſancti Thomæ*, à ſapientiſſimo Patre M.P.F. IOANNE PRVDENTIO in Academia Complutenſi Cathedræ Theologiæ Moralis Moderatore florentiſſime diſpoſitum, ſtrenue galeatum nutu Reuerendiſſimi Patris noſtri Magiſtri Fratris Ildefonſi à Soto Mayor Generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ſedulo reuiſi, perlegi in opere aceruum limpidiſſimi tritici liliis Angelicæ veritatis vallatum; opus quidem quæſtionum, diſputationum, ratiocinationum locupletiſſima copia abundans, ſuper omnes abſque dubio ſacræ Theologiæ ſcriptores Angelici Magiſtri teſtimoniis, & ſententiis profluens inſtar magni fluminis hyberna niue exundantis, in ſermonibus vbique loquutione Prudentiſſimus eſt Prudentius noſter, breuis & clarus, altus tamen & acutus, & argumentationibus omnibus vehemens, in quibus tanta vbertas refloret, vt admirabilis ſit. Nihil tenuiter, iuueniliter nihil, ſed Philoſophicè Theologicè & magnificè Logicis methodis perutitur. Scripturæ ſacræ, & Patrum teſtimoniis, ac demonſtrationibus, numine Diui Thomæ aſpirantà, aduincendum communitus eſt. Hic ſtudioſus Lector inueniet cibum animi verum, paſtum ſuauiſſimum, ferculum & lautiſſimam Angelicæ doctrinæ menſam ſuper mel, & fauum optatiſſimam Hic veterum ſtudia refloꝛent, omnium diſciplinæ reſplendent, amœnioribus vmbris veritas Thomiſtica feſtiuè admodum opacatur. ergo Angelicis hiſce Commentariis in duos tomos vipartitis, panes illos duos primitiarum dictos Ex duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos offerri iubebat ſibi Deus vigeſimoſ ecundo Leuitici cap non ſubobſcure dignoſcimus. Tomi enim, ſeu panes iſti ſtudiorum Diui Thomæ Theologorum cibus Angelicus gloriantur; quod vero ex duabus ſimilæ decimis ſint, admonet geminata perfecti numeri deſignatione condi illos ex doctrina, quæ perfectam in Chriſto, Diuinitatem, perfectamque humanitatem tradit. Nec aliter melius coqui, niſi per doctrinam horum Commentariorum diuinitus poſſunt. Non dubito ſenſuros omnes piæ mentis Theologos Prudentium noſtrum Angelici Præceptoris euectum pennis priorum Theologorum machinas demoliendo, facilem, & permeabilem ſacræ Theologiæ diſcipulis viam complanaturum Sic modeſte ſentio, & opus digniſſimum reputo vt mandetur typis apud Matritum, die 19. Septembris anno 1652.

Fr. IOANNES ASSENSIO, Magiſter & ſocius Reuerend. Pat. Generalis.

NOS

APPROBATIONES.

NOs Frater Ildefonſus de Soto Mayor in ſacra Theologia Magiſter, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia humilis Magiſter Generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Dominus Baroniæ de Algar, &c. Dilecto nobis in Chriſto Patri Magiſtro fratri IOANNI PRVDENTIO in Vniuerſitate Complutenſi Cathedræ Theologiæ Moralis Moderatori facultatem concedimus, vt librum cui titulus eſt, *Commentarij ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones ſanctiſſimi Thomæ, tomi duo*, ab ipſo ingenti lucubratione, ac ſtudio elaboratum typis mandari queat Regia prius conſequuta licentia, necnon, & Ordinarij facultate. In quorum fidem præſentes litteras dari iuſſimus manu propria ſubſcriptas. ſigillo minori noſtri officij communitas, & à noſtro Secretario referendatas in hoc noſtro Cœnobio Matritenſi die decimanona Septembris anno Domini 1652.

Fr. ILDEFONSVS DE SOTO Mayor Magiſt. Generalis.

De mandato Reuerend. P. noſtri Magiſtri Generalis.

Fr. MARTINVS ALLVE Magiſter Elector Generalis & Socius.

NOs el D. D. Rodrigo de Mendia y Parga Canonigo de la ſancta Yglesia Metropolitana del S. Santiago, Señor del Real Priorato de S. Iuan de Cabeyro, Vicario General de la Corte de Philippo IV. Rey nueſtro S. Por la preſente, por lo que a nos toca, como a Iuez ordinario de eſte Arçobiſpado, damos licencia, paraque ſe puedan imprimir dos libros: *Commentarij ſuper vigintiquatuor quæſtiones ſanctiſſimi Thomæ in tertiam partem intitulado*, compueſtos por el P. M. F. IVAN PRVDENCIO Catedratico de Theologia Moral en la Vniuerſidad de Alcala, atento, a que a ſido viſto y examinado por nueſtra commiſſion, y es coſa muy conueniente para el aprouechamiento commun, a 20. de Set. del año de 1652.

D. RODRIGO DE MENDIA Y PARGA.

Por ſu mandado Diego Phelipe.

LICENTIA ORDINARII.

ANTONIVS DE NEVFVILLE Preſbyter, S. Iuſti Abbas, & Vicarius Generalis in ſpiritualibus & temporalibus Sedis Archiepiſcopatus Lugdunenſis: Opus inſcriptum R. P. M. Fr. IOANNIS PRVDENTII *Commentarij ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones ſancti Thomæ in tertiam partem*, à Theologis approbatum; vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni die 27. Maij 1654.

ANTONIVS DE NEVFVILLE.

LIbrum cui titulus eſt, R. P. M. F. IOANNIS PRVDENTII *Commentarij ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones tertiæ partis ſancti Thomæ*; Ego Procurator Regius typis mandari conſentio. Lugduni die 28. Maij 1654.

VIDAVD.

LIbrum inſcriptum, *Commentarij ſuper vigintiquatuor primas quæſtiones tertiæ partis ſancti Thomæ*, Authore P. M. Fr. IOANNE PRVDENTIO CÆSAR-AVGVSTANO, &c. à LAVRENTIO ANISSON, in lucem dari permittimus, ac ſimul neſquis citra factam ei ab iiſdem poteſtatem denuo excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 28. Maij 1654.

SEVE.

INDEX

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Dubiorum, & Sectionum, quæ in hoc Tomo primo continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De poſſibilitate, cognoſcibilitate, & neceſſitate Incarnationis.

DISPVTATIO PRIMA.

De Incarnationis poſſibilitate, Pagina ſecunda.

DVBIVM VNICVM.

An ſit poſſibilis Diuini Verbi Incarnatio. Pag. 2.

Sectio Prima.

PRÆFIGITVR *pars affirmans. pag.2. num 1*

Examinatur modus primus componendi poſſibilitatem myſterij cum immutabilitate Verbi. pag.3.num.8

Expenditur alius, quem docet Valentia. p.4. num 9

Impugnatur Lugus. p.6.& 7.à n.20.vſque ad 24

Eligitur communis, & illuſtratur exinde. pag.7

Sectio II.

Oſtenditur nullam implicantiam eſſe in his duobus, & quòd ex Verbo, & humanitate vnum compoſitum per ſe fiat: & quòd ex vi vniónis Verbum minimè perficiatur. à p.12.ad 15

Sectio III.

Einſdem myſterij poſſibilitas ex parte humanitatis aperitur. pagina 15. numero 59. & 60

Sectio IV.

Subſiſtentiam creatam à natura pluſquàm ex modo ſignificandi contra Durandum diſtingui probatur. ibidem, num. 62. 63. & 64

Et per reliquos numeros contra Scotum defenditur, ſubſiſtentiam eſſentialiter non conſiſtere in duplici negatione, qualiſcumque illa ſit.

Sectio V.

Non eſſe ſubſiſtentiam creatam ipſam reiſubſtantiam, vt fundantem carentiam actualis receptionis in ſubiecto, & vnionis cum alio ſuppoſito, & carentiam poſitiua inclinationis ad ſubiectum inhæſionis, demonſtratur. à pag.19.ad 23

Sectio VI.

Subſiſtentiam creatam nihil addere ſupra naturam, ſed tantùm connotare concurſum effectiuum adæquatum ſibi naturaliter debitum, à ratione eſſe alienum, probatur. per totam p.23.ad 27

Ibidem oſtenditur rationem, qua idipſum probat Lugus, inefficacem eſſe. p.25.n.111

Sectio VII.

Subſiſtentiam creatam non eſſe productionem creatiuam naturæ contra Bernalium defenditur. per totam à pagina 27.ad 34

Subſiſtentiam creatam eſſe modum realiter diſtinctum à natura diſcurritur. per totam à p.34 ad 42

Sectio VIII.

Subſiſtentiam creatam eſſe modum realiter diſtinctum à natura diſcurritur. per totam à p.34.ad 42

Sectio IX.

Poſſibilitas iſta non impeditur ex compoſito. ibidem.

Ibi diuino Verbo cauſalitatem veram præſcripſimus. pagina 43.& 44.num.203 .& 204

DISPVTATIO II.

De cognoſcibilitatis Incarnationis. pag. 44

DVBIVM VNICVM.

An intellectus poſſit de Myſterio iſto aliquam naturalem cognitionem elicere. pag.45

Sectio Prima.

I*Ntellectus noſter naturaliter non poteſt poſſibilitatem incarnationis, antequam hæc reuelata ſit, euidenter, nec mediatè, nec imme*

immediatè cognoſcere. ita pagina 45. num.1

Communis ratio in Vaſquium retorquetur. ibid.num 4

Oſtenditur contra Complutenſes Recentes, impoſſibile eſſe, quòd potentia obedientialis intrinſecè connectatur cum abſoluta poſſibilitate effectus ſupernaturalis, nempe vnionis hypoſtatica. à p.45.ad 49

Et Angelum hanc obedientialem potentiam ad vnionem iſtam cognoſcere euidenter, & ex alia parte Angelum euidenter naturaliter poſſibilitatem vnionis non cognoſcere. à p.49 ad 50.à n.20.vſque ad 27

Ex nullo myſterio reuela o poſſe deduci euidentem cognitionem naturalem mediatam poſſibilitatis incarnationis, docetur. p.53.& 54.à n.45

Deum vt Authorem naturæ formaliſſime latere euidenter poſſibilitatem incarnationis diſcurritur n 30

SECTIO II.

Creatum intellectum naturaliter probabiliter non poſſe viâ inuentionis incarnationem vt poſſibilem, cognoſcere, bene tamen viâ confirmationis ſuppoſita illius reuelatione. p.54.n.47

Ratio iſtius veritatis à Luga adhibita ineſſicax oſtenditur. pagina 56. numero 56. & 57

SECTIO III.

Intellectus creatus non poteſt euidentem cognitionem elicere incarnationis etiam vt poſſibilis, quamuis incarnatio ſit alijs reuelata, bene tamen coniecturalem. pag. 58. num.71

Etiam in hypotheſi, quòd incarnatio exiſtens neceſſariò mitteret ſpeciem ſui intellectui Angelico ipſi localiter approximata, adhuc eſſet impos elicere cognitionem intuitiuam illius. p.59.n.75

SECTIO IV.

Angelus naturaliter callet humanitatem Chriſti eſſe propriâ ſubſiſtentiâ deſtitutam. p.62.n.90

Naturalitatem, vel ſupernaturalitatem priuationum ſolùm pendere ex naturalitate & ſupernaturalitate formarum, quas priuant, non vero ex virtute tales priuationes inducente contra Bernalium. ibid n.94

Deum immittentem ſpeciem Angelo, quæ repræſentaret humanitatem vt ſubſiſtentem propria ſubſiſtentia fore cauſam erroris contra Bernalium. p.65.n.104.& 105

Falſum eſſe dæmonem naturaliter cognoſcere euidenter humanitatem exiſtentem increata exiſtentia, vt vult Medina: Similiter eſſe falſum quod licèt dæmon cognouiſſet euidenter humanitatem exiſtere increata exiſtentia, nullo modo naturaliter cognoſciturum illam eſſe hypoſtaticè Verbo diuino vnitam. n.118

SECTIO V.

Suppoſita reuelatione de exiſtentia incarnationis, poſſibilitas intrinſeca illius immediatè per fidem cognoſcitur, eius verò poſſibilitas extrinſeca, necnon & poſſibilitas incarnationis Patris, & Spiritus Sancti ſolùm attingitur per actum Theologicum. pagina 69. à numero 122. vſque ad 148

DISPVTATIO III.

De conuenientia, & neceſſitate Dominicæ incarnationis. p.76.

DVBIVM I.

An conueniens fuerit Deum incarnari? pagina 76

SECTIO PRIMA.

INcarnationem fuiſſe conuenientem Deo, humanitati, ex parte Matris, & temporis in quo incarnatio eſt executa diſeritur per totam. à pagina 76.ad 78

DVBIVM II.

An ſumma incarnationis conuenientia neceſſitauerit Deum ad eam exequendam. p.78. num.11

SECTIO PRIMA.

Incarnatio abſolute accepta non fuit Deo phyſicè neceſſaria, nec ſuppoſita voluntate mundum creandi, nec ſuppoſito peccato, nec voluntate illud reparandi p.78.à n.15.vſq; ad 22

SECTIO II.

Notabilia deſiderata ad moralis neceſſitudinis depulſionem ſe incarnandi à Deo ſtatuendam. pagina 80. à numero 23. vſque ad 41

SECTIO III.

Prima ratio, qua Granadus, & Ruiſius ſuadent in Deo moralem neceſſitatem ſe incarnandi impugnatur. pag. 83.à num.33. vſque ad 42

SECTIO IV.

Secunda ratio, qua plures recentes Complutenſes talem neceſſitatem in Deo conſtituunt reſpuitur, & ibidem illationis huius falſitas. Deus ſemper eligit optimum. Ergo Deus neceſſitatus eſt ad optimum eligendum, diſcutitur. p 85.a n 45.vſque ad 45

SECTIO V.

Alia duæ rationes pro ſuadenda dicta neceſſitate in Deo diſcutiuntur. Vbi iſtæ duæ illationes. Prima videlicet : licèt bona extrinſeca Deo vtilitatem non adducant, tamen creatura Deum diligens eò perfectiùs dicitur eum amare, quò maiora bona extrinſeca illi cupit. Ergo ſimiliter Deus perfectiori amore ſeipſum proſequeretur, ſi perfectiora bona etſi illi extrinſeca velit ſibi. *Secunda.* quælibet voluntas efficaciùs inclinatur ad id, in quo magis complacet. Sed manifeſtare Deum bonitatem ſuam magis voluntati Dei arridet. Ergo ad id neceſſitatur Deus. *Examinantur. pagina 88. a numero 55.vſque ad 69*

SECTIO VI.

Alia duæ rationes pro ſuadenda prædicta neceſſitate

tate in Deo differuntur, vbi de æqualitate actuum diuinorum in bonitate diſcutitur. p.91. à n.70. vſque ad 94

Sententia negans moralem neceſſitatem in Deo reſpectu incarnationis defenditur. pag.96. à n.95. vſque ad 111

DVBIVM TERTIVM.

An peccatum in ratione offenſæ ſit ſimpliciter infinitum? pag.99.

SECTIO PRIMA.

Notabilia generalia ad ſtatum controuerſiæ concernentia. pagina 99. à numero 1. vſque ad 10

SECTIO II.

Infinitas intrinſeca peccati non bene probatur à Salmanticis ex eo quòd peccatum ſit deſtructiuum Dei. pag.101. à num.11. vſque ad 31

SECTIO III.

Ex infinitate perſonæ offenſæ non bene probari infinitatem intrinſecam iniuriæ Deo illatæ. p.107. à n.32. vſque ad 58

SECTIO IV.

Infinitatem offenſæ non conuinci ex infinitate bonorum, quibus priuat offenſa. pag.113. à n.59. vſque ad 95

SECTIO V.

Infinitatem peccati non bene deduci ex Deo vt per peccatum offendibili, nec ex vtilitate perſonæ offendentis. p.119. à num.96. vſque ad 107

SECTIO VI.

Infinitatem peccati non rectè ſtatui ex concreto offenſæ includente aliquid infinitum; nec ex antelatione, quâ per peccatum creatura antefertur Deo. p.122. à n.108. vſque ad 233

SECTIO VII.

Regulariter nullum peccatum eſſe infinitum, tametſi aliquod poſſit dari peccatum intrinſecè infinitum ſimpliciter. pagina 126. à n.234. vſque ad 254

DVBIVM QVARTVM.

An neceſſaria fuerit incarnatio, vt digna fieret pro peccato ſatisfactio? pag.131.

SECTIO PRIMA.

Status quæſtionis, notabilia, & ſententiæ parantur. p.131. à n.1. vſque ad 3

SECTIO II.

Durandi, Almayni & Lugi rationes refelluntur. p.131. à n.4. vſque ad 11

SECTIO III.

Vaſquij & Ripaldæ rationes examinantur. Aſſerta quædam Vaſquij traduntur indagini, ibi adducitur inconſequentia Recentium Complutenſium, qui admittentes cum Vaſquio hominem per peccatum contrahere debitum carendi auxilio, vt conteratur, negant hominem conterentem non ſupponere condonationem talis debiti in collatione auxilij, quo talem contritionem peragit. Rurſum falſum eſſe Deum conferentem auxilium

homini vt conteratur abſtrahere à motiuo illi benefaciendi. p.133 à n.13. vſque ad 31

Præterea quid inuoluât debitum obiectiuum dant. p.139. n.37. & 38

Rurſum hæc duo à Vaſquez data, nempe hominem poſſe ſatisfacere pro macula & offenſa; quæ eſt debitum ſubiectiuum, etiam ſuppoſita condonatione debiti carentiæ auxilij eſſe intellectu difficilia. p.140. à num.42. vſque ad 51

Rationem, quam dat Vaſquez pro impoſſibilitate ſatisfactionis condignæ pro peccato, nempe, quia homini peccatori, dum conteritur, remittitur debitum carendi auxilio, quod contraxerat per peccatum, quapropter talis condonatio condignam ſatisfactionem impedit, examini trado. p.143. à n.52. vſque ad 87

In incarnatione impræſcindibilem eſſe ſubſtantiam eius ab hoc, quod eſt eſſe nobis proficuam contra plures nouiſſimos Complutenſes oſtendimus. p.145. à n.65. vſque ad 77

In decreto prædiffinitiuo incarnationis non dari duplicem tendentiam, quarum vna tendat in motiuum, quod eſt redemptio, hancque demereri peccatum originale; alia verò tendentia terminata ad ſubſtantiam ipſius incarnationis, hancque demereri peccatum; decernimus. p.149. à n.79. vſque ad 83

Rationem Ripaldæ pro ſtatuenda impoſſibilitate ſatisfactionis pro peccato in puro homine; eſſe inefficacem, oſtenditur. pag.151. à n.86. & 87

SECTIO IV.

Ratio ſequenda pro impoſſibilitate ſatisfactionis hominis puri pro peccato proprio. p.152. n.88. vſque ad 104

SECTIO V.

Alia ratio pro impoſſibilitate prædicta ſatisfactionis proponitur. pag.154. à num.105. vſque ad 110

Argumenta Lugi ſatisfiunt à num.111. vſque ad 121.

SECTIO VI.

Hominem purum pro peccato proprio mortali imperfectè ſatisfacere oſtendimus. pag.158. à n.124

Modum dicendi Araujo repugnantia inuoluere, ſibi ipſi contradicere, & Sanctiſſimum Doctorem deſerere, demonſtratur. pag.159. à n.126. vſque ad 130

SECTIO VII.

Duæ interrogationes deciduntur, prima hominem adhuc vt conſiantium Chriſto capiti non poſſe ſatisfacere pro peccato proprio reſoluitur. p.160. n.136. & n.138

Secunda, in hypotheſi, in qua homo purus conſtituatur cum inaduertentia inuincibili ad Deum, adhuc non poſſe pro furto aut homicidio condignè ſatisfacere, ſi ex alia parte ſit conſcius diſſonantiæ talium actionum cum rationis dictamine contra Lugum. pag.161. à n.139. vſque ad 144

DVBIVM QVINTVM.

An purus homo poſſit condignè pro veniali ſuo perfectè ſatisfacere? pag.162.

SECTIO PRIMA.

Plura certa proponuntur ad intelligentiam quæ-

ſiti. ibid. à n.1. & 2

SECTIO II.

Hominem ſuum media perfecta contritione venialis deteſtatiua pro illo adæquatè ſatisfacere poſſe, & ibi fit ſatis argumentis Recentium Complutenſium. ibidem num.3. vſque ad 10

Præterea, quòd etiam in hypotheſi, quòd admittatur, contritionem opponi per modum formæ incompoſſibilis cum veniali, ex vi talis oppoſitionis, nullo modo dici illam ſatisfactionem pro peccato veniali. p.164. à n.11. & 12.

SECTIO III.

Argumenta contra præcedentem reſolutionem proponantur. pagina 165. à num.15. vſque ad 40

SECTIO IV.

Contritio perfecta eſt condigna ſatisfactio pro ſe ipſa extinguens debitum venialis, cuius eſt retractatio efficax independenter ab omni voluntate Dei acceptante, & noua remiſſione, contra Suarez & Lugum. p.169. n.4. vſque ad 55

Contritionem hic & nunc à Deo acceptari in remunerationem gratiæ & gloriæ, non impedire in illa rationem perfectæ ſatisfactionis contra Ripaldam. p.172. num.56. vſque ad 61

SECTIO V.

Hominem non poſſe ſatisfacere pro veniali viribus naturæ præcisè innixum. pag.173. n.62. vſque ad 65

Præterea veniale poſitiuè non mereri carentiam auxilij, quo ab illo poſſit reſurgere. p.174. n.66. & 67

DVBIVM VI.

An purus homo poſſit perfectè & condignè ſatisfacere pro aliorum lethalibus? p.174

SECTIO PRIMA.

Status controuerſiæ & notabilia generalia proponantur. p.175. à n.68. vſque ad 71

SECTIO II.

Sententiæ & ſequenda proponuntur. Præterea oſtenditur, in ſententia dicentium compoenere peccatum cum gratia, poſſe hominem vnum de condigno mereri alteri infuſionem gratiæ, non verò remiſſionem peccati, eſſe in re nihil mereri contra Ripaldam. p.175. n.73

SECTIO III.

Ferraræ, Medinæ, & aliorum rationes pro impoſſibilitate ſatisfactionis in puro homine pro peccato aliorum, reſpuuntur. p.177. à n.85. vſque ad 100.

SECTIO IV.

Rationes Vaſquij, & Cardinalis Lugi pro prædicta impoſſibili ſatisfactione refellantur. pag.179

Principium illud Vaſquij gratiam ſolùm dicere ordinem ad merendam de condigno gratiam illi ſubiecto, cui inhæret, eſſe falſum. p.180 à n.103. vſque ad 108.

Rurſum adhuc illo permiſſo rationem Vaſquij minimè conuincere impoſſibilitatem prædictæ ſatisfactionis. pagina 181. à numero 109. vſque ad 112

Complutenſium probationes in defenſionem principij Vaſquij refelluntur p.181. à n.113. vſque ad 127

Ratio Lugi expungitur. p.184. à n.128. vſque ad 131

SECTIO V.

Ratio prima tenenda pro impoſſibilitate ſatisfactionis pro peccato alieno. pagina 185. num. 131

Occurritur rationibus, quibus illam eneruare conatur Ripalda p.186. à n.136. vſque ad 143

SECTIO VI.

Secunda ratio pro tuenda impoſſibilitate ſatisfactionis prædictæ. pagina 188. num.144. & 145

Occurritur Rippaldæ illam fallacem appellanti, & impugnanti. p.189. à num.146. vſque ad 161

SECTIO VII.

Etiam in hypotheſi, quòd carentia peccati non ſit æquè bona ac malum eſt peccatum, adhuc hominem non poſſe ſibi, aut alteri mereri condignè peccati remiſſionem. pagina 191. à num.162.163. & 164. vſque ad 170

SECTIO VIII.

Ripaldæ prædictam hypotheticam reſolutionem impugnanti ſatisfit. pag.193. à num.172. vſque ad 186

SECTIO IX.

An in hypotheſi, quòd præſeruatio à peccato poſſit alteri de condigno promereri, ſequatur, poſſe remiſſionem peccati alicui cadere ſub meritum condignum? Negatiua pars eligitur contra Ripaldam. pag.196. num.102

Ripaldæ ſimul occurritur. p.197. n.106

SECTIO X.

An in hypotheſi, in qua permittatur, quòd homo poſſit alteri de condigno promereri impeccabilitatem quæ eſt annexa viſioni beatæ, ſequatur, poſſe ſimiliter promereri de condigno remiſſionem peccati. p.198. num.107

Eligitur pars negatiua contra Ripaldam. ibid. n.110. & 111

SECTIO XI.

Ripaldæ argumentis variis ſatisfit. pagina 199. à n.112. vſque ad 126

SECTIO XII.

Corollarium proponitur contra Ripaldam, nempe in hypotheſi, quod homo promeretur de condigno remiſſionem peccati alteri homini peccatori, verè pro illo ſatisfactionem condignam exhiberet. p.202. à n.277. vſque ad 233

DVBIVM VII.

An incarnatio neceſſaria fuerit, vt pro peccato fieret ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia? affirmatur. pag.203.

SECTIO PRIMA.

Generalia principia ad ſtatuendam ſtrictam iuſtitiam in ſatisfactione Chriſti. ibidem, a nu

à numero 1. vſque ad 22

SECTIO II.

Sententia, & ſequenda referuntur. Affirmatiua præeligitur. p. 209. n. 30. & probatur. ibi. n. 32

Oſtenditur contra Lugum & Ripaldam compati poſſe dominium ſupremum Dei in omnes Chriſti actiones, cum iure, quod Chriſtus acquirit aduersùs Deum, vt illas præmiet. ibid. à n. 33. vſque ad 49

Oſtenditur hæc duo eſſe vera. Primum, Deum promittentem Chriſto remunerationem ſub onere manere obligatum ex iuſtitia ad illam remunerationem, & Chriſtum, vt remuneraretur, acquiſiuiſſe ius aduersùs Deum. Secundum, etiam ſuppoſita tali promiſſione & obligatione manſiſſe Deum dominum illius remunerationis, taliter, quòd abſolutè poſſet talem remunerationem Chriſto denegare ſine eo, quòd illi Deus iniuriam intuliſſet, quamuis contra ius Chriſti aliqualiter egiſſe diceretur. p. 213. n. 49. vſque ad 56

Oſtenditur, ſententia Ripaldæ, quam nouam augurantur ipſe, in re vetuſta, ſolùm recentibus veſtita voculis, ſed bene compta, eſſe. p. 217. n. 57

SECTIO III.

Argumenta ex impoſſibilitate iuſtitiæ Dei erga nos, quæ deſumunt Ripalda, & Lugus. p. 217. à n. 58. vſque ad 62

SECTIO IV.

Argumentum ſumptum ex prima conditione, quam petit iuſtitia, nempe quòd ſit ad alterum. p. 218 à n. 63

Et ibi ſoluitur argumentum non contemnendum. p. 219. à n. 67. vſque ad 72

SECTIO V.

Argumentum ſumptum ex ſecunda conditione, quam petit iuſtitia, nempe quod ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia debeat fieri ex aliàs indebitis alio titulo multiplicante materiam indebitam. p. 222. à n. 77. vſque ad 98

SECTIO VI.

Argumentum ex tertia conditione petitum, videlicet actum iuſtitiæ debere eſſe ex bonis à creditore liberaliter collatis. p. 226. à n. 99. vſque ad 115

SECTIO VII.

Argumentum ex quarta iuſtitiæ conditione deſumptum, videlicet quòd fiat ex bonis debitoris, quæ creditoris non ſint. Vbi varij Authorum modi illam exponendi traduntur. p. 231 n. 116. vſque ad 141

SECTIO VIII.

Argumentum ex quinta iuſtitiæ conditione ex poſtulatum, videlicet, ſatisfactionem eſſe debere talem, vt non poſſit à creditore non acceptari. pagina 236. à num. 142. vſque ad num. 168

SECTIO IX.

Soluitur argumentum ſectionis antecedentis. pagina 242. à numero. 169. vſque ad 176

SECTIO X.

Argumentum ex alia conditione poſtulatum, nempe quòd ſatisfactio ſit ad alterum iure, & ſolutio ponderationum Bernaly. pag. 244. à n. 177. vſque ad 190.

Item ſatisfit ponderationi Lugi. p. 246. à n. 191 vſque ad 193

SECTIO XI.

Argumentum deſumptum ex impoſſibilitate iuſtitiæ creaturæ in Deum. pagina 248. num. 194

Sententiam mediam à Lugo inuentam deficere à veritate, nec non in Deo dominium proprietatis, & iuriſdictionis nec ratione diſtingui. ibid. à n. 197 vſque ad 227

SECTIO XII.

Argumentum ex alia conditione petitum, videlicet, quòd iuſtitia verſari debeat inter vtile, & nociuum, & ſatisfit ponderationibus Recentiorum] Complutenſium in ſuis manuſcriptis, quos ſequitur Ouiedo 1. 2. tractat. 9. contr. 8 puncto 3. n. 20. p. 258. à n. 264. vſque ad 258

SECTIO XIII.

Idem argumentum aliter proponitur, & fortius, & ſatisfit ponderationibus Ripaldæ. p. 262. à n. 258. vſque ad 276

SECTIO XIV.

Vltimum argumentum ponitur, & ſoluitur. p. 265. à n. 277. vſque ad 279

SECTIO XV.

Qualis ſit iuſtitia Dei ad Chriſtum, & homines, & horum iuſtitia ad Deum triplici concluſione reſoluitur. p. 266. à n. 280. vſque ad 307

TRACTATVS II.

De cauſis myſterij Incarnationis. pagina 273.

DISPVTATIO I.

De cauſa extrinſeca, ſeu de motiuo, quo motus fuit Deus ad ſe incarnandum? ibid.

DVBIVM I.

Quodnam motiuum de facto habuerit Deus ad decernendam incarnationem. ibid.

SECTIO I.

Scotus, & Suarez referuntur. pagina 273. à num. 1. vſque ad 4

SECTIO II.

Impugnantur Scotus & Suarez. pagina 275. à num. 5. vſque ad 13

SECTIO III.

Caietanus, Vaſquez, Valentia: & Cabrera impugnantur. pagina 277. à numero 14. vſque ad 21

SECTIO IV.

Prima concluſio ſententiæ ſequendæ, nempe Chriſtum fuiſſe efficaciter prædiffinitum ante peccatum abſolutè præuiſum authoritate & ratione munitur. pag. 279. à num. 22. vſque ad 32

SECTIO V.

Secunda concluſio ſententiæ ſequendæ videlicet

cet Chriſtum ex vi illius primi decreti prædefinitum fuiſſe Redemptorem quaſi in actu ſecundo, atque adeo dependenter a peccato futuro, ſicut ſolet dici pœnitentiam eſſe a Deo volitam immediatè ante prauiſionem peccati. pagina 282. à numero 32., vſque ad 41

Sectio VI.

Eadem concluſio præacta ſectione antecedenti aliâ viâ proponitur, videlicet quod Chriſtus extiterit in primo ſigno prædefinitus Redemptor, quaſi in actu primo, hoc eſt, vt non deficiat remedium peccato, ſi fortè contingat, ſeu in remedium peccati ſi ſit, & componitur cum his decretis, Chriſtum non venturum, ſi Adamus non peccaret. pag. 284. à num. 42. vſque ad 50

Sectio VII.

Argumenta contra doctrinam ſectione quinta, & 6. adhibitam, & ſolutiones replicarum, quas nouiter noſtri Compluteſes conficiunt. pag. 286: à num. 51. vſque ad 113

DVBIVM II.

An filij Adæ, in quos iuſtitia origioalis, vel peacatum erat transfundendum potuerint prædefiniri poſt præuiſum peccatum Adæ? pag. 199

Sectio I.

Status controuerſiæ proponitur. ibidem, à num. 1. & 2

Sectio II.

Opinio eorum defendentium poſteros Adæ poſt illius peccatum commiſſum eſſe prædiffinitos, examinatur. ibid. à num. 3. vſque 13

Sectio III.

Opinio eorum defendentium ante peccatum Adæ prædiffinitam eſſe exiſtentiam aliquorum ex his, qui de facto creati ſunt, diſcurritur. p. 301. à num. 14. vſque ad 33.

Ibi aduertimus, nos à reſolutione dubij ſuperſedere, cùm neutra pars noſtris principiis noceat, aut proſit.

DVBIVM III.

An Chriſtus prædiffinitus fuerit propter peccatum Adæ vt exiſtens tantùm in ipſo, vel contractum in poſteris; & an ſolùm propter Origioale, vel etiam actualia & an veniret his, vel illis deficientibus? pag 306

Sectio Vnica.

Status controuerſiæ, quinque ponuntur concluſiones, & illationes quædam reſoluuntur. ibid. à num. 1. vſque ad 24

DVBIVM IV.

Quomodo Maria ſanctiſſima ex meritis Chriſti liberari potuerit à debito contrahendi origioale peccatum? pag. 312

Sectio I.

Status controuerſiæ, notabilia generalia perutilia adduntur, & ſententia, Ægidij reſpuitur. ibid. à n 2. vſque ad 16

Sectio II.

Lugus, Puente, Hurtadus refelluntur, & alij pag. 316. à n. 17. vſque ad 26

Sectio III.

Alij modi à Compluteſibus ingenioſè inuenti recitantur, & impugnantur. pagina 319. a num. 27. vſque ad 47

Sectio IV.

Oſtenditur Mariam ſanctiſſimam à debito contrahendi originale fuiſſe immunem authoritate ſanctorum Patrum. pagina 325. à num. 48. vſque ad 58

Sectio V.

Notabilia, & modus, quo Maria ſanctiſſima fuit ex Chriſti meritis liberata à prædicto debito adducuntur. pag. 227. à num. 59. vſque ad 65. vbi proponitur ratio dubitandi difficilis quomodo ſcilicet Chriſtus meruerit Mariam ſanctiſſimam eligi in ſui matrem.

Sectio VI.

Modus reſpondendi rationi dubitandi H·rice & Hurtadi reiicitur. pagina 329. a num. 1. vſque ad 19

Sectio VII.

Rationibus Hurtadi & Herice ſatisfit. pag. 335. n. 20. vſque ad 27

Sectio VIII.

Modus reſpondendi rationi dubitandi Cardinalis Lugi & Bernalij imp gnatur. pag. 337. à num. 28. vſque ad 45

Sectio IX.

Modus reſpondendi rationi dubitandi eligitur, & munitur. pagina 344. a numero 46. vſque ad 50

Sectio X.

Argumenta in hunc modum dicendi facta reſoluuntur. pag. 345. à numero 51. vſque ad 71

DVBIVM V.

An Maria ſanctiſſima meruerit eſſe Matrem Chriſti? p. 351

Sectio Voica.

Oſtenditur Mariam ſanctiſſimam de congruo ſibi promeruiſſe maternitatem, & ſolùm quoad executionem. ibid. à numero 1. vſque ad 33

Lorca interdenti negare tale meritum Mariæ ſanctiſſimæ ſatisfit. pag. 353. num. 12

Ratio Lugi pro merito de condigno Virgini denegando eſt inefficax. pagina 354. numero 16

Rationibus Bernalij conantis Mariæ ſanctiſſimæ meritum de condigno erga ſuam maternitatem præbere ſatisfit. pag. 355. à num. 18. vſque ad 22

Meritum quod nec de congruo, nec de condigno, ſed ſolùm de digno a Bonauentura, & Marſilio edoctum & Mariæ ſanctiſſimæ aſcriptum, reſpuitur. pag. 356 n. 23

Quid ſit dicendum de poſſibili, & an ex vi alterius prouidentiæ poſſit concedi Mariæ ſanctiſſimæ meritum de condigno ſuæ maternitatis, & an aſſertum Hurtadi Salmantini circa rem hanc ſit abſolutè verum, dant numero 24 vſque ad 29. à pagina 357. ad 358

DV

DVBIVM VI.

An antiqui Patres & Maria ſanctiſſima potuerint promereri incarnationis ſubſtantiam? vbi notabilia parantur. pagina 359. num. 1. & 2

SECTIO I.

Reſponſio prima à doctoribus priſcis adhibita impugnatur. ibid. à n. 3. vſque ad 7

SECTIO II.

Reſponſio ſecunda à quibuſdam Recentibus data refertur. p. 360. n. 8. & impugnatur. p. 361. n. 9. vſque ad 14

Adducitur modus quidam reſpondendi Ioannis Gonçalez in ſuis manuſcriptis. p. 363. n. 15. & impugnatur. ibid.

SECTIO III.

Sancti Patres antiqui non potuerunt mereri de condigno incarnationem. pag. 364. à n. 17. vſque ad 32

Ibidem miſcetur doctrina valde vtilis ad plures theologicas concertationes dirimendas.

SECTIO IV.

Sancti Patres meruerunt de congruo ſubſtantiam incarnationis quoad executionem. p. 369. à n. 33. vſque ad 39

Adducitur doctrina aptiſſima ad intelligentiam celebris puncti tract. de prædeſtinatione agitati quomodo ſcilicet cohæreat electio ad gloriam ante præuiſa merita cum intentione dandi gloriam per modum coronæ in determinato gradu. pag. 370. num. 36

Occurritur Caſtillo diſparitatem inter hæc dare conantis ib. n. 38

SECTIO V.

Argumenta contra reſolutionem datam ſectione antecedenti reſoluuntur. pag. 371. à num. 40. vſque ad 52

Explicatur vulgare aſſertum, quòd ſcilicet principium meriti non cadat ſub meritum. ibid. num. 40

DVBIVM VII.

An ſancti Patres antiqui meruerint incarnationis circonſtantiam? p. 375

SECTIO I.

Status quæſtionis, notabilia, & ſententia. ibid. à n. 1. vſque ad 7

SECTIO II.

Sancti Patres meruerunt de congruo accelerationem incarnationis. pag. 376. à numero 8. vſque ad 18

Danielis oraculum, cui fidit Lorca, ſubit genuinam interpretationem. pag. 377. num. 12. & 13

Reſolutionem hanc eſſe intelligendam vtroque modo tam de acceleratione incarnationis quoad æternam prædefinitionem, quàm quoad eius executionem. ibid. à numero 14. & 15

Bernaly aſſertum deſeritur. pag. 378. num. 18

SECTIO III.

Argumenta contra reſolutionem proponuntur, & ſoluuntur. pagina 379. à num. 19. vſque ad 45

Æquiuocationem patiuntur Lorca & Caſtillo circa intelligentiam illius vocis accelerationem. *pag 380. n 26*

Modus dicendi Lugi in omnibus deficit, ibid. à num. 30. vſque ad 34

Doctrina Recentiorum Complutenſium deſeritur. pag. 383. num. 43

Lorcam, & Caſtillo etſi ipſi nobis aduerſari profiteantur, ſolum voces contra nos emittere. ib. n. 44. & 45

TRACTATVS III.

De cauſa formali intrinſeca incarnationis, eius termino, & proprietatibus. pag. 385

DISPVTATIO I.

De vnione hypoſtatica quoad quidditatem. ibid.

DVBIVM I.

In quo conſiſtat eſſentialiter hypoſtatica vnio. Notabilia ibi parantur. ibid.

SECTIO I.

Actionem vnitiuam realiter non eſſe productiuam p. 386. à n. 1. vſque ad 92

Cippullus reſolutionem hanc inefficaciter probat. p. 387. à n. 7. vſque ad 9

Eam Recentes Complutenſes inefficaciter probare. p. 388. à n. 10. vſque ad 16

SECTIO II.

Vnionem hypoſtaticam nullo modo eſſe formaliter actionem productiuam. pag. 393. num. 30. vſque ad 64

SECTIO III.

Argumenta ſententiæ identificantis vnionem hypoſtaticam cum actione humanitatis productiua. p. 400. n. 65. vſque ad 94

Vera Auguſtini interpretatio adducitur, necnon Fulgentij contra Bernalium. pag. 401. à n. 69. vſque ad 74

SECTIO IV.

Argumenta identificantium vnionem hypoſtaticam cum entitatibus verbi, & humanitatis. pagina 406. à numero 65. vſque ad 129

Retorquetur argumentum Cippulli in ipſum, p. 408, n. 101

DVBIVM II.

An hypoſtatica vnio eſſentialiter ſit influxus actiuus proprius verbi in Chriſti humanitatem. p. 414

SECTIO I.

Notabilia Generalia, etſi breuiter parantur. ibid. à n. 1. vſque ad 4

SECTIO II.

Sententia conſtituens eſſentialiter vnionem in influxu ſpeciali verbi in humanitatem Chriſti examinatur. pagina 415. à numero 5. vſque 19

Refertur Franciſcus Abra huius ſententia Author, & omnia verba, quibus illam obarmat, excribuntur. ibid.

Notatur, antequam prædictus Abra in Hiſpania euulgaretur, prædictam ſententiam ab Authore, tum apud Hoxenſes, tumque apud Complutenſes eſſe defenſatam. ibid.

SECTIO III.

Rationes, quibus Author iam diu ſententiam identificantem vnionem cum influxu ſpeciali verbi in humanitatem, protegebat, referuntur. p.417. à n. 20. vſque ad 30

SECTIO IV.

Alia ratio Authoris qua intendebat componere ſpecialem influxum vnius Perſonæ diuinæ in effectum ad extra inconcurrentibus ſic aliis cum æqualitate omnipotentiæ in omnibus illis. p.419. à n. 32

SECTIO V.

Argumenta particularia Authoris contra iſtum ſpecialem influxum vnius Perſonæ diuinæ in effectum ad extra. p.422. à num. 43. vſque ad 87

SECTIO VI.

Vnio humanitatis ad verbum non eſſe ſpecialem influxum effectiuum verbi in humanitatem defendi tur. pagina 430. numero 88. vſque ad 105

Increpatur Franciſcus Abra. ibid. à num. 88. vſque ad 92

Impugnatur Franciſcus Abra ratione. p.431. n.93. vſque ad 100

Reſponditur rationi, qua prædictus doctor talem influxum ſuadebat. p.433. n.101. & 102

Reſpondetur ſimiliter rationibus quibus Author prædictum influxum conuincere conabatur ibid. n. 105

SECTIO VII.

Corollaria ex dubiis varia; incarnationem ſcilicet non ſolùm eſſe actionem eductiuam vnionis ex potentia obedientiali humanitatis, & vnitiuam cum Verbo, ſed etiam viam ad dependentiam humanitatis à Verbo, vt à termino illam intrinſecè terminante. pagina 434. à numero 106. vſque ad 112

Inter Verbum & humanitatem duplicem dari per æquiualentiam vnionem. pag.435. à num. 113. vſque ad 154

Vnionem ſe tenentem ex parte Verbi quaſi ſubiectiuè diſtingui virtualiter ab ipſo Verbo. pag.436. num.118. & 119. & 148. & 149

Cardinali de Lugo ſit ſatis. pag.439. à n. 134. vſque ad 142

DVBIVM III.

An vnio hypoſtatica ſit beatitudo formalis animam Chriſti formaliter beans? p.443

SECTIO I.

Momenta Ripaldæ pro parte affirmante. ibidem. à num. 1. vſque ad 9

SECTIO II.

Momenta authoris pro eadem parte affirmatiua. pag. 444. à num. 10. vſque ad 29.

Reſolutio authoris eſt negatiua cum communi ibidem.

SECTIO III.

Vnio hypoſtatica non eſt qualitas, eſt reſpectus, non prædicamentalis, ſed tranſcendentalis. p.448. à num. 30

Cardinalem de Lugo minimè probare efficaciter vnionem hypoſtaticam non eſſe relationem prædicamentalem. p.449. n. 34

SECTIO IV.

Vnio hypoſtatica poteſt dici eſſentialis, & naturalis Chriſto, vt opponitur ſupernaturali ratione compoſiti, & natura diuina, non verò ratione naturæ humanæ. p.453. à n. 45 vſque ad 63

SECTIO V.

Hypoſtatica vnio eſt in ratione doni maxima, & in ratione vnionis, tum in vi copulandi; tum in reddendo extrema inſeparabiliora, non verò in faciendo illa magis vnum. p.456. à n. 64. vſque ad 88

DVBIVM IV.

Quotuplex ſit hypoſtatica vnio in Chriſto, & quo ordine producta? p.461.

SECTIO I.

Vnio hypoſtatica non eſt ſimplex in anima ſubiectata, duplex eſt, vna in anima, alia in corpore, non tamen datur tertia in humanitate recepta ab ambabus diſtincta. ibid. à n. 89. vſque ad 98

SECTIO II.

Prius prioritate finis anima & corpus fuerunt vnita inter ſe, quam verbo: prioritate verò executionis prius verbo, quam inter ſe fuerunt vnita. pag. 463. à num. 99. vſque ad 109

SECTIO III.

Præter aſſumptionem partium datur immediata vnio aſſumptiua naturalis vnionis partium in hypoſtaſi, quòd tali vnioni correſpondeat naturaliter ſubſiſtentia propria. p.466. n. 111. vſque ad 125

Vnionem hypoſtaticam priùs natura vniiſſe animam verbo, quàm materiam. pag.466. à n. 126. vſque ad 138. contra Bernalinum.

DVBIVM V.

Quiſnam ſit terminus totalis incarnationis, vt actio eſt, & terminus formalis? p.472.

SECTIO I.

Terminus adæquatus & totalis incarnationis, vt actio, eſt perſona verbi ſubſiſtens in duabus naturis. pag. 472. à num. 139. vſque ad 144

SECTIO II.

Terminus formalis, quo, incarnationis, vt eſt actio, eſt humanitas prout verbo vnita, ſumpto ly, vt tamquam conditione, & humanitate, vt ratione formali. p.473. à num. 144. vſque ad 167

Definitionem termini formalis, quo, incarnationis adductam à Cardinali de Lugo non eſſe bonam. p.471. n. 155

SECTIO III.

Terminus totalis à quo incarnationis eſt, non eſſe Chriſti

Chriſti,formalis à quo negatio humanitatis, vt conſtituentis, & probabiliter negatio humanitatis,& ſimul perſonalitatis conſtituentium. p.478.à n.168

DISPVTATIO II.

De aſſumptiuo, & creatura aſſumptibili. pag.479

DVBIVM I.

Vtrum Deo ratione alicuius prædicati obſoluti poſſit conuenire aſſumptiua virtus? ibid.

SECTIO I.

DEus omni ſubſiſtentia abſoluta deſtitutus non habet vim aſſumptiuam alterius naturæ ad ſe p.479.à n.1.vſque ad 28

Amici rationi ſatisfit. p.482.n.13

Bernalio reſpondetur. p.483.à num.16.vſque ad 28

SECTIO II.

Poteſt Deus aſſumere naturam creatam ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, ſi hæc obiectiuè differat ab illo. pag.484 à n.29.vſque ad 37

SECTIO III.

Poteſt Deus aſſumere naturam creatam ſecundum ſubſiſtentiam abſolutam, etiamſi hæc virtualiter & obiectiuè à natura Dei non differat. pagina 485. à numero 38. vſque ad 55

Martinus Perez affert doctrinam parum efficacem. p.486.n.44.& præcluditur.n.45. 46.& 47

DVBIVM II.

An omnibus prædicatis diuinis relatiuis competat hæc aſſumptiua virtus. p.489

SECTIO I.

In hypotheſi quòd relatio ſpiratiua habeat peculiarem ſubſiſtentiam relatiuam, & aſſumptiuam virtutem conuenire iudicatur. ibid. à n.57.vſque ad 67

Amicus ſolus rem hanc tetigit, & parti affirmanti abſolutè adhæſit, ſed eam inefficaciter ſuaſit. p.490.n.58.vſque ad 64

Reſolutio noſtra eſt affirmatiua hypotheticè, & probatur. pag. 491. à num. 64. vſque ad 66

Quid autem eſſet conſtitutum ex humanitate & ſubſiſtentia relatiua actiuæ ſpirationis. p.442.n.68

SECTIO II.

In hypotheſi quòd ſpiratio actiua non habeat relatiuam ſubſiſtentiam, ſi tamen abſolutam propriam,haberet vim aſſumendi humanitatem. p.493.à n 69.vſque ad 71

Oſtenditur hypotheſim hanc duos habere caſus nullo modo ſibi viciſſim repugnantes, ibid. num 69

DVBIVM III.

An plures diuinæ perſonæ poſſint immediatè aſſumere eandem humanitatem. pag.494

SECTIO I.

Tribus Perſonis conuenit aſſumptiua vis ſimultanea vnius naturæ creatæ. ibid.à.num.72. vſque ad 95

Lugo reſpondetur. ibid. à num.75. vſque ad 78

Amico reſpondetur. pag.495. num.79. vſque ad 81

Amici ſecundum aſſertum probatur. pag.497. n.88,& reſpondetur n.99

SECTIO II.

In hypotheſi,quòd tres diuinæ Perſonæ humanitatem vnam aſſumpſiſſent, ipſæ forent ſimpliciter vnus homo. pag.498.à num.96.vſque ad 108

Explicatur regula pro vnitate, & multiplicitate nominis ſubſtantiui iuxta mentem ſanctiſſimi doctoris. ibid n.97

Concretum quodlibet ſubſtantiale ſubſtantiuum dicere in recto compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia, formalius tamen & expreſſius formam formaliſſimè ſignificati conſtitutiuam. p.502 n.107

Præterea regulam illam pro concreti vnitate datam. n 97. *eſſe aliqualiter attemperandam.* ibid.n.108

DVBIVM IV.

An vna diuina Perſona plures naturas humanas aſſumere poſſit?& an in dicta hypotheſi vnus, vel plures homines eſſet dicenda? pag. 502

SECTIO I.

Vni Perſonæ diuinæ conuenit aſſumptiua vis plurium naturarum. ibid. à num. 109. vſque ad 114

SECTIO II.

In hypotheſi aſſumptionis duarum naturarum humanarum,non duo, ſed vnus eſſet dicendus homo. p.503.à n.115.vſque ad 115

Bernaly ſententia refellitur. ibid. à num. 116. vſque ad 121

Huius Authoris argumentis fit ſatis ex doctrina ſectione 3.tradenda.

SECTIO III.

Quamuis vnitas & multiplicitas concreti ſubſtantiui ſumatur à forma tamquam à ratione formali, tamen multiplicitas illius petit ſuppoſiti multiplicationem vti neceſſarium requiſitum per ſe. p.505.à num.126.vſque ad 139

Ex doctrina in hac regula contenta reſpondetur in forma argumentis Bernaly ſect. antecedenti adductis.

DVBIVM V.

Vtrum Perſonæ creatæ conueniat vis hypoſtaticè aſſumptiua alienæ naturæ creatæ. pag. 507

SECTIO Vnica.

Perſona creata repugnat vis hypoſtaticè aſſumptiua naturæ alienæ. ibid.à num.140.vſque ad 181

Ratio

Ratio, qua reſolutionem iſtam probat Vaſquez, examinatur, & impugnatur. p. 508. à n. 143. vſque ad 160

Ratio Caietani affertur. pag. 510. num. 161. & declinatur. ibidem à numero 162. vſque ad 165

Ratio Cippulli ſequuti Lugum, Amicum, & Suarez eſt ineffieax, vt ab ipſis perhibetur. pagina 511. à numero 169. vſque ad 171

Explicatur ratio Caietani, ſicque probabilior redditur. p. 512. n. 172. & 173

Explicatur ratio, quam Cippullus ex Cardinali Lugo, & Amico, & ambo ex Suarez afferunt. p. 513. n. 175. & maiori probabilitate adumbratur.

Reſpondetur Bernalio alios ſequuto. ibidem à n. 176. vſque ad 181

DVBIVM VI.

An perſona diuina aſſumere valeat naturam creatam propria ſubſiſtentia ſubſiſtentem? p. 514

SECTIO I.

Notabilia parantur. pag. 515. à num. 182. vſque ad 186

SECTIO II.

Repugnat aſſumptibilitas hypoſtatica naturæ ſemel perſonata in ſenſu compoſito perſonalitatis propriæ & alienæ. pag. 516. à num. 187. vſque ad 228

Ratio, quam adhibent Lugus, Arauius, & Cippullus ſequuti Valentiam in defenſionem noſtræ concluſionis, refertur. ibidem, numero 189

Impugnatur. ibidem à numero 190. vſque ad 1,6

Vbi plures replicæ Lugi præoccupantur.

Ratio alia, quam in prædictis aſſerto probationem allegat, & ponderat Lugus, reeitatur. pag. 519. num. 197

Impugnatur ab Ouiedo. ibib. n. 198

Explicatur ratio Lugi, & ſimul occurritur replicis ab Ouiedo factis. ibid. à num. 199. vſque ad 209

Ouiedi argumentis, Hurtadum Salmantinum ſequuti ſit ſatis. pag. 522. n. 211

Bernalio ſatisfit à numero 212. vſque ad 215

Martino Perez reſpondetur relicta Cippulli ſolutione quippe inſufficienti. pagina 523. num. 217

DVBIVM VII.

An quælibet natura ſubſtantialis completa, ſit aſſumptibilis à diuina perſona? p. 526

SECTIO I.

Angelica natura eſt aſſumptibilis à perſona diuina. ibidem à numero 229. vſque ad 241

Explicatur mens ſanctiſſimi doctoris. pag. 527. à num. 237. vſque ad 241

SECTIO II.

Quælibet natura irrationalis completa adhuc inſenſibilis aſſumptibilis eſt à Deo. pag. 528 à num. 242. vſque ad 258

Salmanticenſi Hurtado antiquiores ſequuto ſatisfit. pag. 530. à numero 247. vſque ad 257

Colligitur in hypotheſi, quòd Verbum aſſumeret naturam irrationalem completam, præter aſſumptionem partium, daretur immediata vnio aſſumptiua vnionis naturalis nectentis partes ipſas inter ſe. Quomodo enim iſta cohæreant cum aſſertis ſuprà. pag. 532. n. 258

SECTIO III.

Materia prima, nec forma vnita ſunt immediatè aſſumptibiles, taliter quòd vnâ aſſumptâ non aſſumatur alia. pag. 253. à num. 259. vſque ad 263

Defenditur quòd in hypotheſi, quòd per poſſibile materia prima poſſet à Deo ſola ſine forma conſeruari, poſſet à Deo aſſumi ad exiſtendum, & ſubſiſtendum. pagina 533. num. 262

SECTIO IV.

Quælibet forma ſubſtantialis à materia ſeparata, eſt à Deo aſſumptibilis. pag. 534. à num. 264. vſque ad 270

SECTIO V.

Partes integrales formæ diuiſibilis vnitæ aliis, poſſunt aſſumi à Deo aliis minimè aſſumptis. pag 535. à num. 271. vſque ad 284

Colligitur, partes integrales rei, cuius forma eſt indiuiſibilis, vnâ aſſumptâ, omnes illi vnita aſſumi debent. p. 537. n. 282

Colligitur, iſtas partes integrales non habere proprias ſubſiſtentias. ibid. n. 283

Colligitur, quòd caſu, quod noſtra reſolutio ſitutis contingeret de facto, nullo modo perſona aſſumens verbi gratia pedem, aut brachium, &c. eſſet dicenda pes, aut brachium p. 538. num. 284

SECTIO VI.

Quodlibet accidens poteſt à Deo aſſumi, vt illi vniatur, non vt ſubſiſtat, vel vt exiſtat per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam diuinam. pag. 538. à num. 285

Pars prima ſectionis quoad aſſumptionem accidentis, vt Deo vniatur præcisè. ibid. à num. 285. vſque ad 297. variis exemplis munitur pag. 539. à num. 291. vſque ad 296

An verò pars iſta intelligenda ſit de accidente, nullo modo cum ſuo proprio ſubiecto coniuncto, vel de illo, vt à ſubiecto ſeparato. pag. 540. num. 297

Pars ſecunda ſectionis, nempe quòd accidens nequeat aſſumi ad ſubſiſtendum diuina hypoſtaſi. ibid. à num. 298. vſque ad 304

Pars tertia nempe quòd nequeat accidens aſſumi ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ. pag. 541 à num. 305. vſque ad 306

Cippullus inconſequentiæ nota impingitur. pag. 542. num. 309

Cippulli argumentis ſatisfit. pag. 544. n. 315. & 316

DISPVTATIO vltima.

De aſſumente & aſſumpta creatura.

DVBIVM I.

An Verbum ſolum, & cur humanitatem aſſumpſerit?

pſerit? vbi de appetitu humanitatis ad propriam ſubſiſtentiam. ibid.

SECTIO I.

Verbum ſolum humanitatem aſſumpſit immediatè. ibid. à n. 1. vſque ad 19

SECTIO II.

Oſtenditur ratio, cur inter diuinas perſonas ſola ſecunda carnem aſſumpſerit. pagina 546. à num. 20. vſque ad 29

SECTIO III.

Humanitas à Verbo aſſumpta non habet appetitum innatum per modum deſiderij ad propriam ſubſiſtentiam. pagina 547. à numero 30. vſque ad 46

DVBIVM II.

Sub qua ratione Verbum diuinum humanitatem dicatur terminare? pag. 550

SECTIO I.

Verbum diuinum humanitatem non terminauit primariò per aliquid abſolutum, & ſecundariò per aliquid relatiuum. ibid. à num. 47. vſque ad 58

Datur ratio, cur ſi Verbum ſub ratione abſoluta humanitatem terminaret, dicerentur tres perſonæ incarnatæ. pagina 552. à numero 53

SECTIO II.

Verbum diuinum terminauit primariò humanitatem ſecundùm aliquid relatiuum, & ſecundario mediatè ſecundùm aliquid abſolutum pag. 553. à n. 59. vſque ad 97

Pars prima ſectionis, nempe Verbum diuinum primariò humanitatem terminaſſe ſecundùm aliquid relatiuum, eſt cunctis communis. ibid. num. 63

Pars ſecunda, nempe ſecundariò Verbum terminare per aliquod abſolutum humanitatem, duplicem habet ſenſum. ibidem, numero 64. & 65

Explicantur termini iſti ſecundariò & primariò; & tali notata explicatione deducitur non vulgaris huius partis probatio. pag. 554 à num. 66. vſque ad 68

Bernalio ſex argumenta proponenti ſatisfit. ib. à num. 69. vſque ad 80

Martini Perez argumento reſpondetur. pag. 556. à num. 82. vſque ad 85

Colligitur ſententiam victoria, & Soti affirmantium, primariam rationem terminandi humanitatem eſſe ſubſiſtentiam abſolutam natura vt modificatam proprietate relatiua eſſe veritati diſſonam, & ſanctiſſimo doctori. pag. 558. num. 95

Colligitur, ſententiam Rachonis exiſtimantis principalem rationem proximam terminandi humanitatem eſſe diuinam naturam omnibus perſonis communem, & minùs principalem relationem Verbi, contrariari concilijs, & doctoribus. p. 559. n. 96

Colligitur, falſam eſſe ſententiam Ochami, & Gabrielis aientium, rationem terminandi humanitatem per ſe primo eſſe totum conſtitutum ex eſſentia & proprietate relatiua. ibid. num. 97

DVBIVM III.

Quomodo Pater, & Spiritus ſanctus ſint in humanitate Chriſti præſentes? pagina 559

SECTIO I.

Pater & Spiritus ſanctus non ſunt in humanitate præſentes per concomitantiam. ibid. à num. 98. vſque ad 117

Probatur reſolutio ibid. num. 99. occurritur ſolutionibus Bernaly. ibid. à num. 108. vſque 107

Bernal ſequutus Suarez & Vaſquez proponit quatuor obiectiones, & illis ſatisfit. pag. 561 à num. 108. vſque ad 115

SECTIO II.

Pater & Spiritus ſanctus poſſunt dici eſſe ſpeciali modo materialiter ſumpto in humanitate, ſed non diſtincto formaliter à modo exiſtendi illorum in alijs rebus vniuerſi. p. 562. à n. 118. vſque ad 125

Expenditur pars prima reſolutionis tituli. ibid. n. 122. vſque ad 125

DVBIVM IV.

Quaſnam partes humanitatis aſſumpſerit Verbum de facto? pag. 563

SECTIO Vnica.

Oſſa, vngues, dentes, pili, & capilli immediatè fuerunt à Verbo aſſumpta. p. 564. à n. 126. vſque ad 140

DVBIVM QVINTVM.

An Verbum immediatè aſſumpſerit ſanguinem? pag. 566

SECTIO I.

Notabilia generalia. ibidem, à num. 141 vſque ad 147

SECTIO II.

Aliquis Chriſti ſanguis fuit à Verbo diuino immediatè aſſumptus, ſicut eius caro viua. p. 567 à n. 148. vſque ad 167

Plura de vnione ſanguinis reliquis partibus corporis contra Cardinalem Lugum afferuntur. ibid. à n. 149. vſque ad 152

SECTIO III.

Verbum diuinum aſſumpſit totum ſanguinem immediatè, ſicut totum corpus viuum aſſumpſit. pag. 576

Diſtinctionem ſanguinis in nutrimentalem, & vitalem & animalem, quam admittunt ex Caietano Aluarez, Silueſter, & Cippullus, ingentes pati difficultates ex medicis principiis latè oſtendimus. pag. 577. à num. 173. vſque ad 181

Et permiſſa prædicta diſtinctione ſanguinum deduci, Verbum ſanguinem nutrimentalem aſſumere debere, vel illum verum ſanguinem non eſſe. pag. 578. à numero 183. vſque ad 193

Cippullo argumenti contra reſolutionem ſatisfit. ibid. à num. 194. & 195

SECTIO

SECTIO IV.

Intriduo mortis Chriſti eius ſanguis manſit Verbo hypoſtatice vnitus. p.581. à n.197. vſque ad 217

Probatur reſolutio hac ratione Sanctiſſimi Doctoris, quæ viſa non eſt efficax Cardinali Lugo; ſed munitur. ibid.num.198. vſque ad 205

Lugi argumentis reſpondetur. pag.382.à num. 206

SECTIO V.

Aliqua dubiola de ſanguine. p.585

Quæritur primò, an dum diximus ſectione antecedenti ſanguinem effuſum tempore paſſionis, & prope mortem fuiſſe Verbo vnitum, intelligendi ſimus de vnione totius ſanguinis, an verò de aliquibus partibus illius verificetur eſſe in triduo vnitas, de aliis verè non? ibid.num.218

Quæritur ſecundò, an reipſa manſerit poſt Chri- reſurrectionem aliqua pars veri ſanguinis ex illo, quem Chriſtus in terra, dum patiebatur, effudit? p.586.n.224

Quæritur tertiò, quantum ſanguinem de illo, quem habet Chriſtus in vita ſua aſſumpſerit in reſurrectione. p.587.n.236

SECTIO VI.

Verbum immediatè aſſumpſit bilem, pituitam & melancholiam. à numero 241. vſque ad 246

SECTIO VII.

Humores alij, nempe ros, cambium, & gluten fuerunt hypoſtaticè vniti Verbo. pag.588. à num.148. vſque ad 258

SECTIO VIII.

Verbum aſſumpſit ſpiritum animalem, vitalem, & naturalem.

SECTIO IX.

Verbum immediatè non aſſumpſit accidens, vt ſubſiſteret nec vt exiſteret ſubſiſtentia, aut exiſtentia diuina. à n.263.vſque ad 273

DVBIVM VLTIMVM.

An Verbum diuinum aſſumpſerit hominem?

SECTIO Vnica.

Noſtris temporibus propoſitio hæc, Verbum aſſumpſit hominem abſolutè prolata eſt falſa. à n.274.vſque ad 277.

TRACTATVS
DE MYSTERIO
INCARNATIONIS
Super XXIV. primas quæſtiones tertiæ partis D. THOMÆ.

TRACTATVS PRIMVS.
DE POSSIBILITATE, CONVENIENTIA, neceſſitate, & cognoſcibilitate Incarnationis.

PROEMIVM.

CVIQVE notum eſt, rem (quæ diſputationis adeſt ſubiectum) ſupponi poſſibilem, priuſquàm de ea tractetur: dici nequit, an ſit conueniens, neceſſariumue id, cuius poſſibilitas latet; & tantò minùs, quantò de illius veritate iure ambigi poteſt; & quia plures, pluribus eam implicantiis inuoluerunt; ideo plures, non contemnendæ, ſubortæ ſunt difficultates. Tametſi ergo ſanctiſſ. Thomas poſſibilitatem Incarnationis examini non tradiderit in hac Theologiæ ſumma, tamen id fecerat in 3. diſt. 1. quem ibidem ſequentes, eiuſque diſcipulos, libuit in præſenti tractatu poſſibilitatem prædictam diſcutere. Itaque tractatus iſte in tres diſputationes ſe tradit diuidendum. Prima Incarnationis poſſibilitatem; Secunda cognoſcibilitatem eius; Tertia conuenientiam ipſius, & einſdem neceſſitatem exquiret.

DISPVTATIO PRIMA.

De poßibilitate Incarnationis.

DVBIVM VNICVM.

An poßibilis ſit diuini Verbi incarnatio?

VOx hæc, Incarnatio, varia nomina ſuſtinet, ſed eandem ſignificationem obtinentia, vtpote deriuata ex Ioannis Verbis 1. *Verbum Caro factum eſt*. Etenim ab Hilario myſterium noſtrum expenditur, *lib. 4. de Trinit.* poſt medium, per vocem hanc, *Incorporatio*, & à Calcedonenſi, *act. 5. t. 2. Concil. p. 1. pag. 252.* nec non à Damaſc. *lib. 5 de fide cap. 6.* per vocem iſtam, *Inhumanatio*: Verùm illis omnibus idem reſpondet ſignificatum; quia per eas denotatur vnio verbi cum natura humana, cui in textu Ioannis, per ſynecdochen, verbum illud, Caro, æquiualet. Sed tamen illis deſignatis vocibus omiſſis, vtpote non ita, ac Verbum *Incarnatio*, vſitatis, ſolùm ſub iſta, myſterij noſtri poſſibilitatem ſciſcitamur. Cuius difficultas quatuor capita dignoſcit, verbum nempe aſſumens, humanitatem aſſumptibilem, vnionem extrema iſta copulantem, & tandem compoſitum ex illis reſultans. Iſta omnia per quatuor ſectiones illis correſpondentia percurremus.

SECTIO I.

Poßibilis eſt Incarnatio ex parte diuini Verbi.

1. PRælixam concluſionem docet fides, & patet ex Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt*, ex quibus infertur, poſſibile fuiſſe Verbo incarnari; quod enim executioni mandatur, ſupponit negationem repugnantiæ, antecedenter, quàm fiat; At ſicut rectè colligeretur, ex repugnantia incarnationis, ex verbo proueniente, ipſum verbum incarnatum non eſſe; ita colligi debet, ex incarnatione Verbi, hìc nunc factæ, negatio repugnantiæ incarnationis, quæ ex parte verbi ſumatur. Sed negatio repugnantiæ incarnationis, ex parte verbi, eſt formaliter poſſibilitas incarnationis, ex parte verbi, ergo de primo ad vltimum, ſi de fide eſt, Verbum de facto eſſe incarnatum, & de fide etiam eſſe debet, poſſibilem eſſe incarnationem, ex parte verbi.

2. Verùm licèt placitum hoc ſit fide colendum, aliquas tamen & non leues, ſumus examinaturi difficultates, quibus hæretici illam ſunt ſoliti impetere; in quarum ſolutione, tot inuentæ ſunt viæ, quot Authores; omnes fideliter trademus, & probabiliorem eligemus. Ratio igitur prima, quæ incarnationem reddit impoſſibilem, ex parte verbi, formatur ſic; incarnatio mutationem phyſicam verbi eſſentialiter præ ſe fert; ergo repugnat incarnatio. Antecedens probo: incarnatio Verbi dat illi aliquid intrinſecum de nouo, quod ante illam non habebat; Ergo incarnatio mutationem phyſicam verbi infert. Antecedens probo, Incarnatio dat Verbo de nouo denominationem intrinſecam, quam non habebat antea; Ergo incarnatio dat verbo aliquid intrinſecum de nouo, quod ante illam non habebat. Antecedens patet, nam incarnatio dat verbo eſſe vnitum intrinſecè humanitati, quod ante incarnationem intrinſecè non habebat. Nunc conſequentia patet: quia licèt extrinſeca denominatio Deo, & creaturis, de nouo, aduenire queat, ſine eo, quòd tam Deus, quàm creatura, aliquid intrinſecum ſuſcipiant; tamen nullibi reperietur denominatio intrinſeca noua, vbi forma intrinſeca, noua, ſubiecto nouiter adaucta non ſit: quia ſicut intellectu eſt difficile; & impoſſibile potiùs, extrinſecam denominationem aduenire ſubiecto nouiter, quin nouiter & extrinſecè forma illi applicetur, quia denominatio extrinſeca pro formali, eſt ipſa forma extrinſecè applicata; ita par erit impoſſibilitas in admittenda intrinſeca, & noua ſubiecti denominatione, ſi aliunde illi denegetur, aduentus nouus formæ intrinſecæ; quia denominatio intrinſeca, pro formali nihil aliud eſt, quàm forma intrinſeca; ergo ſicut aduentus nouus formæ extrinſecæ, infert nouam extrinſecam denominationem; ita hæc, nouam formam intrinſecam deſignabit. Ergo ſi incarnatio, dat verbo, denominationem nouam intrinſecam vniti, nouam etiam & intrinſecam formam illi præſtabit.

3. Aliter phyſica mutatio hæc ſuaderi poteſt; tam enim extremum aliquod, mutationi intrinſecæ ſubeſt, per amiſſionem formæ intrinſecæ poſſeſſæ; quàm per acquiſitionem nouam formæ intrinſecæ, quam non poſſidebat; ſed vi incarnationis, amittit verbum, formam intrinſecam, quam poſſidebat; Ergo vi incarnationis, Verbum mutatur. Maior eſt certa, cùm vtroque modo æquè dicatur ſubiectum, aliter ſe habere nunc, quàm antea. Minor patet, nam vi incarnationis, amittit verbum æqualitatem puram cum Patre, quam antecedenter poſſidebat. Ergo vi incarnationis, amittit verbum formam intrinſecam, quam poſſidebat. Antecedens liquet. quia vi incarnationis, verbum accipit denominationem minoris Patre. Sed iſtam denominationem non acciperet, niſi amitteret puram æqualitatem cum Patre; Ergo vi incarnationis amittit verbum formam intrinſecam, quam poſſidebat.

4. Tertiò hæc mutatio ponderatur: quidquid eſt vnibile intrinſecè, eſt intrinſecè perfectibile. Ergo ſi verbum eſt humanitati vnibile intrinſecè, erit etiam intrinſecè perfectibile. Antecedens patet, quia quidquid eſt intrinſecè vnibile, intrinſecè eſt componibile: At quidquid intrinſecè

eſt componibile, ordinatur intrinſecè ad aliud extremum, tanquam ad ſui compartem, cum qua componibile eſt. Ergo quidquid eſt intrinſecè vnibile, eſt intrinſecè componibile. Ergo verbum quod intrinſecè vnibile eſt, componibile intrinſecè iudicabitur. Ergo & perfectibile. Tunc vltra: ergo vi incarnationis exercitæ, verbum intrinſecè vnitur, eſt de fide. Ergo verbum vi incarnationis intrinſecè componit. Etiam eſt veritas certiſſima. Ergo intrinſecè vi incarnationis perficitur verbum. Probo conſequentiam: quia ſi verbum, quia vnibile eſt intrinſecè, dicitur intrinſecè perfectibile. Ergo verbum per incarnationem intrinſecè vnitum, debet actu intrinſecè perfici per illam: quia implicat quod perfectibile intrinſecè eſt, quia intrinſecè eſt vnibile, intrinſecè actu non perfici, quando actu intrinſecè vnitur. Ergo verbum vi incarnationis intrinſecè mutatur, cùm contingere nequeat rem intrinſecè perfici, ſine ſui intrinſeca mutatione, vt de ſe liquet.

5. Quartò idem oſtenditur; vi incarnationis verbum dicitur aliquid intrinſecè recipere. Ergo vi incarnationis verbum intrinſecè mutatur. Conſequentia ſe oſtendit. Antecedens patet: vi incarnationis verbum intrinſecè patitur. Ergo vi incarnationis verbum de nouo intrinſecè aliquid recipit. Conſequentiam docet identitas formalis receptionis, & paſſionis. Antecedens probo, vi incarnationis verbum dicitur incarnati. Ergo vi illius dicitur intrinſecè pati. Antecedens eſt myſterium ipſum. Conſequentiam probo: intrinſecè incarnari eſt intrinſecè pati. At verbum vi incarnationis intrinſecè dicitur incarnari. Ergo vi illius dicitur intrinſecè pati. Maiorem probo: incarnare inuoluit intrinſecè actionem, vnum extremum denominantem actiuè incarnans. Ergo incarnari aliquod extremum, inuoluit intrinſecè paſſionem, illud denominantem paſſiuè incarnatum. Probo conſequentiam, quia quælibet actio paſſionem ſibi correſpondentem eſſentialiter annectit: Ergo ſi Deum incarnare actiuè, inuoluit actionem, ipſum Deum incarnantem, denominantem, ita verbum incarnari, inuoluere debet, paſſionem denominantem formaliter, ipſum verbum incarnatum. Ergo ex vi incarnationis verbum patitur, recipit, & conſequẽter ex vi illius phyſicè mutatur.

6. Quintò ſuadetur idem: de verbo ex vi incarnationis verificatur intrinſecè humanitati annecti, cui ante illam minimè annectebatur. Ergo vi illius mutatur intrinſecè. Antecedens fides dat. Conſequentiam probo: ſi in tempore, dè nouo, verificaretur de Deo, aliquem realem, & exiſtentem locum occupare, cui non coexiſteret antea, verè intrinſecè mutaretur. Ergo ſi de verbo verificatur, ex vi incarnationis, de nouo, ſibi annectere intrinſecè humanitatem, quam antea ſic minimè ſibi annectebat, mutari propriè dicetur. Idem muniri poteſt exemplo relationis, caſu quo, de nouo, in tempore, ipſi Deo ſuperueniret; Ergo ſi nouus aduentus accidentis adeo diminuti, quale eſt relatiuũ, inferret Deo mutationem; potiori titulo, hanc in verbo inferet aduentus nouus ſubſtantiæ, qualis eſt humanitas.

7. Hanc rationem, quæ cunctis viſa eſt perdifficilis, conantur Authores ſoluere, in varios modos diſtracti. Primò, ſunt, qui argumenti mole oppreſſi ingenuè fateantur, de verbo verificari poſſe, vi incarnationis, abſolutè mutatum eſſe, & vt Apollinaris Hæretici fugiant aſſertum, docent, mutationem illam Deo adſcribendam, non ad hunc ſenſum, quòd ſubſiſtentia verbi, mutationem illam, vi incarnationis patiatur, hoc enim damnant Epheſinum, & Calcedonenſe Concilia in Apollinarè inuecta: ſed ad iſtum, quòd vi incarnationis humanitas mutationem ſubit, quod ſufficere, vt ſaltem per idiomatum communicationem verificaretur de verbo mutari; ſuadent exemplo paſſionis, & mortis, quæ verè dicuntur de Deo, ſaltem idiomatum communicatione, per hoc præciſè, quòd talia prædicata per ſe, & formaliter intrinſecè de ipſa humanitate efferantur. At non minùs humanitas intrinſecè vi incarnationis eſt mutata, ac fuerit paſſa, & mortua. Ergo vi incarnationis, de verbo abſolutè verificandum erit, verè mutatum eſſe.

8. Solutio hæc non ſubſiſtit. Primò, quia rem, quam niſibus totis conabatur fugere, ambabus vlnis ſibi defendendam aſciſcit: & dum argumenti declinat robur, ſolutionem ſuam Appollinariſtico aſſerto aſtruit affinẽ, vt denuo oſtendam. Nec enim ad ſuadendam ſibi mutationem in verbo, exemplum paſſionis & mortis prudenter afferunt, cùm iſta prædicata, omnes Authores Catholici, verbo abſolutè adhibeant, & æquali conſenſu omnes, mutationem intrinſecam de verbo efferendam concedere recuſent. Præterea diſparem rationem colligimus ex doctrina, quam latè dabit tract. vltimus de his, quæ conueniunt Chriſto Deo, & homini: ibi enim notabimus non eſſe præfixam regulam; prædicatum hoc verè humanitati aſſumptæ conuenit. Ergo tale prędicatum conuenire poteſt Deo, per idiomatum communicationem: certum eſt n. quòd aſſumi, & ſuppoſitari conueniunt humanitati propriè, & tamen repugnat, quòd per communicationem idiomatum, Deo conuenire valeant. Vt igitur (relictis aliis) prædicatum aliquod, per communicationem idiomatum competat Deo, vltra hoc, quòd illud propriè, & formaliter humanitati conueniat, deſideratur, vt conueniat ipſi in concreto acceptæ, atque adeo de homine prædicetur, defectu cuius aſſumptio & ſuppoſitatio alias competentes verè humanitati, in abſtracto, repugnant Deo, etiam per idiomatum communicationem; & ob eumdem defectum, nec per ipſam communicationem poterit mutatio verè de Deo prædicari: ſiquidem mutatio hæc quæ vi incarnationis humanitati competit, non conuenit humanitati, in concreto, quia ad hanc mutationem, non ſupponitur homo, ſed per illam fit homo; Ergo inuerificabilis eſt mutatio de ſe, etiam per communicationem idiomatum: At mors, & paſſio ſunt prædicata conuenientia humanitati in concreto, quia hominem ſupponebant, atque adeo, ex illorum verificatione, mutationis verificatio deduci nequit. An verò de Deo verificari valeat mutatio, per communicationem idiomatum, quando illa conuenit humanitati, concretiuè, acceptæ, vt homo eſt mortuus, & paſſus, quæ per veram mutationem, humanitati, in concreto aſſumptæ, contigerunt, reiicio tractandum in locum citatum. In præſenti, ſat eſt ſcire, ex mutatione humanitatis vi incarnationis illata, non

colligi mutationem aliquam, Deo per communicationem idiomatum conuenire debere.

9 Valentia ſic argumentis ſatisfacere conatur. *diſp.1.q.1.p.2.verſ.igitur ad argumentum.* aduertens duo. Primum, mutationem veram in ſubiecto aduenire, quando aduenit aliquid ei omnino de nouo, quod antea nec formaliter, nec eminenter præcontinebat. Cúmque humanitas omnino de nouo, verbo minimè adueniat, quia licèt illi formaliter accedat, tamen antecedenter ad incarnationem, eminenter in verbo humanitas præhabebatur. Secundum, hac in re, litem eſſe poſſe de voce ſecundùm diuerſum modum ſumendi mutationem; nam vel hanc deſideras petentem habere formaliter rem nunc, quę antea formaliter nõ poſſidebatur; & ſi hoc, ingenuè fatetur, poſſe dici verbum mutari ex vi incarnationis; nam hac poſita, formaliter habet hominem eſſe, cùm ante illam, non eſſet formaliter homo. Si verò mutationem contempleris petentem habere de nouo formaliter rem, quæ antecedenter nec formaliter, nec eminẽter præhabebatur; facilem adlubet hic Author reſolutionem, dicens, verbum, de nouo formaliter vi incarnationis accipiens humanitatem, nullatenus mutari, quia non omnino humanitas illi adueniebat de nouo, cùm eam eminenter ante incarnationem præhaberet in ſe.

10\. Nec ſolutio hæc ſubſiſtit. Ratio eſt, quia cum continentia eminentiali alicuius formæ, ſtat per illam ſubiectum mutari. Ergo ex eo, quòd verbum in ſe eminenter humanitatem contineret, à mutatione minimè purgatur. Antecedens patet, nam cum hoc, quod eſt, ſubiectum aliquod eminenter formam aliquam præhabere, ſtat, illud tranſire de non habente illam formaliter, ad illam formaliter habendam. Ergo cum continentia eminentiali formæ, ſtat per illam, ſubiecti mutatio. Antecedens admittitur; conſequentiam probo: ſubiectum mutari, nihil aliud eſt, quam illud abſolutè accipere aliquid de nouo, quod abſolutè antea non habebat; nec aliter poteſt verus mutationis conceptus expendi; ſiquidem rem mutari, nihil eſt aliud, quàm nunc aliter ſe habere, quàm antea. Hoc nequit efferri, niſi accipiendo aliquid abſolutè, quod abſolutè antecedenter non poſſidebat. Tunc ſic: ſed ſi cum continentia eminentiali formæ in ſubiecto ſtat, illud tranſire de nouo, de non habente illam formaliter, ad illam formaliter habendam, ſtare etiam debet, cum eadem eminentiali continentia formæ in ſubiecto, hoc accipere abſolutè aliquid de nouo, quod abſolutè antea non habebat. Ergo ex eo quòd eminentialis formæ continentia non impediat tranſitum in ſubiecto, de non habente illam formaliter, ad eam formaliter habendam; optimè infertur ſubiecti vera mutatio. Subſumptam probo: idem eſt ſubiectum, tranſire de non habente formaliter formam, ad illam habendam formaliter, ac accipere aliquid de nouo, quod antea abſolutè non habebat. Ergo ſi continentia eminentialis formæ in ſubiecto non impedit tranſitum illius de non habente formaliter formam, ad illam formaliter habendam; ita nec præpedire valebit, quòd in ipſo tranſitu accipiat abſolutè aliquid de nouo, quod abſolutè antea non habebat. Antecedens probo; nam idem eſt ſubiectum tranſire de non habente formaliter formam, ad illam formaliter habendam, ac ſubiectum incipere de nouo, quod antea non erat. Sed ſubiectum incipere eſſe de nouo, quod antea non erat, fit, quando ſubiectum accipit abſolutè aliquid de nouo quod abſolutè antea non habebat. Ergo idem eſt, ſubiectum tranſire de non habente formaliter formam ad illam formaliter habendam; ac accipere aliquid de nouo, quod antea abſolutè non habebat. Tunc ſic: ſed Deus ante incarnationem formaliter non erat homo, & ex vi incarnationis fit homo formaliter. Ergo ex vi incarnationis aliquid de nouo accipit, quod antea abſolutè non habebat. Hoc eſt mutari, vt vidimus. Ergo Deus ex vi incarnationis mutatur.

11\. Reſpondebis fortaſſe. Siquidem mutari propriè petit duo; Primum, quòd de ſubiecto verificetur aliquid ſimpliciter de nouo accipere. Secundum, quòd de eodem ſimiliter verificetur non habere tale prædicatum ſimpliciter ante illius receptionem; & ex hoc ſequitur primum, nam ſi ſimpliciter pro aliquo priori formam aliquam contineo, non poterit de me verificari, quòd pro poſteriori illam ſimpliciter recipiam, quamuis eam ſecundùm aliquam conſiderationem pro priori non præhaberem, ſed dicerer illam de nouo recipere, nouitate ſecundom quid, & ſecundum illam conſiderationem, & formæ ſtatum; non verò ita de nouo nouitate ſimpliciter, hoc eſt, quantùm ad formam ſecundùm ſuam entitatem, & ſubſtantiam acceptam. Cúmque verbum, entitatem humanitatis totam, eminenter licèt, non formaliter ante incarnationem, ſimpliciter contineat, dum pro poſteriori ex vi incarnationis illam accipit formaliter, non accipit eam ſimpliciter de nouo, nouitate ſimpliciter, ſed nouitate ſecundùm quid, terminatâ ad humanitatem, ſecundùm modum præciſè illam formaliter habendi.

12\. Sed replicabis: Verbum, ante incarnationem, per te non continebat formaliter humanitatem; & ex vi incarnationis, illam formaliter continuit. Ergo ante incarnationem, de Deo non verificabatur, habere abſolutè humanitatem ſimpliciter, licèt poſt incarnationem, id de illo verificatur. Probo conſequentiam, quoad primam partem; nam eminenter continere humanitatem, non ſufficit, vt hæc abſolutè ſit, & dicatur eſſe ſimpliciter. Ergo verbum, ante incarnationem, eminenter humanitatem continere, non ſufficit, vt de illo verificetur, illam pro illo priori ſimpliciter, & abſolutè poſſidere. Antecedens patet, nam continentia eminentialis formæ humanæ in verbo, nihil aliud eſt, quàm vis huius effectiua humanitatis, & ſi aliquid ampſius dicit, importabit vim illius terminatiuam, aut ſuppoſitiuam; ſed vis effectiua formæ non ſufficit, vt hæc ſimpliciter, & abſolutè dicatur eſſe. Ergo verbum, eminenter ante incarnationem humanitatem continere, non ſufficit, vt hæc, pro illo priori, ſit abſolutè, & dicatur ſimpliciter eſſe. Maior eſt certa, minorem probo, nam virtus effectiua abſolutè, & ſimpliciter non eſt effectus, quem producit. Ergo vis productiua illius non ſufficit, vt effectus pro priori illo eminentialis continentiæ, ſimpliciter, & abſolutè dicatur eſſe. Enthimema hoc exempla

varia

varia muniunt. Etenim regula præfixa eſt cunctis, rem non eſſe ſimpliciter & abſolutè talem, quandiu talis formaliter non eſt: quapropter de luce efferri nequit, quòd abſolutè ſit calor ſimpliciter, quia lux calor formaliter non eſt: tametſi iſte ex illa originem trahat, & in ea eminenter præhabeatur. Voluntas peccatum in ſe continens, peccatum ſimpliciter non eſt & abſolutè, quia peccatum formaliter non eſt. Et ideo nec de luce, nec de voluntate, pro illo priori eminentialis continentiæ, verificari nequit quòd ſimpliciter & abſolutè calor & peccatum ſint. Ergo tametſi verbum, ante incarnationem, eminenter humanitatem contineat, de illo ante incarnationem verificari non poterit, quòd ſit ſimpliciter, & abſolutè homo. Ergo pro illo priori ſimpliciter & abſolutè non habet humanitatem: aliàs pro illo priori ſimpliciter, & abſolutè diceretur de verbo eſſe hominem. At poſt incarnationem, & ex vi illius, verbum ſimpliciter, & abſolutè eſt homo, necnon ſimpliciter, & abſolutè habens humanitatem. Ergo, vi incarnationis, tranſit verbum, de non eſſe hominis abſolutè, & ſimpliciter, ad eſſe ſimpliciter hominem. Ergo, vi incarnationis, accipit de nouo formam, nouitate ſimpliciter terminata ad formam ſecundùm ſuam entitatem: quia tranſit, de non habere formam ſimpliciter, ad illam ſimpliciter habendam; Ergo mutatur.

13. Aliter rem hanc componere prætendunt quidam, ponentes in myſterio iſto duas vniones, alteram ſe tenentem ex parte verbi, quaſi ſubiectiuè, ſed ab illo indiſtinctam, quæ ſit illius perfectio quoad entitatem, non verò quoad denominationem, ad inſtar actuum liberorum Dei, alteram verò vnionem ex parte humanitatis ſe tenentem, in ea tanquam in ſubiecto receptam; Hoc ab illis notato, rem ſic meditantur, quòd verbum, vi incarnationis minimè per vnionem ex parte ſui ſe tenétem, mutetur; nec per vnionem in humanitate receptam, vt de ſe patet, atque adeo licèt, vi incarnationis tranſeat Deus de non eſſe hominem, ad eſſe hominem, minimè mutabitur, quia iſte nouus tranſitus contingit per nouam poſitionem vnionis, ſe tenentis ex parte humanitatis, atque in hac receptæ.

14. Nec ſolutio iſta ſubſiſtit. Tum quia ſine neceſſitate, vniones in myſterio iſto multiplicat, cùm mediante vna ſufficienter myſterium hoc, ſicut compoſitum aliud per ſe, explicari valeat. Imo ſi pluribus crediderimus, nec vna ab extremis diſtincta neceſſaria, ad explicandum myſterium hoc, deſideratur. Sed quod peius eſt: res hæc, poſita duplici iſta vnione, adhuc eandem difficultatem mutationis patitur. Siquidem dato Deum minimè mutatum, per vnionem ex parte illius ſe tenentem, reſtat, quòd per aliam vnionem, mutationem non patiatur: ſiquidem licèt fateatur ſolutio iſta, vnionem illam in humanitate, vt in ſubiecto recipi, non poteſt non fateri talem vnionem eſſe intrinſecam verbo, vt poſtea ex omnium ſententia probabo. Nunc pergit eadem mutationis difficultas: vi incarnationis accipit verbum de nouo formam intrinſecam, quam abſolutè ante incarnationem non habebat. Ergo mutatur. Quomodo n. componuntur, vt verbum intrinſecè de nouo terminet illam vnionem, quam non terminabat, & exinde nulla ei ſit mutatio adſcribenda, ſolutio iſta non explicat. Vide alias impugnationes huius, in Suarez, Lugo, & Hurtado.

Albertinus *t. 2. in t. Corollario prædicamenti ſubſtantiæ n. 5.* ſic difficultatem ſoluit, dicens, quòd 15. licèt, vi incarnationis de nouo verbū, humanitatē accipiat; minimè tamen mutatur, & dat rationem, quia verbum non ordinatur, ad vnionē, nec eā appetit; vnde caſu, quo Angelus de nouo humanitati vniretur, minimè mutaretur; quia Angelus de ſe eſt expers appetitus ad vnionem.

Solutionem hanc minùs veritati conformari, quis non videat? breuiter illam impugno: 16. quamuis diuinum verbum ſit expers appetitûs ad vnionem, & humanitatem, ſicut & reſpectu omnium ſibi extrinſecorum; tamen vi incarnationis, de nouo accipit eſſe hominem, terminās de nouo vnionem humanitatis. Ergo carentia appetitûs ad illas non tollit, quin per eas Deus mutetur. Antecedens fides dat. Probo conſequentiam. Stante carentia appetitûs ad formam ſtat ſubiectum per illam mutari, quando de nouo illam poſſidet. Ergo carentia appetitûs verbi reſpectu vnionis, & humanitatis, nō tollit, quin per illas mutetur, quādo illas de nouo obtinet. Antecedens multis comprobari poteſt; ſed relictis aliis facilè cuiuis occurrēdis, illud ſic inſtantia iſta oſtendo. Si Deus in tempore inciperet de nouo terminari, ſua cognitione, ad aliquod obiectum creatum, intrinſecè mutationi ſubeſſet; At Deus prorſus eſt expers appetitûs naturalis & innati reſpectu terminationis ad obiecta creata, vt cōmuniter cum ſanctiſſ. Th. 1. *p. q.* 19. ſolet defendi. Ergo carentia appetitûs ad formā, ſi non impedit eius nouam poſſeſſionem, nec impediet mutationem ex illa inductam, quando de nouo incipitur poſſideri. Præterquam quòd doctrina hæc eſſet ſubuerſiua mutationum, quas præſentimus in poſſeſſione noua ſupernaturalium habituum, quos naturaliter poſitiuè non appetimus, vt docet communis opinio cum ſanctiſſ. doct. 1. *p. q.* 12. ex quo fit, Angelum neceſſariò mutandum, caſu quo inciperet humanitati vniri, quantumuis ex ſe naturaliter minimè talem vnionem appetat.

His prætermiſſis, obiter ſolutionibus, vtpote 17. magis à veritate diſſitis, & ab Authoribus communiter reiectis, illorum alias præſentiali difficultati adſectas, quibus probabilius ſpiritui poſſit, afferam. Difficultatem noſtram ſic dirimunt alij dicentes, vi incarnationis licèt verbum de nouo accipiat in ſe vnionem, ita vt hæc ſit intrinſecè in verbo, ſicut in humanitate, tamen hæc & non illud per vnionem mutatur, quia ſola humanitas, & non verbum per dictam vnionem perficitur.

Nec iſta ſolutio ſubſiſtit, potiſſimum ex qua 18. parte cōcedit vnionem eſſe in verbo, eo modo, quo eſt in humanitate: etenim vox *in*, receptionis notam deſignat, atque adeo verbum ſtatuit ſubiectum receptiuum vnionis. Ergo hæc eſt vera propoſitio; Verbū, ex vi incarnationis, vnionem recipit de nouo: Nunc peto, quid deſit ad veram verbi mutationem? dices, quod perficiatur per illam. Sed contrà quia præterquam quod admittit ſolutio aliquid intrinſecè in Deo receptum, quod ſomniaui [illegible] re ipſa veram Dei mutationem [illegible] hoc, quod eſt, verbum non perfici [illegible] ab vnione in ſe denouo recepta, ſtat vere [illegible]

mutari.Ergo ſi ſemel illam de nouo recipit, verè per illam verbum mutabitur, quamuis vnio minimè illud perficiat. Antecedẽs probo: quamuis vnio verbum non perficiat, eſt verum dicere de illo vnionem de nouo recipiente, quòd aliter ſe habeat nunc, quàm antea. At hoc ſufficit ad mutationem. Ergo cum hoc, quod eſt verbum non perfici ab vnione, quam recipit de nouo, ſtat verbum mutari. Maiorem ſe ipſam probat, minor probatur: nã caſu, quo voluntas Dei inciperet de nouo terminari ad aliquod obiectum creatum, verè mutari diceretur, quamuis terminatio illa noua, nullam adderet perfectionem entitatiuam, quæ in voluntate diuina reciperetur, nec illam entitatiuè perficeret, vt docet communis opinio, ex eo ſolùm præcisè, quia in tali hypotheſi verificaretur de voluntate Dei, aliter ſe habere nunc, quàm antea, ſaltem quoad terminationem. Ergo præcisè hoc, quod eſt aliquid aliter ſe habere nũc quàm antea, omni perfectione de nouo adaucta ſecluſa, ſufficiet ad veram mutationem; eò maiori titulo, in noſtro caſu, in quo ſolutio admittit vnionem receptam eſſe in verbo, quod in diuina voluntate ex hypotheſi, quòd de nouo inciperet terminari ad aliquod obiectum, minimè reperitur. Si verò dũ ſolutio aſſerit, vnionem eſſe intrinſecè in verbo, ſicut in humanitate, vox, *in*, arguat ſolùm vnionis ad verbum intrinſecã terminationem, nullo verò modo receptionem, etiam deficit, quia ſi ſolùm id aſſerat, vnio non eſſet in verbo, ſicut eſt in humanitate, nam iſtam non ſolùm vt terminum intrinſecum, ſed vt verum illius receptiuum ſubiectum contuetur: Præterea, quia ſic, recidunt in alium modum difficultatem vincendi, quo alij Authores illam ſoluere tentant, vt poſtea videbimus.

19. Lugo *diſp.* 11. *ſect.* 7. *à n.* 75. poſtquam in alias ſolutiones obiecit plura, hanc fuit meditatus; ſupponit n. duo. Primum vnionem ex ſuo conceptu eſſe id, ratione cuius aliqua extrema diſtincta alligantur mutuò in ordine ad inſeparabilitatem, & ad hoc, quòd reſultet ex vtroque aliquod verè, & propriè vnum. Secundum, non eſſe idem vniri, quod recipere, ſeu affici, vniri n. vt ſuppoſuit, ſolùm dicit in ſuo conceptu, alligari ad aliud extremũ, ex vi alicuius modi, id proximè poſtulantis, componendo aliquod totum ſimpliciter vnum; affici verò, ſeu recipere, dicit compleri, & integrari per aduentum alicuius complementi ſuperadditi; nam eo ipſo, quòd recipiat aliquid in ſe, videtur ſupponi cum aliqua vacuitate, quã poſſit replere illud, quod de nouo recipitur; Receptio igitur dicit incõplementum ex parte eius, in quo aliquid recipitur, & per cõſequens, quòd per receptionem compleatur, ſeu repleatur intrinſecè illa vacuitas, & ideo dici ſolet ſubiectum præſupponi quaſi ens in potentia, vt actuetur id, quod recipit. Ex his *n.* 80. concludit, cùm enim verbum ex vi vnionis alligetur ad intimam coniunctionem cum humanitate, & ad componendum cum illa aliquod per ſe vnũ, nihil deeſt, quominus propriè vniatur phyſicè cum humanitate. Deinde cùm verbum non ſupponatur incompletum, aut in potentia ad hoc, vt integretur, & compleatur per aliquid aliud, ſed potiùs ſupponatur omnino integrum, & completum, non poteſt dici, quòd in ſe recipiat intrinſecè vnionem, vel quòd per illam intrinſecè afficiatur, aut informetur, quia hæc omnia ſupponerent verbum ante vnionem eſſe ens in potentia, & non omnino completum; cùm denique humanitas ſit incompleta & illam afficiat vnio, in ea recipitur, illam mutat & nullo modo verbum.

Modum hunc ita diffusè dedi, vt nihil perſpicuitatis Authoris deperderetur, & ſimul probem rem vetuſtam, tametſi ſolidam venuſtioribus verbis perpoliuiſſe, & ſolùm ex communi placito per mutationem verbi, vnioni alligationẽ attuliſſe: id veniet ad cuiuſcunq; oculos, ſi Authores ſingulatim expendat: imo & ſi ipſe Author *ſect.* 6. *n.* 67. attendatur, id erit conſpicuum, cùm ibidem impugnet modum dicendi Recentiorum, cõmuniter dicentium, verbum minimè mutari, vi incarnationis, quia licèt fateantur verbum intrinſecè denominari vnitum humanitati, negant tamen vnionem eſſe in verbo, vt in ſubiecto, ſed ſolùm eſſe intrinſecam verbo, vt termino intrinſeco vnionis, quod non ſufficit, vt verbum mutetur. Hunc modum dicendi, quem communem eſſe profitetur Lugò, impugnat *à n.* 68. *vſque ad* 71. excluſiuè: quo, & aliis impugnatis, poſtmodum ſuum modum dicendi adaptauit, in quo vidimus rationem, quare verbum per vnionem non mutatur, eſſe, quia verbum non eſt ſubiectum, in quo talis vnio recipiatur; imo nec ab illa intrinſecè afficiatur. Ergo dum communem doctorum dicendi modum reſpuit, in ipſum recidit, quando illum ſibi vt proprium arrogat: & ideo licèt modus iſte ſit verus, vtpote à communi Thomiſtarum aſſerto minimè deuius, tamen aliqua in ejus explicatione intertexta nimis non arrident, potiſſimùm ſi cum Authoris huius ſolutionis doctrina conferantur. 20.

Imprimis adhuc ſupereſſe videtur locus, præſenti difficultati mutationis verbi; nam hoc vi incarnationis, verè habet aliquid, quod antea non habebat. Ergo mutatur. Antecedens dat fides. Conſequentiã probo, quia ſi nõ mutaretur, maximè quia ad mutationẽ deſideratur recipere; verbum autem, vi incarnationis, non recipit, quia, ante incarnationem, ſupponitur verbum omnino integrum, & completum, quod obeſſe receptioni, & conſequenter mutationi, docet ſolutio hæc. At verbum ante incarnationem, licet ſupponatur completum, ſecundùm vnam rationem, non tamen ſecundùm omnem. Ergo, ante incarnationẽ, nihil deeſt verbo, quod impediat, vt vi incarnationis verè mutetur. Antecedens probo, nam licèt verbum ex ſe omnem integritatem, & complementũ habeat, in linea propria naturæ diuinæ, non tamen in linea naturæ humanæ, ergo, licèt ante incarnationem, ſupponatur verbum completum, & integrum ſecundùm vnam rationem, non tamen ſecundùm omnem. Ergo, licèt, vi incarnationis, non ſit capax, verbum complemẽti, per vnionem, & humanitatem in ratione diuini, quia ſic ſupponitur cum omni complemento, & integritate, tamen in ratione hominis, poterit ab vtraque vnione ſcilicet, & humanitate, perfectè compleri, quia in hac linea verbũ ante incarnationem minimè ſupponitur cõpletum. Conſequentiam hanc probo, quia ſi ante incarnationẽ, verbum omnino in ſe completum ſupponeretur, tam in linea diuina, quàm in humana, non poſſet vera 21.

dari

dari vnio illius ad humanitatem. Ergo dum hîc & nunc verbum verè, & propriè, vnitur humanitati, ita vt ex illis verus vnus homo conſurgat per ſe, ideo erit, quia ante incarnationē ſupponitur verbum incompletū in ſe ſecùndū lineā humanam. Antecedēs eſt doctrina Lugi, *n.* 81. vbi hęc: Reſpôdeo caſum repugnare, nam ſi vtrūque extremum ſupponatur vndiq; completū in ſe, non poteſt dari vera vnio &c. Tunc ſic, ſed verbum, ante incarnationē, ſupponi in ſe incompletū ſecundùm lineam humanā, ſufficit, vt ex vi incarnationis, per vnionem ad humanitatem compleatur. Ergo, vi incarnationis, cōplebitur. Antecedēs patet ex doctrina Lugi modò citati, vbi: *nam ſi aliquod extremū ſupponatur in ſe completum, & aliunde completum, non repugnat vnio, v.g. materia, dū eſt ſub vna forma ſubſtantiali, licèt per illam compleatur, quia tamen materia ſecundùm ſe eſt incompleta, non repugnat quod vniatur cum alia forma, quia non vnitur vt completa, ſed vt eſt de ſe incompleta, &c.* At verbū diuinum, non minùs eſt incompletū, hoc eſt non minùs in ſe formaliter eſt naturæ humanæ expers, quā materia reſpectu formæ non ſibi vnitæ. Ergo verbū ante incarnationē ſupponi in ſe incōpletū ſecūdùm lineā humanam, ſufficit, vt ex vi incarnationis per vnionē ad humanitatē compleatur.

22. Præterea, quia dato, & conceſſo quòd ex vi iſtius dicendi modi ſaluetur, verbum nullo modo compleri, ſed tamen videtur ſufficienter non ſaluari verbū vi incarnationis mutatū non eſſe. Siquidem hæc diſtincta eſſe videntur, quia cōpleri dicit perfici, mutari verò ſolùm fert ſecū, rem aliter ſe habere nunc, quàm antea per intrinſecam ſuſceptionem rei, ſiue hæc extremum cōpleat, & perficiat per ſe, ſiue non, & conſequenter abſtrahit ab hoc, quòd antecedenter extremū ſupponatur in ſe & per ſe incompletum; & ſubſtantialiter aliqua vacuitate affectum, vel repletum, & integrū ſupponatur; dummodo n. de nouo tale extremū incipiat habere aliquid formaliter, quod non habebat antea, tale extremū ſubiicitur mutationi veræ. Quod ſic breuiter oſtendo: nam ſupponi verbum cōpletum ante incarnationem nō tollit, quòd vi incarnationis non habeat intrinſecè formaliter id, nēpe vnionem, & humanitatem, quod antea formaliter & intrinſecè nō habebat. Ergo licèt ſupponi verbum omnino in ſe completū tollat, quòd ab humanitate, & vnione intrinſecè non cōpleatur nec perficiatur per ſe, non tollit, quin per illam intrinſecè mutetur. Probo cōſequentiā; ponamus vnam naturam creatam ſemel vnâ ſibi propriâ ſubſiſtētiâ ſubſiſtentem, poſtmodum intrinſecè aliâ ſubſiſtentiâ ſibi etiā propriâ terminari: quod eſſe poſſibile fatetur Lugus *diſp.* 13. *ſect.* 6. *n.* 78. his verbis: non repugnare de potentia abſoluta eamdē naturam creatam ſubſiſtere ſimul per duplicem ſubſiſtentiam propriam. Nūc pergo: illa natura, ſemel primâ ſubſiſtentiâ terminata, eſt prorſus in linea ſubſtantiæ completę, & tamen diceretur mutari, per aduentū alterius ſubſiſtētiæ, ea ſolùm ratione quia de illa natura, primâ ſubſiſtētiâ, ſuppoſitata verificaretur habere de nouo intrinſecè aliā ſubſiſtentiam, quam antea nō habebat. Ergo quamuis verbum diuinū, ante incarnationem ſupponatur completum, & integrum in linea ſubſtantiæ ſubſiſtentis, mutari diceretur vi incarnationis, quia, poſitâ hac, de verbo verificaretur, habere nūc humanam naturam intrinſecè, quam antecedenter non habebat. Ergo hoc, quod eſt extremum aliter ſe habere nunc, quàm antea, inducit mutationem in extremo indepēdenter ab hoc, quòd extremum ante vnionē ſupponatur incōpletū, vel cōpletum.

Reſpondebis forſaſſe, in caſu, quo, natura ſemel ſubſiſtens propriâ ſubſiſtentiâ, terminaretur aliâ, ideo mutaretur intrinſecè per hanc, quia hæc verè perficeret, & reciperetur in illa natura; at in noſtra lite nec humanitas nec vnio reciperentur in verbo, & ideo hoc per illas minimè mutabitur, quamuis de illo ſicut de prædicta natura verificetur, quòd ex vi incarnationis aliquid habeat nunc, quod antea minimè habebat.

23. Sed replicabis confitens doctrinam hanc eſſe veram, & poſtea à nobis inſtaurandā, verùm in ea petitio principij inuoluitur, cùm litē repellat per litem. Vtrumque oſtendo. Ergo hæc eſt vera, ens completum, & integrum in linea ſubſtantiæ, poteſt perfici per id, quo poſito, de illo ente completo verificatur aliquid habere nunc, quàm antea non habebat: ſiquidē admittis, quòd illa ſubſtantia, ſemel ſuâ primâ ſubſiſtentiâ, terminata, eſſet completa in tali linea, & poſtmodū per aduentum ſecundæ, perfici diceretur. Ergo quamuis verbum diuinū ante incarnationē, ſupponatur integrum, & completū, dicetur, ex vi incarnationis, per humanitatem ſibi intrinſecè vnitam, perfici, & compleri. Probo conſequentiam: nam ideo in explicatione iſtius dicendi modi, dixit Lugus, verbū non perfici, bene verò humanitatē, quia licèt verbum, & humanitas intrinſecè ſibi vniantur, tamen quia humanitas ſupponitur incompleta, ante vnionem ad verbum, per illam perficitur, & conſequenter mutatur, at verò verbum, quia ſupponitur completum, & integrum ante vnionem, per illam minimè completur, ſeu perficitur, & conſequenter mutationem non ſubit. Atqui in ſententia illius, contingere poteſt, (in caſu illo de natura, duplici ſubſiſtētiâ propriâ, ſucceſſiuè & ſimul terminata) quòd aliquod extremū ſupponatur cōpletum, & integrum ante vnionē, & quòd per hanc, de nouo acquiſitam, perfici dicatur. Ergo vel ſupponi verbum ante incarnationem completū & integrum, non eſt adæquata ratio, quare non perficiatur, vel eſt negaturus hîc Author, naturam ſemel ſuâ ſubſiſtentiâ cōpletam, nullo modo perfici, per vnionem ad nouam aliam ſubſiſtentiam propriam; vel tenebitur tandem diſcrimen inter vtrumque dare, ne idem per idem comitatur circulus.

24. Communis tamen ſolutio propoſitæ difficultatis, è primoribus Thomiſtis elapſa, ad quam cæteræ, quæ aliqua probabilitate adumbrantur, reducuntur, eſt hæc: nempe vnionem eſſe in humanitate ſubiectatam, & terminatam tantùm ad verbum; quapropter hoc non mutatur, bēnè verò illa; quia licèt de ambobus vnum compoſitū reſultet, tamē ſolùm in vno extremo inuenitur mutatio, nempe in humanitate, non tamen in altero videlicet diuino verbo. Ratio, quia quæuis mutatio perfectiua eſt illius, quod mutatur, ad hoc verò deſideratur quòd illud, quod perfici dicitur, quando incipit habere entitatem, quā antea non habebat, perfici dicatur in ſuo eſſe intrinſecè, vel in ſuo operari, quod verū eſt exemplis, in quibus veritas hæc cōprobatur: ideo ſubſtantia per accidentis acquiſitionē & accidens per vnionē ad illam, mutationē ſubeūt, quia viciſſim ſe mutuò in eſſe intrinſeco & operari perficiunt. Idem n. inuenies in quauis creatura intellectuali, quæ mutationē patitur, dum de nouo, habitus ſupernos ac-

quirit, quie ab illis in ordine ad nobiliores operationes perficitur, & idem confirmãt partes intrinſecæ compoſiti naturalis, quæ verè mutantur inuicem, dum inuicem de nouo vniũtur, quie altera ab alia in ordine ad eſſe & operari intrinſecè perficitur: & ratio omnium quaſi à priori eſt, nam propriè mutari rem, eſt illã ſe habere aliter nunc, quàm antea; ſed ſolùm poteſt aliter ſe habere nũc quàm antea, vel in ſuo intrinſeco eſſe, vel in operari. Ergo ſolùm propriè mutari res poterit, quãdo in ſuo eſſe, vel operari mutationẽ intrinſecã ſubit. Tunc ſic: ſed res, quæ in ſuo eſſe vel operari non perficitur de nouo, nõ dicitur aliter ſe habere nũc quã antea in ſuo eſſe vel operari. Ergo vt aliquid dicatur de nouo perfici, debet acquirere de nouo aliquid, quod illud in ſuo eſſe, vel operari dicatur de nouo perficere. Cúmq; diuinũ verbũ, vi incarnationis, nullo ex his modis, ab vnione, vel humanitate perfici dicatur, nõ in ſuo eſſe, cùm ſine illis attentâ eius naturê exiſtere poſſit naturaliter. Nõ in operari, ob eamdẽ rationem. Ergo verbũ diuinum, vi incarnationis, mutationẽ aliquã nõ ſubit.

26. In hanc ſolutionem, argues 1. vi incarnationis verbum mutatur & quoad eſſe, hominis ſcil. quia ante incarnationẽ, homo nõ erat: & quoad operari determinatũ, nẽpe quoad theãdricas operationes, quas ante incarnationẽ elicere nõ valebat, poſt illã verò elicuit eas. Ergo vi incarnationis, repertũ eſt quidquid ad mutationẽ in verbo deſiderebamus.

Reſpondeo negando antecedens, & ad probationes ibidem inſertas. Reſpondeo, aliud eſt, eſſe verbum, vi incarnationis, hominem de nouo, & aliud, eiuſdẽ verbi eſſe mutari. Illud fatemur, hoc autem negamus, quia vltra hoc, quod eſt verbum de nouo humanitatem habere, & mediã illã, operationes aliquas exercere, vt quoad eſſe, & operari mutaretur, debebat in ſua intrinſeca entitate reſultare aliqua intrinſeca perfectio, in propriũ eſſe intrinſeco verbi, receptaratio huius deſumitur ex dictis num. antecedenti. Vnde ſi materie & forme intrinſecæ viciſſim nõ perficerẽtur intrinſecè, etſi vnaquæq; alteri vniretur, minimè dicerẽtur mutari, quãdo inciperent de nouo vniri. Ita in præsẽti.

27. Sed replicabis, tametſi verbum intrinſecè non perficiatur vt ſubiectum vnionis, & ſolùm ſit terminus illius; tamen vi incarnationis dicitur propriè intrinſecus vnionis terminus, & conſtituit cum humanitate vnum compoſitum per ſe. Ergo vi incarnationis mutatur, non obſtante noſtro dicendi modo. Probo conſequentiam, quie pone caſum, quòd punctum à linea ſepararetur, & poſtmodum illi intrinſecè copularetur, per modum termini præcisè terminantis illam, taliter, quòd cum ipſa vnum per ſe conflaret, in tali caſu verè mutaretur punctum, quamtumuis in ſe intrinſecè minimè perficeretur. Ergo ſi verbum eſt, ex vi incarnationis, terminus humanitatis intrinſecus, cũ eaque vnũ ens per ſe componens, tametſi nullam in ſe perfectionẽ de nouo acquirat, & ſolùm purus terminus exiſteret, veram mutationẽ patietur.

82. Reſpondebis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationẽ, nego antecedens nam caſu illo, quo punctum, ſolùm vt terminus purus lineæ copularetur; idem dicemus de illo, ac de verbo proferimus: & eamdem ſolutionem applicamus alteri inſtantiæ, quæ afferri ſolet, de Angelo, qui ſi in hypotheſi impoſſibili, quòd ille capax eſſet alteram naturam terminandi; & illi vt purus terminus annecteretur, taliter, quòd vnio ſolùm eſſet in natura, & non in Angelo recepta, tunc iſte minimè ex vi aſſumptionis mutaretur, natura ſolùm mutationem patiente; & ratio eſt, quie tunc vnio nec reſpectu puncti, nec reſpectu Angeli ſe haberet vt forma, ſicut in noſtro myſterio, vnio, nec humanitas cõparantur vt forma reſpectu verbi: atq; adeo nullũ illorũ ſe habet vt ſubiectũ, & conſequẽter minimè mutationi obnoxiũ.

Sed replicabis. Verbum diuinum eſt verum ſubiectũ humanitatis. Ergo hæc illius eſt forma. Antecedẽs probo: nam verbum, ex vi incarnationis, humanitatem ſuſtentet. Ergo eſt ſubiectum humanitatis. Conſequentiam probo: ideo materia eſt primum ſubiectũ reſpectu formæ, quia iſtam dicitur ſuſtentare. Ergo ſi verbum humanitatẽ ſuſtentat, erit illius ſubiectũ. Confirmatur, nã in ſententie diſtinguẽte ſubſiſtentiã à natura, illa eſt ſubiectũ iſtius, quia eam ſuſtẽtet. At verbũ ab humanitate diſtinguitur, & ſuſtẽtet illã. Ergo erit ſubiectũ eius. Ergo nõ eſt purus terminus. Ergo mutatur. 29.

Reſpondebis negans antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens, verbum humanitatem ſuſtẽtet ſimpliciter, hoc eſt per modũ ſubiecti inhæſionis, nego antecedens. Suſtentet, hoc eſt, facit cũ humanitate compoſitum, quod accidentia humanitatis ſuſtentet, do antecedens, & nego cõſequentiam. Ad probationẽ diſtinguo antecedens, ideo materie eſt primũ ſubiectũ formę, quie illam ſuſtentat, vtcumq; nego, quie illã, ſuſtẽtat vt ſubiectũ inhæſionis, tranſeat, & nego conſequẽtiam. Ad confirmationẽ reſpõdeo, negando ſuppoſitum antecedentis, quia tã procul eſt, quòd in prædicta ſententia, ſubſiſtentia ſit ſubiectũ naturã ſuſtentans, quàm quòd natura ſit eius forma: Itaq; ſubſiſtentia non eſt ſubiectũ, ſed ſubiectũ conſtruit, ſeu ſuppoſitum, nam in iſtorũ ſententia, quam nos etiam defendimus, ex ſubſiſtentia & natura ſuppoſitũ pullulat: atq; adeo in ſentẽtia noſtra ſubſiſtẽtia potiùs ſortitur rationẽ formæ, reſpectu naturæ, quàm ſubiecti illius, ſiquidem ſubſiſtẽtie vt infrà dabo, eſt modus naturæ, hanc modificans. Subſiſtẽtia n. nõ dicitur ſubſtare naturæ ſingulari, ſiquidem hæc eſt prima ſubſtantia iam complete; ſed ſubſtare dicitur naturæ cõmuni, quæ ſecunda ſubſtantia nuncupatur; & huic inquã ſic ſubſtat, quatenus ſubſiſtentia naturã ſingularẽ terminare dicitur; Rurſum dicitur accidẽtia ſuſtẽtere ratione tantùm naturæ, cui prædicta accidentia inhærent: vnde ſigna omnia ſubiecti ſunt procul à ſubſiſtentia creata, & ſolum munus termini naturæ, & quaſi illius formæ exercet. Cùm ergo verbum æquiualeat ſubſiſtentiæ creatæ, poteſt minimè comparari vt ſubiectũ inhæſionis reſpectu vnionis, aut humanitatis, ſed vt purus terminus, ſeu vt præcisè ſubiectũ adhæſionis reſpectu vtriuſque. 30.

Sed replicabis cum Lugo vbi ſup. *ſect. 6. n. 7* 1. Ergo iam ponimus in verbo vnionem, tamquã in ſubiecto adhæſionis. Ergo hæc eſſet vera propoſitio, vnio licèt non ſuſtentetur à verbo, informaret intrinſecè verbũ, afficeret intrinſecè verbũ, perficeret verbũ, atq; adeo licèt nõ mutaretur verbum accepto motu pro ſiſtẽtatione, mutaretur tamen accepto motu, vt ſolet accipi, pro hoc, quod eſt habere in ſe aliquid de nouo, ſiue vt in ſubiecto inhæſionis, ſiue vt in ſubiecto adhæſionis. Probat iſtã cõſequẽtiã 1. creatio [illegible] nõ ſuſtẽtetur à termino, informat tamẽ illũ, & eum perficit. 2. materia prima nõ ſolũ [illegible] intrinſecè per formã equi, ſed etiam per rationale formã [illegible] eam non ſuſtentet, 31.

ſtenter,&forma rationalis verè afficit,& perficit intrinſecè materiã,licèt non ſit in illa tanquam in ſubiecto ſuſtentante.Ergo ſi verbum eſt terminus humanitatis per modũ ſubiecti adhæſionis, iam eius vnio afficiet,&perficiet illud intrinſecè de nouo, atque adeo illi mutationem inferet.

32. Reſpondebis,conſequens implicare terminis ſi ly ſubiectũ adhæſionis purè talis, vt contradiſtinguitur à ſubiecto,quod ſimul eſt inhæſionis,accipiatur:etenim in hoc illud ab iſto differt, quòd hoc pariter eſſentialiter,*in*,reſpectu illius, cuius eſt inhæſionis ſubiectum , atque adeo ſecum indiſpenſabiliter fert receptionem , & informationem eius , in ordine ad quod eſt ſubiectum inhæſionis. Vnde illud,quod ſemel eſt ſubiectum inhæſionis reſpectu vnius,poteſt eſſe reſpectu alterius adhæſionis ſubiectum ; vt ſtatim oſtendam;ſubiectum verò adhæſionis puræ,depellit à ſe illud,*in*,reſpectu illius,cuius ſolùm eſt adhæſionis puræ ſubiectum. Vnde ſi hoc fuerit incapax ab aliquo informari, & perfici,ſemper illi repugnabit hæc prædicatio,*hoc eſt in ſubiecto illo adhæſionis pura*. Iuxta hæc n. negandum eſt ſuppoſitum conſequentis:quia verbum cùm ſit ſolùm ſubiectum adhæſionis puræ,tam reſpectu vnionis, quàm reſpectu humanitatis , in noſtra ſententia ſit,quòd repugnet ipſi illud,*in*, in conſequentia illatum. Ad ea verò, quæ aliqualiter doctrinam iſtam impugnare videntur. Reſpondeo , quòd licèt terminus creationis illam oon ſuſteotet,ab illa tameu mutatur quatenus ex illa paſſionem illatam & in termino receptam patitur ipſe terminus. Nec illud de materia prima reſpectu animæ rationalis deuincit, quia materia dum eſt ſubiectum adhæſionis reſpectu animæ,ex qua parte iſtam non ſuſtentat, & ſimul ſubiectum inhæſionis reſpectu vnionis , quam materia prima dicitur ſuſtentare;& exinde fit, quòd materia non ſolùm dicatur perfici per vuionem , ſed etiam per animam rationalem; verbum autem taliter eſt ſubiectum adhæſionis,reſpectu humanitatis,vt ei repugnet eſſe inhæſionis ſubiectum,reſpectu vnionis,& ideo à neutra perficitur atque adeo nec mutatur.

33. Sed replicabis,quia materia,non ſolùm perficitur intrinſecè per vnionẽ, quam ſuſtentat,ſed etiam per ipſam animam rationalem,quam non ſuſtentat:ſi quidem non minùs perficitur intrinſecè & mutatur , quando vnitur cum rationali forma, quàm quando vnitur cum forma equi: quando autem vnitur cum forma equi,non ſolùm perficitur,& mutatur per vnionẽ,ſed etiam per ipſam formam;ſiquidem vtramque ſuſtentat materialiter ; Ergo & quando vnitur cum forma rationali , perficietur intrinſecè per illam,vt condiſtinctam ab vnione.

34. Reſpondebis : ideo materia prima ab anima rationali , à ſe minime materialiter ſuſtentata, perficitur,quia verè & propriè ſimul &materialiter ſuſtentat vnionem,quæ ipſam cum anima rationali vnit:atq; adeo hæc eſt vera propoſitio, ideo & ſolùm quia materia prima eſt ſubiectum inhæſionis,ſeu ſuſtentationis vnionis,perficitur ab anima rationali,reſpectu cuius ſolùm vt ſubiectum adhæſionis,comparatur;nã vt fert communis ſententia,ideo,& ſolùm in aliquo ſubſtantiali compoſito,vna illius pars ſubiectum eſt,& altera forma,quia vna ſuſtentat aliam,ſi hæc ſit materialis,vel ſolùm eius vnionem,quando forma eſt purus ſpiritus:quia ſi quælibet pars,munere ſuſtentandi totaliter defungeretur,nullum eſſet ſignum diſtinguendi illas in ratione formæ,& in ratione materiæ.

Sed replicabis,pone caſum,quòd de potentia abſoluta crearet Deus ipſam vnionẽ formæ cum materia,ſine dependentia à ſubiecto ſuſtentante;in hoc caſu,materia vniretur tamen verè cum forma,ſicut nunc,& perficeretur, & mutaretur intrinſecè per formam , licet non ſuſtentaret vnionem , nec formam. Ergo illud quod præmiſſum eſt,nempe,vt materia dicatur perfici,& mutari per formam,deſideratur, quòd materia ſit ſubiectum ſuſtentatiuum formæ,vel vnionis, deficit;atque adeo ſi ſemel verbum eſſet ſubiectum adheſionis vnionis,& humanitatis,quamuis nullam ex his materialiter ſuſtentaret , diceretur ab humanitate perfici,ſicut in hypotheſi illa,quam explicuimus de vnione creatã. 35.

Reſpondebis hypotheſim illam eſſe noſtrum myſterium;atque adeo eodem modo de illa ac de iſto Philoſophaturi ſumus;fatendo in euentu illo,neutram ab alia perfici parte intrinſecè,ſed vnamquamque eſſe quaſi ſubiectum adhæſionis alterius præcisè , cùm, vt ſupponit hypotheſis neutram materialiter aliam ſuſtentaturam, ſed ſolùm intrinſecè viciſſim ſibi aſtituram:& mirum eſt Lugum, hũc caſum contra nos supponentẽ n.72. valde tertori in concedendo verbum de facto tãm intrinſecè affici per vnionẽ,ſicut, in illa hypotheſi , materia afficeretur per formam &vnionem.Siquidem communiter defenditur,quòd ſi pũctũ ſepararetur à linea,& poſtmodum illi,vt terminus purus copularetur , & ex illis vnum ens per ſe elaboratum reſultaret, tunc n.eodem modo comparari punctum ad lineam,ac nunc Verbum cũ vnione & humanitate,vt vidimus *n*.28. de ſimilib.n.quis timuit ſimilem reſolutionẽ præfigere?Vnde in tali euentu,materia t.minimè perficeretur à forma,quia vt ſupponit, materialiter ab illa, nec eius vnio ſuſtentaretur, & ſe haberent prorſus eodẽ modo,ac nũc verbum ſe habet,reſpectu vnionis,& humanitatis,quas quia materialiter non ſuſtentat,ab illis nullam mutationem ſuſcipit. 36.

Sed replicabis,per hoc,quod eſt verbum minimè materialiter ſuſtentare vnionem, nec humanitatem , non ſatis explicatur , cur de facto vnio denominet intrinſecè verbum , tamen licèt illud non mutet,aut quid ſit illud,quod requiritur ad denominationem intrinſecam,prout condiſtinguitur ab extrinſeca;nam licèt explicemus,cur verbum non mutetur,ſcilicet ex defectu ſuſtentationis , non tamen dicimus, quid ſufficiat ad intrinſecam denominationem , in quo præcipua eſt difficultas, 37.

Reſpondemus,rem hanc,non ita claram ſubire poſſe explicationem, vt poſſit pertrahi ad oculum, vt conſueuit, ſed talem, qualem humana fragilitas illi indere valet,modus iſte dicendi in decurſis, & ſtatim decurrendis clarior, fiet. Nec enim modus iſte differt ab eo, quem Lugus munit, atq; adeo illi,ea obligatio exprimendi prædicta,æqualiter incumbit.Ipſe ſtatuit verbum nullo modo ſubiectum eſſe vnionis,ſed purus terminus intrinſecus. Nos vero defendimus verbum , nullo modo materialiter ſuſten- 38.

tare

tare vnionem, nec humanitatem. At materialiter ſuſtentare aliquid, & eſſe ſubiectum illius, idem eſt. Ergo negare verbo rationem ſubiecti, vt negat Lugus, eſt negare verbo rationem materialiter ſuſtentantis, quod nos aſſerimus: idem aliis vocibus nobiſcum iſte Author negat verbo: & conſequenter æquè in ſuo modo latent, quæ latere dicis in noſtro dicendi modo. Per quid ergo explicemus nos intrinſecam denominationem verbi vniri, ſuperquè patet ex dictis; ſiquidem defendimus cum fide, quòd ex verbo & humanitate, vnum compoſitum per ſe reſultat. Et aliunde ex Philoſophia ſcimus, compoſitum eſſe idem, cum partibus intrinſecè vnitis: atque adeo nihil aliud erit, verbum vniri intrinſecè humanitati ac componere intrinſecè cum illa vnum compoſitum per ſe. Itaque illud, quod denominationem intrinſecam diſtinguit ab extrinſeca, nihil aliud eſt, quàm formam eſſe alicui extremo intrinſecam, vel extrinſecam: ſi intrinſeca ſit, denominabit extremum intrinſecè, ſi verò extrinſeca, illud extrinſecè denominabit. Si tamen petas rurſum, quid ſit rem aliquam eſſe alteri intrinſecam, illam minimè informando, qualiter contingit in noſtro myſterio? Reſpondeo, quoties aliqua extrema ita ſibi copulantur, vt ex illis vnum ens per ſe reſultet, tunc vnum alteri eſt intrinſecè vnitum: & quia fide dante, ex verbo & humanitate vnum compoſitum coaleſcit, fit, quòd tam verbum ſit intrinſecè humanitati vnitum; quàm è contra. Ad illud autem quod aſſerit, inexplicatum relinqui ab hoc noſtro dicendi modo; nempe cur de facto vnio denominet intrinſecè verbum, licet ipſum non mutet, iam ſuperque ſatisfecimus à *n.* 25. vſque ad præſentem; & id proſequemur in ſolutione ad 1. probationem præſentis difficultatis.

39. Ex his omnibus aditus apparet ſatis probabilis difficultati, & eius ponderationibus, quas ſuprà ſcripſimus. Reſpondeo ergo in forma ad primam ponderationem *n.* 2. allatam: nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens, incarnatio dat verbo aliquid de nouo, quod antea non habebat, media receptione, nego; media quaſi adhæſione purè terminatiua, concedo, & nego conſequentiam. Ad probationem huius, dico, diſcrimen inter denominationem intrinſecam, & extrinſecam conſiſtere ſolùm in eo, quòd illa extremo adueniat per formam intrinſecè illi vnitam; hæc verò adueniat adueniente forma, extrinſecè ſolùm extremo vnita; atque adeo verum eſt aduentum denominationis intrinſecæ & nouæ ſecum eſſentialiter ferre aduentum formæ nouiter intrinſecè vnitæ. Vnde tota antecedentis doctrina eſt vera, ſed conſequens diſtinguendum quoad vltimam partem, nouam ſcilicet & intrinſecam formam verbo incarnatio præſtabit, media receptione, nego, media quaſi adhæſione terminatiua tranſeat. Ex hoc enim modo adueniendi verbo, de nouo formam, & denominationem intrinſecam, minimè in illo mutationem ſequi ex dictis conſtat, & ex denuo dicendis ampliùs conſtabit.

40. Vt tamen ab hac inculcata ſemper obiectione expediar, ſimul & Lucem aliquam explicationi noſtri modi dicendi adaugeam; adducere placet exempla, ex aliis materiis accerſita, quæ oſtendant, non eſſe impoſſibile, concipere aliquas de nouo aduenire denominationes intrinſecas extremo alicui, ſine aliqua ſui intrinſeca mutatione: in hoc enim expendendo, inſuperabilis labor præſentitur. Prima ſit ex tract. de viſione, vbi ſtatuitur, in ſententia Sanctiſſ. Doct. Deum intrinſecè eſſe vnitum intellectui, lumine gloriæ illuſtrato, qui ſic vnitus non erat ipſi intellectui viatori: Quærunt igitur ibidem Theologi quid addat Deus, vnitus per modum ſpeciei, ſupra ſeipſum, vt vnitum per intimum illapſum cæteris rebus vniuerſi? Hanc rem latè expendi loco cit. quam tranſtuli ad tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti *diſp.* 2. *dub.* 1. *ſect.* 2. à *n.* 20. Vbi annotabo, Deum vnitum, vt ſpeciem, accipi poſſe adæquatè, ſecundùm ea, quæ tam in recto, quàm in obliquo importat; vel tantùm inadæquatè, ſecundùm ea præcisè quæ in recto, ab illo importantur; ſi ſic conſideratur, nihil addit ſupra ſe, vt vnitum omnibus rebus per intimum illapſum; ſi verò primo modo accipiatur, addit ſupra ſe, vt intime per illapſum aſtat, aliquid de connotato, ſibi extrinſecum, & intrinſecum intellectui, nempe lumen tunc productum, & in intellectu receptū. Vnde noua datur in Deo denominatio intrinſeca vniti, ſine mutatione intrinſeca, ſe tenète ex parte illius, quod in recto dicit, Deus vnitus, vt ſpecies: ſola aſtante mutatione illius, quod in obliquo importat.

41. Præterea id ipſum comprobat doctrina communiter recepta, Deum ſcilicet æqualiter eſſe omnibus rebus præſentem, quantùm ad ea, quæ Deus in recto importat. At cum hac æqualitate eſſendi in omnibus hominibus, in aliquibus dicitur ſpecialiter inhabitare, in aliis non; & ratio eſt deſumpta ex Mag. ſent. quia Deum eſſe vnitum per modum ſpecialis inhabitationis, accipi poteſt adæquatè, in ordine ad ea, tam in recto, quàm in obliquo ab ipſo deſignata; vel poteſt accipi inadæquatè reſpectu eorum ſcilicet, quæ præcisè in recto denuntiat; ſi enim ſecundo modo ſumatur, nihil addit Deus denominatus intrinſecè vnitus, per modum ſpecialis inhabitationis, ſupra ſe ipſum denominatum vnitum cunctis rebus, per intimum illapſum; Si verò primo modo ſumatur, addit Deus de nouo, denominatus inhabitans in hac anima, productionem gratiæ in anima receptæ. Vnde Deus tranſit de non inhabitante intrinſecè in anima, ad in ea inhabitantem; atque adeo ſuſcipit nouam denominationem intrinſecam, quam antea non habebat, ſine mutatione ſe tenente ex parte ipſius, poſita ſolùm mutatione ex parte animæ, quæ ſubiectum extat inhæſionis gratiæ de nouo productæ. Alia exempla ibidem ex variis materiis collegi, recognoſce illa. Ergo denominationi nouæ & intrinſecæ non competit eſſentialiter annectere mutationem intrinſecam in extremo nouiter per illam intrinſecè denominato. 42.

Non abſimilem diſcurſum applicare noſtro caſui poſſumus. Verum eſt, vi incarnationis, verbum de nouo intrinſecè vnitum denominari; verumtamen Deus, ſic nouiter denominatus, poteſt accipi adæquatè reſpectu omnium tam in recto, quàm in obliquo, quæ ipſe ſic denominat, importatorum; vel ſecundùm ea tantùm, quæ in recto annotat. Si hoc, nihil addit verbum ſic denominatum ſupra ſeipſum, vt denominatum vnitum cunctis

rebus

rebus per intimum illapſum; ſi verò primo modo ſumatur, addit vnionem in humanitate receptam; ex cuius mutatione intrinſeca, conſurgit in verbo, illa noua & intrinſeca denominatio.

43. Sed adhuc replicabis, per nos, ex mutatione realiter in humanitate facta aduenit Deo illa noua & intrinſeca vniti denominatio. Ergo hæc eſt vera propoſitio: vi incarnationis, verbum fit terminus alicuius mutationis realis, factæ in humanitate. Tunc ſic: ſed nequit fieri, vi incarnationis, terminus mutationis, quin ipſum verbum realiter mutetur. Ergo nequit de nouo intrinſecè denominari vnitus ex mutatione facta in humanitate, quin verbum ipſum verè in ſe mutetur. Subſumptum probo, cætera patent. Nam ideo, in omnium ſententia, verbum nequit eſſe terminus conuerſionis humanitatis in ipſum, quia caſu, quo humanitas in verbum conuerteretur, realiter & intrinſecè mutaretur verbum; & verè eſſet terminus talis mutationis conuerſiuæ. Ergo ſi, vi incarnationis, humanitas mutatur, & aliàs verbum eſt terminus prædictæ mutationis, fiet, vt realiter verbum mutationem ſubeat.

44. Reſpondebis concedendo antecedens, & conſequentiam, & ſubiunctum negabis. Ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt deſumpta ex ratione termini mutationis, vt conuerſiuæ: etenim eo ipſo quòd hîc & nunc mutatio conuerſiua humanitatis in verbum fieret, deberet poni in rerum naturâ actio noua. Ergo deberet illi deſignari ſubiectum inhæſionis talis actionis; at in prædicto caſu, talis actionis ſubiectum non eſſet humanitas, quia hæc eſſet terminus deſitionis, atque adeo non exiſteret, vtpote in Deum conuerſa; ergo deberet eſſe in Deo; quia actio illa verſabatur inter terminum à quo, qui erat humanitas, & terminum ad quem nempe verbum. Ergo ſi humanitas non eſſet ſubiectum actionis illius, Deus ipſe deberet deſignari. Quod exemplo ſimili confirmo; actio conuerſiua panis, in ſubſtantiam Corporis Chriſti, ob rationem datam, non agnoſcit panem, vt eius ſubiectum, ſed Corpus Chriſti, quod eſt terminus conuerſionis ad quem. Et hac eadem ratione muniti Authores cum ſanctiſſimo Doctore defendunt, Deũ minimè poſſe terminum eſſe conuerſionis alicuius rei in ipſum; cuius dans rationem Angelic. Præcept. *Hic q. 2. art. 1 in corp. vltra medium, cur Deus nequeat in aliud conuerti, nec in ipſum, aliud, aſſerit; vnde nec ipſa, nempe diuina natura, poteſt conuerti in aliud, cum ſit incorruptibilis, nec aliud, in ipſum, cùm ſit ingenerabilis.* Expendo hoc vltimum, quod eſt idem, ac ſi diceret, quia Deus nequit in ſe recipere actionem in ipſo ſiſtentem; atque adeo ideo illi repugnat eſſe terminum mutationis conuerſiuæ, quia repugnat illi, eſſe ſubiectum materialiter ſuſtentans. Si enim mutatio conuerſiua ſolùm peteret, quòd eius terminus ad quem, ſolùm ſiſteret in ratione termini puri, ſicut contingit in verbo, vt eſt terminus mutationis in humanitate facta, idem de illa, ac de incarnatione efferremus.

45. Ad ſecundam difficultatis ponderationem *n. 3.* adductam, reſpondeo, concedo maiorem & nego minorem, ad probationem, nego antecedens. Ad probationem iterum, concedo maiorem, & nego minorem, itaque verbum, vi incarnationis, vnitur humanitati, & ratione iſtius, dicitur Patre minus, & ſecundùm iſtam rationem non dicitur Patri æquale purè, non ad hunc ſenſum, quòd, vi incarnationis, amiſerit verbum aliquid, quod antea poſſidebat. Sed quòd ex vnione ad humanitatem fit homo, & vt homo, non dicitur habere æqualitatem puram cum Patre; ſed cum reſtrictione nempe vt Deus.

Ad tertiam, num. 4. adductam reſpondeo diſtinguendo maiorem. Quidquid eſt intrinſecè 46. vnibile, eſt intrinſecè perfectibile; ſi ſit intrinſecè vnibile ſubiectiue, concedo, ſi ſolùm ſit intrinſecè vnibile ſubiectiuè purè adhæſiuè, hoc eſt, purè terminatiuè, nego maiorem, & nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis, diſtinguo maiorem; quidquid intrinſecè eſt vnibile, eſt componibile, cum dependentia alterius partis, nego maiorem; mediâ purâ compoſitione, ſine dicta dependentia eſſentialiter petita, concedo; & diſtinguo minorem: at quidquid intrinſecè eſt componibile, ordinatur ad aliud extremum tamquam ad compartem, componendo cum mutua partium dependentia, nego minorem, cum dependentia ſaltem alicuius partis ab alia, concedo; & diſtinguo conſequens. Ergo verbum, quod vnibile eſt, intrinſecè etiã componibile, per dependentiam ſui ab alia comparte, nego, per dependentiam humanitatis, à ſe concedo; quod deſiderabatur vt vnibile eſſet verbum tamquam perfectibile: vt patet ex dictis: Vnde ad faciendum vnum compoſitum per ſe, ſufficit, quòd vnum extremum acquirat ab altero extremo ſibi vnito aliquid, quod ſibi ad vltimum complementum deeſt, tametſi aliud extremum nihil acquirat ex altero extremo, quod ſibi annectit, ſiquidem compoſitum ſubſtantiale ex ſe, non exigit, quòd vtrumque illius extremum perficiatur; etenim ſi materia poſſet intrinſecè formam perficere, quin ab illa hæc perficeretur, ex ambabus vnum compoſitum per ſe fieret; quodque eſſet vnum per intimam vnionem; cum hac differentia, quòd vnum extremum perfectionem ſubſtantialem ab altero reciperet, & alterum per vnionem intimam, alteri ſe communicaret. Hoc totum noſtro inſtituto accommodabis facilè.

Ad quartam, *n. 5.* poſitam, nego antecedens. 47. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem iterum, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo antecedens, intrinſecè incarnari, eſt intrinſecè pati, ex parte vtriuſque extremi nego, ex parte humanitatis, concedo: & concedo minorem: & nego conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo antecedens, incarnare inuoluit actionem, quæ terminetur ad vnionem in verbo receptam, nego, actionem terminatam ad vnionem receptam in humanitate, do antecedens: & diſtinguo conſequens. Ergo incarnari aliquod extremum, inuoluit paſſionem denominantem illud paſſiuè incarnatum, paſſionem, inquam, receptam in verbo, nego, paſſionem in humanitate receptam, tranſeat. Ad huius probationem, concedo antecedens. Nam actio-

ni huic, incarnare, correſpondet verbum incarnari, quod dicitur paſſio grammaticalis reſpectu verbi, & reſpectu humanitatis paſſio vera & prædicamentalis: & diſtinguo conſequens. Ergo, ſi Deum incarnare actiuè inuoluit actionem quæ ipſum Deum, incarnantem denominet, ita verbum incarnari debet inuoluere paſſionem denominantem formaliter ipſum verbum paſſiuè incarnatum; paſſionem, quæ ſit grammaticalis, reſpectu verbi concedo, quæ ſit vera & prædicamentalis reſpectu illius, nego conſequentiam. Itaque verbum intrinſecè incarnari eſt complexum importans verbum, vt terminum paſſionis in humanitate receptæ, & ex vi iſtius paſſionis receptæ in humanitate denominatur intrinſecè verbum paſſiuè incarnatum; etenim incarnari nihil eſt aliud, quàm verbum humanitati vniri. At per hoc, quòd vnio in humanitate recipiatur, denominatur verbum intrinſecè vnitum, vt in toto proceſſu huius ſectionis vidimus. Ergo & per paſſionem in humanitate receptam, quam actio incarnandi eſſentialiter inducit, denominabitur verbum, intrinſecè & grammaticaliter paſſiuè, incarnatum.

48. Ad 5 *num.* 6. datam, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quia in caſu, quo inciperet Deus realem, & exiſtentem locum occupare de nouo, quem minimè occuparet antea, neceſſe eſſet illi deſignare aliquid intrinſecè in illo receptum, quo talis denominatio in illo nouiter oriretur, quia in tali caſu non eſſet aliud præter Deum quod prædictam formam reciperet: non enim eſſet locus, quia hic ſupponeretur exiſtens, ergo Deus eſſet ſubiectum illius; etenim omnis denominatio intrinſeca nequit prouenire à forma nullibi recepta. Contrarium verò euenire in noſtro caſu oſtenderunt aſſerta. Et idem dicito de relatione noua in tempore.

Sectio. II.

Poſſibilis eſt incarnatio ex parte hypoſtaticæ vnionis.

49. Sectio hæc præcedenti eſt vicinior, vt ex terminis, & ipſa re, de qua agitur, conſtare videtur. Præfixam ergo concluſionem docent Catholici. Tota eius difficultatis diſcuſſio innititur in natura hypoſtaticæ vnionis, quam lato calamo, & fortè non inutili, in ſpeciali diſputatione enodandam decerno infrà. Sat eſt ex illa ſcire pro nunc, eſſe talis conditionis, vt humanitatem cum verbo intrinſecè nectat, & ex illis verum compoſitum per ſe aſtruat, nulloque modo verbum diuinum immutet. Hic igitur eſt labor ingens; & crux Authores vexans: nam cùm experiatur nemo vnionem creatam taliter vnum extremum perficere, vt alteri parcat; & ſi vtrumque per illam intrinſecè non perficeretur, inſufficiens eſſet, illa vnire, vt ex illis euaderet compoſitum per ſe; ideo ægrè mens noſtra, vnionibus compoſitorum creatorum aſſuefacta, viam aggreditur in his duobus coadunandis, & quòd ex verbo & humanitate vnum fiat compoſitum, docente fide. Et quòd vnio, his extremis adiecta, vnum præcisè, nempe humanitatem perficiat, minimè alterum, verbum ſcilicet, immutans. Verùm vt teſtatur Toletanum 11. *Si ratione hoc myſterium colligeretur, non eſſet mirabile, ſi exemplo, non eſſet ſingulare.* Igitur ſi ab huius explicatione non eſt deſiſtendum, nec ſimiliter ſperandum, ſuffragatura nobis eſſe humana exempla, noſtra ſolùm intereſt oſtendere, rem hanc, nullam ſecum repugnantiam præ ſe ferre.

50. Ratio ergo concluſionis. Si ex parte vnionis hypoſtaticæ eſſet impoſſibilis incarnatio, maximè propter duo, quæ de Incarnationis myſterio ſtatuit fides, nempe ex verbo & humanitate vnum per ſe compoſitum fieri. aliud ſcil. ex vi vnionis verbum minimè intrinſecè perfici. Sed hæc duo non ſunt extra actiuitatem diuinæ omnipotentiæ. Ergo incarnatio ex parte vnionis, impoſſibilis non eſt. Minorem probo: compoſitum aliquod eſſe vnum per ſe, cuius vna pars per vnionem perficiatur, & altera ſit purus terminus illius, non eſt extractum ab omnipotentia Dei. Ergo compoſitum noſtrum, in quo vnio ſolùm humanitatem perficiat, & illius ſolùm ſit terminus diuinum verbum, non eſt extra virtutem Dei. Probo antecedens. Fieri poteſt à Deo compoſitum, cuius vtraque pars ſit mutationis capax, & quòd vtraque ſit ſolùm terminus purus vnionis. Ergo poterit Deus facere compoſitum, cuius vna pars, quia mutationis capax eſt, perficiatur ab vnione, & quòd altera mutationis incapax, vtpote diuina, ſit ſolùm terminus purus prædictæ vnionis. Antecedens patet, ſententia eſt Authorum, defendens poſſe Deum creare vnionem formæ cum materia, ſine dependentia à ſubiecto materialiter illam ſuſtentante: At in hac opinione, neutra pars illarum intrinſecè ab vnione perficeretur, cùm nulla illam materialiter ſuſtentaret: ſed vtraque præcisè eſſet terminus purus prædictæ vnionis. Ergo poteſt fieri à Deo compoſitum, cuius vtraque pars ſit mutationis capax, & vtraque ſit ſolùm terminus purus vnionis. Ergo multò meliùs noſtrum compoſitum, in quo vna pars perficeretur, nempe humanitas, quia capax, licet verbum, quia incapax, perfici non poſſet per vnionem.

51. Reſpondebis; in compoſito illo, cuius partes copularentur vnione, ab illis materialiter independenti, etiam intrinſecè perficerentur; non quia vnio illas perficeret, ſed quia forma materiam, & hæc illam perficere diceretur: At in noſtro caſu, verbum nec ab vnione, nec ab altera parte poteſt intrinſecè perfici; & ſic eſt diſpar ratio.

52. Sed replicabis; Ergo iam hæc eſt vera propoſitio, quòd poſſit à Deo fieri compoſitum, cuius vtraque pars ſolùm ſit purus terminus reſpectu vnionis, & quòd nulla illarum ab vnione perficiatur. Hoc enim eſt de ratione paritatis vim habere conuincendi id, de quo dubium aſſurgit. At contentio eſt, in indagando, an Deus poſſit facere compoſitum, cuius vna pars per vnionem minimè mutetur aut perficiatur. Ergo ſi poſſibile eſt à Deo compoſitum fieri, cuius nulla pars ab vnione perficiatur

&

& immutetur, optimè ex eius poſſibilitate, noſtri compoſiti poſſibilem ſtructuram deducimus; quamuis aliunde prædicta compoſita eſſent inter ſe abſona, quatenus partes primi ſe viciſſim perficerent, & extremum vnum ſecundi compoſiti eſſet ab alterius perfectione in ſe recepta purgatum: quia data iſta differentia poterat prouenire, ex eo, quòd partes primi compoſiti erant eſſentialiter incompletæ, atque adeo ex ſe petentes à ſe inuicem perfici. At compoſitum noſtrum coaleſcit ex rebus, quarum vna, nempe humanitas erat ſolùm incompleta, in linea ſubſiſtendi, atque adeo petens ab altero extremo, & vnione, perfici, altera tamen videlicet verbum eſt ens integrum, & completiſſimum, atque adeo exigens non perfici. Quare differentia hæc inter prædicta compoſita præterquam quòd paritati non obeſt, aſſignata manet illius cauſa. Præterea, nam Authores illud primum compoſitum poſſibile à Deo fieri defendentes, minimè tuentur partes illas ſe viciſſim mutare; & iure, cùm defendant illarum vnionem ab vtraque eſſe independentem, & à neutra minimè materialiter ſuſtentatam: quia cùm vna alteram intrinſecè perficeret, deberet vel recipi in illa, ſi eſſet materialis, vel eius vnio, ſi ſpiritualis extaret; quia nihil poteſt intrinſecè perficere aliud, niſi in illo verè recipiatur; & ex alia parte, vnio illa, quæ ex parte perficientis, eſſet eius cauſalitas, nullo modo in illa reciperetur, quomodo in iſtorum ſententia defendi poſſet, quòd partes illius compoſiti ſe viciſſim intrinſecè perficerent? ſed quidquid illi, paritas manet illibata.

48. Confirmo: extat ſententia authorum defendens, Deum poſſe indiuiſibilia à partibus ſeparare, necnon, quòd ſi Deus punctum lineæ ſemel ſepararet nec ab ea, & poſtmodum illud eidem lineæ per modum puri termini copularet; aſſerunt in hypotheſi iſta vnum ex illis compoſitum conflandum. Ecce poſſibilitas compoſiti in omnib. noſtro ſimilis. Ergo poſſibile fuit Deo producere vnionem inter extrema vnum compoſitum componentia, quorum vnum, nempe humanitatem perficeret, ita vt aliud, nempe verbum, illius ſolùm eſſet terminus.

49. Sed reſpondere poteris, eamdem rationem impoſſibilitatis militare contra hæc omnia compoſita. Siquidem ſemel conceſſa vnione, quæ ſua extrema copulet; ea vnio debet eſſe talis, vt illa intrinſecè afficiat, ad hoc vt vniat, ſiquidem vnio, cùm eſſentialiter ſit modus, ea omnia quæ iſte petet neceſſariò in ſui conſtitutione, debet etiam vnio in ſua inuoluere. At de ratione modi, eſt afficere extremum, quod modificat; ita vt hæc ſit vera propoſitio, ideo modus afficit extremum, vt modificet. Ergo ſimiliter modus, qui eſt vnio, afficere debet extremum, quod vnit, ita vt hæc ſit vera propoſitio, vnio extremum afficit, vt vniat. Ergo cùm de ratione modi, qui eſt vnio, ſit duo extrema petere, quæ copulet, vt illa vniat debebit afficere ambo; ex quo fit, omnia iſta recenſita compoſita eſſe impoſſibilia.

50. Verùm replicabis: nos arguere ex poſſibilitate ſuppoſita illorum compoſitorum, poſſibilitatem noſtri compoſiti. Itaq; nos hic non curamus poſſibilitatem illorum oſtendere; & minùs illam aperire, ſat nobis eſt, illam à pluribus admitti, qua admiſſa deſcendimus ad inferendam poſſibilitatem noſtri compoſiti; nec etiam ea, quæ ſolutio affert, reddunt compoſita illa impoſſibilia, ſi alias de impoſſibilia non ſunt; ſiquidem Authores iſti diſtinguunt duos effectus in vnione, vnus eſt ſubiecto inhærere, hoc eſt, materialiter à ſubiecto ſuſtentari, & alter vnire extrema ſeparata. Primus conuenit vnioni ex ea parte, qua modus eſt: Poſterior illi competit ex qua parte eſt vnio. Iſte enim effectus ſeparabilis eſt à primo, ſiquidem vnire, nihil aliud eſt; quàm vnum extremum alteri intimè præſens facere, eſt ſcilicet tam intimâ præſentia, quæ imaginabilis eſt inter duo extrema realiter diſtincta, cum communicatione mutua perfectionis vtriuſque extremi, ad componendum vnum per ſe, Atque adeo in hypotheſi, qua Deus crearet vnionem, independenter ab extremis, quæ copularet, tunc conueniret vnioni primus effectus, copulare ſcilicet extrema ad componendum, quamuis ab aliquo extremorum materialiter non ſuſtentaretur, dependeret, aut illi inhæreret. Vnde vnio non ideo extrema copulat, quia per inhærentiam modificat, nec ideo modificat inhæſiuè, vt copulet: ſed quia trahit extrema diſtincta, & quaſi ſeparata, vt fiant intimè præſentia ad componẽdum totum, cui ſuas perfectiones intrinſecas communicant. Hic enim eſt primarius effectus vnionis, qua vnio eſt, & licet ſit modus, tamen hic in ſententia iſtorum, eſſentialiter non petit inhæſiuè modificare extrema, quæ necdum modus enim, vt ſic, abſtrahit ab iſto genere modificationis, tametſi vnio, quæ efficitur, talem modificationem dependenter ab extremis, in genere materialis cauſæ, depoſcat. Ergo poſſibilia ſunt tota illa, in quibus vnio partes eorum minimè perficit intrinſecè. Ergo & noſtrum. Ergo poſſibilis eſt Incarnatio ex parte vnionis.

Argues 1. contra concluſionem in titulo datã, quæ maximè inter ſe diſtant, vniri nequeunt, vt componant vnum per ſe. Sed humanitas & verbum maximè diſtant. Ergo vniri non poterunt, vt componant vnum per ſe; Maior patet, nam propter diſtantiam inuentam in genere qualitatis inter albedinem, & nigredinem, nequeunt vniri per ſe. Ergo quæ maximè diſtant nequeunt vniri per ſe. Tunc ſic, ſed magis diſtãt verbum & humanitas, quàm albedo, & nigredo. ergo vniri per ſe non valebunt. Ergo ex parte vnionis, poſſibilis non eſt incarnatio. 51

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, quæ maximè diſtant, & aliàs proportionem non habent actûs & potentiæ, aut ſubſiſtentiæ & naturæ, nequeunt vniri per ſe, concedo, quæ maximè diſtant, & aliàs talem proportionem obtinent, nego, & diſtinguendo minorem: ſed humanitas & verbum maximè diſtant, & alias habent proportionem naturæ & ſubſtantiæ, concedo, maximè diſtant ſine prædicta proportione, nego min. & nego conſequentiã. Ex his patet ratio, quare albedo & nigredo nõ ſint vnibiles, non eſſe earũ diſtantiã; Plura enim magis inter ſe diſtant, quæ vnita conſpicimus ſaltem ad componendum vnum ens per accidens, vt videre eſt in ſubſtantia, & accidenti; ſed quia pro- 52.

portionem inter ſe habent, nec vt actus, & potentia, nec vt natura, & ſubſiſtentia.

53. Argues 2. ſi reſolutio noſtra eſſet vera, ſieret, hanc eſſe veram propoſitionem, poſſibile eſt creatum ens Deo neceſſitatem imponere, vt vniatur humanitati; quod quantùm officiat ſummæ miſericordiæ, & ingenti liberalitati, qua in vniendo ſe humanitati noſtræ, dignatus fuit vti, cuique peruium eſt. Ergo incarnatio ex parte vnionis, poſſibilis non eſt: ſequela patet, ſiquidem ex fide habemus hypoſtaticam vnionem eſſe creatum ens. At vnio hæc neceſſitare debet Deum, ad ſe vniendum humanitati. Ergo ex noſtra concluſione ſequitur, aliquod ens creatum neceſſitatem in Deum inducere ad ſe vniendum humanitati. Probo minorem: nam illud Deum neceſſitaret, quo poſito, repugnaret Deum humanitati non vniri. At poſita vnione repugnaret Deum humanitati non vniri. Ergo vnio neceſſitaret Deum ad ſe vniendum humanitati. Maior ſe ipſam probat, minor patet, etenim ſi poſita vnione non repugnaret Deum humanitati non vniri. Ergo eâ poſitâ, & ab humanitate ſubſtracta non repugnaret humanitatem verbo eſſe vnitam, etiamſi verbum humanitati non vniretur. At hoc neceſſariò repugnat. Ergo eâ poſita repugnat Deum humanitati non vniri. Maior eſt caſus, minor patet, quia vno extremo intrinſecè alteri vnito repugnat, alterum minimè vnitum non eſſe: at vnione poſita verificatur, humanitatem eſſe vnitam Verbo. Ergo repugnat hoc non eſſe vnitum humanitati.

54. Reſpondeo diſtinguens ſequelam, eſſet poſſibile creatum ens neceſſitans Deum abſolutè, & ſimpliciter ad ſe vniendum cum humanitate, nego; neceſſitans illum ex ſuppoſitione alicuius liberè à Deo voliti, cum quo, vnio Dei & humanitatis neceſſariò connectatur, tranſeat. Hoc enim vltimum minimè obeſt diuinæ libertati in hoc, præ aliis, myſterio relucenti; ſi enim Deus velit extremum aliquod, cum quo eſſentialiter alterum connectatur, eo ipſo neceſſitatur ad hoc vltimum volendum, non neceſſitate abſoluta, ſed neceſſitate à ſeipſo ſibi impoſita; quæ appellatur conſequens neceſſitas: nam hæc in illo ſequitur, quia liberè ipſe voluit primum: ſicut ſi Deus velit in me viſionem calami infundere, eo ipſo neceſſitatur velle me intentionaliter ad calamum terminari, quia cùm viſio ſit tendentia eſſentialis ad calamum, tamquam ad terminum, eo ipſo, quòd velit Deus eius infuſionem in me, voluit etiam mei terminationem ad calamum, non neceſſariò abſolutè, quia ſicut, voluit viſionis infuſionem in me, potuit illam non velle, quâ minimè volitâ, nec terminari me ad viſionem vellet, & ſic nego conſequentiam. Ad probationem ſequelæ, ex qua parte negatur, concedo maiorem: & diſtinguo minorem. At vnio hæc neceſſitat Deum ad ſe vniendum humanitati ſimpliciter & antecedenter, nego; conſequenter, concedo, & conſequens eodem modo diſtingues. Ad probationem maioris, diſtinguo maiorem: illud ſimpliciter ad id neceſſitaret Deum, quo poſito, repugnaret Deum humanitati non vniri; ſi ad illud priùs ponendum eſſet Deus neceſſitatus, do maiorem. Si illud liberè potuiſſet, nego maiorem, & diſtinguo minorem. Sed poſita vnione repugnat Deum humanitati non vniri, & Deus neceſſitatus fuit ad ponendam vnionem, nego, eam liberè poſuit, tranſeat, & diſtinguo conſequens, eſſet neceſſitatus Deus ad ſe humanitati vniendum, neceſſitate antecedenti, nego, neceſſitate conſequenti, concedo. Itaque vnio hypoſtatica non minùs neceſſariò petit verbum vt terminum, quàm viſio calami, illum vt terminum deſiderat; atque adeo vtriuſque poſitio adigit ponentem illas, vt neceſſariò velit ipſum verbum eſſe terminum vnionis, & calamum viſionis, non neceſſariò neceſſitate antecedenti, quia ad prædictas entitates ponendas nulla neceſſitate ſed plena dominij libertate fuit Deus impulſus.

55. Argues tertiò; nam hæc vnio eſt myſterij incarnationis deſtructiua. Ergo: probo antecedens, nam myſterium hoc defendit vnum ſubſiſtens per ſe, ſed ex tali vnione reſultare non poſſet vnum ſubſiſtens per ſe. Ergo talis vnio eſt myſterij deſtructiua. Probo minorem, nam talis vnio eſſet per accidens vnio. Ergo: probo antecedens dupliciter, primò, quia ſi talis vnio non eſſet per accidens, ſed per ſe, deberet extremis vnitis per ſe conuenire. Ergo Verbum per ſe talem vnionem exigeret; iſta ſunt certa, atque adeo tandiu priuatum fuit perfectione aliqua, quandiu priuatum fuit vnione iſta, quàm eſſentialiter exigebat, ſecundò idem antecedens probo; ſiquidem talis vnio adiecta fuit verbo, quod ante illam iam ſupponebatur completum, ſed quod aduenit enti completo, accidentaliter aduenit. Ergo vnio eſſet per accidens vnio.

56. Simili obiectioni reſpondet ſanctiſſ. doctor hìc *q. 2. art. 6 ad 2. dicens: quòd illud, quod aduenit poſt eſſe completum, accidentaliter aduenit, niſi trahatur in communicationem illius eſſe completi; ſicut in reſurrectione, corpus aduenit animæ præexiſtenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem eſſe aſſumetur, vt ſcilicet corpus habeat eſſe vitale per animam; non eſt autem ſic albedo, quia aliud eſt eſſe albi, & aliud eſſe hominis, cui albedo aduenit; Verbum autem Dei ab æterno eſſe completum habuit ſecundum hypoſtaſim, & Perſonam; ex tempore autem aduenit ei natura humana, non quaſi aſſumpta ad vnum eſſe, prout eſt natura, ſicut corpus aſſumitur ad eſſe animæ; ſed ad vnum eſſe, prout eſt hypoſtaſis, vel Perſonæ?* Hoc ſuppoſito reſpondeo in forma: nego antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, nego antecedens, & incipiens à ſecunda illius probatione diſtinguo maiorem, talis vnio adiecta fuit verbo, quod ante illam ſupponebatur cõpletum, & adiecta ad vnum eſſe per modum hypoſtaſis & Perſonæ, concedo maiorem, non adiecta ad idem eſſe completum per modum hypoſtaſis, nego, & diſtinguo minorem, quod aduenit enti completo accidentaliter aduenit, ſi ex vi ſui aduentûs non aſſumatur ad idem eſſe ſecundum naturam, vel hypoſtaſim eius, cui aduenit, concedo; ſi aſſumatur ad idem eſſe ſaltem Perſonæ illius, cui aduenit, nego. Et nego conſequentiam, ſolutio hæc patet ex

textu

textu citato. Nunc ad alteram probationem antecedentis 1. loco allaram, diſtinguo antecedens. Si talis vnio non eſſet per accidens, ſed per ſe, debebat extremis vnitis per ſe conuenire, ita vt ambobus perfectionem afferret. Nego, abſque eo quòd vtrique afferret perfectionem, concedo, & diſtinguo conſequens. Ergo Verbum per ſe talem vnionem exigeret, tamquam id, à quo perfectionem ſumeret, nego, tamquam terminum inadæquatum ſuæ infinitæ virtutis aſſumptiuæ, concedo conſequentiam; itaque vt intelligeretur verbum diuinum aliquâ perfectione priuatum pro tempore, quo vnionem, quam exigebat, non habebat, neceſſe erat, quòd vnio exigeretur vt verbi perfectiua, & non vt purus quaſi terminus virtutis illius aſſumptiuæ; hoc enim & ob eamdem cauſam in omnipotentia reſpectu poſſibilium, quæ per ſe exigit, quiſquis experietur.

57. Argues 4. ſi hæc vnio eſſet poſſibilis, eſſet poſſibilis vt propria verbi, ſiquidem, vnio quæuis eſt propria eorum, quæ inter ſe nectit. Sed non eſt poſſibilis vt propria verbi. Ergo hæc vnio non eſt poſſibilis. Ergo incarnatio ex parte vnionis poſſibilis non eſt. Minor probatur, ſi vnio eſſet poſſibilis vt propria verbi, maximè vel effectiuè, vel terminatiuè. Sed neutro modo eſt poſſibilis vt propria Verbi. Ergo vnio non eſt poſſibilis vt propria verbi. Maior habet duas partes. Prima eſt, poſſibilem non eſſe vnionem vt propriam verbi effectiuè, quam ſic probo: quia vnio hæc eſſet effectus ad extra. At quilibet effectus ad extra eſt communis effectiuè tribus Perſonis. Ergo vnio hæc non eſt poſſibilis vt propria verbi effectiuè. Secunda pars, nempe, quòd vnio non ſit poſſibilis, verbo propria, terminatiuè probatur. Nam eſſe ſic propriam verbo terminatiuè, vel denotat illam inhæſiuè ſubiectandam in verbo, & non in aliis Perſonis: quod eſſe falſum præcedentia demonſtrant. Vel denotat vnionem verbo intimè adſtandam præſentialiter. At tota Trinitas eſſentialiter deberet etiam intimè illi præſentialiter aſſiſtere. Ergo vnio illa non eſt poſſibilis, vt propria Verbo terminatiuè, ſed etiam toti Trinitati. Ergo vnio non eſt poſſibilis vt propria Verbo effectiuè, aut terminatiuè, ergo nullo modo propria verbo. At non aliter eſt poſſibilis, ſi poſſibilis admittitur. Ergo hæc Vnio non eſt poſſibilis, & conſequenter nec incarnatio.

58. Reſpondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem, quoad ſecundam partem. Ad eius probationem admitto vnionem eſſe propriam Verbo terminatiuè, minimè denotare illam ſubiectari in Verbo, & diſtinguo aliam partem diſiunctionis, vel denotat vnionem, Verbo intimè præſentialiter adſtandam, ita vt exigat verbũ eſſẽtialiter per ſe perſeitate quarto modo, cõcedo, denotat vnionem intimè Verbo præſentialiter vtcumque adſtandam, nego. Et diſtinguo minorem. At tota Trinitas eſſentialiter deberet etiam intimè illi præſentialiter aſſiſtere, ita vt vnio talem aſſiſtentiam eſſentialiter per ſe perſeitate quarto modo exigeret, nego minorem: ſine tali exigentia, concedo minorem; & nego conſequentiam. Itaque tunc abſolutè aliquid eſt alteri proprium, quando illud hoc eſſentialiter per ſe perſeitate quarto modo deſiderat; imo & maximè proprium. Tunc enim illud hoc ſic exigere dicitur, quando illo ablato in hypotheſi per impoſſibile, hoc nequit ſubſiſtere; & è contrà illud ſic non exigit, quando ablato, in eadem hypotheſi, illo, iſtud integrum conſtat. At ablato, in hypotheſi per impoſſibile, Verbo, etſi aliæ duæ Perſonæ diuinæ extarent, minimè hæc vnio ſubſiſteret, & ſemotis duabus Perſonis in eadem hypotheſi, ſi ſuperſtes eſſet Verbum, vnio hæc eadem integra conſiſteret. Ergo vnio per ſe quarto modo illas non exigit, bene tamen verbum. Ergo vnio poſſibilis eſt vt propria verbi, Verùm res iſta eſt omnium maxima, quam intellectus vllus creatus comprehendere non poterit. De illa ſermonem latiſſimum, & non iniucundum, diſputatione ſpeciali de vnione, inſerere polliceor.

Sectio III.

Poſſibilis eſt incarnatio ex parte humanitatis.

59. IN fronte tituli rationem dubitandi offero, cùm reſolutio, & concluſionis præfixæ probatio aliqua declaratam deſideret. Ratio igitur dubitandi hæc eſt: Etenim Perſonalitas creata realiter à natura differt, vel non. Si differt, peto iterum, an à verbo naturam aſſumente eam ſimiliter aſſumpſerit. Vel non. Illud implicat, vtpote hæreſis Neſtorij. Si perſonalitatem non aſſumpſit, ſed ſolam naturam, ipſe Chriſtus reſultans idem homo in ſpecie nobiſcum non eſſet; ſiquidem eius humana natura, proprio complemento creato, quod eſt ſubſiſtentia, quaque nos erigemus, priuaretur. Hoc autem eſt inconueniens. Ergo ſicut naturam, ita & ſubſiſtentiam creatam ab illa diſtinctam verbum aſſumpſit, quod ab Eccleſia damnatur. Si verò ſubſiſtentia à natura non differt, idem error ſequi videtur, nempe naturalem ſubſiſtentiam fuiſſe, ſicut naturam à verbo aſſumptam; ſiquidem non ſtat, qualitatem aliquam creatam reipſa alteri vniri, & non vnita reliqui ea, quæ cum ipſa realiter ſunt idem. Ergo ſi ſubſiſtentia ab humanitate non differt, fit, æquè ſubſiſtentiam ac humanitatem aſſumpſiſſe Verbum, quod fides vetat. Ergo ex parte humanitatis impoſſibilis eſt incarnatio.

60. Ratio hæc dubitandi exactam reſolutionem non agnoſcet vnquam, ſi non præceſſerit notitia quæſtionis illius, ſedem apud Philoſophos, & methaphyſicos occupantis, nempe quid ſuppoſitum, aut Perſona ſupra naturam addat; nec exinde alienam ab inſtituto noſtro ſuſpicor, cùm illam indagent Recentiores, & iure, quia eius prævia meditatio eſt aptior, quæ deſiderari poteſt vt diſpoſitio, ad noſtri myſterij peruestigationis gradum aſcendendum; & licèt diſcuſſionem huius rei, Authores ad quæſtionem ſecundam remiſerint,

commodiorem ſitum hîc à principio illi defixi, cùm ſcientiarum procemialia cæteris, vt intelligantur, inſeruientia, ſint anteuertenda; cognito igitur, an Perſonalitas à natura differat necne, facile cognoſcemus, an verbum, naturam ſolùm à ſubſiſtentia ſeparatam aſſumpſerit, & quomodo id euenire potuerit ſine contradictione, pro noſtro captu diſcernere poterimus.

SECTIO IV.

Durandus & Scotus deſ[...]untur.

61. DVrandus *in 1. diſt. 34. q. 1.* defendit ſubſiſtentiam eſſe realiter idem cum ſubſtantia creata, ſolùmque differre per rationem ex diuerſo modo ſignificandi & cognoſcendi non abſimiliter, ac inter ſe differunt Deus & Deitas. Vnde Durandus aſſerit, propoſitionem iſtam eſſe in ſenſu reali veriſſimam, *homo eſt humanitas.* Hanc eandem ſententiam admittit Henricus *quotlib. 4. q. 9.*

62. Sed facilè ab iſto modo dicendi expediemur. 1. Etenim ſi ſubſiſtentia, & ſubſtantia eſſent idem, etiam quouis alio dempto, ſimiliter idem eſſet in re *homo & humanitas.* At hoc ſapit hæreſim, Ergo, probo minorem, propoſitio hæc eſt catholi[ca] *Verbum aſſumpſit humanitatem*; iſta vero eſt hæretica, *Verbum aſſumpſit hominem*, ſi per hominem intelligas ſuppoſitum creatum, id eſt, humanitatem, & creatam ſubſiſtentiam. Ergo propoſitio hæc, homo eſt idem realiter, omni alio ſecluſo ac humanitas, ſapit hæreſim.

63. Reſpondere poteſt Durandus, hominem, & humanitatem nullam diſtinctionem habere ex parte obiecti; attamen ex parte modi ſignificandi, diſtinctionem obtinere videntur: ſiquidem homo ex propriis terminis vt concretum cognoſcitur, humanitas verò vt abſtractum.

64. Sed replicabis. Præfixa regula eſt, concretum quodlibet reale, addere aliquid reale, ex parte obiecti, ſupra abſtractum ſibi correſpondens; vt videre eſt in concreto reali accidentali, album enim aliquid reale ex parte obiecti addere ſupra ſuum ſubſtractum, cui correſpondet, eſt certa propoſitio metaphyſica. Atqui homo eſt concretum reale. Ergo addere debet aliquid reale ex parte obiecti, ſupra ſuum abſtractum ſibi correſpondens, nempe humanitatem; Præterea, quia ſi concretum, *homo*, non adderet aliquid reale ex parte obiecti, ſupra abſtractum eius, nempe humanitatem. Ergo ex parte obiecti homo & humanitas eſſent realiter idem. Concedet Author. Nunc premendus eſt à ratione dubitandi *numero 59.* Ergo Deus aſſumens humanitatem, etiam ex parte obiecti hominem aſſumpſit, quod ab errore Neſtoriano quantùm diſtet, in ſequentibus comperiemus.

65. Sententia Scoti longiorem petit indaginem. Aſſerit igitur ſubtilis Doctor *in 3. diſt. 1. quaſt. 1. & diſt. 6. quaſt. 1. & in 1. diſt. 23. & quotlib. 19. art. 3.* Subſiſtentiam creatam, eſſe duplicem negationem, fundatam in natura, vnam actualis dependentiæ, alteram aptitudinalis dependentiæ à ſuppoſito. Intelligit per aptitudinalem dependentiã, poſitiuam inclinationem, & propenſionem à ſuppoſito dependendi: actualis verò dependentia, quando actualiter, & in exercitio natura dependet à ſuppoſito, vel ab alieno termino: Quemadmodum humanitas hîc & nũc à verbo, pars eſſentialis, aut integralis ab aliis partibus dependere dicuntur. Præter has dependentias, aliam nempe obedientialem dependentiam annotat, quæ nihil eſt aliud, quàm non repugnantia ad dependendum. Vnde obedientialis appellatur, quando néc actu pendet, nec apta eſt naturaliter pendere, verumtamen illi pendere non repugnat: obedientialẽ ergo dependentiam obtinet quidquid creatũ eſt, cum nulli creatæ naturæ repugnet à ſuppoſito diuino dependere.

66. His igitur dependentiis aſſignatis, triplex correſpondere dicitur independentia, actualis ſcilicet, aptitudinalis & obediẽtialis. Prima quando hîc & nunc in exercitio natura non depẽdet ab alieno ſuppoſito, vel ab aliquo termino ſubſtantiali. Secunda, quando, non ſolùm actu ſic non depẽdet, verùm ab illa abeſt naturalis potentia ab alio ſuppoſito dependendi. Sic non dependet creata quæuis natura à ſuppoſito diuino. Vltima eſt, quando alicui naturæ adeſt poſitiua repugnantia ab alieno ſuppoſito dependendi; ſed hæc independentia ſolùm ſuppoſito diuino competit, cùm illi ſolùm poſitiuè repugnet ab alieno ſuppoſito pendere.

67. Nunc claudit Scotus ſuum placitum dicens; ſuppoſitum creatum formaliter in ratione talis, minimè conſtitui per negationem vltimæ, nempe obedientialis dependentiæ; & rationem ex illo dare eſt facile; ſiquidem nullum eſt dabile creatum ens, cui non adſit non repugnantia dependendi à diuino ſuppoſito; conſtituitur ergo creatum ſuppoſitum formaliter per negationem primæ & ſecundæ dependentiæ, actualis ſcilicet, & aptitudinalis. Vnde quia negatio primæ dependentiæ, humanitati Chriſti non competit, ſuppoſitum non eſt. Rurſum in anima ſeparata, quia deficit negatio ſecundæ dependentiæ, aptitudinalis ſcilicet, etiam eidem eſſe ſuppoſitum non conuenit; itaque anima ſeparata actu à ſuppoſito non pendet, ſed tamen ex ſe habet poſitiuam inclinationem ad dependendum ab illo; atque adeo aptitudinaliter pendet, quapropter deficit illi ratio ſuppoſitum formaliter conſtituens. Tandem, *homo*, ſuppoſitum cenſetur, quia illi nedum actu, ſed nec in potentia naturaliter illi competit dependentia ab alio, ſed ſolum obedientialiter.

68. Ex placito Scoti ſic expoſito, varia deducuntur conſectaria. Primum, in quo differat verbum diuinum, dum humanitati copulatur, à quolibet creato ſuppoſito, ſi alteri diuino annecteretur. Etenim illud minimè rationem ſuppoſiti deperdit ex vnione ad humanitatẽ; at ſi ſuppoſitum creatum alteri diuino coniungeretur, protinus in eo ratio formalis ſuppoſiti deſinere deberet. Rationem dat, quia Verbum diuinum non copulatur humanitati vt ſuppoſito, ſed præcisè tanquam naturæ: humanitas vero verbo, non vt naturæ, ſed vt ſuppoſito copula

pulatur. In verbis iſtis inuoluit Scotus latenter, ſed ſubtiliter rationem differentiæ petitæ. Siquidem vniri aliquid vt naturam alteri, rationem ſuppoſiti funditus euertit, ſecus autem ſi vt ſuppoſitum alteri coniungatur, quia quidquid vt natura alteri vnitur, dicitur vnitum, *quo*, id enim quod vt, *quo*, vnitur, vlteriùs eſt complebile. Quod enim ſic complebile eſt, ſuppoſitum nequit eſſe, quia hoc cùm habeat in ſe rationem vltimi termini, repugnat ei vniri, vt vlteriùs complebile: atque adeo implicat terminis vniri aliquid vt naturam alteri, & in ſe cuſtodire rationem ſuppoſiti. E contra verò res euenire dicitur in eo quod vt ſuppoſitum alteri vnitur, quia quod ſic vnitur non vt, *quo*, ſed vt *quod*, non vt res vlteriùs complebilis, ſed vt vltimum complementum copulatur illi; atque adeo adhuc vnitum alteri, minimè amittit rationem ſuppoſiti. Cùm ergo Verbum diuinum, vt ſuppoſitum humanitati vniatur tanquam naturæ, ex inde rationem ſuppoſiti minimè deperdit; ſi verò ſuppoſitum creatum vniretur diuino ſuppoſito, quia ſic eſſet non vniretur vt natura, & aliunde ab alieno aſſumeretur, deſineret eſſe in ſe, & conſequenter deperderet rationem ſuppoſiti reduplicatiuè.

69. Pluribus impeti ſolet ſententia hæc, ſed quæ mihi ingeſſerunt difficultatem, proponam, omittendo vim obiectionum aliorum Authorum. Subſiſtentia diuina eſt aliquid poſitiuum in ſententia Scoti. Ergo & creata debet eſſe aliquid poſitiuum. Probo conſequentiam, non minùs creata ſubſtantia fundat negationem dependendi à ſuppoſito, ac ſubſtantia diuina, & eius ſubſiſtentia: Nunc peto, cur ſubſiſtentia diuina non erit illa carentia dependendi, ſed fundamentum illius; & creata ſubſiſtentia erit carentia dependentiæ à ſuppoſito, non verò fundamentum talis carentiæ. Atque adeo ſi non obſtante maiori ſimplicitate, quæ in Perſona increata inuenitur, ponit Scotus diſtinctionem ex natura rei inter ſubſtantiam & ſubſiſtentiam increatam: Quare ſimilem diſtinctionem negat inter naturam & ſubſtantiam creatam reſpectu Perſonæ, quæ compoſitionis eſt capax, cùm tanta ſimplicitate, qua diuina pollet, non vigeat?

70. Reſpondebis, dando diſparitatem, quia cùm tres diuinæ Perſonæ in eadem natura exiſtentes, diſtinguantur inter ſe adhuc, vt eamdem naturam terminantes, fit, quòd ipſæ habeant pro formali conſtitutiuo aliquid poſitiuum, cùm per illud idem inter ſe diſtingui debeant.

71. Sed contra, nam licèt ratio hæc conuincat, quare ſubſiſtentia diuina ſit in ſe poſitiuum quid; non tamen rationem dedit, quare creata ſubſiſtentia ſimile conſtitutiuum poſitiuum non habeat: cùm potiùs ad id illi præſtandum ſufficiens fundamentum ſit, diuinam ſubſiſtentiam per poſitiuum conſtitui, quia ſubſiſtentiæ creatæ ſunt diuinarum participationes: atque adeo interrogatio noſtra ampliùs progreditur, vt petat, quænam repugnantia eſt in eo quòd Perſonæ creatæ non participent de diuinis iſtam poſitiuam & perſonalem incommunicabilitatem? Etenim participatio huius poſitiuæ & perſonalis incommunicabilitatis non opponitur cum conceptu obiectiuo creaturæ: ſiquidem ſtabit bene, creatam Perſonam eſſe finitam, etſi poſitiuè alteri incommunicabilis ſit: quod ſic oſtendo, participatio illius prædicati diuini, quod in ſe infinitatem non exprimit, infinitatem ſecum non affert repugnantem conceptui obiectiuo creaturæ. Sed incommunicabilitas perſonalis & poſitiua diuina, qualis diuina relatio eſt, perfectionem, nec finitam, nec infinitam exprimit, iuxta ſententiam Scoti, vt latè vidimus *tract. de Relationibus ad 1. p.* Ergo incommunicabilitas poſitiua creata, quæ diuinæ eſſet participatiu, nullam per ſe feret infinitatem, quæ conceptui creatæ Perſonæ officiat. Pondero hoc ipſum. Participatio eorum Prædicatorum, quæ in diuinis infinitatem exprimunt, nullam infinitatem conceptui creaturæ repugnantem inducit. Aliàs quæ videmus, & ſupernaturalia nobis ſuper infuſa, quæ diuinorum Prædicatorum infinitorum ſunt mirabiles participationes, eſſent infinitæ; ergo participatio illius prædicati diuini, quod infinitatem minimè exprimit, quale eſt poſitiua & perſonalis incommunicabilitas, minori titulo infinitatem conceptui obiectiuo creaturæ contrariam in participantem, illam inducet, de hoc ergo quæritur ſolutio.

Sed reſpondebis ex his, quæ ex Scoto dedimus *numero* 65. diſcrimen eſſe inter diuinum & creatum ſuppoſitum, quod ambo in duobus conueniunt, & in vno differunt, conueniunt enim in eo quòd ambo habent negationem duplicis dependentiæ à ſuppoſito, actualis, ſcilicet, & aptitudinalis; homo enim actualiter ab alieno ſuppoſito non dependet, ſed ſicut diuinum nec in potentia ſaltem naturali ab alio dependere valet. Differunt tamen eſſentialiter in hoc, quòd diuinum ſuppoſitum adhuc obedientialiter ab alio dependere nequit; creatum verò ſaltem obedientialiter ab alio ſuppoſito dependere valet. Ex quo poteſt ſumi diſparitas, quare increatum, per quid poſitiuum, & creatum ſuppoſitum per negatiuum conſtituantur; ſiquidem, diuino ſuppoſito poſitiuè repugnat ab alio aſſumi, quod enim eſſe in alio poſitiuè repugnat, id per prædicatum poſitiuum talem repugnantiam poſſidet. Ex qua verò parte ſuppoſito creato non repugnat, poſitiuè aſſumi ab alio, & ab illo dependere, talis repugnantia per poſitiuum prædicatum ei minimè competit, quia ſi id taliter competeret, nedum naturaliter, ſed omnibus modis ei, aſſumi ab alio, repugnaret, quod falſum eſt, dum ſupponat Scotus, ſaltem obedientialiter poſſe ab alieno ſuppoſito dependere, cuique enti creato eſſe eſſentiale. Et tandem oſtenditur, quando participatio incommunicabilitatis poſitiuæ quam diuina Perſonalitas impertat, officiat Perſonæ creatæ, non propter infinitatem, ſed quia conceptus obiectiuus creati ſuppoſiti eſſentialiter inuoluit non repugnantiam dependendi, ſeu obedientialem dependentiam, quam dirimendam fore per prædictam participationem poſitiuæ incommunicabilitatis, ſatis ex his adductis conſtat. 72.

Sed replicabis, & exiſtimo diſparitatem hanc minime ſubſiſtere poſſe etiam iuxta principia 73.

Scoti

Scoti. Siquidem ſuppoſitum creatum formaliter vt ſuppoſitum, eſt participatio diuinæ incommunicabilitatis, etiam per potentiam obedientialem. Ergo ſicut diuinum quia independẽs ab alio ſuppoſito, etiã obedientialiter, conſtituitur per incommunicabilitatem poſitiuam, etiam id affirmare debemus de ſuppoſito creato. Probo antecedens: ideo obedientialis independentia conuenit diuino ſuppoſito, quia ſtatim ac ab alio penderet, rationem ſuppoſiti diuini deperderet; At ſuppoſitum creatum ſtatim ac ab alio penderet, rationem ſuppoſiti creati formaliter vt talis deperderet. Ergo ſicut diuino, ita & creato conuenit obedientialis independentia ab alio ſuppoſito. Maior eſt ſolutio ipſa, minor probatur; nam Scotus aſſerens ſuppoſito creato conuenire potentiam obedientialem dependendi ab alio, aſſerit; quòd licèt ſuppoſitum creatum poſſit diuinitus ab alio pendere, tamen ei conuenire nequit vt ſuppoſitum eſt formaliter, & reduplicatiuè; cuius rationem dat, ſiquidem eo ipſo, quòd aſſumitur ab alieno, deſinit eſſe in ſuo, quia deſinit eſſe in ſe, ſeu deſinit exiſtere in ſe; quod eſſentialiter importat ſuppoſitum formaliter, & reduplicatiuè ſumptum. Ergo ſuppoſitum creatum ſtatim ac ab alio aſſumeretur, rationem ſuppoſiti creati formaliter vt talis deperderet.

74. Præterea, quia ſolutio iſta ſpontaneè ſupponit id, quod neceſſariò probare tenebatur. Vnde enim vt certum iſti Authores præſūgũt, vt oſtendant diuerſitatem in conſtitutiuis ſuppoſiti diuini, & creati, & repugnare conceptui obiectiuo ſuppoſiti creati, participationem poſitiuæ incommunicabilitatis diuinæ ab alio, ſuppoſitum creatum habere potentiam obedientialem dependendi ab alio, cuius expers eſt diuinum ſuppoſitum: de hoc enim interrogatio noſtra, *n.69.* allata, latenter procedebat: & iure, cum æquè ſit certum, ſuppoſito creato formaliter & reduplicatiuè tali repugnare potentiam obedientialem ab alio dependendi, ac talem potentiam diuino ſuppoſito repugnare. Quod, præterquam quòd admittit Scotus vt *mon. antecedenti* vidimus, ex ipſa ratione, qua vtitur, conuinci videtur, cuius efficacia independens eſt ab eo, quòd ſuppoſitum creatum poſitiuè, vel negatiuè conſtituatur. Equidem ſi poſitiuè conſtitueretur, ſuadetur facilè, nam illud poſitiuum eſſet ratio formalis, illud in ſe & per ſe conſtituens; ergo inferret eſſentialiter incommunicabilitatem alteri, vt ſuppoſito. Probo conſequentiam, quia quæ ratione alteri communicaretur, ea ipſa iam non eſſet ratio eſſendi per ſe, & in ſe, ſed in alio, nempe in ſuppoſito, cui communicatur: & hac ratione conuictus Scotus negat, ſuppoſitum creatum aliquo poſitiuo conſtitui. Tunc ſic, ſed ſi per negationem, tale creatum ſuppoſitum conſtitueretur, æquè ei repugnaret potentia obedientialis dependendi ab alio. Ergo, independenter, ab his conſtitutiuis, æquè repugnat potentia obedientialis dependendi ab alio, ſuppoſito creato, ac diuino. Probo ſubiunctum. Ponamus cum Scoto creatum ſuppoſitum conſtitui per negationem dependendi ab alio ſuppoſito, vt Scotus admittit. Pone rurſum hoc idem ſuppoſitum habens potentiam vt diuinitus ab alio ſuppoſito aſſumatur, quòd hic, & nunc aſſumatur ab alio. Peto à ſubtili doctore: in tali caſu maneret in ſuppoſito aſſumpto negatio dependendi ab alio ſuppoſito? ſi negat. Ergo iam rationem ſuppoſiti amittit per aſſumptionem; cùm ex vi illius amittat negationem dependendi ab alio, per quam conſtituebatur, & nullum conſtitutum, pereunte ſuo conſtitutiuo conſtare valeat. Si affirmet manere, affirmabit id, quod Philoſophiæ toti aduerſum eſt, Siquidem omnis negatio pellitur per id, cuius negatio eſt; at negatio dependendi ab alio, eſt negatio dependentiæ. Ergo hac poſita pellitur negatio illius. Ergo ſuppoſito creato ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè conſtituatur, æquè repugnat potentia obedientialis dependendi ab alio ac ſuppoſito diuino.

Sed reſpondebis 2. argumento *n. 69.* adductò, cum Lugo, in fauorem Scoti hic *diſp. 12. ſect. 2. n. 10.* vbi ait, quòd à ſuppoſito diuino ad creatum eſt conſequentia nulla, quia natura diuina nõ habet à ſe ipſa formaliter negationem cõmunicabilitatis, quare ſicut ex mirabili eius communicabilitate, non poteſt colligi ſimilis communicabilitas in aliqua natura creata; ſi ex eo quòd natura diuina indigeat aliquo poſitiuo ſuperaddito, ad hoc, vt reddatur incommunicabilis, non poteſt ſumi argumentum, probãs, naturam creatam reddi incommunicabilem per aliquid poſitiuum ſuperadditum. 75.

Sed replicabis, argumentum noſtrum non proceſſiſſe à ſuppoſito diuino vtcunque ad ſuppoſitum creatum, ita vt quidquid in illo eſt, & eodem modo, in iſto ſit inueniẽdum; & conſequenter quòd ſicut in Perſona increata reperitur natura diuina, ex ſe communicabilis mirabiliter triplici ſuppoſito, necnon triplici ſubſiſtentiâ propriâ terminabilis, ita in creato ſuppoſito, inueniẽda ſit natura, quæ ita mirabiliter ſit communicabilis. Sed quòd ſicut illa diuina natura, incommunicabilis redditur per prædicatum relatiuũ poſitiuũ, ita & noſtra, per aliquid poſitiuum, incommunicabilis reddatur, nec ad hunc ſenſum, quòd ſicut ibi poſitiuum illud, eſt relatiuum, ita in creatis relatiuũ ſit. Non enim in omnibus, nec ad omnia, paritas ſuppoſiti increati ad creatum pertrahitur. Sed præciſè quòd ſicut ibi eſt ratio, conſtituẽs Perſonam, poſitiua, ita & in nobis: cuius rationẽ dedimus; quia Perſona creata, ſicut & eius conſtitutiuũ, ſunt participationes Perſonæ diuinæ, & eius cõſtitutiui. 76.

Præterea; quia ſi argumentum iſtud obiiceretur Lugo alîàs Scotũ defendenti, non parum premi videretur, ſiquidem in eius ſentẽtia, concedẽte, in natura quauis creata ſubſtãtiali completa, potentiam obediẽtialem, vt pluribus ſubſiſtentiis propriis terminari poſſit, iam talis natura participaret communicabilitatem mirabilem, quam ad ſimiles ſubſiſtentias poſſidet natura diuina. Cur ergo ſicut hæc conſtituitur incommunicabilis per aliquod poſitiuum, per illud idem conſtitui non valebit natura creata? vide Lugum *diſp. 12. ſect. 6. n. 78.* talem communicabilitatem naturæ humanæ præſtantem. 77.

Præterea, ex his, quæ in ſuppoſito diuino reperiuntur, vis prædictæ paritati accreſcit. Etenim illud ſupponit naturam diuinam ex ſe ſubſiſtentem; & hoc non obſtante, Perſona addit ei aliquid poſitiuũ, quo incõmunicabilis reddatur. 78.

Ergo

Ergo cùm natura creata ex ſe, & per ſe ſubſiſtens non ſit, ſupra illam addet perſona aliquid poſitiuum, vi cuius incommunicabilitatem recipiat.

79. Sed reſpondebis tertiò cum eodem Lugo ibidem. Paritatem noſtram ex alio diſcrimine deficere, etenim communiter defenditur, quòd ſubſiſtentia creata licèt ſit conditio requiſita ad plures operationes; ipſa tamen non eſt principium operandi; operationes enim procedunt à natura; ſubſiſtentia verò ſolùm deſeruit ad terminandam naturam. Diuinæ autem ſubſiſtentiæ, non ſolùm terminant diuinam naturam ſed etiam, in probabiliori ſententia, integrant principium operandi ad intra. Nam in Patre æterno, principium generandi integratur ex intellectu & Paternitate, quare non mirum, quòd ſubſiſtentiæ diuinæ ſint entitates poſitiuæ, cùm ſint principia operandi, quod tamen in Perſona creata minimè inuenitur.

80. Sed replicabis ſolutionem hanc minùs arridere, cùm profuga, à principiis Scoti velit inefficax reddere argumentum, ſuam vim in Scotum fundans ex principiis ipſius Scoti. Doctor igitur ſubtilis ſuprà *diſt.* 19. 1. *ſent.* vtrumque, ſcilicet, abſolutum, & relatiuum ad integrandum principium generandi, in diuinis, ſed diſpariter cupit. Abſolutum enim, nempe eſſentiam in recto, & reſpectiuum tanquam conditionem connotatam deſiderat. Ergo vtrobique ſubſiſtentia vt conditio ad operandum optatur. Ergo iuxta principia Scoti ſolutio hæc non ſatisfacit; ergo dum pro Scoto, vt ait Lugus, argumentum hoc ſoluere conatur, eius principia deſerit.

81. Secundò argumentor contra iſtam ſententiam Scoti. Si creata ſubſiſtentia eſſentialiter eſſet, negatio dependentiæ à ſuppoſito. Ergo vbi daretur prædicta negatio, reperiretur etiam ſubſiſtentia creata. Conſequentia patet, quia res conſtituta ſemper ſuum conſtitutiuum comitatur. Tunc ſic: Sed in creatione accidentis datur, imo in ea fundatur negatio dependentiæ actualis, & aptitudinalis à ſuppoſito, Rurſum eadem negatio dependentiæ ab alieno ſuppoſito in tribus Perſonis diuinis reperitur: At nec in illa, neque in his ſubſiſtentia creata reperitur. Ergo negatio dependentiæ ab alieno ſuppoſito non ſemper ſecum affert ſubſiſtentiam creatam. Ergo hæc illâ minimè conſtituitur.

82. Reſpondebis, ſubſiſtentiam creatam non qualibet negatione, ſeu carentiâ dependendi à ſuppoſito alieno conſtitui, ſed illâ, quæ ſupponit in ſubiecto capacitatem, & potentiam dependendi ab illo; ſicut iniuſtus politicè, non quacunque negatione gratiæ conſtituitur, alias Leo peccator eſſet, ſed illâ carentiâ iuſtitiæ ſupponente in ſubiecto, quod afficit, aptitudinem ad talem iuſtitiam habendam, vt de tenebris id ipſum profitetur. Cúmque negatio illa dependendi à ſuppoſito, quæ in creatione accidentis inuenitur, & in tribus Perſonis, non ſupponat ſubiecta, quæ afficit, capacia dependendi à ſuppoſito, bene verò carentia dependendi à ſuppoſito, in homine inuenta, ſupponat in eo prædictam capacitatem, ideo non in illis, bene verò in iſto, talis negatio conſtituit ſubſiſtentiam.

Sed replicabis: adhuc negatio dependendi ab altero ſuppoſito, vt ſupponens in ſubſtantia creata, potentiam ad dependendum, non conſtituit ſubſiſtentiam eſſentialiter. Ergo ruit 83.
ſolutio. Probo antecedens. Sicut ſubſtantia creata vt ſubſiſtens, eſt ens per ſe, ita ſubſtantia Dei eſt ens à ſe. Ergo quemadmodum creata ſubſtantia ſubſiſtens importat negationem dependentiæ à ſuppoſito, ita ſubſtantia increata; vt eſt ens à ſe; talem negationem dependendi à cauſâ connotabit. Tunc ſic, ſed ratio, per quam increata ſubſtantia in eſſe entis à ſe conſtituitur, non eſt negatio illa dependentiæ ab alio, tanquam à cauſâ, ergo ſimiliter ratio, per quam creata ſubſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, non erit negatio illa dependendi à ſuppoſito, ſed entitas aliqua poſitiua prædictam negationem fundans. Minorem negabit nemo. Sed probatur, etenim eſſe à ſe, eſt prædicatum eſſentiale, conſtituens Deum in ſe. Ergo talis ratio eſt poſitiua. Ergo minimè erit negatio. Nunc conſequentiam paritas demonſtrat.

Vltimò arguo ad hominem contra Scotum; 84.
in ſententia huius, prædicatum ſubſtantiæ eſt vniuocè commune ad diuinam, & creatam ſubſtantiam. Ergo & prædicatum ſubſiſtentiæ debet eſſe diuinæ & creatæ ſubſiſtentiæ commune. Conſequentiam probo: ideo, in ſententia Scoti, ſubſtantia, vt ſic, eſt vniuocè communis illis, quia definitio ſubſtantiæ in communi non eſt definitio ſubſtantiarum, diuinæ ſcilicet & creatæ; atque adeo quia cùm illam ſuperiorem definimus, minime iſtæ inferiores diffiniuntur. At definitio ſubſiſtentiæ, vt ſic, non eſt definitio ſubſiſtentiæ increatæ, aut creatæ, nec, dum illam definimus, aliquam definimus in particulari. Ergo eadem ratio conuincit vtrobique vniuocationem. Tunc ſic. Ergo prædicata conſtituentia creatam, & increatam ſubſiſtentiam debent vniuocè conuenire. Quomodo cohærebunt conſtituta inter ſe vniuocari ipſis conſtitutiuis æquiuocatis. At conſtitutiuum ſubſiſtentiæ increatæ, in ſententia Scoti, eſt poſitiuum. Ergo conſtitutiuum ſubſiſtentiæ creatæ non poteſt eſſe negatiuum. Probo conſequentiam. In ſententia Scoti eſt vera hæc propoſitio, nullo modo ad poſitiuum, & negatiuum dabilis eſt ratio vniuoca. Ergo ſi diuinæ ſubſiſtentiæ conſtitutiuum eſt quid poſitiuum, non poterit eſſe negatiuum ſubſiſtentiæ creatæ conſtitutiuum.

SECTIO V.

Subſiſtentia creata non eſt ipſa ſubſtantia, vt actu fundans carentiam dependentiæ actualis, & aptitudinalis à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno.

REcentiores quidam ægrè ferentes argumenta, quæ contra ſententiam defendentem, ſubſiſtentiam creatam negatione ali- 85.
qua eſſentialiter conſtitui, ſolent fieri, aliâ via rem iſtam componunt. Aiunt enim ſubſi-

ſtentiam creatam eſſe ipſam rei ſubſtantiam, vt fundat carentiam dependentiæ actualis, & aptitudinalis à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno; id eſt, carentiam actualis receptionis in ſubiecto, & vnionis cum alio ſuppoſito, & carentiam poſitiuæ inclinationis ad ſubiectum inhæſionis, & ad aliud ſuppoſitum. Hæc inquam duplex carentia, non vt ratio formalis, ſubſiſtentiam conſtituens defenditur à Recentibus, vt volebat Scotus, & innuebat Durandus. Sed ponitur vt conditio ſine qua non, vt ſubſtantia ipſa ſit, & dicatur ſubſiſtentia; ſicut carentia dependendi ab extrinſeca cauſa, eſt conditio, vt diuina eſſentia ſit ratio eſſendi à ſe; & ſicut exiſtentia creaturæ in tali tempore, eſt conditio, vt ſubſtantia Dei, ſit actu ſcientia viſionis; necnon & ſicut carentia vnionis cum diuina Perſona, eſt conditio, vt in ſubſtantia Chriſti, in aliquorum ſententia, ſit ſeruitus naturalis, denominans Chriſtum ſeruum Dei; & gratia habitualis, vt ſit forma denominans ſubiectum, adoptiuum Dei filium, deſiderat, quòd in eo ſit carentia vnionis hypoſtaticæ, tanquam conditio ſine qua non, prædictæ denominationis. Et ſicut carentia vnionis huius aquæ cum illa, eſt conditio, vt hæc aqua ſit ſuppoſitum, & tandem, ſicut plures docent, terminus exiſtens eſt conditio, vt fundamentum ſit, & dicatur relatio prædicamentalis, & ſe ipſum relatum prædicamentaliter denominet.

86. Relictis argumentis, quibus Complutenſes aliqui ſententiam iſtam impetere ſunt ſoliti, exiſtimo hanc nullo modo eſſe aliter impugnandam, ac ſententiam Durandi impugnatam videmus, cùm in re ab illa minimè diſſidere videatur. Verùm quia varietas hæc opinionum in explicationem dogmatum Fidei eſt deſtinata, libuit præſentem examini ſubiicere, & ſic contra illam ex Fidei ſanctionibus arguere. Si ſubſiſtentia creata eſſet idem, ac ſubſtantia. Ergo vbi hæc erit, & illa etiam. Hoc eſſe falſum noſtrum myſterium euulgat. Eſt enim ſubſtantia Chriſti ſine ſubſiſtentia. Ergo hæc non eſt idem cum illa. Quapropter Epheſinum definiuit contra Neſtorium, Chriſtum vt hominem non eſſe Perſonam creatam, Ergo in Chriſto non eſt creata ſubſiſtentia: atqui in Chriſto eſt ſubſtantia. Ergo hæc in quauis ſuâ ſubſtantia propria differt. Probo conſequentiam. Siquidem Epiphanius *in ſeptima Synodo, ſeſſ. 6. t. 5. circa finem* habet hæc: *Ideo hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quam vt oſtendant naturam, & hypoſtaſim idem eſſe. Quę ſanè inter ſe differre veri Eccleſiæ catholicæ alumni cognoſcunt,* Idem docet *Damaſcenus lib. 3. de Fide, c. 3.*

87. Reſpondebis ſupponens, quòd quando entitas, vt formaliter realiter ſit talis, indiget conditione ſeparabili, iſta abſente, entitas non eſt talis formaliter poſitiuè à parte rei, vt demonſtrant exempla, quæ in explicatione huius dicendi modi attulimus *num.* 85. Vnde licèt ſubſtantia, & ſubſiſtentia ſint idem realiter ſecundùm id, quod dicit ſubſiſtentia in recto, non tamen ſecundùm carentias, quas dicit in obliquo tanquam conditionem; ideo in Chriſto eſt ſubſtantia creata realiter, & non ſubſiſtentia; quia vt ſit ſubſiſtentia requiritur carentia vnionis cum verbo tanquam conditio, & hoc ſufficit, vt cum Conciliis, & Patribus ſeparari dicatur natura, & hypoſtaſis creata in Chriſto, non quòd hypoſtaſis ſit aliquid poſitiuum diſtinctum à natura, ſed quia in Chriſto eſt natura creata, quæ non eſt hypoſtaſis creata, propter defectum conditionis, ſicut, in communi ſententia, filiatio adoptiua non eſt quid poſitiuè diſtinctum à gratia habituali Chriſti, & tamen eſt in Chriſto habitualis gratia licèt non ſit adoptiua filiatio ob defectum vnionis, vt latiſſimè *tractat. de ſpectantibus ad animam Chriſti expendemus, diſp. 4.*

Sed replicabis Concilia ſtatuunt Verbum realiter aſſumpſiſſe naturam, & non Perſonam humanam. Ergo vnum e duobus ſequitur, vel ſubſiſtentia eſt poſitiuè quid à natura diſtinctum; vel ex hac ſolutione ſequitur admirabilis illa contradictio, quam fundat identificatum ex natura diuina & ſubſiſtentia Verbi; quod eſſe falſum, de ſe patere videtur. Probo ſequelam, nam eo ipſo quòd ſubſiſtentia creata, & creata ſubſtantia poſitiuè non diſtinguantur, de identificato illo verificarentur. *Hoc identificatum, vt natura, eſt realiter aſſumptum à verbo;* necnon, *hoc idem identificatum, vt ſubſiſtentia creata, à verbo non eſt aſſumptum.* 88.
At hæc propoſitionum contradictio eſt ſimilis ei, quæ in aliis propoſitionibus de naturæ & diuini Verbi identificato verificantur. Ergo ſi Concilia non intelligantur de diſtinctione poſitiua ſubſiſtentiæ creatæ à natura, ſequitur de tali identificato verificari poſſe, eamdem mirandam propoſitionum contradictionem, quæ de identificato Verbi & naturæ diuinæ effertur. Maior admittitur, cùm ſit Conciliorum loquutio: minor probatur. Nam de identificato naturæ & diuini Verbi, verificatur hæc propoſitio: *Identificatum illud, vt natura, non aſſumpſit humanitatem; bene tamen illam aſſumpſit, vt ſubſiſtentia,* Sed huic contradictioni correſpondet, ex parte termini, alia quaſi paſſiua contradictio in identificato naturæ creatæ & ſubſiſtentiæ, cùm de illo ſit verum dicere, *hoc identificatum, vt natura, eſt aſſumptum à Verbo, non verò eſt aſſumptum, vt hypoſtaſis.* Ergo hæc propoſitionum contradictio ſimilis eſt ei, quæ in aliis propoſitionibus verificatis de identificato Verbi & naturæ diuinæ inuenitur: imo eſt etiam ſimilis alteri, quæ in diuina Trinitate reperitur, vbi dicitur de identificato naturæ & Paternitatis, *hoc identificatum, vt natura, realiter communicatur Verbo, non tamen illud idem identificatum, vt Paternitas, Verbo communicatur.* Ne igitur mirabilia multiplicemus ſine neceſſitate quæ nos cogat, interpretanda ſunt Concilia de diſtinctione poſitiua ſubſiſtentiæ creatæ, quam à Verbo non eſſe aſſumptam docent, ab ipſa humanitate, de qua eſſe ab illo aſſumptam monent.

Reſpondebis fortaſſe, quòd licèt natura creata poſitiuè non differat à creata ſubſiſtentia, adhuc de illo identificato mirabilis illa contradictio, quæ ſimilis ſit illis, quæ in myſteriis reperitur, minimè verificaretur: quia licèt natura & ſubſiſtentia creata realiter ſit idem, & natura realiter aſſumatur, minimè verò ſubſiſtentia, 89.
nulla

nulla inuenitur contradictio, quia deficit conditio vt ſit ſubſiſtentia, & non deficit conditio, vt ſit natura; ſi enim conditio, vt eſſet ſubſiſtentia non deficeret, eſſet mirandum ſimile myſteriis; nam ideo in diuinis veneramur prodigium illud, quia ibidem eſt conditio, vt idem ſit natura, & Perſonalitas Verbi, & hoc non obſtante, aſſumit humanitatem, vt Perſonalitas, non tamen vt eſt natura: at in rebus creatis hæc non reperitur contradictio, quia non eſt manentibus eiſdem ſecundùm eaſdem cõditiones.

90. Sed replicabis, nam ſolutio hæc Durandi placitum reſpuens, neceſſariò debet admittere, illam carentiam actualis vel aptitudinalis dependentiæ, eſſe puram conditionem reſpectu ſubſiſtentiæ. Atque adeo rectum, à quo formaliter ſubſiſtentia eſt, debet eſſe poſitiuum naturæ, vt admittit ſententia hæc *num.* 85. Ergo hæc eſt vera propoſitio; in humanitate aſſumpta eſt ipſa ſubſiſtentia, quoad id quod ſubſiſtentia dicit in recto. Ergo re ipſa, vel ſubſiſtentia ſimul cum humanitate aſſumitur, vel poſitiuè ab illa diſtinguitur. Vel tandem nouum prodigium colendum in hac ſolutione proponitur. Omnia hæc illata vna vice probo, nam licèt rectum ſubſiſtentiæ, denominationem illam, quæ dependet ab illa carentia, tanquam à conditione, humanitati non præſtet ſine illa; tamen non poterit non dare aliam denominationem prouenientem ab eo, quod dicit in recto ipſa ſubſiſtentia etiamſi talis conditio non ſit. At humanitas eſt identificata cum eo, quod eſt rectum ſubſiſtentiæ, etiam dum illa carentia non eſt. Ergo etiam dum hæc non eſt, illi aliquam denominationem præſtabit, quæ ad lineam ſubſiſtendi pertineat. Probo conſequentiam, cætera patent; nam eo modo, & ſub ea ratione poteſt forma ſubiectum denominare, quo, & ſub qua illi annectitur, vel identificatur. At in ſententia iſta, propria perſonalitas perſeuerat, identificata cum humanitate Chriſti, ſecundùm totum poſitiuum eſſentiale, & quidditatiuum, quod eſt rectum ipſum illius, Ergo ſecundùm totum eſſe poſitiuum & eſſentiale poterit humanitatem denominare, tametſi illi non det denominationem, ſecundùm negationem, tanquam conditionem à Perſonalitate importatam de connotato.

91. Reſpondebis denominationem, ad lineam ſubſiſtentiæ ſpectantem, illud rectum minimè ſe ſolo humanitati communicaturum; quia illa carentia eſt conditio ſine qua non, qua deficiente manet rectum, potens denominare ſubiectum ſubſiſtens ſub conditione exiſtentiæ illius conditionis. Sicut in ſententia communi, filiatio adoptiua in Chriſto non eſt, quamuis totum rectum illius, nempe habitualis gratia in illo exiſtat, non ob aliam rationem, niſi quia filiatio adoptiua prouenit tamquam à forma, ab ipſa gratia, ſub conditione exiſtentiæ alicuius conditionis, nempe carentiæ vnionis hypoſtaticæ; quæ cùm in Chriſto non ſit, non manet filij adoptiui denominatio: licèt ſit totum id, quod dicit in recto ipſa filiatio adoptiua.

92. Sed replicabis, & inſtauro idem argumentum; Per te tota forma, nempe rectum Perſonalitatis creatæ, manet identificata cum humanitate, vt vnita verbo. Ergo ea ratione, qua illi identificatur, præſtare debet ſuum effectum formalem. Conſequentia patet, quia effectus formalis formæ, eſt ipſa forma vnita ſubiecto, vel cum illo identificata. Ergo implicat formam aliquam eſſe identificatam cum ſubiecto & illi ſuum effectum formalem non communicare, ſicut implicat eſſe illi communicatam, & illi minimè eſſe exhibitam. Nihil enim ampliùs ad effectum formalem deſideratur, quàm communicatio & exhibitio formæ. Et potiſſimùm quando in forma non aſſignatur duplex formalis effectus, vnus primarius, & alius ſecundarius; quando enim inter effectus iſtos eſt hoc diſcrimen, bene compatitur, formam integram eſſe in ſubiecto, ſiue per inhærentiam, ſiue per identitatem, quin effectum ſecundarium præſtet illi, ob defectum conditionis alicuius, vt videre eſt in gratia habituali, quæ eo ipſo, quòd intrinſecè recepta in anima Chriſti, ſuum primarium effectum, nempe illam gratam conſtituere communicat ipſi, non tamen facit Chriſtum filium adoptiuum, quia iſte effectus ſecundarius, petit carentiam vnionis, vt ſubſiſtat. Vnde hoc eſt diſcrimen inter primarium & ſecundarium effectum formalem; quòd ille vt ſit, ſolam entitatem formæ communicatam ſubiecto deſideret, independenter ab alio: quia ille non eſt diſtinctus ab ipſa, vt ſubiecto exhibita; atque adeo ſi forma vt ſit in ſubiecto, aliquo à ſe diſtincto non eget, vt eius formalis primarius effectus in tali ſubiecto perſiſtat, minimè ab alio diſtincto à forma dependebit. Ergo exemplum ex gratia habituali deſumptum nihil iuuat, cùm in illa multiplicentur effectus formales, & in Chriſto, verè deſignetur effectus ab illa, illi præſtitus; at in ſententia identificante humanitatem cum ſubſiſtentia, non eſt deſignabilis effectus, qui correſpondeat recto, prædicto prędicato ſubſiſtentiæ, vt talis, quod eſt ſignum minimè cum illa identificari; cùm non ſtet, formam identificatam eſſe ſecundùm aliquam rationem cum ſubiecto, & ei non communicare ſecundùm eandem rationem, ſuum vnicum primarium effectum formalem.

Præterea aliud veſtigium diſcriminis inuenio, inter gratiam habitualem, vt Chriſto non communicet filiationem adoptiuam; quod minimè reperitur in iſto recto ſubſiſtentiæ cum humanitate identificato. Etenim filiatio adoptiua, non vtcunque petit carentiam vnionis, ſed vt ingredientem gradum eſſentialem ipſius adoptiuæ filiationis, nam vt citato loco expendam, Filiatio adoptiua eſt aſſumptio, ſeu adoptatio naturæ extraneæ adoptanti. Ergo carentia vnionis ad naturam propriam connotatur, tanquam aliquid eſſentiale filiationis adoptiuæ. Quid ergò mirandum, quòd hæc Chriſto minimè communicetur, cùm ei deficiat ne dum pura conditio, ſed aliquid partialiter, intrans, ſaltem de connotato in eſſentiam prædictæ filiationis adoptiuæ. At in ſententia iſtorum, tota eſſentia ſubſiſtentiæ ſaluatur, ſine carentia dependentiæ ab alieno ſuppoſito, quam ſolùm reſpicit vt puram conditionem. Ergo ſi ſine iſta intelligitur humanitas Chriſti, vt vnita verbo, identificata cum tota eſſentia ſubſiſtentiæ creatæ nihil deerit vt ab ea ſubſiſtens denominetur 93.

Præ

94. Præterea, quia conceſſo carentiam illam expectandam fore, vt aliqua natura denominetur ſubſiſtens, tamen in ſententia iſtorum, totum id, quod ſpectat ad eſſentiam ſubſiſtentiæ, cum humanitate Chriſti, adhuc Verbo vnita, eſt identificatum. Ergo hæc erit vera propoſitio, Verbum aſſumens humanitatem, etiam aſſumpſit realiter totum id, quod ſpectat ad eſſentiam ſubſiſtentiæ. Ergo hæc etiam erit vera. Verbum aſſumens humanitatem, etiam aſſumpſit ſubſiſtentiam. Patet hæc: ideo eſt vera: Deus aſſumpſit humanitatem, quia aſſumpſit totam eſſentiam humanitatis. Nec alius eſt modus aſſumendi aliquid, quàm eius totam eſſentiam aſſumere. Niſi velis aliud portentum in Scholas inducere, dum totam eſſentiam rei aſſumptam realiter profitens, ipſam tamen rem, non aſſumptam prædicas. Si enim aſſeras eſſentiam ſubſiſtentiæ non eſſe aſſumptam, quamuis cum humanitate identificatam, iam recidis in myſterium ſimile his, quæ citauimus ex materia de Trinitate & de noſtro, *num.* 90. Si dicas eſſentiam ſubſiſtentiæ ſicut & humanitatē fuiſſe aſſumptam à Verbo, non tamen ipſam ſubſiſtentiam, conuinceris eâdem notâ inuentoris myſterij non minùs colendi, ac cæterorum à Fide ſancitorum. Si propter hæc aſſeras, Verbum abſolutè non aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam, ſed ſolùm cum addito, ſcilicet ſecundùm id, quod ſubſiſtentia dicit in recto, adhuc myſterium non vitas. Siquidem de identificato illo verificaretur eſſe aſſumptum ſimpliciter vt natura; non tamen ſimpliciter & abſolutè vt ſubſiſtentia, quæ contradictionem inuoluunt.

95. Tandem, Concilia & Patres ſeriam huic propoſitioni diffinitionem indiderunt, & tamquam de fide ſuſtinendam ſanciuerunt, videlicet Verbum aſſumpſit naturam, & non Perſonam humanam. Sed ſi Perſona humana non adderet ſupra naturam, formam poſitiuam diſtinctam, ſed carentiam dependentiæ, illa propoſitio eſſet vana, & illuſoria. Ergo, &c. Probo minorem, nam ſenſus illius propoſitionis eſſet, Verbum vniuit ſibi humanitatem, non relinquendo illam non vnitam; At ſic eſt vana propoſitio illa. Ergo, &c. Probo maiorem, nam Perſona humana eſt natura non vnita, per te, cum alio ſuppoſito. Ergo aſſumere, vel vnire naturam, & non Perſonam, erit vnire ſibi naturam, non relinquendo illam non vnitam, quod ita ridiculum eſt, ac dicere, vnitum cum Verbo, non eſſe ſeparatum.

96. Reſpondebis, negando fieri illuſoriam definitionem illam, nam propoſitio ridicula negat in ſecunda parte, quod per primam exprimit iuxta communem modum intelligendi, & loquendi, vt qui habet librum non caret illo. Quæ vero in ſecunda parte negat, quàm non exprimit in Prima, iuxta communem modum loquendi, non eſt ridicula; licèt, quod in ſecunda parte negatur, non diſtinguatur ab eo, quòd affirmatur in prima parte, niſi per aliquam conditionem additam illi. Sit exemplum: Hoc iudicium abſolutum Dei. *Petrus currit*, eſt ipſa ſubſtantia Dei, deſiderat tamen tamquam conditionem ipſum currentem. Iam ſi Petrus nunquam curreret, Hæc propoſitio eſſet ſeria, & Catholica, licet Petrus non currat: *Subſtantia Dei ſemper exiſtit, non tamen hoc iudicium abſolutum Dei, Petrus currit*, quia deeſt conditio, nempe Petrus currens. Ita propoſitio hæc Concilij eſt ſeria, nempe Verbum aſſumpſit naturam, & non Perſonam, tametſi Perſona ſupra naturam non addat, niſi ſolùm carentiam dependentiæ à ſuppoſito, quia in prima parte non exprimitur, quod negatur in ſecunda, iuxta communem modum intelligendi, nam plurimi Catholici putant, Perſonam ſupra naturam addere aliquid poſitiuum; Hæretici putabant, non poſſe eſſe naturam creatam, quin eſſet Perſona creata. Quare licèt conſtaret ante Concilium Epheſinum, Verbum aſſumpſiſſe naturam, non tamen conſtabat omnibus, non aſſumpſiſſe Perſonam creatam, quia non omnes noſtram opinionem defendebant, ideo Concilium ſerio definiuit Verbum aſſumpſiſſe naturam, non verò Perſonam.

Sed replicabis, ſolutionem iſtam non ſubſiſtere ex duplici capite, & ex eo, quòd verè non ſaluat inconueniens illatum, & in aliud incidit. Primum, quia vel Patres Concilij ſibi ſuadebant ſubſiſtentiam non addere ſupra naturam, niſi ſolam carentiam, vel admittebant addere aliquid poſitiuum. Hoc negabis, & conſequenter; Ergo primum. Ergo neceſſariò in prima parte exprimitur, quod in ſecunda parte definitionis negatur quoad modum loquendi illis communem ad minus; Etenim ideo quia apud me eſt idem, habere librum, ac illo carere, ſi dicerem, habeo librum, quia illo non careo, illuſoriam propoſitionem efformarem. Ita ſi Patres Concilij exiſtimarent idem eſſe Perſonam, ac naturam cum carentia dependentiæ ab alieno ſuppoſito, dum decernunt Verbum aſſumpſiſſe naturam, non verè Perſonam, idem apud illos eſſet, ac ſi dicerent, Verbum ſibi vniuiſſe naturam, illam ſibi non vnitam minimè relinquendo. Ergo propoſitionem efformarent, quæ quantùm eſt ex ſe, illuſoria extitiſſet, nedum quoad ipſos Patres, ſed quoad reliquos Catholicos, à quibus redargui poterant. 97.

Ex alio capite deficit hæc ſolutio; & inſtauratis rationibus ſuprà factis hæc accreſcit ex ipſa ſolutione ponderatio. Ergo hæc eſt vera propoſitio, in humanitate adhuc vnita verbo, manet realiter ſubſiſtentia creata, quoad ſuam intrinſecam entitatem, licèt denominatio deficiat, quia deficit illi conditio illa carentiæ, à qua prouenit, tanquam ab extrinſeca conditione. Probo conſequentiam, & vtor exemplo, quo Authores iſti vtuntur in comprobationem ſuam. Quia hoc iudicium abſolutum Dei: *Petrus currit*, eſt ipſa ſubſtantia Dei quoad ſuam entitatem, & ſolùm deſiderat tanquam conditionem ipſum Petrum currentem, iam ſi Petrus non curreret, Hæc propoſitio eſſet ſeria, & Catholica; licèt Petrus non currat. *Subſtantia Dei ſemper exiſtit*, non tamen hoc iudicium abſolutum Dei, *Petrus currit*, quia deeſt conditio eius, nempe Petrus currens. Hæc eſt doctrina ſolutionis, Nunc Peto ab Authoribus iſtis, quando aſſerunt, quòd non currente Petro, deficit iudicium Dei, nempe *Petrus currit*, vel defendunt, iudicium illud deficere 98.

quoad

quoad ſuam intrinſecam entitatem, vel ſolùm deficere quoad denominationem. Si Primum in hæreſim barbaram reciderent, quod à tantis viris aliàs doctiſſimis, ex Fide indefectibilitatem Dei colentibus, alienum debere eſſe, ſit compertum. Ergo ſolùm catholicè ſunt defecſuri iudicium illud Dei, ſolùm quoad denominationem defecturum, deficiente conditione curſus, ſemper tamen perſeuerante, in Deo, illo iudicio quoad ſuam entitatem. Ergo ſimiliter de humanitate Chriſti ſemel etiam vnita, verificabitur habere realiter veram & propriam entitatem ſubſiſtentiæ, quamuis denominatio illi deficiat, quia cùm ſupponatur vnita, deficit illi carentia vnionis ad alienum ſuppoſitum, quam vt conditionem illa denominatio deſiderabat. Ecce aliud myſterium, quod doctrina iſtorum Doctorum ſine obice excurrit. Et mirandum & ſemper inextricabile portentum, quod humana mens in actibus liberis peruadere valuit nunquam, iam quaſi manibus contrectatum dicta ſolutio præſentat.

99. Præterea ex ſententia iſta ſic à ſuis explicata ſequitur, Verbum non potuiſſe vicem ſubſiſtentiæ creatæ ſupplere in partibus ſeparatis. Siquidem hoc eſt certum apud Authores cum quibus eſt contentio, partes totius non eſſe capaces propriæ ſubſiſtentiæ, & dant rationem, quia illud capax eſt propriæ ſubſiſtentiæ, quod capax fuerit duplicis negationis dependentiæ, actualis ſcilicet aptitudinalis, vt *num.* 85. ex illis vidimus, Partes enim, illius duplicis negationis capaces non ſunt, ſiquidem illis repugnat aptitudinalis dependentiæ negatio; nam etiam vt ſeparatæ, conuenit illis aptitudinalis dependentia viciſſim ab alterutra, & à toto. Ergo ſicut dum ſeparatæ ſunt, ſubſiſtere nequeunt, ita nec ſubſiſtere per Verbum poterunt. Probo conſequentiam; nam Verbum etſi parti vnitum, ab illa ſicut non tollit eſſe partem, ita ab illa non demit aptitudinalem illam dependentiam, quàm habet ex eo quia pars eſt, ergo illam ſubſiſtentem non reddet, tametſi illam ſibi vniat, quoniam aptitudinalis illa dependentia, quam illa pars vnita retineret, ſubſiſtentiæ effectum præpediret.

Sectio VI.

Subſiſtentia creata, nec eſt ipſa natura, connotans concurſum effectiuum adæquatum, ſibi debitum naturaliter.

100. NEc defuit qui ſententiam Durandi, & Scoti, aliâ viâ ductus, illuſtrandam ſuſceperit: aſſerit igitur modus iſte, ſuppoſitum nihil addere poſitiuum intrinſecum ipſi naturæ, ſed tantummodò connotare concurſum effectiuum adæquatum ſibi naturaliter debitum, vi cuius dicitur exiſtere per ſe, & in ſe, abſque omni dependentia ab omni ſubiecto, & termino intrinſeco: Itaque Deus hîc & nunc rem aliquam conſeruans, id exequitur mediante concurſu connaturali ipſi rei. Si verò hunc concurſum relinqueret, & loco illius alium poneret debiliorem & minùs efficacem, ſicut poteſt ſuâ abſolutâ potentiâ, quo eamdem rem conſeruaret, tunc illa res connotando concurſum illum primum Dei, diceretur ſubſiſtens per ſe, & in ſe, connotando verò alterum concurſum, ſupplentem primum, diceretur in alio ſuppoſito exiſtere: atque adeo humanitas Chriſti ſine accremento alicuius intrinſeci, diceretur ſubſiſtens in ſe, ſi actione & concurſu Dei, quem naturaliter ex ſe poſtulabat, conſeruaretur, & produceretur; quia verò per talem concurſum producta non fuit, ſed alium minùs naturalem, imò & prorſus ſibi indebitum in ſui productione connotauit, ideo in ſuppoſito Verbi, & non in ſe exiſtere, eſt certum.

101. Rem hanc, iſtud exemplum oſtendit deſumptum, ex myſterio Euchariſtiæ. Certum eſt apud Theologos, quantitatem Euchariſticam, efficaciori concurſu extra ſubiectum, quam in ſubiecto conſeruari. Nunc paritatem hanc formant; ſicut ergo prædicta quantitas vi concurſus præſtantioris & robuſtioris, ſibi valdè indebiti conſeruatur in ſe, & per ſe independens ab omni ſubiecto, & eadem quantitas ſolâ mutatione factâ, in concurſu conſeruante illam, nempe mutato concurſu illo efficaciori, in concurſum minùs efficacem & ſibi debitum naturaliter, tranſit de non dependenti à ſubiecto ad eſſe dependens ab illo. Ita ſimiliter è contrà humana natura, ſi concurſu ſibi naturaliter debitò conſeruatur, exiſtit per ſe, & in ſe, independenter ab alieno ſuppoſito: & eadem natura ſolâ mutatione factâ in concurſu illam conſeruante, nempe mutato concurſu illo, in alterum minùs efficacem ſibi indebitum, tranſire poteſt, ab independenti ab alieno ſuppoſito, ad eſſe dependens ab illo, atque adeo vt poſſit à verbo aſſumi, ita vt in tali tranſitu nullam intrinſecam mutationem talis natura patiatur per amiſſionem alicuius poſitiui.

102. Hæc ſententia licet ingenioſè & nouiter aſtructa, Recentioribus nunquam arriſit; variè varij in illam inſurgunt, ſed non æquè efficaciter. Arguunt igitur primò, ſupponendo Authores huius dicendi modi defendere, quòd vt natura humana hîc & nunc in verbo ſubſiſtat, debuit produci per actionem dependentem à verbo, & iure id fatentur, cùm inintelligibile ſit, quòd per eam actionem natura ſubſiſtere in verbo dicatur, per quam independenter a verbo producatur adæquatè, ſicut inintelligibile eſt, quòd accidens dependens fiat, à ſubiecto per eam actionem, vi cuius independens à ſubiecto cauſatur. Et ratio à priori iſtorum eſt deſumpta ex natura cuiuſque actionis, nam hæc eſſentialiter conſiſtit in actuali dependentia, vel independentia ab aliquo ſubiecto, vel termino; at inintelligibile eſt, vt actio, quæ eſt actualis independentia à ſuppoſito, tranſeat ad eſſe actualem dependentiam ab illo, quia per prædictum tranſitum natura talis actionis neceſſariò eſſentialiter mutanda eſt: atque adeo actio quæ ſemel eſt dependentia ab alio, ſiue ſuppoſito, ſiue ſubiecto, aut tandem ſiue termino, nequit ſeipſa eſſe independentia ab illis, nec è contrà. Hoc ſuppoſito.

Sic

103 Sic arguunt in iſtum dicendi modum. Hæc propoſitio eſt vera: vt ſubſiſtat humanitas in Verbo, debuit produci media actione depẽdente ab illo. At hoc implicat. Ergo in hac ſententia non ſaluatur humanitatem ſubſiſtere in Verbo. Maior patet ex numero antecedenti. Minorem probant; humanitas ex natura ſua eſt ab alieno ſuppoſito independens. Ergo implicat fieri per actionem à Verbo dependentem. Antecedens patet, nam vnaquæque natura ex natura ſua petit ſubſiſtere in proprio ſuppoſito, atque petit ab alieno ſuppoſito non dependere, aliàs non eſſet ſupra naturã humanitatis hic & nunc à verbo dependere. Nunc probo conſequentiã: etenim quod ex natura ſua eſt ab alieno ſuppoſito independens, repugnat fieri vt ab illo dependeat. Ergo ſi humanitas ex natura ſua eſt ab alieno ſuppoſito independens, repugnabit fieri per actionem, quia à Verbo dependeat. Antecedens patet, nam quidquid naturæ conuenit ex natura ſua, competit illi per intrinſecam entitatem; atque adeo ſi ex natura ſua, humanitati cõpetit independentia ab alieno ſuppoſito, hæc independentia illi per intrinſecam entitatem conueniet. Ex quo fit, implicare, quòd per eamdem intrinſecam entitatem dependens fiat, aliàs duplex contradictorium competeret eidem rei, ſecundùm ſuam intrinſecam entitatem; Ergo humanitati, aliàs ex natura ſua ab alieno ſuppoſito independenti, repugnabit fieri per actionem, quæ à Verbo ſit dependens. At hoc deſideratur in hoc dicendi modo, vt humanitas ſubſiſtat in Verbo. Ergo cum hoc non ſaluet, nec ſaluabit, humanitatem ſubſiſtere in Verbo.

104. Confirmant hoc ipſum exemplo animæ rationalis; nam hæc cauſalis eſt vera propoſitio; implicat, animam rationalem fieri per actionem, quæ à materia dependeat, quia anima ex natura ſua & ſecundùm ſua intrinſeca prædicata, eſt independens ab illa. Ergo hæc cauſalis etiam debet eſſe vera: implicat humanitatem fieri media actione, quæ dependeat à Verbo, quia humanitas ex natura ſua & ſecundùm ſua ſibi intrinſeca, petit independentiam ab alieno ſuppoſito.

105. Licèt ratio hæc, ſua probabilitate non careat, efficax tamen non eſt, quia illi ſatisfacere poteſt aduerſarius ſic: diſtinguendo duplicem independentiam, actualem vnam, aptitudinalem aliam; ſicut dicitur eſſe duplicem à ſubiecto dependentiam, alteram actualem & aptitudinalem alteram. Quo ſuppoſito dici poteſt, humanitatem ex natura ſua minimè petere independentiam actualem ab alieno ſuppoſito, ſed ſolùm independentiam aptitudinalem ab illo, non aliter, (vt conſequenter ad accidentis naturam, quà vtitur explicatio iſtius ſententiæ, diſcurſus fiat ſimilis) ac accidenti non conuenit ex natura ſua actualis dependentia à ſubiecto, ſed ſolùm aptitudinalis, & ſicut verificatur de illo hîc & nunc à ſubiecto non dependere, vt patet in quantitate Euchariſtica, quod aptitudinaliter ab illo dependeat; ita è contrà ſaluatur, quòd licèt humanitas hîc & nunc à Verbo dependeat, retineat in ſe aptitudinalem independentiam ab alieno ſuppoſito, quam ſecundùm ſuam intrinſecam entitatem depoſcit. Quod ſuadet ſimilis ratio vtrobique reperta; nam ideò accidens Euchariſtiæ retinet aptitudinalem dependentiam à ſubiecto, ſibi debitam naturaliter, quando actualiter miraculosè à ſubiecto non dependet, quia, vt ſic independens, capacitatem habet, vt terminare poſſit actionem, quà produceretur à ſubiecto dependens. At humanitas hîc & nunc dependens à verbo, capacitatem habet vt poſſet fieri per actionem ſibi connaturalem, qua non dependeret à ſuppoſito alieno, ſed ſolùm à proprio dependeret. Ergo cùm hoc, quod eſt humanitatem actualiter à Verbo dependere, ſtabit, illam habituram independentiam aptitudinalem ab illo. Et ſicut in accidenti vincitur cõtradictio illa, nempe quòd dependeat, & quòd non dependeat à ſubiecto, quia de illo iſta non verificantur ſecundùm vnam rationem, ſed ſecundùm diuerſa connotata, nempe quòd dependeat deſignãdo actionem, quà poſſit fieri dependens, & quòd non dependeat deſignata actione, quà independens à ſubiecto fiat: ita illa argumenti contradictio, nempe quòd humanitas dependeat, & quòd non dependeat, pariter ſuperari poterit, nam dependet actualiter à Verbo, connotata actione, quà hîc & nunc producta eſt vt dependens à Verbo, & quòd aptitudinaliter à Verbo non dependeat, deſignando actionem poſſibilem, quà independens ab alieno ſuppoſito fieret, & ſolùm dependens à proprio. Et licèt concedatur humanitati duplex quaſi aptitudo, vna ad dependendum à ſuppoſito alieno, cùm hîc & nunc ab illo dependeat, quidquid enim actu habetur, ſupponit in poſſidente aptitudinem ad illud habendum. Altera ad non dependendum ab illo, adhuc in his nulla præſignatur contradictio: quia hæc eſt aptitudo naturalis & poſitiua; altera eſt obediẽtialis, & per non repugnantiã: Quæ nullo modo ſibi in eadem re contradicunt, vt in ipſo accidente inuenitur, & in aliis rebus: vt in frigore ad calefaciendum, & frigefaciendum, in lapide eſt aptitudo duplex ad duos contrarios motus. 106.

Confirmationi *n.* 104. poſitæ poteſt fieri ſatis, negatà cõſequentiã; ratio diſcriminis eſt deſumpta ex proprio genio actionis eductiuæ & aſſumptiuæ. Etenim hæc ſolùm petit in termino, nempe in natura aſſumenda, aptitudinẽ, vt poſſit per alium terminum compleri. Hoc minimè opponitur cum prædicatis naturæ, etiamſi ſpiritualis ſit, vt patet in angelica natura, quæ ſpiritualis eſt, & à propria ſubſiſtentia, quæ eſt terminus illi additus, intrinſecè completur; atque adeo, quantùm eſt ex ſe, nullam repugnantiam habet cum actione aſſumptiua ad aliud ſuppoſitum, quod ſit eius complementum. At actio eductiua, repugnantiam habet cum termino illo, qui ex natura ſua eſt creabilis, ratio, nam certum eſt apud ſanctiſſ. Doct. & eius diſcipulos, eductiuam actionem eſſentialiter exigere terminum, cui, dependere à materia, minimè repugnet. Conſtans eſt, animæ rationali vtpotè ſpirituali repugnare eſſentialiter à ſubiecto dependere; ergo eidem repugnabit à materia dependere; atque adeo educi, quod petit terminum à ſubiecto dependentem cauſare.

Lugus *hic diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 15. Sic modũ iſtum impugnat; quia ſi humanitas, v.g. terminãs concurſum illum Dei efficaciorem ſibi debitum, eſt ſuppoſitum, & homo. Ergo ille concurſus, ſeu 107.

actio

actio illa Dei exhibita ex debito, & exigentia humanitatis,intrat ad componendum ſuppoſitum humanum, in ratione ſuppoſiti; quia abſque illa actione non denominatur ſuppoſitum, manentibus omnibus aliis,& illa actione poſita, denominatur ſuppoſitum. Ergo ſuppoſitum, vt ſuppoſitum,includit aliud,præter entitatem humanitatis, nempe illam actionem debitam humanitati.Hoc autem eſt abſurdum,quia homo, vt homo, eſt adæquatè ſubſtantia; illa autem actio iuxta veriorem ſententiam eſt accidens de prædicamento actionis. Ergo.

108. Nec refert,ſi reſpondeas, actionem illam accidens non eſſe, ſed modum ſubſtantialem, ſiquidem replicat Lugus ibidem.Ergo iam ponis modum aliquem poſitiuum intrinſecum, quo ſubſiſtat humanitas, & ſolùm in hoc erit differentia,quòd tu ponas eumdem modum poſitiuum, eſſe influxum ſeu actionem, & ſubſiſtentiam,ſed reuera ille modus præſtabit idem munus,quod præſtat modus ſubſiſtentiæ politiuæ, quem alij ponunt, quia per illum redditur natura incommunicabilis, & independens, &c. & per illum etiam completur natura ſubſtantialiter, quia aliàs natura prout condiſtincta ab illo modo, eſſet ſubſtantia completa; atque ideo non poſſet illa natura vniri ſubſtantialiter ipſi verbo, quia vnitur humanitas ſecundùm totum, quod habet, prout condiſtinguitur ab illo modo actionis.Ergo ſi prout ſic condiſtincta, eſt ſubſtantia completa, non erit vnibilis ſubſtantialiter,quod enim eſt ſubſtantiale completum, nequit ſubſtantialiter vniri cum alia ſubſtantia completa.

109. Reſpondebis, actionem illam non eſſe modum intrinſecum in natura,ſed eſſe voluntatem Dei conſeruandi naturam, pro tali tempore, abſque dependentia à ſubſtantia verbi, quare non ponitur modus intrinſecus, quo natura ſubſiſtit.

110. Sed replicat Lugus num. 16. ſi enim concurſus ille eſt aliquid tenens ſe ex parte Dei. Ergo homo vt ſuppoſitum, & vt homo completus, includit intrinſecè aliquid Dei, probauimus enim, ait Lugus, ſuppoſitum debere includere intrinſecè illam actionem Dei, debitam humanitati. Si ergo illa actio non eſt modus intrinſecus termino, ſed volitio increata Dei, conſequens fit,quòd illa volitio ſit de ratione intrinſeca hominis, componens compoſitum humanum, in ratione ſuppoſiti humani, quod eſt multò abſurdius. Ergo modus iſte non eſt tenendus.

111. Verùm nec iſta ratio efficaciter impugnat modum iſtum. Siquidem concedi poteſt primum entimema, nec non & ſecundam conſequentiam, admittendo ſuppoſitum vt ſuppoſitum includere aliud præter entitatem humanitatis, nempe actionem illam debitam humanitati. Ad probationem, negare poſſunt id eſſe abſurdum. Ad probationem reſpondebunt, actionem illam eſſe modum ſubſtantialem & nullo modo accidens,quia cùm talis concurſus ordinetur ad ſubſtantiam,ſubſtantialis erit. Ad impugnationem huius, reſpondebunt. Ergo iam ponitur modus aliquis ſubſtantialis poſitiuus intrinſecus, quo natura ſubſiſtat, modus diſtinctus à natura ſolùm,concedent, diſtinctus à natura & ab actione eius productiua, negabunt; vnde tota differentia, dicent prædicti Authores, quæ reperitur in eorum ſententia, & aliis ea, quæ conſtituit modum ſuperadditum,erit, quòd iſti Authores deſignant vnicam entitatem, adeo eminentem, vt ſeipſa ſit influxus, quo humanitas producatur, & ſubſiſtentia, qua vltimò terminetur. At cæteri Authores præter actionem, qua natura fit, multiplicant aliam entitatem modalem, quam appellant ſubſiſtentiam, quaque ipſa natura vltimò compleatur. Vnde hæc ſententia ex qua parte ponit modum ſuperadditum vt ſubſiſtat naturæ, differt à ſententiis Durandi & Scoti, & aliorum, quas, ſuprà, ſectionibus præcedentibus impugnauimus; & ex qua parte vnicum modum actioni & ſubſiſtentiæ æquiualentem defendit, differt à reliquis defendentibus duplicem entitatem poſitiuam, quarum vna ſit actio, & alia ſubſiſtentia.

Secundò impugnat Lugus ibidem num. 17. eumdem dicendi modum, nam ſi rectè explicetur exemplum illud, ex quantitate Euchariſtica petitum, cui innititur, vt vidimus n. 101. ſit, quòd Perſonalitas verbi diuini debeat exercere aliquam cauſalitatem propriam, in humanitatem; nam quantitas in Euchariſtia ideo indiget influxu Dei perfectiori, illam conſeruante, quia deeſt illi influxus materialis cauſæ, à qua priùs accipiebat partialiter ſuum eſſe, qui influxus debet ſuppleri per aliquem influxum verum, quo ab alia cauſa accipiat idem eſſe. Ergo ſi iſte modus dicendi admittit diuerſum concurſum Dei entatiuè, in humanitatem independentem à verbo, conſequens eſt, quòd ſuppleat concurſum verum, quem Perſonalitas verbi præſtaret in illam humanitatem. Quod videtur abſurdum; nam ille non eſſet in genere cauſæ efficientis, Perſonalitates enim diuinæ non habent talem modum influendi; nec eſſet in genere cauſæ materialis, vt conſtat; in quo ergo genere cauſæ verbum influit in humanitatem? in nullo. Ergo ſi natura humana non pendet in aliquo genere cauſæ à verbo non erit neceſſarius diuerſus influxus Dei fortior, quo talis humanitas conſeruetur independenter à verbo, quod eſt contra ſuppoſitionem iſtius ſententiæ. 112.

Sed nec iſte occurſus eſt efficax, quia poteſt aduerſarius facilè reſpondere, admittens ſequelam. Videlicet diuinum verbum aliquam propriam cauſalitatem, in humanitatem exercere. Ad cuius impugnationem concedet, verbi cauſalitatem minimè ſpectare ad genus cauſæ efficientis, nec ad genus cauſæ materialis, aut formalis propriè ſumptarum, ſed ad genus cauſæ terminatiuæ hypoſtaticæ, reductiuè ad genus quaſi cauſæ materialis, aut formalis pertinentis. Nec iſte modus cauſandi deficit à propria ratione cauſalitatis, cùm hæc ſaluetur inter ea, in quorum vno ſaltem dependentiam importat; at humanitas accipit à verbo vltimum complementum eſſendi, ſine quo exiſtere non valet, Ergo in ſuo eſſe verè humanitas dependet à verbo: vnde admiſſâ iſtâ cauſalitate in verbo, quam communiter defendunt Authores, totum argumentum redditur inefficax. 113.

114. Ratio igitur concluſionis in titulo præfixæ, quæ ſimul eſt impugnatio huius dicendi modi, de quo hùc vſque; vt proponatur, aduerto, ſententiam oppoſitam, vt diſſideat ab alia admittente ſubſiſtentiam addere aliquid poſitiuum ſupra naturam; & vt vitet multiplicitatem entitatum, defendere, humanitatem Chriſti per eamdem indiuiſam actionem, qua primò ſecundùm ſuum eſſe naturale producitur, fit à verbo dependens, ita vt non ſit danda duplex actio. Vna, quâ fit, & altera, quâ à verbo dependeat. Sed quòd vnica, & indiuiſa actio vtrique muneri ſatisfaciat. Hoc notato, ſic argumentor. Ex eo, quòd ſuppoſitum conſtituatur per naturam vt connotantem actionem, quâ fiat independens ab alio, ſequitur, quòd ſi fiat per actionem, quâ ab alio dependeat, vt contigit humanitati, talem humanitatem propriâ ſubſiſtentiâ carituram dum primò producitur. Concedent hoc, quia eſt doctrina contraria. Tunc vltra, ſed ex hoc ſequitur maximum inconueniens, nempe actionem illam, quâ primò producta eſt humanitas, ſecum identificare formalitatem naturalis, & formalitatem ſupernaturalis. Ergo ruit iſta ſententia. Probo ſequelam, imprimis actio illa eſſet ſupernaturalis formaliter, probo hoc: res, quæ eſſentialiter exigit exiſtentiam entis ſupernaturalis, formaliter in ſe ſupernaturalis eſt. At ſic ſe habet actio illa. Ergo. Maior ex ſe conſtat, etenim non adeſt accuratius ſignum cognoſcendi aliquam entitatem, ſupernaturalem eſſe, niſi exigentia poſitiua, & connexio phyſica, aut intentionalis illius, cum exiſtentia alicuius entis ſupernaturalis; ſiquidem id, quod in ſe formaliter naturale eſt, omni exigentiâ poſitiuâ, ad ſupernaturalia, orbatur. Nunc minorem probo; Actio hæc exigit poſitiuè exiſtentiam diuini verbi, vt complementi naturæ humanæ, cuius eſt actio. Ergo poſitiuè exigit exiſtentiam alicuius formaliter ſupernaturalis. Conſequentia eſt clara, & æquè conſpicuum eſt antecedens: nam in horum ſententia, actio illa, quâ producitur humanitas, eſt actualis dependentia humanitatis à verbo, ſiquidem, vt aiunt, eſt actio, quâ humanitas dependet à verbo. Sed actualis dependentia à verbo vt compleat humanitatem, eſt poſitiua exigentia verbi, per quam facit, quòd humanitas actualiter dependeat. Ergo actio hæc exigit poſitiuè exiſtentiam verbi. Probo minorem, nam actio illa, per quam humanitas produceretur vt independens à verbo, eſſet productio illius, exigendo poſitiuè propriam perſonalitatem, caſu, quo diſtingueretur ab illa productione. Ergo actio, quâ de facto humanitas producitur vt dependens à verbo, talis productio poſitiuè exigit exiſtentiam verbi, vt illam complentis. Conſequentiam probo (& ſimul antecedens probatum manebit) actio hæc, vt eſt productio humanitatis dependentis à verbo, eſſentialiter eſt actualis communicatio eſſe perſonalis diuini. Sed implicat, eſſentialiter eſſe communicationem alicuius eſſe diuini, quin poſitiua exigentia ſit exiſtentiæ illius eſſe diuini, ergo eo ipſo, quòd talis actio ſit productio humanitatis, vt dependentis à verbo, exiſtentiam huius poſitiuè exigit. Maior ſe ipſam probat. Minor mihi eſt æquè conſtans. Cùm repugnet concipi actualis communicatio alicuius minimè exiſtentis. Ergo repugnat communicatio, quæ ex natura ſua, actu communicet aliquid, taliter, vt illud non poſſit non communicare, quin illud vt exiſtens poſitiuè exigat. At actio hæc, quâ humanitas producitur, vt dependens à verbo, eſt taliter communicatio eſſe hypoſtatici diuini, vt illud non communicare repugnet. Ergo eo ipſo, poſitiuè exigere debet exiſtentiam talis eſſe diuini. Minor patet, nam implicat, actionem illam eſſe productionem humanitatis à verbo, quin ab hoc illa compleatur, vt de ſe patet. Sed compleri humanitatem à verbo, implicat, quin eſſe Perſonale Verbi, illi communicetur, quia hoc eſt, compleri humanitatem à verbo. Ergo actio hæc, quâ humanitas producitur, vt à verbo dependens, eſt taliter communicatio eſſe hypoſtatici diuini, vt illud communicare humanitati, non repugnet. Atque adeo repugnabit illius exiſtentiam non exigere, ergo talis actio eſſet formaliter ſupernaturalis.

Iam quod eadem actio naturalis eſſet, probo facilè, nam iuxta communem regulam, quælibet actio ſuam ſpecificationem ex termino ſibi intrinſeco haurit. At actio hæc reſpicit eſſentialiter hanc humanitatem, quæ eſſentialiter naturalis eſt. Ergo & actio illa naturalis erit. Tunc ſic, ſed ob eamdem rationem eſt ſupernaturalis. Ergo ex ſententia iſta ſequitur dandum eſſe identificatum ex formalitate naturali, & ſupernaturali. Ergo ſuppoſitum creatum non eſt præciſè natura vt connotans actionem, quâ fiat independenter à ſuppoſito alieno. 114.

Non me latet, reſponſionem adhiberi poſſe, & facilè iuxta principia non parum probabilia Authorum defendentium actionem primò humanitatis productiuam; eſſe illius ſimul vnitiuam Verbo, hi enim Authores ægrè non ferunt admittere actionem illam eſſe ſolùm ſupernaturalem, & rationem dant, quare ſimul naturalis non ſit, ſed quia propria huius rei diſcuſſio alium locum occupat, ne ibidem, quæ in eorum replicam occurrunt, ſine neceſſitate iteremus, à replicis ſuperſedeo. 115.

Reſtat reſpondere paritati ex quantitate Euchariſtica acceptitæ, cui innitebatur ſententia iſta, in limine ſectionis, expoſita: diſcrimen igitur eſt, quoniam ex eo, quòd quantitas independenter à ſubiecto per robuſtiorem concurſum conſeruetur, non ſequitur, eamdem actionem eſſe ſimul quoad ſubſtantiam naturalem, & ſupernaturalem; At id ſequi ex eo, quòd humanitas per eamdem actionem quoad ſuum eſſe naturale producatur vt dependens à verbo, vidimus, & latiùs videbimus infrà: Vbi, ſicut nunc, abſurdum eſſe exiſtimamus. 116.

SECTIO

Sectio VII.

Subſiſtentia creatio non eſt productio eiuſdem creatione.

118. Reſolutio hæc, in re, à præcedenti non differt, verùm quia Bernal rem eamdem diſtincto & venuſtiori ſtylo eleuauit, adeo, vt rem aliam à præcedenti, acumine ſuo, & inſtantiarum pondere confixerit, ideo cum illo decreui iterum inire certamen. Igitur P. Bernal *diſp.* 12. *ſect.* 1. defendit, creationem entitatis Michaëlis, eſſe realiter eius ſubſiſtentiam: quod vt explicet, diſtinguit duas creationes, vnam tendentem ad ſubſtantiam ſolam, & appellatur purè creatio, vt productio Angeli. Aliam verò tendentem in ſubſtantiam, & ſimul copulando eam, & hæc eſt creatio ſubſtantiæ, & vnio eiuſdem cum alieno ſuppoſito, cuius eſt exemplum, creatio, humanitatis Chriſti, quæ ſimul eam produxit, & Verbo innexuit: & eamdem creationem explicat in productione accidentis, quæ ſimul eſt eductio illius, & vnio eius in ſubiecto. Inter has creationes hoc ſtatuit diſcrimẽ, quòd prima ſit ſubſiſtentia termini, quem producit, quia reddit illum ab alio indepẽdentem. Secunda verò ob contrariam rationem, ſubſiſtentiæ rationem reſpectu termini, quẽ producit, minimè ſortitur.

119. Sed contra iſtum Authorem poteſt ſic argui primò: In ſententia huius Authoris, vt vidimus, datur creatio, nempe humanitatis Chriſti productio, quæ ſubſiſtentia non eſt. Ergo creatio, & ſubſiſtentia non eſt idem.

120. Reſpondebis ex Bernalio vbi ſupra *ſect.* 2. §. 4. *n.* 81. Creationem Petri ideo ſubſiſtentiam eſſe, non quia vtcumque eſt illius productio, ſed quia talis productio, ipſius nempe Petri independentis à ſuppoſito, creatio verò, quæ in humanitate Chriſti inuenitur, eſt productio illius, vt dependentis ab alieno ſuppoſito; & licèt creatio hæc, ſubſiſtentia non ſit, tamen creatio Petri, & Angeli, & cuiuſque à ſuppoſito independentis, idem erit cum ſubſiſtentia.

121. Sed replicabis primò. Creatio humanitatis Chriſti non eſt vnio cum Verbo. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo: creatio ſaltem eſt ſimul naturâ cum humanitate. Ergo creatio non eſt vnio cum Verbo. Conſequentiam probo. Vnio eſt naturâ poſterior humanitate. Ergo creatio humanitatis non eſt vnio cum Verbo. Antecedens patet, nam vnio humanitatis ſupponit illam exiſtentem. Ergo vnio illius eſt poſterior naturâ, ipſâ. Antecedens patet, vnio humanitatis non vnit eam vt poſſibilem. Ergo vt exiſtentem. Ergo vt vniat, eam exiſtentẽ ſupponit. Ergo creatio humanitatis, quæ ſaltem ſimul eſt naturâ cum illa, nõ eſt eius vnio cum Verbo; aliàs idem eſſet priùs, & poſteriùs naturâ ſeipſo. Sed de hoc vberior erit ſermo in proprio loco.

121. Secundò. Hic Author concedit creationem humanitatis, eſſe realiter identificatam cum vnione illius, cum Verbo. Ergo conceptui creationis obiectiuo non repugnat hypoſtatica vnio; eſt euidens. Nunc pone caſum, quòd creatio humanitatis Chriſti iungatur cum hypoſtatica vnione quæ realiter diſtincta ſit ab illa. In tali caſu talis creatio non eſſet ſubſiſtentia. Ergo falſum eſt, quòd creatio, quæ non eſt vnio cum ſuppoſito, ſubſiſtentia ſit. Caſum quis negabit, cùm hypotheticus ſit, & exinde ſub conditione etiam impoſſibili ſuppoſitus, ad meliùs indaganda prædicata rerum, de quibus inſtituitur diſputatio, vt frequens eſt in Theologia, & Philoſophia hypotheticè plura ſupponi, vt efficaciùs indagetur, an hoc ſit de eſſentia huius, & è contrà. Nunc minorem probo. nam in tali hypotheſi, creatio illa minimè illam naturam realiter compleret, cùm ſupponamus in illa tam naturam, quàm creationem eius vniri cum Verbo, & cum eo vnum per ſe facere. Ergo creatio illa, ſubſiſtentia non eſſet. Antecedens patet, quia ſi talis creatio pro illo priori naturam compleret. Ergo dum pro poſteriori vnitur cum Verbo, minimè ex illis vnum ens per ſe fieret, ſiquidem vnio aduenięns duobus entibus cõmpletis, non eſt vnio per ſe. Ergo ſi pro poſteriori, natura illa per ſe cum Verbo vniretur, antecedenter ad illam vnionem, nihil dabatur, quod talem naturam compleret. At ſupponebatur creatio in prædicta hypotheſi. Ergo in ea talis creatio naturam minimè compleret. Ergo talis creatio minimè eſſet ſubſiſtentia illius naturæ, cùm de ratione eius, quod ſubſiſtentia eſt, ſit eſſe complementum naturæ, cuius ſubſiſtentia nuncupatur, vt cum communi admittit Bernal. Ergo in tali hypotheſi, daretur creatio talis humanitatis diſtincta ab vnione huius, cum Verbo, quæ ſubſiſtentia non eſſet. Ergo creatio adhuc non vnitiua, ſubſiſtentia non eſt.

Secundò ſententia hæc impugnatur; prædicata, quæ prioritatem, & poſterioritatem inter ſe dicunt, identificari nequeunt. Sed ſic ſe habent ſubſiſtentia, & creatio adhuc non vnitiua ſubſtantiæ; Ergo nequeunt identificari. Maior eſt ipſa Philoſophia. Minor patet. Creatio eſt prior vel ſaltem eſt ſimul naturâ cum ſubſtantia; at ſubſiſtentia eſt poſterior natura, ſubſtantiâ. Ergo creatio & ſubſiſtentia dicunt inter ſe prioritatem, & poſterioritatem cum identitate incompoſſibilem. Maior eſt certa. Minor probatur. Subſiſtentia eſt complementum naturæ. At complementum eſt poſterius naturâ, re, quam complet. Ergo ſubſiſtentia eſt poſterior naturâ, ſubſtantiâ. Minorem probo. Siquidem omne, quod realiter ſupponit aliud, eſt illo realiter poſterius. At complementum reale ſupponit realiter rem, quam complet. Ergo complementum eſt naturâ poſterius re, quam complet. Minor patet, quia ſi complementum, rem, quam realiter complet, realiter non ſupponit, quomodo eam complere valet. 123.

Reſpondebis cum Bernalio vbi ſuprà *ſect.* §. 3. *n.* 34. hoc argumentũ facere non poſſe vt illi qui cum illo ſentiunt putent, eductionẽ eſſe realiter inhærentiã, & hanc complementum accidentis, quia agerent apertè contra ſeipſos. Rurſũ Theologos omnes teneri huic argumẽto occurrere *in diſp. de Trinit.* cum Verbi productionẽ, & Perſonæ Verbi complementũ, quidam formaliter, omnes realiter identificent. Præterea & directè reſpõdet, neceſſe non eſſe, vt complementũ ſupponat in aliqua reali prioritate rem, quam cõplet, ſed ſatis eſſe, ſi eam producendo cõpleat, & complendo producat. Sic enim opus non eſt, vt forma reddens terminum formaliter independentem à ſubiecto, nimirũ creatio, ſupponat ſuum 124.

terminum in aliqua prioritate productum, ſed ſatis eſt, ſi producendo reddat illum à ſubiecto independentem, & talem reddendo producat? iuxta quæ etiam ſatis erit, ſi ſubſiſtentia ſupponat rem in aliquâ prioritate rationis, ſicut paſſio ſupponit actionē ſuam, per quam dicitur induci.

125. Sed replicabis incipiens ab hac directa reſponſione vltima. Etenim creatio eſſentialiter eſt fluxus, & via ad terminum, nempe ſubſtantiam. At ex Bernalio ſubſiſtentia eſt complementum rei vt iam exiſtentis. Ergo licèt creatio non ſupponat realiter ſubſtantiam, quia nulla via terminum, ad quem tendit, realiter ſupponit, tamen ſubſiſtentia, quæ vt exiſtentem ipſam ſubſtantiam complet, realiter illam ſupponit. Probo conſequentiam, omnis denominatio realis adueniens rei, vt exiſtenti, realiter eam, pro aliqua reali prioritate exiſtentem ſupponit. At eſſe rem completam eſt denominatio realis, Subſtantiæ vt exiſtentis. Ergo illam vt exiſtentem ſupponit. Maior ſeipſam probat. Minor probatur, quia rem eſſe completam actualiter nequit eſſe denominatio rei vt poſſibilis. Quis hoc negabit? Ergo rei vt exiſtentis. Quia non eſt dabilis alius ſtatus, quem poſſit res excurrere. Ergo rem eſſe completam eſt denominatio realis adueniens ſubſtantiæ, vt exiſtenti. Confirmatur, rem eſſe complebilem cadit ſupra ſubſtantiam vt poſſibilem. Ergo rem denominari actualiter completam cadet ſupra ſubſtantiam, vt in facto eſſe, exiſtentem.

126. Reſpondebis, rem eſſe completam cadere ſupra rem vt exiſtentem, habère duplicem ſenſum, vel ita vt pro aliqua prioritate ſupponatur res exiſtens, & poſt modum realiter denominetur completa. Et hoc eſt falſum. Vel quod exiſtens ſit dum completur, & hoc eſt verum, & ſufficiens, vt denominatio illa cadat ſupra rem vt exiſtentem: ſicut cognitio intuitiua practica fertur in rem vt exiſtentem, non quòd hæc ante illam, quæ eſt eius cauſa, ſupponatur exiſtens, ſed quòd in eodem inſtanti, in quo denominatur cognita, exiſtentiam habeat: ita vt producatur, dum cognoſcitur, & cognoſcatur dum producitur. Sic poteſt explicari huius authoris doctrina, vt cuique patebit.

127. Sed replicabis: denominatio complebilis purè poſſibilis cadit ſupra rem vt purè poſſibilem in facto eſſe. Ergo denominatio actualiter completæ cadere debet ſupra rem, vt in facto eſſe, exiſtentem. Antecedens patet, nam priùs eſt concipere prædicata Metaphyſica rei, vt in facto eſſe, obiectiuè minimè repugnantia, antequam ſupra illam cadere intelligamus denominationem aliquam etiam purè poſſibilem. Conſequentiam probat paritas. Tunc vltra: ſed creatio ſubſiſtantiæ non poteſt dare denominationem, quæ cadat ſupra illam, vt in facto eſſe exiſtētem, ſiquidem creatio ſubſiſtentiæ eſt fieri illius. Ergo denominatio vltimò completæ prouenire nequit à creatione; atque adeo nec iſta poterit ſubire ſubſiſtentiæ rationem, quæ eſſe vltimum complementum ſubſtantiæ iudicatur.

128. Nec ſuffragantur Authori ea, quæ in ſolutione argumenti huius *n.* 124. adiecit. nam illud de eductione, ſi vim habet, eſt cōtra eos, qui cum eo de illa ſimile iudicium ferunt, tametſi eſſe inter illam, & creationem ſubſtantiæ ſufficientem diſparitatem dabimus infrà. Præterea illud de materia Trinitatis, quis non videat minimè ſubſiſtere poſſe, nedum quia adhuc de eius firmitate adſit apud Theologos non modica concertatio, ſed quia res, quas vt myſteria ſacratiſſima veneramur, & quibus alia lux præter fidei lucem, non adeſt, velint Authores vt nos ad ſuas opinationes pertrahant, in argumentum demittere. Hoc enim dignitati myſteriorum detrahere exiſtimo. ideo permiſſo; imo admiſſo millies in diuinis contingere eandem actiuam proceſſionem complementum eſſe, totidem vicibus nego id poſſe euenire in creatis; & quamuis alia ratio ad id negandum mihi non ſupereſſet, ea ipſa ſufficeret, quæ mihi ſuadet, rem hanc in myſterio Trinitatis reperiri.

Tertiò arguitur. In hac ſententia ſic explicata, includuntur potiſſima mirabilia, quæ res diuinas, myſteria prorſus nos latentia, commendant. Ergo non eſt tenenda. Probo antecedens: Imprimis argumentum myſterij eſt, quòd vna & indiuiſa entitas, ſibi contradicentes formalitates identificet, ad quarum verificationem, nobis ſolus eſt aditus, infinitas Dei, quam credimus: ſed hæc ſententia admittit, indiuiſam entitatem, ſibi formalitates inter ſe contradicentes, identificantem. Ergo vel illi eſt danda infinitas, vt verificentur, vel vt admittantur in diuinis, ſuperflua eſt infinitas Dei. Probo minorem: In hac ſententia ſunt vera hæc: ſubſiſtentia eſt terminus ſubſtantiæ: nec non creatio non eſt terminus realis ſubſtantiæ. Ruſum ſubſtantia eſt terminus realis creationis. Tunc ſic: Ergo ſi ſubſiſtentia, & creatio eſt vna, & indiuiſa entitas realiter; iam de vna & indiuiſa entitate verificabitur, quòd ſit terminus ſubſtantiæ, & quòd non ſit terminus ſubſtantiæ: quæ licèt contradictionem ſuſtineant, tamen verificata ingenuè dotet ſententia. At non alterius conditionis ſunt formalitates, quas verè contradicentes in increatis experimur. Siquidem eadem entitas, quæ in diuinis eſt Paternitas, & natura, eſt terminus communicationis, & non eſt terminus communicationis, cùm vt natura, filio communicetur, non verò vt Paternitas. Ergo ſimiles prædicationes, quas propter infinitatem diuinam, verificatas credimus de vna & indiuiſa entitate, etiam verificari iſta ſententia de vna & eadem entitate profitetur. Vel enim dat illi infinitatem, vel negat. Primum non admittet. Ergo ſecundum. Ergo iam ad verificandas formalitates inter ſe contradicentes, neceſſarius non erit ad infinitatem recurſus. 129.

Confirmatur idem intentum, nam quod mirabile eſt in myſterio incarnationis propter infinitatem eiuſdem, id compertum tradit ſine infinitate in creatione Angeli, v. gr. Ergo. Antecedens patet, quod vt mirandum colitur in myſterio iſto, eſt, quòd vna entitas indiuiſa identificans formalitatem naturæ & formalitatem hypoſtaſis compleat, & terminet immediatè humanitatem, & non compleat nec terminet immediatè, vt natura, ipſam humanitatem. At tu concedis, quòd eadem entitas identificans formalitatem creationis, & formalitatem ſubſiſtentiæ, vt eſt ſubſiſtentia, Angelum complet, vt verò eſt creatio illum non complet. Ergo quod mirandum eſt in myſterio, inuenitur in ſenten- 130.

tia

tia iſta. Nec recurſus tibi erit, ſi dicas, etiam vt creationem complere Angelum; ſiquidem hoc quod eſt, productionem Angeli, eius ſubſtantiam complere, non conuenit illi, ex qua parte creatio eſt, aliàs productio humanitatis Chriſti, cùm creatio ſit, illam compleret, quod negat Author. Ergo ſolùm illam complet, quia ſubſiſtentiæ formalitati æquiualet.

131. Confirmatur ſecundò idem; nam aliud æquè mirandum in diuinis, ingenuè concedere videtur hæc ſententia in creatione Angeli: eſt enim admirabile, quòd eadem entitas ſupponat ſeipſam, ſiquidem eſſentia diuina, vt communicata filio, ſupponit Patrem, & cùm in Patre ſit eſſentia, etiam ſupponit ſeipſam. Hoc inquam intrat numerum mirabilium Dei. At tua ſententia ſimile mirandum miniſtrat. Ergo. Probo minorem. nam in hac ſententia admittitur, & bene, creationem ſubſtantiæ eſſe fluxum, & viam ad illam. Ergo admittitur, creationem ſic acceptam, minimè ſupponere ſubſtantiam. Rurſum in tua ſententia admittitur, creationem eſſe ſubſiſtentiam ſubſtantiæ, quam creat. Ergo admitti debet, illam ſupponere ſubſtantiam, ſaltem vt terminum creationis. Itaque in illa ſubſtantia reperitur duplex denominatio, vna denominans illam creatam, & alia denominans ſubſiſtentem. Hæc illam ſupponit, quia vt vidimus *num.* 125. *&* 126 ſubſiſtentia fertur in rem vt exiſtentem. Ergo vt creatam. Ergo ſubſiſtentia ſupponit rem aliqua prioritate creatam. Ergo cum per hanc ſententiam, creatio ſubſtantiæ identificetur cum ſubſiſtentia, iam idem ſeipſum ſupponit; nam creatio vt eſt formalitas ſubſiſtentiæ ſupponit ſubſtantiam, vt creatam, quæ ſupponit creationem, quâ fit, non alio modo, ac de natura diuina, id mirabiliter effertur.

132. Confirmatur vltimò idem. Etenim ſi ſententia iſta admitteretur, aliud in creatis myſterium Trinitatis, valde diuino ſimillimum, admittere cogeremur. Hoc eſſe falſum, cuique conſtat. Ergo. Probo ſequelam, etenim Trinitatis myſterium, eò vel maximè infirmitatis tadiis perfunditur, quò cum identitate eſſentiæ cum Perſonis, diſtinctio Perſonarum ſubſiſtere valeat, taliter, quòd ibi ſyllogiſtica vis, ſuum robur deperdat in illa regula, ſatis apud nos vulgari, nempe, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Quapropter ſyllogiſmus hic minime concludit: *eſſentia eſt idem cum filiatione realiter, ſed Paternitas eſt idem realiter cum eſſentia. Ergo Paternitas eſt idem cum filiatione.* Iſte ſyllogiſmus in diuinis non concludit, & ſtantibus veris præmiſſis, concluſio eſt falſa. Cum hoc tamen ſtat, quòd in creatis apud omnes præfixam regulam admittant cuncti: vt videre eſt in alio ſyllogiſmo eiuſdem formæ, figuræ, & modi, nempe, *hoc ſentiens eſt rationale. At hoc viuens eſt hoc ſentiens. Ergo hoc viuens eſt rationale.* Tunc ſic, ſed ex tua ſententia, fit, etiam in creatis prædictam regulam non minùs violandam, ac in diuinis. Ergo quæ ſunt propria tanto myſterio Trinitatis, accommodantur huic ſententiæ. Probo minorem, in hac ſententia ſimilis ſyllogiſmus fieri poteſt. *Omnis creata ſubſiſtentia eſt terminus realiter ſubſtantiæ, ſed aliqua creatio eſt realis creata ſubſiſtentia. Ergo aliqua creatio eſt terminus realis ſubſtantiæ.* Maior admittitur ab hoc authore cum communi. Minor eſt concluſio quam defendit, atque adeo ambæ præmiſſæ ſunt apud illum veræ. Concluſio autem eſt falſa, ſiquidem tam procul eſt, quòd creatio ſit terminus ſubſtantiæ, quòd eſſentialiter ſit via ad illam, & hæc ſit terminus, in quem tendit, & in quo ſiſtat creatio. Ergo ex ſententia iſta ſequitur lex illa, adhuc in creatis violanda; ſiquidem ſtat cum identitate creationis, & termini, cum creata, ſubſiſtentiæ realis diſtinctio inter ſe; ſicut cum identitate filiationis & Paternitatis cum eſſentia, ſtat diſtinctio filiationis, & Paternitatis inter ſe.

133. Reſpondebis fortaſſe, concluſionem illam iſtius vltimi ſyllogiſmi, licèt formaliter non ſit vera, materialiter tamen eſſe veram; ratio huius eſſe poteſt, nam ex ſuppoſitione, quòd in hac ſententia defendatur, creationem Angeli, & eius ſubſiſtentiam, eſſe vnicam, & indiuiſam entitatem, identificantem ſibi duplicem formalitatem, quarum vna ſit creatio, & alia ſubſiſtentia, neceſſariò fit, quòd formalitas creationis non ſit formaliter ſubſiſtentiæ formalitas, licèt vna ſit altera materialiter, & entitatiuè, quod idem dicitur de creatione, & termino ſubſtantiæ. nam ſi ſubſiſtentia formaliter non eſt creatio, nec terminus ſubſtantiæ, qui eſt ſubſiſtentia, formaliter erit creatio.

134. Sed replicabis. Eo ipſo, quòd concluſio ſyllogiſmi ſecundi ſit falſa formaliter, ſtantibus præmiſſis formaliter veris, deſtruitur regula illa non aliter, ac in diuinis dicitur violari. Ergo perſiſtit ſemper idem inconueniens. Probo antecedens. In diuinis dicitur regula illa fruſtrari quia ſtantibus præmiſſis formaliter veris, concluſio eſt falſa formaliter, quamuis materialiter veritatem habeat. At in præſenti ſyllogiſmo contingit hoc idem. Ergo vtrobique ob eandem rationem violari dicitur prædicta regula. Maiorem expendo, ſimul & minorem, quia licèt Paternitas non ſit filiatio, vt Paternitas eſt, tamen vt natura, eſt idem cum illa. Itaque entitas hæc, *Pater*, licèt vt Paternitas, quam includit, non ſit filius, tamen vt natura, quam etiam inuoluit Pater, eſt idem cum filio. Et hoc non obſtante regula illa vim non habet in diuinis. Tunc vltra, hoc ipſum currit in altero ſyllogiſmo: ſiquidem iuxta ſententiam iſtam, entitas hæc, creatio ſubſtantiæ, licet vt creatio, non ſit terminus ſubſtantiæ, tamen vt ſubſiſtentia eſt, dicitur ſubſtantiæ terminus. Ergo vtrobique idem caſus currit. Ergo ſicut quia in diuinis datur ſumma infinita celſitudo, verificatur de eadem indiuiſa entitate quòd ſit filiatio, & quòd filiatio non ſit, ita in hac ſententia hoc ipſum (imò maius miraculum cùm in creatis nulla infinitudo adſit) verificabitur de eadem indiuiſa entitate creationis nempe, quòd ſit terminus ſubſtantiæ, & quòd terminus ſubſtantiæ non ſit.

135. Arguitur 4. creatio eſt eſſentialiter via & fluxus ad ſubſtantiam, quam producit. Ergo non eſt eius formalis ſubſiſtentia. Antecedens probat ſeipſum. Conſequentiam probo, quia creatio eſt via ad ſubſtantiam, eſt etiam via ad eius exiſtentiam, & ideo non eſt eius exiſtentia. Ergo ſimiliter, quia creatio eſt via ad ſubſtantiam, erit etiam via ad ſuam ſubſtantiam, & non erit illius ſubſiſtentia. Antecedens patet quia in ſententia huius authoris, exiſtentia adhuc ratione

non diſtinguitur à rei ſubſtantia; atque adeo licèt exiſtentia effectiuè ſit à creatione, & ideo hæc dicitur via ad illam, tamen ipſa ſubſtantia actualis, cùm ſeipsâ ſit formaliter actualis, etiam ſeipsâ formaliter eſt exiſtentia ſui. Nunc conſequentiam probo: ideo iuxta opinionẽ, quam ex auctore ſuppono, creatio ſubſtantiæ eſt via ad eius exiſtentiam, quia ſubſtantia, vt à creatione diſtincta, ſeipsâ eſt formaliter exiſtens: ſed eadem rationẽ poterimus dicere, iuxta aliorum principia, quòd ſubſtantia eadem vt à creatione diſtincta, eſt formaliter ſubſiſtens. Ergo ſicut creatio eſt via ad ſubſtantiæ exiſtentiam, & ideo non eſt eiuſdem exiſtentia; ita dicam ego quòd creatio eſt via ad ſubſiſtentiæ ſubſtantiam, & ideo non erit illius ſubſiſtentia. Maior eſt doctrina auctoris qui ſequutus eſt alios, minimè diſtinguentes eſſentiam actualem ab exiſtentia. Minorem probo: nam ideo in ſententia iſtius doct. ſubſtantia, vt diſtincta à creatione, eſt formaliter exiſtens, quia ſubſtantia actualis ſeipsâ formaliter fundat negationem ſtatûs puræ poſſibilitatis. Ergo eo ipſo fundamento poterit dicere, eamdem ſubſtantiam, vt à creatione diſtinctam, formaliter eſſe ſubſiſtentem, quia ſeipsâ fundat negationem dependendi ab alieno ſuppoſito. Probo conſequentiam: cur ſubſtantia à creatione diſtincta, ſeipsa fundet negationem ſtatûs poſſibilitatis puræ, & ideo ſit, vt à creatione diſtincta, formaliter exiſtens, & eadem ſubſtantia, ſic à creatione diſtincta, ſeipsa non fundet negationem dependendi ab alieno ſuppoſito, & ideo non ſit formaliter ſubſiſtens?

136. Reſpondebis fortaſſe, ſubſtantiam à creatione habere vt fundet negationem dependendi ab alieno ſuppoſito; itaque independentia poſitiua, quam habet Angelus, ab alieno ſuppoſito, eſt ipſa Angeli creatio: ſiquidem Michaëlis entitas ideo eſt independens à ſuppoſito, vt quod, quia creatio, per quam ſit, eſt independens, vt quo, à ſuppoſito. Sicut quia eadem actio, qua ipſe Angelus producitur, eſt independens, vt quo, à ſubiecto, dicitur Angelus formaliter independens, vt quod, à ſubiecto, atque adeo ſubſtantia vt condiſtincta à creatione, non fundat negationem dependendi à ſuppoſito; & conſequenter ſubſtantia, vt à creatione diſtincta, formaliter ſubſiſtens non eſt, ſed fundamentaliter, ſicut quodlibet ſubiectum, ſeclusâ, v. gr. albedine, ſolùm manet fundamentaliter album.

137. Sed replicabis primò, & liceat inſtaurare aliquid argumenti contrariâ viâ. Ergo ſimiliter poterimus dicere, creationem ſubſtantiæ eſſe formaliter eius exiſtentiam; Probo conſequentiam, quia ſicut in hac ſolutione docetur, creationem eſſe id, quod immediatè fundat, vt quo, negationem dependendi à ſuppoſito, quam habet ſubſtantia, ita poteſt dici, creationem eſſe id, quod poſitiuè immediatè fundat, vt quo, negationem ſtatûs puræ poſſibilitatis. Ergo ſicut ob illam rationem creatio Angeli eſt ſubſiſtentia Angeli, ita ob eamdem, talis creatio erit exiſtentia Angeli. At hoc non admittitur. Ergo nec illud eſt admittendum.

138. Secundò. Falſum eſt, ſubſtantiam, vt à creatione diſtinctam, eſſe ſubſtantiam, vt fundamentaliter ſubſiſtentem; nam licèt hoc ſanum ſenſum habeat, iuxta principia noſtra infrà danda, tamen iuxta doctrinam huius Authoris, ſenſum verum non tenet. Siquidem vel ſubſtantia, vt eſt terminus creationis, ab illáque condiſtinctus, eſt ſolùm fundamentaliter exiſtens, vel exiſtens formaliter. Primum eſt per te, vt vidimus, falſum. Ergo ſecundum. Ergo eadem ſubſtantia, vt eſt terminus creationis ab illa condiſtinctus, non fundamentaliter, ſed formaliter erit ſubſiſtens. Si neges conſequentiam, inſtabo. Ergo nec erit formaliter, ſed fundamentaliter exiſtens, & ſic relaberis in contradictionem, vel daturus es diſparitatem, quam difficilem reddit argumentum.

139. Tertiò: quia eo ipſo, quòd admittas ſubſtantiam, vt terminum creationis eſſe fundamentaliter ſubſiſtentem, admittis creationem terminari ad illam, vt fundamentaliter ſubſiſtentem. Ergo negas creationem eſſe formalem eius ſubſiſtentiam. Probo conſequentiam. Ergo pro eodem inſtanti eſt ipſa ſubſtantia, ſecundùm eamdem ſigni prioritatem, formaliter ſubſiſtẽs, & non ſubſiſtens formaliter. Probo ſequelam. Imprimis, pro illo ſigno, pro quo ſubſtantia eſt terminus creationis, non formaliter ſubſiſtens, cùm pro illo ſigno, creatio terminetur ad illam, vt fundamentaliter ſubſiſtentem, teſte Bernalio, citatu loco. Iam quòd pro illo ſigno ipſo ſuæ terminationis, ſit formaliter ſubſiſtens prædicta ſubſtantia, probo: ſignum illud, in quo primo intelligitur ſubſtantia Angeli, eſt, in quo primo intelligitur, vt terminus creationis. Ergo in illo ſigno omnium primo intelligitur formaliter ſubſiſtens: probo conſequentiam. In illo ſigno dicitur ſubiectum formaliter tale, in quo habet ſibi vnitam formam, à qua talis denominatio oritur, ſi aliunde ſubiectum ſit capax, ſed in illo ſigno omnium primo, in quo concipitur ſubſtantia Angeli, vt terminus creationis, habet ſibi vnitam formam ſubſiſtentiæ, quæ in ſententia iſta, eſt ipſa creatio, quam in illo ſigno terminat. Ergo in illo primo ſigno, ſubſtantia eſt formaliter ſubſiſtens, cùm talis denominationis ſit capax. Ergo ſimul pro eodem ſigno eſt, & non eſt formaliter ſubſiſtens. Quæ contradictionem inuoluunt, oppoſitam principio illi Metaphyſico, quodlibet eſt, vel non eſt.

140. Quartò, quia eo ipſo, quòd creatio ſit fluxus ad ſubſtantiam fundamentaliter ſubſiſtentem, tenetur Author affirmare ſubſtantiam fore denominandam formaliter ſubſiſtentem, non à ſeipſa, ſed ab aliqua forma poſitiua, ab illa diſtincta. Eſt certum, quia ſubſtantia iuxta hanc ſententiam, ſeipsâ non eſt ratio formalis ſubſiſtendi, vt quo, reſpectu ſui. Tunc vltra, ſed id, à quo formaliter eſt denominanda ſubſiſtens, nequit eſſe creatio. Ergo quomodocunque creatio terminetur ad ſubſtantiam, nequit illius ſubſiſtentia eſſe. Probo minorem, ſi creatio eſſet forma denominans ſubſtantiam formaliter ſubſiſtentem, illi conueniret quidditas ſubſiſtentiæ, nempe ratio poſitiuæ independentiæ à ſuppoſito alieno. At creationi non conuenit eſſe independentiam poſitiuam, vt quo, à ſuppoſito. Ergo ab illa non poterit ſubſtantia formaliter, vt quod, denominari ſubſiſtens. Conſequentia bene infertur ex ſolutione data, maior ſeipſam dat. Probo minorem: etenim creatio licèt eſſen-

tialiter

tialiter connectatur formaliter cum poſitiua independentia, vt quo, à ſubiecto, non tamen ſic connectitur cum poſitiua independentia, vt quo, à ſuppoſito. Ergo creationi minimè eſſentialiter conuenit eſſe poſitiuam independentiam à ſuppoſito. Antecedens probo, quia datur, in ſententia iſta, creatio videlicet humanitatis Chriſti, quæ non eſt formaliter independentia poſitiua, vt quo, à ſuppoſito alieno, quin potiùs eſt poſitiua dependentia, vt quo, ab illo. Ergo creatio eſſentialiter non connectitur cum formali poſitiua independentia, vt quo, à ſuppoſito alieno.

141. Reſpondebis, diſtinguendo duplicem creationem, vnam formaliter vnitiuam ſubſtantiæ productæ, cum alieno ſuppoſito, & huic repugnat eſſe formalem independentiam ab illo, vt patet in creatione humanitatis Chriſti. Aliam verò eſſe minimè vnitiuam termini cum ſuppoſito alieno, & huic conuenire formaliter, vt quo, eſſe poſitiuam independentiam ab alieno ſuppoſito; atque adeo iſti ſoli, & non illi competit eſſentialiter eſſe formaliter ſubſiſtentiam.

142. Sed replicabis, non repugnat creatio, quæ vnitiua non ſit termini cum ſuppoſito alieno, minimè connexa eſſentialiter identicè cum formali independentia, vt quo, ab illo. Ergo eſſentialiter eſſe formaliter independentiam, vt quo, ab alieno ſuppoſito, non conuenit creationi adhuc non vnitiuæ termini cum ſuppoſito alieno. Antecedens probo; in hac ſententia, creationi, vt creationi non conuenit eſſentialiter eſſe independentiam poſitiuam formalem, vt quo, à ſuppoſito alieno, aliàs creationi humanitatis Chriſti id conueniret, quod negatur. Ergo nec repugnabit creatio non vnitiua, quæ formalis independentia non ſit ab alieno ſuppoſito. Probo conſequentiam. Per te quia non repugnat creatio, quæ formalis independentia, vt quo, non ſit, non repugnat creatio, quæ ſubſiſtentia non ſit. Cur ergo non concedes creationem, quæ vnitiua non ſit, cum independentia formali minimè connexa, & quæ ſubſiſtentia non ſit?

143. Reſpondebis fortaſſe quia creationi, vt creationi accidit vnitiuam, vel non vnitiuam ſui termini eſſe, ideo illi accidit eſſe vel non eſſe formalem ſubſiſtentiam, atque adeo eſſe vel non eſſe formalem independentiam à ſuppoſito, vt quo. At verò creationi non vnitiuæ ſui termini cum alieno ſuppoſito, qualis eſt creatio Angeli, & hominis, non accidit, ſed eſſentialiter conuenit ſubſiſtentiam eſſe, quia eo ipſo quòd ſuum terminum inunitum producat cum ſuppoſito, eſſentialiter illum denominat independentem ab illo, atque adeo ſubſiſtentem formaliter.

144. Sed replicabis. Actioni non vnitiuæ ſui termini, non conuenit eſſentialiter eſſe illius formalem ſubſiſtentiam. Ergo non repugnat creatio quæ vnitiua non ſit, minimè connexa formaliter cum ratione ſubſiſtentiæ. Probo antecedens. Creationi non vnitiuæ ſolùm conuenit eſſe formalem independentiam, vt quò, ſui termini à ſubiecto. Ergo creationi non vnitiuæ non conuenit eſſentialiter, eſſe formalem ſubſiſtentiam. Antecedens probo. Illud formaliter conuenit rei eſſentialiter, quo poſito integra eius formalis eſſentia ſaluatur. Sed per hoc, quòd creatio non vnitiua, ſit formalis independentia, vt quo, ſui termini ab alio tanquam à ſubiecto, integra eius eſſentia formalis ſaluatur. Ergo creationi non vnitiuæ ſolùm eſſentialiter conuenit, eſſe formalem independentiam ſui termini ab alio, tanquam à ſubiecto. Minorem probo eam explicans, nam creatio non vnitiua, eſt productio ſui termini ex nihillo, hoc eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vel ſubiecto minimè concurrente; atque adeo ex qua parte creatio eſt ſui termini productio, eſt actiua effectio, ſuum terminum conſtituens, ab agente dependentem. Ex qua verò parte illum ex nihillo extrahit, eſt formalis, & poſitiua independentia à ſubiecto; quia eo ipſo quòd ex nihillo ſuum terminum prodat, ſeipsâ fundat immediatè negationem dependendi à ſubiecto. Ergo per hoc, quòd creatio non vnitiua termini, ſit formalis & poſitiua independentia illius, vt quo, à ſubiecto, integra ſaluatur eſſentia creationis non vnitiuæ.

Reſpondebis fortaſſe, duplicem dari creationem non vnitiuam, vnā quæ ſit non vnitiua termini cum ſubiecto ſolùm, & alia quæ ſimul non vnitiua ſit ſui termini cum ſubiecto, & alieno ſuppoſito. Prima totam ſuam eſſentiam ſaluat per hoc, quòd ſit formalis independentia, vt quo, ſui termini à ſubiecto. Secunda verò integrè non conſiſtit per illam, ſed vltra eam deſiderat eſſe formalem independentiam, vt quo, ſui termini ab alio tanquam à ſuppoſito; ſiquidem terminus eius, nempe Angelus, & homo, eſt independens, vt quod, non ſolùm à ſubiecto, ſed etiam à ſuppoſito alieno: de hac vltima creatione non vnitiua, non verò de prima loquitur hæc ſententia, atque adeo illi eſſentialiter conuenit eſſe ſimul independentiam formalem ſui termini, vt quo, & à ſubiecto, & ab alieno ſuppoſito. 145.

Sed replicabis. Creationi non vnitiuæ termini cum ſubiecto, & cum alieno ſuppoſito, licèt conueniat eſſe formalem independentiam illius à ſubiecto, non tamen eſſe formalem independentiam illius à ſuppoſito. Ergo tota eſſentia creationis, quæ ſimul vnitiua non ſit ſui termini à ſubiecto, & a ſuppoſito, ſaluatur per hoc, quòd ſit formalis independentia ſui termini à ſubiecto. Antecedens probo: illi conuenit eſſe formalem independentiam termini à ſuppoſito, cui conuenit illum poſitiuè complere. Sed creationi, quæ ſimul vnitiua non ſit ſui termini cum ſubiecto, & ſuppoſito, non conuenit poſitiuè, & formaliter illum complere. Ergo illi non conuenit eſſe formalem independentiam, vt quo, ſui termini. Maior eſt principium in hac materia, quodque admittit hæc ſententia cum communi. Minor probatur, nam formaliter rem complere actu, eſt complere rem vt exiſtentem: Sed creationi non vnitiuæ modo dicto, repugnat tendere in ſuum terminum vt exiſtentem. Ergo illi non conuenit ſuum terminum formaliter complere. Maiorem & minorem non probo, quia illam expreſse cum communi admittit hæc ſententia. Minor verò patet *ex n. 125. 126. & 127.* Ergo creationi non vnitiuæ minimè conuenit, eſſe formalem independentiam, vt quo, ſui termini à ſuppoſito; licèt illi conueniat eſſe formalem independentiam ſui termini, 146.

vt quo, à ſubiecto. Ergo poterit ſine illa, tota eius eſſentia ſaluari. Ergo quin ſit ſubſiſtentia: cùm hæc eſſentialiter ſit formalis independentia, vt quo, ſui termini à ſuppoſito alieno. Ergo non repugnat creatio, quæ ſimul non vnitiua ſit ſui termini cum ſubiecto, & ſuppoſito, & ſubſiſtentia non ſit.

147. Reſpondebis fortaſsè: ſi creatio, quæ ſimul non vnitiua ſit ſui termini cum ſubiecto, & ſuppoſito, non eſt formalis independentia illius ab vtroque, nihil ſupereſt, per quod illa diſtinguatur à creatione quæ ſolùm non vnitiua ſit ſui termini cum ſubiecto, & quæ vniat illum cum ſuppoſito, qualiter fuit creatio humanitatis illius cum Verbo vnitiua. Etenim ambæ ſunt formales independentiæ, vt quo, ſuorum terminorum à ſubiectis, vt fatemur. Ergo vel non diſtinguendæ ſunt inter ſe, quod eſt falſum, cùm creationem Angeli, & creationem humanitatis Chriſti cuncti diſtinguant, vel eſt dicendum, quòd creatio Angeli, v.gr. non ſolùm eſt formalis independentia illius à ſubiecto, per quod cum creatione humanitatis Chriſti conuenit, verum etiam eſt formalis independentia illius à ſuppoſito alieno, per quod differt à creatione humanitatis Chriſti dependentis à Verbo; quia non extat aliud, per quod ambæ creationes differant.

148. Sed replicabis, ſententiæ huic, admittenti actionem creatiuam humanitatis, eſſe formaliter vnitiuam eiuſdem cum verbo, incumbere diſtinctiuum eſſentiale inueſtigare inter illam, & actionem creatiuam Angeli, quæ vnitiua non eſt cum alieno ſuppoſito; noſtra enim non intereſt, hoc onus nobis impoacte, cùm contrarium aduerſus iſtum, & alios Authores ſimus infrà reſoluturi. Vnde creatio Angeli, & humanitatis conueniunt in hoc, quòd ambæ ſint formales independentiæ ſuorum terminorum à ſubiectis, quoſque reddunt formaliter, vt quod, ab illis independentes, ſiquidem ſicut formalis dependentia, vt quo, ab agente, facit terminum dependentem, vt quod, ab illo; ita formalis independentia, vt quo, à ſubiecto, qualiter eſt creatio, vt vidimus *num.* 144. debet conſtituere terminum formaliter independentem, vt quod, à ſubiecto. In hoc enim conuenit creatio Angeli, & humanitatis creatio. Differunt tamen phyſicè ſpecificè per ordinem ad terminos ſpecie differentes, non tamen penes hoc quòd illa ſit formalis independentia, vt quo, Angeli à ſubiecto, & à ſuppoſito, vtpote quia non vnitiua illius, ab vtroque; creatio verò humanitatis ſit ſolùm formalis independentia, vt quo, illius à ſubiecto, vtpote quia eſt eiuſdem vnitiua cum ſuppoſito alieno, nempe cum verbo. Et licèt reipſa humanitas Chriſti producta ſit per actionem, quæ aliqualiter poſſit vnitiua appellari, non tamen formaliter eſt vnitiua, ſed connexiuè, quatenus connectitur cum actione alia, quæ formaliter vnitiua eſt humanitatis cum verbo, & ſecundùm hanc rationem, poteſt dici, quòd creatio humanitatis diſtinguatur vt vnitiua connexiuè illius cum verbo à creatione Angeli, quæ adhuc, ſecundùm iſtum modum, vnitiua illius non eſt, cùm non connectatur cum alia actione inferente vnionem, quà vniatur formaliter Angelus cum alieno ſuppoſito.

Arguit 1. Bernal, vbi ſuprà *p.* 2. *num.* 20. ſubſiſtentia creata duos effectus habet, reddere naturam independentem à ſuppoſito, ſeu non indigentem alio, à quo compleatur, & reddere illam independentem à ſubiecto: ſed vtrumque effectum realiter præſtat in Michaële, creatio ipſi conceſſa. Ergo talis creatio realiter eſt eius ſubſiſtentia. Probat minorem, illa actio æquè, & propriè eſt debita Angelicæ ſubſiſtantiæ, ac eductio albedini. Sed eductio ſimul reddit formam albedinis in ſuo eſſe completam, & à ſubiecto pendentem, vt ſupponit à ſe id eſſe probatum numeris antecedentibus. Ergo creatio naturæ Angeli ſimul eam reddit in ſuo eſſe completam, & à ſubiecto independentem. Aliter idem argumentum ponit: æquè poſtulat entitas Angeli compleri in ſuo eſſe ſubſtantiali, & non dependere à ſubiecto, ac poſtulat entitas albedinis compleri in ſuo eſſe accidentali, & à ſubiecto pendere. Sed entitas albedinis duos illos effectus ſibi debitos habet realiter ab eductione ſibi debita. Ergo entitas Angeli duos iſtos effectus ſibi debitos habet à creatione ſibi debita. Ergo creatio Angeli erit eius ſubſiſtentia. 149.

Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem; ad probationem, do maiorem, & nego minorem. Probationes, quibus alibi iſtam minorem probauerat, non conuincere, videbimus ſtatim. Eodem modo reſpondeo eidem argumento ſub alia forma, illi ibidem inſerta. Concedo maiorem, & nego minorem. Itaque non aliter diſcurrimus complendum fore accidens in ſua linea, ac dicimus compleri ſubſtantiam in ſua: atque adeo dandus eſt præter eductionem, alius modus actualis inhærentiæ in facto eſſe, quo accidens reale in ſua linea accidentali compleatur, quique realiter ab entitate accidentis, & ab actione eductiua, media, quà fit, diſtinguatur. Quam doctrinam ſuadet doctrina ſimilis à nobis, de complemento ſubſtantiæ, ſtatim in ſectione propriam ſententiam explicante, tradenda. Et vltra illam addimus hanc, etenim ſi eductione accidens compleretur, ſimiliter forma ſubſtantialis, educta ex materia, compleretur ipſa eductione, quodque admittit, & tenetur à paritate, hic author. Ergo cùm eductionem terminat complebitur, atque adeo euadet ipſa eductione completa. Ergo ex illa, & materia vnum per ſe non fieret, vtpote quod ex duodus completis vnum per ſe non fiat. Nec me latet ſolutio, quæ quaſi auguratur, ſed alibi danda, dum impugnanda. 150.

Reſpondeo 2. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem, æquè illa actio eſt propria Angelo, ac eductio albedini, quoad denominationem creati, do; quoad denominationem vltimò completi, nego. Et tranſeat minor, & nego conſequentiam. Ad aliam formam argumenti, reſpondeo, dando maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Ratio diſpar poteſt eſſe, vel quia eductio accidentis eſt eſſentialiter productio formæ in ſubiecto, atque adeo eſſentialiter eſt inhærentia formaliter, & ſic ſimul dat accidenti denominationem producti, & denominationem vniri ſubiecto: at verò creatio Angeli non eſt formaliter poſitiua independentia, vt quo, à ſuppoſito alieno. Vt vidimus, quòd, vt vidimus, 151.

cupit

cupit denominatio vltimò complentis, vt in Angelo ſit denominatio vltimò completi. Vel quia (& in idem recidit) aliter ſe habet eductio cum complemento accidentis, quàm creatio cum complemento ſubſtantiæ; nam ab eductione accidentis, inſeparabilis eſt ratio complementi illius vt de ſe patet. At à creatione ſubſtantiæ eſt ſeparabilis ratio complementi illius, quia vt ipſe Bernal admittit, creatio humanitatis, eam non complet, ſed verbum. Ergo ex identitate eductionis accidentis cum eius complemento, nempe inhærentia, non arguitur efficaciter ad identificandam creationem ſubſtantiæ cum eius complemento.

152. Secundò probat ſuum aſſertum ratione, quam vocat à priori *num.* 21. Michaëlis entitas, per illam ſui creationem, eſt independens à ſuppoſito, proinde illa creatio eſt ipſius independentia poſitiua à ſuppoſito, atque adeo eiuſdem ſubſiſtentia. Prima pars, quæ ſola quæſtionem habet, probatur, quia Michaëlis entitas eſt independens à ſubiecto per ſui creationem, quia totum ſuum eſſe habet per hanc actionem, & hæc eſt à ſubiecto independens, vt quo, ideoque neceſſariò reddit entitatem illam à ſubiecto independentem, vt quod; ſed hæc eadem creatio eſt independens à ſuppoſito, cum nec attingat, nec poſſit attingere ſuppoſitum, & proinde eſt à ſuppoſito independens, vt quo, per ſe ipſam. Ergo realiter conſtituit ſuum terminum à ſuppoſito independentem, vt quod, ſeu (quod eodem redit) formaliter ſubſiſtentem.

153. Reſpondeo: argumentum hoc abundè ſoluerunt *numeri* 140. & deinceps vſque *ad* 148. incluſiuè. Ex quibus dico in forma ad Illud. Nego antecedens, ad eius probationem, nego creationem Angeli eſſe formalem independentiam, vt quo, à ſuppoſito, vt ſatis oſtendunt numeri citati. Ad probationem fateor, creationem illam minimè attingere poſſe ſuppoſitum, ſed hoc non arguit illam eſſe formalem independentiam, vt quo, à ſuppoſito, quia hoc, quod eſt illud attingere non poſſe creationem, naſcitur ex eo, quòd in eodem inſtanti reali, in quo eſt Angeli creatio, reſultat in eius ſubſtantia modus quidam, qui formaliter eſt independentia, vt quo, eiuſdem Angeli ab alieno ſuppoſito, atque adeo ſi creatio ſuppoſitum alienum attingeret, duplicis prædicati contradictorij daretur verificatio, vt cuique patebit.

154. Tertiò idipſum probat *num.* 24. (quæ enim miſcet *n.* 23. ſupponunt falſum, nempe creationem, ſicut eſt independentia formalis, vt quo, à ſubiecto, eſſe debere independentiam formalem, vt quo, à ſuppoſito) nam ſubſiſtentiæ diuinarum Perſonarum procedentium, ſeu productarum, ſunt idem realiter cum earum productionibus, vt omnes Catholici profitentur. Quòd ſi ſubſiſtentia diuini Verbi realiter & formaliter, eſt idem cum eiuſdem Verbi productione. Ergo ſubſiſtentia Michaëlis eſt realiter idem cum eiuſdem Michaëlis productione. Si enim vna & eadem origo ſecundùm vnum realem, & formalem conceptum, eſt ſimul communicatio paſſiua, per quam eſſentia diuina, Verbo Dei communicatur, & ſimul eſt productio paſſiua Verbi, & eiuſdem propria ſubſiſtentia. Cur vnà, & eàdem viâ, per quam Michaëli datur actualis exiſtentia, ſeu Michaël producitur, non erit ſimul eiuſdem Michaëlis ſubſiſtentia? Si tria illa nec formaliter differunt, cur hæc duo, vel tria illis reſpondentia, realiter diſtinguantur?

155. Nec ſatisfacies, ſi reſpondeas, non licere argumentum à productione, & ſubſiſtentia infinita ad finitam. Non ſatisfacies, quia replicat Bernal *n.* 25. imprimis argumentum eius non procedit prorſus à pari, ſolùm enim contendit, illa, quæ in diuino Verbo ſunt idem formaliter, in Michaële non diſtingui realiter. Hoc autem, cùm cætera conueniant, cur non liceat? Deinde licuit ſanctiſſ. Th. 1. *p. quæſt.* 41. *art.* 1. & *q.* 45. *art.* 3. & *Vaſquez ibidem, diſp.* 173. *cap.* 2. *num.* 3. in eadem prorſus materia ſic arguere. *Productio diuini Verbi non eſt, niſi quædam relatio realiter identificata cum Verbo. Ergo creatio Angeli non eſt, niſi quædam relatio realiter identificata cum Angelo.* Nec ſolùm eis licuit, iſtam argumentationem afferre, ſed etiam pro illa ſententia ſolam afferre, & efficacem appellare. Ergo multò magis licebit nobis ad alias noſtræ ſententiæ probationes hanc adiungere. *Productio diuini Verbi cum ſubſiſtentia propria eiuſdem Verbi, eſt idem realiter & formaliter: Ergo creatio Michaëlis eſt cum propria eiuſdem Michaëlis ſubſiſtentia idem realiter.*

156. Reſpondeo: huic argumento fuit iam ſatisfactum, *num.* 128. & ſuppoſitâ doctrinâ valde probabili iuxta ſanctiſſ. doct. principia, *tract. de Trinitate*, data; vbi productionem Perſonæ productæ identificant ad minùs realiter cum eius ſubſiſtentia, negamus id euenire in creatis, ob rationes, quas dedit ſectionis proceſſus: quæ minimè militant in identificato creationis Angeli cum habitudine & relatione, quam colligit ſanctiſſ. doct. citatis locis ex identificato diuino; nam ex eo, quòd creatio Angeli ſit relatio quædam, realiter identificata cum Angelo, nihil abſurdi inuenitur, imò id eſt neceſſariò dicendum, cùm ipſa creatio paſſiua realiter ab alio ſit, atque adeo realiter importare debet habitudinem ad aliud, à quo talem paſſionem habet; atque adeo tam procul eſt, vt exinde colligamus, identificatum illud ex creatione paſſiua Angeli, & habitudine, importare infinitatem, vt potiùs in ipſa identitate, eius limitatio commendetur: ſiquidem illa habitudo eſt ordo dependentiæ ab alio: at habitudo quæ eſt identificata cum productione paſſiua Verbi, non eſt ordo dependentiæ ab alio, ſed ordo originis ad originans, ab omni dependentia purgatus. Vnde efficaciter concludit ſanctiſſ. Th. ex identificatione productionis paſſiuæ Verbi cum habitudine ad originans ſine dependentia, identitatem productionis paſſiuæ Angeli, cum habitudine ad cauſam primam, cum vera dependentia ab illa. At ex identitate productionis diuini Verbi cum ſubſiſtentia propria, quo, ne dicam efficaci, ſed vrgenti fundamento, licebit colligere identitatem creationis Angeli, cum eius ſubſiſtentia? Non enim ex diuinis ad humana ſemper rationabiliter deſcenditur: ſicut in ſimili forma arguere minimè licebit ſic: *productio actiua Verbi, ſeu generatio actiua, realiter identificatur cum principio. Ergo generatio Petri realiter identificatur cum principio eiuſdem.* Et omnium poteſt eſſe ratio, diſparitatis hæc: nam

tunc

tunc ex diuinis, procedere ad humana poſſumus, quando ex apptopriatione ipſa illorum, exprimitur in iſtis imperfectio, & limitatio creaturæ, vt patuit in identificato creationis paſſiuæ Angeli cum habitudine eiuſdem ad cauſam primam. At quando ex diuinorum appropriatione, talis limitatio non exprimitur, ſed magis attollitur, & ad poſſeſſionem eorum, quæ Deo ſunt propria, creatura euehitur, vt videre eſt in identificato generationis actiuæ, & principio generante, nec non in identificato creationis Angeli, cum eius ſubſiſtentia, vt non ſemel oſtendimus, tunc ex diuinis ad humana non eſt ſemper ſecura illatio.

Sectio VIII.

Subſiſtentia eſt poſitiua realitas, à natura & exiſtentia realiter actualiter differens.

157. CONcluſionem hanc vniuerſaliter defendunt omnes diſcipuli ſanctiſſ. doct. hîc *q.*1. Caiet. 3. *p. q.*4. *art.*2. *Canarienſ.*4. *contra Gent. c.*43. *Herbans quotlib.*3. *q.*6.5. *& ideo* 4. *opinio*, Capreolus *in* 3. *diſt* 5. *q.*3. *ad* 1, *contra* 2. *concluſionem*, *Ferrara* 4. *contra Gentes, c.*43. Bannes 1. *p. q.*3. *art.*3. *dub.*1. *&* 2. Arauius *in Metaph.* Cippullus *hic q.*2. *art.*2. *& ex aliis* Argent. *in* 3. *diſt.* 6. *q. vnica, art.*1. Suarez *in ſua Metaph. diſp.*34. *ſect.*4. *num.*24. *&* 3. *p. q.*4. *in comment. art.*2. *& diſp.*8. *ſect.*4. Vaſquez 3. *p. diſt.* 31. *c.*6. Hurtadus *in Metaph. diſp.*11. *ſect.*3. Martinus Perez *hic, diſp.*6. *ſect.*6. Lugus *diſp.*12. *ſect.*3. Amicus *diſp.*1. *ſect.*2.

158. Expreſsè prædictam concluſionem docuit ſanctiſſ. doct. Imprimis *q.*17. *art.*2. vbi decernit ſusceptiuum ſubſiſtentiæ non eſſe naturam, ſed Perſonam, rurſum *q.*35. *art.*5. decernit, minimè naturam, ſed ſuppoſitum cenſendum eſſe filiationis realis ſubiectum: ex quibus per euidentem conſequentiam infertur, ſanctiſſ. doct. perpetuum fuiſſe, in deſignanda diſtinctione inter id, quod Perſona ſupra naturam addit, & ipſam naturam; aliàs propoſitiones negatiuæ iſtæ, realiter eſſent falſæ, cùm negent de natura, ea quæ affirmant de Perſona realiter, minimè quoad aliquid ab illa diſſidente, & ob eamdem è contrà factam, affirmatiuæ falſitatem ſubirent. Præterea, nam hîc *q.*2. *art.*1. docet, quòd ſi Perſona Angeli aſſumeretur, deberet corrumpi, ſi aſſumptioni præexiſteret. Ergo, &c.

159. Verum quia potiſſimum fundamentum, cui noſtræ reſolutiones innituntur, eſt, illas quoad fieri poſſit, nec ad latum vnguem à ſanctiſſimo doct. diſcedere, ideo in eius mentis indagine aliquam dabimus morulam. Imprimis adeſt locus *in* 3. *diſtinct.*6. *q.*1. *art.*2. *ad* 5. non leuiter Angelic. doct. à noſtra reſolutione abertans, ibi ſunt hæc: *Dicendum, quòd hoc, quod facit coniunctum ex anima, & corpore eſſe hominem, non eſt præter animam, & corpus, & vnionem aliquid poſitiuè: ſed ex hoc ipſo, quòd ipſum compoſitum ex anima, & corpore non adiungitur alteri ſubſiſtenti in natura compoſita, ſequitur, quòd coniunctum ſit homo. vnde etſi Chriſtus humanam naturam, quam aſſumpſit, deponeret, ex hoc ipſo eſſet homo illud coniunctum ex duabus ſubſtantiis* Hæc verba incrementum ſumunt ex fine, in quem direxit ſanctiſſ. Doct. propoſitum fuit ab illo quintum argumentum intendens probare, Verbum nedum humanam naturam, ſed & hominem, & hominis Perſonam aſſumpſiſſe, iuxta illud Damaſceni, nempe, Verbum aſſumpſiſſe quidquid in noſtra natura plantauit: atque exinde inferebatur, aſſumpſiſſe hominem, cùm iſte à diuina manu plantatus fuerit. Vt ergo huic obiectioni ſatisfaceret S. Doct. in eius ſolutinne, illa Verba relata profert, vbi licèt admittat, quidquid Deus plantauit, à Verbo fuiſſe aſſumptum, non tamen admittit hominem aſſumpſiſſe, cuius dat rationem, quia homo, & Perſona, ſupra ipſum coniunctum ex anima & corpore, minime addunt aliquid poſitiuè præter animam, corpus, & vnionem, ſed ad ſummum, addunt negationem vnionis cum altero ſubſiſtente: & inſuper hanc hypotheſim aſtruit conſequenter ad hæc, quòd caſu, quo *Chriſtus humanam naturam, quam aſſumpſit, deponeret, hoc ipſo eſſet homo, illud coniunctum ex duabus ſubſtantiis.* Ergo in tantùm, illud coniunctum deſinet eſſe homo, in quantùm alteri ſubſiſtenti copulatur. Ergo ex mente ſanctiſſ. Doct. coniunctum illud, eſſe hominem, nihil aliud dicit, quàm corpus, animam, & illorum vnionem inter ſe, & negationem vnionis illorum cum altero ſubſiſtente: Cùm ergo hic & nunc, tale coniunctum per vnionem ad Verbum, prædictam negationem cum alio ſuppoſito deperdiderit, fit, vt Verbum, etſi tale coniunctum aſſumpſerit, minimè tamen hominem aut Perſonam aſſumpſerit.

160. Reſpondeo, Hæc eſſe certa, in ſententia Ang. Doct. & ſuppoſitum habere formale conſtitutiuum ab illo quod habet homo præcisè in eſſe hominis: & ſubſiſtentiam minimè emanaturam è natura, ſi hæc præceſſerit alteri ſuppoſito vnita. Primùm, quia homo formaliter per humanitatem conſtituitur, & cùm hæc nihil aliud ſit quàm anima, corpus, & vnio, ſeu coniunctum ex illis, fit, vt homo formaliter ſaluetur ſtantibus illis tribus, nempe animâ, corpore, & vnione, illas inter ſe nectente. At ſuppoſitum, per ſubſiſtentiam conſtituitur; quâ quidem ablatâ, etſi cætera recenſita conſtent, ſuppoſitum non adeſt, tametſi maneat homo, quantùm ad ſuum conſtitutiuum. Hoc eſſe de mente Angelici Doctoris, ſufficienter innuunt verba textûs: Ponderandum eſt, Angel. Doct. ſolùm dixiſſe, *quòd hoc, quod facit coniunctum ex anima, & corpore eſſe hominem, non eſt præter animam, corpus, & vnionem aliquid poſitiuè*. Ac ſi diceret coniunctum ex corpore, anima & vnione eſſe conſtitutiuum hominis; At non dixit, prædictum coniunctum *facere ſuppoſitum*: Ergo ex mente ſanctiſſ. Doct. Conſtitutiua vtriuſque ſunt diuerſa. Iam quòd ſubſiſtentia minimè emanatura ſit ex illo coniuncto, ſi aliunde hoc dum primò fit, fuerit alteri ſuppoſito copulatum, noſtrum myſterium edocet: & ratio, nam effectus primarius ſubſiſtentiæ impediretur ex illa vnione. Vbi nota, quòd ex qua parte vnio illa eſſet obex, ne ex illo coniuncto, ſubſiſtentia propria reſultaret, fit, quòd in hypotheſi, in qua talis vnio euaneſceret, protinus ex prædicto coniuncto, propria ſubſiſtentia emanaret, atque adeo amiſſio vnionis,

nis, ſeu eius negatio eſt quaſi remouens prohibens emanationem ſubſiſtentiæ propriæ, quâ inquam poſitâ, coniunctum, quod quia antea alteri ſuppoſito vnitum, habebat conſtitutiuum hominis præciſè, ſuſcipit, quia non iam vnitum illi, alterum conſtitutiuum in eſſe ſuppoſiti; nempe ſubſiſtentiam propriam. Per hæc conſpicuus manet aſſignatus textus, ſanctiſſimum doct. docuiſſe, Verbum, totum hominem; quoad eius conſtitutiuum, aſſumpſiſſe, quod nihil eſt dicere ampliùs, quàm integram humanam naturam ex anima, corpore, & vnione, illa copulante coaleſcentem, non verò ſuppoſitum, quia non aſſumpſit ſubſiſtentiam eius conſtitutiuam, quia eius emanationem ex coniuncto aſſumpto, vnio ad Verbum præpediuit.

161. Secundus locus eſt ex hac 3. *p. q.* 4. *art.* 2. *ad* 2. vbi: *Quòd natura aſſumpta non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat; ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt vnio ad diuinam Perſonam.* Pondera. humanitatem Chriſti carere propria perſonalitate, non reddit ſenſum, quòd careat perfectione aliqua poſitiua, ad naturam humanam ſpectante; ſed ideo illa carere, ait, SS. doct. quia prædicta humanitas eſt Verbo vnita. Ergo eſſe ſubſiſtentem in ſententia Angel. Doct. ſolùm ſupra prædictam humanitatem, addit negationem vnionis cum Verbo. Patet, quia ſi ſubſiſtentia eſſet quid poſitiuum, vt nos tenemus, cùm illud ſit complementum naturæ, iam eiùs defectus induceret in naturam, carentiam alicuius perfectionis, ad illam ſpectantis. Quæ maior perfectio naturæ, quam eius complementum? At ſanctiſſ. Doct. ait, naturam aſſumptam non habere propriam ſubſiſtentiam, non importare defectum alicuius perfectionis ad naturam ſpectantis. Ergo. Sed locus iſte eamdem patitur interpretationem cum præcedenti, vt cuique, ſi eos conferat, patebit.

162. Plures rationes ſe offerunt, quæ veritatem concluſionis noſtræ ſuadere videntur. Vnam vel alteram breuiter adducam, quæ ſi cæteris pōderationibus, quas in præcedentibus ſectionibus, cōtra aliorum ſententias propoſuimus, coniungantur, vim ſufficientē, tum ad noſtrā concluſionem ſtabiliendam, tum ad contrariam opinionē refellendam, habebunt. Prima igitur eſt, ex impugnatione aliarum ſententiarum accerſita; etenim alia ſubſiſtentiam aſtruxit, formaliter negationem. Alia ipſam naturam in recto, & negationem in obliquo. Alia eamdem naturam in recto, connotato concurſu, ſibi connaturaliter debito. Alia creationem eiuſdem naturæ, vt non vnitiuam alteri, tamquam ſuppoſito. Quas omnes ſingulatim deleciuimus. At non reſtat, quid aliud ſubſiſtentia ſit niſi realitas poſitiua, diſtincta ab ipſa natura, quam dicatur vltimò perfectè complere. Ergo, &c.

163. Secundò id ipſum probat ratio, communiter ab Authoribus adducta. Ratio conſtituens eſſentialiter ſuppoſitum, eſt id, per quod natura redditur incommunicabilis alteri, tanquam ſuppoſito. Sed id quod ſic naturam reddit incommunicabilem, eſt aliquid poſitiuum diſtinctum à natura. Ergo ratio ſuppoſiti addit aliquid diſtinctum à natura poſitiuè. Probo minorem, id reddit naturam incommunicabilem alteri, quod eam vltimò complet. Sed id, quod vltimò complet naturam, eſt aliquid poſitiuum. Ergo id, quod ſic reddit naturam incommunicabilem alteri, eſt aliquid poſitiuum. Probo minorem; complebile, & complementum ad eamdem lineam entis neceſſariò ſpectant. At id quod complebile eſt, nempe natura, eſt aliquid poſitiuum. Ergo & eius complementum illam complens, debet eſſe quid poſitiuum. Maior eſt clara, potiſſimùm de complebili, & complemento, ex quibus vnum ens per ſe conflatur, qualiter ex natura, & ſubſiſtentia fieri concedere tenentur omnes, qui ex natura humana, & diuina ſubſiſtentia, vnum ens per ſe confici profitentur; vel ſi hoc concedant, & illud negauerunt, tenebuntur reſpondere, cur ex Verbo, & humanitate vnum ens per ſe fiat, & ex eadem humanitate, & ſubſiſtentia propria, ſi illam haberet, vnum ens per ſe non conficeretur, cùm Verbum idem munus erga humanitatem de facto exerceat; quod eidem præſtaret ſubſiſtentia propria, ſi dimitteretur à Verbo? Quod non eſt facilè ſolutu. Eadem maior confirmatur dupliciter. Primò, quia complementum vitæ eſt aliquid poſitiuum. Complementum accidentis, poſitiuum quid eſt, nempe inhærentia: & huius ratio alia eſſe nequit, niſi veritas illius maioris: ſecundò, quia ex rebus diuerſi ordinis, potiſſimùm ſi vna ſit poſitiua, & alia negatiua, quæ compoſitio per ſe deſitabilis præſumitur. Explicatâ ſic maiori illâ, & minori, à cunctis neceſſariò admittenda, videlicet naturam eſſe quid poſitiuum, conſequentia rectè infertur. Etenim natura ſubſtantialis, adhuc vt completa vltimò, excedit accidens vt completum; ſed huius complementum eſt quid poſitiuum, nempe inhærentia, per quam denominatur completum. Ergo & complementum naturæ ſubſtantialis, per quod denominatur, & eſt vltimò completa, debet eſſe quid poſitiuum.

Confirmatur, nam incommunicabilitas hæc, quæ eſſentialiter conſtituit ſuppoſitum vt diſtinctum à natura, vel eſt ipſa entitas poſitiua ſuppoſiti, vel eſt formaliter negatio cummunicabilitatis. Si primum, habemus intentum. Si ſecundum, ergo debet fundari in aliquo poſitiuo; vt videre licet in quauis negatione, quæ per ſe non ſtat, ſed ſemper habet poſitiuum, cui innitatur. At poſitiuum illud, aliud non eſt, quàm realitas ſuppoſiti. Ergo antecedenter ad negationem illam, conceditur aliquid poſitiuum, fundans illam negationem. Ergo antecedens illud poſitiuum, cùm præciſè non ſit natura, quia hæc talem negationem incommunicabilitatis non fundat, erit aliquid conſtituens ſuppoſitum. 164.

Reſpondebis incommunicabilitatem hanc, negationem eſſe, ſed minimè fundatam in aliquo poſitiuo, à natura diſtincto. Vnde entitas naturæ, vel conſideratur reduplicatiuè vt ſuppoſitum, vel ſpecificatiuè, id eſt, hæc natura, quæ eſt ſuppoſitum, vel hoc ſuppoſitum, quod eſt natura. Si primo modo accipiatur natura, eſſentialiter fundat negationem incommunicabilitatis alteri, vt ſuppoſito, ſiquidem per talem negationem formaliter conſtituitur in eſſe 165.

ſuppoſiti,

ſuppoſiti. Si verò accipiatur ſecundo modo, prædicta negatio non eſt illi eſſentialis, imo ab illa ſaltem ſupernaturaliter ſeparabilis eſt, quia entitas, quæ ſuppoſitum eſt, nihil habet, quod repugnet communicationi, atque adeo vt ſupernaturaliter priuetur tali negatione. Res hæc explicari poteſt ſic: aër tenebroſus, vt talis, inuoluit intrinſecè negationem lucis, ita vt ab illo hæc ſeiungi nequeat, verùm ſi conſideretur aër tenebroſus ſpecificatiuè, talis negatio lucis non adeo illi eſt intrinſeca, vt ſeparari ab illo nequeat ſine eo, quòd admittat aër aliquid poſitiuum, & illam acquirere valeat de nouo, abſque acquiſitione alicuius poſitiui, in quo fundetur talis negatio. Ita hæc natura hominis, vt dicens negationem communicabilitatis, eſt ſuppoſitum, vt ſuppoſitum, & correſpondet aëri, vt tenebroſo, atque adeò illi eſt intrinſeca prædicta incommunicabilitas; ſi verò conſideretur, quaſi ſpecificatiuè, poteſt ſaltem ſupernaturaliter prædicta negatione nudari; nam vt ſic correſpondet aëri tenebroſo, ſpecificatiuè ſumpto; atque adeo negationem communicabilitatis poteſt deperdere, quin aliquid poſitiuum, cui talis negatio innitatur, amittat, & illam de nouo acquirere, tametſi nihil poſitiuum intrinſecum, in quo negatio illa fundetur, de nouo acquiratur: ita plures pro Scoto, & cum illo.

166. Sed replicabis: negatio, quæ ſupponit poſitiuam repugnantiam habendi aliquod prædicatum, fundari debet in aliquo poſitiuo, ſine cuius amiſſione talis negatio deperdi, nec acquiri de nouo ſine prædicti poſitiui acquiſitione poſſit. Sed negatio communicationis, quam habet entitas poſitiua ſuppoſiti, ſupponit poſitiuam repugnantiam ad ſe alteri communicandum vt ſuppoſito. Ergo talis negatio fundari debet in aliquo poſitiuo, quæ ſine huius acquiſitione, vel deperditione amitti nequeat. Maiorem explicant exempla; negatio, quam habet ſpiritualis ſubſtantia, vt tribus dimenſionibus quantitatiuis afficiatur, nequit ab illa ſeparari, quin prædicatum poſitiuum ſpiritualitatis à natura Angelica ſeparetur, nec de nouo illi aduenire poſſet, quin illud poſitiuum ſpiritualitatis acquireret nouiter. Præterea: Accidens negationem importat ad exiſtendum per ſe, taliter vt eam amittere nequeat, quin poſitiua prædicata deperdat, cuius rationem dant cuncti, videlicet negationes illas ſupponere, in prædictis ſubiectis, poſitiuam repugnantiam, tam ad quantitatiuas dimenſiones, quàm ad exiſtendum per ſe; nec alia poteſt dari ratio, ſicut, nec poteſt concipi alia, niſi contraria huic, quæ deuincat, quare negatio lucis, quam importat aër tenebroſus, poſſit deſineret eſſe in aëre, quin iſte aliquod poſitiuum ſui amittat, & hoc nequeat prædictis aliis negationibus competere. Ergo maior illa, negatio, quæ ſupponit poſitiuam repugnantiam, ad habendum aliquod prædicatum, fundari debet in aliquo poſitiuo, taliter quòd ſine huius amiſſione, vel acquiſitione, deperdi illa vel acquiri nequeat, eſt vera. Nunc minor probatur primò: non minùs poſitiuè repugnat realitati ſuppoſiti, non ſolùm naturaliter, ſed etiam obedentialiter (ſic enim præueniuntur occurſus) communicatiò alteri, quàm accidenti, exiſtere per ſe naturaliter, & Angelo, quantitatiuæ dimenſioni; ſed ob hanc repugnantiam poſitiuam, in his inuentam, negatio exiſtendi per ſe, & negatio quantitatiuæ dimenſionis in Angelo, & accidenti, fundatur in prædicato poſitiuo, taliter quòd ſine huius amiſſione vel acquiſitione, deperdi vel acquiri nequeat talis negatio. Ergo ſic diſcurrendum de negatione ſe alteri communicandi, quam habet ſuppoſiti realitas. Probo maiorem, repugnantia, quam ad prædicta prædicata habent accidens, & Angelus eſt eſſentialis: ſed hanc habet entitas ſuppoſiti ad ſe alteri communicandum. Ergo non minùs repugnat realitati ſuppoſiti, communicare ſe alteri, quàm, &c. Probo minorē, eſſentialiter repugnat ei, quod ſubſtantialiter eſt completum vltimò, compleri ſubſtantialiter. Sed realitas ſuppoſiti eſt vltimò ſubſtantialiter completa. Ergo eidem eſſentialiter repugnat ſubſtantialiter compleri. Sed alteri ſe communicare, tanquam ſuppoſito, eſt ſubſtantialiter compleri. Ergo realitati ſuppoſiti eſſentialiter repugnat ſe alteri communicare. Maiorem in qua eſt totius concertationis ſcopus, ſic oſtendo. Nam aliquid ſubſtantialiter compleri, dicit eſſentialiter extremum complebile perfici intrinſecè, perfectione ſubſtantiali, quam exigat: ſed ens vltimò ſubſtātialiter completum repugnat perfici ſubſtantialiter perfectione aliqua, quam exigat. Ergo eſſentialiter repugnat ei, quod ſubſtantialiter eſt vltimò completum, compleri ſubſtantialiter. Maior probatur, nam per ſubſtantialiter compleri vnam partem ab alia, vnum totum per ſe reſultat: vel aſſignent modum, quo vnum per ſe ſubſtantiale fiat. At compoſitum per ſe eſſentialiter petit, quòd pars, quæ ſubſtantialiter completur, accipiat perfectionem, quam exigit. Ergo aliquid ſubſtantialiter compleri dicit eſſentialiter, quòd parti, quæ completur, addatur perfectio, quam exigat. Probo minorem. Nam ea eſt præfixa regula apud Philoſophos in omnibus compoſitis per ſe, quæ ſiquis percurrat, certior etiam fiet hæc regula; defectu cuius, ſi vna materia prima ſublunaris alteri cæleſti vniretur, vel vna forma ſubſtantialis copularetur alteri, ex illis nullum ens per ſe conflatum reſultaret: neutra enim illarū alteram perficit perfectione, quā exigit. Nec illatum vnio, ſubſtantialis per ſe cenſeretur, vt cuilibet rē conſideranti conſtabit.

Reſpondebis; Argumentum hoc, vim ſolùm habere in parte, quæ vltimò ſubſtantialiter completa eſt, quòd nequeat naturaliter ab aliqua perfectione, ſubſtantialiter compleri, quia cùm in ſua ſpecie, habeat vltimum ſubſtantiale complementum, naturaliter perfectionem aliam exigere non poteſt, tamen non ſic concludere videtur de perfectione, quā ſupernatuliter accipere valet, ex vnione ad aliud ſuppoſitum diuinum; quia tunc vt ſubſtantialiter compleatur, licèt neceſſe ſit perfici, non tamen perfectione, quàm exigat, ſed perfectione, ad quam, potentiam obedientialem habeat: quia talis, qualis fuerit perfectio, quæ extremo, vnibili aduenit, debet dari potentia in illo, ad eam habendam, ſi fuerit naturalis, illam exiget poſitiuè; ſi verò ſupernaturalis, dabitur in illo obedientialis potentia, atque adeo regula illa præfixa ſolùm erit de compoſitis per ſe, quorum partes naturaliter perficiuntur. 168.

Sed

169. Sed replicabis , omittens ſolutiooem hanc inuoluere doctrinam , nempe quodlibet ens creatum , quantumcumque vltimò complectum , poſſe à Deo ſupernaturaliter compleri, iam ſuprà impugnatam , & iiopugnandam infrà ; pro nunc tamen ſatis mihi erit, ſi conceſſis his , quæ ſolutio tradit , oſtenderim principale punctum illibatum manere. Do igitur teſpondenti non tepugnare eſſentialiter entitati ſuppoſiti , communicare ſe alteri obedientialiter , & miraculosè : ſed tamen ſumo , quod libenter dat teſpondens, nempe entitati ſuppoſiti repugnare , naturaliter, alteri ſe communicare, tamquam ſuppoſito. Ergo hæc eſt vera ; negatio, quam dicit entitas ſuppoſiti , vt alteri ſe naturaliter communicet, ſupponit poſitiuam repugnantiam ad ſe alreri communicandum naturalitet. Ergo prædicta negatio fundatut in aliquo poſitiuo, ſine cuius amiſſione, vel acquiſitione , amitti , vel acquiri talis negatio nequeat. Vtraque conſequentia ſimul probatur, quia penetratio actualis , ſubſtantiæ corporeæ, naturalitet repugnat, negatio, quam dicir , vt cum altera naturaliter penetretur, ſupponit in ea poſitiuam repugnantiam ad ſe penetrandum. cũ altera ſubſtantia molli naturaliter, vt omnib. eſt conſpicuum; Rurſum, & quia taliter ſic poſitiuè tepugnat , prædicta negatio fundatur in aliquo poſitiuo, ſine cuius amiſſione, vel acquiſitione, amitti, vel acquiti naturaliter talis negatio non poſſit. Ergo ſimiliter cùm talis negatio ad ſe alteri naturalitet communicandum, pnſitiuè entirati ſuppoſiti repugnet, ſit, vt talis negatio debeat fundari in aliquo poſitiuo , ſine cuius amiſſione, vel acquiſitione , talis negatio amitti, vel deperdi non poſſit. Ergo incommunicabilitas , quam ſuppoſiti entitas dicit, mera negatio non eſt , ſed aliquod poſitiuum additum natutæ, ex quo, negatio illa teſultet : ſicut impenetrabilitas , non pura negatio eſt ; ſed poſitiuum aliquod ſubſtantiæ additum, ex quo, in illa , negario prædicta emanet. At hoc eſt punctum controuerſiæ. Ergo inconcuſſum manet adhuc, conceſsâ doctrinâ, quam dicta ſolutio inuoluit.

170. Confirmatut ad hominem cootra doctinam Scoti, indiuiſio per materialia principia, quam eſſentialiter dicit indiuiduum, non eſt merè negatio in illo, ſed poſitiuum quid additum naturæ ſpecificæ, quod ab eo , & ſuis diſcipulis appellatur hæcceitas, ex qua reſultat in ipſo prædicta diuiſionis negatio. Ergo incommunicabilitas entitatis ſuppoſiti , negatio pura nnn etit, ſed aliquid poſitiuum naturæ ſubſtantiali additum, ex quo, in illo puta negatio ſe alteri communicandi ſuppoſito teſultet.

171. Sed teſpondebis ſolita ſolutione fortaſſe, negando conſequentiam, nam indiuiſio per principia materialia eſt eſſentialis , & intrinſeca indiuiduo ; non enim eſt dabile hoc , quod etiam de potentia abſoluta diuidi per alia principia valeat, atque adeo in eo non eſt obedientialis potentia, vt diuidatur. At incommunicabilitas entitati ſuppoſiti non ita eſt illi eſſentialis , vt ſaltem obedientialiter alteri communicati nequeat, ſiquidem eo ipſo, quòd ſuppoſitum creatum ſit, eſt obedientialiter capax communicari ſe diuino ſuppoſito , atque adeo indiuiſio illa eſt poſitiua repugnantia, & ſic poſitiuum quid, in quo negatio fundatur , contrarium tamen incommunicabilitatis ſuppoſiti euenit , quæ non eſt poſitiua repugnantia ad ſe communicandum, cùm obedientialiter communicabile ſit quoduis creatum ſuppoſitum.

172. Sed replicabis ſupponens ſemper doctrinam hanc falſo ſupponi , poſtea tamen examini tradendam , & licèt *numero* 169. fuerit conceſſa , & impugnata , ex alibi tamen latiùs dicendis contra illam arguo : non ſtat , in ſententia Scoti, actualis communicatio per ſolam potentiam obedientialem cum ratione ſuppoſiti. Ergo iſtud dicit incommunicabilitatem etiam per potentiam obedientialem; & conſequenter paritas erit cum indiuiſione indiuidui. Antecedens admittit Scotus cum fide , etenim humanitas Chriſti fuit ſolùm per potentiam obedientialem , Verbo communicata , & ideo ſortita non eſt rationem ſuppoſiti creati. Conſequentiam probo, non minùs repugnat communicabilitas ſecundùm potentiam obedientialem entitati ſuppoſiti , quàm actualis communicatio per eamdem potentiam obedientialem. Ergo ſuppoſitum dicit eſſentialiter incommunicabilitatem per potentiam obedientialem , ſi actualis incommunicatio per eamdem potentiam eſt illi eſſentialis. Antecedens probo : quia actualis communicatio per potentiam naturalem pugnat cum entitate ſuppoſiti, etiam communicabilitas per potentiam naturalem pugnat cum entitate ſuppoſiti. Ergo ſi actualis communicatiò per potentiam obedientialem repugnat ſuppoſito, etiam communicabilitas per eamdem obedientialem potentiam ſuppoſito tepugnabit. Antecedens patet & conceditur à Scoto ; anima enim tationalis, nedum quando actualiter ſecundùm potentiam naturalem ſuppoſitum non eſt , ſed etiam quando actualiter non eſt vnita, quia tunc eſt communicabilis naturaliter alteri. Nunc conſequentiam probo , quia quemadmodum actuali communicationi ſecundùm potentiam naturalem correſpondet communicabilitas ſecundùm eamdem potentiam , quæ æquè cum ſuppoſito pugnet. Cur communicationi ſecundùm obedientialem potentiam aliàs ſuppoſito repugnanti non correſpondebit communicabilitas per eamdem potentiam , quæ æqualiter cum ſuppoſito tepugnet ? Ergo ſuppoſito vtraque communicabilitas tepugnat. Ergo vtramque dicit eſſentialiter. Ergo incommunicabilitas hæc, ſicut indiuiſio , eſt poſitiua repugnantia. Ergo non eſt pura negatio ſed aliquod poſitiuum, illam fundans.

173. Tandem reſolutionem probo : ſiquidem illa admiſſa , aptiùs intelliguntur Conciliorum & Patrum dogmata, quæ de noſtro myſterio euulgant.. Ergo. Antecedens patet, etenim aſſerta illorum docent , Verbum non fuiſſe homini vnitum, ſed humanitati. Verbum non aſſumpſiſſe, perſonam creatam, ſed eam conſumpſiſſe. At iſta bene intelliguntur, ſi dicamus, Verbum ideo naturam aſſumpſiſſe , & non perſonam, quia perſonalitatem non aſſumpſit , & ſi quæratur, cur iſtam non aſſumpſerit, teſponſio eſt in promptu, quia in natura aſſumpta, talis perſonalitas non aderat. Verùm non ita facilem

exitum habent aliæ ſententiæ, nam qui ſuppoſitum eſſe negatiuum profitentur, dictas locutiones Patrum reddunt vanas, & irriſorias, nam ſi quæratur ab illis de cauſa locutionum illarum, reſpondere tenentur, ideo Verbum perſonam humanam non aſſumpſiſſe, quia illam ſibi viuit, vt latè explicuimus *ſect. 5. à num. 86. & deinceps.* Cæteræ verò ſententiæ nec ita exactè ſicut noſtram rem expendunt, & dum myſterium explicare conantur, alia myſteria miſcent.

173. Argues 1. contra reſolutionem. Concilia, & Patres docent, Chriſtum eſſe perfectum Deum, & hominem, nec non omnes proprietates humanæ naturæ creatæ habere; & taliter noſtro primo parenti Adamo extitiſſe ſimilem, vt nulla perfectione humanæ naturæ, ad eius integritatem ſpectante, eſſet deſtitutus, quòd expreſsè illud Pauli *ad hebr. 2.* definit per hæc: *debuit per omnia fratribus aſſimilari.* At ſi ſubſiſtentia eſt aliqua perfectio poſitiua, addita naturæ humanæ, & aliàs eâ deſtitutum Chriſtum profitemur, iam ipſum, aliqua perfectione poſitiua naturæ creatæ caruiſſe docemus, quod aſſertis datis obuiare quis dubitat. Ergo cum ſententia noſtra non cohærent ſacra oracula.

174 Reſpondeo Sanctos PP. & CC. ſic intelligi debere, vt eorum pronunciata cùm ſenſum obtineant, qui accommodari valeat obiectionibus hæreticorum, contra quos illa dirigebant. Vnde inſani quidam defendebant Verbum aſſumpſiſſe humanitatem ſine voluntate, quos Monothelitas appellabant, vt latè de illis tract. de his, quæ ſpectant ad voluntatem Chriſti, erit ſermo. Alij defendebant corpus, & non animam, Verbum aſſumpſiſſe, vt Appollinariſtæ, contra iſtos etenim direxerunt aſſerta ſancti Patres, docentes vniuerſaliter Verbum aſſumpſiſſe quidquid ad perfectionem naturæ humanæ pertinebat, & deſiderabatur vt verus homo euaderet Chriſtus. Vt enim iſta ſaluari queant, neceſſe non fuit illi concedere aſſumptionem perſonalitatis, quia cùm hæc non ad conſtitutionem naturæ, ſed Perſonæ ſpectet, & ipſi contra Neſtorium defendentem, Verbum aſſumpſiſſe creatam Perſonam, negent in Chriſto nullo modo inuentam fuiſſe creatam perſonalitatem; ideo iuxta illos, quamuis hæc perfectio poſitiua ſit, tamen quia naturæ addita, ſaluabitur iuxta illos naturam ſine illa fuiſſe à Verbo aſſumptam.

175. Sed replicabis, nam licèt ſolutio hæc ſaluet prædictas Patrum locutiones, per illam redditur difficile æquè aſſertum Damaſceni *lib. 3. fidei cap. 6.* aſſerentis: *Verbum aſſumpſiſſe totum id, quod in homine plantauit, vt totum hominem curaret.* Ex quibus ſic arguitur. Per nos in homine Deus ſubſiſtentiam, vt à natura diſtinctam plantauit. Per nos etiam Verbum perſonalitatem non aſſumpſit. Ergo Verbum aliquid non aſſumpſit, quod in homine plantauit. Ergo aliquid plantauit, quod non curauit, ſiquidem quod in homine curauit, per aſſumptionem curauit. Si autem perſonalitas ſit negatio, bene conciliantur iſta, cùm propriè negatio à Deo in homine plantata non fuerit, & ſic mirũ non eſt, quod per aſſumptionẽ curari non poſſit perſonalitas. Si autem poſitiuum ſubſiſtentia ſit, plantationem Dei in homine terminare fuit neceſſe. Quomodo ergo curata fuit Perſona ſi aſſumpta non fuit, vt de fide habemus,

Sed reſpondebis, Damaſcenum aliò ſua verba retuliſſe, ſicque interpretandus venit in omni ſententia; etenim medela, quam indidit ei, quod in homine plantauit, non fuit à Verbo, naturæ à ſe aſſumptæ applicata, quia medicaminis applicatio ſupponit ægritudinem in eo, cui perhibetur, cúmque nulla infirmitate laboraſſet humanitas à Verbo aſſumpta, nec potuiſſet, non ſolùm in ſenſu compoſito vnionis, ſed etiam nec in ſenſu diuiſo, medio peccato, vnionem ab ipſa diuidente, vt latiſſimè dabimus tract. de his, quæ ſpectant ad animam Chriſti, vbi plura ſcitu digna de Chriſti impeccabilitate in quauis hypotheſi ediſſeremus. Fit, quòd per aſſumptionem nihil humanitatis proprium curaſſet, exinde fit rurſum, vt perſonalitati propriæ nullam medelam præſtiterit, tum quia nullam aſſumpſit; tum etiam quia caſu, quo etiam ſibi vtiuiſſet, æquè ſanam ac naturam accepiſſet. Dixit ergo Damaſcenus Verbum aſſumpſiſſe totum id, quod in homine plantauit, vt totum hominem curaret, ac ſi diceret; aſſumpſit naturam eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ infirmabatur, & mediante illa, operationes elicuit condignè ſatisfactorias, quibus hominum naturas & Perſonas curauit, quatenus per opera condigna promeruit cæteris hominibus remedium, ab illis infirmitatem peccati, qua vexabantur, expungens. 176.

Secundò argues, ſi ſubſiſtentia eſt poſitiua perfectio naturæ, & ab illa diſtincta. Ergo ad illam dicit appetitum. Ergo tandiu violentiam patietur, quandiu ſine illa extiterit. At humanitas Chriſti fuit hac propriâ ſubſiſtentiâ in æternum orbata. Ergo in æternum vim & violentiam patietur. Quod eſſe falſum, quis non videat. 177.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Ergo ad illam dicit appetitum, in hypotheſi, quòd aliá propriæ æquiualẽtem non haberet, do, caſu, quo illius ſupplementum æquiualens haberet, nego, & ſub eadem diſtinctione concedo, & nego conſequentiam, & diſtinguo ſubſumptum. At humanitas Chriſti fuit propria ſubſiſtentiâ deſtituta, aliam æquiualentem non habens, nego, habens aliam, propriæ æquiualentem, concedo, & nego conſequentiam. Itaque violentiam pati (conceſſo, quòd Deus violentiam rebus creatis inferre poſſit, quod negamus cum ſanctiſſ. doct.) nedum deſiderat carentiam perfectionis naturalis ſibi debitæ, ſed & carentiam alterius æquiualentis illi in munere ipſo, quod præſtaret perfectio illa ſi in ſubiecto adeſſet. Cùm ergo humanitas Chriſti ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ orbata, licèt illâ in æternum ſit caritura; tamen loco illius adfuit excellentior ſubſiſtentia, quæ eminentiùs exercuit munus illud, quod exequeretur ſubſiſtentia propria, ſi adfuiſſet, ideo violentiam nunquam fuit paſſa, tametſi propriam ſubſiſtentiam non eſſet poſſeſſura in æternum. Et exinde colligere poteris, humanitatem, ſemel diuinâ ſubſiſtentiâ terminatam, proprium nullum habuiſſe appetitum ad propriam ſubſiſtentiam; ſiquidem 178.

appe

appetitus ſtrictus ad formam, ſupponit carentiam totalem formæ & muneris eius. At licèt humanitas Chriſti propriâ ſubſiſtentiâ caruerit, ſed tamen eius munere, ab excellentiori ſubſiſtentia præſtito, fuit potita: ideo nec eam ſtrictè appetinit, nec ſine illa violentiam aliquam fuit paſſa.

179. Tertiò argues cum Scoto; nullum ens poſitiuum extat, quod à Deo aſſumi nequeat. Ergo ſi perſonalitas creata eſt aliqua realitas poſitiua. Ergo aſſumptibilis. Antecedens patet, nam quodlibet poſitiuum ens ſubditur obedientialiter Deo, ergo ſi illud velit Deus aſſumere, nihil tali aſſumptioni ex parte creati poſitiui reſiſtere poterit. Conſequentiæ benè inferuntur. Tunc ſic, ſed ſi perſonalitas aſſumèretur, eius deſtrueretur eſſentia, quam incommunicabilitate conſtitui decreuimus. Ergo vel ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitiuum, vel erit aſſumptibilis, media aſſumptione, ſuæ eſſentiæ deſtructiua: quod implicat.

180. Reſpondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens, quodlibet poſitiuum ens ſubditur obedientialiter Deo in ordine ad id, quod implicat, nego: ad non implicans, concedo, & concedo conſequentiam; nam eo ipſo, quòd Deus velit aliquid aſſumere, ſupponitur illud non implicare aſſumi; vt de ſe patet, ex ſuppoſitione verò quòd non implicet aſſumi, & Deus illud aſſumere velit, ex parte aſſumptibilis nulla dabitur reſiſtentia, ſed obedientia prona ſe ſinens aſſumi. At ſubſiſtentiam aſſumi implicare oſtendimus tota hac ſectione; & infrà ſuo loco latiùs manifeſtabimus: & pro nunc ſit inſtantia, indiuiduum ſubditur obedientialiter Deo, & tamen quia implicat ei in ſententia Scoti diuiſio per materialia principia, nullus eſt caſus dabilis, in quo talis diuiſio contingat illi, etiam de potentia abſoluta; item inhærentia eſt aliquid poſitiuum & ideo obedientialiter Deo ſubdita, & tamen illi Deus communicare nequit fieri per ſe, quia hoc implicat, cùm repugnet ſic eſſe in alio, quod eſt eius eſſentia. Applica.

181. 4. Argues: de potentia abſoluta poteſt Deus humanitatem ſibi vnitam dimittere à ſe, & ſine aliqua alia entitate, de nouo illi communicata conſeruare; in hac hypotheſi talis natura eſſet ſuppoſitum, ergo ſuppoſitum non addit aliquid poſitiuum à natura diſtinctum; Probo minorem, nam talis natura eſſet in ſe & per ſe, quia non eſſet in alio, cùm ab illo alio dimiſſa eſſet, & non ſit dabile medium, ergo talis natura eſſet ſuppoſitum, cùm hoc per eſſe in ſe, eſſentialiter conſtituatur.

182. Reſpondeo omittens poſſibilitatem hypotheſis infrà ſcribendam; pro nunc illa conceſſâ, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens, illa natura eſſet in ſe, per ſe formaliter, perſeitate incommunicabilis alteri, tanquam ſuppoſito, nego; perſeitate incommunicabilitatis alteri, tanquam ſubiecto, concedo. Et nego conſequentiam. Ad probationem ibi inſinuatam, diſtinguo: Suppoſitum eſſentialiter conſtituitur per hoc quòd ſit per ſe, perſeitate incommunicabilitatis alteri, tanquam ſuppoſito, concedo, perſeitate incommunicabilitatis alteri, tanquam ſubiecto, nego: Huic formæ materiam miniſtrauit ſectio tota.

Argues vltimò: Per hoc, quòd natura intelligatur ſine vnione ad ſuppoſitum, vel ad aliam partem, eſt ſuppoſitum. Ergo hoc non addit aliquid poſitiuum ſupra naturam. Antecedens probant exemplis: pars aquæ ſeparata eſt ſuppoſitum, dum verò alteri parti vnitur, eſſe ſuppoſitum deſinit, ſolùm deperdita, in illa, vnionis negatione ad aliam compartem. Rurſum materia cum ſolis formis partialibus & elementa, extra mixta, veram habent ſuppoſiti rationem; & tamen deſinunt eſſe ſuppoſita, ſola illis addita vnione ad formam vlteriorem. Ergo humanum ſuppoſitum deſinet eſſe tale, dum diuino copulatur, etiamſi nihil illi addatur præter vnionem ad hoc, omni alia poſitiua realitate deperdita: ergo ſuppoſitum non addit aliquid poſitiuum diſtinctum à natura. 183.

Reſpondebis cum Vaſquio hîc *diſputat.* 32. *cap.* 5. *num.* 7. quòd quando vniuntur duæ aquæ ad conſtituendam maiorem aquæ quantitatem, deperdantur ſubſiſtentiæ illarum, & earumdem loco producatur vna alia nouiter, vi cuius tota illa aqua ſubſiſtat, quæ ſubſiſtentia tandiu durat, quandiu retardat diuiſio illarum partium aquæ: rationem dat, quia eo, quòd prædictæ partes ſeparentur inter ſe; præcedens ſubſiſtentia deſinit eſſe, productis aliis ſubſiſtentiis de nouo, quibus aquæ illæ denuò ſeparatæ incipiant ſubſiſtere, & hoc eſſe in cauſa, quòd ſuppoſitum non communicetur ſuppoſito, ſed natura naturæ communicatur: rationem dat, quia vt communicarentur primo modo, neceſſe erat, quòd vtraque illa aqua, vt coniungitur, maneret ſuppoſitum retinendo in ſe priorem ſubſiſtentiam. Addit vlteriùs ſubſiſtentiam iſtam iam deperditam, quando coniunguntur, iam acquiſitam de nouo, quando ſeparantur aquæ, eſſe diuiſibilem, & ex partibus compoſitam, ſecundùm extenſionem, eo modo quo alia entia materialia diuiſibilia cenſentur: verùm non ad hunc ſenſum, quòd componatur ex pluribus ſubſiſtentiis partialibus, ſiquidem partes illius non reddunt partes ipſius ſubſtantiæ incommunicabiles, cùm re vera iſtæ ſint in alio, videlicet in toto; ſed omnes partes ſubſtantiæ ſimul ſumptæ, habent vnam integram exiſtentiam, cum vnico tantùm modo per ſe non diuiſibili in alios modos per ſe, licèt ſit diuiſibilis in partes; & tradit exemplum in Perſona, quæ tota diuiſibilis eſt in partes, non tamen in plures Perſonas, & homo diuiſibilis eſt, & partes habet, & tamen diuidi nequit in plures homines partiales. Vnde partes illius ſubſiſtentiæ cenſet Vaſquez eſſe heterogeneas & diuerſæ rationis. 184.

Pluribus diſplicet reſponſio hæc, quos ſequitur Cippullus *quæſt.* 2. *artic.* 2. *dub.* 1. *num.* 51. Tum, quia ſi ex ſeparatione illius aquæ noua acquireretur ſubſiſtentia, & ex coniunctione, præcedens deperderetur. Vel è contrà, fieret, quotidie portentum mirandum, nempe, quòd quoties aufertur modica aquæ guttula à 185.

mari, corruptam iri totam ſubſiſtentiam maris, & aliam de nouo generari, quod creditu eſt difficile. Tum etiam, quia æquè difficile apparet, docere ex vna parte ſubſiſtentiam aquæ eſſe in partes diuiſibilem, & ex alia, quòd non ſint ſubſiſtentiæ: nam ſi diuiſibilis eſt in partes, vel hæ ſunt partes, quas ſubſiſtentia in ſe præhabet, vel non. Si hoc, eſt impoſſibile, quod in eas diuidatur, cùm nihil diuidi poſſit in id, quod in ſe non contineatur, vt in toto. Si primum. Ergo partes, in quas diuiſibilis eſt ſubſiſtentia, ſubſiſtentiæ partiales debent eſſe, quia diuidi nequit totum in partes, quæ partialiter rationem formalem totius non participent.

186. Reſpondet ergo Cippullus *numero* 56. ex doctrina communiter recepta, per ſubſiſtentiam non impediri formaliter quamcumque vnionem, ſed ſolùm illam, quæ eſt propriâ ſubſtantiæ, vt ab accidenti diſtinctæ: etenim ſubſiſtentia, eſt vltimum complementum & perfectio naturæ ſubſtantialis, non in quocumque genere, ſed in ſubſtantiali, quare non impedit ſubſiſtentia vnionem, ſecundùm extenſionem, qua ratione vna aquâ alteri vnitur, vt conſtituat cum alia maiorem quantitatem aquæ; Hæc inquam vnio licèt conueniat ſubſtantiis materialibus, conuenit etiam quantitati; imo iuxta ſententiam valdè probabilem, (nempe diſcipulorum ſanctiſſ. Th. denegantium diuiſibilitatem adhuc partium entitatiuarum ipſi ſubſtantiæ ſecluſa quantitate) talis extenſio conuenit ſubſtantiæ etiam materiali, ratione quantitatis. Vnde aduertit, quòd licèt concedat partibus aquæ vnitis, proprias ſubſiſtentias, tamen negandum eſt illis, vt ſic vnitis, eſſe vera ſuppoſita; & dat rationem, quia ſuppoſitum, in communi acceptione, ſolùm dicitur de illo, quod exiſtit per modum totius, eſtque quid completum, quare ſicut vna pars aquæ, retenta ſua entitate, amittit rationem totius, per vnionem cum alia parte, ſic etiam retenta ſua ſubſiſtentia, amittit denominationem totius. Hanc eamdem ſolutionem tradit Lugus *diſputatione duodecima, ſectione quarta, à numero quinquageſimo quinto, vſque ad quinquageſimum nonum*.

187. Verùm licèt ſolutio hæc vera ſit, adhuc difficultas, obiectionis vim conſeruat. Etenim iſti Authores admittunt, aquam ab alia ſeparatam, eſſe verum ſuppoſitum; dum verò alteri coniungitur, rationem ſuppoſiti amittere, & idem dicere debent de elementis, quæ ſecundùm ſtatum ſeparationis à mixto, veram ſuppoſiti rationem obtinebant, in ſtatu verò coniunctionis cum illo, eam deperdunt. Hoc totum eſt verum, & vt verum arguens ſupponit; imo & ex eius ſuppoſitione auget ſuæ difficultati robur, conſiſtit enim in hoc. Aqua ſeparata eſt ſuppoſitum, ſtatim ac alteri vnitur, deſinit eſſe ſuppoſitum: vel enim dum deperdit rationem ſuppoſiti, amittit aqua aliquid poſitiuum, quod antea habebat, vi cuius antea erat ſuppoſitum, & defectu illius, nunc iam ſuppoſitum non eſt; vel nihil poſitiuum amittit. Primum negant iſti Authores, cùm fateantur, eadem prædicata ſubſtantialia aquæ, & eamdem ſubſiſtentiam, quæ in ſtatu ſeparationis habebat aqua, perſeuerare illæſa in ſtatu vnionis cum altera. Ergo ſecundum; ergo poteſt amittere natura rationem ſuppoſiti, etiamſi aliquid poſitiuum non amittat. Ergo ſimiliter poterit ſuppoſitum humanum deſinere eſſe humanum ſuppoſitum, licèt non amittat aliquam poſitiuam realitatem in ſe. Ergo ſicut aqua per ſolam additionem vnionis ad alteram, amittit eſſe ſuppoſitum; ita ſuppoſitum humanum per additionem ſolius vnionis cum ſuppoſito diuino, amittit eſſe ſuppoſitum humanum. Ergo nulla eſt ratio conuincens in noſtra ſententia cum, qui diceret, humanitatem (ſi in tempore anteceſſiſſet exiſtens ante vnionem) verum ſuppoſitum fuiſſe, per ſolam negationem coniunctionis cum diuino ſuppoſito: quia ſi defendimus, aquam ante vnionem cum alia, ſuppoſitum eſſe per negationem coniunctionis cum illa; cur id ipſum efferrè de humanitate in illa hypotheſi, & de qualibet alia natura, non valebimus.

188. Nec refert dicere, illos defendere, aquam ſeparatam ſuppoſitum non eſſe, per ſolam negationem coniunctionis cum alia, ſed per poſitiuam realitatem additam ipſi naturæ aquæ. Non inquam refert; ſiquidem ex alia parte redditur obiectio difficilis; ergo aqua cùm alteri coniungitur, & intrinſecè amittit rationem ſuppoſiti, vel deperdit illam intrinſecam realitatem, vi cuius conſtituebatur ante vnionem in ratione ſuppoſiti, vel non. Primum negatis. Ergò ſecundum. Ergò ſimiliter de humanitate in illa hypotheſi poterit quis dicere, quòd dum vnitur ſuppoſito diuino, amittit rationem ſuppoſiti, licèt non amittat realitatem illam, vi cuius ante vnionem conſtituebatur in ratione ſuppoſiti. Vel de hoc eſt reddenda ratio, vt inter humanitatem, & aquam diſparitas dignoſcatur.

189. Fateor tem hanc inter difficillimas computandam; nec ab ea ſatis vllum expeditum inſpexi, & licèt non me parùm illâ præpeditum ſentiam, à communibus tamen principiis non deflectens, quæ ex his Authoribus, & aliis, quos ipſi ſunt ſequuti, notata relinquo. Reſpondeo igitur in forma obiectioni *num.* 183. factæ, diſtinguo antecedens, per hoc, quòd natura intelligatur ſine vnione ad ſuppoſitum vel ad aliam partem, eſt ſuppoſitum, ſine vnione ſola, nego antecedens, ſine vnione & ſubſiſtentia, iterum diſtinguo, ſi natura præceſſerit completa in linea vltima, concedo, ſi non præceſſerit completa, nego, vt patet in anima ſeparata, quæ ſubſiſtens eſt, & non eſt vnita, & quia non eſt completa, ſuppoſitum non eſt, & nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio diſparitatis, quæ mihi eſt viſa probabilior, ſic procedit, ſupponens aquam (& idem intellige de aliis numeratis in antecedenti) habere duo, ex propria ratione, ſui conſtitutiua in ratione ſuppoſiti non viuentis

uentis. Primum, quòd dum eſt ſeparata, & in ſe ipſa, eſt verum ſuppoſitum, quia conſtat materia formâ & vnione, nec non & ſubſiſtentiâ; atque adeo hæc adtienit naturæ ſubſtantiali, ſuis partibus phyſicè eſſentialibus integratæ & abſolutæ: atque adeo rationem ſuppoſiti ſortitur, quod animæ rationali ſeparatæ etſi ſubſiſtenti non competit, eo quòd talis ſubſiſtentia non adenit ei, ſecundùm eſſentialia ſubſtantialia naturæ completæ, vtpote, quæ eſt eſſentialiter pars. Secundum, quòd in aqua inuenitur, vt ſeparata eſt, illam ab intrinſecò eſſe naturaliter ordinabilem ad perfectius compoſitum componendum, ſaltem perfectione extenſiua; non verò perfectione ſubſtantiali intenſiua: vnde modica aquæ guttula ſeparata, tam perfecta ſubſtantialiter extat aqua, ac maris pelagus, licèt non ita extenſiuè perfecta: dum enim illa iſti continuatur, aliud fit ſuppoſitum extenſiuum, diſtinctum à ſuppoſito ipſius guttulæ, dum ſeparata etat; quia in ſtatu ſeparationis habebat modicam quantitatem, diſtinctam à quantitate maris, atque adeo etant duo tota materialia, quia præter duplicitatem partium ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiarum, dabantur etiam duæ quantitates, à quibus habebant eſſe duo tota. Poſtmodum verò quando vniuntur, fit vna quantitas, & quia hæc reſultat maior ex vnione, fit, quòd maius totum reſultet ex vnione, quam illa tota ſeorſim ſumpta. Vnde aqua ſeparata non habet ex ſe omne complementum extenſiuum, quod poteſt naturaliter habere: atque adeo extenſiuè poteſt compleri, completur toties, quoties alteri aquæ vnitur. Hoc notato.

190. Diſparitas hæc poteſt adumbrari; etenim ſuppoſitum humanum, eo ipſo quòd ſuppoſitum humanum, habet in ſe omnem completionem deſiderabilem intra lineam ſubſtantiæ, atque adeo naturaliter non eſt ordinabile ad alterius compoſitum conſtituendum; ſiquidem in qualibet compoſitione per ſe ſubſtantiali, extremum complebile perfici debet aliqua perfectione, quam exigat. Cùm ergo ambo ſint completa ſubſtantialia, neutrum illorum poterit perfici aliqua perfectione alterius, quam exigat, aliàs non eſſent completa, vt ſupponimus. Ex quo fit, nullum compoſitum ſubſtantiale, poſſe deſinere eſſe compoſitum humanum, ex ſola vnione ad aliud ſuppoſitum etiam diuinum, quin deperdat aliquid perfectionis, quam exigit habere, quia ſi illâ non careat, non perficietur à ſuppoſito, cui vnitur, & ſi ab hoc perfici nequit, nec ab illo poterit aſſumi, nec illi ſubſtantialiter vniri. Ar ſuppoſitum aquæ, cùm ex ſe completum non ſit extenſiuè, poterit extenſiuè perfici ab alio, cui vniatur, & cùm talis extenſiua perfectio illi contingat ex vnione ad alterum, fit, quòd ſine amiſſione alicuius realitatis poſitiuæ, deſinat eſſe ſuppoſitum minùs extenſum, & mutetur in eſſe ſuppoſitum magis extenſum, ſolum illi addita vnione ad alterum ſuppoſitum.

191. Sed quæres, in hypotheſi, in qua Verbum aſſumeret aquam, quæ eſt in hac hydria, & poſtmodum illa aqua ſic aſſumpta continuaretur cum aqua maris, vel fluminis, poſſet-ne illa aqua retinere vnionem cum Verbo? ſi affirmas. Ergo adhuc illa aqua vt in flumine exiſtens, eſſet ſuppoſitum, quod ſupponimus eſſe falſum, cum aqua dum alteri coniungitur, licèt retineat ſubſiſtentiam, quam antea habebat, vi cuius erat ſuppoſitum, iam ſemel coniuncta, ſuppoſitum non eſt: deinde tamen videtur, debere eſſe ſuppoſitum, quia eſt vnita cum Verbo, ex quo & natura aſſumpta reſultat neceſſariò ſuppoſitum, vt contingit in humanitate ab ipſo Verbo aſſumpta. Rurſum ex alia aqua, à Verbo non aſſumpta, & ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ terminata reſultabit aliud ſuppoſitum dinſtinctum; atque adeo duo cenſebuntur ſuppoſita in illa aqua, quod abſurdum eſſe, diximus.

Reſpondeo in tali hypotheſi (cuius caſum non eſſe impoſſibilem ſuſpicor) eodem modo diſcurrere licebit, ac in hypotheſi, in qua animam rationalem ſeparatam aſſumeret, vel vt accommodatiùs intento loquar, ſicut in hypotheſi, in qua diuinum Verbum animam rationalem ſibi vniret, non aſſumendo corpus, cui eſſet copulata; an hoc contingere poſſit, poſtea diſcutiendum. Itaque in tali hypotheſi eam illam denominationem præſtaret Verbum aquæ aſſumptæ, dum alteri eſſet vnita, quam propria ſubſiſtentia illi daret, ſi eam haberet; cùm ergo hæc prædictam aquam alteri vnitam ſolùm ſubſiſtentem denominaret, non verò ſuppoſitum; ita nec diuinum Verbum ſuppoſitum, ſed ſubſiſtentis nomen eidem præſtaret. Ratio vtrobique eſt par, nam ſuppoſitum vocatur id, quod habet modum eſſendi totius, aqua alteri vnita habet modum eſſendi partis, & exinde ſiue ſit propriâ, ſiue alienâ, & diuinâ ſubſiſtentiâ terminata, ſuppoſitum non euadit, ſed ſubſiſtens; non aliter, ac ſi in homine animam rationalem præciſè aſſumeret Verbum diuinum, eam ſubſiſtentem, non verò ſuppoſitum denominaret. In illa ergo hypotheſi non eſſet verum, dari in flumine duo ſuppoſita, ſed ſolùm vnum ex duplici parte conſtans, taliter, quòd vna terminetur propriâ ſubſiſtentiâ, & altera, diuinâ, hæc tandiu ſolùm ſubſiſtens, quandiu vnita: at prorſus ac ſeparata ab alia; nedum ſubſiſtens, ſed & ſuppoſitum appellaretur ob rationem datam. Et licèt hæc veroſimilia ſint, non erit difficile doctrinam hanc pondetanti oſtendere, in tali hypotheſi nullum reperiri ſuppoſitum. Sed, ne tem difficiliùs, quàm par eſt, protendam, legenti eius examen remitto.

192.

Ex reſolutione omnium, quæ in his ſectionibus dedimus, conſtare videtur veritas illius concluſionis, quam aſtruxi *ſect. 4. num. 59.* vbi diximus, poſſibilem eſſe incarnationem ex parte humanitatis, necnon ſufficiens ſolutio rationis dubitandi, in cuius exactam intelligentiam prædicta omnia inſerta ſunt. Fatemur ergo perſonalitatem creatam eſſe realiter diſtinctam à noſtra humanitate, & Chriſti: ad probationem huius pluries oſtendimus, quomodo ſine ſubſiſtentia, aut perſonalitate ſalua 193.

ſaluari poſſit totum hominis conſtitutiuum, & conſequenter , quòd licèt Verbum , perſonalitatem non ſibi vniuerit , ſed naturam , tamen eundem in ſpecie nobiſcum hominem, quoad conſtitutiuum, aſſumpſerit.

Sectio IX.

Poſſibilis eſt incarnatio ex parte Compoſiti, ex natura creata & Verbo.

194. PRæfixa reſolutio eſt Catholicorum omnium ; & probatio eius , ex doctrina ſparſim tradita in ſectionibus antecedentibus conſtat ; & ſiqua manet difficultas, ſolutio argumentorum deuincet eam. Ratio igitur eſt : in compoſito iſto nulla apparet repugnantia. Ergo : antecedens probo, vel repugnantia hæc ſumeretur ex parte Dei , cui repugnare videtur vnire ſe, vt ſubſiſtentiam. At ſectione prima probauimus , Deum ſic ſe vnire humanitati , tantùm diſtare ab imperfectione , vt potiùs , in eius excellentiam eat ; ſiquidem vnite ſe , vt ſuppoſitum , eſt naturam aſſumptam perficere, ſine perfectione, aut mutatione, quæ ipſi adueniat. Ergo.

195. Vel talis repugnantia oritetur ex vnione; ſed hanc deuicit ſectio ſecunda. Ergo. Vel deſumitur ex parte humanitatis. Sed nullam ex hac deduci poſſe, ſatis , ſuperque conſtat , *a ſectione tertia vſque ad octauam incluſiuè.* Ergo ex nullo capite , in compoſito ex natura humana , & diuino Verbo reperitur repugnantia : ſiquidem ex nullo capite , alia talis implicantia ortum habere poteſt.

196. Argues primò, compoſitum illud repugnat, cuius partes , vt illud componentes , repugnant. Sed partes iſtius noſtri compoſiti, nempe humanitas, & diuinum Verbum, vt actualiter iſtud compoſitum componentes , repugnant. Ergo & compoſitum ex illis. Minor probatur , nam tunc repugnant partes, vt actualiter componentes , quando eis repugnat ratio actus , & ratio potentiæ. Sed humanitati & Verbo , prædictæ rationes repugnant. Ergo & eis repugnant eſſe partes actualiter componentes vnum per ſe. Minor patet , nam Verbo repugnat vtraque ratio , imprimis nequit ſe habere , vt potentia , vt de ſe patet, nec vt actus , nam hic reſpectu illius eſt talis , vt actuet , & illud actuat , quod perficit , nec perficere valet niſi id , quod informat. At repugnat quòd Deus humanitatem informet. Ergo nequit Verbo conuenire ratio actûs reſpectu humanitatis. Ex alia parte huic etiam repugnat ratio actûs & potentiæ reſpectu diuini Verbi ; ratio actus de ſe patet, quod repugnet. Nunc quòd nequeat eſſe potentia reſpectu eiuſdem , probo , quia humanitas nequit eſſe potentia paſſiua Verbum diuinum, recipiens. Ergo ei reſpectu illius repugnat eſſe potentiam.

197. Reſpondeo , concedo maiorem , & nego minorem. Ad probationem , concedo maiorem , & nego minorem. Ad probationem. Concedo maiorem , & diſtinguo minorem. Sed Verbo & humanitati repugnat ratio actûs & potentiæ cum imperfectione quæ Deum non deceat concedo, ſecluſis imperfectionibus, nego , & nego conſequentiam. Ad probationem minoris , nego maiorem quoad ſecundam partem , nempe quoad rationem actûs ; & ad probationem ibi inſertam , reſpondeo de ratione actûs perfectiui , eſt informare ſubiectum , ſi eius ſit forma , do antecedens , ſi tantùm perficiat , vt terminus , nego. Hoc modo conuenit Verbo ſolùm ratio actus reſpectu humanitatis. Ad alteram partem illius maioris , nempe humanitati repugnare eſſe potentiam , ad recipiendum Deum , dico eſſe veram de potentia naturali, non verò de potentia obedientiali.

198. Sed replicabis , dicere Verbum , eſſe terminum hypoſtaticum humanitatis , ſicque ei conuenire actualiter componere vnum per ſe, & ex alia parte , illi denegare informationem, repugnare videtur. Ergo nec obſtat ſolutio, quò minùs repugnet Verbo , actualiter componere vnum. Antecedens patet: vel enim dum componit Verbum terminando naturam , aliquam cauſalitatem exercet , vel non. Si primum , ei conueniet informatio , ſi ſecundum componere non poterit. Ergo componere Verbum , vt terminum humanitatis , & illam non informare repugnant. Probo partem primam minoris. Nam illa cauſalitas à Verbo exercita , ad aliquod cauſæ genus eſt reducenda , non ad cauſam efficientem , quia cùm talis cauſalitas ſit ſpecialis Verbo , iuxta communem ſententiam , & aliunde repugnet influxus effectiuus illi, qui communis non ſit toti Trinitati in humanitatem , & omnia effecta ad extra indiuiſibiliter influenti , quod latiſſimè tractatu de vnione hypoſtatica , contra ſingularem modum dicendi notiſſimè , ponderandum tradam ; ſit igitur , vt talis cauſalitas ſpecialis verbi , in prædicta compoſitione minimè ad genus cauſæ efficientis ſit reducenda. Ad finalem etiam vtpote extrinſecam , & ad rem hanc minimè ſpectantem , de ſe patet minimè ſpectare. Ergo ad cauſam formalem , vel ad materialem. At cauſalitates iſtarum neceſſariò inuoluunt informationem ; quapropter Authores communiter negant diuinæ eſſentiæ cauſalitatem phyſicam formæ phyſicæ in viſionem beatam. Vt aperiemus *tr. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti diſp. 2. dub. 1.* Ergo eo ipſo quòd Verbum cauſalitatem in hac compoſitione exerceat , ſibi deſiderat informationem. Ergo repugnat ex vna parte illam adſcribere Verbo, & ex alia, informationem illi denegare.

199. Si propterea dicas , Verbum nullam veram cauſalitatem, in humanitatem exequi. Ergo ex Verbo componi vnum cum humanitate teneberis denegare. Quod eſt contra te. Probo conſequentiam. Idem eſt , dari realem actualem dependentiam vnius ab alio in eſſe , ac dari veram compoſitionem vnius cum alio. At vbi datur vera , & realis dependentia in eſſe, vnius ab alio, eſt vera, & realis cauſalitas. Ergo cui negatur cauſalitas vera in alium, neganda

da eſt etiam illi vera & realis compoſitio cum alio; maior ſeipſam docet; minor probatur, nam vbi eſt vera, & realis dependentia in eſſe, eſt vera & realis communicatio alicuius eſſe. At vbi eſt vera & realis communicatio alicuius eſſe, eſt vera cauſalitas. Ergo vbi eſt vera, & realis dependentia in eſſe, vnius ab alio, eſt vera cauſalitas. Maior eſt certa apud omnes, minor eſt æquè certa, ſi intelligatur de communicatione alicuius eſſe, cum dependentia termini ab ipſo communicante. Siquidem communicatio alicuius eſſe ex ſe, non ſibi nectit cauſalitatem, vt videre eſt in diuina communicatione, quæ vera cauſalitas non eſt: Itaque in creatis nulla eſt communicatio alicuius eſſe cum dependentia termini à communicante, quæ eſſentialiter ſecum non ferat cauſalitatem veram, & realem in eſſe. At humanitati aſſumptæ non ſolùm communicat Verbum aliquod eſſe, verùm taliter, vt illa communicatio ſit cum dependentia ipſius humanitatis ab ipſo Verbo communicante. Ergo in Verbo datur vera cauſalitas in humanitatem, quia idem eſt illam in Verbo dari, ac communicare humanitati cum dependentia ab ipſo aliquod eſſe, quod eſt idem, ac cum illa vnum componere. Ergo idem eſt Verbum nullam veram cauſalitatem in humanitatem, exercere ac cum illa non componere, atque adeo qui Verbo negauerit primum, ſecundum etiam ſimul negat.

Reſpondebis non omnem dependentiam in eſſe à termino, eſſe cauſalitatem veram, vt patet in quauis relatione, quæ in ſuo eſſe dependet à termino, cum ſine illo exiſtere nequeat, & tamen in illam nullam cauſalitatem exercet, aliàs relatio ſi à termino cauſaretur, illum vt purum terminum minimè reſpiceret.

201. Sed replicabis, relationem prædicamentalem minimè dependere in ſuo eſſe à termino quem reſpicit, ſed præcisè quoad denominationem. Ergo nihil mirum quòd veritatem replica habeat, Antecedens patet, nam in probabiliori ſententia relatio prædicamentalis nullo modo differt à tranſcendentali, quæ ſpeciem ſumit & eſſe à termino vt poſſibili, tanquam à forma: Ergo prædicamentalis non pendet in eſſe à termino exiſtente. Probo conſequentiam, etenim terminus exiſtens, ſupponit totum eſſe relationis prædicamentalis à termino poſſibili ſpecificatum; Ergo relatio prædicamentalis non pendet à termino vt exiſtente. Ergo replica hæc, inſtantiam non affert contra rationem datam, quæ in eo fundatur, vt nullibi ſit dependentia realis in eſſe alicuius ab alio, quin ibidem concedenda non ſit cauſalitas vera.

203. Reſpondebis ſecundò maximam illam, nempe vbi datur vera & realis communicatio alicuius eſſe, cum dependentia termini à communicante, ibi adfuturam veram, & realem cauſalitatem, eſſe veram: tamen non probatur in caſu noſtri myſterij cauſalitas vera Verbi in humanitatem, ſiquidem tunc communicatio alicuius eſſe, cauſalitas vera eſt, quando illud eſſe, quod media cauſalitate communicatur, realiter pendet a communicante; ideo enim communicatio eſſe diuini, media proceſſione, cauſalitas non eſt; quia tale eſſe communicatum, minimè à communicante pendet. At licèt Verbum humanitati, aliquod eſſe verè communicet, tamen tale eſſe à communicante non pendet, ſiquidem illud eſſe à Verbo humanitati communicatum, eſt ipſum eſſe Verbi, & hoc eſſe, ab eſſe Verbi quomodo pendere poteſt; Vnde licèt probetur in myſterio noſtro, dari communicationem diuini eſſe à Verbo, non tamen dari illius cauſalitatem in humanitatem.

Propter hæc aliqui vt certum exiſtimant, Verbum nullam cauſalitatem exercere in humanitatem, ita Scotus *in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. §. contra hoc*, nec abſunt Caietanus *hic quæſt. 4. art. 1. §. ſimpliciter autem.* Bannez *1. part. quæſt. 3. art. 3. dub. 1.* rationes, quibus ſuadent hoc, intertextas in reſponſione argumenti miſcuimus. Verùm ſtante matura attentione rerum, non poſſum non in Verbo aliquam, ſed veram cauſalitatem in humanitatem agnoſcere; ratio, quæ me conuincit, propoſita eſt in argumento; ſolùm reſtat ſolutionem dare doctrinæ numero antecedenti allatæ: ſed vt ordinem ſeruemus, reſpondeo in forma ad replicam *num.* 197. inductam: nego antecedens. Ad probationem admitto, Verbum aliquam cauſalitatem veram in humanitatem exequi; & nego partem primam minoris, nempe exinde inferri informationem Verbi. Ad probationem, reſpondeo, cauſalitatem hanc veram Verbo in humanitatem conceſſam, reductiuè ad genus cauſæ formalis ſpectare, directè tamen ad genus cauſæ terminatiuæ hypoſtaticæ, quæ Ariſtotelem latuit. Ad impugnationem, diſtinguo minorem; at cauſalitates cauſæ formalis, & materialis neceſſariò inuoluunt informationem, cauſalitates, inquam directè ſpectantes ad genus cauſæ formalis & materialis, concedo indirectè ad illud genus ſpectantes, & directè ad genus cauſæ terminatiuæ hypoſtaticæ, nego; & nego conſequentiam. Itaque cauſalitatem hanc Verbi eſſe veram probauimus *n.* 199. directè illam ſpectare ad genus cauſæ formalis, & materialis negamus, nam ſolum cauſalitates illæ ſic ad tale genus directè ſpectant, quæ ſupponunt in earum cauſis imperfectiones, quas inuoluunt cauſa materialis, & formalis, quarum expertem eſſe cauſalitatem Verbi in humanitatem, profitemur. Cùm hoc tamen ſtat, cauſalitatem iſtam Verbi indirectè ad prædictum genus cauſæ ſpectare debere, quia valdè imitatur cauſalitates formæ, & materiæ; formæ, quia huius cauſalitas eſt ſui ipſius intrinſeca traditio per modum termini, à quo natura pulchritudinem vltimam ſpecificam ſumit, Hocque in linea termini hypoſtatici, Verbo conuenire, de ſe conſtat. Materiæ, patet, nam id experiemur, ſi munus, quod in humanitate exercet Verbum, conſpiciamus. Etenim humanitas nedum hypoſtaticum eſſe à Verbo ſumit, ſed etiam ab ipſo verè ſuſtentatur, quia ex vi eiuſdem vnionis, qua tale eſſe hypoſtaticum humanitati præſtat, taliter hæc à Verbo depen- 203

det adhuc in ſuo eſſe, vt ſi ab illa, propria auferatur ſubſiſtentia, minimè ſeipſa exiſtere poſſet, niſi Verbum ſuſtentatet illam. Ecce modus, qua cauſalitas Verbi indirectè reducitur ad genus cauſæ materialis, & formalis, quatenus modum cauſandi illarum quodammodo imitatur.

204. Iam ſolùm reſtat occurrere doctrinæ, quæ in replicam huius ſolutionis poteſt inſeruire *num.* 201. allata, quæque vt cauſalitatem veram denegaret Verbo in humanitatem, fundabatur in eo, quòd eſſe à Verbo illi communicatum, minimè poterat, imò repugnabat ab ipſo Verbo dependere; pro cuius ſolutione aduerto, doctrinam, quam Communiter omnes *ex* 1. *lib. Phyſicorum*, tenere ſunt ſoliti circa modum, quem cauſæ intrinſecæ compoſiti in ſuis cauſalitatibus exercent. In compoſito enim naturali reperitur duplex eſſe, vnum formæ, quod eſt ipſa ſubiecto communicata, media vnione intrinſeca, quæ eſt eius cauſalitas. Alterum ſubiecti, vel extremi, quod, inquam, eſſe, per illud alterum eſſe, à forma communicatum, dicitur intrinſecè perfici, Hoc notato aſſerimus: vel doctrina illius ſolutionis prætendit, quòd cauſalitas vera formæ petat, quòd illud eſſe, quod ſubiecto præſtat, pendeat ab ipſa forma illud communicante, & hoc eſt falſum, aliàs in nullo compoſito naturali ſaluaretur vera cauſalitas formæ; ſiquidem in vllo verificari nequit, quòd illud eſſe quod forma intrinſecè communicat ſubiecto, dependeat ab ipſa forma, ſiquidem illud eſſe, eſt ipſa forma ſeipſa ſubiecto intrinſecè data, quis vnquam exiſtimauit idem à ſeipſo dependere poſſe; vel ſolùm intendit, quod eſſe, quod habet ſubiectum, dependeat à communicante, mediante illo eſſe, quod illi communicans præbuit, & hoc ſanam doctrinam inuoluit: quia cùm tale eſſe ſubiecti, cui eſſe formæ communicatur, dicatur perfici, mediante illo eſſe à communicante præſtito, verè dicetur prædictum eſſe ſubiecti à communicante pendere. Hoc totum inuenitur in Verbo reſpectu humanitatis; illi ſuum eſſe hypoſtaticum, media vnione; tanquam cauſalitate communicat, hoc autem eſſe non pendet à Verbo, quia eſt idem Verbum vt communicatum; tamen, quia ipſum eſſe humanitatis perficitur ab illo eſſe, quod Verbum illi communicat, ideò eſſe humanitatis dicitur à Verbo pendere; hoc autem & non illud ad veram cauſalitatem Verbo in humanitatem deſignandam ſufficere, conſtat in cauſalitate cuiuſque formæ intrinſecæ compoſiti naturalis.

205. Quæres, an ſicut Verbo conuenit componere propriè cum humanitate vnum per ſe totum ſubſtantiale, conueniat etiam eſſe partem veram eius totius, quod componit? Nego cum Sanctiſſ. Doct. *hic quæſt.* 2. *art.* 4. *ad ſecundum*, nam nomen partis incompletum ens vt perfectibile annotat, atqui Verbo perfectè completo omne ens incompletum repugnat: Ergo eſſe ſimpliciter partem compoſiti, quod cum humanitate conſtruit, repugnat. Solùm enim illi competit eſſe hypoſtaticam cauſam, ſeu terminum, ad genus cauſæ hypoſtaticæ ſpectans, vt patet ex dictis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Incarnationis cognoſcibilitate.

METHODVS, quam exigentia rerum ſeruat, petit, nunc de cognoſcibilitate Incarnationis ſermonem texere. Res enim priùs eſt, quam ſit cognoſcibilis, ſed dum eſt, etſi poſſibilis, protinus cognoſcibilis redditur. Quodlibet ens ſub omni ſtatu, ſui cognoſcibilitatem, Primam ipſius paſſionem, progerminat: quapropter oſtenſa noſtri myſterij poſſibilitate, eius cognoſcibilitatem, in medium edere iura ipſa rerum efflagitant. Tota ergo diſputationis concertatio eò deuoluetur, vt quærat, quid de noſtro myſterio mens noſtra, ſuis viribus, fidens, deprehendere valeat. Quorum diſcuſſio variis modis contingere valet, vel de myſterio antequam reuelatum, & factum fuit, vel de ipſo, vt iam reuelato, & facto. Deinde an talis cognitio ſit euidens, & demonſtratio, an tantùm coniecturalis, & probabilis. Quæ omnia diuiſim examen ſubibunt.

DVBIVM

DVBIVM VNICVM.

An intellectus noſter, poſſit de myſterio Incarnationis, aliquam naturalem cognitionem elicere.

SECTIO I.

Intellectus creatus naturaliter poſſibilitatem myſterij, cognitione euidenti, attingere non poteſt.

1. PRÆVIA reſolutio eſt cunctis Theologis communis, eamque diuina Oracula noſtrum myſterium inter mirabiliora Dei reponentia, communiunt. Paulus de eo hæc ad ad *Epheſ. 3. & ad Coloſſ. 1: Sacramentum & myſterium à ſæculis abſconditum.* Damaſc. *lib. 3. Fidei, c. 1. opus omnium nouorum maximè nouum, & ſolùm ſub ſole nouum.* Cyrillus Alexand. *lib. 5. in Iſaiam c. 52. opus diuinæ ſapientiæ.* Et relictis aliis, ſanctiſſimus Thomas *in 3. d. 3. q. 2. art. 2.* effert iſta; *miraculum miraculorum.* Ergo mens noſtra ſuis viribus relicta non poterit in tanti myſterij fulgoribus non cæcutire, adeo vt in eius poſſibilitatis cognitionem euidentem, nequeat erumpere.

2. Rem iſtam diuerſimodè Authores ſuadent. Primò enim cognitio euidens poſſibilitatis incarnationis, ſupponere Trinitatis notitiam eſt neceſſe, ſiquidem talis cognitio, euidenter in Perſonam Filij ferretur à Patre geniti. Ergo eſſet, vel ſimul cognitio Patris, vel eam ſupponeret, vel inuolueret eam. At cognitio Trinitatis nulli creatæ menti eſt debita. Ergo, &c. Verùm ſi vim aliquam hæc ratio habet, ſolùm impedit cognitionem euidentem incarnationis noſtri myſterij, vt hîc & nunc factæ, cùm in ea Verbum ſit Perſona incarnata, cuius euidens cognitio, cum ſui Patris cognitione, neceſſariò connectitur, non tamen efficacem eſſe ad impediendam cognitionem euidentem, de poſſibilitate incarnationis, nudè & ſecundùm ſe acceptæ; in qua vna diuina Perſona, vt ſic ſumpta, aſſumeret carnem, abſtrahendo; an præter aſſumentem, aliæ duæ diuinæ Perſonæ ſint, vel non ſint.

3. Communiùs concluſionem iſtam, frequentiùſque Authores probant: nequit intellectus creatus, vi luminis naturalis ſe extendere ad cognoſcenda ea, quæ ſunt extra ipſius naturalis cognoſcibilitatis ſphæram. Atqui incarnationis poſſibilitas, eſt extra ſphæram virtutis naturalis, intellectûs creati. Ergo nequit vi luminis naturalis ab ipſo cognoſci. Maior eſt Philoſophiæ dogma. Minor probatur, nam incarnationis poſſibilitas eſt ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam; atqui omne ſupernaturale quoad ſubſtantiam eſt extra ſphæram virtutis intellectûs naturalis. Ergo poſſibilitas incarnationis eſt extra ſphæram; virtutis naturalis intellectûs.

Ratio hæc non leues patitur ſcrupulos, qui licèt aliqualiter robur illius diminuant, tamen ex doctrina, ab aliquibus edocta, robuſtiores ad hominem fiunt. Imprimis Vaſquez qui eâ vtitur hîc, defendit *1. 2. diſputat. 20. cap. 2.* Intellectum, viribus naturalibus poſſe, euidenter demonſtrare poſſibilitatem viſionis beatæ. Ecce rem quoad ſubſtantiam ſupernaturalem, naturaliter ab intellectu demonſtratam. Ergo vt eidem deneget Vaſquez hîc poteſtatem, ad demonſtrandum poſſibilitatem incarnationis, perperam recurrit ad ſupernaturalitatem illius excedentem lumen intellectûs noſtri naturale. 4.

Aliter vis huius rationis poteſt declinari. Poteſt intellectus naturaliter demonſtrare plures Dei perfectiones, quatenus ſunt ſupernaturales. Ergo ſupernaturalitas poſſibilitatis incarnationis, non eſt extra ſphæram intellectûs creati, vt illam demonſtraturi. Antecedens probo ſic, poteſt mens noſtra naturaliter demonſtrare, Deum ſeipſum poſſe intuitiuè cognoſcere. At quæuis Dei intuitiua cognitio, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Ergo ſupernaturalitas obiecti, non eſt extra ſphæram intellectûs vt illam naturaliter demonſtraturi. 5.

Reſpondebis fortaſſe: intellectum creatum ſolùm demonſtrare naturaliter poſſe Deum cognitionem intuitiuam habere de ſeipſo, vt eſt Author naturæ; non verò, vt eſt author ſupernaturalis, nam primo modo eſt intra ſphæram intellectûs naturaliter demonſtrantis, non verò ſecundo modo conſideratus. 6.

Sed replicabis: ſolutionem hanc, præter interitum dari. Etenim aliud eſt, intellectum noſtrum naturaliter ſolùm cognoſcere Deum, vt Authorem naturæ; & aliud, intellectum noſtrum naturaliter non demonſtrare Deum, ſe intuitiuè, cognoſcentem vt Authorem naturæ, id facere media cognitione ſupernaturali. Primum eſt extra litem. Secundum ergo ſolùm prætendimus eſſe verum, nempe intellectum poſſe naturaliter demonſtrare, quòd cognitio Dei, qua ſeipſum vt Authorem naturæ cognoſcit, ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Quod ſic probo; Per vos intellectus noſter naturaliter valet demonſtrare, Deum ſe intuitiuè cognoſcere, vt Author eſt naturæ. At cognitio intuitiua Dei, eſt ſupernaturalis, potiſſimùm ea, quam Deus habet de ſeipſo, etiam vt Authore naturæ. Ergo intellectus noſter demonſtrat naturaliter, poſſibilitatem entis ſupernaturalis. Probo minorem. Nam quilibet intellectus creatus euidenter cognoſcit, per lumen naturæ, hominem naturaliter non poſſe intuitiuè videre Deum, etiam vt Author naturæ eſt. Ergo ex eo quòd euidenter cognoſcit, cognitionem intuitiuam Dei, vt Author naturæ eſt, eſſe ſupra eius actiuitatem naturalem, atque adeo ſupernaturalem eſſe. 7.

Præterea in idem replica eſt, mens noſtra euidenter, & naturaliter cognoſcere valet Deum, vt potentem facere aliquid ſupernaturale, ſal- 8.

tem

tem in confuſo, nulla determinatione facta ad hoc vel illud particulare. Ergo vt negetur intellectui naturalis vis demonſtrandi poſſibilitatem incarnationis, efficax recurſus non eſt eius ſupernaturalitas. Conſequentia eſt clara: nam obiectum quod demonſtratur, eius demonſtrationi non nocet, nec eam impedit, atque adeo ſi ſupernaturalitas demonſtratur à naturali virtute mentis, ſupernaturalitas ipſa impedimentum non erit demonſtrationi naturali. Antecedens patet, quia mens noſtra naturaliter, & euidenter cognouit, potentiam Dei eſſe infinitam; Ergo cognoſcit euidenter naturaliter potentiam Dei vltra ſe extendere, quàm ad rerum naturalium productionem. Probo hanc: nam mens noſtra euidenti cognitione hæc duo cognoſcit, & Dei potentiam infinitam eſſe, & ordinem rerum naturalium eſſe limitatum. Ergo ſimiliter cognoſcit hunc minimè exhaurire poſſe, totam omnipotentiæ actiuitatem. Ergo cognoſcit producere poſſe ſupernaturalia entia. Patet, nam ly *vltra ordinem naturalem*, poſſibiliter à Deo producendum, vel eſt connexum cum exigentia ordinis naturalis, & ſi ſic, iam non erit vltra ordinem naturalem: cùm ad iſtum ſpectent ea, quæ connectuntur cum exigentia rerum, ad prædictum ordinem naturalem ſpectantium. Vel ly *vltra*, minimè cum exigentia rerum talis ordinis connectitur; & ſi hoc, ſupernaturalem ordinem petet: cùm id quod vltra naturale cum ipſo non connexum ſit ſupra naturale, atque adeo ſupernaturale. Ergo eo ipſo, quòd mens noſtra euidenter naturaliter demonſtret, Deum poſſe facere vltra ea, quæ ſpectant ad ordinem naturalem, alia cum illis non connexa, infertur, demonſtrare naturaliter poſſe ſupernaturalium poſſibilitatem.

9. Reſpondebis, rationem iſtam, minimè probare, intellectum poſſe naturaliter demonſtrare poſſibilitatem entis ſupernaturalis, vt ſua poſitiua quidditate conſtituitur in ſe; nam ex eo quòd naturaliter demonſtret Deum poſſe facere, vltra id quod naturale eſt, ſolùm demonſtratur poſſibile eſſe à Deo produci aliquid, quod quia vltra naturale eſt, naturalis entitas non ſit.

10. Sed replicabis: intellectus noſter, euidenter naturaliter cognoſcit, omnipotentiam poſſe facere aliquid, quod vltra naturale eſt. Ergo cognoſcit poſitiuè illud eſſe ſupernaturale in ſe. Conſequentiam probo. Naturaliter intellectus hæc duo demonſtratiuè cognoſcit, & Deum non poſſe directè facere aliquid negatiuum, & Deum poſſe facere aliquid quod vltra naturale eſt. Ergo naturaliter demonſtrat de eo quod vltra naturale eſt, non ſolùm quod non ſit naturale, quod eſt pura negatio, ſed eſſe ſupernaturale poſitiuè. Conſequentia mihi eſt certa: implicat demonſtrari aliquid, vt terminum, diuinæ potentiæ, qui connexus poſitiuè non ſit cùm ordine naturali, & non demonſtrari vt poſitiuè ens ſupernaturale. At idem eſt, aliquid eſſe vltra totum naturalem ordinem, ac eſſe terminum omnipotentiæ, qui poſitiuè connexus non ſit, cum ordine naturali. Ergo qui hoc naturaliter demonſtrat, ſimul demonſtrat poſſibilitatem entis ſupernaturalis, nedum negatiuè, ſed poſitiuè accepti. Maior eſt euidens, ſiquidem aliter nequit explicari poſitiua ratio ſupernaturalis entis, niſi penes hoc, quòd ſit poſitiuè minimè connexum cum toto ordine naturali.

Reſpondebis ſecundò, Rationem hanc nimis probare, videlicèt intellectum lumine naturæ ductum, poſſe veritates ſupernas cognoſcere; atque adeo ſupernaturalia minimè eſſe extra obiectum proportionatum virtutis naturalis illius. Sequela patet, quia ſi ſupernaturalitas poſitiua incarnationis eſt intra obiectum proportionatum actiuitatis naturalis intellectus, necnon ſupernaturalitas poſitiua in communi: fit, vt nihil ſupernaturale, quia ſupernaturale, excedat vires naturales intellectûs. 11.

Sed replicabis, & imprimis hoc ipſum vrgere plures ex Authoribus, prædictam rationem concluſionis, quæ impugnatur, conficientibus; iſti enim confitentur, intellectum naturaliter poſſe habere cognitionem, ſaltem probabilem, de myſterij huius poſſibilitate; & ex alia parte, illam cognitionem eſſe naturalem ſuſtinent, & bene. Rurſum ſiue ingenuè, ſiue conuicti ratione hic ponderata, tenentur fateri naturaliter poſſe intellectum demonſtrare, poſſibilitatem entis ſupernaturalis in communi. Nunc ſic: Ergo tenentur, vel admittere intellectum noſtrum plures veritates ſupernas poſſe naturaliter cognoſcere, & eas contineri intra ambitum obiecti proportionati virtutis intellectiuæ naturalis: Vel retractare, quæ admittunt. Sed ſi velint ſe expedire ab illo axiomate Theologorum, nempe veritates ſupernaturales, non poſſe ab intellectu, ſine gratiæ dono alloqui, aſſerere poterunt, eſſe axioma verum de cognitione, quæ ſalutaris, & vt ad ſalutem conducens, quam ſic producere nequit natura ſuis viribus relicta; non verò de cognitione veritatis ſupernaturalis, quæ naturalis, quæ naturalis & minimè ſalutaris cenſeatur; ſiquidem axioma illud veritatem minimè habebit, ſi intellectui negetur, vis eliciendi cognitionem, vtrumque obiectum ſupernaturale, ſaltem vt poſſibile in communi, demonſtratiuè pertingentem, vt vidimus; necnon ſi ei negetur virtus naturaliter cognoſcendi, aliquod ſupernaturale in particulari; necnon ſi eidem negetur virtus naturaliter cognoſcendi ſupernaturalia quoad modum: quod vniuerſaliter admittunt cuncti. Præterea axioma illud poteſt expendi in alio vero ſenſu, nempe intellectum noſtrum nullo modo poſſe naturaliter demonſtrare exiſtentiam alicuius ſupernaturalis entis, quia cùm exiſtentia illius ex mera libera Dei voluntate pendeat, quæ in ſuis determinationibus minimè cum aliquo, ab intellectu naturaliter cognito, eſſentialiter connectatur, ideo exiſtentia alicuius ſupernaturalis entis latet intellectum, ſuis viribus relictum, quod de illius poſſibilitate verificari nequit, ſiquidem hæc connectitur ſaltem in communi ſumpta cum aliquo, quod naturaliter ab intellectu demonſtratur, nempe cum omnipotentia Dei quod ſufficit, vt prædictus or-

do 12.

do ſupernaturalium poſſibilitatis in confuſo contineri poſſit, ſaltem materialiter intra obiectum adæquatum naturalis virtutis intellectûs, quatenus videlicet arguitiuè, & diſcurſu illatiuo ex omnipotentia naturaliter demonſtrata,& cognita,vt potente producere aliquid vltra ordinem naturalem,poteſt inferri illam poſſe producere ſupernaturalia vt vidimus.

13. His non obſtantibus, aſſerimus, rationem iſtam, quia communiter ab Authoribus grauiſſimis adductam, minimè deſerendam, tum vel maximè, quia obiectiones iſtæ, quas illi obiecimus, ſuam vim reponunt in doctrina, quam Authores defendunt, nempe poſſibilem eſſe cognitionem probabilem huius myſterij, necnon intellectum naturaliter demonſtrare poſſe poſſibilitatem viſionis beatæ:Ex his enim, & contra iſtos Authores fateor aliqualiter prædictas obiectiones vim ad hominem habere; tametſi diſparitas, inter cognitiones illas, & præſentem, non exigua adumbrari poſſit, vt ex diſcurſu huius ſectionis patebit; quapropter cum communiùs ſit negare intellectui, vim naturaliter demonſtrandi poſſibilitatem viſionis beatæ, necnon probabiliter oſtendendi poſſibilitatem huius myſterij, fit, argumenta hæc languida reddantur ad impugnandum probationem illam, ſupernaturalitati huius myſterij innixam, *numero* 3. allatam, quare illam ampliùs explicandam ſuſcipio.

14. Ratio igitur illa, citato loco adducta, optimè probat, intellectum naturaliter cognoſcere non poſſe, poſſibilitatem huius myſterij, cognitione euidenti & immediata; ſicque omnia hæc conciliari præſumo. Pro quo nota, dupliciter aliquod obiectum poſſe euidenter cognoſci, vel cognitione immediatè euidenti, vel euidenti mediatè: illa eſt quæ ab obiecto immediatè vel ſeipſo, ſi indiſtans potentiæ ſit, concurrente, vel mediante ſpecie, ab illo in potentiam tranſmiſſa, ortum habet. Iſta verò, quæ immediatè tendens ad vnum obiectum tangat ſeipſa,vel per aliam cognitionem alterum obiectum, quod cum illo neceſſariam connexionem habet, vt latè rem hanc tract.de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, *diſp.* 9. & 3. proſequemur. Dicimus ergo prædictam rationem ibidem datam, & à cunctis admiſſam, potiſſimùm habere robur, ad probandum intellectum creatum, naturaliter cognoſcere non poſſe, poſſibilitatem huius myſterij, media cognitione euidenti immediata. Probo ſic: cognitio euidens immediata, euidentià obiecti ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, exigit eſſentialiter produci à principio ſupernaturali quoad ſubſtantiam. Ergo cognitio euidens immediatà euidentià poſſibilitatis myſterij incarnationis, eſſentialiter petet principium ſupernaturale quoad ſubſtantiam, à quo fiat. Conſequentia patet, nam incarnatio, vt poſſibilis, eſt entitatiuè ſupernaturalis. Antecedens probatur ex ipſis terminis: nam cognitio immediata obiecti, petit produci, vel immediatè ab ipſo, ſi indiſtans intellectui fuerit, & proportionatum, vel ab ſpecie ab illo in intellectu cauſata, qualiter eſſentia diuina reſpectu viſionis beatæ, & ſubſtantia Angeli reſpectu cognitionis ſui, vel mediis ſpeciebus ab obiectis improportionatis, in intellectu cauſatis; vt latè aperiemus *tractat. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſputat.* 2. In hoc enim cognitio obiecti immediata à cognitione mediata differt, vel aſſigna illarum differentiam. Ergo cognitio immediata obiecti ſupernaturalis, petit produci, vel ab ipſo obiecto immediatè, vel ab ſpecie ab ipſo in intellectu producta: à quouis enim iſtorum fieri petat, verificabitur de illa, pétere produci à principio ſupernaturali entitatiuè;nam ſi petit obiectum, hoc ſupponitur eſſe ſupernaturale, ſi verò ſpeciem, cùm hæc debeat produci ab obiecto ſupernaturali, fit vt illa ſupernaturalis neceſſariò debeat eſſe. Ergo illud primum antecedens eſt verum. Tunc ſic: ſed cognitio eſſentialiter connexa cum ſupernaturali principio ſui, eſt neceſſariò ſupernaturalis. Ergo cognitio immediata myſterij noſtri ſupernaturalis, erit ſupernaturalis. Ergo ab intellectu ſecundùm ſua naturalia inſpecto, fieri non poterit cognitio euidens immediata incarnationis, vt poſſibilis. Conſequentia hæc ex dictis infertur, ſiquidem intellectus, ſuis viribus relictus, ſolùm producit cognitiones naturales, vt de ſe patet; at ſupponimus prædictam cognitionem incarnationis euidentem immediatà euidentià debere ſupernaturalem eſſe. Ergo impoſſibilem fieri ab intellectu, ſuis naturalibus relicto. Ergo ſupernaturalitas, cui communis illa ratio innitebatur, efficaciam habet, vt conuincat intellectum non poſſe producere cognitionem euidentem, euidentià immediatà, reſpectu incarnationis.

Confirmatur, cognitio immediata myſterij incarnationis, vt exiſtentis, eſt entitatiuè ſupernaturalis, atque adeo extracta à virtute naturali intellectûs. Ergo cognitio immediata incarnationis, vt poſſibilis, erit ſimiliter ſupernaturalis, & ſuperans naturalem vim intellectûs. Antecedens ſuppono à nullo negatum. Conſequentiam probo: ideo id primæ cognitioni conuenit, quia petit, vt producatur, principium ſupernaturale, & ideo hoc petit, quia incarnatio exiſtens, eſt ſupernaturalis. Sed incarnatio poſſibilis eſt ſupernaturalis entitatiuè, cùm ab ipſa, vt exiſtente, minimè, nec ratione differat, quantùm ad prædicata eſſentialia; Ergo æqualiter petet, vt cognoſcatur immediatè euidentià immediatà, principium ſupernaturale incarnatio vt poſſibilis, ac vt exiſtens; atque adeo cognitio immediata vtriuſque, pariter erit à virtute naturali intellectûs extracta. 15.

Iam quòd ſupernaturalitas Incarnationis poſſibilis, obſit intellectui, vt de illa euidentem cognitionem mediatà euidentià non eliciat, nec poſſit ſolis viribus naturalibus innixus, breuiter oſtendo; ſiquidem mediata cognitio euidens huius obiecti, A, v.g. debet eſſe cognitio euidens immediata alterius obiecti, B, v.g. quo cognito immediatè, ducatur intellectus in cognitionem mediatam obiecti, A, ſed dabile non eſt obiectum, quod cognitione naturali immediatè attactum, ducat in euidentem cognitionem incarnationis, vt poſſibilis. Ergo nequit intellectus naturalem euidentem, etſi mediatam, cognitionem 16

incar

incarnationis, vt poſſibilis, habere. Maior ſeipſam oſtendit, cùm id ipſum ſit distinctiuum cognitionis mediatæ à cognitione immediata obiecti, vt citatis locis expendemus cum Communi. Minorem probo: Nullum eſt obiectum naturaliter ab intellectu attactum, quod connexum ſit cum incarnatione vt poſſibili. Ergo dabile non eſt obiectum naturali cognitione immediatè attactum, ducens in mediatam cognitionem incarnationis, vt poſſibilis. Singula probemus; imprimis conſequentia eſt clara, nam ob hanc cauſam calamus vt cognitus immediatè, ducere nequit intellectum, in cognitionem mediatam Turcæ, quia cum hac illa, connexionis eſt expers, & ob contrariam rationem dicemus *tractat. citat. diſputat.* 2. *dub.* 3. cognitam clarè omnipotentiam Dei, ducere in cognitionem poſſibilium; necnon ob idem, actum Fidei tendentem in Trinitatem, aliàs per ſcientiam infuſam à Chriſto cognitum, ducere eius intellectum in cognitionem mediatam, ſaltem quoad an eſt, eiuſdem myſterij, vt dabimus eodem *tractat. diſputat.* 3. *dub.* 3. *ſect.* 4. ſuperque per totam; cuius ratio erit connexio Phyſica, ſeu ordo tranſcendentalis (quæ in vnum recidere dicta *diſput.* 2. oſtendam) omnipotentiæ cum poſſibilibus, necnon connexio, ſeu ordo intentionalis actus Fidei, ad Trinitatis myſterium. Antecedens nunc probo. Obiectum naturaliter ab intellectu cognitum, vel eſt naturale, vel ſupernaturale. Si hoc, implicat, nam cùm illud eſſet immediatè cognitum, & aliàs ſupernaturale, deberet attingi, cognitione exigente principium ſupernaturale, & conſequenter media cognitione ſupernaturali, quæ ſola illa ad ſui productionem, principium ſupernaturale optat: vt diximus *num.* 14. implicat illud obiectum naturaliter eſſe ab intellectu cognitum immediatè, & obiectum illud eſſe ſupernaturale entitatiuè. Si propter hoc dicas, tale obiectum naturaliter immediatè cognitum, naturale eſſe, etiam implicat connexionem illud habere, cum incarnatione, vt poſſibili; Quis enim ſupernaturalia ab omni, cum naturalibus, connexione libera non euulgauit? Ergo ſi minimè eſt connexum illud obiectum naturale, cum incarnatione, quomodo inſeruiet intellectui, vt index incarnationem deſignans vt in probatione conſequentiæ oſtendimus. Ergo de primo ad vltimum ſupernaturalitas incarnationis eſt in cauſa, quòd intellectus, nec immediatè, nec mediatè naturaliter incarnationem, vt poſſibilem valeat attingere.

17. Argues potiſſimum, contra hanc ſecundam partem probationis noſtræ concluſionis: aliquid datur in rerum natura connexum cum poſſibilitate incarnationis. Ergo illo cognito immediatè, poterit mediatè intellectus incarnationem cognoſcere. Conſequentia patet ex dictis *num. antecedenti.* Nunc antecedens probo, natura humana habet potentiam obedientialem ſibi identificatam, ad habendam vnionem hypoſtaticam cum Verbo. Sed potentia obedientialis ad vnionem iſtam, connectitur eſſentialiter cum incarnatione. Ergo datur in rerum natura aliquid neceſſariò connexum cum incarnatione. Minor eſt clara, nam complexum hoc: potentia obedientialis ad vnionem hypoſtaticam, inuoluit eſſentialiter ipſam vnionem. Tunc ſic: ſed Angelus naturaliter cognoſcit potentiam iſtam obedientialem ad vnionem hypoſtaticam. Ergo & naturaliter ſaltem mediatè, incarnationem cognoſcit. Minor patet, nam Angelus comprehendit humanitatem. Ergo ad minùs euidenter cognoſcit potentiam obedientialem ſecum identificatam, quam habet ad vnionem hypoſtaticam; Conſequentia patet, nam rei comprehenſio eſt penetratio omnium cum re comprehenſa identificatorum.

Reſpondent quidam noſtri Complutenſes aliàs docti, notantes, quòd licèt libenter admittant hæc duo; in potentia obedientiali dari intrinſecam connexionem, cum abſoluta poſſibilitate effectûs ſupernaturalis, necnon Angelum cognoſcere hanc potentiam obedientialem, ad vnionem hypoſtaticam, adhuc tamen illum latere poſſibilitatem incarnationis naturaliter. Pro quo notant, non eſſe de ratione cognitionis intuitiuæ diſcernere omnes formalitates identificatas cum obiecto illius cognitionis: quod explicant exemplo cognitionis illius, quam habet intellectus noſter de accidentibus per ſenſus acquiſitam, quæ quidem intuitiua eſt, & nihilominùs non diſcernit connexionem, quam ipſa accidentia habent cum Deo, vt cauſa prima, & cum ſuo ſubiecto. Ex quo inferunt, ad hoc vt intellectus, ex vi obiecti intuitiuè cogniti, attingat clarè terminum, cum quo intrinſecè connectitur ipſum obiectum, non ſufficere, quòd talis terminus, aliàs contineatur ſub obiecto ipſius intellectus, ſed neceſſarium eſſe, quòd principium, vi cuius determinatur ad intuionem obiecti, habeat certam, & peculiarem proportionem cum termino connexionis, ratione cuius proportionis, poſſit determinare intellectum ad attingentiam talis termini; quod patet in cognitione intuitiua, quam de albedine habet intellectus acquiſitam per ſenſum viſus, quia enim principium hic & nunc determinans intellectum ad cognitionem albedinis, eſt notitia, quam habet viſus de eadem albedine, quæ quidem notitia, cum proportionem non habeat cum ſubiecto, cum quo albedo connectitur, non determinat ſufficienter intellectum ad ſubiecti cognitionem, etiamſi hoc aliàs contineatur intra obiectum intellectûs. His poſitis. 18.

Reſpondent ad argumentum, quòd potentia obedientialis naturæ creatæ connectitur, cum abſoluta poſſibilitate incarnationis, ex eo tamen non deduci ipſam potentiam obedientialem, aut ſpeciem propriam illius, eſſe ſufficientem rationem, & principium determinandi intellectum Angelicum ad certam, & claram cognitionem ipſius incarnationis, vt poſſibilis abſolutè: quia vt probatum relinquunt, bene ſtat connexio obiecti cum aliquo termino, & nihilominùs, quòd principium determinans intellectum ad intuitiuam cognitionem obiecti, non determinet ſufficienter, ad 19.

certam

certam cognitionem talis termini. Ergo niſi aliunde probetur, in principio intuitionis obiecti, proportio cum termino ſufficiens vt determinet ad certam ipſius termini cognitionem, non eſt aſtruenda in ipſo principio talis vis determinandi; atqui in principio determinante intellectum Angelicum, ad intuitionem potentiæ obedientialis naturæ creatæ, præter connexionem huius cũ incarnatione, nulla alia aſtruitur proportio talis principij cũ incarnatione. Ergo non eſt, cur ipſi principio tribuatur vis determinandi certã cognitionẽ incarnationis; imo hanc vim illi deeſſe conſtat ex locis ſcripturæ, in quibus dicitur hoc myſterium omnino abſconditũ, & omnino inexplicabile, non ſolùm ab hominibus, ſed etiã ab Angelis, quod verum non eſſet, ſi ſpecies, qua Angelus naturaliter attingit humanitatem, vi propria illum determinaret ad certã, & claram cognitionem vnionis hypoſtaticæ.

20. Solutio hæc, etſi ingenioſè inducta, ſubſiſtere nequit. Etenim Angelus cognoſcens humanitatem, vel cognoſcit potentiam obedientialem, vt connexam cum incarnatione poſſibili abſolutè, vel illam vt ſic connexam cum poſſibili incarnatione minimè cognoſcit, quamuis reipſa ſit à parte rei cum incarnatione connexa? Si dicis hoc, nihil vltra commune placitum, quod iſti RR. antecedenter ad ſuam ſolutionem impugnant, nouiter produnt. Ergo aſſerunt primum, & expreſsè illud admittunt, vt in proceſſu ſolutionis adductæ conſtat. Ergo Angelus ſufficiens principium habet, illum determinans ad naturaliter, & euidenter, ſaltem mediatè, cognoſcendum poſſibilitatem vnionis hypoſtaticæ: Conſequentiam probo, independenter ab antecedentis quæſito, & eius reſponſione; etenim hæc eſt vera propoſitio in hac doctrina. Angelus cognoſcit potentiam obedientialem, quam habet humanitas ad vnionem hypoſtaticam, cum qua eſſentialiter vt poſſibili connectitur illa. At hoc eſt ſufficiens principium determinans intellectum Angeli, ad cognoſcendum vnionem hypoſtaticam poſſibilem. Ergo Angelus determinatè naturaliter cognoſcens hanc potentiam obedientialem, aliàs connexam cum vnione hypoſtatica, ſufficiens determinans habet, ad cognoſcendũ mediatè naturaliter vnionem hypoſtaticam poſſibilem. Probo minorem, cognitio illa Angeli, eo ipſo, quòd attingat humanitatẽ eſſentialiter connexã cum vnione hypoſtatica poſſibili, attingit vtriuſque connexionem neceſſariam. Sed hæc ſufficit vt Angelũ determinet ad cognitionẽ vnionis poſſibilis. Ergo eo ipſo, quòd naturaliter Angelus humanitatem connexã cum vnione hypoſtatica percipiat, habet ſufficiẽs determinans ad cognoſcendũ vnionem, vt poſſibilem. Probo minorẽ. Similis cognitio Angeli eſt iudiciũ, quo iudicat, hanc humanitatem, quam cognoſcit, eſſe neceſſariò connexã cum vnione hypoſtatica. Sed hæc connexio, ſic cognita, eſt principium ſufficienter determinans ad vnionem illam, vt poſſibilem cognoſcendam: ergo connexio hæc ſufficiens principium determinans eſt, &c. Maior eſt vera, quamuis Angelo concedantur ſimplices apprehenſiones à iudiciis diſtinctæ, tamen illi neganda non eſt vis iudicia formandi de obiectis, quæ apprehendit? Pone ergo iudicium terminatum ad connexionem humanitatis cum vnione hypoſtatica. Nunc minorem probo. Si iudicium illud Angeli, ex vi talis connexionis, directè humanitatem attingeret, & ſaltem indirectè vnionem vt poſſibilem non attingeret, non poſſet Angelus, per illud iudicare humanitatem, quam cognoſcit, connexam eſſe cum vnione, vt poſſibili. Ergo connexio illa, ſic cognita, ſufficiens determinatiuum eſt cognitionis vnionis poſſibilis. Probo antecedentis ſequelam: Vel enim iudicium illud, ſaltem aliquo modo indirectè, attingit vnionem poſſibilem, vel non attingit. Hoc ſecundum dices; ſed oſtende modum, quo per illam cognitionem iudicet Angelus, quod non cognoſcit. Si enim cognitio illa, qua Angelus cognoſcit humanitatem, nullo modo cognoſcit vnionem, vt poſſibilem, quomodo eſt iudicatiua de connexione humanitatis cum vnione poſſibili.

21. Confirmo idem; cognitio Angeli iudicans humanitatem eſſe neceſſariò cum vnione poſſibili connexam, eſt vera. Ergo vtrumque cognoſcit. Probo conſequentiam, nam cognitio vera eſt conformis ſuo obiecto. At obiectum illius cognitionis non eſt præcise humanitas, ſed complexum hoc humanitas cum hypoſtatica vnione connexa. Ergo vtrique debet conformari; ſed cognitionem cum obiecto conformari, nihil aliud eſt, quàm illud attingere, vt eſt in ſe à parte rei. Ergo eo ipſo, quòd Angeli cognitio, qua iudicat, humanitatem eſſe connexam cum hypoſtatica vnione poſſibili, eſt vera, debet vtrumque attingere, vnum ſcilicet directè, & aliud indirectè, vt terminum connexionis.

22. Confirmo idem; iudiciũ, eſt intentionalis vnio, ſi affirmatiuum ſit, extremorum, ſicut iudicium negatiuum, eſt illorũ intentionalis diuiſio. Ergo cognitio Angeli, qua affirmat humanitatem eſſe connexam cum vnione poſſibili, eſt intentionalis vnio humanitatis cum vnione poſſibili: nam eo ipſo, quòd cognitio iudicatiua, vera ſit, debet conformari, quoad ſuũ poſſe, cũ obiecto vt eſt à parte rei; talis enim conformatio in hoc cõſiſtit, quòd ſicut partes entitatiuæ ſui cõplexi phyſicè ſunt vnitæ, eas ipſas intentionaliter iudiciũ affirmatiuũ copulet. Tũc ſic: ſed à parte rei, phyſica vnio extremorũ complexi, eas annectere nequit, quin illas intrinſecè pertingat, vt de ſe patet. Ergo nec cognitio iudicatiuè affirmans, eas partes intẽtionaliter copulare valebit, quin eas intentionaliter extrinſecè attingat. Ergo eo ipſo, quòd Angelus affirmet humanitatẽ eſſe connexam cũ vnione hypoſtatica poſſibili, & hoc totum complexè affirmet, eius partes ſimul intentionaliter vniet, quod eſt idem, ac vtrumque cognoſcere.

23. Confirmo hoc ipſum, & ſimul datur diſparitas inter exemplum, cui fidunt hi Authores, & rem de qua agitur. Impoſſibile eſt concipere connexionem vnius cum alio, & vtrumque aliquo modo non cognoſci. Ergo ſi per te Angelus cognoſcit connexionem, inter humanitatem, & hypoſtaticam vnionem poſſibilem, etiam naturaliter hanc debet attingere, ſicut & illam. Antecedens probo: ſi viſio corporalis albedinis attingeret illam, & connexionem cum ſubiecto, quam habet albedo, & quam habet cum prima cauſa, iam cognitio intellectûs de eadem albedine per viſum acquiſita, non ſolùm attingeret albedinem, verum etiam connexio-

nem, & terminos connexionis illius. Ergo impoſſibile eſt, intuitiuè cognoſcere connexionem,& terminum illius latere. Antecedens probo ex ſolutione iſtorum recentiorum; ideo dicunt, ſaluatur in intellectu noſtro naturalis, & intuitiua cognitio albedinis per viſum acquiſita, quæ cognitio non ſit Dei, nec ſubiecti, cum quibus albedo connectitur à parte rei; & quæſiti de cauſa, dicunt eam eſſe, quia cognitio albedinis per viſum acquiſita, non attingit connexionem, quam habet albedo cum Deo,& ſubiecto eius. Et ſi ab illis petas, cur cognitio illa intellectûs prædictam connexionem non attingat? Reſpondent, quia ad id ſolum cognitio intellectus per viſum acquiſita ſe extendit, ad quod determinatiuum illius ſe extendit, quod eſt viſio, cùmque hæc licèt percipiat albedinem, non attingat connexionem, quam albedo habet cum Deo, vt prima cauſa, & cum ſubiecto eiuſdem; hinc fit, quod intellectus, dum elicit cognitionem de albedine per viſum determinatus, minimè attingat prædictam connexionem, atque adeo nec terminos illius. Ergo vnum ex duobus, vel ſolutio hæc eſt inefficax, vel hæc eſt vera, ſi viſio corporalis albedinis attingeret illam,& connexionem, qoam habet cum Deo, & cum ſubiecto, iam cognitio intellectûs de eadem albedine per viſum acquiſita non ſolum attingeret albedinem, verumetiam conne[illegible]m,& terminos illius penetraret. Ergo non ſtat, intuitiuè connexionem extremorum percipere intellectum,& aliunde non attingere terminos eius, ſaltem indirectè,& quoad an eſt. Ergo ſi Angelus naturaliter intuitiue cognoſcit, nedum humanitatem, ſed & connexionem, quam habet cum vnione hypoſtatica poſſibili, neceſſariò debebit illam indirecte;& quoad an eſt, pertingere: eò vel maximè, cùm eius cognitio per ſenſum minimè acquiſita, à qua impediri poſſet, ſicut cognitio albedinis noſtri intellectus pro hoc ſtatu, immediatè ſe conferat, in ſententia iſtorum, ad connexionem, quam humanitas habet cum vnione hypoſtatica poſſibili.

24. Reſpondebis fortaſſe, talem Angeli cognitionem connexionis, cùm naturalis ſit, non attingere vnionem, quæ eſt eius terminus, quia hæc eſt ſupernaturalis,& improportionata: atque adeo improportio termini connexionis impedit, ne cognitio Angeli de connexionē ſe extendat ad cognoſcēdam vnionē eius terminum.

25. Sed replicabis, fateor cognitionem naturalem minimè poſſe attingere ſupernaturale obiectum, ob imperfectionem illius cum iſto improportionatam; verùm iſtam improportionem, ſi non impedit aliàs, vt naturaliter euidenter connexio cognoſcatur, nec impedituram, quominus talis cognitio ad terminum talis connexionis ſe extendere valeat, oſtendimus potiſſimùm *n*. 20. 21. *&* 22. Itaque ex eo, quòd Angelus cognoſcat naturalitèr intuitiuè humanitatem connexam cum vnione hypoſtatica; ita vt euidenter habeat indicium hoc: humanitas eſſentialiter eſt connexa cum vnione poſſibili, neceſſariò eſt, ex vi prædicti iudicij vt ſimul vnionem ſaltem indirectè cognoſcat, ob rationes ibidem adductas. Rurſum & ex eo, quòd terminus illius connexionis, nempe hypoſtatica vnio eſt improportionata, vtpote ſupernaturalis cum cognitione humanitatis vtpote naturali, ſequitur cognitionem illam minimè vnionem fore percepturam. Quæ contradictoria ſunt, ſed ex hoc modo dicendi ſequuta. Ergo talis ſolutio minimè ſubſiſtit.

26. Aliter ergo reſpondemus iuxta ea, quæ ex principiis SS.Th. dedimus *3.p.q.1.* Concedendo, vel permittendo antecedens, nempe obedientialem potentiam connecti eſſentialiter cum abſoluta poſſibilitate vnionis hypoſtaticæ, hæc enim obedientialis potentia ante reuelationem eſt ſolùm id, quod a parte rei cum illa prædictam connexionem poteſt habere,& concedo conſequentiam. Et nego ſubſumptum. Ad probationem iſtius minoris, do antecedens,& nego conſequētiam. Ad eius probationem diſtinguo, rei comprehenſio eſt penetratio omnium, cum re comprehenſa identificatorū, ſi aliàs hæc ceciderint, ſub eamdem rationem cognoſcibilitatis, cum re penetrata,& cum qua identificantur, concedo; ſi non ceciderint ſub eamdem rationem cognoſcibilitatis cum ipſa re cōprehenſa. Nego. Itaque potentia obedientialis adæquatè accepta nō eſt ſub eadem ratione cognoſcibilitatis, ac obiecti, ſub qua humanitas reponitur; ſiquidē potentia obedientialis in recto accepta, eſt ipſa humanitas,& præter eam nihil addit,& ſic idem eſt, humanitatem, ac obedientialē potentiam attingere, quoad id, quod in recto importat. At ſi accipiatur potentia obedientialis, quoad ea, quæ in obliquo importat, nempe ſupernaturalē virtutem, & terminatiuè, vt alij docent, ſic non cadit ſub eamdem rationē cognoſcibilitatis, ſub quā cadit humanitas, nam hæc cadit ſub cognoſcibilitatē naturalem, quia intrinſecè,& extrinſecè vndequaque naturalis eſt, at obedientialis potentia, hoc 2. modo accepta ſaltem terminatiuè eſt ſupernaturalis, atque adeo cadēs ſub cognoſcibilitatē ſupernaturalem. Quod eſt in cauſa, vt penetrata adæquatè ab Angelo natura humana, nullo modo potentiam eius obedientialem, cum illa identificatam, ſaltem qooad id, quod dicit in recto, attingat; regula enim illa comprehenſionis patitur diſtinctionem iam aſſignatam.

27. Argues 2. Deus vt Author naturæ, naturaliter cognoſcit poſſibilitatem incarnationis, ergo nō implicat cognitio naturalis creata, quæ poſſibilitatem incarnationis attingat certò, & euidenter. Singula probemus. Antecedens ſic: nam vt ſuprà vidimus *n*. 7. Deus vt naturæ Author, obiectum ſupernaturale poteſt attingere, ſiqoidem talis cognitio eſt ſupernaturalis, illa nempe, qua ſe vt Authorem naturæ cognoſcit. Vlterius ex vi iſtius cognitionis, qua vt Author naturæ cognoſcitur, humanitatem comprehendit, atque adeo euidenter cognoſcit humanitatem poſſe carere perſonalitate propria, nec non, & ſeipſum ſupplere poſſe abſentiam illius, quia poteſtas carendi creata Perſonalitate eſt proprietas humanitatis, ſicut & poſſe humanitatem, propriâ ſubſiſtēntiâ carentem terminare, eſt proprietas diuinæ. Ergo eadem cognitione, qua Deus vt naturæ Author cognoſcitur, vtrumque cognoſcit, quod eſt incarnationem vt poſſibilem percipere. Nunc conſequentiam probo, quia prædicta cognitio non repugnat participari. Ergo non repugnat cognitio creata illam participans. Antecedens probo: cognitio, quam

quam habet Deus vt author ſupernaturalis eſt participabilis per fidem, & infuſam ſcientiam creatas. Ergo ſimiliter cognitio, quam habet Deus, vt author naturæ eſt, de eadem incarnatione, erit participabilis, quia non apparet diſparitas, atque adeo non implicat cognitio naturalis, quæ illius ſit participatio attingens incarnationem poſſibilem.

28. Reſpondebis, negando conſequentiam, nec enim participabilis eſt cognitio Dei, vt Author eſt naturæ ſeorſim à cognitione Dei, vt eſt Author ſupernaturalis: nam diſtinctio hæc authoris naturæ, & gratiæ, cadere nequit ſupra diuinam cognitionem, ſed ad ſummum ſupra potentiam Dei cauſatiuam rerum, ſiquidem apud omnes eſt certum, cognitionem diuinam ſuper naturalia, & naturalia cognoſcentem, indiuiſam eſſe in ſe, etiam ratione; atque adeo nulla ſeorſim ab alia participabilis eſt. Ita plures & non ignobiles Thomiſtæ.

29. Sed replicabis, nam ſolutio hæc non contemnendas patitur difficultates, potiſſimùm in doctrina ſanctiſſ. doct. nam principium apud illum eſt, diuinam cognitionem, quamtumvis indiuiſam, tamen penes obiectorum varietatem ſeu multiplicationem, multiplicationem ſuſcipere, ita ſanctiſſ. Th. 1. p. q. 15. art. 3. vbi tractans de ideis Dei, aſſerit, quòd diuerſa idea, & cognitio eſt, quæ exprimit formicam, & quæ exprimit mundi elementa; taliter, quòd idea illa, per quam elementa cognoſcit, formaliter non eſt idea, qua percipit formicam. Iuxta quæ manifeſtum videtur eſſe, quòd cognitio illa, quæ Deo vt authori naturæ conuenit, non videbitur eadem, quæ conuenit ipſi (ſaltem noſtro modo cognoſcendi) vt Author eſt gratiæ, ſiquidem illa terminabitur ad ſua obiecta, per ideas naturalium rerum, & hæc per ideas ſupernaturalium. Præterea aliud eſt principium in ſchola noſtri Magiſtri, omnipotentiam nullo modo diſtingui ab intellectu, & diuina voluntate, atque adeo ſi diuiſio Dei in authorem naturæ & gratiæ cadit ſupra omnipotentiam Dei, quo iure in principiis noſtris non cadet ſupra actus intellectus, & voluntatis, & quidem iſtius actus, alios ad ordinem gratiæ, & alios ad naturæ ordinem ſpectare, cuique compertum eſt. Ex quo fit, ſimilem diuiſionem deſignandam, in actibus intellectus; nam iſti actibus voluntatis correſpondent, atque adeo ſicut iſti, ita & illi debent diuidi, in actus intellectuales, ſpectantes ad ordinem gratiæ, & alios ſpectantes ad ordinem naturæ.

30. Vnde conformiter ad hanc doctrinam, negandum eſt, Deum, vt Authorem naturæ, incarnationem cognoſcere. Ad probationem aſſero, cognitionem illam, quæ Deo vt Authori naturæ formaliter correſpondet, ſolùm illud pertingere formaliter, quod idea rei naturalis repræſentat, & hæc cùm ſolùm exprimat formaliter humanitatem, v. gr. ſecundum ſuam naturalem virtutem, hinc fit, quòd cognitio diuina ei formaliter correſpondens, licèt entitatiuè, & in ſe ſupernaturalis, ſit tamen ſecundùm reſpectum, quem habet ad obiectum creatum, taliter fertur ad humanitatem, ſecundùm eius præcisè naturalia, vt nullo modo eius potentiam obedientialem formaliter percipiat. Itaque hæc cognitio correſpondens Deo, vt Authori naturæ, poteſt conſiderari d[illegible]citer. Primò ſpecificatiuè; materialiter, & de[illegible]tice, & ſecundùm hanc conſiderat[illegible]nem, hum[illegible]nitatem, & eius virtutem obedie[illegible], necnon omnes eius terminos superna[illegible] attingi[illegible] q[illegible] ſic eſt eadem cum cognitione [illegible] Authori ſupernaturali, correſpon[illegible] redupplica[illegible], & formaliſſim[illegible] correſpondet Deo [illegible]t Author [illegible]iſſimè eſt, & ſ[illegible]ùm iſtam ration[illegible], ſolùm quòd in ſ[illegible] le eſt percipit nec ſic Deum comprehe[illegible] dicitur formaliter, vt talis, quod conſi[illegible]teſt in diuinis ideis, nam iſtarum vna, [illegible]e formaliter formicæ eſt idea, & non calami, minimè dicitur Dei comprehenſiua.

Argues tertiò, [illegible] lus [illegible]bet iudicium hoc verum, [illegible]ubſiſtentia [illegible]cata humanitatis, & alteri[illegible] non eſt de conceptu eſſentiali illius: aliter [illegible]eretur, cùm contrarium experiamur ex fide in my[illegible] noſtro, in quo ſeparatam ab illa credimu[illegible]ubſiſtentiam propriam. Ergò poterit [illegible] hoc aliud iudicium euidens: ſubſiſtentia p[illegible]ria ſeparabilis eſt ab humanit[illegible]e. Præterea, habere poteſt iudicium hoc. humana natura poteſt alienâ ſubſiſtenti[illegible] terminari, nempe diuinâ; ſiquidem Ang[illegible]s habe[illegible] h[illegible]c iudicium [illegible]bſiſtentia iner[illegible]ta p[illegible]ſt termina[illegible]e alien[illegible]m naturam; nam hoc poſtmodum ex fide expertus fuit. Ex his omnibus iudiciis deuenire poſſe Angelum in cognitionem incarnationis poſſibilis, cuique ponderanti compertum fiet: Ergo. 31.

32. Reſpondeo, concedò antecedens, & negò conſequentiam; nam vt illud primum iudicium naturaliter formaret Angelus, ſat [illegible] illi cognoſcere comprehenſiuè, conceptum Metaphyſice naturam conſtituen[illegible], eſſe diſtinctum a[illegible] eo, q[illegible] ſubſiſten[illegible] conſtituere dicitur, cùm eo ipſo naturaliter co[illegible] naturam humanam eſſe rem, & ſub[illegible]tentiam modum; rei tamen, & modò, diuerſa correſpondent eſſentialia conſtitutiua. At vt Angelus habeat alterum iudicium de [illegible]bilitate vtriuſque, neceſſe erat percipere potentiam obedientialem humanæ naturæ, ſecundùm quam, ſolùm eſt a ſubſiſtentia ſeparabilis: ſiquidem ſi ſolum atte[illegible]deret A[illegible]lus ad exigentiam naturalem ambarum, potiùs debebat habere iudicium naturale de vtriuſque inſeparabilitate, ſiquidem [illegible]gnoſc[illegible], vt [illegible]ppono ſubſiſtentiam eſſe modum na[illegible], à qua fluit, & cùm alia illi conſtiterit [illegible]enter, modum inſeparabilem eſſe à re, cuius eſt modus, hinc fieret, vt illius exigentia[illegible] terum innixus euiden[illegible]er d[illegible] [illegible]li inſeparabilitate [illegible]dicaturus e[illegible] talis ſeparatio e[illegible] in alio ordine [illegible]dentiæ poſſibilis, latebat A[illegible]elum [illegible] talis prouidentia eam eſſet executu[illegible] ſecundùm po[illegible]tiam obedientialem naturæ, quam minimè naturaliter Ange[illegible]um cognouiſſe, ſupponimus, & inſinuauimus num. 26.

33. Reſpondeo ſecundò, admitterèſ poſſe ill[illegible] duo priora iudicia naturaliter Angelum formare, exinde tamen nego illi cognitionem euidentem incarnationis. Vnde quamuis Angelus cognoſ-

cat naturam eſſe naturaliter ſeparabilem à ſubſiſtentia iſta, v.gr. *A*, tamen [illegible] lenter non cognoſcit, eſſe ab omni propria ſubſiſtentia ſeparabilem: ſicut licèt cognoſcat ab hac quantitate ſeparabilem eſſe iſtam numero figuram, non tamen euidenter percipitur, an [illegible] ra ſit nudabilis; atque adeo [illegible] hypotheſi, qua Deus ſubſiſtentia [illegible], *A*, q[illegible] e humanitatem meã terminat, annihil[illegible] poterat manere Angelo [illegible] natur [illegible] deſtructioni illius ſtatim ſucceſſura e[illegible] alia ſubſiſtentia propria, *B*, vel, *D*. [illegible] n [illegible] cedid[illegible] in aliquibus diſcipulis ſapienti. Doct. probabiliter defendentibus natura[illegible] qu[illegible] bet poſſe non ſolùm ab hac, qua h[illegible] nunc termin[illegible], ſed ab omni propria ſubſiſtentia a Deo ſeparatam conſeruari, tunc etſi Angelus non ſolum cognoſceret naturam eſſe ab iſta numero ſubſiſtentia ſeparabilem, rurſum etſi euidenter c[illegible] ret quòd ſemel ab iſta ſubſiſtentia pro[illegible] ſeparatam, ampliùs aliâ ſubſiſtentiâ propriâ minimè terminandam fore, adhuc non poſſet euidenter cognoſcere incarnationem; quia poſſet dubitare, an Deus pro ſuo delectu vellet eam omni ſubſiſtentiâ propriâ ſpoliatam manu tenere.

Ad alia verò iudicia dic[illegible], negando euidenter Angelo naturaliter eſſe notum [illegible] ub[illegible] tiam diuinam eſſe capacem alienam [illegible] terminandi, quia euidens illi non eſt, [illegible] na ex imperfectionibus ſuprà aſſignatis, mu[illegible] nis ſcilicet, vel informationis, poſſe ſubſiſtentiam diuinam [illegible] qui. Vnde licèt, cognoſceret ſubſiſtentiam diuinam infinitam eſſe, id poſſet ſcire, quia identificata eſt cum natura diuina; an verò ex eo infinitam iudicaret, quia alienam naturam terminare poſſet, illi euidenter minimè conſtare.

34. Sed replicabis, Angelus cognoſcens ſubſiſtentiam eſſe infinitam in ratione talis iudicaret euidenter poſſe terminare [illegible] naturam, cuius terminationem non impediret aliqua imperfectio. At Angelus eu[illegible] cognoſceret, quod in terminatione naturæ humanæ vel alterius rationalis, nulla imperfectio inuolueretur. Ergo euidenter cognoſceret, poſſibilem eſſe diuinam ſubſiſtentiam terminare poſſe alienam naturam. Probo minorem, nam Angelus acumine ſuæ mentis ſatisfacere poſſet argumentis cunctis, quæ in prædictam terminationem, aliquam ex illis imperfectionibus inducunt. Ergo euidenter cognoſceret, in terminatione alienæ naturę nullam imperfectionem inueniri, quę diuinam ſubſiſtentiam minime deceret.

35. Reſpondeo, concedendo maiorem, & negando minorem: Ad probationem diſtinguo antecedens. Angelus e[illegible] tisfaceret argumentis oſtendentibus [illegible] tem illam, aliquam inducere imperfectionem, ſolutione po[illegible] noſcend[illegible] omnia argum[illegible], quæ ex p[illegible] natura[illegible] d[illegible] t ad ſuadendam [illegible] tem incarnationis poſſibilis, nego antecedens. Sati facere poſſet, oſtendendo negatiuè [illegible] minimè conuincere impoſſibi[illegible] prædictæ terminationis, do antecedens [illegible] n[illegible] conſequentiam.

36. Sed replicabis. Ergo Angelus naturaliter poteſt euidenter cognoſcere terminationem prædictam non eſſe impoſſibilem. Ergo euidenter naturaliter cognoſceret Angelus talem terminationem eſſe poſſibilem. Probo conſequentiam, nam iſtæ propoſitiones ſunt contradicentes: ratio naturalis non poteſt demonſtrare huius terminationis impoſſibilitatem. Ratio naturalis non poteſt demonſtrare terminationem hanc eſſe poſſibilem, quia vna immediatè negat, quod altera affirmat. Ergo vna ex illis eſt vera, & altera falſa. Vel hæc ſecunda eſt falſa, & ſic habebimus intentum. Si eſt vera. Ergo prima eſt falſa, quam conceſſimus vt veram. Ergo [illegible] ipſo quòd Angelus naturaliter euident[illegible] poſſit demonſtrare terminationem illam non eſſe impoſſibilem, debemus admittere [illegible] m, naturaliter poſſe ipſum demonſtrare illam poſſibilem eſſe.

Sed reſpondebis concedendo primam, & negando ſecundam conſequentiam. Ad probationem, nego illas propoſitiones eſſe contradictoriè oppoſitas. Ratio eſt, quia opponi contradictoriè dicuntur propoſitiones illæ, quarum vna alteram negat, quod in adductis propoſitionibus non euenit: ſiquidem de vna, & eadem re verificari poteſt, quòd nequeat demonſtrari vt euidenter poſſibilis, & quòd nequeat demonſtrari vt euidenter impoſſibilis. Ratio huius eſt, quia cùm demonſtratio quæuis ſit talis in ordine ad intellectum, huic enim res quælibet intelligibiliter demonſtratur, non ſolùm deſiderat, quòd res in ſeipſa ſit talis, ſed quòd à mente vt talis percipiatur. Hinc fit, quòd quamuis terminatio alienæ naturæ à ſubſiſtentia diuina, ſeu ipſa incarnatio ſit in ſe prorſus poſſibilis, tamen quia intellectui euidenter ſic patere non poſſit, fit, quòd ab illo vt poſſibilis demonſtrari nequeat. Iam quòd ex hoc inferri nequeat, intellectum poſſe demonſtrare eamdem terminationem eſſe impoſſibilem, patet, ſiquidem quòd à parte rei impoſſibile teipſa non eſt, nequit euidenter vt impoſſibile iudicari: vnde ſi propoſitiones illæ formaliter accipiantur per ordinem ſcilicet ad intellectum, minimè contradictoriæ ſunt, cum in ordine ad intellectum vna non neget, quod altera affirmat. 37.

Argues 4. Intellectus ex principiis naturæ, poteſt demonſtrare viſionis beatæ poſſibilitatem. Ergo & poſſibilitatem incarnationis. Conſequentiam probo: nam ideo demonſtrationem illius naturalem negamus, quia incarnatio eſt ſupernaturalis; ſed viſio poſſibilis beata, ſupernaturalis eſt. Ergo ſi hæc naturaliter eſt demonſtrabilis, cur non incarnatio. Antecedens probat Scotus, 1. quia euidens eſt, Deum clarè viſibilem contineri, intra obiectum adæquatum intellectus, 2. euidens etiam eſt, poſſe intellectum attingere ſuum, cognitione perfecta, ſatiante appetitum eius, qualis intuitiua recenſetur: quia ſicut potentiæ ſenſitiuæ poſſunt ſua obiecta intuitiuè attingere. Ergo & intellectus. Ergo euidens erit, intellectum creatum poſſe Deum intuitiuè videre. 3. quia cunctis rationalibus eſt in natura appetitus, aſſequendi ſuum ſummum bonum, media viſione eius intuitiua. At hoc deſiderat, viſionem intuitiuam Dei non eſſe impoſſibilem, aliàs tale deſiderium minimè daretur, ſiquidem natura minimè ad impoſſibile mouet. Ergo talis viſio eſt poſſibilis abſolutè. Ergo qui tale deſiderium euidenter cognouerit, 38.

etiam

etiam euidenter cognoſcet poſſibilitatem viſionis. Tunc ſic,ſed naturaliter euidenter quis tale deſiderium cognoſcit, cùm illud vnuſquique experiatur in ſe. Ergo,&c. Tandem idem antecedens patet,ſiquidem naturaliter euidenter eſt notum,poſſibilem eſſe amorem,immediatè terminatum adDeum,Cur ergo & notum non erit, poſſibilem eſſe viſionem, ad Deum immediatè terminatam; cùm tam infinitus ſit, in ratione amabilis Deus, ac in ratione viſibilis.

39. Reſpondeo primò, dando antecedens,& negando conſequentiam, nam plura difficiliora experiri poterit intellectus; in iudicanda poſſibilitate incarnationis, quàm in oſtendenda poſſibilitate viſionis, cùm præter ea difficilia quæ vtrique ſunt cōmunia, nempe ſupernaturalitas, plura alia cōplectitur incarnatio, vtpote miraculum miraculorum,quę retraherent intellectū, ne de eius poſſibilitate iudicium firmum ferret.

40. Reſpondeo 2.negando antecedens,de quo latè tract. de viſione. Ad primam probat. reſpondeo, Deum eſſe intra obiectum adæquatum intellectùs, minimè probare, clarè, & intuitiuè poſſe videri,quia ad verificandum primum,ſufficit,ſi imperfectè,& abſtractiuè attingatur,cùm regula præfixa ſit apud omnes, nullam potentiam poſſe etiam imperfectè ferri in obiectum, quod fuerit extra obiectum adæquatum illius: at cùm naturaliter euidenter demonſtretur cognitio imperfecta Dei,ſcilicet abſtractiua,exinde optimè infertur,Deum eſſe contentum intra obiectum adæquatum illius. Et ex hoc patet ad 2. probat.antecedentis, nam vt intellectus,potētias ſenſitiuas,aliàs intuitiuè videntes ſua omnia obiecta, ſuperet, ſufficit, quòd circa plura obiecta intuitiuè ſe gerat,& quòd Deum,qui in infinitum excedit obiecta cuncta potentiarum ſentientium, ſaltem abſtractiuè percipiat naturaliter. Tertia verò probatio multùm probat, nempe intellectum creatum, poſſe naturaliter Deum videre; nam in ipſam Dei claram viſionem ab ipſa natura impellimur.

41. Ad vltimam probationem,Reſpondeo illam minimè explicare amorem,de quo loquatur:ſed quicunque ille ſit,intentum non conuincit:etenim ſi eſt amor naturalis Dei, inſufficiens hic eſt, vt deducat viſionem Dei ſupernaturalem, nec naturalem; hanc,quia impoſſibilem,illam, quia perfectiorem,& in alia linea ſuprema valde inconnexam cum ipſa; Rurſum, quia vt ſit euidens,nos naturaliter poſſe Deum amare, ſat eſt nobis ipſis eſſe euidens, Deum eſſe ſummè bonum; ad hoc autem vt mihi ſit euidens poſſe intuitiuè Deum videre,neceſſe eſt,mihi eſſe euidenter notum, poſſe Deum cum intellectu noſtro concurrere,medio concurſu obiectiuo ſpeciali. Hoc autem euidens mihi eſſe naturaliter non poteſt;quia in tali concurſus poſſibilitate, ingentem inuenit intellectus creatus, lumine naturali ductus, & inſuperabilem difficultatem reperit, vt patet ex tract. de viſione. Si propter hoc,dicas probationem illam loqui de amore ſupernaturali, aſſero, iſtum naturaliter indemonſtrabilem eſſe,nam quem vis naturalis euidenter concipere valet, & quem vnuſquiſque experitur in ſe, eſt amor Dei naturalis loquor de amore experto ſine fidei lumine ſiquidem cognitio eum regulans,naturalis eſt,atque adeo ſolùm mihi naturaliter amor Dei naturalis euidens eſt;hunc verò eſſe inſufficientem, vt deducat euidenter poſſibilitatem viſionis beatæ,patet ex prima parte iſtius ſolutionis.

Argues 5. Angelus euidenter, & naturaliter cognoſcit poſſibilitatem reſurrectionis,& conſeruationem accidentium extra ſubiectum in Euchariſtia. Ergo & incarnationis poſſibilitatem. Confirmatur, quia intellectus naturaliter demonſtrare valet ſupernaturale, ſub ratione communi, minimè implicare contradictionem. Ergo. Antecedens manet probatum ſuprà, & latè à *num.* . Ergo, &c. 42.

Reſpondeo, lumen Angelicum naturaliter poſſe, demonſtrare poſſibilitatem reſurrectionis: ratio eſt,nam reſurrectio non eſt niſi quoadmodum ſupernaturalis, & extrinſecè, nimirum à principio in entitatem naturalem operante extra exigentiam naturalium cauſarum. Nec enim ab intellectu extat inſuperabile, in Deo reſidere potentiam reproducendi rem ſemel deſtructam, quam prius; mediis naturalibus cauſis,producere valuit.Siquidem cùm totalis entitas viuonis animæ cum corpore, nec non eius diſpoſitiones,productæ primò fuerint à Deo,cōcurrentibus ſimul cæteris creatis principiis, non difficile eſt captu,Deum poteſtatem habere,eamdem rem iam deſtructā,iterum producere,inconcurrentibus creatis cauſis;quia optime cognoſcimus regnare in Deo potentiā ſufficientem ad id,cùm cognoſcamus ipſum, creationis opera ſe ſolo fuiſſe exequutum,quod reſurrectione cenſetur maius. Incarnatio autem, totaliter,& quoad ſubſtantiam,eſt ſupernaturalis,& inter ſupernaturalia excellentius,& reconditiſſimum opus,quod nulla creata naturalis entitas exigit,ſicut reſurrectionem ipſa anima eſſlagitat; ideo cognitu naturaliter impoſſibile. 43.

Nec illud de accidentibus conuincit quidquam, quia vt poſtea videbimus, incarnatio eſt ſublimius opus, quod naturam totam excedat; ſiquidem vt vidimus *diſp.* 1.Deus defectum ſubſiſtentiæ minimè medio effectiuo concurſu ſupplere,nec poſſe,vt idipſum latiùs,tract.de vnione,comperiemus,ſed per mirandam,& ſacratiſſimam vnionem ſe intrinſecè in humanitatem inſinuando,vt ex ambobus vnum ens per ſe fiat,& perfectiſſimè elaboretur,quæ omnia diſtantiora ſunt ab humano captu, quàm abſentiam ſubiecti in accidentibus Euchariſticis,medio effectiuo concurſu ſupplere.Sed de his ſtatim.Ad confirmationem,do antecedens,&nego conſequentiam, ſiquidem ad hoc, quòd ſupernaturale ens in communi naturaliter cognoſcatur, adeſt intellectui principium per ſe notum,nempe Deum creatis naturalibus terminis, à ſe producendis, minimè obſtringendum fore, & exinde poteſt naturaliter deducere. Ergo aliquid, ſupra illos valet Deus producere, quod eſt ens ſupernaturale in confuſo percipere.At ad cognoſcendum euidenter poſſibilitatem incarnationis,nihil datur intellectui per ſe notum,quod ad illius poſſibilitatem deducat,& conſequenter defenſuri ſumus, ens ſupernaturale in communi, contineri intra obiectum naturale intellectùs, ſaltem arguitiuè, at poſſibilitas incarnationis, eſt extra obiectum naturale illius. 44.

Collige 1. adeo excellentem, & obſtruſiſſimam 45.

mam eſſe incarnationem, vt nec ex aliis myſteriis ſupernaturalibus reuelatis, poſſit euidenter ab humana mente demonſtrari. Imprimis, non ex myſterio Trinitatis, ſiquidem ſi hoc meditemur, inueniemus ſolam communicationem vnius, ſcilicet diuinæ naturæ cum tribus ſuppoſitis increatis; at communicatio hæc, longè abeſt à communicatione vnius diuini ſuppoſiti cum natura humana, vt in incarnatione contingit; atque adeo valde vtraque communicatio diſſidet: nam hæc fit [illegible] illa verò propriis ſuppoſitis, & n[illegible] ſine occaſione iudicandi in ea aliquid imperfectionis reperiri; at communicatio naturæ alienæ, ſecum fert imperfectionum ingentem nubem, quam fidei radij ſolùm euaporare valent, etſi ei humana mens non perſpicue [illegible], maximum inueniret fundamentum, vt aliquam imperfectionem in prædicta communicatione innuiceret. Quapropter plures Trinitatis myſterio annuerunt, abnuentes myſterio noſtro. Ergo ex myſterio Trinitatis reuelato, adhuc intellectu difficilis manet incarnatio.

46. Colliges 2. nec myſterium Euchariſtiæ reuelatum, eſt ſufficiens, vt ex illo humana mens naturaliter demonſtrare valeat incarnationem poſſibilē. Nam Euchariſtia tria mirabilia complectitur; nempe primum, quòd idem corpus Chriſti numero, maneat in ſpeciebus multiplicatum; ſecundum, quòd accidentia ſine proprio ſubiecto; tertium, quod corpus quantum, ſit propria extenſione deſtitutum, & indiuiſibiliter, in ordine ad ſpecies ſacramentales, poſitum. At incarnatio cum nullo iſtorum connectitur. Ergo ex nullo, nec ex omnibus, incarnatio poteſt euidenter poſſibilis deduci. Probo minorem, quia etſi ea mens veneretur vt mirabilia, tamen videt illa omnia contingere, mediante mutatione vtriuſque extremi, ſine imperfectione alicuius diuini, quia ſolum mutatio illa, ſi qua eſt, in corpus Chriſti inducitur, quod in locum panis ſuccedit, nec non in accidentia, quæ ſibi acquirunt nouum modum exiſtendi ſine ſubiecto. Hæc inquam omnia nec leuem anſam menti noſtræ præbent, ad cogitandum, ne dicam efficaciter, ſed nec ad vmbram, de poſſibilitate noſtri myſterij: ſiquidem cum illud conſiſtat, in vnione intrinſeca verbi ad humanitatem, vt ex illis vnum ens per ſe ſubſtantiale conficiatur, fit, quòd ex myſterio Euchariſtico, in quo, ex vnione accidentium cum corpore, nullum ens per ſe integratur, nullum fundamentum præbetur menti, vt de poſſibilitate incarnationis aliquod iudicium naturale ferat.

Sectio II.

Intellectus creatus naturaliter probabiliter, viâ inuentionis, non potuit incarnationem, vt poſſibilem, cognoſcere, bene tamen poterat viâ confirmationis, poſtquam illa reuelata eſt.

47. Concluſio hæc communis eſt apud diſcipulos ſanctiſſ. Doct. & alios, qui licèt hac non vtantur diſtinctione communiter, tamen abſolutè negant cuicunque intellectui, vim naturalem etiam vel probabiliter inferendam incarnationis poſſibilitatem, contra durandum *in 3. diſtinct.* 1. *q.* 1. . 8. & Peſantium *art.* 1. *diſp.* 3. aliosque illum ſequutos; & quamuis frequens ſit apud Authores noſtrum placitum, non tamen æquè efficaciter ſuadent illud: aliquas tamen eorum rationes probabiliores ſcribam, vt res adeo reconditiſſima aptiùs percipiatur.

Sed prius notandum duxi quid apud omnes, vt ratum habeatur. Authores cuncti ſupponunt vnum, & controuertunt aliud. Primum, nullo modo Angelum, naturali lumine ductum, poſſe incarnationem in particulari, Verbi ſcilicet, aut alterius diuinæ Perſonæ adhuc probabiliter cognoſcere. Ratio; ſiquidem vt hanc notitiam haberent naturaliter, deberet eidem concedi naturalis facultas cognoſcendi, vel Verbum, vel alteram Perſonam diuinam determinatam; atqui denegari debet etiam modiciſſima naturalis ſuſpicio alicuius diuinæ Perſonæ, vt compertum eſt apud omnes: Ergo & cognitio, etſi probabilis, naturalis incarnationis determinatæ Perſonæ diuinæ. Quod verò examini datur, eſt, an poſſet Angelus, opinatiuè naturaliter poſſibilem eſſe incarnationem, prout ſolum hæc dicit vnionem naturæ humanæ cum diuina Perſonalitate, præſcindendo, ab eo ſcilicet quòd in diuinis Perſonalitas ſit vna, vel multiplex, abſoluta, vel relatiua, cognoſcere; atque adeo ſuppoſita cognitione naturali in illo de Deo, qualem habebant plures Gentiles de ipſo (cognouerunt multi Deum eſſe Perſonam) an poſſet Angelus opinatiuè naturaliter decernere ipſum Deum, quem vt Perſonam naturaliter percipit, poſſe naturam aliquam hypoſtaticè terminare? Negatiuam partem, vt dixi, communiter tenent Authores. 48.

Probant primò. Incarnatio eſt prorſus ſupernaturalis, & à cunctis naturæ principiis abſolutiſſimè inconnexa. Ergo eam naturaliter opinatiuè Angelus percipere non potuit. Sed ratio hæc licèt deuincat impoſſibilem eſſe Angelo naturalem cognitionem euidentem, immediatâ euidentia ad poſſibilitatem incarnationis terminatam, non tamen eum habere non poſſe, cognitionem naturalem opinatiuam, probabilitate ſaltem mediata, per ſpecies alienas habita: vnde triplicem cognitionem deſignare poſſumus, tamquam ſubiectum huius quæſtionis, vel cognitionem euidentem euidentiâ immediatâ, vel euidentem euidentiâ mediatâ; & cognitionem probabilem ſpeciebus alienis acquiſitam; duas priores ab Angelo ſect. antecedenti de poſſibilitate incarnationis expunximus, & vniuerſaliter quamcumque naturalem euidentem cognitionem de illa eidem denegauimus, præciſè ſupernaturalitati tanti myſterij innixi; at ſupernaturalitatem eiuſdem ſufficere, vt impediat cognitionem in Angelo probabilem de hoc myſterio, eſt valde dubium; cùm ad iudicium hoc probabile formandum, minimè deſideretur; accipere ſpeciem propriam illius, ſed quòd mediis ſpeciebus aliarum rerum, quas naturaliter percipit, prædictū iudicium probabile de incarnatione formet, non alio modo, ac diximus ſuprà, poſſe Angelum ens ſupernaturale in cōmuni pertingere, non per ſpeciem propriam, 49.

ſed

ſed per ſpecies omnipotentiæ, minimè ad res naturæ ſolùm obſtrictæ, in illius cognitionem, nedum probabilem, ſed euidentem deuenire. Ita idem poterat Angelus circa incarnationem, quamuis ſupernaturalem, exequi [illegible] magis, cùm ad probabiliter ex aliis de[illegible]tione ſuſpicandum minùs deſideretur quàm ad ad formandum iudicium euidens de ſuper naturali ente in communi.

50. Reſpondebis fortaſſe: neceſſarium eſſe, vt ex aliis probabilem cognitionem de incarnatione naturaliter Angelus eliciat, quòd illa ali[illegible] naturaliter percipit, habeant aliquam affinitatem, & connexionem cum incarnationis myſterio; etenim ideo idem Angelus ex cognitione omnipotentiæ elicit cognitionem poſſibilitatis ſupernaturalium in communi, quia omnipotentia, quam euidenter demonſtrat, naturaliter eſt connexa cum facultate producendi ſupernaturalia in communi; at nihil eſt, quod naturaliter Angelus cognoſcat, quodque adhuc in vmbra, incarnationis myſterium redoleat. Ergo vt illi denegetur etiam opinatiua incarnationis notitia, ſufficit, hanc ita ſupernaturalem eſſe, vt cum ea nihil naturale, nec veſtigium ſimilitudinis habeat.

51. Sed replicabis, & imprimis notans ſolutionem hanc, aliud præter ſupernaturalitatem putam myſterij, deſignare, nempe negationem alicuius entis naturaliter ab Angelo cogniti, habentis ſimilitudinem aliquam cum incarnatione, vi cuius, ſaltem in huius probabilem cognitionem deuenire poſſit: & licet doctrina hæc frequenter plauſibilior cunctis ſit viſa, & à nobis aliter ponderanda infrà, tamen prout ſic iacet, impugnatur primò. Siquidem vt Angelus cognoſcat probabiliter incarnationis myſterium ex penetratione rerum, quæ naturaliter cognoſcit, neceſſe non eſt, dari in rerum natura aliquid ab ipſo cognitum, habens ſimilitudinem cum incarnatione, ſi enim daretur hoc, non eſſet litigium de cognitione probabili, nam euidentem tunc de illa poſſet Angelus naturalem habere notitiam; nam myſterium hoc à Ieremia appellatur opus nouum, *nouum fecit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum, &c.* Nec admirabilis nomenclaturam ſortiretur, iuxta verba noſtræ vulgatæ, ad Iſaïæ 9. *vocabitur nomen eius admirabilis.* Si enim aliquid incarnationi ſimile naturaliter Angelus fuiſſet expertus, quid ei nouitatis, vt in admiratione raperetur, afferret incarnatio. Vt ergo Angelus naturaliter opinatiuè poſſet de incarnatione poſſibilitatem concipere, ſat erat illi, ſi ex rebus, quas naturaliter euidenter cognoſcebat; poſſet per illationem probabilem, deducere illam. Naturaliter euidenter cognoſcebat Angelus, Deum ſubſiſtentem infinita ſubſiſtentiâ. Præterea æq[illegible] no[illegible] illi, naturã humanam ſubſiſtere ſubſiſtentia modaliter à ſe diſtinctâ. Ex his euidenter cognitis non apparet, quid prohibeat aſſurgere in aliqualem cognitionem myſterij incarnationis, quatenus illis duobus perceptis & infinitate ſubſiſtentiæ diuinæ, amplius, ac amplius pene[illegible] ab Angelo, repente poſſet, eidem occurrere [illegible], an ſubſiſtentia Dei; cùm ſit infinita in linea terminandi; habeat facultatem non ſolùm propriam ſed & alienam naturam creatam termin[illegible]. Sicut quia nos cognoſcimus Deum, infin[illegible] ſe & cuncta diligere, & perfectiſ[illegible] ſan[illegible]tate ſanctum reddi, necnon hominem q[illegible]bet ſ[illegible]itati, & amoris compotem [illegible] dubita[illegible] ſ[illegible]us, an amor diuinus, & ſan[illegible] D[illegible] poſſint homini taliter vniri, vt eum [illegible]dem an[illegible]ſtum formaliter conſtituere valeant. [illegible] dubitamus de intel[illegible] humana, q[illegible]ta, an poſſet vniri int[illegible] humanæ, Chr[illegible]llum formaliter intelligentem reddendo, vt latè conſpicienus [illegible] tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti *diſp. 1. dub. 1.* Ergo ſicut ex cognitione euidenti amoris & ſanctitatis infinitæ & infinitæ intellectionis ex vna parte, & ex capacitate intelligendi, qua homo prædictus eſt ex alia, aſſurgit in nobis dubitatio vniendi ſanctitatem, amorem & [illegible] intellectionem, cum humana mente, ita ex cognitione ſubſiſtentiæ infinitæ ex vna parte, & ex cognitione capacitati ad ſubſiſtendum, quam habet humana natura, poterat in Angelo oriri quædam dubitatio, qua inueſtigaret d[illegible]ione ſubſiſtentiæ diuinæ cum humana natura, in quo conſiſtit incarnatio ſumpta in genere.

Secundò, quia non deſunt aliqua naturalia ab Angelo euidenter nota, quæ aliquam affinitatem habeant cum incarnatione ex quibus iſtius poſſibilitatem probabiliter poſſet inferre. Imprimis illud D. Athanaſij, ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo; ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Hoc ſimili vtitur S. Iuſtinus *in lib. de recta fidei Confeſſ.* S. Auguſt. *epiſt. 3* ad voluſianum. Quod inquam exemplum, aliqualiter noſtrum myſterium refert, tametſi in aliis ab illo differat: explicat aliquantulum illud, quia anima rationalis ſeparata à corpore verè ſubſiſtit, & tamen cum illi vnitur, ex illis vnum ens per ſe conficitur; & idem dico de corpore quod ante eius animationem ſubſiſtebat, & ex illo & anima vnum ſubſiſtens conflatur. Similitudo eſt in hoc, videlicet quòd illud quod ſubſiſtit ſeparatum, vniri poteſt cum alio ad conſtituendum vnum ſubſiſtens per ſe. Ergo ſicut poſt incarnationem reuelatam, SS. PP. vt illam facilius ſuaderent, iſto exemplo vſi fuerunt; ita ante eius reuelationem poterat Angelus, penetrans exemplum prædictum, venire in aliqualem cognitionem incarnationis cui aſſimilatur. 52.

Aliud noſtri m[illegible] exemplum affert ſanctus Bonauent. cum ſanctiſſimo Thom. *in 3. diſt. 1. q. 1.* Comparant enim incarnationem arbori, cui inſeritur ramus alterius ſpeciei, v.g. Pyro, cui malus inſeratur, Pyrus enim ſubſtantia eſt, & verum ſuppoſitum, nec pendet à ramo mali inſerto, & poſt inſertionem, ramum [illegible] ſuſtentat, qui ſi ab illo non ſuſtentaretur, ſubſiſteret, & tamen dum iam inſerta pyrus, ſimul & malus appellatur, necnon pyra & mala fœcundat: & poteſt p[illegible] malus vocari, & è contrà. Ecce re[illegible] aliqu[illegible] e pendens myſterium noſtrum [illegible]oc [illegible] natura aliena vnitur alteri ſuppoſito. Rurſum ſi non ſuſtentaretur ab illo, ſubſiſteret per ſe. Præterea ex iſtis fit vnum ſubſiſtens in incarnatione. Item dum vnita ſunt extrema iſta per communicationem 53.

idiomatum, quod eſt proprium vnius, alteri in concreto c[illegible]at. Q[illegible] in exemplo arboris in[illegible] vidi[illegible]. Ergo ſicut poſt incarnationem reuelatam vt eam SS. iſti doct. amplius expenderent prot[illegible]nus in mentem illis venit arbor, cui inſ[illegible] rami alterius ſpeciei. Ergo ante reuelationem in[illegible]rnationis poterat Angelus penet[r]ans [illegible], quæ in [illegible] exemplo recitauimus, quæ valde ſimi[illegible] ſunt [illegible]s, quæ incarnationis ſunt propria [illegible] aliqualem noti[illegible] iam at[illegible] d[illegible] [illegible]num [illegible] euidenter ſciue [illegible] ſu[illegible] iſtentia diuinam eſſe in tali linea infinitam.

54. Præterea a[illegible] exemplum eſt valde incarnationi affine; ferrum enim ignitum con[illegible]et duo, ſubſtantiam ſ[illegible]i [illegible] & ſubſtantiam ferri: & tamen v[illegible] ſ[illegible]ſiſtentia eſt vnum ſuppoſitum. Nunc [illegible]paret ſim[illegible]itudo maxima inter incarnationem [illegible] exemplum hoc [illegible] nam ſicut in iſto, eſt duplex ſubſtantia, ita & in illa, eſt ſubſtantia duplex, & ſicut e[illegible] illis vnum ſuppoſitum ſit, ita & in illis. Et[illegible] alteri alteri aſſimilatur. Ergo penetrans euidenter naturaliter Angelus illud exemplum ferri, ſtatim pulſari poterat à cogitatione incarnationis, ſicut reuelatâ hac aſſur[illegible] ſtatim cogitario de ferro ignito. Ergo Angel[illegible] a mens euidenter, & comprehenſiuè naturas & eſſe[illegible] iſtorum exemplorum attingens, al[illegible]nam affinitatem in illis cum incarnatione inueniebat; ex quibus, eſt languida probabilitate, incarnationem vt poſſibilem inferre poterat.

55. Lugus hic *diſput.* 1. *ſ[ect].* 1. *num.* 8. aliam rationem concluſionis dat, quia quamuis multa ſint, de quibus dubitat humana me[ns], in ordine ad po[tenti]am abſolutam, & multò plura Angelicum ingenium inueniat, de quibus dubitet, fortaſſis tamen ſuſpenderet in hac quæſtione aſſenſum, quia licèt non inueniret repugnantiam, hæreret tamen dubitabundus in illo [illegible] nere [illegible] eo quòd vniones al[illegible], quas natural[illegible] ognoſcebat, eius rationis eſſent, vt connecterent duo extrema, quorum ſingula, ipſa coniunctione perficerentur, ita vt nullum extremum inueniretur in natura vnibile, quod perfectibile non eſſet, imp[er]fectum, & incompletum, [illegible] complebile autem per coniunctionem cum alio. Dubitaret itaque meritò Angelus, an Deus qui e[illegible]liter eſt completus, capax eſſet vnionis; necnon dubitaret, an ex duobus entibus, quorum vnum eſſet ens actu completum, poſſet reſultare aliquid per ſe vnum: vnde huius vnion[is] nullum in natura inueni[illegible] exemplum; imò certè [illegible] nes ſciret eſſe [illegible] ſ[illegible] eſſ[illegible] nti[illegible] duo [illegible] ntium incompl[illegible] orum, vt ex illis [illegible] al[iq]uod ens integrum, & perfectum.

56. Sed neque iſta ratio intentum conuincit. Nam eo ipſo [illegible] admittit Lugus, Angelum naturaliter [illegible] ſ[illegible]ari vnionem hypoſtaticam [illegible] admitt[illegible]tur, eundem Angelum cognouiſſe et eam naturaliter virtut[illegible] pot[illegible] diuinæ, necnon infinitam [illegible] ſubſiſtentiæ increatæ, in[illegible] m, ſemel ſibi propoſita vni[illegible] hypo[illegible] dubitabundum non man[illegible] fe[illegible] [illegible]bilitate illius, p[illegible]pter [illegible] tali vnione in ſubſiſtentiam inducendæ. Ratio eſt, quia poterat Angelus probabiliter opinari, regulam illam, de mutandis per vnionem extremis, vio[illegible] fore, quando vnum ex extremis vnitis eſſet diuinum, quia tunc propter eius excellentem eminentiam, & poteſtatem, poterat ſe alteri vniendum tradere, taliter, quòd vnio ſolùm extremum humanum, quia imperfectum mutaret, Verbum tamen vtpote diuinum à mutatione liberaretur: nec hoc latere poterat Angelum, cùm mens noſtra probabiliter opinata ſit, vt videre eſt in multis Authoribus, quòd etiam dum ambo extrema ſunt limitata, vnio illa nectens vtraque, non perficit, ſed tantùm illud extremum, in quo tanquam in ſubiecto recipitur. Ergo ſi ſemel defendit, Angelum naturaliter poſſe de vnione hypoſtatica ſuſpicari, non eſt cur illi neget aſſenſum probabilem de eius poſſibilitate, perterrito, timore mutationis Verbo inferendæ, cùm hanc difficultatem facili negotio ſatis probabiliter ſuperare poſſet, ſicut eam ſuperant Authores docentes, vnionem ſolùm vnum ex extremis, quæ vnit, intrinſecè mutare.

57. Secundò, quia caſu dato, probabile non eſſe vnionem extrema creata nectentem, ſolùm vnum illorum perfecturam, atque adeo idipſum tanquam improbabile, Angelum iudicaſſe, adhuc in hypotheſi illa, in qua in eo daretur vnionis hypoſtaticæ ſuſpicio, ipſum neceſſariò minimè ſuſpenſurum iudicium, de eius poſſibilitate, ex eo, quòd non ſatis perciperet Angelus, Verbum vniri poſſe ſine ſui intrinſeca mutatione: ſiquidem perfectè Angelus Deum eſſe immutabilem iudicabat, cùm eum, omnes perfectiones creatarum rerum continentem, naturaliter cognoſcebat; atque adeo poterat opinari, poſſe Deum altiori modo, naturæ creatæ vniri, eo ſcilicet fine, vt illam perficeret, quàm cæteras creatas res inuicem vnire experiatur; nam cùm iſtæ ſint ab intrinſeco perfectibiles, non eſt alius modus illis à natura præſcriptus, vt ſe vniant, niſi ille, in quo vtraque pars intrinſecè mutata euadat.

58. Betill *diſp.* [illegible] *ſect.* 2. § 2. *num.* 29. ſic concluſionem probat, quòd licèt vnio naturæ creatæ cum abſoluta Dei ſubſiſtentia, ſit magis veſtigabilis, cùm eius extrema, nempe ſubſiſtentia Dei increata, & humana ſubſtantia, magis pateant mentibus, tamen hæc ipſa extrema, cognoſcuntur euidenter, eſſe infinitè diſtantia, vnum per eſſentiam finitum, alterum per eſſentiam infinitum, vtrumque formaliter natura, & eſſentia, & in ratione naturæ, & eſſentiæ completum; extrema verò infinitè diſtantia, poſſe latèt ſe phyſicè vniri, & ita vniri, vt duæ totales naturæ ſecundum realitates naturarum vnitæ, non ſint vnitæ vt naturæ, ſed vna, vt natura, & altera, vt ſubſiſtentia, & ex duabus naturarum realitatibus non exiſtat vnica natura, ſed vnicum ſuppoſitum, aut vnica Perſona, hoc autem non apparet naturaliter apparere poſſe.

59. Ratio hæc in eo videtur efficax, ſi non ſiſtat in diſtantia extremorum vniendorum; nam hoc poterat ſatis probabiliter ab Angelo ſuperari, vt cuique rem ponderanti apparebit. Si verò rurſus progrediatur ad repugnantiam extremorum vnibilium ob inſuperabilem difficultatem, quæ in prædicta vnione collucet, exiſtimo eſſe efficacem,

efficacem; quam ſic proſequor, illam reducendo in probationem primæ partis concluſionis tituli, quæ aſſerebat, nullum creatum in [illegible] ctum potuiſſe naturaliter, viâ inuen[illegible] cognoſcere poſſibilitatem incarnationis: quod ſic probo. Etenim creatus intellectus nullum habet naturale principium, quod aut minimam affinitatem habeat cum hypoſtatica vnione, nectente diuinam ſubſiſtentiam abſ[illegible]utam cum humanitate, nam de ſubſiſtenti[illegible] relatiua cuique eſt peruium vt notauimus n. 48. Ergo naturaliter, nullo modo poterat Angelus in eam incidere. Antecedens patet, ſiquidem incarnatio adhuc in genere, conſiſtit in hoc, quòd diuina ſubſiſtentia, (quam eſſe idem realiter cum Dei natura cognoſcit euidenter Angelus,) ſic humanæ naturæ vniatur vt ſubſiſtentia, quòd vt eſſentia minimè vniatur & quòd ex illis vnum ens per ſe reſultet; [illegible] in creatis euidenter ab Angelo cognitis, nihil talem coniunctionem aliqualiter ſuadere poteſt, ita vt ex illis viſis poſſit promoueri in cogitationem illius. Ergo.

60. Sed replicabis, Angelus naturaliter [illegible]oſcit, ſuam ſubſiſtentiam poſſe non ſolùm propriam naturam, ſed alienam terminare. Ergo ex talis coniunctionis cognitione poterit excitari naturaliter eius mens ad cogitandum, an ſubſiſtentia Dei non ſolùm propriam, ſed alienam naturam, ſicut Angeli ſubſiſtentia, poſſit terminare. Antecedens ſuppono, nam in ſententia aliquorum, vt poſtea videbimus, probabile eſt vnam creatam naturam aſſumptibilem eſſe ab alterius naturæ, creatæ ſubſiſtentia. Conſequentia patet de ſe. Confirmatur nam exempla illa quæ adduximus *num.* 5[illegible]. 53. 54. ſufficientem ſimilitudinem habent, etſi remotam, cum hypoſtatica vnione, vt ex vi cognitionis illorum pulſari protinus poſſet Angelus, vt de illa aliquid deprehenderet.

61. Reſpondeo 1. nullo modo Angelum naturaliter cognoſcere poſſe per eius ſubſiſtentiam alteram naturam alienam terminare, nec probili ratione Authores, id eſſe poſſibile, poſſe ſuadere videbimus infrà. Secundò reſpondeo concedendo antecedens & negando conſequentiam, nam in primo caſu datur diſtinctio realis inter eſſentiam Angeli, & eius ſubſiſtentiam; atque adeo percipi naturaliter poteſt poſſibilitas talis coniunctionis; at ex illa cognita, quomodo poterat promoueri eius intellectus, vt cogitaret naturaliter, an id e[illegible] poſſibile Deo, cuius naturam eſſe à propria ſubſiſtentia indiſtinctam cognoſcit euidenter Angelus, qui quò perfectiori acumine viget, eò magis ponderat ingentem diſſimilitudinem rerum creatarum cum diuinis, ne[illegible] ex [illegible], euidenter aliquid de iſtis adhuc [illegible] apprehenſione, poterat cogitare. Exempla enim, quæ ibidem attulimus, præterquam quòd hanc eamdem patiuntur diſſimilitudinem maximam, aliæ in illis, vt cum vnione hypoſtatica collatis, reperiuntur. Etenim primum de anima, valde differt, ſiquidem, tam an[illegible] quam corpus ſunt partes incompletæ ex quibus optimè intelligitur reſultare vnum ens per ſe, quod ſit natura; Hoc autem quam habeat affinitatem cum hypoſtica vnione, vbi neceſſe eſt, quòd Deus ſit [illegible] ext[illegible]mum eſſentialiter completum [illegible] adeò [illegible]pos conſtruendi cum huma[illegible] naturam li[illegible]u[illegible]m per ſe, quis non videt [illegible] N[illegible] arboris, cui inſeritur ramu[illegible], aliquam anſam intellectu[illegible] præſtar[illegible] na[illegible]trali probabili co[illegible]ne, [illegible] fieri poſſibilitatem deuenir[illegible] nam [illegible] eſt perfecta arbor & ant[illegible]quam m[illegible], habebat pro[illegible]tiam, & [illegible] inſeritur, facit [illegible]bo[illegible], & acc[illegible] vegetatiuam à præe[illegible]iſtenti [illegible]o, quod in myſterio noſtro minimè inuenitur: ſiquidem natura hu[illegible]ana eſt perfecta natura, & ante vnionem [illegible] propriam ſubſiſtentiam, nec poſt [illegible] acipit vitam formaliter à verbo: quæ [illegible] mille ſimilia ſunt.

Secun[illegible]a ver[illegible]ionis pars, nempe viâ ſaltem confirmationis [illegible] aliquibus ab Angelo euidenter co[illegible] po[illegible] eius intellectum aliqua[illegible] prob[illegible]bili[illegible] t[illegible]erium incarnationis, poſt[illegible]uam i[illegible]m fid[illegible] ac[illegible] eſt, munire, eſt co[illegible] & i[illegible]lam [illegible]t exempla iſta ſuper[illegible]po[illegible]ita. 62.

Argu[illegible] cum Medina [illegible] contrarium noſtræ concl[illegible] defendente 3 *p.* [illegible] *introductoria Conc.* 4. Angelus natur[illegible]denter cognoſcit [illegible]. [illegible], ſubſiſtentiam realiter diſti[illegible] a natura, & ab [illegible] ſeparabilem eſſe. Secundò [illegible] Deum habere vim ſupplendi quidquid imperfe[illegible]nem [illegible] importat. Tertium, ſupplere munus ſub[illegible]entiæ creatæ nullam imperfection[illegible] imo po[illegible]tiuam perfectionem inuoluer[illegible] Ergo ex [illegible], [illegible] probabiliter, poteſt Angelica mens cognoſce[illegible] humanitatem poſſe [illegible] Deo in [illegible]nitatem ſuppoſiti perfectè aſſumi. Antecedens quoad [illegible]ra eſt certum, q[illegible] terti[illegible] probatur, etenim Angelus compr[illegible]hendit ſubſiſte[illegible]. [illegible] hæc in m[illegible] propri[illegible]m naturam [illegible]andi dicit perfectionem, [illegible] hic & nunc de facto, à Deo mi[illegible]mè [illegible]ale munus ſuppleretur, cum id ſol[illegible], quod perfectum eſt ſ[illegible]lere valeat. Ergo Angelu[illegible] naturaliter [illegible] euidenter co[illegible] nullam imper[illegible] in[illegible]e munus [illegible]plendi [illegible] creatam. 63.

Reſpondeo admittens illa tria, poſſe ab Angelo naturali[illegible] co[illegible], & neg[illegible] conſequentiam, ſiquidem [illegible], ſu[illegible]poſit in Angelo præd[illegible]tum cognitione; adhuc tamen ſatis illi notum non eſt [illegible] ſupplere munus ſ[illegible]bſiſtentiæ [illegible] pe[illegible]ion[illegible] importet, vt [illegible] omni [illegible] one p[illegible] poſſit, ſiquidem impe[illegible] al[illegible] er anneXa eſt vnioni quæ inter [illegible] un d[illegible] & humanam natura[illegible] neceſſ[illegible] inuenienda foret, vt [illegible] ea ſeparab[illegible], mi[illegible] poſſit Angelus naturali[illegible] [illegible]babi[illegible]gnoſcere. 64.

Argues. In h[illegible] qua[illegible]um i[illegible] compoſito, naturali[illegible] vi[illegible], quæ ad vnum extrem[illegible] terminetur & ſubiectetur in alio[illegible] ſic[illegible] pro[illegible] p[illegible]res philoſophi tue[illegible] ſufficien[illegible] fund[illegible]m[illegible] Angelica mens haberet, ad prob[illegible]biliter ſibi ſuadendam poſſibilitatem incarnationis. Ergo eidem prædicta cognitio minimè eſt deneganda. Antecedens patet, ſiquidem vt admittimus 65.

tria

tria def[illegible] Angelus cognoſcit; At [illegible] hypotheſis illi ſuaderet, ſupplere[illegible] ſubſiſtentiæ creatæ, taliter perfectionem [illegible], vt nullam imperfectionem inuoluat. [illegible] patet, [illegible] perfectio, quæ [illegible] prædicto [illegible], ea videlicet [illegible] verbo diuino [illegible]; at [illegible] hypotheſis, [illegible] ceret A[illegible] illam quæ inter [illegible] conueniret, ſolùm [illegible] humanitate; minimè [illegible] diuino. Ergo ſatis probabiliter [illegible], munus illud ſupplendi [illegible] priam perfectionem ab imperf[illegible].

66. Reſpon[illegible] ſuppoſitâ illa hypotheſi, [illegible] fundamentum vt Angelus in aliq[illegible] apprehenſione noſtri myſterij cognitionem [illegible] aſſenſum poſitiuè probabilem [illegible]. Et nego conſequentiam, ad probationem antecedentis, concedo [illegible], & diſtinguo minorem. At [illegible] opinionis ſuaderet, quòd ſupple[illegible] munus ſubſiſtentiæ [illegible] deceret perfectionem ſine imperf[illegible] quæ eſſet inhærentia [illegible], ſiue imperfectione, quæ eſſet adhærentia, nego, [illegible] nego conſequentiam: Itaque caſus illius hypotheſis, licèt ſuaderet poſ[illegible] eſſe vnionem, quæ [illegible] extremo no[illegible], vel quæ in [illegible] extremo non [illegible]; non tamen, q[illegible] vno recepta, & [illegible] adhærens vtrumque extremum minimè [illegible], ſiquidem Authores defendentes [illegible] vnionem compoſiti naturalis, aſſerunt talem vnionem ſolùm in vno extremo ſubiectatam, tamen vtrumque poſitiuè perficere, quod quidem cuilibet diuino ſuppoſito repugnare, cuique eſt compertum.

67. [illegible] Angelus comprehendit in [illegible] [illegible] ſcientiam [illegible] eandem. [illegible] iſta con[illegible] ordo ad vnionem hypoſtaticam. Ergo hanc cognoſcit [illegible] probab[illegible] Angelus. Conſequentiam probo, [illegible] patent, [illegible] comprehen[illegible] & terminus attin[illegible]. Sed a[illegible] mentum manet ſolutum [illegible] præcedenti *num.* [illegible].

68. At [illegible], in hypotheſi veritat[illegible] opinionis de[illegible] docentis [illegible] in [illegible] accidentibus ſub[illegible], & [illegible] ſolùm ad [illegible] Chriſti, nulla mutatione in corpus Chriſti inducta [illegible] poſitiuum poſſet Angelus [illegible] incarnationis, ſiquidem in tali [illegible] duo [illegible] catenentur; poſſibilem [illegible] vnionem, quæ in vno extremo [illegible] & ſolùm ad alterum terminaretur, & [illegible] ſolùm vnum extremum [illegible] et. At prædicta vnio [illegible] cum vnione hypoſtatica [illegible] in ſubiectatur in humanitate, [illegible] ſolum terminatur, & licèt [illegible] ficiat, minimè verò hoc [illegible] tur affinitas, vt ex ea valeat A[illegible] ium probabile deducere d[illegible] poſſibilitate?

69. Reſp. 4. [illegible] a [illegible] veritate illius hypotheſi [illegible] ſufficiens fundamentum Angelo [illegible], ad formandum iudicium probabile de incarnationis poſſibilitate. Ratio, quia licèt ſemel veritate illâ permiſſâ, aliqua ex difficultatibus in incarnatione inuentis, deuicta extiterit, adhuc tamen alia vincenda ſupereſt: Ita veritas opinionis illius id ſolum ſuadet, nempe poſſibilem eſſe vnionem, duo extrema nectentem; licèt ambo ipſa intrinſecè non perficiat; verùm, deſignata iſtius vnionis poſſibilitate, aſſurgit alia in[illegible] difficultas, an ſcilicet poſſibilis ſit vnio, ſubſtantialiter copulans creaturam cum Deo, taliter vt ex illis vnum ſuppoſitum per ſe reſultet; Huius vnionis poſſibilitatem non deuincit vnio illa Euchariſtica, prædicto modo expoſita; ſiquidem talis vnio, cum ſubſtantialis non ſit, non copulat extrema, vt ex illis vnum ens per ſe conſurgat; & ob huius defectum, ratione talis vnionis Euchariſticæ, ea quæ ſunt propria vni extremo, alteri minimè communicantur; at ratione talis hypoſtaticæ vnionis, quæ propria ſunt vni, communicantur alteri extremo: Vnde adhuc, admiſſa illa opinione, licèt vnam partem repugnantiæ Angelus naturaliter deuinceret circa vnionem hypoſtaticam, tamen aliunde, iſto aſſignato, adhuc mens Angelica cohiberetur, ne plenum aſſenſum probabilem, de incarnationis poſſibilitate, efformaret.

Quæ enim in his duabus ſectionibus dedimus, intelligenda ſunt de impotentia naturali cognoſcendi incarnationem, antequam iſta reuelata ſit, nunc verò ſcrutaturi ſumus, an ſimilis impotentia naturalis Angelo aſſuerit, in cognoſcendo myſterio iſto, poſtquam reuelatio de ipſo eſt exhibita, quod ſequentes ſectiones explebunt. 70.

SECTIO III.

Nullus intellectus creatus poſt reuelatam aliis incarnationem, & ſuppoſitâ iam illius exiſtentiâ, potuit eius poſſibilitatem euidenter cognoſcere, bene tamen coniecturaliter.

PRæfixam concluſionem tuetur communis, contra Scotum *in* 4. *diſt.* 10. *quaſt.* 8. *lit. M.* defendentem poſſe ſcientificè poſſibilitatem incarnationis deprehendi naturaliter, in ſenſu explicitò concluſionis; verùm vt pleniùs pateat controuerſiæ ſtatus, & quæ in ſectionum proceſſu dicenda ſunt, notare debes: doctrinam eſſe cunctis notam, plura eſſe, quæ licèt futura ſint, nos latere naturaliter, vt patet in contingentibus futuris. 71.

Præterea nota, reuelatiuem huius myſterij, exiſtentiam illius præceſſiſſe, nam teſte ſanctiſſimo Doctor. 22. *quaſt.* 2. *art.* 7. *ad* 1. reuelata fuit incarnatio Angelis viatoribus; taliter vt plures non ignobiles Doctores exiſtimauerint, peccatum primi Angeli contra myſterium iſtud fuiſſe commiſſum, vt annotauimus *tract.* 6. *de Angelis diſp.* 4. de peccato & merito Angelorum viatorum: ſtatus ergo concertationis eſt, an ſuppoſitâ reuelatione, 72.

tione, & exiſtentiâ huius myſterij, poſſit creata mens cognitionem euidentem, aut probabilem elicere, ad poſſibilitatem eius naturaliter terminatam. Nec enim quæſtio intelligitur de his, quibus inerat reuelatio prædicta; quia iſti eo ipſo, quòd media reuelatione exiſtentiam incarnationis cognouerint, neceſſariò eiuſdem poſſibilitatem pertingebant; ſolum ergo lis præſens comprehendit eos, qui prædictam reuelationem minimè poſſidebant, ſed præciſè ab aliis audiebant datam eſſe reuelationem de incarnationis futuritione, nec non eos, qui eamdem Chriſtum cognoſcebant exiſtentem. His notatis concluſio habet duas partes; prima eſt, mentem creatam, etiam in ſenſu explicato, naturalem, & euidentem cognitionem elicere non potuiſſe circa incarnationis poſſibilitatem. Secunda, potuiſſe tamen probabiliter illam attingere. Primam primò, ſecundam verò partem poſtmodum probaturus.

73. Ratio igitur primæ partis concluſionis eſt hæc: repugnat Angelicæ menti naturalis cognitione intuitiua, aut demonſtratiua circa exiſtentiam, vel poſſibilitatem incarnationis, ſuppoſita etiam reuelatione illius, & eiuſdem exiſtentiâ. Ergo tenet pars prima concluſionis. Conſequentia patet, quia cognitio euidens adæquatè diuiditur in intuitiuam, & demonſtratiuam. Antecedens habet duas partes. Quoad primam, nempe quoad intuitiuam probo. Cognitio exiſtentiæ incarnationis intuitiua (idem diſcurre de eiuſdem poſſibilitate) eſt immediata euidentia exiſtentiæ incarnationis. Sed adhuc, ſuppoſitâ incarnationis exiſtentiâ, nequit Angelus de illa habere euidentiam immediatam. Ergo nec intuitionem. Antecedens probo, cognitio euidens euidentiâ immediatâ, eſſentialiter habet ortum ab ſpecie, quæ ſit immediata, & propria talis obiecti. Sed nulla creata mens naturaliter habere poteſt ſpeciem, quæ ſit immediata, & propria incarnationis. Ergo nec illius cognitionem naturalem euidentem euidentiâ immediatâ. Maior eſt cunctis euidens euidentiâ immediatâ. Minorem probo, nam ſpecies immediata, & propria incarnationis debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Sed creata mens naturaliter acquirere nequit ſpeciem quoad ſubſtantiam ſupernam. Ergo nec habere ſpeciem naturaliter, quæ ſit immediata, & propria incarnationis. Maior patet, cætera probatione non egent; etenim ſpecies immediata incarnationis, fluere efficienter immediatè debet ab ipſa incarnatione. At hæc ſupernaturalis eſt quoad ſubſtantiam. Ergo & ſpecies propria illius erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Diſcurſus hic vim ſumit efficacem ex dictis *ſect. 1. n. 14.* quæ videnda ſunt.

74. Sed reſpondebis, rationem hanc, vim ſolùm habere de incarnatione minimè exiſtente, non verò de illa iam producta; ſiquidem hæc ſic accepta poteſt ſui ſpeciem in intellectu Angeli immittere, ſiquidem poteſt Angelus localiter incarnationi iam exiſtenti approximari, & tunc in eius intellectu poterit producere, imo neceſſariò producet, ſpeciem immediatam ſui, prædicta incarnatio, quòd ſi conſideretur, ante eius exiſtentiam id minimè peragere valebit, vt de ſe conſtare videtur.

Sed replicabis 1. permittamus incarnationem exiſtentem producere neceſſariò ſui ſpeciem propriam in intellectu Angeli, localiter illi approximato, adhuc in hac hypotheſi, intellectum Angeli minimè incarnationem intuiturum. Ergo ratio noſtra vim habet de repugnantia intuitionis de incarnatione exiſtente. Probo antecedens. Adhuc in illa hypotheſi, deficeret menti Angelicæ virtus producendi intuitionem incarnationis. Ergo in illa hypotheſi, illam Angelus minimè intueretur. Probo antecedens, In illa hypotheſi, mens Angeli conſideratur cùm ſolo ſuo naturali lumine, & cum ſpecie ſupernaturali. Ergo in dicta hypotheſi deficeret illi virtus producendi intuitionem incarnationis. Antecedens eſt ſuppoſitum litis. Cõſequentiam probo: nam intuitio incarnationis eſſentialiter eſt ſupernaturalis, quippe cognitio euidens immediata obiecti ſupernaturalis, qualiter cenſetur eſſe incarnatio. Ergo petit neceſſariò ex parte principij, virtutem ſupernaturalem illi proportionatam; cùm effectus quilibet, ex qua parte ſuum eſſe à ſuo principio emendicat, petit in illo contineri, & ex qua parte continetur in eo, debet eſſe principium eiuſdem ad minùs perfectionis cum effectu. At ſupernaturalitas ſpeciei non ſufficit, vt ab intellectu Angeli intuitio Incarnationis fiat. Ergo in tali hypotheſi, Angelicæ menti deficeret virtus, intuitionis incarnationis productiua. Minor patet, ſiquidem principium integrum cuiuſlibet cognitionis ex ſpecie, ſe tenente ex parte obiecti, & ex virtute, ſe tenente ex parte intellectùs, eſſentialiter integratur, vt latiſſimè oſtendam tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti *diſp. 1. dub. 1. ſect. 4.* Ergo vltra ſpeciem permiſſam, ab incarnatione productam in intellectu Angeli illi approximato, deſideratur virtus, quæ proportionata ſit cum intuitione producenda, & quæ ſe teneat ex parte intellectûs Angeli. At ſupponimus in illo ſolùm reperiri virtutem naturalem. Ergo ſpecies ab incarnatione producta minimè ſufficeret, vt talis intuitio fieret: vnde perinde eſſet talis ſpecies in intellectu Angeli producta, ac ſpecies in aëre recepta, aut in oculo cadaueris. Ergo permiſſa prædicta ſpecie, adhuc eſſet Angelus impotens, producere intuitionem incarnationis. 75.

76. Reſpondebis, replicam iſtam ſolùm probare, in illa hypotheſi permiſſa, Angelum nullo modo elicere poſſe intuitionem incarnationis, quæ eſſet ſupernaturalis, non tamen conuincere, non poſſe elicere intuitionem naturalem illius, ad quam producendam ſufficientes vires in intellectu Angeli ſupponerentur; nec inſolens eſt, quòd actus naturalis attingat obiectum ſupernaturale; etenim in ſententia plurium, non repugnat actus naturalis fidei circa obiectum formale ſupernaturale. Ergo tunc Angelus poſſet elicere viſionem naturalem incarnationis, tametſi hæc ſupernaturalis quoad ſubſtantiam ſit.

77. Sed replicabis: nam vt non ſemel oſtendimus, & oſtendemus tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti *diſp. 3.* repugnat actum naturalem attingere obiectum formale ſupernaturale, & iuxta principium hoc, decreuimus tract. de fide, impoſſibilem eſſe actum fidei naturalem verſatum, circa obiectum formale ſupernaturale. Verùm permiſſa poſſibilitate huius attingentiæ,

adhuc

adhuc manet impoſſibilis Angelo cognitio intuitiua incarnationis. Vnde ex eo,quòd admittamus, actum fidei naturalem, poſſe attingere obiectum formale ſupernaturale, non ſumitur argumentum ad probandum, poſſibilem eſſe in Angelo,cognitionem naturalem intuitiuam incarnationis. Siquidem Authores admittentes primum, ideo id probabile indicant, quia profiterentur,cognitionem naturalem obiecti ſupernaturalis,eſſe talis conditionis,vt connexionem non habeat cum ipſo obiecto, vt verè hic, & nunc exiſtente, nam eius quidditas abſtrahit ab illius exiſtentia vera,vel apparenti; at verò cognitio intuitiua obiecti ſupernaturalis, quia intuitiua, debet attingere obiectum, prout eſt in ſe, & cum eius exiſtentia vera neceſſariò connecti,& conſequenter non poteſt non eſſe talis cognitio ſupernaturalis; ratio eſt,ſicut exiſtentia obiecti ſupernaturalis, eſt ſupra totam latitudinem naturalis exigentiæ; pariter vt aliqua res neceſſariò exigat veram exiſtentiam illius, quod eſt ens ſupernaturale,debet eſſe ſupra totam naturalem ſphæram. Ergo impoſſibile eſt, quòd ſit cognitio intuitiua obiecti ſupernaturalis, & quòd talis cognitio ſit naturalis. Ergo permiſſo, dabilem eſſe cognitionem naturalem fidei,circa obiectum formale ſupernaturale,adhuc non conuincitur:Angelum potuiſſe producere cognitionem naturalem, quæ ſit intuitio incarnationis, quæ ſupernaturalis eſt.

78. Secundò impugno ſolutionem, datam *n.*74. nam bene ſtat,quòd Angelus localiter approximetur incarnationi, & quòd hæc minime in eo neceſſariò producat ſpeciem ſui intuitiuam.Ergo eo modo Angelus naturaliter eſt impos cognoſcere incarnationem exiſtentem, ac poſſibilem.Antecedens probo,magis eſt Deo Angelus localiter approximatus, cùm Deus illi per intimum illapſum aſſiſtat, quàm poſſit incarnationi exiſtenti approximari:at Angeli approximatio cum Deo compatitur, licèt Deus in eo non infundat ſpeciem ipſius intuitiuam, vel licèt Deus illi non vniatur per modum ſpeciei impreſſæ.Ergo pariter ſtabit bene,Angelum localiter eſſe approximatum incarnationi exiſtenti, licèt hæc in illo neceſſariò non infundat ſpeciem impreſſam ſui intuitiuam. Ergo Angelus ſiue localiter approximetur incarnationi exiſtenti,ſiue non, nequit habere ſpeciem intuitiuam incarnationis ſibi debitam. Ergo nulla eſt dabilis occaſio,in qua Angelus naturaliter poſſit producere cognitionem intuitiuam, & immediatam incarnationis exiſtentis.

79. Iam quod Angelo repugnet cognitio euidens demonſtratiua incarnationis,quod erat ſecunda pars illius antecedentis *n.*7:.adducti,probo:nã talis cognitio eſt euidens,ſaltem euidentiâ mediatâ. Sed cognitio euidens euidentiâ mediatâ incarnationis iam exiſtentis,repugnat Angelicæ menti,naturali virtute ſola inſtructæ:probo minorem, nam talis cognitio petit oriri ab ſpecie obiecti, quod ſit cauſa, vel effectus incarnationis.Sed mens Angeli naturaliter nequit habere ſpeciem repreſentantem cauſam, vel effectum incarnationis.Ergo naturaliter repugnat Angelo cognitio euidens euidentiâ mediatâ incarnationis.Minor quoad ſpeciem cauſæ incarnationis conſtat,ſiquidem illius potiſſima virtus productiua eſt voluntas diuina, cuius naturaliter Angelus nequit habere ſpeciem.Prçterea ſecunda minoris pars patet, nam nullus eſt effectus naturalis, cuius cognitio ducat intellectum in cognitionem incarnationis euidenter, vt non ſemel oſtenſum eſt. Ergo mens Angeli naturaliter nequit habere ſpeciem repræſentantem cauſam,vel effectum incarnationis. Ergo naturaliter repugnat Angelo cognitio euidens, euidentiâ mediatâ incarnationis, etiam ſuppoſitâ exiſtentiâ, vel reuelatione illius.

80. Secunda verò pars cõcluſionis tituli aſſerebat, quòd ſuppoſitâ exiſtentiâ, & reuelatione incarnationis, poteſt intellectus creatus naturaliter, ſaltem probabiliter cognoſcere poſſibilitatem. Ratio,ſiquidem poſtquam incarnatio facta eſt, eſt euidenter credibilis,vt ex ſe patet.Ergo ſuppoſitâ exiſtentiâ incarnationis, poteſt probabiliter eius poſſibilitas naturaliter oſtendi. Probo conſequentiã; ſiquidem euidentia credibilitatis licèt non ſufficiat oſtendere euidẽtiam poſſibilitatis incarnationis, tamẽ ſufficit oſtẽdere probabilitatẽ eiuſdem poſſibilitatis.Ergo ſi ſuppoſitâ incarnationis exiſtẽtiâ,redditur incarnationis poſſibilitas euidenter credibilis,etiam reddi debet probabiliter cognoſcibilis.Antecedẽs patet,etenim eædem rationes, quæ euidenter mouent ad credibilitatem alicuius obiecti,vim habent mouere intellectum ad aſſenſum,circa probabilitatem illius. Ergo bene poteſt intellectus naturaliter inferre, ex motiuis credibilitatis incarnationis,eſſe talẽ incarnationẽ euidẽter probabilẽ,ſicut ex eiſdẽ motiuis infert,eſſe euidenter credibilẽ.Conſequentia ſimul,& antecedens probatur.Etenim motiua credibilitatis non ſunt ſola authoritas dicentiũ,ſed miracula,& infinitę coniecturæ tradi ſolitæ *tr.de fide.* At motiua hæc pariter ad probabilitatẽ,ac ad credibilitatẽ mouent, vt ex terminis patet. Ergo eædẽ rationes, quæ ad credibilitatem incarnationis mouent, etiam euidenter eius probabilitatem deuincunt.

81. Confirmatur,& explicatur hoc:etenim illi,qui fidem nondum habent (de quibus hîc ſolùm eſt concertatio) antequam poſſideant illam,habere debent piam affectionem circa myſteria fidei,ex auxilio Dei ſupernaturali ortam: at quando talis pia affectio eſt circa vnum, & non circa aliud myſterium,poterit talis pia affectio ortũ habere ex viribus naturæ. Pone caſum, infidelem aliquem,vt aſſentiatur myſteriis fidei noſtræ,eſſe à Catholicis paulatim inſtructũ,taliter,vt incipiat illi ſuadere hoc myſteriũ incarnationis, & quòd rationes,motiua eorumdẽ,ſint adeo efficacia,vt in infideli progignant piam affectionẽ ad aſſentiendũ prædicto myſterio,cum repugnantia tamen ad aſſentiendũ aliis;iſte tamen infidelis ex vi piæ affectionis ad aſſentiendũ incarnationi, poterit elicere aſſensũ circa probabilitatẽ illius, ita vt ſimul ſe exponat libenter reſponſioni difficultatum,quæ circa poſſibilitatẽ prædicti myſterij ſuboriri poſſunt. Hoc eſſe poſſibile,dubitauit nemo. Ergo ſuppoſitâ exiſtentiâ incarnationis, & eius reuelatione, poterit homo nondum habens fidem,producere aſſenſum probabilem circa incarnationis poſſibilitatem.

83. Argues contra primam partem concluſionis. hypoſtatica vnio phyſicè produxit in Chriſti humanitate gratiam habitualem, tanquam ſui

propria

proprietatem naturalem, taliter, quòd eo ipſo, quòd vnio illa extiterit, neceſſariò illam produxit, & naturaliter. Ergo pariter naturaliter in ea produxit nognitionem ſui intuitiuam. Reſpondeo, antecedens ambiguum eſſe, vt videbimus tract. de ſpectantibus ad animam Chriſti *diſp.* 2. Permiſſo tamen antecedenti, nego conſequentiam, ſiquidem cognitio intuitiua obiecti ſupernaturalis, qualis cenſetur vnio hypoſtatica, non poteſt non eſſe ſupernaturalis, vt latè oſtendimus *à numero* 73.

84. Argues 2. certum eſt ex principiis in tract. de fide à cunctis admiſſis, quòd ſuppoſita exiſtentia alicuius myſterij, necnon miraculis, rationibus, & ſignis, in eius confirmationem inductis, tale myſterium, incarnatio v. g. euadit euidenter credibile. Ergo pariter omnibus illis ſuppoſitis, euadere debet euidenter poſſibile: atque adeo ſi ſemel fatemur myſterium noſtrum, ſicut & cætera, eſſe euidenter credibile, ita fateri cogimur eſſe euidenter poſſibile. Antecedens ſuppono ex communi. Conſequentiam probo: nam hæc eſt certa vniuerſalis propoſitio: omne, quod eſt euidenter impoſſibile, eſt euidenter incredibile, ſiquidem id incredibile eſt alicui, cuius oppoſitum quaſi oculariter experitur. Ergo hæc etiam debet eſſe vera, illud, quod eſt euidenter credibile, eſt etiam euidenter poſſibile. Patet conſequentia, quia hæc eſt vera omne currens mouetur, etiam eſt euidenter vera, omne, quod non mouetur, non currit. Ergo ſimiliter in noſtro caſu. Probo, nam vterque caſus innititur eidem regulæ, nempe ex oppoſito antecedentis euidenter inferri oppoſitum conſequentis.

85. Reſpondeo incipiens ab explicatione iſtius communis regulæ, videlicet ex oppoſito antecedentis optime inferri oppoſitum conſequentis, quam veram eſſe defendimus; quando illud, quod locum antecedentis occupat, rationem veri antecedentis reſpectu conſequentis ſortitur, non enim ex negatione motûs, negatio curſûs infertur, quia quomodocumque motus, cui opponitur negatio eiuſdem, ponitur in antecedenti, ſed quia motus in antecedenti poſitus, eſt verum antecedens reſpectu curſûs. Quando verò res non ſe gerit hac ratione, regula illa deficit. Sicut in his patet vera prædicta limitatio. Hæc propoſitio, A, eſt æquè probabilis, ac propoſitio, B, ergo æquè ſunt credibiles, ex hoc non infertur. Ergo ambæ ſunt euidenter poſſibiles, quia ſi tales propoſitiones opponantur contradictoriè, aliqua ex illis impoſſibilis debet eſſe. Nec ſuffragatur illa regula ſi dicas. Si aliqua ex his propoſitionibus eſſet impoſſibilis non eſſet probabilis, nec eſſet credibilis. Ergo ſi per nos ſunt æquè probabiles, & æquè credibiles, neceſſariò debent eſſe æquè poſſibiles. Non enim talis regula ab oppoſito antecedentis, &c. tali illationi fauet, non ob aliam rationem, niſi quia vna propoſitio licèt locum antecedentis occupet reſpectu alterius, veram antecedentis rationem non ſortitur. Vnde credibile, & poſſibile non conuenitur ſe, vt antecedens & conſequens, quia vt compertum eſt, multa ſunt poſſibilia actu, quæ actu credibilia non ſunt, ſiquidem hîc & nunc deficere poſſunt motiua illa actu credibilia reddentia; & è contra, plura licèt nunc ſunt credibilia actu, quia adſunt rationes, & coniecturæ illa conſtituentes actu credibilia, & probabilia, & fortaſſe in ſe ſunt actu impoſſibilia. Reſpondeo ergo in forma concedendo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem, concèdo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem ſumptam ex regula illa vulgari iam reſponſum eſt.

Sed replicabis: per nos hæc eſt vera; *omne quod euidenter eſt impoſſibile, eſt euidenter incredibile*. Ergo quod euidenter eſt credibile, eſt euidenter poſſibile. Probo conſequentiam; nam non eſt maior ratio, quare impoſſibilitas inferat incredibilitatem, & credibilitas poſſibilitatem non inferat. 86.

Reſpondeo in his latere æquiuocationem; aliud eſt impoſſibilitatem rei inferre eiuſdem incredibilitatem actualem, & aliud impoſſibilitatem euidenter cognitam, inferre incredibilitatem actualem obiecti. Illud eſt falſum, nam vt iam monui contingere poteſt, plura in ſeipſis actualiter eſſe impoſſibilia, & reipſa eſſe hîc & nunc credibilia actu. Quia ex diuerſis capitibus ſumitur impoſſibilitas rei, & credibilitas obiecti, illa ex repugnantia conceptuum obiectiuorum illius; hæc ex rationibus extrinſecis ſuadentis, atque adeo cùm compatibilis ſit illorum repugnantia intrinſeca nos latens; cum congruentiis, ipſius rei poſſibilitatem ſuadentibus, fit, impoſſibilitatem rei nobis occultam, minimè inferre incredibilitatem eiuſdem; atque adeo impoſſibilitas rei non eſt antecedens connexum, cum incredibilitate tanquam cum conſequenti: [idem diſcurre de poſſibilitate reſpectu credibilitatis:) at verò euidentia impoſſibilitatis eſt antecedens, reſpectu euidentiæ incredibilitatis, atque adeo illam neceſſariò inferens: ſiquidem potiſſima & radicalis ratio credibilitatis eſt, quòd contrarium illi, quod credibile eſt, non videatur repugnans, quod experientiâ patet, nam ſi ego video Petrum velociter currentem mecum, & aliunde accedat vir aliàs magnæ Authoritatis, & dicat Petrum minimè localiter moueri, illi minimè aſſentiam, & negatio motûs in Petro, quem currentem experior, erit mihi omninò incredibilis. Ergo impoſſibilitas euidenter cognita, eſt irrefragabile antecedens, reſpectu incredibilitatis, illam inferens neceſſariò; contrarium autem inuenio in euidenter credibili, reſpectu euidentis poſſibilitatis eiuſdem, vt vidimus, ideo hanc illud non infert, atque adeo ex eo, quòd incarnatio exiſtens ſignis, & miraculis munita, ſit euidenter credibilis, non exinde erit mihi naturaliter euidenter poſſibilis. 87.

Argues vltimò cum Scoto: Angelus naturaliter cognoſcebat in Chriſti humanitate, minimè propriam ſubſiſtentiam adeſſe. Ergo cognoſcebat euidenter talem humanitatem ſubſiſtere, per ſubſiſtentiam increatam, quod eſt euidenter incarnationis myſterium naturaliter cognoſcere. Iſtam conſequentiam probat ex doctrina communiter à Thomiſtis 88.

admiſſa; nam iſti admittunt hæc: nullam creatam naturam exiſtere poſſe in rerum natura, quin aliquâ ſubſiſtentiâ terminetur. Rurſum admittunt, impoſſibile eſſe naturam aliquam ſubſiſtere, per alienam ſubſiſtentiam creatam. Ergo ſi conceduntur antecedens, nempe Angelum naturaliter cognoſcere humanitatem Chriſti, propriâ ſubſiſtentiâ carere, tenemur fateri eumdem Angelum euidenter naturaliter cognoſcere, illam terminatam eſſe diuinâ ſubſiſtentiâ, Conſequentia hæc ex conceſſis, neceſſariò videtur inferri,

89. Argumentum hoc aliqua miſcet examini danda, & quia in eius ſolutione diſperſos video recentiores, ne rem aliàs obſcuram, obſcuriorem reddant diuerſa eorum placita, libuit ſpecialem ſectionem inſerere, in qua veritas antecedentis diſcutiatur, & deinde ad bonitatem illationis deueniemus.

Sectio IV.

Angelus naturaliter cognouit, humanitatem Chriſti, eſſe propriâ ſubſiſtentiâ deſtitutam.

90. Conclusionem hanc communiter defendunt Anthores, & miror Bernalium aſſerentem Recentiores punctū iſtud omiſiſſe, cùm ipſe contrarium defendens in ſuffragium vocet Molinam 1. *p. q.* 57. *art.* 5. *diſp.* 1. §. *ad* 5. Vaſquez *ibid. diſp.* 214. *c.* 4. *num.* 28. Arrubal *diſp.* 175. *c.* 2. *num.* 11. Granadum 1. *p. t.* 3. *tract.* 6. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.* 15. Præterquam quòd neminem viderim, qui rem hanc non tetigerit, ratio breuis, carentia propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate eſt naturaliter cognoſcibilis. Ergo potuit naturaliter ab Angelo cognoſci. Antecedens probo, carentia iſtius ſubſiſtentiæ eſt naturalis quoad ſubſtantiam. Ergo eſt naturaliter cognoſcibilis. Antecedens probo 1. in ſententia defendente poſſibiles plures ſubſiſtentias huius naturæ numero diuerſas, carentia quælibet illarum continetur in virtute cauſæ naturalis. Ergo carentia propriæ ſubſiſtentiæ eſt naturalis quoad ſubſtantiam. Antecedens probo, quia in inſtanti, in quo Deus producit naturam humanam, indifferens eſt ad producendum in illa plures ſubſiſtentias numero, ita vt, per vnius determinatæ ſubſiſtentiæ productionem, reliquas excludat, propter incompoſſibilitatem illarum ad ſimul exiſtendum. Ergo in qualibet ſubſiſtentia determinatè ſumpta, continetur carentia reliquarum: at quælibet ſubſiſtentia eſt naturalis. Ergo carentia ſubſiſtentiæ propriæ, continetur in virtute naturalis cauſæ. Ergo carentia illa eſt naturalis quoad ſubſtantiam.

91. Secundò probo antecedens; in ſententia aliorum ducentium, poſſibiles non eſſe plures ſubſiſtentias numero diſtinctas, reſpectu huius numero naturæ, ſed vnam tantùm determinatam illi correſpondere debere, ſiquidem huius ſubſiſtentiæ carentia, eſt eadem numero, antequam prædicta natura produceretur. At prædicta carentia antequam hæc natura cauſaretur, erat naturalis quoad ſubſtantiam. Ergo etiam poſtquam talis natura producta eſt, debet eſſe naturalis quoad ſubſtantiam. Minor ſuſpicor veriſſimam, aliàs Deus in non creandis rebus naturalibus, ante primam mundi productionem, exercuiſſet officium Authoris ſupernaturalis. Maior verò probatur, ſiquidem carentia conſiſtit eſſentialiter in non eſſe formæ poſitiuæ, quam depellit; atqui eadem numero ſubſiſtentia, quæ modò non eſt, non erat antequam natura humana produceretur. Ergo eadem numero carentia ſubſiſtentiæ eſt hic & nunc, ac antequam natura humana produceretur.

Tertiò probo idem antecedens, ſiquidem negatio non eſt excellentioris naturæ poſitiuo, quod priuat. Ergo negatio ſubſiſtentiæ propriæ, non eſt excellentior ipsâ ſubſiſtentiâ, cuius eſt negatio: at ſubſiſtentia propria, eſt ordinis naturalis quoad ſubſtantiam. Ergo & negatio propriæ ſubſiſtentiæ, erit naturalis quoad ſubſtantiam. 92.

Reſpondebis cum Bernalio *diſput.* 1. *ſect.* 4. §. 3. *num.* 65. ſi prædicta ratio conuinceret, ſimilem vim haberet in aliis modis ſyllogiſandi; atque adeo conſequentia hæc valeret; priuatio gratiæ ſubiectum expoliat formâ intrinſecè ſupernaturali. Ergo priuatio gratiæ eſt intrinſecè ſupernaturalis. Ergo malè intulimus ex naturalitate ſubſiſtentiæ propriæ, debere eſſe eius priuationem naturalem in humanitate; imo cùm ens ſupernaturale ſit, quod omnis ſubſtantiæ creatæ capacitatem exuperat, quantò forma (vt ſic dicam ait Author) magis ſupernaturalis ſit, tantò eius priuatio erit magis naturalis, & quò forma naturalior fuerit, eò ſupernaturalior erit eius priuatio; quia illa tantò magis, hæc tantò minus per naturæ vires induci poterit. Cùm ergo ſubſiſtentia propria ſit humanitati maximè naturalis, prauè inde colligitur, eius ſubſiſtentiæ priuationem eſſe naturalem. Similem paralogiſmum, ait, afferret, qui naturale capiens, vt oppoſitum violento, diceret: calor eſt igni naturalis. Ergo priuatio caloris eſt eidem naturalis; vel calor eſt aquæ violentus. Ergo priuatio caloris erit violenta aquæ. 93.

Sed replicabis; etenim naturalitas, vel ſupernaturalitas priuationum, nullo modo pendet ex naturalitate, vel ſupernaturalitate virtutis inductiuæ earumdem, ſed ex eo, quòd naturalis, vel ſupernaturalis ſit quidditas formæ, quam priuant. Ergo ex eo, quòd ſubſiſtentia propria naturalis fuerit optimè infertur, priuationem illius in humanitate inuentam naturalem eſſe. Antecedens patet, ſi eſſe naturalem, vel ſupernaturalem priuationem, penderet eſſentialiter, ex naturali, vel ſupernaturali modo illius priuationis cauſatiuo in ſubiecto, fieret, ab eo pendere eſſentialiter priuationes, quoad ſui cognitionem; nam cùm hæc ſequatur ad eſſe, fit, quòd ab eo, in cognoſcibilitate aliqua res dependeat, à quo in ſuo eſſe eſſentialiter dependet. At cognoſcibilitas priuationū eſſentialiter non pēdet à modo principij, quo illas in ſubiectum inducit. Ergo nec naturale, vel ſupernaturale eſſe priuationū, pēdere poterit ex naturalitate, vel ſupernaturalitate modi, quo illas principiū in ſubiecto cauſat. Probatur min. nā ab eo 94.

pendet

pendet eſſentialiter cognoſcibilitas priuationis, quod neceſſariò cognoſcitur dum cognoſcitur priuario, ſed hæc poteſt cognoſci, etiamſi cauſa & modus illam cauſandi non cognoſcatur. Ergo cognoſcibilitas priuationis eſſentialiter non pendet, ex modo illius in ſubiectum efficienter inductiuo. Probo minorem, nam præcisè dum cognoſcitur priuatio, cognoſcenda eſt forma priuata, & capacitas ſubiecti potentis illam recipere, abſque eo, quòd aliquo modo principium illam cauſans attingatur. Ergo: Antecedens plura expendunt exempla. Ruſticus enim tempore eclipſis tenebras inductas capit, & illum cauſa eas indueens latet. Ponamus homini diuinitus reſtitutum viſum, quem perdiderat, necnon diuinitus in materiam cœli, carentiam formæ cœli eſſe cauſatam, tenebras in aere vel lumen in illo, abſente ſole, necnon quantitatem panis ſine illius ſubſtantia exiſtentem. Quæ omnia, media actione miraculoſa, facta eſſe ſuppono, & tamen priuationes deſignatæ habent ſuam cognoſcibilitatem, & de facto naturaliter poſſent cognoſci, ſi darentur, licèt modus ſupernaturalis, quo fierent, non cognoſceretur. Ergo vt cognoſcatur ab intellectu priuatio, non deſideratur vt attingatur principium, quod illam in ſubiecto producit. Ergo eius cognoſcibilitas non pendet ex cognoſcibilitate modi effectiuè illam cauſantis. Ergo nec eſſe talis priuationis, pendebit ex naturalitate, & ſupernaturalitate principij. Ergo priuatio ſubſiſtentiæ quoad ſuum eſſe, & cognoſcibilitatem, independens erit à prædicto principio, vel forma illam in humanitate cauſante. Solùm enim dicetur pendere ex forma, quam priuat, cùm nihil aliud, à quo pendere poſſit, ſupereſſe videatur. Ergo eius naturalitas optimè infertur, ex eo, quòd forma, nempe ſubſiſtentia propria, quam priuat, eſt naturalis.

95. Ex quo infereS, priuationem gratiæ ſupernaturalem eſſe, ſicut priuatio ſubſiſtentię diuinæ, eſt propriè ſupernaturalis, ob rationem aſſignatam. Ad illud verò, quod Bernal ſumit ex calore, & paralogiſmum vocat, aſſero eſſe diuerſam illationem, cùm impoſſibile ſit calorem eſſe naturalem igni, & priuationem eius illi violentam non eſſe, nam hac ratione mouentur quidam, aſſerentes priuationem ſubſiſtentiæ propriæ eſſe humanitati violentam, quia talis ſubſiſtentia eſt humanitati naturalis. In præſenti autem, cùm oſtenſum ſit, totum eſſe priuationis, & eius cognoſcibilitatem pendere eſſentialiter à forma, quam priuat, exinde naturalitas illius ex naturalitate huius optimè colligitur.

96. Argues 1. cum Barnal. contrarium noſtræ concluſioni cum aliis deſendente, vbi ſuprà *num.* 63. propriæ ſubſiſtentiæ priuatio, eo modo, quo habet eſſe, eſt intrinſecè, & ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. Ergo nequit euidenter naturaliter ab intellectu creato cognoſci. Antecedens probat, nam ens intrinſecè ſupernaturale eſt illud, quod eſt indebitum omni entitati ſubſtantiali creabili, & accidentibus ipſi debitis. Atqui talis eſt illa priuatio propriæ ſubſiſtentiæ: ſin minùs, dicant aduerſarij, cui ſubſtantialium entitatum creabilium aut accidentibus ipſis debitis, debita ſit talis priuatio?

quod nunquam aſſignare poterunt. Ergo prædicta ſubſiſtentiæ priuatio, ſecundùm ſuum qualecumque eſſe, ſupernaturalis eſt. Hac ratione conuictus Cippull. is hic *q.* 1. *art.* 1. *dub.* 5. §. 2. *num.* 5 aſſerit probabile eſſe, priuationem ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate, ſupernaturalem eſſe.

Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem dico, definitionem illam conuenire ſolùm entitatibus poſitiuis ſupernaturalibus, quorum eſſe & cognoſcibilitas eſſentialiter ab alio eſt independens; nec enim talis definitio conſtruit abſolutè ſic prolata, rem quoad ſubſtantiam intra ordinem ſupernaturalem. Quis enim ambiget reſtitutionem viſus eſſe omni viuenti creato, & creabili indebitum, & tamen nullus eſt, qui viſum reſtitutum intra numerum entium ſupernaturalium quoad ſubſtantiam reponat: itaque definitio illa, communis non eſt priuatiuis, & poſitiuis entibus ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam; Priuatio quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, ſic definienda venit, eſt carentia formæ quoad ſubſtantiam ſupernaturalis propter rationem *numero* 94. datam. Cùm ergo priuatio ſubſiſtentiæ propriæ, non ſit carentia formæ ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ideo etſi talis priuatio indebita ſit humanitati, non erit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, licèt quoad modum admittat ralis, ſed hanc ſupernaturalitatem non obeſſe naturali illius cognitioni, exempla ibidem data demonſtrant. 97.

Argues ſecundò cum Bernalio § 4. *num.* 67. Angelo, ſeu bono, ſeu malo, ſi naturæ ſuæ relinquitur, repræſentatur in Chriſti humanitate ſubſiſtentia creata, non aliter, ac ſi ibi realiter exiſteret. Ergo nec anima ſeparata, nec Angelus vident ibi priuationem creatæ ſubſiſtentiæ: Antecedens explicat, & probat, *numero* 68. nam ſpecies impreſſa, quæ repræſentat Angelo, vel animæ ſeparatæ, naturam creatam ſubſtantialem, ſi ſuæ naturæ relinquatur, repræſentat ſimul eodem actu, eodem impetu, & itinere, eiuſdem ſubſtantiæ ſubſiſtentiam, tamquam exiſtentem, & eidem ſubſtantiæ coniunctam; nam ſi proprietates accidentales, & proinde ſecundarias, & extra entitatem hominis conſtitutas ſimul & naturaliſſimè cum humanitate, repræſentat ipſiſſima ſubſtantiæ ſpecies, multò magis repræſentabit ſubſiſtentiam illius propriam, vtpote non proprietatem ſecundariam, ſed primam, nec accidentalem, ſed ſubſtantialem; imo nec propriè proprietatem hominis, ſed ipſius complementum, & naturalem integritatem: Proinde ſicut natura ſubſtantialis, verbi gratiâ humanitas, hoc ipſo, quòd habet ſuam actualem entitatem, ſi naturæ ſuæ permittatur, habet neceſſariò coniunctam propriam ſubſiſtentiam; ita ſpecies impreſſa naturæ ſubſtantialis, hoc ipſo, quòd excitatur ad entitatem ſubſtantialis naturæ repræſentandam, excitatur pariter, dum ſuæ naturæ relinquitur, ad repræſentandum ſimul & eodem actu propriam illius ſubſiſtentiam, tanquam eidem naturæ ſubſtantiali, reipſa, & actu coniunctam. Ergo ſicut amittente, vel potiùs non obtinente Chriſti humanitate propriam ſubſi- 98.

ſubſiſtentiam, ſpecies impreſſa, quam habet Angelus repræſentatiuam illius humanitatis, non eſt deſtructa, nec imminuta, nec aliquam mutationem intrinſecam paſſa eſt; ita hoc ipſo, quòd excitetur ad humanitatem illam repræſentandam, excitatur etiam, ſi ſuæ relinquatur actiuitati, ad repræſentandam ſubſiſtentiam propriam, vt actu coniunctam eidem humanitati, non aliter ac excitatur illa eadem ſpecies ad repræſentandas alias naturas humanas vt propriis ſubſiſtentiis actu, & reipſa coniunctas.

99. Reſpondebis, ſpeciem impreſſam Angeli datam eſſe illi, ad repræſentandam humanitatem illam, ſicut eſt in ſe à parte rei. Cùm igitur à parte rei ſit abſque propria ſubſiſtentia, repræſentabit eam, non cum propria ſubſiſtentia, ſed ſine ipſa. Aliàs Deus cum illa ſpecie concurrens ad repræſentandam ſubſiſtentiam creatam, vt exiſtentem ibi, vbi realiter non exiſtit, erit cauſa deceptionis.

100. Sed replicabis, ſpecies illa Angelo non fuit data, vt repræſentaret humanitatem, ſicut à parte rei exiſtentem. Ergo ruit ſolutio. Antecedens patet, nam ſi ſic talis ſpecies fuiſſet Angelo conceſſa, repræſentare deberet humanitatem vt Verbo diuino coniunctam, cùm à parte rei hîc & nunc humanitas ſit Verbo diuino ſubſtantialiter copulata. Ergo talis ſpecies impreſſa, non fuit data Angelo vt repræſentaret humanitatem vt erat à parte rei; dicitur tamen illa ſpecies data Angelo, ad repræſentandam humanitatem vt erat à parte rei, non vtcumque, ſed vt à parte rei connaturaliſſimè eſt: at humanitas ſic ſumpta, eſt cum propria ſubſiſtentia. Ergo talis ſpecies repræſentabat Angelo humanitatem cum propria ſubſiſtentia. Quòd autem Deus cum tali ſpecie concurrens nullius deceptionis ſit cauſa, patet, nam id præſtat Deus cum ſpecie concurrens ad illius naturalem exigentiam, illi ſe accommodans tanquam vniuerſalis cauſa. Cuius rei præſto ſunt exempla, & relictis ſupernaturalibus naturalia rem hanc expendunt; ſiquidem dum miles tormentarium funem, extrema cuſpide ignitum, velociter in gyrum torquet, circulum videmus lucidum, ſeu circulum lucis ibi, vbi re vera talis circulus non exiſtit. Cuius rei eſt ratio, quia dum lux exiſtit in vna circuli parte, ſpecies impreſſa lucis perſeuerat aliquantulum in aliis; ſpecies autem huius naturaliſſimè repræſentat lucem tanquam exiſtentem ibi, vnde ſpecies ipſa directè mittitur, proinde licèt lux non exiſtat in illis locis, ſpecies tamen ibi perſiſtens, & inde emiſſa, lucem repræſentat, vt in illis exiſtentem. Simile quidpiam experimur in ſpecie viſibili repræſentante faciem, vt exiſtentem intra, vel vltra ſpeculum, & in ſpecie audibili repræſentante ſonum tamquam editum in loco illo, vbi re vera editus non eſt. Nec in his, neque in aliis innumeris, concurrens Deus cum prædictis ſpeciebus, dicitur Deus deceptionis cauſa, quia videlicet concurrit Deus, vt cauſa vniuerſalis, exigentiis talium ſpecierum ſe accommodans. Ergo pariter in præſenti, & ſpecies Angeli repræſentabit humanitatem cum ſubſiſtentia propria, quamuis hæc in rerum natura non ſit, & Deus à deceptione liberabitur.

101. Vt reſpondeas, notabilia aliqua perſtringam. Species ab initio Angelis infuſas, res naturales de facto illis repræſentare, quando iſtæ exiſtentiam ſubeunt; atque adeo poſitâ illarum exiſtentiâ, ſtatim determinantur ad repræſentandum illas: à quo autem illis ſpeciebus talis determinatio proueniat, tametſi ſuborta ſit inter Authores contentio, tamen apud illos vnum eſt certum, quòd ſaltem prima vice prædicta determinatio, ſeu excitatio à ſolo Deo debet fieri, ad exigentiam ipſius intellectus Angelici; hic enim naturaliter exigit, quòd quando res de nouo exiſtentiam accipiunt, Deus excitet ſpecies illius, vt earum exiſtentiam actu repræſentent; ſicut enim Angelus in prima ſui productione exigebat, à Deo habere ſpecies infuſas rerum producendarum naturalium, ita prædictis ſpeciebus ſemel infuſis petebat à Deo excitari, vt dum primò res ſuam exiſtentiam vendicabant, repræſentarentur actu.

102. Nota 1. Angelum hîc & nunc cognoſcentem ſubſiſtentiam quæ non eſt, formaliter errare, error enim formalis, eſt, cognitio iudicans rem eſſe, quæ non eſt: quapropter Authores contrarij defendentes, Angelum naturaliter cognouiſſe humanitatem Chriſti cum propria ſubſiſtentia creata, ſumunt Angelum in ſtatu viæ, vel in pura natura conceptum; non verò prout ſubeſt ſtatui beatitudinis, quod id aſſerunt, ex eo quòd tali ſtatui repugnat cognitio, quæ omnimodam conformitatem non habeat cum obiecto, prout eſt à parte rei: vel loquuntur de Angelo malo, cui deceptio minimè repugnare videtur. His notatis breuiter, de quibus longiorem ſermonem dedi *tractat. de Angelis diſputatione tertia, de cognitione Angelorum.*

103. Reſpondeo ad argumentum *num.* 98. allatum, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens; ſpecies Angeli dum excitatur ad repræſentandum naturam, vnico itinere excitatur ad repræſentandum eius ſubſiſtentiam, quando hæc verè datur, concedo, quando non datur, nego, & ſub eadem diſtinctione concedo, vel nego conſequentiam; & admiſſa ſolutione data *num.* 99. Ad replicam *num.* 100. nego antecedens. Ad probationem nego antecedens; ad probationem ibidem imbibitam, diſtinguo illud, nempe humanitas à parte rei hîc & nunc erat vnita Verbo præter exigentiam eius naturalem, concedo, ſecundùm exigentiam naturalem eiuſdem, nego. Itaque humanitas, quæ eſt obiectum ſpeciei Angeli in via accepti, vel quaſi in pura natura conſiderati, qualiter Angelus malus quodammodo poſt lapſum fuit relictus, eſt humanitas ſecundum ea, quæ ei competunt iuxta potentiam, & exigentiam naturalem eiuſdem; atque adeo quidquid illi ſupra iſtam exigentiam aduenerit, eſt extra obiectum naturaliter repræſentabile ab ſpecie, naturaliter humanitatem repræſentante; vnde ſpecies illa repræſentabit humanitatem, cui aliàs eſt propria ſubſiſtentia debita, non verò repræſentabit eam vt ſubſiſtentem per illam, cùm talis ſubſiſtentia propria, minimè reipſa detur.

104. Ad illud verò, quod prætendit Bernal. cum aliis, Deum à deceptoris nota liberare, aſſero, Deum notam iſtam neceſſariò incurſurum, ſaltem dum prima vice ſpeciem Angeli excitaret, ad repræſentandum ſubſiſtentiam minimè exiſtentem; etenim vt ſuppoſui *numero* 102. Angelus cognoſcens talem ſubſiſtentiam, quam de fide ſupponimus non eſſe, verè & formaliter erraret. Rurſum talis cognitio ortum haberet ab ſpecie à Deo infuſa, & hic & nunc excitata ab ipſo, vt exprimeret humanitatem cum propria ſubſiſtentia creata, quæ tunc non erat, nec in aliqua differentia temporis exiſtentiam erat habitura: Quid ergo deficeret, vt Deus propriiſſimè deceptor Angeli euaderet? Nec enim id, quod aſſerunt, ſufficit Deum à crimine iſto purgare, ſiquidem Deus in tali excitatione non tam vt cauſa vniuerſalis, exigentiis rerum annuens ſe gereret, ſed vt particularis cauſa mouens, determinans & impellens Angelum ad deceptionem. Ratio, nam ideo in ſententia PP. Ieſuitarum Deus prædeterminare nequit ad materiale peccati, quin cenſeatur Author ſpecialis illius malitiæ; quia talis influxus præuenit determinationem voluntatis noſtræ, à qua imperfectione liberum prædicant Deum prædicti Authores, iuxta ſua principia, quia in eorum ſententia, Deus medio ſuo influxu, voluntatis determinationem non præuenit; quinimo ab illa præuenitur. At in noſtro caſu, potiſſimùm dū Angelus prima vice excitatur ad cognoſcendum ſubſiſtentiam propriam in humanitate, Deus præuenit determinationem Angeli: Rurſum in tali excitatione ſpeciei, nullo modo Deus ſe accommodare valet Angelico intellectui, ſiquidem iſte non habet exigentiam ad errorem; atque adeo nec ad cognitionem attingentem humanitatem cum ſubſiſtentia propria, quando hæc non eſt in rerum natura. Ergo ex nullo capite influxus ille poteſt adſcribi Deo, vt cauſæ primæ, ſed vt ſpeciali cauſæ prædicti erroris.

105. Nec exempla ibidem adducta liberant Deum à ratione cauſæ erroris: quia diſparitas eſt nota; ſiquidem cunctis eſt peruium, ſenſus exteriores non exigere, vt ſua obiecta percipiant, quod hæc ſint præſentia illis eo modo, quo ab illis attinguntur, ſed præcisè tali modo, ſecundùm quem ſunt capacia, in eos immittere ſpecies impreſſas, illorum repræſentatiuas: experimur enim veritatem huius aſſerti in Pauonis cauda, columbæ collo. Videt in his oculus varios colores, qui reipſa in eis non ſunt. Itaque cauda Pauonis non eſt præſens oculo eo modo, quo ab oculo videtur, ſed eo modo, ſecundùm quem redditur capax immittere ſpecies, in oculum, talium colorum, quod contingit, dum lux, hac vel illa diſpoſitione Pauonis caudam irradians redditur capax has producendi ſpecies repræſentantes, colores in ea minimè exiſtentes. Hoc ſuppoſito, reſpondeo ad primum exemplum, cui potiſſimùm fidit Bernal. Deum influentem in cognitionem lucis illius circuli, in eo verè non exiſtentis, minimè eſſe cauſam talis deceptionis, nam in tali influxu gerit Deus munus cauſæ primæ, exigentiis cauſarum ſecundarum annuentis: quod patet, etenim funis ille ignitus, ſuam ſpeciem in circulum multiplicat; nam proprium eſt ſpecierum, necnon agentium naturalium, ſphæram circularem ſuæ actiuitatis habere: quod experitur quiſque, dum prope fluuium poſitus, ſe per aerem & aquam verſus omnem partem contuetur: quod naſcitur ex eo, quòd homo ille multiplicat ſpecies ſui, verſus omnes partes medij, taliter, quòd nulla ſit deſignabilis pars medij, in qua ipſum viſibile non producat ſpeciem impreſſam, repræſentatiuam ſui totius: Vnde in his hominibus influit Deus, vt cauſa vniuerſalis, accommodans ſe exigentiis talium ſpecierum, quæ cùm per totum circulum multiplicentur, fit, quòd Deus cum illis, vt per ambitum illum ſparſis, concurrat; & licet oculus videat lucem, totum circulum afficientem, cùm re vera in toto illo non ſit, tamen hoc naſcitur ab ſpecie, quæ ex qualibet parte circuli miſſa, lucem repræſentat, at hoc minimè in noſtro caſu reperitur: ſiquidem intellectui Angelico minimè eſt debita cognitio, quæ attingat obiectum vt exiſtens, cùm exiſtens non ſit, aliàs debita eſſet cognitio erronea: Ergo eo ipſo quòd Deus influat, determinando ſpeciem ad repræſentandum humanitatem cum ſubſiſtentia creata, quando hæc non datur, influet ad id cum ſpecie, ad quod intellectus Angelicus nullam habet exigentiam, atque adeo influet vt ſpecialis author prædictæ cognitionis, quæ error formalis eſt.

106. Argues tertiò cum Vaſquez, quem ſequuntur Arrubal & Granadus, quòd licet priuatio hæc ſubſiſtentiæ intrinſecè ſit naturalis, & quoad ſubſtantiam, tamen in rerum natura pendet ex poſitione alicuius modi ſupernaturalis, nempe ex vnione hypoſtatica; ita vt ex aliquo naturali prouenire nequeat. Ergo non poteſt talis priuatio, naturaliter Angelum non latere, quia naturales vires cognoſcitiuas latent, nedum ea, quæ ſecundùm ſuam entitatem, ſupernaturalia ſunt, ſed quæ naturalia, cùm ſint à ſupernaturalibus quouis modo dependentia.

107. Reſpondeo ex dictis *numero* 94. vt priuatio aliqua quidditatiuè cognoſcatur, neceſſe non eſt vt illud à quo effectiuè inducitur, vel incompoſſibiliter formatur, attingatur; ſicut enim eius eſſe metaphyſicum priuationis, eſſentialiter ſolùm dicit carentiam ſubſiſtentiæ propriæ, in humanitate apta illam habere; ita cognoſcibilitas illius ſolùm eſſentialiter metaphyſicè, à cognoſcibilitate iſtorum dependebit: Quis enim eſſentialiter definiuit, priuationem per cauſam efficientem, vel per aliud, quod in alio genere inductiuum ſit illius, fit ergo ex his, quòd vt ab Angelo perfectè priuatio ſubſiſtentiæ propriæ naturaliter cognoſcatur, neceſſe non eſt, vt attingat vnionem hypoſtaticam, à qua in humanitate inducitur. Vnde concedo antecedens, & nego conſequentiam.

108. Argues 4. cum Mol. 1. *p. q.* 57. *art.* 5. *diſp.* 1. *§. ad* 5. ſubſiſtentia creata non eſt aliud, quā negatio vnionis ad alienam ſubſiſtentiam. Ergo metaphyſicè & eſſentialiter dicit ordinē ad vnionem illam. Ergo non poterit talis negatio cognoſci,

quin vnio prædicta cognoſcatur. Atqui vnio hæc cum aliena ſubſiſtentia, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Ergo negatio talis vnionis non poteſt ab Angelo naturaliter euidenter cognoſci. Sed argumentum hoc ſupponit in primo antecedenti doctrinam totaliter noſtris principiis aduerſantem, quam latiſſimè impugnauimus *diſputatione* 1. *dubio vnico*, *ſectione* 4. & 5.

109. Argues 5. cum Bernalio *vbi ſuprà* §. 2. afferente plura PP. teſtimonia, quibus ſuadere nititur, dæmonibus, & ſanctis Angelis naturaliter eſſe occultam priuationem ſubſiſtentiæ propriæ. Primò quia PP. dum dæmonem conſiderant dubitantem, eſſetne Chriſtus duntaxat homo, an etiam ſimul Deus cùm varias rationes afferant, quibus in hanc partem propendere poterat, nunquam inter eas recenſent, quòd humanæ ſubſiſtentiæ carentiam, in illa humanitate conſpiceret. Atqui non eſt credibile tacendum id fuiſſe à PP. ſi vel probabiliter cenſuiſſent, eam à dæmonibus fuiſſe viſam, ergo cenſuerunt, non viſam. Maior legenti Patres, quos Salmeron citat *t.* 4. *in euang. a tract.* 12. & Ioannes de la Haye *in quadriga Euangelica toto cap.* 9. citant, patebit. Minorem probat *num.* 53. quia ſi PP. exiſtimaſſent, perſpectam dæmoni fuiſſe illam ſubſiſtentiæ priuationem, non ſolùm illius meminiſſent, verumetiam inter primas, vel ante omnes dæmonis coniecturas pro Chriſti diuinitate recenſuiſſent: ne ſcilicet rationem prætermitterent, & in ſe phyſicam, vel quaſi phyſicam, & maximè naturalem, & proinde omnium vrgentiſſimam.

110. Reſpondeo imprimis SS. PP. minimè decreuiſſe Angelos, ſiue iuſtos, ſiue prauos, in via naturaliter de hoc myſterio, vel leuem ſuſpicionem habuiſſe, quodque conceſſit Bernal. ſuprà, quando autem dæmones introducunt dubitantes de Chriſto, an homo ſimul & Deus eſſet, id peragunt vt mirabilia Chriſti aptiùs commendent, & contemplationi eorumdem SS. PP. eſt talis dubitatio adſcribenda. 2. nam permiſſo, talem dubitationem dæmonibus præbuiſſe, ſufficientem rationem pro tali dubitatione in dæmonibus gignenda dederunt, deſumptam ex portentis ab ipſo Chriſto patratis, quæ licèt non ſufficerent ad euidentem notitiam eius diuinitatis, tam ſufficientia erant ad procreandam leuem dubitationem, quam illis de Chriſti diuinitate præſcripſerunt 3. nam quidquid Bernalius ponderet, argumentum hoc, eſt negatiuum, & ratio ab authoritate negatiua vim non habere, omnibus conſtat; nec ideo quia pro tali dubitatione cauſanda, notitiam talis priuationis, non dederunt, colligi poteſt, ſanctos PP. aliquid neceſſarium omiſiſſe; ſiquidem ſupponebant SS. PP. tamquam per ſe notum, prædictam priuationis cognitionem, habuiſſe dæmones, dum Chriſti humanitatem exiſtentem conſpicerent, cùm apud illos ſit certum, Angelis infuſas fuiſſe ſpecies in primo inſtanti, omnium naturalium obiectorum quæ quidem repræſentant actu, dum actu prædicta obiecta exiſtentiam accipiunt; & cùm probatum ſit, priuationem ſubſiſtentiæ propriæ eſſe obiectum, quoad ſubſtantiam naturale, fit, vt iure SS. PP. docẽtes dæmones dubitaſſe de Chriſto an homo ſimul, & Deus eſſet, & tradentes rationes & cauſas prædictæ dubitationis, omiſerint, quòd illi viderint priuationem ſubſiſtentiæ propriæ, nam ideo hanc cauſam prætermiſerunt, vtpote neceſſariò ſuppoſitam, & ſubintellectam.

111. Argues cum eodem *numero* 54. SS. PP. loquuntur de Chriſti cognitione, quam dæmon habebat, & affirmant, non aliter eum cognouiſſe, quàm alium quemlibet, ſeu communem, atque adeo purum hominem. Quod probat duplici authoritate Sanctorum, Ignatij martyris *in epiſt.* 8. *quæ eſt ad Philipenſes*, & ſancti Leonis Papæ *ſerm.* 2. *de natiuit. cap.* 3. *ſtatim in initio*, id aſſeuerantium: quo ſuppoſito arguit *numero* 55. quia ſi dæmon in Chriſti humanitate priuationem conſpexiſſet creatæ ſubſiſtentiæ, non vidiſſet, aut ſpectaſſet Chriſtum, vt quemlibet alium hominem, quippe qui alium quemlibet conſpiceret ex humanitate & propria, atque creata ſubſiſtentia conſtitutum; imo ſub Chriſti accidentibus non vidiſſet hominem, cùm ſolam conſpexiſſet humanitatem, quæ ſola, homo non eſt. Atqui de ſententia Patrum dæmon ſub Chriſti accidentibus, non modo videbat hominem, ſed etiam communem hominem, hoc eſt, velut quemlibet alium hominem. Ergo ſenſerunt Patres non eſſe à dæmone viſam, in Chriſti humanitate priuationem humanæ ſubſiſtentiæ.

112. Reſpondeo retorquens argumentum contra iſtum Authorem: nam *numero* 50. aſſerit SS. PP. docuiſſe, dæmonem dubitaſſe de Chriſto, quem videbat, an Deus ſimul & homo eſſet, At dæmon dum alios homines vidit, aut videt, minimè dubitabat, an tales homines eſſent Deus ſimul & homo. Ergo dum ſancti Leo & Ignatius aſſerunt, dæmonem, Chriſtum ac alium quemlibet hominem vidiſſe, verè id non pronuntiant, ſiquidem eſt cognita reſponſio diſpar, nam alium quemlibet hominem videbat iudicando eſſe purum hominem, ſine dubitatione de eius diuinitate, Chriſtum verò taliter eſſe hominem cognoſcebat, vt de ipſo, an ſimul eſſet Deus dubitaret. Ergo dæmon non ſic Chriſtum, ac quemlibet alium cognuſcebat.

113. Vt reſpondeam, aduerto ea, quæ docui *diſp.* 1. *dubio vnico*, *ſectione* 8. *numero* 160. diuerſa eſſe conſtitutiua hominis, ac ſuppoſiti. Homo enim præciſè & eſſentialiter nihil eſt aliud, quàm anima, corpus & vnio nectens. vt ex ſanctiſſimo doct. ibidem oſtendimus. Hoc iacto ibidem magis expoſito. Reſpondeo in forma, concedens SS. PP. aſſignatos docuiſſe dæmonem, Chriſtum ſicut quemlibet alium hominem in ratione hominis conſtituti cognouiſſe. Vnde diſtinguo illud aſſertum. Si dæmon in Chriſti humanitate, priuationem conſpexiſſet creatæ ſubſiſtentiæ, non vidiſſet Chriſtum, vt quemlibet alium hominem, vt hominem conſtitutum, nego, vt ſuppoſitum, concedo. Ad probationem ibi latentem, dico, quòd ſola humanitas eſt homo in ratione hominis conſtitutus. Recole dicta ibidem.

114. Vltimò argues cum eodem ſupponente, adeo voluiſſe Deum occultare dæmonibus myſterium incarnationis, vt plurimas res entitate corporeas,

poreas,& ordine naturales,& cum illo myſterio moraliter dumtaxat connexas, ſpeciatim Mariæ Virginis Parentis integritatem virgineam non permiſerit dæmonibus innoteſcere. Ita, Ignatius *in epiſt. illa, quæ eſt ad Philippenſes circa medium*, Vbi ſic dæmonem exagitat. *Ignoras tu, quis ſit genitus, qui omnium ſcientiam tibi vendicas? At multa te latuerunt; Mariæ virginitas, & admirandus ille partus.* Deinde nec multò poſt. *Archangeli ſalutatio Virgini facta, ipſius Virginis viro deſponſata inſolens conceptus.* Et poſt alia innumera dæmoni ignota ait: *Hæc videns vertigine æſtuas, Virginem, quæ parit, ignorat.* Demum *epiſt. 12. ad Eph. prope finem. Principem huius mundi latuit, Mariæ virginitas, & partus ipſius.* Citari poteſt pro eodem S. Leo Papa, hoc ipſum pronuntians;necnon ſanctus Bernardus *homil. 12. ſuper miſſus eſt*. Ex quibus probat *num. 61.* Sanctos Patres ſentire, non fuiſſe naturaliter Angelis notam, in Chriſto priuationem creatæ ſubſiſtentiæ. Etenim ſi Patres docent, res illas eſſe dæmonibus occultas, ligante Deo miraculosè, naturalem vim dæmonis,ad eas cognoſcendas, quia videlicet Mariæ virginitas,& partus ſimul ſumpti, licèt quoad ſubſtantiam, ſint quid naturale,quoad modum verò ſupernaturales ſunt. Atqui priuatio propriæ ſubſiſtentiæ, eſt ad minùs quoad modum ſupernaturalis, vt nos cum Communi defendimus. Ergo ſentiunt ſancti Patres prædictam priuationem fuiſſe naturaliter ignotam dæmonibus.

117. Reſpondeo SS. PP. negaſſe dæmoni, notitiam plurium rerum naturalium, vt quovis modo connexarum cum myſterio noſtro; ex hoc verò minimè colligitur, negaſſe illi notitiam priuationis propriæ ſubſiſtentiæ; Etenim res naturales, quæ quovis modo connexæ ſunt cum myſterio iſto, conſiderari poſſunt vel connexæ ſpecificatiuè, vel reduplicatiuè vt connexæ cum incarnatione.Primo modo minimè dæmonem latuerant, bene verò ſecundo modo; nam negata ſic illatum cognitione, ſaluatur SS.PP.intentum, de cælando dæmonibus myſterio. Iam res illas iſtam duplicem acceptionem ſubire, ita vt ſecundùm vnam lateant dæmonem,& ſecundùm aliam pateant naturaliter illi,mihi ſuadet,præter alia,quæ omitto, doctrina,quam idem Bernal tradit *num. 60.* Vbi ait res illas poſſe accipi, vel ſecundùm ſe ſumptas vel coniunctim acceptas, & ponit exemplum, Virgineam integritatem ſanctiſſimæ Mariæ ſecundùm ſe, & ſeorſim à partu; & hunc ſecundùm ſe, & ſeorſim ab illa, necnon virgineam integritatem & partum ſimul acceptos; & aſſerit, ſi iſta primo modo conſiderentur, naturaliter potuerunt dæmoni, ſecundò verò modo illum latuerunt: & dat rationem, quia priori modo, nullo modo in incarnationis notitiam conducunt, ſi tamen in poſteriori ſenſu accipiantur, in prædictam cognitionem perducere valent. Ecce verificata doctrina adducta, nempe res naturales,connexas hic & nunc cum incarnatione, conſideratas ſpecificatiuè,cadere ſub lumen naturale dæmonis, quia ſic ducere nequeunt in cognitionem illius, ſi verò vt connexæ cum illa ſumantur, nullo modo naturaliter à dæmone cognoſci valebant, quia ſic manuducere poterant naturaliter mentem dæmonis in cognitionem incarnationis, connexum enim,vt connexum cum alio cognitum, neceſſariò ducit in cognitionem illius. Quapropter dixit S. Ignatius, dæmonem latuiſſe virgineam integritatem & partum, vbi ponderanda venit copulatiua, &, quæ notat virgineam integritatem, non ſeorſim acceptam à partu, & ſpecificatiuè acceptam, ſed coniunctam, & vt connexam cum partu, & conſequenter cum incarnatione:Hac ſimili diſtinctione vtor in explicanda priuatione propriæ ſubſiſtentiæ;quæ ſi conſideretur reduplicatiuè, vt connexa cum modo vnionis, hoc eſt, vt ab illa in humanitatem inducta,ſic enim lumen naturale dæmonis latuit; ſi verò conſideretur ſecundùm ſe,& ſpecificatiuè accepta,& quaſi ſeorſim ab vnione, illi fuit naturaliter nota. Ex his facilè erit cuique educere formam ad argumentum.

Colliges primò,ea quæ aſſeruit Medina *3.p. q. illa introductoria ad ſextum*:nullo modo eſſe à 118.
nobis probanda;aſſeruit duo.Primum quòd etſi euidenter cognouerit dæmon, humanitatem Chriſti, exiſtere exiſtentiâ creatâ Verbi, adhuc neſciebat, an eſſet vnita hypoſtaticè Deo. Secundum, dato, quòd cognouerit humanitatem hypoſtaticè eſſe Deo copulatam,adhuc euidenter non cognoſcebat,Deum eſſe hominem,quod eſt myſterium incarnationis; ſiquidem certum eſt,ſanguinem Chriſti,& eius animam rationalem fuiſſe in triduo, Deo hypoſtaticè vnita, & tamen nec ſanguis, nec anima rationalis erat Deus. Falſa inquam ſuſpicor duo hæc aſſerta. Imprimis falſum eſt, dæmonem naturaliter cognouiſſe humanitatem, increatâ exiſtentia exiſtere:nam vel id euidenter immediata euidentiâ cognoſcebat, vel euidentiâ mediatâ. Neutro modo, vt latè vidimus *ſect. 3. n. 73.* Ergo. Præterea falſum eſt,quòd licèt dæmon cognouiſſet euidenter, humanitatem increatâ exiſtentiâ extitiſſe, nullo modo cognoſcere illam eſſe Deo hypoſtaticè vnitam;Ratio,nam in ſententia diſcipulorum ſanctiſſimi Thomæ, quam Author hic profitetur,exiſtentia vel eſt eadem cum ſubſiſtentia increata,vel illam neceſſariò ſupponit. Ergo ſicut ex eo quòd humanitas ſit priuata propriâ exiſtentiâ,euidenter arguit Medina,humanitatem exiſtere increatâ exiſtentiâ; ita debet eſſe efficax argumentum priuatio propriæ ſubſiſtentiæ, ad inferendum humanitatem,ſubſiſtere increatâ ſubſiſtentiâ. Ergo ſi Angelus ex eo,quòd cognoſcit humanitatem, eſſe propriâ exiſtentiâ priuatam, aſſerit Medina, illum euidenter cognoſcere, humanitatem exiſtere per increatam exiſtentiam; cùm profiteatur idem Author, Angelum euidenter cognouiſſe, humanitatem priuatam eſſe ſubſiſtentiâ propriâ, tenebitur concedere eundem euidenter cognouiſſe, humanitatem ſubſiſtere diuinâ ſubſiſtentiâ. Ergo & illam eſſe Deo hypoſtaticè vnitam; quia nihil eſt aliud hypoſtaticè Deo vniri, ac humanitatem ſubſiſtere ſubſiſtentiâ Dei increatâ. Tertiò, quia falſum aſſerit, quòd permiſſo, dæmonem euidenter cognouiſſe humanitatem, hypoſtaticè eſſe vnitam Deo,non infertur,eum cognouiſſe, Deum eſſe hominem; quia hoc ab illo non differt,illud verò de ſanguine,& anima rationali, verbo in triduo vnitis,non conuincit,

ſiquidem in triduo non dabatur anima, corpus, & naturalis vnio, illa nectens; atque adeo non dabatur homo, hic enim non eſt quælibet pars compoſiti Verbo vnita; ſed partes omnes inter ſe vnitæ, & Verbo ſimul copulatæ.

117. Nunc in ſectionis calce reſponſionem paramus in forma illi argumento, in cuius gratiam ſectio hæc eſt inſtituta. Argumentum propoſui *ſect. antecedentis in fine n.* 88. Concedo enim antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: Itaque conceſſo, Angelo euidenter eſſe nota illa duo, iuxta Thomiſtica principia, adhuc negamus illi naturaliter patuiſſe vnionem humanitatis cum diuina ſubſiſtentia; ratio eſt, nam ex cognitione euidenti poſſibilitatis huius carentiæ, adhuc probabiliter Angelus cognoſcere nequit poſſibilem eſſe vnionem hypoſtaticã cum diuina ſubſiſtentia: Ergo nec ex cognitione euidenti priuationis actualis ſubſiſtentiæ creatæ, colligere poterit naturaliter etiam probabiliter, actualem vnionem humanitatis cum diuina ſubſiſtentia. Antecedens ſuppono ex dictis *diſp.* 1. *ſect.* 1. *num.* 14. vbi aſſerui, impoſſibile eſſe Angelo naturaliter cognoſcere, & euidenter poſſibilem eſſe vnionem immediatam humanitatis cum diuina natura, quod ſemper iudicabit impoſſibile. Conſequentia nunc probatur, quia non minùs connectitur actualis carentia vnionis cum vnione hypoſtatica actuali, ac poſſibilis carentia ſubſiſtentiæ propriæ cum exiſtentia poſſibili prædictæ vnionis hypoſtaticæ. Vnde ex eo, quòd Angelus euidenter naturaliter cognouerit, carentiam propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate, adhuc illum minimè naturaliter cognoſciturum, vnionem hypoſtaticam ad diuinam: quia licèt in re, ſit vera ſententia noſtra, quòd talis priuatio ſubſiſtentiæ propriæ, nequeat re ipſa induci in aliquam naturam, niſi per vnionem ad diuinam ſubſiſtentiam: tamen cùm Angelo notum ſit, ſubſiſtentiam creatam eſſe diſtinctam & ſeparatam à natura; & aliundè non minùs illi euidenter appareat, poſſe Deum auferre ſuum concurſum poſitiuum, quo modum illum in natura conſeruat, conſeruando concurſum naturæ, fit, quòd ex eo quòd naturaliter Angelus cognoſceret humanitatem eſſe propriæ ſubſiſtentiæ creatæ expertem, ad ſummum poſſet iudicare, Deum talem naturam ſine propria ſubſiſtentia voluiſſe conſeruare: potiſſimùm cùm naturaliter iudicet, impoſſibilem vnionem humanitatis cum diuina ſubſiſtentia. Vnde aliud eſt; quòd talis priuatio propriæ ſubſiſtentiæ, nequeat re ipſa non induci ab vnione ad diuinam ſubſiſtentiam de facto, & aliud, quòd naturalis cognitio prædictæ priuationis, ducat in cognitionem naturalem prædictæ vnionis hypoſtaticæ.

118. Sed replicabis: per nos Angelus naturaliter intuitiuè cognoſcit humanitatem. Ergo cognoſcit naturaliter illam exiſtentem. Conſequentia patet, nã intuitiua cognitio fertur in obiectum exiſtens. Tunc ſic: ſed humanitas Chriſti exiſtebat mediâ Verbi exiſtentia. Ergo naturaliter cognoſcebat exiſtentiam Verbi, humanitatem reddentem exiſtentem. Reſpondeo, intuitiuam cognitionem ſolùm petere ferri in rem aliàs exiſtentem, non tamen in eamdem vt exiſtentem: nam ſæpe exiſtentia obiecti eſt extra ſphæram potentiæ intuentis. Oculus enim albedinem attingit intuitiuè, & eam vt exiſtentem reduplicatiuè minimè pertingit, quòd eſt minimè exiſtentiam cognoſcere; nam hæc eſt extra latitudinem obiecti oculi: Sat enim eſt, huic intuitiuè albedinem pertingenti, cognoſcere illam aliàs exiſtentem; Cùm ergo exiſtentia diuina, vt intuitiuè viſibilis, ſit extra actiuitatem intellectualis luminis naturalis Angelici, fit, quòd vt humanitas intuitiuè ab Angelo naturaliter percipiatur, ſufficit, illam aliàs exiſtentem diuinã exiſtentiâ cognoſcere, tametſi eam vt exiſtentem non concipiat.

Sed replicabis. Vel Angelus, dum humanitatem cognoſcit intuitiuè, iudicat illam hîc & nunc, eſſe purè poſſibilem, vel non. Illud concedi nequit, aliàs cognitio illa non poſſet eſſe intuitio humanitatis, nec eſſet vera, cùm rem exiſtentem reipſa eſſe purè poſſibilem iudicet. Ergo dum illam intuetur, iudicat non eſſe purè poſſibilem. Ergo iudicat illam eſſe verè exiſtentem. Ergo cognoſcit eius exiſtentiam. Probo conſequentiam, impoſſibile eſt effectum formalem ab aliquo naturaliter cognoſci, & formam illum latere, quia effectus formalis nihil eſt aliud, quam forma ſubiecto exhibita. Sed facere humanitatem exiſtẽtem, eſt effectus formalis exiſtentiæ diuinæ. Ergo eo ipſo, quòd Angelus naturaliter cognoſcat humanitatem exiſtere debebit illius exiſtentiam cognoſcere. Reſpondeo, cognitionem Angeli attingere humanitatem, non ſolùm vt poſſibilem, ſed etiam cognoſcere illam verè exiſtentẽ; ſiquidem eo ipſo, quòd videat in re humanitatẽ eſſe productam, iudicat illam habere exiſtentiam; ſiquidem ex generali ratione productionis, colligitur rerum exiſtentia; ſicut ex operationibus ab aliquo elicitis, illud ſubſiſtere infertur: Verùm cognitio talis exiſtentiæ eſt abſtractiua, non verò intuitiua, ſiquidem cùm talis exiſtentia ſit diuina, & diuinorum nulla ſit propria creata ſpecies, hinc fit, Angelum cognoſcentem humanitatem, vt talis cognitio ſiſtit in illam, cognoſcere eamdem intuitiuè, vt verò cognoſcit illã exiſtere, ſolùm abſtractiuè id aſſequitur per ſpecies alienas talis exiſtentiæ, nempe per ſpeciem alicuius cum exiſtentia connexi, nempe per ſpeciem productionis, qua talis humanitas dicitur producta. Et argumentum hoc nimis probat, quia contra omnes ſub eadẽ forma poteſt intorqueri; ſiquidem dum Angelus naturaliter humanitatem exiſtentem cognoſcit, illam iudicat ſubſiſtere, vel non. Hoc ſecundum dici nequit, cum Angelus illam videat operationes exercentem, quod eſt ſubſiſtentium irrefragabile ſignum. Ergo primũ debet dici. Ergo naturaliter cognoſcit diuinam ſubſiſtentiam; Conſequentia patet, effectus enim formalis eſt ipſa forma ſubiecto exhibita. At ſubſiſtere humanitatem, eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ diuinæ. Ergo ſi Angelus naturaliter cognoſcit humanitatem ſubſiſtere, debebit naturaliter cognoſcere ſubſiſtentiam diuinam, à qua formaliter ſubſiſtens redditur. Quid reſpondeant, pro ſolutione ſuſcipite. 119.

Sed replicabis: iuxta noſtra principia Angelus, 120.

lus, nullo modo naturaliter poteſt cognoſcere humanitatem exiſtere. Ergo nullo modo iuxta illa, poteſt defendi, Angelum naturaliter humanitatem intuitiuè cognoſcere. Antecedens probo, imprimis Angelus per nos, nequit intuitiuè cognoſcere humanitatem, exiſtere exiſtentiâ particulari increatâ. Sed nequit illam cognoſcere exiſtere ſimpliciter, ſecundùm aliquam rationem genericam exiſtentiæ, Ergo nullo modo naturaliter cognoſcit, humanitatẽ exiſtere. Probo minorem: nam ſuppoſito, quòd humanitas re ipſa exiſtat, mediâ increatâ exiſtentiâ, æquè repugnat naturaliter cognoſci humanitatẽ exiſtere, per exiſtentiam ſecundùm gradum communem, ac cognoſci exiſtentem ſecundùm particularem conceptum exiſtentiæ diuinæ. Ergo nequit Angelus cognoſcere, humanitatem exiſtere, etiam ſecundùm rationem genericam exiſtentiæ. Antecedens probo: nam ratio, Quare cognoſci nequit naturaliter humanitas exiſtens, particulari exiſtentiâ increatâ, eſt ſupernaturalitas illius. Sed ratio communis exiſtentiæ in humanitate, eſt ſupernaturalis æqualiter, ac particularis conceptus exiſtentię increatæ, cùm ſint idemtificati. Ergo Angelus nec naturaliter valebit cognoſcere, humanitatem exiſtentem ſimpliciter, ſecundùm conceptum communem exiſtentiæ.

121. Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem, Sed nequit illam cognoſcere exiſtere ſimpliciter, ſecundum aliquam rationẽ genericam exiſtentiæ, vt idemtificatam cum particulari conceptu talis exiſtentiæ, concedo, ſecundùm illam rationem, vt præſcindentem ab illo particulari conceptu, nego. Et nego conſequẽtiam. Ad probationẽ minoris, diſtinguo antecedens: ſuppoſitâ, in Chriſti humanitate, exiſtentiâ particulari increatâ Verbi, æquè repugnat naturaliter cognoſci, conceptus communis exiſtentiæ; ac conceptus particularis ſubſiſtentiæ diuinæ, conceptus, inquam communis, vt idemtificatus cum iſto conceptu in particulari, concedo, vt ab illo præſcindens, nego. Et nego, vel concedo conſequentiam ſub eadem diſtinctione. Itaque ex qua parte certum eſt, nullum ens ſupernaturale, ſecundum ſuum vltimum conceptum ſupernaturale, poſſe à naturali lumine cognoſci, ita eſt certum, aliquos ſuperiores conceptus cum illo idemtificatos, pariter idem lumen latere, vt reduplicatiuè cum illo idemtificatos, quia ſic conſiderati, eadem ſupernaturalitate improportionata afficiuntur, ac ipſe vltimus conceptus particularis. Verùm iidemmet ſuperiores conceptus ſpecificatiuè accepti patere poſſunt intellectui naturali, quem latet particularis conceptus; nam ſic non afficiuntur ſupernaturalitate illa, ſed ab ipſa præſcindunt; nam ſic conſiderantur, vt conuenientes cum aliis rationibus naturalibus, proportionatis cum virtute naturali intelligentis. Quod experientiâ nobis conſtat, qui dum miſeriam inopis ſubleuamus, ſi interrogemur, an actum ſupernaturalem miſericordiæ elicuerimus, necne: non valemus reſpondere determinatè elicuiſſe actum ſupernaturalem, quamuis reipſa illum produxiſſemus, ſolum reſpondere poterimus, nos actum miſericordiæ exercuiſſe; & hoc ideo, quia nos talem actum, aliàs ſupernaturalem cauſantes, non bene capimus naturaliter illum actum, ſecundùm vltimum conceptum ſupernaturalem, nec ſecundùm alios communes gradus, vt reduplicatiuè cum illo idemtificatos, ſed præcisè eumdẽ cognoſcimus, ſecundùm gradus communes miſerendi, ſecundùm quos ille actus conuenit, cum naturalibus commiſerationibus. Applica doctrinam.

Sectio V.

Suppoſita reuelatione de exiſtentia incarnationis, poſſibilitas eius intrinſeca immediatè per Fidem cognoſcitur, poſſibilitas verò eiuſdem extrinſeca, necnon & incarnationis Patris, aut Spiritus ſancti, per actum Theologiæ.

Nota, ante probationem concluſionis, hîc non intrare quæſitum incarnationis exiſtentiam, de qua communiter authores loquuntur, & breuiter de ea in fine ſectionis loquuturi ſumus. Ex communi ergo eſt certum, myſterij noſtri exiſtentiam, nos certe cognoſcere per Fidem; reſolutio noſtra non de illius exiſtentia, ſed de eius poſſibilitate eſt intelligenda. 122.

Nota ſecundò poſſibilitatẽ incarnationis eſſe duplicem, intrinſecam vnam, extrinſecam aliam; illa ſe tenet ex parte prædicatorũ intrinſecorum huius myſterij, iſta quia ſe tenet ex parte potentiæ productiuæ Dei, quæ eſt ipſi incarnationi extrinſeca, ſed tamen cum illa eſſentialiter connexa (ſicut cum quolibet poſſibili, dicitur omnipotentia eſſentialiter connecti, vt videbimus latiſſimè *tract. de ſpe. tantibus ad intellectũ Chriſti diſp.* 2. dicitur poſſibilitas extrinſeca incarnationis, quilibet enim effectus poſſibilis denominatur ex virtute, illum producere potente. 123.

Nota tertiò ſicut ſuppoſita reuelatione de exiſtẽtia incarnationis certi ſumus de eius poſſibilitate, quovis modo hæc declaretur; ita ſuppoſita prædicta reuelatione, certi debemus eſſe de poſſibilitate incarnationis Patris, aut Spiritus Sancti; nam ſemel per Fidem deuicta impoſſibilitate incarnationis Filij, manet ſecurus aditus iudicandi, nõ eſſe impoſſibilem incarnationem Patris, & tertiæ Perſonæ. Status ergo quæſtionis eſt, an dum Petrus per actũ Fidei cognoſcit exiſtentiam myſterij noſtri, quia authoritas diuina exiſtentiam eius reuelat, per illud *Ioan.* 1. *Et Verbum caro factum eſt*, per eumdem actum Fidei poſſibilitatem prædicti myſterij attingat? 124.

Reſolutio noſtra habet duas partes. Prima affirmat de poſſibilitate intrinſeca incarnationis, cuius exiſtentia, Fide creditur; & negat de poſſibilitate illi extrinſeca, necnon de poſſibilitate incarnationis aliarum Perſonarum; Primam partem probo nunc, & ſecundam poſtmodum probaturus. Ratio igitur huius primæ partis eſt: Actus Fidei æquè terminatur immediatè ad rem reuelatam, & ad ea, quæ formaliter cum re reuelata idemtitatem habent. Sed actus Fidei attingit exiſtentiam immediatè reuelatam incarnationis, & cum ipſa vt exiſtente, poſſibilitas intrinſeca formalem idemtitatem habet. Ergo actus Fidei attingens immediatè exiſtentiã reuelationis, etiam immediatè attingit eius intrinſecam 125.

ſecam poſſibilitatem. Maiorem ſuppono vt dogma valdè probabile *ex tract. de Fide*; cuius veritas conuincit, quòd actus Fidei, quo immediatè attingitur exiſtentia incarnationis, attingat æquè immediatè prædicatum hominis, & alia ſuperiora, quæ eſſentiá prædicti myſterij intrinſecè intrant. Minor nunc probatur, nam poſſibilitas intrinſeca incarnationis, eſt eius non repugnantia, vt exiſtat, at prædicta non repugnãtia, formalem idemtitatem habet cum incarnatione exiſtente. Ergo poſſibilitas intrinſeca incarnationis, identitatem habet cum ipſa vt exiſtẽte. Maiorem ſuppono ex dictis, *tract. de ſcientia Dei*, & ex dicendis, *tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti*, de conſtitutiuo poſſibilitatis obiectiuæ rei. Minor patet, nã cuiuſque rei exiſteutia, eſt formaliter carẽtia repugnantiæ ipſius rei vt exiſtat. Ergo exiſtentia incarnationis, erit formaliter carẽtia repugnantiæ ipſius, vt exiſtat.

126. Reſpondebis; poſſibilitatem intrinſecam rei, importare neceſſariò carentiam exiſtentiæ, neque adeo eo ipſo, quòd myſterium exiſtere credatur, minimè vt poſſibile eſt credendum, atque adeo poſſibilitas intrinſeca incarnationis, formaliter non eſt exiſtentia illius; ſed aliquid ab illa realiter differens, cùm carentia exiſtentiæ realiter exiſtentia non eſt.

127. Sed replicabis, poſſibilitas cuiuſque rei, poteſt conſiderari, vt metaphyſicè conſtituens ſtatum puræ poſſibilitatis, ab ſtatu exiſtentiæ diſtinctũ: vel provt dicit ſolùm ſtatum poſſibilitatis, vt oppoſitum ſtatui rei impoſſibilis. Si primo modo poſſibilitas rei accipiatur, importat carentiã realem exiſtentiæ; ſi ſecundo modo ſumatur, illam minimè inuoluit, ſiquidem tam bene res, vt exiſtens, impoſſibili opponitur, ac ipſa, vt purè poſſibilis, carentiam exiſtentiæ importat, vt de ſe patet. In præſenti autem non intrat quęſitum, an actus Fidei attingens immediatè incarnationis exiſtentiam, attingat etiã ipſam, vt purè poſſibilem, & vt ſub ſtatu puræ poſſibilitatis, vt oppoſito ſtatui exiſtentiæ conſideratur; nã hoc implicat, ſiquidem ſi ſupponimus actum iſtum Fidei attingere certò exiſtentiam incarnationis, non poteſt dubitari, an ille idem actus attingat ipſam incarnationem, vt carentem exiſtentiã; ſicut implicat de eadẽ incarnatione quòd ſimul exiſtat, & exiſtentiã careat. Ergo poſſibilitas illa, de qua dubitatur, an ſimul cum exiſtentia incarnationis credatur, eſt, quæ conſtituit rem in eo ſtatu, in quo eſſentialiter diſtinguitur ab impoſſibili. Sed quæcũque res formaliter per non repugnantiam, vt exiſtat, differt ab impoſſibili. Ergo res ſic conſiderata poſſibilis, nõ importat negationem exiſtentiæ, Ergo res poſſibilis, vt ab impoſſibili differens formaliter & intrinſecè nõ differt ab exiſtentia. Patet hoc: nam de rè exiſtente, vt exiſtẽte, verificatur formaliter impoſſibilem nõ eſſe. Ergo verificatur de illa formaliter carentia repugnãtiæ, vt exiſtat. Ergo eo ipſo, quòd res exiſtens cognoſcatur, cognoſci immediatè debet, cum prædicta carentia repugnantiæ vt exiſtat. Ergo vt poſſibilis. Vnde magis genus hoc poſſibilitatis exprimitur per exiſtentiam, quàm per carentiã exiſtentiæ, ſiquidem exiſtentiã carere, etiam impoſſibili competit, exiſtere verò ſolùm illi, cui poſſibilitas conuenire dicitur: atque adeo res quælibet magis expreſsè dicitur, ab impoſſibilitate per exiſtentiam recedere, quàm per carentiam exiſtentiæ. Ergo per exiſtentiam magis accedit res ad poſſibilitatem; quia quò magis quis recedit ab vno extremo, magis accedit ad aliud illi oppoſitum.

128. Reſpondebis ſecundò rationi pro cõcluſione adductæ, illam ſolùm conuincere, credentẽ exiſtentiam incarnationis, cognoſcere cauſaliter poſſibilitatem eius, non verò formaliter ex vi illius actus indiuiſibilis, quo talis exiſtentia creditur; eo modo, quo in probabili ſententia dicitur, Beatum intuentem Deum cauſaliter videre creaturas, quatenus per aliam cognitionem à viſione ortam, creaturas extra Verbum cognoſcit; nec enim aliter philoſophaturi ſumus de actu Fidei, quoad iſtorum attingentiam, ac de cognitione diuina attingente rerũ exiſtentiam, & earum poſſibilitatẽ, nam actus Fidei eſt participatio diuinę cognitionis; at in Deo ponimus ſaltẽ duas tendentias intentionales, per quarum vnam, quæ ſcientia ſimplicis intelligentiæ vocatur, rei poſſibilitatem attingat, & per aliam, quæ viſionis dicitur, eiuſdem rei exiſtentiam capiat: ſimiliter nos poſituri ſumus duos actus ſaltem, quorũ vnus ſit Fidei, quo exiſtentia incarnationis immediatè reuelata credatur, & alius ex illo ortus, qui ad Theologiam diſcurſiuã ſpectet, & quo poſſibilitas eiuſdẽ cognoſci valeat.

129. Sed replicabis, rationem hanc conuincere vnum & eundem actum Fidei, credentem exiſtentiam reuelatam, incarnationis, æquè immediatè credere eius poſſibilitatem intrinſecam, ſiquidem vbi non datur hoc & hoc, nequit dari diuerſitas, in immediatione intentionalis tendentiæ; ſed exiſtentia incarnationis eſſentialiter eſt poſſibilitas intrinſeca ipſius. Ergo idẽ actus Fidei, immediatè ad exiſtentiam & poſſibilitatem intrinſecam incarnationis terminatur. Maior ſeipſam probat, minorẽ probauit ratio noſtra, *n.* 115. conſequentia bene infertur. Nec efficaciã huius rationis eneruat id, quod inſinuat de cognitione cauſali creaturarum, nam ſententiam illam latè impugnabimus *tractat. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſput.* 2. Nec magis obeſt illud de cognitione Dei, quæ ſecundùm vnam tendentiã, tendit ad poſſibilitatem, & ſecundùm aliam, ad rerum exiſtentiam; non inquam refert, quia licèt iſta multiplex tendentia, in diuina cognitione reperiatur; tamen in actu Fidei nòn eſt concedenda. Ratio, nam actus Fidei eſt participatio illius duplicis tendentiæ diuinæ. Ergo per vnicam tendentiam actus Fidei æquè immediatè tangit exiſtentiam incarnationis reuelatam, & eius poſſibilitatem. Conſequentia patet, ſiquidem ſi ſolùm eſſet participatio cognitionis diuinæ, ſecundùm vnam tendentiam, nempe viſionis, præcisè attingeret exiſtentiam reuelatam incarnationis. Ergo ſi non ſolùm eſt participatio cognitionis diuinæ, ſecũdùm vnam tendentiam, ſed ſecundùm vtrãque, tam ſcilicet viſionis, quàm ſimplicis intelligentiæ, neceſſariò debet actus Fidei attingere immediatè exiſtentiam reuelatam incarnationis, & eius poſſibilitatem. Antecedens autem probo; viſio beata cuiuſque beati, eſt participatio diuinæ cognitionis, ſecundùm vtramque deſignatam tendentiam. Ergo & actus Fidei Viatoris. Conſequentia patet, nam actus Fidei, viſioni

beatæ

beatæ correſpondet. Antecedens ſuppono iuxta cómunem, *ex tract. de viſione*, & explicatur. Nam ſicut diuina cognitio, vt ſimplex intelligentia eſt, attingit myſterij incarnationis prædicata neceſſaria, & vt eſt ſcientia viſionis, exiſtentiam eius actualem tangit, ita beata viſio, eſt ſimplex intelligentia participatiuè, quatenus non repugnantiam eſſentialium prædicatorum illorum obiectorum, quæ in Deo videt, attingit, & eſt ſcientia viſionis participatiuè, quatenus eorumdem obiectorum exiſtentias penetrat. Pariter ergo Philoſophor de actu Fidei, cùm non ſit maior ratio, quare viſioni beatæ conueniat participationem eſſe cognitionis diuinæ, ſecundùm vtramque illam tendentiam, & id actui Fidei non competat.

130. Reſpondebis, non ſufficere, vt viſio beata, & actus Fidei dicantur participationes cognitionis diuinæ, ſecundùm vtramque illam tendentiam, quòd attingant prædicata eſſentialia ſuorũ obiectorum, hoc eſt, non repugnantiam illorum ad exiſtentiam; ratio, nam id non ſufficit, vt diuina cognitio, reſpectu cuiuſque obiecti, ſit per eſſentiam ſimplex intelligentia; ſiquidem Deus cognoſcit ſeipſum, & cognoſcit ſe minimè repugnare ad exiſtendum, & tamen talis cognitio, vt ad hæc terminata, minimè ſortitur rationem ſimplicis intelligentiæ. Ergo non bene inferimus, actus Fidei terminatur ad exiſtentiam reuelatam incarnationis, & eius non repugnantiam ad exiſtendum; ergo actus Fidei eſt participatio diuinæ ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ participatiuè.

131. Sed replicabis, nos defendere actum Fidei, eſſe participationẽ diuinæ cognitionis, prout ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt. An verò diuina cognitio ſit, reſpectu cuiuſcumque obiecti, ſimplex intelligentia, non eſt huius loci determinare; Vnum enim eſt certũ, quòd diuina cognitio talem denominationem ſortitur, reſpectu illius obiecti quoad prædicata, vt non repugnantia accepti, quod licèt hic & nunc exiſtat, tamen eius exiſtentia non eſt illi eſſentialis: quare non ſufficit cognoſcere obiectum non repugnare ad exiſtendum, vt talis cognitio diuina ſit ſimplex intelligentia; ſed deſideratur, quòd talis non repugnantia ad exiſtentiam, conueniat obiecto, quod eſſentialiter exiſtentiã non habeat. Cúmque Deo eſſentialiter exiſtere competat, tametſi ſe cognoſcat vt non repugnantem exiſtere, tamẽ cognitio illa, reſpectu diuinæ nõ repugnantiæ ad exiſtendum, minimè rationem ſimplicis intelligentiæ ſubibit: at verò quia è contra, incarnationi exiſtenti eſſentialiter non conueniat exiſtentia, ſed ex libera Dei voluntate eam decernente, fit, quòd diuina cognitio attingẽs non repugnantiam ad exiſtendum, illius ſit ſimplex intelligentia per eſſentiam: Actus enim Fidei, non ſolùm eſt participatio diuinæ cognitionis, prout attingentis non repugnantiam Dei ad exiſtendum, ſic enim eſt ſcientia viſionis participatiuè, ſed eſt participatio illius, vt attingentis negationem repugnantiæ ad exiſtendum, quam habet incarnatio exiſtens, & quodlibet aliud ens creatum, qua ratione ſicut diuina cognitio eſt ſimplex intelligentia per eſſentiam; ita actus Fidei eſt ſimplex intelligentia participatiuè; Nec abſonum putant aliqui, talem diuinam cognitionem eſſe ſimplicem intelligentiam, etiam dum attingit non repugnantiam Dei ad exiſtendum; verùm iudico rem hanc, eſſe quæſtionem de vocabulo.

132. Secunda pars concluſionis, aſſerebat poſſibilitatem extrinſecam eiuſdem incarnationis, nec non poſſibilitatem incarnationis aliarum Perſonarum, minimè cognoſci per actum illum Fidei, quo immediatè creditur exiſtentia reuelata incarnationis Verbi. Ratio huius partis pendét ex alio principio, communiter ab Authoribus, *tract. de Fide.* admiſſo; quod nunc diſcurſum noſtrum firmabit: poſsibilitas extrinſeca incarnationis, & poſsibilitas incarnationis duarum aliarum Perſonarum, continentur in exiſtentia incarnationis Verbi, hîc & nunc reuelata; ita vt ex illa prædictæ poſsibilitates inferantur. Ergo actus Fidei attingens incarnationem Verbi reuelatam minimè attingit poſsibilitatem extrinſecam ſui, nec poſsibilitatem incarnationis duarum Perſonarum. Antecedens habet duas partes, quoad primam, nempe quoad poſsibilitatem extrinſecam incarnationis Verbi, probo: nam poſsibilitas extrinſeca incarnationis Verbi, eſt potentia Dei illius factiua. Sed hæc continetur obiectiuè virtualiter, in exiſtentia incarnationis Verbi, & ex iſta, à poſteriori, euidenter infertur illa. Ergo poſſibilitas extrinſeca incarnationis Verbi, continetur obiectiuè, in exiſtentia incarnationis Verbi, & ex hac illa euidenter infertur. Conſequentia patet, nam poſſibilitas extrinſeca rei, eſt potentia productiua illius; ex quo manet probata maior. Minor patet, ſiquidem ſyllogiſmus hic concludit: quidquid exiſtentiam habet, ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam. Sed incarnatio Verbi habet exiſtentiam. Ergo ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam. Ergo potentia Dei, incarnationis Verbi productiua, virtualiter obiectiuè continetur, in exiſtentia incarnationis eiuſdem reuelata, aliàs hæc illam minimè euidenter inferret. Quoad alteram partem, nempe quoad poſſibilitatem incarnationis cæterarum Perſonarum, probo antecedens, nam hîc ſyllogiſmus concludit. Quoties aliqui duo effectus, in perfectione æquales, continentur æqualiter in aliqua eorum potentia productiua, & ſub aliqua ratione ſuperiori, ambobus communi, ex eo quòd vnus hic exiſtat, optimè infertur, alium poſſe exiſtentiam habere: ſed incarnatio Verbi, & incarnatio Patris, & Spiritus ſancti, æqualiter continentur, in omnipotentia Dei, & aliàs iſtæ tres incarnationes, æqualiter continentur ſub aliqua ratione ſuperiori, illis communi, nempe ſub incarnatione vt ſic. Ergo ex eo, quòd incarnatio Verbi, hîc & nunc exiſtat, optimè colligitur, cæteras incarnationes poſſe exiſtentiam habere. Nunc ſic: Ergo actus Fidei, quo exiſtentia incarnationis reuelatæ attingitur, nullo modo poſſibilitatem illius extrinſecam, nec poſſibilitatem cæterarum incarnationum attingit. Conſequentia patet: nam nulla iſtarum poſsibilitatum continetur formaliter, ſaltem confuſe, in exiſtentia incarnationis reuelatæ, ſicut diximus in illa confusè contineri, eius intrinſecam poſſibilitatem: ſed ſolùm in prædicta exiſtentia continentur arguitiuè,

guitiuè, & per illationem, quatenus ex ſemel cognita exiſtenria incarnationis Verbi, poſſumus illos ſyllogiſmos formare, & per euidentem conſequentiam, præaſſignatas poſſibilitates deducere. Ergo iſtæ minimè conrinentur formalirer confuſe, in reuelatione exiſtentiæ Vethi incarnationis. Ergo formalitet conconfuſè minimè continentur in obiecto Fidei: ſiquidem in hoc, id ſolùm continetur, quod formaliter eſt reuelatum, non verò illud, quod deducitur ex reuelatis. Ergo rales poſſibilitates, minimè attinguntur per actum Fidei, quo creditur exiſtenria incarnationis Verbi. Diſcurſus iſte vim habet in quodam principio, à ſanctiſſimò Doct. & ab eius diſcipulis poſito: Etenim *1. p. q. 1. art. 2.* decernit Angelicus Doctor vniuerſaliter, quidquid deducitur ex reuelatis, quod ab illis diſtinguitur, non cognoſci per actum Fidei, quo reuelata, ex quibus inferuntur, cognoſcuntur, ſed mediâ cognitione diſcurſiua.

134. Reſpondebis: in illis ſyllogiſmis, in quibus aliqua præmiſſa ſolùm ſe habet, vt applicans intellectum ad aſſenſum concluſionis, non verò illam cauſans, non aſſenritur concluſioni propter præmiſſas, quòd deſideratur, vt obiectum concluſionis per verum diſcurſum cognoſcatur; vnde ſyllogiſmi illi quibus concludebamus poſſibilitates prædictas, conrinent vnam præmiſſam, quæ ſolùm applicat intellectum, ad aſſenſum concluſionis, illum diſponendo, minimè verò concluſionem cauſans; itaque tam procul eſt, quòd præmiſſa illa ſit motiuum, propter quod intellectus aſſentiatur concluſioni, quin potiùs dicatur applicatio motiui, nempe reuelationis, vt contingit in concloſionibus mediatè reuelatis, vbi præmiſſa vna naturalis, ſolùm eſt applicatio reuelationis, quæ eſt motiuum, ſicut definitio Eccleſiæ, in ſententia Communi, ſolùm ſortitur rationem applicationis reuelationis rei definitæ, & nullo modo motiui, ita vna ex præmiſſis illorum ſyllogiſmorum, ſolùm eſt applicatio diuinæ reuelationis, qua reuelata eſt exiſtentia incarnationis Verbi, vt intellectus aſſenriatur illis concluſionibus, in quibus prædictæ poſſibilitates inferebantur: quapropter Fide, & non diſcurſu cognoſci debent.

135. Sed replicabis: nulla præmiſſa illorum ſyllogiſmorum, eſt ſolùm pura applicatio motiui ad aſſenſum concluſionis. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo: & ſumamus vnum ſyllogiſmum; omne quod exiſtenriam habet, ſupponit in Deo potentiam productiuam ſui. Sed incarnatio Verbi, habet exiſtentiam. Ergo ſupponit in Deo potentiam illius productiuam. Vbi poſſibilitas extrinſeca incarnationis, ex præmiſſa neceſſaria naturali, quæ eſt maior, & ex præmiſſa de Fide ſolùm certa, quæ eſt minor, deducitur: At ſi aliqua eſſet ſolùm applicatio reuelationis, tanquam motiui ad deducendam talem poſſibilitatem, eſſet maior, vt fatetur ſolutio adducta, quod eſt falſum. Ergo nulla præmiſſa illorum ſyllogiſmorum, eſt ſolum pura applicatio motiui ad aſſenſum concluſionis. Probo minorem; diuerſam habet dependentiam aſſenſus Fidei, à definitione Eccleſiæ, ac habet concluſio illa, à præmiſſa naturali neceſſariò vera. Sed aſſenſus Fidei dependet ſolùm à definitione Eccleſiæ, tamquam à conditione applicante motiuum, hoc eſt, diuinam reuelationem. Ergo præmiſſa naturalis neceſſariò vera, non eſt pura applicatio motiui, ſeu diuinæ reuelationis. Maiorem probo, nam concluſio iſta, & quæuis alia, ex vna naturali neceſſariò vera, & ex alia, certa de Fide, deducta, dependet eſſenrialiter à præmiſſa naturali, tamquam à vera cauſa mouente. Ergo diuerſam habet dependentiam concloſio iſta ab illa præmiſſa, ab ea, quam aſſenſus Fidei habet à definitione Eccleſiæ, à qua ſolùm vt conditione dependet. Probo antecedens: ideo aſſenſus Fidei dependet à definitione Eccleſiæ tamquam à conditione, quia dum rei definitæ aſſentimus, non agnoſcimus definitionem, vt diſtinctam ab authoritate diuina, tamquam cauſam veram illius aſſenſus. At concluſio aſſignata, agnoſcit præmiſſam naturalem neceſſariò veram, vt à præmiſſa de Fide certam, tamquam veram ſui cauſam. Ergo concluſio iſta dependet eſſenrialiter à præmiſſa naturali neceſſariò vera, tamquam à veta cauſa, ab Eccleſiæ definirione, vt diſtincta à diuina authoritate, quia dum de illo reſolotionem facimus, non reducimus illum ad Eccleſiæ definitionem, ſed ſolùm ad reuelationem, & ad diuinam authoritatem; Atqui in reſolutione concluſionis illius, reducimus illam ad præmiſſam naturalem neceſſariò veram. Ergo concluſio aſſignata agnoſcit præmiſſam naturalem neceſſariò veram, vt à præmiſſa de Fide certam, tamquam veram ſui cauſam. Maiorem ſuppono ex communi. Minor patet, nam interrogati, quare in Deo datur potentia incarnationis productiua, non reſpondemus, quia Deus reuelauit, ſed quia incarnatio exiſtit, & omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam productiuam ſui. Ergo concluſio illa reſoluitur verè, in præmiſſam naturalem neceſſariò veram. Antecedens probo, nam eo modo reſpondentes reſoluimus prædictam concluſionem, in illam maiorem naturalem, ac ſi minor eſſet etiam naturalis. At dum minor eſt naturalis, reſoluimus illam concluſionem, in prædictam maiorem. Ergo etiam in noſtro caſu, reſoluimus eam, in maiorem illam. Maiorem expendo. Fac ſyllogiſmum hunc: *Omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam. Sed hic liber exiſtit. Ergo hic liber ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam.* In hoc ſyllogiſmo præmiſſæ ſunt naturales: & in vtramque, ex æquo, concluſionem illam reſoluimus: nam interrogati, quare liber hic ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam, reſpondemus, quia hic liber exiſtit, & omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam ſui productiuam. Sed eo modo reſpondemus in noſtro ſyllogiſmo, in quo minor eſt certa de Fide, nam interrogati, quare incarnatio ſupponat in Deo potentiam ſui productiuam, reſpondemus, quia incarnatio exiſtit, quæ eſt minor de Fide; & quia omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam ſui productiuã, quæ eſt maior, lumine naturali certa. Ergo eo modo reſpondentes reſoluimus prædictam concluſionem, in maiorem naturalem, quando minor eſt de Fide, ac quando eſt naturalis.

Reſpon

136. Reſpondebis, diſparem eſſe rationem, nam quando præmiſſæ ſunt naturales, cenſentur cauſa illius concluſionis, ſecus quando vna eſt naturalis, & alia de fide. ratio, nam eatenus præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis, quatenus conſtituunt vnum, & integrum medium, quod in illis ſyllogiſmis, eſt *exiſtens*. at exiſtens, vt coniunctum cum incarnatione, euidenter non coniungitur, ſed ſolùm ex fide, quia vt ſupponimus, incarnationem exiſtere, non eſt naturaliter intellectui euidens, nec probabiliter, quandò verò in præmiſſa minori coniungitur *exiſtens cum libro*, talis coniunctio eſt euidens naturaliter; atque adeo ex omni parte integrant præmiſſæ naturaliter euidenter, vnicam cauſam concluſionis euidentis, quam integrare nequeunt præmiſſæ, quarum vna eſt naturaliter euidens, & altera de fide, quæ euidens non eſt. Ergo ex vno ſyllogiſmo ad alium non poteſt ſumi probatio.

137. Sed replicabis; exemplum illud non petiuiſſe identitatem in omnibus; ſed in eo, ad quod deuincendum affertur: & conceſſa differentia, quam adducit ſolutio in illis præmiſſis, aſſerimus minorem illam de fide, etiam eſſe cauſam concluſionis, ex illa deductæ, ac eſt minor naturalis, cauſa ſuæ concluſionis, quæ ex illa, in altero ſyllogiſmo infertur: quod ſic probo, nam ly *exiſtens*, etiam vt coniunctum cum incarnatione, æquè certè concurrit ad hanc concluſionem. Ergo incarnatio Verbi ſupponit potentiam in Deo productiuam illius, ſicut ly *exiſtens*, vt coniunctum cum libro, concurrit ad alteram concluſionem, nempe. Ergo hic liber ſupponit in Deo potentiam illius productiuam. At exiſtens coniunctum cum libro, eſt cauſa vera talis concluſionis. Ergo exiſtens coniunctum cum libro, eſt cauſa vera ſuæ concluſionis. Probo maiorem, quia etiam in incarnatione, *exiſtens* neceſſariò connectitur connexione à poſteriori, cum potentia Dei productiua. Ergo quando ly *exiſtens* applicatur ad inferendam potentiam Dei productiuam incarnationis, applicari debet, vt vera cauſa talis aſſenſus. Siquidem ſicut cauſalis hæc eſt vera, liber hic infert potentiam Dei productiuam, quia exiſtens eſt, ita hæc altera debet eſſe vera, ideo incarnatio infert potentiam in Deo illius productiuam, quia incarnatio hæc exiſtens eſt. Fateor, quòd in primo caſu, ly *exiſtens* cauſat concluſionem, quoad eius euidentiam, in poſteriori tamen, eam cauſat ſolùm, quoad eius certitudinem.

138. Argues doctrinam hanc, in qua dedimus, præmiſſam illam naturalem, nempe, omne exiſtens ſupponere in Deo potentiam illius productiuam, eſſe verum motiuum, & cauſam illius cócluſionis, videlicet. Ergo incarnatio ſupponit in Deo potentiam illius productiuam, pugnare cum communi placito Thomiſtarum, ſequentium ſanctiſſimum Doct. 1. *p. q.* 1 *art.* 5. *in ſolut. ad* 2. vbi aſſerit. Quòd integra cauſa motiua in ſcientia Theologiæ, eſt reuelatio diuina, cætera principia naturalia aliarum ſcientiarum, ſolùm eſſe diſpoſitiones, manuducentes intellectum ad aſſenſum Theologicum. Ergo quando inferenda eſt concluſio Theologica, qualis eſt prædicta concluſio, nempe, incarnatio ſupponit potentiam illius productiuam io Deo, non concurrit ad eam, vt cauſa verè mouens, præmiſſa euidens, naturalis, videlicet omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam illius productiuam: ſed tantùm vt applicatio, qualiter inductio concurrit ad principiorum cognitionem. Ergo concluſio illa eſt immediatè de fide, cùm innitatur immediatè diuinæ reuelationi.

Reſpondeo. Proloquium illud Thomiſticum. 139.
nobis ſuffragari, quia in tali loco ſanctiſſ. Doct. diſcrimen ponit inter Theologiam, & alias ſcientias, ea videlicet ratione, quòd Theologia aliis ſcientiis vtitur, vt domina, non tamen ex neceſſitate ipſius, ſed ex indigentia intellectus noſtri, cuius rationem dat, quia diuina reuelatio, cui etiam innititur, ſufficiens eſt ex ſe ad cognoſcenda omnia obiecta, verùm noſter intellectus eget naturalibus principiis, quæ diuinam reuelationem applicent vt plures concluſiones inferat. Vnde mens noſtra plures concluſiones deducit ſine ſuffragio reuelationis, ſcientia Theologiæ nullam eliciet, ſine reuelatione, & abſque principiorum conſortio; ſed cum hac differentia, quòd vſus principiorũ à Theologia minimè petatur ex ſe, vt hæc vel illa obiecta cognoſcat certò: ad hoc enim ſibi reuelatio ſufficit, verùm talis vſus ab illa petitur ex neceſſitate intellectus, non valentis concluſiones Theologicas deducere, niſi à principiis naturalibus ſimul moueatur. Ecce quomodo intellectus noſter, eliciens concluſionem ſæpè datam, non mouetur immediatè à diuina reuelatione, ſed ab illa, vt à principio naturali applicata, ad inferendam concluſionem illam Theologicam.

Argues 2. ſi aſſenſus iſte eſſet Theologicus, 140.
ſupernaturalis eſſet. At ſi eum cauſaret præmiſſa naturalis, vt verum motiuum, & non vt conditio, ſupernaturalis non eſſet. Ergo vel illum non cauſat, vel talis aſſenſus non eſt Theologicus, atque adeo erit immediatè de fide, quia ad aliud genus cognitionis nequit talis aſſenſus reduci. Probo minorem, cætera patent. Siquidem ſi talis aſſenſus ſupernaturalis eſſet, maximè, quia cum cauſat præmiſſa, quæ ſupernaturalis eſt. At per nos, etiam illum cauſat naturalis præmiſſa. Ergo talis concluſio ſupernaturalis non eſſet. Maior & minor ſunt securæ. Conſequentiam probo, nam inter præmiſſas illas, inferior, & deterior eſt naturalis; ſed concluſio ſequitur debiliorem partem, illam cauſantem. Ergo ſi oaturalis præmiſſa cauſat concluſionem, hæc naturalis euadet, quamuis in illam ſupernaturalis influxerit. Minor eſt proloquium à cunctis admiſſum, quapropter ſi præmiſſa aliqua de fide, ſimul cum præmiſſa probabili, concurrerint ad concluſionem cauſandam, hæc probabilis naſcetur. Ergo ob eamdem rationem ſi præmiſſæ, quarum vna naturalis, & altera de fide in concluſionem influxerint hæc naturalis, & non ſupernaturalis euadet.

Reſpondeo, concedendo maiorem, & diſtin- 141.
guo minorem, ſi eum cauſaret præmiſſa naturalis vt motiuum, ſupernaturalis non eſſet; ſi eum cauſaret ſecundùm inſitam naturalem virtutem, nullo modo eleuatam, concedo: ſi eum cauſaret ſecundùm virtutem eleuantem, nego, & nego conſequentiam. Ad probationem minoris, concedo maiorem: & diſtinguo minorem,

at præmiſſa naturalis illum aſſenſum cauſat, ſecundùm ſuam naturalem virtutem, nego, ſecundùm virtutem illam eleuantem, concedo, & nego conſequentiam. Ad cuius probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Sed concluſio ſequitur debiliorem partem, quando pars dibilior operatur, ſecūdùm ſuam virtutem præcisè, concedo, quando operatur, vt eleuata a ſuperiori, cui coniungitur, nego: quæ explicatio reperitur vera in principiis pluribus, ſimul concurrentibus ad producendum vnum effectum, nam licèt illorum vnum ſit naturale, nempe intellectus, aut voluntas, & aliud ſupernaturale, nempe lumen gloriæ, aut charitas, tamen effectus, non naturales, ſeqoentes deteriorem partem principij naturalis., ſed ſupernatur ales quoad ſubſtantiam, vt viſio beata, & actus charitatis eliciuntur, quia videlicet intellectus, & voluntas in illos non influunt, ſecundùm ſuas naturales virtutes, ſed vt eleuati per habitus ſupernaturales. Nec maiorem vim habet illa altera probatio, nam non præcisè, quia præmiſſa probabilis deterior eſt, aut inferior præmiſſa de fide, concluſio ſolùm probabilis naſcitur, ſed quia inferior, & nullo modo eleuabilis à præmiſſa de fide, concluſionem infert, præmiſſa enim probabilis, eſt eſſentialiter incerta, & formidoloſa, atque adeo ineleuabilis à præmiſſa de fide, cui coniungitur, at verò, quando vna præmiſſa eſt naturalis, & ideo inferior, ſed euidens vt in noſtris ſyllogiſmis ſupponitur, poteſt tunc eleuari à præmiſſa de fide, cuius certitudini non opponitur euidentia naturalis, quia non eleuatur, vt det euidentiam concluſioni, quam cauſat, ſed ſolùm certitudinem, quæ minimè pugnat cum certitudine, quam ipſa concluſio ex præmiſſa de fide participat.

142. Argues vlteriùs ex doctrina iſta, & reſolutione noſtra ſequitur, quòd aliquid ſupernaturale intrinſecè, ab aliquo naturali dependeat, omnis enim effectus eſſentialiter à ſua cauſa dependet. Ergo ſi concluſionem hanc Theologicam, quam ſupernaturalem profitemur, cauſat præmiſſa illa naturalis. Ergo iam aliquod ſupernaturale pendebit à naturali. 2. Sequitur, cognitionem naturalem, nempe præmiſſam illam, omne exiſtens ſupponit in Deo potentiam illius productiuam, eſſe certiorem altera cognitione, videlicet, incarnatio ſupponit potentiam in Deo illius cauſatiuam, quæ ſupernaturalis eſt; ratio, nam in omni diſcurſu, præmiſſæ ſunt concluſionibus certiores. Iſta abſurda eſſe, negabit nemo. Ergo & noſtram doctrinam.

143. Reſpondeo, inconueniens eſſe, quòd id, quod ſupernaturale ſimpliciter eſt, dependeat ab illo, quod eſt ſimpliciter naturale, ſecundùm ſuam naturalem virtutem minimè eleuatam; non tamen inconueniens eſſe, quòd dependeat à naturali, vt eleuato reduplicatiuè, qualiter dicimus concluſionem ſupernaturalem pendere à præmiſſa naturali, vt eleuata ab altera, quæ eſt ſupernaturalis, & de fide: vi cuius eleuationis redditur naturalis præmiſſa, potens proximè concluſionem illam elicere, quæ licet entitatiuè ſupernaturalis ſit, & abſolutè infuſa: tamen ex qua parte, præmiſſa, per quam acquiritur, eſt naturalis entitatiuè, poteſt appellari concluſio acquiſita. Secundum verò inconueniens facilè vitatur, ſiquidem duplex eſt exiſtimanda certitudo cognitionis. Vna, ex parte obiecti motiui formalis, & alia, ex parte modi tendendi. Aſſerimus inconueniens eſſe, præmiſſam naturalem certiorem eſſe concluſione ſupernaturali, ex parte motiui formalis obiecti; non verò ex parte modi tendendi, hoc eſt quòd præmiſſa naturalis tendat, per modum principij, & ideo per modum independentis à concluſione, concluſio verò, quippe effectus, per modum à præmiſſa dependentis: & ſic eſt præmiſſa certior concluſione, certitudine independentiæ, non verò certitudine rationis formalis obiectiuæ.

Inferes habitum illum inclinantem ad illam, 144.
& ſimiles alias concluſiones eliciendas, non eſſe ſpecialem virtutem Theologicam, à fide ſimpliciter diſtinctam. Sed ad fidem aliqualiter reductam, cum idem, ac fides, motiuum reſpiciat; non latet, diuerſo modo ab habitu iſto, & à fide, prædictum motiuum reſpici, ſed hoc non impedit, quominus ad fidem talis habitus reducatur; ſicut dici ſolet de ipſa fide, quæ licèt diuerſo modo attingat idem motiuum formale obiectiuum, ac lumen gloriæ, dicitur ad hoc eſſe reducendam, nec fidem eſſe virtutem Theologicam, ſimpliciter diſtinctam ab ipſo lumine. Idem conſtat ex dicendis *tract. de ſpectantibus ad intellectum Christi, diſp.* 3. vbi defendimus cum communi, habitum ſcientiæ infuſæ, eſſe diſtinctum à lumine gloriæ, & à fide, vtpote diuerſo modo tendente, in motiuum formale illis commune, & tamen ad fidem aliqualiter fore reducendum, non pauci edocent: & idipſum experimur, in cognitione ſupernaturali, piam affectionem ad credendum antecedente, quæ tam, etſi fides formaliter non ſit, ad eam dicitur reduci; ita habitus iſte, cum concluſiones iſtæ, ad quas inclinat, ſpectent ad fidem dicitur ad eam reductus.

Argues vltimò: concluſionem noſtram, quoad 145.
vtramque partem, eſſe communibus principiis abſonam. Siquidem nos non ſemel diximus, poſſibilitatem extrinſecam incarnationis, & poſſibilitatem incarnationis cæterarum Perſonarum, virtualiter eſſe contentas, in exiſtentia reuelata incarnationis Verbi. Ergo negare non poſſumus attingi ab ipſo actu fidei, quo talis exiſtentia creditur. Conſequentia patet. nam proloquium eſt commune diſcipulis ſanctiſſ. doct. docentis, quidquid continetur virtualiter in obiecto reuelato, per eumdem actum fidei, quo obiectum reuelatum cognoſcitur, debere attingi. Ergo ſi conceditur prædictas poſſibilitates virtualiter contineri, in exiſtentia incarnationis Verbi reuelata, negari non poterit per eumdèm actum fidei, attingentem prædictam exiſtentiam, tales poſſibilitates cognoſci. Antecedens, etſi communiter admiſſum, probatur, nam illud, quod virtualiter contineri in obiecto reuelato, poteſt ab Eccleſia definiri tamquam certum de fide: & definiuit de facto, dum in Chriſto decreuit duas voluntates, quia in ipſo duæ naturæ, in quibus virtualiter duæ voluntates continebantur, erant inuentæ: quæ quidem naturæ aliàs de fide erant: vnde communiter dicitur, Eccleſiam, propoſitionem nullam de fide facere, ſi antecedenter certa non erat de fide, ergo virtualiter in obiecto reuelato contenta,

ad

ad fidẽſpectare videntur. Confirmatur.nam habitus ille fidei,qui inclinat ad obiectum reuelatum,inclinat ad ea,quæ in illo virtualiter continentur. Ergo hæc ſpectant ad eamdem fidei cognitionem.Antecedens probo,ſuppoſita Eccleſiæ definitione terminata ad ea,quæ in obiecto, antecedenter expreſsè reuelato, virtualiter continebantur,ſtatim habitus idem fidei inclinat ad ea credenda.Ergo ante talem Eccleſiæ definitionem,ille habitus fidei inclinat ad illa credenda, in homine habente euidentiam, de continentia virtuali talium obiectorum,in obiecto expreſsè reuelato. Antecedens eſt principium. Conſequentiam probo,ſiquidem cognitio illa euidens in eam habente,obtinet locum definitionis Eccleſiæ. Ergo ſi ſuppoſita Eccleſiæ definitione, habitus fidei inclinat formaliter ad illa credenda, etiam ante illam ſuppoſita euidenti cognitione virtualis cognitionis talium obiectorum in obiecto reuelato,inclinabit ad illa formaliter credenda. Antecedens explicatur. Siquidem in hoc differt habitus primi principij alicuius ſciẽtiæ, ab habitu fidei; quòd ſcilicet in ſcientia, tametſi ſupponatur euidentia continentiæ concluſionis in principio habitus principij, nullo modò formaliter inclinat ad aſſensũ concluſionis; at verò in fide ſuppoſito vnó è duobus,vel euidentiâ prædictæ continentiæ vel declaratione Eccleſiæ, definitiua habitus fidei, formaliter inclinat ad credendum ea,quæ euidenter cognoſcit in obiecto reuelato contineri.Ergo euidentia illa locum habet definitionis Eccleſiæ in eo, qui illam habet. Ergo ſi poſita definitione habitus fidei,antecedens formaliter inclinat ad illa credenda, ita ante illam ad ea credenda inclinabit in illo, qui euidentiam habuerit, quòd prædicta obiecta virtualiter in obiecto reuelato fuerint contenta.

146. Reſpondeo diſtinguens antecedens,nos diximus poſſibilitates aſſignatas contineri virtualiter, in exiſtentia incarnationis, reuelatâ continentia virtuali formali, concedo. Continentiâ purè virtuali,nego,& nego conſequentiam. Ad huius probationẽ diſtinguo proloquium, quidquid virtualiter continetur in obiecto reuelato, per eumdem fidei actum attingitur,ac ipſum reuelatum obiectum,ſi virtualiter formaliter contineatur,concedo. Si purè virtualiter contineatur,hoc eſt,arguitiuè,& cauſaliter,nego;& nego conſequentiam iuxta ſenſum expoſitum.Itaque poſſibilitates illæ,continentur virtualiter purè, in exiſtentia reuelata incarnationis Verbi,vt vidimus in probatione ſecundæ partis concluſionis noſtræ;poſſibilitas verò illius intrinſeca,virtualiter formaliter;atque adeò hæc,& non illæ per actum fidei cognoſcuntur.Ad probationem illius communis proloquij concedo antecedens, quoad primam partem;quoad ſecundam, nempe Eccleſiam, nullam propoſitionem facere de fide, quæ antecedenter non erat de fide, diſtinguo,quæ antecedenter non erat de fide mediatè ſaltem, concedo, quæ antecedenter immediatè non erat de fide,nego.Et diſtinguo conſequens. Ergo virtualiter contenta in obiecto reuelato, ſpectant ad fidem,virtualiter purè contenta ſpectant ad fidem mediatam, concedo,immediatè, nego.Vnde propoſitio illa,videlicet,Eccleſiam, nullam propoſitionem facere de fide, quæ ſaltem virtualiter ante definitionem aliquo modò de fide non erat,ſenſum hunc accipit,quòd Eccleſia,quando veritatem aliquam decernit,diuinum teſtimonium,quod in ſe habet,ad illam applicat.Etenim vt fert communis, Eccleſia habet in ſe diuinum teſtimonium,quod ad omnes res, quas definit,applicat, quapropter dicitur Concilium in Spiritu ſancto congregatum legitimè; & hoc eſt in cauſa, quòd poſita definitione, ad iſtam vel illam veritatem terminata,tranſeat res de non eſſe immediatè de fide,ad eſſe de fide immediatè,non præcisè,quia talis Eccleſiæ definitio ſit ratio formalis, reddens illam immediatè de fide,ſed quia poſitio noua definitionis eſt poſitio noua applicationis diuini teſtimonij, per illam ad hanc veritatem applicati: quod manifeſtum fit ex eo, quòd poſſit dari aliqua definitio Eccleſiæ de veritate aliqua, & hanc non tranſire ad eſſe certam immediatè de fide; vt ſi definiret Concilium, aliquid eſſe de fide prout in obiecto reuelato continebatur,tunc enim tale illud ſolum maneret de fide mediatè.

147. Ad confirmationem ibidem allatam,reſpondeo,diſtinguo antecedens,habitus ille fidei, qui inclinat ad obiectum reuelatum,inclinat ad ea, quæ in illo continentur virtualiter,ſi virtualiter formaliter contineantur, concedo. Si purè virtualiter contineantur,nego,& nego conſequentiam.Ad probationem antecedentis,cõcedo antecedens,& nego conſequentiam. Ad probationem nego diſcrimen illud inter aſſignata extrema eſſe verum, quia habitus fidei, ex ſe nullo modo inclinat formaliter,ad concluſionẽ Theologicam, vt concluſio eſt reduplicatiuè,quia licèt formaliter ad illam inclinat,quando immediatè à Concilio definitur,tunc non dicitur inclinari formaliter ad concluſionem, reduplicatiuè vt talem,ſed tamquam ad veritatem immediatè reuelatam, quatenus per definitionem, in illam immediatè tendentem, applicatur reuelatio,vt in illam immediatè cadat.Vnde eadem diuina reuelatio, cùm ſit extrinſecum motiuum; poteſt eamdem veritatem iam mediatè,ante declarationem ſcilicet Eccleſiæ, iam immediatè, poſita videlicet prædicta definitione reſpicere. Contrarium inuenitur in primo principio,quia cùm eius motiuum ſit illi intrinſecum, nequit vllo modo concluſionẽ ex illo illatam reſpicere.

148. Colliges exiſtentiam incarnationis,poſſe ſupernaturaliter pluribus modis cognoſci. 1. Per fidem,vt omnes viatores cognoſcunt. 2. Viſione beata,vt comprehenſores. Tertiò mediâ notitiâ euidenti internâ,qua quis euidenter cognoſceret aliquem actum ſupernaturalem,infallibilem intentionalem connexionem habentem, cum incarnatione;quod poſſe fieri explico;nam ſi Deus mihi oſtendat euidenter,actum fidei aut viſionis beatæ,hoc myſterium repræſentantem hoc ipſo euidenter abſtractiuè cognoſcerem myſterium hoc, vt latè dabimus *tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti,diſp.3.*vbi ſimilem cognitionem aſſignabimus Chriſto de Myſterio Trinitatis,vbi rationẽ iſtius doctrinæ latiſſimè dabimus. 4. Media cognitione intuitiua ipſius incarnationis, qualem habere Chriſtũ docebimus citato loco.

149. Sed oppones contra iſtum quartum modum cognoſcendi incarnationem.nam vel talis intuitio eſſet viſio beata,vel non.Neutrum,ergo.Ino-

primis negatis eſſe beatam. Ergo impoſſibilis eſt intuitio incarnationis. Probo, nam talis cognitio, eſſet intuitio vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, nam in hoc conſiſtit incarnatio. Sed non eſt poſſibilis intuitio iſtius vnionis, quæ non ſit beata viſio. Ergo ſi talis cognitio non eſt beata, nec erit intuitio incarnationis. Probo minorem, nequit videri vnio humanitatis cum Verbo, quin iſtud ſimiliter attingatur ex vi talis cognitionis; ſed cognitio attingens Verbum eſt Beata. Ergo intuitio vnionis nequit non eſſe beata. Maiorem probo, nequit intuitiuè cognoſci talis vnio, quin eius ſpecificatiuum, quod eſt Verbum diuinum, attingatur. Ergo nequit vnio hypoſtatica videri, quin Verbũ videatur. Rurſum maiur illa patet, ſiquidem vnio illa, eſt relatio ſaltem tranſcendentalis ad Verbum. Sed relatio videri nequit, non cognito termino. Ergo nequit videri vnio, non cognito Verbo, quod eſt illius terminus. Minor patet, nã ob hanc rationẽ, Pater æternus nequit intuitiuè videri, quin Filius videatur.

150. Reſpondeo, talem intuitionem non eſſe beatam, & nego ſecundam conſequentiam. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem, nequit eſſe vnionis intuitio, quin Verbum ex vi illius cognoſcatur, intuitiuè, nego, abſtractiuè concedo, nego, & diſtinguo conſequens ſed cognitio attingens Verbum, eſt beata, attingens illud intuitiuè, concedo, abſtractiuè, nego, & nego conſequentiam. Ad probationem maioris diſtinguo antecedens, nequit eſſe intuitio vnionis, quin eius ſpecificatiuum percipiatur, intuitiuè, nego, abſtractiuè, concedo. Et nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem illius maioris, concedo maiorẽ, & diſtinguo minorem, ſed relatio videri nequit, non cognito termino, abſtractiuè, concedo, intuitiuè, nego, & ſub eadẽ diſtinctione concedo, & nego conſequentiam. Ad probationẽ minoris reſpondeo non ideo ob illam rationẽ Pater nequit intuitiuè videri, quin & filius intuitiuè videatur, ſed quia Pater, & filius idẽtificãtur in vna natura indiuiſibili, vt latè dabimus *tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſp. 2.* & de cæteris, quæ in hac obiectione inuoluuntur *ibid. diſp. 3.* longiorem ſermonem dabimus.

DISPVTATIO TERTIA.

De conuenientia, & neceſsitate Dominicæ Incarnationis.

DVBIVM PRIMVM.

An conueniens fuerit Deum incarnari?

SECTIO VNICA.

Deum incarnari fuit conueniens Deo, humanitati, ex parte Matris, & temporis quo incarnatio eſt facta.

1. RESOLVTIO hæc plures partes habet, ſingulas vt probem, notare debes, vocabulum, *conueniens*, in proprio ſenſu Latino eſt idem, ac veniens cum alio, quod æquiualet, ac quod alicui bene eſt. Vnde duplicem acceptionem continet. Prima eſt, quod alicuius naturæ eſt conſentaneum, & naturale. Hoc modo conueniens dicitur homini ridere, & aquæ infrigidare, ſiquidem riſus homini, & infrigidatio aquæ eſt naturalis. Sed aduerte, quòd ly *naturale* non denotat ſolùm id conueniens alicui eſſe, quòd illi neceſſariò competit: ſiquidem plures, imo actiones omnes honeſtæ, naturæ rationali ſunt conuenientes, quamuis neceſſariò illi non conueniant, ſed liberè. Secunda acceptio conuenientis eſt, pro eo, quod decet, & alicui congruit, hoc eſt, pro eo, quod eſt bonum, & honeſtum alicui, ſiue illud ſit iuxta, vel ſupra eius naturam; hoc modo honor, & virtus ſunt naturæ intellectuali conuenientes.

2. Sumpto quouis modo *conueniens*, Deo incarnari fuit conuenientiſſimum. Ratio eſt, quam affert ſanctiſſ. Doct. hîc. Ad rationem boni conuenit ſeſe communicare, teſte Diuo Dionyſio *cap. 4.* Ergo quælibet boni communicatio, erit iuxta naturam boni. Ergo ſumma communicatio, erit iuxta naturam ſummi boni. Sed Deus eſt ſummè bonus. Ergo iuxta eius naturam erit, ſumma illius communicatio. At ſumma communicatio Dei ad creaturas, per vnionem hypoſtaticam fit. Ergo iuxta Dei naturam eſt, ſe communicare naturæ humanæ, per hypoſtaticam vnionem. Rurſum, communicare ſe per hypoſtaticam vnionem, eſt incarnari. Ergo Deum incarnari, eſt iuxta naturam Dei. Tunc ſic: ſed quod eſt iuxta naturam, eſt conueniens. Ergo incarnari Deum fuit illi conueniens.

Ratio hæc eſt omnium efficaciſſima, quæ vim habere debet in omni eo, quod boni rationem ſubit. Itaque difficultas, quæ illius efficaciam poteſt imminuere, eſt ſiniſtra intelligentia illius maioris, ex ſancto Dionyſio accerſita, nempe ad rationem boni conuenit ſeſe communicare: quæ hanc limitationem pati debet, vt vniuerſalem veritatem obtineat: videlicet, quòd omni bono conueniat ſui, alteri, communicatio in aliquo genere cauſæ, ſaltem finalis, alliciendo, & voluntatem mouendo ad ſui amorem: ſiquidem non cuicumque rei conuenit, ſui, alteri, communicatio in genere efficientis vt videre eſt in Angelo, cui talis communicatio non competit, licèt maximè bonus ſit. Itaque propoſitio illa Dionyſij reddit hunc ſenſum, quòd omni bono conueniat eſſe communicatiuum, & ſui diffuſiuum, per modum finis, & appetibilis, ſiquidem quodcumque bonum, appetitum mouet, & illum mouendo quodámodo ſe ad appetentem diffundit. 3.

Rurſum propoſitio illa, nempe, Dei ſumma communicatio per hypoſtaticam vnionem fit, limitanda eſt ad ſummam communicationem Dei ad extra: ſiquidem ſi prædicta communicatio conferatur, cum communicatione Dei ad 4.

intra

intra eſt minot iſta. Quia Deus eminentiori modo communicat ſe filio, per æternam generationem, & tertiæ Perſonæ mediâ ſpiratione æternæ, quàm communicatus fuerit in tempore, per incarnationem temporalem. Itaque collata iſta communicatione, cum cæteris communicationibus Dei ad extra, eſt cunctis maior. Siquidem triplici modo Deus humanitati communicauit ſe. Primò quaſi in genere cauſæ formalis, ſubſiſtentiam ſuam humanitati communicandò. Secundò in genere cauſæ efficientis, quia per verum effectiuum influxum humanitatem illam cum ſua ſubſiſtentia innexuit. Tertiò ſecundùm ratioñé generalem boni, nempe in genere cauſæ finalis; nam media incarnatione nos ad ſui amoré pertrahit. Ergo incarnari, fuit de conueniens.

5. Sed inſtabis perfectio eſt Dei communicatio ad extra, per viſionem beatam, quam per incarnationem. Ergo hæc adhuc, vt collata cum communicationibus ad extra, non eſt ſumma. Antecedens patet, ſiquidem per beatam viſionem communicat ſe Deus, ſecundùm omnes perfectiones abſolutas, & relatiuas, at per incarnationem ſolùm, ſecundùm relatiuam proprietatem, humanitati communicatur. Ergo illa maior eſt iſta communicatio. Secundò probo antecedens primum: ſiquidem communicatio per viſionem, eſt vitalis communicatio, communicatio verò per incarnationem, vitalis non eſt. At vitale perfectius eſt non vitali. Ergo perfectior eſt Dei communicatio, media viſione, quam media incarnatione.

6. Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem primam, diſtinguo maiorem, media viſione beata communicatur Deus, ſecundùm omnes proprietates abſolutas, & relatiuas, media ſubſtantiali vnione faciente, quòd proprietates illæ in recto prædicentur de creatura, & è contrà, nego, media accidentali vnione concedo, & diſtinguo minorem: at per incarnationem, ſolùm communicatùr ſecundùm proprietatem relatiuam, media vnione ſubſtantiali per ſe ſufficiente, vt ex ambobus extremis vnum compoſitum per ſe integretur, & quòd proprietates vnius in recto prædicentur de alio, concedo, & nego conſequentiam. Ad ſecundam antecedentis probationem, diſtinguo maiorem, communicatio per viſionem eſt vitalis, & accidentalis & in ratione obiecti extrinſeca, concedo: eſt vitalis, & ſubſtantialis, nego, & diſtinguo minorem: ſed vitale eſt perfectius non vitali, cæteris paribus, concedo, diſparibus cæteris, nego, & nego conſequentiam.

7. Præterea primam illam partem concluſionis probo, quoad ſecundùm conuenientiæ gradum, videlicet, quòd incarnatio fuerit Deo decentiſſima: ſiquidem id, in quo perfectiones Dei ſummopere ſplendent, eſt Deo maximè honeſtum, & decens. Sed in opere incarnationis ſummopere ſplendent perfectiones Dei. Ergo incarnatio eſt Deo valde honeſta, & decens. Minor patet, imprimis ſplendet charitas, & Dei miſericordia, vt patet *ex Paulo ad Rom. 5. commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quia cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*. Magnum charitatis argumentum animam pro inimicis adhuc offerre. Sapientia ſplendet in architectanda tam miranda compoſiti ſtructura, & in modo ſuperandi, & eludendi dæmonis agmina & arces. Omnipotentia etiá relucet in coniunctione ſcilicet duorum extremorum, entitatiuè in infinitum diſtátium, Dei cum humanitate, ſummi ſpiritus cum tam infima materia, *teſte diuo Luca 1. fecit potentiam in brachio ſuo*. Iuſtitia ſplendet, in ſolutione pretij pro peccato *iuxta illud ad Rom. 13. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*. eſt igitur Deo valde decens incarnatio, ex qua omnium ſuarum perfectionum collectio valde cómendatur. Quia licèt Deus per incarnationem, ſe exinanierit *iuxta illud Pauli ad Philippenſes 2.* Sed non cum iactura dignitatis, ſed cum oſtenſione mirabilis dignationis. Itaque exinanitio illa conſtitit non in eo, quòd aliquid ſuæ entitatis Deus amiſerit, ſed in eo, quòd ſe totum humanitati communicauerit, quæ Deo comparata, eſt veluti nihil. Ergo conueniens fuit Deo incarnatio, etiam prout conuenientia eſt idem ac decentia, & honeſtas.

Secunda concluſionis pars aſſerebat, incarnationem conuenientem eſſe humanitati. Patet, nam humanitas ex vi vnionis hypoſtaticæ, ad ſupremum dignitatis gradum fuit euecta; quem creatura aliqua pertingere valet: ſiquidem ex vi illius honor ſummus eidem accreuit, dignitas ad latriæ cultum, ſumma coniunctio, & conſanguinitas cum Deo, condignus valor ad ſatisfaciendum pro infinita iniuria Deo illata, eminentia capitis totius Eccleſiæ militantis, & triumphantis, tam hominum, quàm Angelorum, plenitudo gratiæ & gloriæ, communicatio theſaurorum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, poteſtas iudiciaria in creaturas cunctas, Regia authoritas ferendi leges, ſedes ad dexteram Dei, & tam ad altum felicitatis gradum, ex vi vnionis, fuit humanitas euecta, vt *cum D. Auguſtino, lib. de prædeſt. SS c. 5.* poſſimus de illa dicere, ad tantam, ac tam excelſam ſublimitatem fuiſſe eleuatam, vt quò attolleretur altiùs, non haberet. 8.

Tertia pars, nempe, incarnationem conuenientem eſſe conuenientiâ deſumptâ ex parte Matris: ita *ſanctiſſimus Doct. hic q. 31. art. 4.* quæ oſtenditur vt euidenter conſtaret veritas aſſumpti hominis; etenim vt ait *Aug. epiſt. 3. ad Voluſianum ante medium. Si omnipotens hominem vbicumque formatum, non ex materno vtero crearet, repentinum afferret aſpectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum ſuſcepiſſe vllo modo crederetur, & dum omnia mirabiliter facit, auferret, quod miſericorditer fecit? Nunc verò ita inter Deum, & homines, mediator apparuit, vt in vnitate Perſonæ copulans vtramque naturam, & inſolita ſolitis temperaret.* Secunda probatio eiuſdem, à ſanctiſſ. Doct. affertur ibidem, vt ſcilicet vtrumque ſexum naturæ humanæ, quam venerat exaltaturus; eueheret, virilem per terminationem ſubſtantialem; fœmineum per ſubminiſtrationem materiæ. Tertia huius probatio eſt, vt vi incarnationis omnem haberet diuerſitatem completam generatio humana, nam Adamus ſine viro, & fœmina fuit productus. Eua ex viro, ſed ſine fœmina. Cæteri verò Poſteri, ex viro, & fœmina generati ſunt. His tamen modis generandi peractis deficiebat terminus genitus ex fœmina ſine viro, vt igitur hic daretur, 9.

genitus eſt Chriſtus ſine viro,ſed cum fœmina.

10. Quarta pars, videlicet incarnationem eſſe conuenientem ex parte temporis ſuæ executionis,eſt eiuſdem ſanctiſſ.Doct.hîc *art.* 5.*&* 6. vbi aſſerit, incarnationem non debuiſſe fieri ante commiſſum peccatum, cùm in illius medelam ordinetur,nec oportuit incarnari ſtatim,ac peccatum eſt commiſſum. Primò quia Chriſti decebat dignitatem,vt antequam verbum,carnem aſſumeret, longa Prophetarum ſeries anteiret eius aduentum prænuntians,vt ſic expectarent ardentiùs, & amantiùs exciperetur. Secundò, nam cùm peccatum habuiſſet ex ſuperbia ortum, oportuit, quòd priùs humiliaretur homo, antequam à culpa redimeretur homo. Et hæc de incarnationis conuenientia.

DVBIVM SECVNDVM.

An ſumma incarnationis conuenientia, neceſſitauerit Deum ad eam exequendam.

11. NOtare debes ante reſolutionem,neceſſitatem eſſe duplicem. Phyſicam vnam, moralem aliam, & relicta morali infrà explicanda, neceſſitas phyſica variè ab Authoribus ſolet accipi. Ex repugnantia,ſeu connexione effectuum, ſecundùm ſe, quapropter quia implicat actio ſine termino, ex natura ipſius actionis, actio cum termino neceſſariò coniungitur,ſimilis eſt neceſſitas conſenſus,cum negatione diſſenſus de eodem obiecto, quia ex prædicatis intrinſecis repugnat ſimultas exiſtentiæ eorumdem,in eodem reſpectu eiuſdem. Aliter verò explicari poteſt phyſica hæc neceſſitas, nempe quæ ita exiſtit,vt eius oppoſitum ſine duplici contradictorio prædicato exiſtere nequeat. Aliter tamen explicari ſolet neceſſitas phyſica, nempe quando phyſicè repugnat oppoſitum euenire,quod tunc contingit,quando poſitis omnibus requiſitis ad operandum, ex parte cauſæ in actu primo proximo, non poteſt non eſſe operatio, vt accidit igni ſtupæ applicato, cum concurſu generali Dei,illi annexo,qui ſic poſitus, nullo modo valet non operari. Vnum tamen eſt certum inter omnes,quòd ille,qui phyſicè neceſſitatus eſt ad operandum hunc effectum, *A*, non poſſit illum omittere,vel oppoſitum illi phyſicè peragere.

12. Nota, Abaylardum apud Vualdenſem *lib.* 1. *doctrinalis,c.*10.cui ſubſcribunt Vbicleph *in trial. cap.*18. Lutherus *art.* 36. Buccerus,& Caluinus citati à Bellarmino *tom.* 3 *lib.* 3. *de gratia,& lib. arbitrio, cap.*15. Aſſerere Deum ex neceſſitate naturæ,incarnationem fuiſſe operatum,tametſi diuerſa ratione ducti, etenim Abaylardus, & Vuicleph ſpeciatim incarnationis non meminerunt,ſed generaliter aſſeuerant,Deum nullam operationem ad extra,per modum agentis liberi exequi,ſed per modum naturæ omnia operari. At verò cæteri negant libertatem Deo in incarnatione exequenda, licèt reſpectu aliorum effectuum,Deum ipſum agentem liberum euulgent,ſiquidem vt notauimus,vnio hypoſtatica, eſt opus excedens omnia opera Dei ad extra. At Deus neceſſitatur ad producendum optimum, exinde fit, Deum neceſſitatum eſſe ad incarnationem exequendam.

Raymundus verò Lullius,prædictũ vltimum aſſertum limitat, aſſerens neceſſariam eſſe incarnationem, ex ſuppoſitione quod mundus creatus fuerit, ſiquidem ex ſuppoſitione quòd Deus mundum creare decreuerit,liberè illi non fuit talem mundum, imperfecto modo producere: atqui ſine Deo incarnato eſſet hic mundus imperfectus; fit exinde, quòd ex ſuppoſitione quòd mundus creatus fuerit, neceſſarium fuit Deo incarnationem operari. 13.

Tandem alij incarnationem fuiſſe Deo neceſſariam, phyſicè, non abſolutè, & ſimpliciter, nec ex ſuppoſitione mundi productionis, ſed ex ſuppoſitione peccati ab Adamo commiſſi in poſteros deriuandi; ſiquidem ſuppoſito peccato, neceſſaria fuit Deo, hominis reparatio; atqui hæc non poterat aliter obtineri, niſi per incarnationem diuinæ Perſonæ. Ergo, &c. Maiorem ſuadent quia dedecet ſummum artificem, non perducere opus ſuum in finem, in quem illud creauit. Ergo cùm hominem in gloriam creauerit, non poterit non in ipſam gloriam, aliquos homines perducere. Atqui ſemel in peccatum lapſos, non poteſt ad gloriam adducere, niſi præſuppoſita reparatione. Ergo neceſſaria fuit Deo incarnatio: ſententiam iſtam ad ſcribunt Anſelmo *lib.*1.*cur Deus homo, c* 4.*&* 25. & Richardo de ſancto Victore *lib. de incarnatione Verbi, cap.*8. Iſtam ſententiam limitant alij, vt ſolùm talem neceſſitatem in Deo ponant, ſuppoſito decreto reparandi genus humanum,cum perfecta reparatione, nam perfecta reparatio ſolùm offerri poteſt à Perſona,quæ ſit diuina. Iſta limitatio attribui ſolet Bonauenturæ *diſt.* 20.*art.*1.*quæſt.*1. Abulenſi *in prologo ſuper Matth. q.*27.& Alenſi 3.*p. q.*1. His notatis. 14.

SECTIO I.

Incarnatio abſolutè accepta, non fuit Deo phyſicè neceſſaria, nec ſuppoſita voluntate mundum creandi,nec ſuppoſito peccato, nec voluntate illud reparandi.

QVatuor partes habet præfixa reſolutio,ſingulas breuiter oſtendam. Prima, nempe incarnationem abſolutè, & ſecundùm ſe acceptam, non fuiſſe Deo phyſicè neceſſariam, eſt certa de fide. Siquidem omnia ſacræ paginæ oracula decernunt,incarnationem eſſe inter omnia opera Dei maximum liberalitatis,& miſericordiæ ipſius erga homines beneficium, & diuinæ gratiæ argumentum,hominibus ſummè liberaliter præſtitum;ſi enim eſſet Deo neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter diuini Verbi incarnatio, quæ miſericordia, liberalitas, & ratio beneficij in eius executione ſplenderet? nec enim homines in eiuſdem incarnationis receptione,ad reddendum gratias Deo manerent obſtricti. Fieret rurſum Deum, ad ſui exiſtentiam conſeruandam,ſibi minimè ſufficere,ſed ad ſui exiſtentiam aliquo extra ſe indigere. Quod pugnat cum illo 15.

A.To.um 12. non indigens aliquo. Ergo incarnatio ſecundùm ſe accepta, non fuit phyſicè Deo neceſſaria. Sequelam probo, ſiquidem eo ipſo, quòd incarnatio phyſicè eſſet Deo neceſſaria, Deus exiſtere non poſſet, quin incarnationem extra ſe ponere. Ergo ſi Deus exiſtat neceſſe eſt incarnationem exiſtere. Ergo exiſtenria Dei eſſentialiter ab exiſtentia alicuius ad extra pendere diceretur. Hoc quàm barbarè dicatur, videbit quiſque.

16. Secundò id ipſum comprobat doctrina ſanctiſſ. Doct. pluribus in locis ab ipſo data. Etenim voluntas phyſicè neceſſitari nequit ad aliquod obiectum efficaciter proſequendum, niſi vno ex duobus modis, illi talis obiecti bonitas repræſentetur, aut quòd intellectus clarè ipſi proponat ſummam bonitatem obiecti, qualiter beatis contingit: vel quòd ita bonum prædictum obiectum appareat, vt nullam rationem mali in eo perſcrutetur, nec appareat, qua ratione omnes actus primò ptimi, neceſſarij omnino recenſentur. Vndefit, quòd vt voluntas diuina neceſſariò phyſicè incarnationem proſequatur, à fortiori in illa debet inuenire ſummam rationem boni, qnod ex terminis implicat, vel taliter bona debet ab intellectu repræſentari, vt nulla ratio mali reſplendeat in ipſa. At nec hoc modo incarnationis bonitas, poteſt diuinæ voluntati proponi. Ergo incarnatio non poteſt phyſicè eſſe diuinæ voluntati neceſſaria. Conſequentia patet ex illo principio in maiori deſignato, nam nullus modus inuentus eſt, neceſſitandi voluntatem phyſicè ad actum proſecutionis eliciendum, præter duos aſſignatos. Nunc probo minorem, quia intellectus diuinus incarnationis bonitatem ita repræſentabat, vt aliquas rationes malas, in ea inuentas, ſimul eius voluntati proponere. Ergo non ita bonam incarnationem voluntati diuinæ, eius intellectus propoſuit, vt aliquas rationes malas eiuſdem non propoſuerit. Antecedens patet, nam eo ipſo, quòd incarnationem propoſuerit, eam repræſentare debebat vt creaturam, ergo vt limitatam, & conſequenter vt defectuoſam. Secundò, idem antecedens probo, ſiquidem videbat intellectus diuinus, plura incommoda, ex poſitione incarnationis, hominibus propter illorum ingratitudinem ad tam præclarum fauorem ſucceſſura. Ergo taliter voluntati diuinæ, bonitas incarnationis repræſentabatur, vt ſimul plures rationes malas in ea permixtas conſpiceret.

17. Argues vtramque probationem ſimul impugnans: ſiquidem admiſſa probatione hac, adhuc manet locus concedendi Deo neceſſitatem phyſicam, reſpectu aliquorum extremorum extra Deum ponendorum. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo, nam Deus non poteſt non efficaciter proſequi exiſtentiam, vel non exiſtentiam cuiuſque entis creati: at nec in ea reſplendet ratio ſummi boni, nec ita bona repræſentatur, vt aliqua imperfectio in ea inuoluta non manifeſtetur, nec exinde ſequitur exiſtentiam Dei dependere à poſitione, vel non poſitione exercita alicuius creaturæ. Ergo nulla iſtarum rationum ſubſiſtit. Antecedens patet. Siquidem de qualibet creatura eſt neceſſariò verificabile, exiſtere vel non exiſtere. Ergo de diuina voluntate eſt neceſſariò verificandum, velle eam exiſtere, vel eam non exiſtere velle. Sed ratio hæc deficit in ſecundo antecedenti, nam iuxta principia Thomiſtica, recentiora admittentia in Deo puram omiſſionem, falſum eſt voluntatem diuinam, neceſſitatem illam diſiunctiuam paſſuram, ſiquidem vt aliqua res intelligatur non exiſtens, ſufficit ſupponere in voluntate diuina omiſſionem liberam decreti, quo eius exiſtentiam erat voliturа: vt latè dedimus *tract. de voluntate Dei, diſp.* 4. de libertate dei negatiua.

18. Argues præterea, quaſi doctrinam hanc impugnans. Siquidem ſtat bene intellectum diuinum eſſe neceſſitatum hac diſiunctiua neceſſitate cum qualibet creatura, licèt non dicatur ipſe ab illa abſolutè dependens. Ergo ex eo, quòd voluntas diuina ab exiſtentia, vel non exiſtentia creaturæ non dependeat, non rectè infertur ipſam prædictam neceſſitatem diſiunctiuam non habere. Antecedens probo; nam intellectus diuinus neceſſariò connectitur, aut cum exiſtentia creaturæ, aut cum illius non exiſtentia. Ergo neceſſitatus eſt hac diſiunctiua neceſſitate. Antecedens probo: nam intellectus diuinus non poteſt non tendere, aut in exiſtentiam creaturæ, aut in non illius exiſtentiam. Ergo connectitur eſſentialiter, aut cum exiſtentia, aut cum non exiſtentia, illius.

19. Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam: vel meliùs, diſtinguo antecedens, ſtat bene, intellectum diuinum eſſe hac diſiunctiua neceſſitate neceſſitatum ex indigentia ipſius, nego, ex indigentia creaturæ concedo, vel aliter, neceſſitatum ex ſuppoſitione exiſtentiæ vel non exiſtentiæ creaturæ, concedo, neceſſitatum abſolutè & antecedenti neceſſitate, nego. Et nego conſequentiam. Ad probationem, diſtingue antecedentia, quæ ſuccedunt, ſimili diſtinctione, & nega conſequentiam, vel diſtingue conſequentiam. Vnde intellectus diuinus ex ſe & in actu ſecundo, quantum eſt de ſe, paràtus eſt cognoſcere quidquid cognoſcibile eſt; verumtamen ipſe non petit, quòd res determinatè exiſtat, vel quòd non exiſtat, cum hoc ſtat ipſum ſemel creatura exiſtente, vel non exiſtente ſtatim illam aliquo ex his modis cognoſciturum: quia tamen neceſſarium eſt cuique creato enti vel exiſtere, vel non exiſtere, ſiquidem creatura vlla non poteſt neque exiſtere, neque non exiſtere, ſiquidem illi inter hæc medius ſtatus deſignari nequit, ideo eſt neceſſarium, quod intellectus diuinus vnum ex his diſiunctiuè neceſſario cognoſcat: Per quod patet intellectum diuinum neceſſariò minimè connecti cum exiſtentia, aut non exiſtentia creaturæ; ſiquidem ſi talis connexio illi aſcriberetur, fieret, exiſtentiam intellectus diuini eſſe argumentum à priori illatiuum exiſtentiæ, vel non exiſtentiæ creaturæ: quemadmodum latè ob eamdem rationem dicemus *tract. de ſpectantibus ad intellectum diuinum diſp.* 2. omnipotentiam diuinam eſſe argumentum à priori, poſſibilitatis creaturarum; at ſi per poſſibile, vel impoſſibile, creatura poſſet habere ſtatum medium, ita vt quòd nec exiſteret, nec non exiſteret, adhuc intellectus diuinus exiſtentiam haberet. Ergo exiſtentia intel-

lectus eſſentialiter non connectitur adhuc diſiunctiuè cum exiſtentia, vel non exiſtentia creaturæ, nec iſta à priori infert; ſiquidem ſi omnipotentia exiſteret in hypotheſi, quòd poſſibilia deficerent, & alium ſtatum poſſibilitati oppoſitum induerent, nullo modo cum poſſibilibus neceſſariò connecteretur, aut illa à priori inferret, vt latiſſimè citato loco expendemus.

20. Secunda concluſionis pars docebat, incarnationem Deo neceſſariam non eſſe, ſuppoſito adhuc decreto creandi mundum, ſiquidem ex vi decreti mundi creatiui, ſolùm neceſſitatur Deus producere, quæ ad naturalium rerum ordinem ſpectant: incarnationem autem nullo modo ad hunc, ſed ad ſupernaturalem ſeriem ſpectare, nemo dubitare poteſt. Ergò ex eo, quòd Deus rerum naturalium ordinem producere decreuerit, non ſequitur, phyſicè Deum eſſe neceſſitatum producere incarnationem. Et dato etiam quòd incarnatio ad lineam naturalium entium pertineret, adhuc in Deo nulla superuenire poſſet phyſica neceſſitas producendi incarnationem, ſuppoſito decreto de mundo condendo. Siquidem ex vi decreti creandi mundum, non neceſſitatur Deus phyſicè, ad producendum ſingula, ad lineam naturalem conducentia; atque adeo ſuppoſito prædicto decreto, poterat Deus reliqua naturalia producere, incarnatione minimè producta: ſententiam contrariam Lulij ad minimùm vt temerariam.

21. Tertia concluſionis pars defendebat, quòd adhuc ſuppoſito peccato Adami, in Poſteris deriuando, neceſſaria phyſicè non fuit Deo incarnatio; & colligitur clarè, ex pluribus ſacræ Paginæ locis, potiſſimùm ex illo *Sapien.* 12. *Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti, non enim eſt alius Deus, quam tu*; ac ſi diceret: tametſi pœnas omnes peccatis debitas inflixeris, peccatores cunctos in infernum detrudendo, nullus erit, qui iure poſſit te obiurgare, ſiquidem tu ſulus verus es Deus, quapropter vniuerſaliſſimus omnium rerum ſupremus Dominus, potens de illis diſponere, eo modo quo tibi bene videbitur. Ergo ſicut ex peccato commiſſo ab homine nullum incommodum ſequitur in Deo, ita ex eo, quòd illum propter tale peccatum punierit, & efficaciter noluerit illum à culpa liberare, nullum inconueniens Deo aſcribi poteſt. Ergo etiamſi peccatum ab Adamo commiſſum ſupponatur, nec leuiter inferri poteſt in Deo neceſſitas phyſica ſe incarnandi, vt tale peccatum exterminaret. Quid verò aliqui PP. de his ſenſerint, infrà expendam.

22. Quarta pars concluſionis aſſerebat, quòd licet ſupponatur in Deo decretum reparandi hominem, & illum à peccato liberandi, adhuc phyſicè, minimè neceſſitatus manet, ad ſe incarnandum. Ab hac parte diſceſſit nemo; & eam expreſsè docet S.Auguſt. *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 10. *& lib. de agone Chriſtiano cap.* 11. *vbi ait: ſtultos eſſe, qui exiſtimant, non potuiſſe ſapientiam Dei aliter liberare hominem, niſi per humanitatem aſſumptam à Perſona diuina.* eam expreſsè edocent Reliqui PP. Euſebius Eniſſenus. Bernardus *Epiſt.* 11. & Leo *ſerm.* 2. *de natiuitate Domini, & ſerm.* 12. *de paſſione*: & iure à tot Patribus commendatur hæc pars, ſiquidem homo à peccato formaliter purgatur per gratiam ſanctificantem. Atqui iſtius collatio ex natura rei, non connectitur eſſentialiter cum incarnatione. Ergo hac à Deo minime facta, poterat Deus gratiam hominibus conferre, qua illos perfectè mundaret. Vnde iuſtificationes hominum cum incarnatione connecti, de facto naſcitur ex ſerie libera decretorum Dei, decernentis nihil ad extra producere, niſi dependenter à Chriſto, quem caput & finem omnium, in primo ſigno ſuæ voluntatis libero præfixit Deus, vt infrà latiſſimè conſtabit.

Sectio II.

Notabilia ad moralem neceſſitatem incarnandi ſe Deum, auferendam ab ipſo.

Explicata phyſica neceſſitate in limine huius dubij, prænotare oportet moralem neceſſitatem, & ſtatum controuerſiæ à Recentioribus in hac noſtra ætate valde diſcuſſæ, vt faciliùs concluſiones à nobis parandæ percipi queant. Moralis enim neceſſitas ſumitur primò, pro ea quæ non naſcitur ex natura effectuum, ſecundùm ſe ſumpta, ſed ex aliquo Dei attributo, qualiter cenſent plures Deum eſſe neceſſitatum in adimplendis promiſſis: ſi enim promitteret aliquid, & poſtmodum non adimpleret, fidelitatem ſuam violaret, & licèt nihil ex illa non adimpletione ſequatur oppoſitum alicui creaturæ, ad extra productæ, tamen quia infertur deſtructio alicuius diuinæ perfectionis, ideo Deus ſimpliciter dicitur neceſſitatus moraliter ad promiſſa adimplenda: nec quia hæc neceſſitas dicitur moralis, minùs de neceſſitate participat, tam ſimpliciter Deus neceſſitatus eſt ad ſuam fidelitatem conſeruandam; ac neceſſarium eſt hominem non eſſe Leonem. Vnde frequenter aſſeritur hanc moralem neceſſitatem æquè opponi cum libertate, ac phyſicam neceſſitatem, deſumptam ex repugnantia rerum ex natura rei. 23.

Aliter moralis hæc neceſſitas explicari poteſt, nempe, quæ nec oriatur ex repugnantia alicuius affectus, aut ex oppoſitione, quam cum aliquo attributo habeat, ſed quòd originem ſumat ex ingenti difficultate, quæ adeſt in executione talis extremi: Vnde quia talis difficultas, ſolet eſſe tanta, vt contra illam poſitio effectus contingat numquam, & caſu, quo eueniret, maiorem admirationem pareret, quàm ſi aliquid, cauſarum naturalium ponderi oppoſitum, factum conſpiceremus. Explicari poteſt neceſſitas hæc exemplis. Neceſſe hoc neceſſitatis genere eſt, quòd omnibus hominibus, hîc & nunc vitam degentibus, eadem non ſuperueniat cogitatio, nec non idem voluntatis affectus tendens in idem numero obiectum: vt ſi cuncti homines in hoc mundo exiſtentes, hîc & nunc conſpirarent, vt Regem, & ſupremum Dominum, cui obtemperarent, præfixum hunc Petrum alacriter eligerent. Si enim hoc 24.

ſucce

ſuccederet, non ne maiorem admirationem, vel æqualem induceret, quàm ſi videremus aquam calefacere, vel infridare ignem? Ergo ne cunctis viuentibus hominibus vna & eadem inſideat hîc & nunc cogitatio, eſt neceſſe. Sed tamen neceſſitas hæc, phyſica non eſt, nec libertati contrariatur, ſed adeo ingens eſt intra lineam moralis neceſſitatis, vt quamcumque neceſſitatem phyſicam excedere appareat.

25. Verùm in hoc neceſſitatis genere, poſſumus aliquam latitudinem maiorem, & minorem inuenire, iuxta maiorem vel minorem difficultatem, ex qua ortum habere poteſt. Siquidem licèt repugnet, duodecim viros, aliàs perfectiſſimos, & amori Dei dedicatiſſimus, alicui innocenti teſtimonium falſum iniungere, tamen magis repugnat, quòd centum alij viri, ſimilibus virtutibus ornati, prædictum teſtimonium falsò alteri innocenti vnanimiter imponant.

26. Præterea dici poteſt, quòd licèt neceſſitas moralis, abſolutè accepta, poſſit ſeparari, tametſi tarò, ab effectu, qui abſolutè neceſſarius moraliter nuncupatur, qua ratione non deſunt, qui ſuſpicentur, neceſſitatem, quam habet homo ad plura venialia committenda, poſſe à tali commiſſione ſeiungi, quia difficultas vitandi plura venialia, ex qua talis neceſſitas naſcitur, non adeo ingens exiſtimatur, vt ſuperabilis non ſit; tamen aliquæ morales neceſſitates, adeo ingentes, conſiderari poſſunt, ratione difficultatis prægrandis, quam eſſentialiter inuoluunt, vt numquam ſeparabiles ſint ab effectibus ſuis, qui prædictis neceſſitatibus afficiuntur: taliter, quòd qui viderit illos ſic eſſe neceſſarios, numquam poſſit rationabile iudicium formare, quòd aliquando non euenient, vt in exemplis allatis *n.* 24. attulimus: imo conferens prædictas morales neceſſitates cum phyſica quacumque neceſſitate, magis inclinabitur iudicare hanc eſſe defecturam, quàm illam.

27. Aliter poteſt explicari moralis neceſſitas, quæ cum libertate ſit compoſſibilis, ſi dicamus prædictam neceſſitatem eſſe phyſicam, in ordine ad effectum in communi, ſeu in ordine ad indiuidua ſub diſiunctione accepta, manente indifferentia ad hoc vel illud determinatum indiuiduum; Hac ratione Philoſophari ſolemus, hominem eſſe phyſicè neceſſitatum ad veniale committendum, tamen quodlibet in particulari vitare poteſt, & ideo quodlibet in particulari, cum ab ipſo ſit vitabile, imputatur illi. Iuxta explicationem hanc hæc illatio eſt vera: Ergo ille, qui auxiliis tantùm communibus munitus, venialiter non delinqueret, deſineret eſſe homo: nam iuxta modum hunc explicandi neceſſitatem moralem, homo eſſentialiter eſt cum veniali peccato connexus. Sicut eſſet optima hæc illatio: hoc elementum concurſu generali Dei fulcitum aliàs à nullo extrinſeco impeditum, & ſimul applicatum non calefacit. Ergo ignis non eſt, quia in iſtorum opinione non minùs homo, cum veniali patrando eſſentialiter connectitur, ac cum calore ignis elementum dicatur connecti.

28. Sed explicatio hæc licèt communi placito fidens, ſcrupulum non contemnendum patitur. Etenim ſi res aptè expendatur, modus hic vel ſolam phyſicam neceſſitatem aſtruit, & nullam moralem neceſſitatem, quam prætendit declarare, conſtituit; vtrumque ſimul oſtenditur: quia ſi neceſſitas hæc conferatur cum ratione communi, eſt ſolùm phyſica neceſſitas, vt admittit modus iſte dicendi. Si verò conferatur cum hoc determinato indiuiduo quatenus ab alio indiuiduo differt, nullum neceſſitatis moralis, aut phyſicæ inuenitur veſtigium. Siquidem voluntas æquè indifferens manet ad hoc & ad illud indiuiduum eligendum; vt de ſe patet, & admittunt Authores iſti. Ergo nulla neceſſitas ſupponitur in voluntate ad electionem huius, præ alio indiuiduo: ſiquidem ſi aliqua neceſsitas in voluntate præexiſteret, ad eligendum vnum præ alio, debebat in ea ſupponi aliquid determinans eam ad hoc, imminuens eius indifferentiam ad aliud. Confirmatur, nam iuxta modum iſtum, homo eſt phyſicè determinatus ad veniale in communi. Ergo abſolutè & ſimpliciter hoc peccatum veniale, quando illud committit, non vertetur illi in culpam. Probo conſequentiam, quia vel illi imputaretur ſecundùm exceſſum, quem hoc veniale in linea malitiæ habet, reſpectu alterius venialis, quod poſſet homo patrare. Vel abſolutè quia veniale eſt. Sed neutro modo. Ergo, probo minorem quoad ſecundam partem, nam vos conceditis hominem hunc, eſſe ſub diſiunctione neceſsitatum, ad patrandum hoc, vel illud veniale. Ergo dum hoc in particulari committit, non poterit illi imputari, quia veniale committit; Probo conſequentiam, neceſſitas ſub diſiunctione ad aliqua bona opera, impedit ne dum vnum eligitur, meritum acquirat, præcisè, quia opus bonum exequitur: ſed ad ſummum ea ratione, quia opus perfectius operatur, & omittit minus perfectum, taliter quòd illius meritum, quod reportat, metiamur iuxta exceſſum, ſecundum quem tale opus excedit opus omiſſum. Quare ſi talia opera, ad quæ datur ſub diſiunctione neceſſitas, eſſent in perfectione æqualia, nullum meritum reportaret ex determinatione vnius præ alio. Ergo ſimiliter in veniali aliquo commiſſo, ſtante neceſſitate diſiunctiua ad aliud patrandum, caſu quo illud omitteretur, eſt diſcurrendum. Iam quòd nec illi imputaretur tale veniale ſecundùm exceſſum, quem in linea malitiæ haberet, quod erat ſecunda pars illius minoris, probatur. Tum, quia ponamus neceſsitatem hanc ſub diſiunctione interiectam eſſe, inter peccata venialia, omnino in genere malitiæ æqualia, tunc nullum illi imputaretur ſecundùm exceſſum, ſecundùm quem vnum alterum in malitia excederet. Tum etiam, quia intellectu eſſet difficillimum, quomodo veniale hoc alicui, illud committenti, imputaretur ſecundùm exceſſum, quem haberet reſpectu aliorum venialium, quæ non patraret, quia hæc eſt vera propoſitio, quolibet veniali aſſignato, aliud minus eſſe dabile. Ergo hæc etiam eſſet vera, homo nequit committere veniale omnium minimum. Ergo hæc etiam debet eſſe vera nullus puniri poſſet, quia operatur veniale maius minimo. Si autem dicas, ex peccatis venialibus,

venialibus, ad quæ homo poteſtatem proximam habebat liberam, poſſe veniale minimum deſignari, atque adeo culpæ illi vertendum fore, ſi aliquod veniale maius minimo patraret homo. Non inquam refert, quia iuxta doctrinam hanc, quæ ſolùm poteſt illis adeſſe aditus, hæc propoſitio erit certa: nulli eſſe in culpam vertendam peccati venialis minimi commiſſionem. At hoc repugnantia fert, ſiquidem quod in culpam non vertitur, peccatum minime eſt; Ergo reſpectu illius nulla eſſet moralis neceſſitas, quam hominibus dant peccandi venialiter, quia hæc non eſt ad materiale peccati ſolùm, ſed etiam admittitur ab his Authoribus neceſſitas, ad formale venialis exequendum. Sed de his vberiorem dedi ſermonem *tract. de gratia*, & dabo *tract. de his, quibus Chriſtus promeruit.*

29. Cognitis iam modis quibus explicari poteſt moralis neceſſitas, libuit certa ab incertis ſeparare, & quæ litem non intrant, ſemouere: & tandem ſtatum controuerſiæ præfigere. Imprimis extra litem iudico, quòd Deus faciat ſemper optimum ſecundùm ſe, vt ſeparatum à reliquis, tantùm enim eſſe quæſtionem de illo, quòd ſit optimum vt collatum cum omnium operum diuinorum collectione. Ratio, quia abſolutè melius eſſet impeccabilis, quam peccabilis natura, teſte Auguſt. *lib.* 11. *de Geneſi ad litteram, à cap.* 6. *vſque ad* 10. At Deus hominem impeccabilem non fecit, ſed peccabilem. Præterea melius eſſet Iudam phyſicè à prædeterminatione fuiſſe munitum, ne Chriſtum Dominum traderet Iudæis; at Deus ob fines reconditiſſimos, & ſibi probè cognitos, permiſit illum in tam nefandum prolabi peccatum; atque adeo permiſſio talis peccati, collata cum gloria Chriſti redemptoris, & cum oſtenſione diuinæ iuſtitiæ melior fuit, quàm prædeterminatio ad actum oppoſitum traditioni.

30. Nota præterea litem non eſſe, an Deus faciat ſemper optimum, in ordine ad finem aſſequendum eo modo, & ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam Deus talem finem efficaciter ſibi proponit obtinendum; ſiquidem ad certiſſimam Dei prouidentiam pertinet, finem propoſitum aſſequi, iuxta menſuram modi, quo ab ipſo ſupponitur intentus: atque adeo, quando Deus eligit medium difficillimum, à creatura exequendum, vt finem poſſideat, quem Deus aſſequi intendit ab ipſa, naſcitur ex eo, quòd tale medium à creatura exequibile, Deo placet; Vnde tale medium vt collatum cum beneplacito Dei, eſt inter omnia melius negatiuè, quia nullum aliud hîc & nunc fuit à diuina voluntate electum, quo talis finis obtineretur. Vnde dubium hoc ſolum verſatur de illo, quod rationem medij optimi, reduplicatiuè in ratione medij, ſortitur; non verò de maiore bonitate illius, entitatiuè ſumpti. Ratio eſt clara, quia Deus non eſt aliqua lege obſtrictus, ad eligendum medium, quod in bonitate entitatiua, alia media excedat, ſed ſolùm tenetur eligere illud, quod melius ad finis conſecutionem conducere videtur; contingit enim plura, in perfectione entitatiua, alia excedere, & eſſe illis minùs vtilia, in ordine ad finis aſſecutionem, & è contrà, quæ in entitate aliis imperfectiora extant, aptiora eſſe ad finem aſſequendum, mediis in entitate perfectioribus. Ratio verò, quare Deus eligat ſemper medium melius, reduplicatiuè vt medium, deſumitur ex propria ratione appetibilitatis medij, medium enim, vt medium, ratione ſui minimè expetitur, ſed quatenus ad finem conducit, atque adeo propter finis bonitatem amatur. Ergo quò magis aliquod medium, de conducibilitate ad finem participauerit, eò magis ab ipſo finem intendente, tale medium amabitur.

Nota rurſum, bonitatem obiecti, aliam eſſe illi intrinſecam, quatenus ex ſe habet maiorem conducibilitatem ad finem, & aliam extrinſecam, ipſi accreſcentem ex diuina Dei volitione, ratione cuius illud dicitur optimum, quod Deus vult aliis omiſſis. Quæſtio controuerſa non procedit de bonitate illa, & conuenientia, quæ cuicunque obiecto volito aduenit, ex volitione Dei explicata: ſiquidem iſto modo accepta, bonitas obiecti excedere debet cunctas omnium obiectorum bonitates, quantumuis in entitate excellentiſſimas: cùm magis præponderet in æſtimatione, voluntatem diuinam adimpleri, quàm cuiuſlibet obiecti eminentiſſima bonitas. Vnde eo ipſo, quòd voluntas diuina hoc præ aliis obiectis eligat producendum, dicitur cætera obiecta, quæ Deus non vult, præcedere; & conſequenter melius eſt fieri ipſum, quam illa, iuxta illud vulgare diui Anſelmi pronunciatum, illud eſſe iuſtum, quod Deus vult, & iniuſtum, quod non vult. Ex quo, vlterius fit, quòd accepta bonitate ſecundùm quod, à volitione diuina obiecto aduenit, verum eſſe Deum ſemper facere optimum, nam eo ipſo, quòd obiectum aliquod ſit factum, eſt à Deo volitum, & conſequenter inter alia, quæ noluit, optimum. Solùm igitur eſt quæſtio de illo, quod ſecundùm ſe, antecedenter ad volitionem Dei, qua ſit volitum, eſt optimum: atque conſiderata eius bonitate, & conuenientia, reſpectu maioris conducibilitatis ad finem, illi quaſi ab intrinſeco competentem. 31.

Nota tandem, quæſtionem eſſe de optimo, inter duo extrema contradictoriè oppoſita, v.g. inter creationem Angeli, & eius negationem, productionem alterius mundi, & negationem eius, nec non inter incarnationem, & eius negationem. Vnde ſi Deus ex ſe determinatus eſt moraliter, ad producendum id, quod ad ſuam glorificationem conducibilius extiterit, ſequitur Deum determinatum eſſe morali determinatione, ad ſuam glorificationem externam manifeſtandam, ſiquidem ea ipſa determinatione, qua quis determinatus eſt ad medium, quatenus ad iſtum finem conducit, dicitur ad prædictum finem determinatus eſſe; aliàs nec determinatus eſſet ad medium, quia ad talem finem, maiorem, quàm aliud, habet conducibilitatem. 32.

Sectio III.

Prima ratio, ſuadens in Deo neceſſitatem moralem ſe incarnandi, examinatur.

33. Granadus 1.*p. contron.* 3. *tract.* 2. *de obiecto materiali, & ſecundario actuum diuinæ voluntatis diſp.* 3. & Ruiz 1. *de voluntate Dei diſp.*9. & 10. & ante illos Raymundus Lulius *in explicatione articulorum fidei cap.* 18. affirmant, Deum habuiſſe neceſſitatem antecedentem, quæ ante omne liberum decretum, ita ipſum ad incarnationem eligendam determinauerit, vt illam non potuerit non eligere; verum neceſſitatem hanc aſſerunt phyſicam non eſſe, propter rationes *ſect.* 1. datas, ſed tantùm moralem, ita vt licèt phyſicè potuerit non incarnari, neceſſitatus tamen fuit moraliter ad illam exequendam, ad eum modum quo dici ſolet, hominem cum auxiliis gratiæ ordinariis poſſe, phyſice loquendo, vitare omnia peccata venialia, non tamen poſſe mortaliter. Mouentur pluribus rationibus, quas ſigillatim decreui examinare.

34. Ratio prima, cui fidunt, ſupponit, Deum eſſe moraliter neceſſitatum ad obiectum magis bonum, & ita infallibiliter Deum efficaciter, amare obiectum magis bonum, vt ſi obiectum minùs bonum amaret, ſequeretur, Deum nullo modo eſſe Deum. Ex quo inferunt, Deum neceſſitatum fuiſſe ad incarnationem exequendam, quia hæc collata cum negatione ſui, eſt obiectum magis bonum, atque adeo Deum neceſſariò illam exequendam elegiſſe, taliter, quòd ſi negationem incarnationis eligeret, Deus deſineret eſſe. Iam Deum neceſſitatum eſſe ad obiectum magis bonum, taliter, quòd ſi minus bonum eligeret, deſineret eſſe Deus, multis ſanctorum Patrum oraculis munire contendit Ruiz *diſp.*10. *de voluntate ſect.*5. *num.*11. Damaſcenus *lib.* 2. *de fide cap.* 29. *ſub initium ait: Deus vt bonus prouidet, non prouidens non bonus, nam & homines & bruta animalia ratione capta, propriis naturis naturaliter prouident, & ſi non prouident, vituperantur.* Paulus *ad Hebræos* 6. *non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, &c.* Clemens *lib.* 6. *ſtromat. circa finem ait: Deus cùm ſit bonus, ſi ceſſarit vmquam benefacere, Deus quoque eſſe ceſſabit.* Chryſoſt. *orat.*4. *de prouidentia, & de fato,* aſſerit: *ſi nihil eſt poſt hanc vitam, nec Deus eſt.* Ecce quomodo ſancti PP. ex eo, quòd Deus non faciat plura, ad quæ tantùm moraliter eſt determinatus, inferunt non eſſe Dei. Similiter ergo hi Authores diſcurrunt, etenim cum ſupponant, Deum moraliter determinatum eſſe ad eligendum obiectum magis bonum, optimè inferri docent, non eſſe Dei, ſi obiectum magis bonum non eligeret.

35. Verum ratio hæc difficilia inuoluit, & ſibi contradicentia miſcet. Primum eſt, Deum eſſe moraliter neceſſitatum ad eligendum obiectum magis bonum, quod examini, ſectionibus ſequentibus, tradam. Secundum, talem neceſſitatem ad eligendum obiectum magis bonum, eſſe talem, vt ſi Deus illud non eligeret, deſineret eſſe Deus. Propoſitio hæc opponitur alteri, in qua doctrinam Catholicam iſti Authores profitentes aſſerunt, Deum nullò modo neceſſitatum eſſe phyſicè ad obiectum magis bonum eligendum. At iſtæ duæ propoſitiones inter ſe opponuntur, Ergo ratio iſta minimè ſubſiſtit. Probo minorem, neceſſitas ad faciendum opus, cuius omiſſio infert non eſſe phyſicum Dei, eſt neceſſitas phyſica. Ergo admittens primam neceſſitatem, & negans ſecundam, oppoſita docet. Antecedens probo, fides, & naturalis ratio dictat Deo, conuenire ſui exiſtentiam neceſſariò neceſſitate phyſica: Ergo ſimili neceſſitate phyſica conueniet Deo id, ſine quo exiſtentia Dei conſtare non poteſt, conſequentia ex terminis eſt nota. Tunc ſic, ſed iuxta iſtos Authores, exiſtentia Dei conſtare nequit ſine electione obiecti magis boni. Ergo electio obiecti magis boni eſt neceſſaria Deo, neceſſitate ſimpliciter phyſica.

36. Secundò impugno: tunc aliquod agens eſt phyſicè neceſſitatus, & ſimpliciter, ad aliquam operationem exequendam, quando eius omiſſio, eſt ſimpliciter illi impoſſibilis. Sed non eligere obiectum magis bonum, eſt ſimpliciter, & omnino Deo impoſſibile. Ergo eligere obiectum magis bonum, eſt neceſſarium Deo, neceſſitate phyſica & ſimpliciter. Probo minorem. Impoſſibile eſt Deo coniungere ſecum electionem chimeræ. Sed non eligere obiectum magis bonum, eſſet, Deum coniungere ſecum chimæram. Ergo non eligere obiectum magis bonum, eſt ſimpliciter Deo impoſſibile. Probo minorem, quia non eligere obiectum magis bonum, vel eſt omittere per ſuſpenſionem, talem electionem, vel eligere obiectum, quod minùs bonum eſt, quidquid dicatur, eſt eligere obiectum minùs bonum, cùm poſitiuè obiectum magis bonum non eligatur. Sed eligere obiectum minùs bonum eſt, Deum coniungere ſecum electionem chimeræ. Ergo non eligere obiectum magis bonum, eſſet Deum coniungere ſecum chimæram. Probo minorem: nam electio obiecti, quod minùs bonum eſt, in ſententia iſtorum Authorum, eſt connexa cum non eſſe Dei. Sed eligere Deum id, quod eſſentialiter eſt coniungendum cum non eſſe Dei, eſt chimæra. Ergo eligere obiectum minùs bonum eſt Deum coniungere ſecum electionem chimæræ. Ergo dum eligit Deus obiectum magis bonum, taliter operatur, vt oppoſita operatio ſit illi omnino impoſſibilis: quod eſt idem ac neceſſariò magis bonum eligere.

37. Reſpondebis fortaſſe, electionem obiecti minùs boni infallibiliter phyſicè, minimè non eſſe Dei inferre, ſed tantùm moraliter, ſolùm enim infallibilis connexio phyſica cum non eſſe Dei, eſt chimera; non verò connexio moralis cum Dei non eſſe.

38. Sed replicabis, vel poſita electione obiecti minùs boni, ſequitur infallibiliter non eſſe Dei, vel non ſequitur? Hoc non dices, quia expreſsè primum fateris. Ergo electio obiecti minùs boni, phyſicè connectitur cum non eſſe Dei. Probo conſequentiam, quia deſtrui Deum, vel

non

non deſtrui, non eſt quid morale, ſed phyſicum quid eſt, ergo quodlibet extremum, quo poſito ſequitur deſtructio Dei, phyſicè connectitur cum non eſſe Dei. Probo conſequentiam; ſiquidem, ſi tantùm eſſet moralis connexio, inter electionem obiecti minùs boni, & non eſſe Dei, nullo modo ex poſitione prædictæ operationis, ſequeretur phyſica deſtructio Dei. Siquidem eſt commune placitum in his, quæ tantùm moraliter, & non phyſicè repugnant, nullum abſurdum phyſicum poteſt deduci. Ergo ſi ex vna parte concedunt hi Authores, electionem obiecti minùs boni infallibiliter inferre ingens hoc abſurdum phyſicum, nempe deſtructionem ipſius Dei, tenentur dicere, electionem obiecti minus boni non ſolùm moraliter, ſed phyſicè infallibiliter, cum non eſſe Dei connexionem habere.

39. Reſpondebis, optimè ſtare, aliquid ſolùm moraliter connecti cum abſurdo phyſico, & quòd poſito illo, ſequatur poſitio abſurdi phyſici. Etenim ſententia communis vniuerſaliter docet, hominem ſolùm communibus auxiliis munitum, eſſe neceſſitatum moraliter, ad venialiter delinquendum, taliter, quòd ſi in homine ſic conſiderato, daretur omiſſio omnium venialium, tunc deſineret eſſe homo, quod eſt abſurdum phyſicum. Ergo ſtat bene aliquid moraliter, infallibiliter abſurdum phyſicum inferre, & non phyſicè, ſed moraliter, cum tali abſurdo phyſico connexionem habere.

40. Sed replicabis, negando ſtare poſſe aliquid, moraliter ſolùm repugnare, & quòd eius poſitio infallibiliter abſurdum phyſicum inducat: ſiquidem totum illud, ex quo ſequitur phyſicum abſurdum, abſurdè repugnare dicitur eodem gradu repugnantiæ, quo ipſum abſurdum, quod infertur, nec eſt conſiderabile aliud diſcrimen, inter neceſſitatem phyſicam, & moralem, niſi quòd poſitio extremi oppoſiti illi, ad quod datur neceſſitas moralis, nullum abſurdum phyſicum inducat, ſed ſolùm aliquid contrarium morali determinatinationi præexiſtenti; neceſſitas verò phyſica inferre dicatur abſurdum phyſicum ſi fruſtretur; tametſi aliqua moralis neceſſitas adeo creſcere poſſit, vt maiorem ſecuritatem, & certitudinem in homine cordato progignat, de effectu euenturo, qui prædicta neceſſitate morali ſolùm dicitur certus, quam phyſica neceſſitas, talis conditionis eſt moralis illa neceſſitas, quam *ſect.* 2. *num.* 24. & deinceps explicuimus, tametſi nullum phyſicum abſurdum ſit illatura, caſu, quo fruſtraretur, quodque neceſſitas Phyſicè fruſtrata infallibiliter induceret. Exempla rem hanc manifeſtant. Neceſſitas phyſica eſt hæc ignis debitè applicatus infallibiliter calefacit. Neceſſitas moralis, de qua hîc, eſt, omnes hic & nunc vitam degentes, in inſtanti vno propriis vnguibus dilacerantur, & manibus propriis è montibus cunt præcipites. Hæc inquam moralis neceſſitas, & repugnantia, non minùs me certum aſtruit, contra illum adeo monſtroſum effectum minimè euenturum, quàm repugnantia phyſica, quæ reperitur in eo, quòd ignis applicatus non calefaciat; imo faciliùs quilibet ſuadebitur, hanc phyſicam repugnantiam per miraculum poſſe deuinci, ſicut id factum fuiſſe in igne babylonico ex fide credimus, quàm moralem illam neceſſitatem eſſe vincendam: ſtatuto ergo diſcrimine iſto, inter prædictas neceſſitates, aſſerimus, hominem ſolis communibus auxiliis munitum, neceſſitatum eſſe moraliter, ad venialiter delinquendum; ita vt moralis hæc neceſſitas faciat repugnans moraliter hoc, quod eſt, venialiter non peccare, ſed tamen tali genere repugnantiæ moralis, vt contrarium huic repugnantiæ operari, cùm ſit ſupra totas humanas vires, quaſi argumentum eſſet, non eſſe hominem, qui prædictam repugnantiam ſuperaret, venialiter non peccando, non ad hunc ſenſum, quòd ſi talis repugnantia vinceretur, ſequeretur reipſa phyſica hominis deſtructio, quia non minùs moraliter repugnat, quòd homines in toto orbe diſperſi, tam Principes, quàm ignobiles, in vno inſtanti conſpirent, vt vnum hominem determinatum in ſuum Regem eligant, ac quòd homo ſolis communibus auxiliis munitus, omnia venialia declinet. At ex eo, quòd illa prima repugnantia ſuperaretur, nullum phyſicum abſurdum inferretur; vt de ſe patet, vel aſſignetur. Ergo ex eo, quòd ab homine repugnantia iſta non delinquendi venialiter vinceretur, nullo modo ex hac victoria inferre deberet, hominem illum phyſicè deſtructum iri, quod eſt phyſicum abſurdum.

41. Reſpondeo nunc ſanctorum PP. oraculis, quibus mouebantur prædicti Authores ad ſuadendam in Deo moralem neceſſitatem ſe incarnandi, taliter, quòd ſi eius negationem eligeret, deſineret eſſe Deus. Aſſero igitur ſanctos iſtos PP. intelligendos eſſe, de neceſſitate ſuperueniente Deo, ex aliqua ſuppoſitione, ex cuius violatione, non eſſe Dei, infallibiliter deducitur: examinemus, breuiter citatos locos. Damaſcenus enim intelligendus eſt, ex ſuppoſitione quòd Deus mundum condiderit, neceſſitatus manſit ad phyſicè creaturis prouidendum, vel illas conſeruando, vel deſtruendo, quæ eſſentialiter à diuina voluntate pendent, tamquam à cauſa prima creata, omnia ſibi ſubordinante; Vnde infert S. Damaſcen. quòd ſi conſeruatio & deſtructio rerum eueniret independenter à voluntate diuina, iam eius pleniſſimum dominium in omnia rueret, atque adeo Deus non eſſet Deus, & iuxta hæc optimè dixit, *quòd ſi Prouidentia Dei deficeret, Deum non fore bonum, nec Deum*. Sed iſta nullam affinitatem habent cum neceſſitate morali, quam in ordine ad incarnationem in Deo aſtruunt, quam independenter ab omni ſuppoſitione ipſi aſcribunt.

42. Cætera verò teſtimonia ſimiliter exhibent Deo neceſſitatem moralem ex aliqua ſuppoſitione ortam, & à Chryſoſtomo incipiens, deinceps cæteris ſatisfaciam; intulit ergo Chryſoſtomus *Deum non eſſe, ſi nihil eſt poſt hanc vitam*, & iure prædictam illationem deduxit, ſiquidem eius bonitas ſupponit reuelationem promiſſoriam Dei, qua hominibus reuelauit, quòd vità iſtà peractà, ſuperſunt in alia, præmia iuſtis conferenda, & pœna malis infligenda. Vnde ſi in alia vita nec remunerarentur boni, nec punirentur mali,

infalli

infallibiliter ſequeretur Deum mentiri, ex mendacio autem optimè inferri deſtructionem Dei, quis non videat? Ergo deſtructio Dei, apud Chryſoſtomum, ex ſuppoſitione aliqua ſequitur. Apud hos Authores ex nulla ſuppoſitione. Ergo in diuerſo ſenſu locuti ſunt. Præterea Paulum inniti in prædicta Dei promiſſione latiſſimè ediſſeram infrà, cùm de conditionibus ſatisfactionis ex ſtricta iuſtitia ſermonem dederim. Vnde cùm Deus promiſerit in alia vita, homines bonos remuneraturum, ſi præmia non rependerit, promiſſionem factam violabit, infidelem ſe conſtituet, & nullam iuſtitiam exercebit: quapropter dixit Paulus *Non enim iniuſtus eſt Deus*. Vnde optimè infertur, ſi Deus eſt infidelis, & promiſſis non ſtat. Ergo non eſt Deus. Vnde ſi alia ſanctorum Patrum aſſerta inferant non eſſe Dei, ex aliquo nullam ſuppoſitionem in Deo inuoluente, intelligenda ſunt iuxta hyperbolicam phraſim, ſecundum quam interpretandum eſt commune illud proloquium, quòd ſi homo numquam peccatum veniale committeret, deſineret eſſe homo, vt *num.* 40. expendimus.

Sectio IV.

Secunda ratio, ſuadens ſuauiorem moralem neceſſitatem in Deo, examinatur.

43. Aliqui & non ignobiles Doctores Complutenſes, cùm viderint difficultates, quibus præcedens modus dicendi Granadi & Ruitij impetitur, & rurſum experiantur modum illum, ex vna parte negantem neceſſitatem phyſicam ad optimum, concedentes tamen ex alia, moralem neceſſitatem ad illud, taliter, vt ex omiſſione optimi ſequatur infallibiliter non eſſe Dei, nullo modo ſaluare Deum phyſicè neceſſitatum non eſſe ad optimum, aliter conantur in Deo ponere neceſſitatem moralem ad illud; Aſſerunt enim duo. Primum, Deum eſſe neceſſitatum moraliter ad optimum. Secundum, nullum inferendum eſſe abſurdum, ſi de facto ageret contra talem neceſſitatem. Iſtud ſecundùm, omiſſis rationibus, quas ipſi adducunt, ſufficienter probant illæ, quas ſectione antecedenti dedimus in eius propugnationem. Primum igitur, nempe Deum eſſe neceſſitatum ad optimum, ita vt ſemper Deus infallibiter amplectatur, illud probant ex communi placito; etenim cuncti Authores etiam illi, qui Deo neceſſitatem moralem ad optimum negant, fatentur in quocumque ſingulari euentu nos debere præſumere Deum optimè, & optimum, in ordine ad ſuam gloriam fuiſſe operatum, & omnia creata optimè diſpoſuiſſe. Ergo ſignum eſt in Deo eſſe aliquid, quod eum inclinet, & trahat ad optimè, & optimum prædicto modo operandum; ſi enim phyſicè, & moraliter omnino eſſet indifferens ad vtrumque, cur potiùs deberemus dicere, magis bonum, quàm minùs bonum operatum eſſe. Vel quæ iniuria Deo inferretur, dicendo operatum fuiſſe minùs bonum? Nihil enim illius ſanctitatis detraheretur, nec aliquid à Deo auferretur alienum, cùm non eſſet magis proprium Dei optimum, quàm minùs bonum operari? Deinde non poſſemus maiorem concipere ſpem de effectu optimo, quàm de alio minùs bono à Deo præſtando. Cùm ergo omnes Authores fateantur, magis proprium eſſe Dei, optimum operari, & id Deum ſemper feciſſe præſumendum eſſe, & maiorem ſpem concipiendam de effectu optimo à Deo præſtando, quàm de alio minùs bono, fit, quòd teneamur in Deo aliquam maiorem inclinationem, & propenſionem in Deo ad optimum, quàm ad minùs bonum, reponere. Hanc enim propenſionem, & inclinationem, neceſſitatem ad optimum iſti Authores appellant.

Sed hæc ratio efficax non eſt, quia non bene infertur, Deus ſemper elegit optimum. Ergo Deus neceſſitatus eſt ad optimum eligendum. Nam patitur manifeſtam inſtantiam in præſenti materia. Siquidem modus redemptionis per naturam humanam Deo vnitam, cenſetur à Patribus optimus inter poſſibiles. 44. Et nihilominus ſanctus Auguſtinus *lib. de agone Chriſtiano, cap.* 11. ſtultos appellat, exiſtimantes Deum non potuiſſe alio modo hominem reparare, & denique concludit, Deum omnino potuiſſe aliter redemptionem operari. Id ipſum profitetur ſanctus Bernardus *Epiſtola* 1 9 Vbi ait, Deo fuiſſe ad manum alios modos liberandi nos; Ea enim quæ moraliter impoſſibilia ſunt, non rectè dicuntur eſſe *ad manum*, nec omnino fieri poſſe. Præterea Bonauentura *in* 1. *diſtinct.* 20. *ſectione* 6. ait, potuiſſe Deum ſolo nutu hominem liberare. Et tandem ſanctus Auguſtinus *in Enchiridio, cap.* 27. ait, quòd ſi Deus voluiſſet hominem propter peccatum damnare, meritò id feciſſet, & quòd damnatio de facto non ſit executioni mandata tribuit piiſſimæ miſericordiæ Dei, omnino indebitæ peccatoribus. Ergo apud ſanctos Patres non bene infertur, Deus optimum fecit. Ergo antecedenter fuit moraliter ad illud neceſſitatus.

Præterea ratio hæc, pluſquàm intendit contra Authores iſtos probat. Siquidem Doctores iſti catholicè negant Deo neceſſitatem phyſicam ad optimum. At ſi ratio ab illis allata probaret neceſſitatem moralem in Deo, ſimul & phyſicam conuinceret. Ergo ratio hæc ampliùs quàm intendit, quodque ſit oppoſitum Authoribus, deuincit. Probo minorem. Siquidem ex inclinatione Dei ad obiectum melius, inferunt neceſſitatem moralem Dei ad illud. Sed ex hac ipſa inclinatione ad melius, colligenda eſt neceſſitas phyſica ad illud. Ergo ratio prædicta vtramque in Deo neceſſitatem infert, ſi vnam probat. Probo minorem, ideo apud illos inclinatio prædicta infert neceſſitatem moralem, quia inclinatio ad obiectum, minuit libertatem ad illud amandum. Ergo hæc erit bona illatio, Vbi fuerit inclinatio infinita ad obiectum, nihil libertatis ad illud amandum manebit. Conſequentia hæc eſt bona, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis 45.

ad magis. Ergo ſi inclinatio ad obiectum minuit libertatem. Ergo quò fuerit maior inclinatio ad obiectum, magis libertas imminuetur. Ergo ſi fuerit inclinatio infinita ad obiectum, totaliter libertatem euertet. At hæc ratio nedum moralem, ſed & phyſicam libertatem tollit; ergo ratio hæc nedum moralem, ſed & phyſicam neceſſitatem ponit. Probo minorem, nam ſicut libertas moralis, ita & phyſica, per inclinationem ad bonum minuitur; Ergo quò fuerit maior inclinatio, minùs de libertate phyſica aderit. Ergo ſi infinita, funditus libertatem phyſicam depellet.

46. Præterea, quia non eſt dabilis in Deo inclinatio ad obiectum creatum, quantumcumque excellens, quæ neceſſitatem aliquam id illud, in ipſo reponat. Ergo hæc ratio non ſubſiſtit. Antecedens probo, nam duplex eſt conſiderabilis in Deo inclinatio ad obiectum creatum, antecedenter ad illius amorem, vna, quæ ſit innata, explicari ſolita per exigentiam ad ipſum obiectum. Altera elicita, quæ eſt cognitio proponens voluntati bonitatem obiecti, & ad eam alliciens. At neutra iſtarum ponit in Deo neceſſitatem moralem ad obiectum creatum, quantumcunque excellens. Ergo nulla in Deo eſt dabilis inclinatio ad obiectum creatum, quantumcunque excellens, quæ neceſſitatem aliquam ad illud in ipſo collocet. Minor patet quoad primam partem, ſiquidem huc vſque nemo dixit, Deum habere exigentiam naturalem ad aliquid creatum, nec iſti Authores illam probare intenderunt, nam probationem omnibus inuiſam aſſumerent: Quoad ſecundam verò partem, eadem minor probatur. Tum, quia Deus talem elicitam inclinationem non habet, ratione ſuæ bonitatis, vt ipſi ſuſpicantur, ſed per cognitionem conſtituitur Deus formaliter inclinatus. Tum etiam, quia cùm cognitio voluntati proponat bonitatem obiecti creati, quamtumuis excellentis, vt finitam, & limitatam, atque adeo vt habentem admixtam aliquam rationem mali, vt dedimus *ſuprà ſect.*1. *n.*16. & dabimus infrà: tametſi in ſe talis cognitio ſit infinita, tam procul eſt vt à voluntate libertatem tollat, quòd ſummam in ea indifferentiam conſeruet, ad amandum vel non amandum talem obiecti bonitatem. Ergo nec inclinatio elicita ad obiectum melius, moralem neceſſitatem in Deo ad illud amandum ponit. Antecedens probo, nam indifferentia voluntatis illi eſſentialiter competens, ad amandum vel non amandum obiectum, ſola illa cognitione conſeruatur, quæ in obiecto repræſentat bonitatem, vt aliqua ratione mali permixtam. At cognitio illa, quantumuis infinita, repræſentat voluntati Dei, aliàs ex ſe ad amandum, vel non amandum indifferenti, bonitatem obiecti melioris, vt aliqua ratione mali permixtam. Ergo talis cognitio tam procul eſt, vt à voluntate indifferentiam illam tollat, quin potiùs eamdem conſeruare dicatur.

47. Præterea, nec ex eo, quòd præſumamus Deum, ſemper quod melius eſt, operatum eſſe, efficaciter probant hi Authores, Deum antecedenter ſaltem moraliter neceſſitatum eſſe, ad illud melius exequendum. Vnde fatemur Francofordenſe in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ in fine dixiſſe: *Credamus Deum omnia velle, quæ meliora ſunt.* Necnon Cyrillum Alexandrinum *lib.* 2. *Theſauri*, *cap.* 1. Baſilium *homilia* 9. Gregorium Niſſenum *in oratione magna*, *cap.* 1. Auguſtinum *libro de quantitate animæ*, *cap.* 33. *& lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 5. id ipſum, ac Concilium pronunciaſſe, necnon Authores vtriuſque Scholæ defendiſſe idem; adhuc tamen exinde non deducitur, Ergo Deus ex ſe moraliter eſt ad melius neceſſitatus. Probo ſic; etenim vt communis omnium prædicta locutio veritatem retineat, ſufficit, ſi intelligantur ſanctorum Patrum aſſerta, quòd Deus omnia producat modo congruentiori, & magis connaturali ipſis rebus, aut ſecundùm ſe ſumptis, aut in ordine ad ſuos fines, vel toti vniuerſo, ita vt cuilibet exhibeat id, quod attentâ naturâ, aut ipſius rei exigentiâ, magis proportionatum eſt, vel ad naturalem eius conſtitutionem, & conſeruationem, vel ad totius vniuerſi machinæ diſpoſitionem, decorem, & venuſtatem, vel tandem ad finem, à diuina prouidentia præſcriptum. Vnde vt aliquid à Deo factum ſit ſemper melius, ſufficit, quòd aliquo ex his modis melioritatem (liceat ſic loqui) poſſideat. At vt ſic melius cenſeatur, non eſt neceſſe Deum ſupponi moraliter ad illud operandum neceſſitatus. Ergo vt ſaluetur ſanctorum Patrum, & Doctorum aſſertum, Deum ſcilicet operatum eſſe melius, neceſſe non eſt fateri, Deum ſupponi moraliter neceſſitatum ad melius exequendum. Probo minorem, quia illud obiectum eſſe ſic melius, ſufficiens fundamentum eſt apud nos, vt colligamus, Deum illius executionem efficaciter elegiſſe. Ergo vt præſumamus Deum, obiectum melius abſolutè produxiſſe, non eſt recurrendum ad neceſſitatem moralem Dei, ad illius productionem. Probo antecedens, quia dum aliundè non conſtat, Deum vti iure ſupremi dominij ad res diſponendas, præter naturalem earum exigentiam, ſemper iudicandus eſt, ſe accommodare cuiuſque naturæ, & modo ordinario ſuæ Prouidentiæ; dum enim cognoſcimus, Angelum eſſe creatum, deducimus illum habere intellectum & voluntatem, quia tales potentiæ Angelum conſequuntur iuxta eius naturam, & dum aliundè oppoſitum non conſtat, prudens iudicium formamus, creatum eſſe Angelum modo congruentiori, & connaturaliori ſuæ naturæ, & naturali exigentiæ. Ergo obiectum ſic eſſe melius, ſufficiens fundamentum eſt apud nos, vt præſumamus, Deum illud producentem abſolutè elegiſſe melius. At ex hoc nulla poteſt inferri neceſſitas moralis in Deo, qua obſtringatur ad non diſponendas res niſi modo congruentiori earum naturæ: Et peto qua ratione, Deus qui ſupremus eſt omnium rerum Dominus, non poterit iure ſuo vti ad eas cauſandas, conſeruandas, aut annihilandas contra impetum, & exigentiam naturalem illarum? nulla apparet, nec rationabilis apparere poteſt.

Argues: Negabit nemo (quauis promiſſione ſecluſa) eſſe impoſſibile, Deum æternis cruciatibus torquere animam B. Mariæ. ſanctiſſimæ 48.

clata

clara Dei viſione perfruentem, quod, tamquam Aothor vitæ, & mortis, abſque vlla Phyſica repognantia poſſet facere. Ergo datur in Deo neceſſitas moralis proſequendi, & non proſequendi aliqua obiecta fundata in eo, quòd ea proſequi, vel non proſequi longè meliùs ſit, quàm oppoſitum. Ergo ſignum eſt, Deum ſuapte naturâ ad optimum eſſe determinatum morali neceſſitate. Confirmatur, nàm ſimili morali repugnantia erat impoſſibile Chriſtum naſci ex fœmina peccatrice; cui permiſiſſet in plura, & enormia prolabi peccatà, quæ quidem repugnantia ſumitur ex eo, quòd oppoſitum longè ſit optimum.

49. Confirmant ſecundò, nam hac eadem ratione, pluribus congruentiſſimis inſtantiis probant Theologi, Beatam Mariam fuiſſe à peccato originali exemptam, quæ omnes corruerent, niſi Deus ad optimum, eſſet neceſſariò antecedenter moraliter determinatus, Poſtquam enim Theologi euiciſſent, longè eſſe meliùs, Deum præſeruaſſe Mariam ſanctiſſimam ab originali, quàm illam non præſeruaſſe, poſſet quiſque melius hoc eſſe fateri; attamen Deum minùs bonum feciſſe, à quo nullo modo poſſet dimoueri, ſi Deus ex ſe non magis in maius bonum, quàm in minùs bonum propendeat. Sic etiam Theologi laborant in ratione reddenda aliquorum effectuum, quos Deus conſtruxit, cur ſcilicet Deus creauerit homines, quos præſciebat eſſe damnandos, quòd ſi Deus non optimum effeciſſet, poſſet dici, hoc feciſſe, quia potuit, & voluit, etſi oppoſitum longè optimum eſſet. Eadem ratione quæſtioni huic reſpondent Patres cur ſcilicet Deus permittat in hac vita, iuſtos homines ab iniuſtis opprimi, & hi fælices, ac bonis temporariis abundantes viuant, illi vero egeni, laboribus, & ærumnis concuſſi, vitam degant, & ex hoc Theologi immortalitatem animæ inferunt, vt hæc inæqualitas ad æqualitatem reducatur. Si autem Deus non teneatur aliquo modo ad optimam Prouidentiam, poſſet hanc inæqualitatem permittere, & vt ſupremus Dominus vitæ & mortis, iuſtos pro ſua libertate laboribus infligere, & peccatores diuitiis, & commodis omnibus donare, & velle hos illis deſpoticè dominari, quin aliquando de hac inæqualitate ratio eſſet habenda.

50. Confirmant tertiò. ſiquidem paſſim Theologi cuncti dicunt moraliter repugnare plures effectus, in quibus repugnantiam Phyſicam non inueniunt; ſiquidem plures Doctores *tract. de Fide* aſſerunt, phyſicè non repugnare ad præſentiam Pſeudoprophetæ, petentis miraculum in confirmationem falſæ doctrinæ, miraculum illud ex alio fine efficere, dicunt moraliter repugnare. Ergo ſentiunt Aothores Deum phyſice liberum ad tale miraculum ea occaſione faciendum, eſſe moraliter determinatum ad illud non præſtandum. Ratio autem huius determinationis eſt, multò melius eſſe, Deum miraculum in eo euentu non efficere, quàm oppoſitum, quòd omnino malum non eſt, aliàs nec phyſicè poſſet Deus illud efficere, quia Deus non habet Phyſicam libertatem ad effectum, qui aliqua ratione non ſit bonus, ſed omnino malus; hoc enim eſſet habere libertatem ad peccandum. Sentiunt ergo hi omnes, Deum determinatum eſſe morealiter ad optimum, ſeu optimum moraliter determinare voluntatem diuinam, aliàs ex eo; quòd optimum eſſet miraculum ea occaſione non fieri, non poſſent inferre Aothores, moraliter repugnare.

Reſpondebis aliquos ex his effectibus taliter à Deo neceſſariò fieri, vt nulla in Deo detur potentia, nedum moralis, verùm nec Phyſica ad oppoſitos illis producere: Vel ſi in Deo ad omnes conceſſeris potentiam phyſicam, etiam moralem libertatem reſpectu eorumdem ipſi concedere debes; nam vt vidimus, & videbimus, eadem ratio, quæ in Deo libertatem phyſicam ad omnia, quæ producit; conſtituit, eadem ratio deuincit reſpectu omnium libertatem moralem. Vndè ad argumentum aſſero petens ab arguente, vel virginem viſione beata perfruentem poteſt phyſicè æternis cruciatibus infligere Deus: Vel phyſicè non poteſt. Si hoc, non eſt mirandum Deum moraliter determinatum ad non infligendum ſic Beatam Mariam, cùm ad talem inflictionem non ſit in ipſo phyſica potentia. Si primum, pariter debes admittere in Deo, antecedenter ad omnem promiſſionem, poteſtatem moralem ad ſic infligendam ſanctiſſimam Mariam. Eodem modo reſpondeo ad confirmationem ibidem *n.* 48. allatam. 51.

Ad ſecundam confirmat. *num.* 49. dico, Deum permittere non poſſe Mariam ſanctiſſimam de facto, in enormia peccata elabi, vel intelligitur excludi à Deo poteſtatem phyſicam, vel non. Si hoc, ergo nec moralem. Si Primum, moralem etiam ſubmouere debes; Ratio autem, ex qua Authores deducant de facto Mariam. Eſſe à Deo à peccato exemptam, eſt, quia eximere illam à labe eſt melius, quàm de facto non eximere, quia congruentior eſt talis exemptio dignitati Matris Filij Dei, quàm non exemptio, vt de ſe patet, non tamen quia antecedenter fuerit Deus morali neceſſitate obſtrictus, ad eximendum potiùs quàm ad non eximendum Mariam ſanctiſſ. à peccato. Ad illud autem de labore, quem patiuntur PP. de redddenda ratione, quare Deus quos præſcierat damnandos creauerit, aſſero, quia hìc & nùnc meliùs erat illos creare, quàm non creare, vtpotè magis conducens hìc & nunc ad fines altiſſimos de facto à Deo præſcriptos; ſiquidem eorum damnatio præſciebatur à Deo in decreto decernente illam ex fine oſtenſionis ſuorum attributorum, miſericordiæ ſcilicet & ſupremi dominij, verùm ſi ſolùm creatio illa conferatur cum non creatione, tamquam cum extremo ſibi contradictorio, nullo habito reſpectu ad finem à Deo hìc & nunc præfixum, neutrum & optimum moraliter reſpectu alterius; & dato, quòd ex ſe creatio melior eſſet, quàm non creatio, non tamen adeo bona, vt voluntatem diuinam aliquo modo neceſſitet, ad eius electionem potiùs quàm ad oppoſitum: ſimiliter reſpondeo ad id, quod de felicitate impiorum in hoc mundo dicitur, eſſe meliorem, ſed non ita bonam, vt ſufficiat in 52.

diuinam voluntatem neceſſitatem inducete ad illam eligendam; ſiquidem licèt ſit hîc & nunc melior, ad oſtendendam immortalitatem animæ, per quod in alia vita talis inæqualitas remuneretur, tamen non adeo bona, vt contra talem finem Deus, abſoluto dominio, quo in omnes res fungitur, non poſſet aliter res diſponere, præferendo iuſtos iniuſtis; & alia media eligere, vt animæ immortalitatis oſtentionem, ad alium finem ordinaret.

53. Ad vltimam confirmationem pariter reſpondeo: Probabilius eſſe Deum, prædictum miraculum nullâ potentiâ phyſicâ adhuc operari poſſe, vt cum ſanctiſſimo Thoma eius diſcipuli *tract. de Fide* edocent; atque adeo eſſe moraliter neceſſitatum ad illud non operandum deducitur, non ex eo, quòd omiſſio talis miraculi quomodocumque ſit melior, ſed quia eius contradictorium eſt abſolutè, in talibus circumſtantiis, Deo impoſſibile. Sed de his latior dabitur ſermo in ſectionibus, ſequentibus.

54. Ex his enim falſam iudicabitis gradationem moralis neceſſitatis, quam Recentes iſti nouiter in Deo reponunt; aſſerunt enim, determinationem hanc moralem magis, & minùs ſuſcipere, & non eſſe contra rationem moralis neceſſitatis præcisè ſumptam, contra illam aliquid agere, ſed tantùm dicere rarò hoc accidere, quapropter conſiderari poſſunt in Deo, in ordine ad diuerſa optima, diuerſæ morales determinationes. Ea enim, quæ ſua bonitate valdè notabiliter bonitatem extremi contradictorij ſuperant, poſſunt dici moraliter neceſſaria ſumma neceſſitate, quæ intra terminos moralis neceſſitatis poteſt excogitari. Contra quam aliquid fieri, maioris admirationis eſſet, quàm ſi contra phyſicam neceſſitatem aliquid contingeret. Huiuſmodi eſſent, Perſonam diuinam vniri bruto, lapidi, aut alteri viliori ſubſtantiæ, aut naturæ rationali, quæ multis antea eſſet infecta peccatis; Deum permittere Mariam ſanctiſſimam in enormia labi peccata. Alia erunt, quæ non ita ſuperant in bonitate, extrema oppoſita, nec tanto exceſſu, quanto ea excellunt obiecta ſupra enumerata; tamen ſufficiunt ad fundandam certitudinem, numquam contra illorum neceſſitatem eſſe faciendum; ſed non ita magnam, ac illam, quam fundant obiecta ſuprà relata. Aliquando verò optimum extremum inter duo contradictoria, exiguum bonitatis exceſſum habebit, reſpectu obiecti minùs boni, & tunc exiguus exceſſus inclinationis poterit dici, quem Deus habet ad illud obiectum producendum præ alio; qui non merebitur nomen moralis neceſſitatis. Iſta inquam neceſſitatum gradatio ſupponit poſſibilem eſſe in Deo neceſſitatem moralem, quæ cum impoſſibilis ſit iuxta noſtra principia, vt ex proceſſu ſectionum patebit, fit, vt talis gradatio neceſſitatis moralis à veritate deficiat; illam tamen adduxi, vt nihil nouiter in Scholas potiſſimùm Complutenſem inductum prætermitterem; eò vel maximè, vt ſi quis velit prædictæ neceſſitati morali adhærere, nihil eum lateat eorum, quæ ad eius maiorem explicationem conducere poſſunt.

SECTIO V.

Aliæ duæ rationes, pro morali Dei neceßitate, examinantur.

55. TAmetſi plura, quæ ſectio iſta eſt datura, antecedentes inſinuauerint, tamen quia Authores contrarij idem principium iterant ſub aliis formis arguendi, ideo eorum diſcuſſionem iterum, & iterum repeto. Arguit ergo Granadus, quiſquis aliquid efficaciter, & perfectè amat propter ſui bonitatem, vult illius perfectionem, & omnia, quæ ad iſtam conducunt. Sed Deus efficaciter, & perfectè ſe amat propter ſuam bonitatem. Ergo vult ſuam perfectionem, & omnia ad illam conducentia. Rurſum quamuis creaturæ non ſpectent ad intrinſecam Dei perfectionem, tamen eam manifeſtant, & cedunt in eius perfectionem extrinſecam, eò magis, quò perfectiores ſunt creaturæ: Ergo Deus non ſolùm vult creaturas, ſed eas, quæ ſunt perfectiores, & magis oſtendunt Dei perfectiones.

56. Confirmat primò, ſi quis ſeipſum amaret ſummo amore, quo poſſet, neceſſariò ſibi amaret, & omnia bona, quæ in illius poteſtate eſſent; ſed Deus perfectiſſimè ſe amat. Ergo ſibi amat omnia bona quæ in ſua poteſtate, & quæ, attentis omnibus circumſtantiis, ſua infinita ſapientia, optima eſſe cognouit ad externam ſui glorificationem. Sed creaturæ, quæ, attentis omnibus circumſtantiis meliores ſunt, abſolutè ſunt quid melius, & magis glorioſum Deo. Ergo Deus ſemper vult, & ſemper facit reipſa, quæ ſimpliciter meliora ſunt.

57. Confirmat ſecundò, quia Deus eſt maximè perfectus in conferendo dona ſuis creaturis, quas propter ſeipſum amat, & nobilitate vult. Ergo illis donauit quidquid ſimpliciter, & abſolutè maius donum eſt. Ergo Deus contulit illis quidquid melius eſt.

58. Confirmat tertiò, quia creatura, quæ poſſet plura, & maiora facere in obſequium Dei, minùs perfectè diligere Deum conuinceretur, ſi minùs pro Deo, quàm poſſet, faceret. Ergo ſi Deus plura, & meliora poſſet facere quaſi in obſequium ſuum, ſeu ad ſuam internam gloriam manifeſtandam, & externam augendam, conuinceretur, minùs perfectè ſeipſum diligere. Cùm ergo certum ſit, Deum ſeipſum amare, quantùm amari poſſibile eſt, certum etiam debet eſſe, feciſſe quod veluti in maius illius obſequium, & in maiorem gloriam cederet. Vnde ſicut creaturæ quò magis perfectè Deum diligunt, plura faciunt in Dei obſequium, etiamſi in illius externam tantùm glorificationem cedere cognoſcant; Sic Deus cùm ſummè ſe diligat, ſummum opus eliciet, quamuis ſciuerit illud tantùm in externam Dei glorificationem conducturum.

59. Verùm ratio iſta, ſi robur habet pro danda Deo, morali neceſſitate, etiam illud habet,

vt

vt ſuadeat Phyſicam in ipſo neceſſitatem, quam à Deo catholicè Granadus depellit; ſiquidem totus hic diſcurſus eò deuoluitur, vt probet, ad perfectum amorem, quo Deus ſe intrinſecè proſequitur, ſeu quo ſuam intrinſecam amat bonitatem, ſpectare tamquam effectum illius, ſibi indiſpenſabiliter connexum amorem ſuæ ſummæ glorificationis extrinſecæ, quam ſi de facto non non amaret, inferretur per infallibilem illationem, quaſi à poſteriori, Deum ſeipſum perfectiſſimè minimè diligere. Nunc ſic; at Deum ſeipſum perfectiſſimè amare amore infinito, & ſubſtantiali eſt phyſicè neceſſarium; & ex alia parte, amor hic infallibiliter per infallibilem conſequentiam, amorem alium, quaſi accidentalem, hoc eſt, circa accidentalia bona, & tandem negatio huius amoris inferret, in iſtorum ſententia, negationem illius primi amoris, neceſſariò & phyſicè Deo conuenientis. Ergo non ſolùm moraliter, ſed phyſicè eſt Deo neceſſarium amare id, quod magis conduxerit ad extrinſecam Dei glorificationem, & cùm obiectum creatum, quod melius eſt, ſit maior & perfectior talis externæ glorificationis manifeſtatio, fiet, Deum, nedum moraliter, ſed neceſſariò phyſicè, eſſe determinatum, ad operandum id quod melius fuerit: Vide, quæ *ſect. antecedenti, num.* 45. diximus, & applica.

60. Præterea confirmatio illa ex liberalitate Dei erga creaturas, nullo modo efficaciam habet, pro ſuadenda morali adhuc neceſſitate ad id, quod melius eſt, etiam intra limites naturæ. Siquidem Dei dona infinitum accrementum eſſentialiter agnoſcunt; atque adeo poſſunt in infinitum augeri, nam apud omnes eſt certum, quòd quibuſcumque donis à Deo præſtitis, etſi eximiis in perfectione, poteſt Deus aliud & aliud perfectius donum exhibere. Ergo quamuis Dei liberalitas infinita ſit, non ita fuit exhauſta intra naturæ terminos, vt pro libito Deus, alia naturalia beneficia præſtantiora, creaturis non valuerit exhibere: Quin potiùs ex eo, quòd liberalitas Dei extiterit infinita, eſt efficax argumentum, vt nullum beneficium à Deo collatum, poſſit illam exhaurire. Ergo ex liberalitate infinita, inefficax ſumitur argumentum ad probandum Deum produxiſſe optimum, adhuc intra naturæ limites.

61. Hoc ipſum manifeſtam vim habet, reſpectu donorum ad gratiæ categoriam ſpectantium. Etenim quis dubitare poterit, Deum infinitè liberalem, tametſi hìc & nunc excellentiſſima dona gratiæ, ſuis creaturis elargiatur, potuiſſe maiora, & excellentiora illis præſtare. Poterat enim auxilia efficacia quibuſdam conferre, quibus de facto ſolùm ſufficientia eſt elargitus; vnionem hypoſtaticam reliquis, quibus de facto negauit. Et licèt hæc omnia denegaſſe de facto magis congruat finibus à Deo ſibi probè cognitis, tamen ſi ea contuliſſet, nulli dubium, magis collatione illorum commendari diuinam liberalitatem, quàm, per ea, quæ de facto creaturis præſtitit Deus. Ergo non benè infertur, Deus eſt ſummè liberalis. Ergo excellentiora dona ſuis creaturis contulit; imò contrarium eſſe inferendum ex diſcurſu facto inferri videtur.

62. Sed vt experiatur quis clarè Argumentum hoc, languidè neceſſitatem moralem conuincere in Deo, & quàm facilè vires eius declinari poſſint, notare debes id, quod à Fide eſt certum; omnia bona creata, & conſequenter Deo extrinſeca, perindè ſe habere in ordine ad commodum, iucunditatem, & illius felicitatem, ac ſi re ipſà nihil eſſent, quapropter illa minimè conducunt ad augmentum iucunditatis, & diuinæ commoditatis. Aliter tamen diſcurſuri ſumus de illis reſpectu creaturarum, nam ad iſtarum maiorem felicitatem & iucundam vtilitatem; maximopere prædicta bona referunt. Ex quo oritur conſequenter, quòd dum Deus ſe amat amore illo ſummo, à quo nunquam deſiſtere valet, teneatur lege illa ſummè ſe amātis, bona ſibi intrinſeca diligere, non tamen bona extrinſeca meliora, ratio diſpar eſt cognita, ſiquidem intrinſeca bona, ad vtilitatem felicem, & vtilitatem iucundam pertinent, atque adeo, ſi ad illa amor diuinus non terminaretur, nullo modo recenſendus foret ſummus intra lineam amoris, ſiquidem tunc non ſibi amaret aliquid, quo poſito melius intrinſecè ſe habet Deus, quàm ſine illo; non tamen teneretur amare ſibi bona creata extrinſeca, quia, vt diximus, ad felicitatem Dei minimè conducunt, atque adeo ſine illis tota ſumma Dei vtilitas & felicitas integerrimè conſiſtit. Vnde ſiue ad illa terminetur, ſiue non, amor tamen, quo Deus ſe amat, vniformiter erit ſummus. Ex quo fit, amorem ſummum Dei nullo modo eſſe neceſſariò illatiuum terminationis ad hæc extrinſeca bona, ſiquidem amor ſummus connexionem non habet, cum maiori bonò Perſonæ amatæ, niſi quando illius magis intereſt illud poſſidere, quàm non poſſidere; imò hæc regula eſt illibata, etiam reſpectu amoris, quo vnaquæque rationalis creatura ſeipſam diligit. Quis enim aſſeret, Petrum ſe ſummè diligentem, teneri lege ſummi amoris, amare ea, quæ, etſi reſpectu aliorum ſint ingentia bona, ad illum tamen nullo modo ſpectant, & perinde ſe habent ad illius felicitatem, commodum, & vtilitatem, ac ſi in rerum natura non eſſent? Verum res aliter in creatis ſe habent, in amore, ſcilicet quo creatura aliqua diligitur, ſiquidem cùm bona, etſi illi extrinſeca, plurimùm illi conferant, & ingentem commoditatem illi afferant, fit, quòd iuxta quantitatem amoris, quo ab alia diligitur, debeat creſcere terminatio ad maiora bona; atque adeo ſummus amor reſpectu alicuius creaturæ, inferre debet amorem ſummi boni, quod illius intereſſit.

63. Sed replicabis, tametſi extrinſeca bona, Deo vtilitatem non afferant, tamen creatura Deum diligens, eò perfectiùs dicitur eum amare, quò maiora bona extrinſeca illi cupit. Ergo ſimiliter Deus perfectiori amore ſeipſum proſequetur, ſi perfectiora bona, etſi ſibi extrinſeca, velit ſibi.

64. Reſpondebis eſſe inter hæc maximam & notam diſparitatem, ſed antequam eam demus, examinare debemus antecedentis firmitatem, quam vniuerſaliter non eſſe ſecuram ſuadeo; etenim amor ſummus, quo quis ſe diligit, non determinat Petrum; v. g. vt amet ea, quæ ſunt

in ſe optima, & meliora, etiam reſpectu ſui, ſed quæ ipſum magis delectant, & placent; Quod eſt cauſa, vt Peccator ex nimio amore, quem erga ſe habet, amat ſibi obiecta in ſe mala, non alia ratione ductus, niſi quia magis illa ipſum delectant, & in eis magis ſibi complacet: & veritas hæc etiam probatur in obiectis bonis, nam vnus homo ſibi amat honores potiùs, quàm diuitias, & alius iſtas potiùs quàm illas, & huius diſcriminis ratio, non eſt alia, niſi quia ille ad diuitias, & iſte ad honores magis afficitur, & complacet: Itaque ratio, quare qui amat diuitias, ſibi minùs bonum amet, quàm alter ſibi cupiens honores, non eſt quòd minùs ille quàm iſte ſe diligat, contingere enim poteſt, quòd qui diuitias appetit, ſibi magis ſeipſum diligat, quàm alter à ſeipſo ametur; ſed quia ille potiùs ad diuitias, quàm ad honores affectus ſit, & inclinatus: atque adeo ex affectu ad diuitias, quæ ſunt finis *huius*, prouenit, quòd Petrus ſibi potiùs eas quàm honores diligat. Idem experimur in amore, quo alterum hominem diligimus; hic enim ex lege ſummi amoris præciſè, obligat ad non amandum id, quod diſplicet amato, quod eſt cauſa, vt Beati, ſummè Deum diligentes, ad non peccandum ſint neceſſariò præfixi: Præterea ex prædicta lege, obligat ad amandum rei dilectæ omnia ea, quorum indiga eſt, & ſine quibus, perfecta felicitas in illa non percipitur: quapropter amor perfectus, quo creatura Deum proſequitur, terminari debet ad omnia bona Deo intrinſeca, non verò ad extrinſeca ob rationem *num.* 62. datam. Præterea ex aſſignata lege, obligat amor perfectus, quo vnus homo alterum diligit, ad illi amandum etiam bona extrinſeca, nam ſine iſtis non ſemel, imò ſemper, vitam abiectam ageret homo, & ſine illis bona illius intrinſeca euaneſcerent. Præterea eadem lex obligat, & ad quod potiſſimùm obſtringit amantem, vt velit id, quod exiſtere magis placet rei amatæ: iuxta quam legem diſcurremus latè *tractat de his quæ ad voluntatem Chriſti ſpectant, diſp.* 2 Beatos non velle Deo, id, quod maius bonum eſt in ſeipſo, ſed id, quod exiſtere placet magis Deo. Vnde antecedens illud *num. proximo* allatum, nempe creaturam, Deum diligentem, eò perfectiùs eum amare, quò maiora bona illi extrinſeca cupit, veritatem non continet.

65. Verùm conceſſo antecedenti illo, neganda eſt conſequentia, propter duplex diſcrimen, quod inuenio, inter amorem diuinum & creatum. Primum, quia amor creatus, inadæquatè ſaltem, ſumit ſuam perfectionem, tam phyſicam, quàm moralem ab obiecto; atque adeo, quo obiectum, cæteris paribus, eſt perfectius, actus ipſe perfectior euadit, quando aliàs non conſtat magis placere Deo obiectum, quod imperfectius eſt; At verò actus diuinus tam ab extrinſeco omnis abſolutus eſt, vt nihil de ſua perfectione ab extrinſeco obiecto hauriat, nec poſſit; ſiquidem quilibet actus diuinus eſt infinitus, quod enim infinitum eſt, ex ſe nequit augmentum, aut decrementum ex concurſu alicuius extrinſeci admittere; aliàs infinitum eſſet, vt ſupponimus, & finitum in illa perfectione, ſiquidem haberet terminum, quem noua illa perfectio, ipſi ab extrinſeco adueniens, transſiliret. Secundò differunt in eo, quòd regula voluntatis diuinæ, eſt diuina bonitas, ad quam nihil refert, quòd obiectum creatum ſit maius, aut minus bonum, atque adeo nulla eſt lex obſtringens Deum, vnum potiùs, quàm aliud diligere: At verò regula noſtrarum voluntatum eſt diuina voluntas, taliter quòd meliores nuncupemur, & ſimus, quò magis diuino beneplacito conformamur. Vnde etſi actus Religionis in ſe melior ſit, quàm actus miſericordiæ, dum homo ex præcepto agnoſcit, aut ex alio capite prudenter præſumit, magis placere Deo exiſtentiam actus miſericordiæ, quàm religionis, eo ipſo, quòd Deum perfectè amemus, obſtringimur lege amoris perfecti, actum miſericordiæ, & non Religionis elicere. Ex his facilis eſt diſparitas, inter Deum, ſeipſum amantem, & creaturam, amantem Deum; licèt hæc perfectè Deum diligens teneatur, illi maius bonum extrinſecum amare, quia hoc à creatura intendi magis placet Deo, quando de oppoſito, nec præceptum, nec prudens datur præſumptio: & voluntas humana debeat ſe cum diuina conformare, volendo id, quod illam velle vult Deus; Deus autem cùm ipſe ſibi regula ſit, & ex alia parte cum alia voluntate non debeat conformari, minimè ex hoc capite tenebitur, ſibi velle maius extrinſecum bonum, ſed quidquid ſibi velit, vult id, quod ſibi placet, & quod placet magis. Ex his vltima confirmatio perit, nam licèt Deus ſummè liberalis ſit circa ſeipſum, exinde tamen ſolùm tenetur ſibi amare id, quod, ex lege ſummi amoris erga ſeipſum, amare obſtringitur.

Poſterior ratio tacta eſt *ſect. antecedenti*; verùm 66.
quia eam Ruitius, ſub alia forma ponderat, ipſam repetere libuit. Quælibet voluntas efficacius inclinatur ad id, in quo magis ſibi complacet, & quod eſt materia magis proportionata gaudij. Sed manifeſtare Deum, potiſſimùm creaturis rationalibus bonitatem ſuam, magis eius voluntati arridet, & eſt materia magis proportionata gaudij. Ergo ad hoc potiùs volendum eſt determinata diuina voluntas. Ergo id ipſum infallibiliter Deus vult, quia Deus nequit ſuæ inclinationi reſiſtere. Probat iſtam conſequentiam: moralis infallibilitas alicuius actionis Ortum habet, ex vehementia, & magno exceſſu propenſionis ad illam. Atqui Dei propenſio ad ſuam bonitatem communicandam, eſt infinita, & tantus poteſt prudenter deſignari exceſſus, vt Deum extra ſeipſum quodammodo rapiat. Ergo de facto, in Deo fuit moraliter infallibiliter volitio communicandi abundantiſſimè ſuam bonitatem. Secundò probat conſequentiam vltimam, quia ſi ſemel admittatur in Deo inclinatio ad bonum, fit, quòd in ipſo detur maior inclinatio ad maius bonum, quodque ad tantam poteſt dignitatem deuenire, vt ad eam proſequendam, infallibiter voluntatem diuinam alliciat.

Sed argumentum nimis probare, & Ru- 67.
tio oppoſitum continere oſtendimus, ſuprà *ſect.* 4. *num.* 45. Verùm omiſſis his, & aliorum ſolutionibus, Reſpondeo ex doctrina ibidem allata, inclinationem, quam mens noſtra concipere valet in Deo, ad quodcumque bonum

bonum creatum, ad incarnationem ſcilicet; eam ſolùm eſſe, nempe diuinam cognitionem manifeſtantem diuinæ voluntati, incarnationis vtilitatem, ad oſtendendam glorificationem Dei, & noſtram ſalutem aſſequendam. Præterea hanc eamdem cognitionem (nõ enim eſt neceſſarium aliam cognitionem præcedentis comitem, in Deo ponere, quæ prædictum obiectum indifferenter repræſentet) repræſentare incommoda, quæ incarnatione facta, ex hominum malignitate erant ſequenda, ad quorum declinationem, vtilis erat incarnationis negatio. Vnde ſi has duas terminationes cognitionis diuinæ contemplemur, vtraque eſt infinita entitatiuè, atque adeo attentis illarum naturis, vtraque æqualiter voluntatem diuinam inclinabit. Solùm enim eſt differentia accipienda, ex vtilitate, aut inutilitate eorumdem obiectorum; perſcrutando videlicet rationes, quæ vtriuſque extremi contradictorij cauſam agunt, an ſcilicet rationes, ſecundùm ſe acceptæ, maioris ponderis ſint eæ, quæ ad incarnationem impellunt, quàm illæ, quæ retrahunt ab illa; & ex prædictæ rationis pondere, in obiecto relucente, eſt maior Dei inclinatio ad obiectum magis bonum deſumenda; Vnde iuxta exceſſum, ſecundùm quem bonitas vnius obiecti, exceſſerit bonitatem alterius, eſt colligendus in Deo, maioris inclinationis exceſſus ad obiectum, magis bonum; ſiquidem cognitio proponens obiectum, quoad vtrumque contradictionis extremum, eiuſdem perfectionis eſt; atque adeo ſi aliqua diuerſitas in diuina inclinatione eſt accipienda, ſolùm eſt ſumenda ex obiectorum inæqualitate. Cùm ergo obiectum, quod melius eſt, & magis bonum, non ſuperet aliud in infinitum, ſed finita perfectione; cùm vtrumque ſit ens finitum, & creatum; fit, quòd inclinatio Dei terminata ad obiectum quod eſt melius, non infinito, ſed exceſſu finito excedat inclinationem Dei, terminatam ad obiectum, quod in ſe minus bonum eſt. Præterea quis prudenter iudicabit, voluntatem diuinam neceſſitari poſſe ab exceſſu finito bonitatis ſecundùm quem obiectum, quod melius eſt, id, quod minùs bonum cenſetur, dicitur
68. excedere.

Colliges ex his, Deum facere contra propenſionem hanc, ſecundùm quam magis in obiectum melius propendet, eſſe idem, ac non operari Deum iuxta cognitionem illam, vt terminatam ad obiectum melius, ſeu non amare obiectum, quod vt melius voluntati proponitur; at in hoc nulla violentia infligitur voluntati diuinæ; ſiquidem non ſequi ductum cognitionis, repræſentantis bonitatem obiecti, ſolùm finitè alterius bonitatem excedentem, quidnam violentiæ præſefert? nihil; imo nos ſine aliqua anxietate, idipſum quotidie exequimur. Vel iuxta placita & principia ſanctiſſimi doctoris poſſumus rem componere; ſi dicamus, Deum, etſi aliàs minùs bonum obiectum eligentem, contra ſuam inclinationem numquam operari; etenim inclinatio elicita, de qua hîc eſt ſermo, (nam inclinatio innata ad aliquod bonum extrinſecum repugnat Deo, vt notauimus ſuprà *ſect. 4. num. 46.*) non conſiſtit in diuina cognitione, quaſi ſpeculatiuè terminata ad obiectum bonum; ſed in practica terminatione dictante hîc & nunc honeſtum eſſe, hoc præ alio exequi obiectum. Vnde huic practicæ terminationi non eſt eſſentialiter annexum, dictare honeſtum eſſe operari obiectum, quod melius eſt; ſiquidem reſpectu Dei, omnia extrinſeca obiecta ſunt æqualiter bona; & actus diuini in ea tendentes, ſunt æquè boni; & licèt obiecta ad inuicem ſe excedant, tamen exceſſus illorum minimè refunditur in actus diuini intellectus, & voluntatis, ſiquidem ſi loquamur de actibus Dei internis, Deus numquam elicit, nec poteſt elicere actum, qui in ſe minùs bonum ſit, nam vt *ſect. ſequenti* diſcutiam, quicumque actus diuinus, etiam terminatus ad obiectum minùs bonum, habet æqualem bonitatem cum actu, terminato ad obiectum magis bonum.

Colliges vlteriùs, gloriam extrinſecam Dei, 69.
vt ortam ex actibus Dei internis non ſuſcipere magis, & minùs, quia ſemper eſt maxima negatiuè; nam eius excellentia, vt ab illis promanans, metienda eſt iuxta menſuram excellentiæ, in ipſis actibus internis Dei inuentæ. At actus interni Dei ſunt æquales, in excellentia maxima negatiua, quia nullus eſt dabilis actus Dei internus, qui poſitiuè in bonitate alium ſuperet; vt videbimus infrà. Ergo excellentia glorificationis externæ, ex actibus internis Dei prouenientis, eſt, & debet eſſe maxima negatiuè: & hoc eſt cauſa, quòd etiamſi Deus eligat efficaciter obiectum minùs bonum, maiori prætermiſſo, quòd adhuc tunc electio illa interna, ſit negatiuè maxima, & ſummè bona negatiuè; atque adeo tam procul eſt, quòd tunc contra inclinationem ſuam Deus operetur, quin potiùs iuxta illam operari dicatur, ſiquidem inclinatio Dei non tendit ad obiectum creatum, quod ſit magis bonum, ſed ad actum Dei internum, qui ſemper ſummè bonus eſt.

Sectio VI.

Aliæ duæ rationes, pro ſuadenda morali neceſſitate in Deo, examinantur.

Mouentur ratione alia principaliori prædicti Authores, vt dictam moralem ne- 70.
ceſſitatem in Deo, ad ſe incarnandum reponant. Siquidem diuina volitio efficax incarnationis, eſt actus perfectior, & honeſtior nolitione eiuſdem. Ergo non potuit Deus habere nolitionem incarnationis, atque adeo neceſſariò habuit volitionem illius. Conſequentia patet, quia Deus non poteſt non habere actũ liberum omniũ perfectiſſimum, & honeſtiſſimum.

Reſpondebis cum Lugo communem ſen-
tentiam ſequuto *diſp. 2. ſect. 4.* Antecedens eſſe 71.
falſum, ſiquidem nullum ex diuinis actibus eſſe alio perfectiorem, & honeſtiorem, quia quilibet eſt infinitè perfectus.

Sed replicabis; ponamus duos actus diui-
nos, vnum charitatis, & alterum miſericor- 72.
diæ, vnuſquiſque, quippe ens à ſe, eſt infinitus in ſua linea. Deinde linea charitatis eſt perfe-

ctior ex genere ſuo, quàm linea miſericordiæ. Ergo infinitum, in linea charitatis, eſt perfectius infinito, in linea miſericordiæ. Ergo inter actus diuinos infinitos datur vnus alio perfectior. Prima conſequentia patet, quia infinitudo non extrahit illos actus à ſua linea. Ergo ſi vna ex illis lineis, eſt alia perfectior, infinitudo illis adueniens relinquet actus illos inæquales in perfectione.

73. Imprimis ratio pluſquàm par eſt, & fidei oppoſitum, ſi ſuum intentum lucraretur, conuinceret; ex ea infertur, Perſonas diuinas eſſe in perfectione inæquales, contra ſymbolum decernens: *in hac Trinitate nihil maius, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Sequelam probo, quia ex genere ſuo perfectius quidem eſt, eſſe fœcundum, & improductum, qualis eſt Pater, quàm eſſe productum & infœcundum, qualis eſt Spiritus ſanctus. Deinde infinitas illis adueniens non extrahit Patrem à linea fœcundi, & improducti, nec Spiritum ſanctum à linea infœcundi, & producti. Ergo infinitudo relinquit illos inæqualiter perfectos. Hoc eſſe falſum, videbit quiſque. Ergo ratio aſſignata efficax
74. non eſt.

Vt directè argumento, & replicæ reſpondeas, & eius vires pro oſtendenda morali neceſſitate in Deo, ad ſe incarnandum declines, nota, id eſſe altero imperfectius poſitiuè, quod caret ea perfectione, qua exceditur ab alio, reſpectu cuius imperfectius exiſtit; ſiquidem ſi illius perfectionem reipſa realiter haberet, adæquare diceretur alterius perfectionem, & conſequenter non eſſet illo poſitiuè imperfectius. Nota ſecundò id quod realiter ſibi idemtificat alterius perfectionem, nullo modo poteſt dici carere illâ, ratio, nam carentia perfectionis eſt non eſſe ipſius perfectionis; ergo ille, qui caret alterius perfectione, habet in ſe non eſſe talis perfectionis: Atqui in eo, quod cum alio identitatem obtinet, non datur non eſſe alterius, ſed potiùs ipſum eſſe alterius. Ergo id quod ſibi idemtificat alterius perfectionem, nequit dici tali perfectione carere. Notare tandem debes, quando communiter ſolet dici lineam charitatis eſſe perfectiorem, lineâ miſericordiæ, ſolùm denotari, quòd ſi ambæ lineæ non coniungantur cum prædicatis, virtute quorum adæquentur in perfectione, actus charitatis perfectior erit miſericordiæ actu; verùm id non ſufficit, quòd poſſint coniungi cum prædicatis, virtute quorum ſint prædicti actus æquales; ſiquidem ſicut actus charitatis, ex genere ſuo, eſt perfectior, tam in eſſe phyſico, quàm in eſſe morali, actu miſericordiæ: ſic etiam rationem maioris & perfectioris meriti ſibi arrogat; at iuxta communem contingere poteſt, quòd tales circunſtantiæ interueniant, virtute quarum tales actus ſint æqualiter meritorij: ſiquidem ſi actus charitatis ſit languidus, & remiſſus, & actus miſericordiæ feruidus & intenſus; iuxta vulgare aſſertum, tunc actus miſericordiæ æquè meritorius, quàm charitatis actus, conſurgit. Ergo etiam ratione prædicatorum, quæ illis aduenire poſſunt, cenſeri poterunt ambo æquè perfecti. His ani-
75. maduerſis.

Reſpondeo admittens ſolutionem ibidem *num.* 71. allatam vtpote ex principiis ſanctiſſ. Thomæ deſumptam, negando antecedens, & ad replicam *num.* 72. aſſero, admittens prædictos actus ex ratione communi eſſe in perfectione inæquales; ſed tamen nego in diuinis talem inæqualitatem retinere. Ratio, nam ibidem tales actus copulantur cum prædicatis, virtute quorum cenſentur æquales, ſiquidem quilibet illorum coniungitur per idemtitatem cum prædicato entis à ſe; eo enim ipſo, quòd eorum ſinguli ſint ens à ſe, vnuſquiſque petit cum alio idemtitatem habere, & cum aliis diuinis perfectionibus. Rurſum eo ipſo, quòd tales actus petant prædictam idemtitatem inter ſe, & cum aliis perfectionibus diuinis, repugnat illis inæqualitas in perfectione; ſiquidem vt notaui, idemtitas cum alterius perfectione, eſt alterius perfectionis poſſeſſio. Hæc verò deſtruit in poſſidente carentiam alterius perfectionis; atque adeo inæqualitatem in perfectione cum illo, quam haberet, ſi perfectione illa careret. Nunc ex hac materia, hanc deduco formam ad prædictam replicam, diſtinguo primam antecedentis partem, vnuſquiſque illorum actuum vtpote ens à ſe, eſt infinitus in ſua linea, taliter quòd, ratione talis infinitatis, ſit debita cuilibet idemtitas cum perfectione alterius, concedo, taliter quòd talis idemtitas illi non ſit debita, nego. Et diſtinguo alteram antecedentis partem, lineâ charitatis ex genere ſuo eſt perfectior linea miſericordiæ, ita vt contrahi nequeant per prædicata, virtute, quorum æqualitatem in perfectione obtineant, nego, ita vt talis contractio ſit illis poſſibilis concedo, & diſtinguo conſequens, de actibus diuinis nego conſequentiam; de actibus charitatis, & miſericordiæ creatis, concedo. Ad probationem, fateor ex vi prædictæ infinitudinis, actus illos à ſuis ſpecialibus lineis extractos non eſſe; ſed admitto, talem infinitudinem illorum, eos in ſuis lineis perficere, taliter quòd æquales in perfectione ipſos conſtituat, vt non ſemel expendimus.

Sed replicare poteris cum Bernal, in cuius animo doctrina iſta non ſedet *diſp.* 3. *ſect.* 1. 76.
num. 13. Primò, quia omnium vox prædicat, diuinas rationes abſolutas eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices, relatiuas verò non item; & tamen idemtitatem vnaquæque ſibi vendicat cum prædicato, nempe cum eſſentia, virtute cuius perfectionem alterius obtineat. Ergo quamuis actus illi ratione infinitudinis, cui coniunguntur, debita ſit idemtitas cum alterius perfectione, ſaluabitur in illis inæqualitas in perfectione.

Reſpondebis: non eſſe communem vocem 77.
apud omnes, relatiuas formalitates, etiam ſecundùm conceptum expreſſum, *ad*, rationem perfectionis ſimpliciter ſimplicis non participare, vt vidimus *tractat. de Trinitate, diſput.* 3. vbi plures Doctores in huius aſſerti ſuffragium vocaui, ſaltem intellectos de perfectione ſimpliciter ſimplici relatiua. Verumtamen ſecurius placitum ab illis ratio ſimpliciter ſimplicis perfectionis ſecundùm conceptum, *in*, non remouet, quod ſufficit, vt æquales euadant

dant in perfectione cum abſolutis prædicatis diuinis.

78. Replicabis 2. cum ipſo, eſſentia diuina eſt proprietatum radix, non tamen iſtæ. Ergo illis perfectior. Nobilius enim eſt, & perfectius radicem eſſe aliorum, cùm id maiorem exprimat ab alio independentiam, quàm ab alio tamquam à radice oriri, ob contrariam rationem. Tunc ſic: ſed eſſentia diuina ob prædicatum infinitudinis, & prædicatum attributale ſibi vendicant viciſſim identitatem: ergo tametſi prædicti actus identitatem ad inuicem habeant, ſeruare poterunt inæqualitatem in perfectione ex genere ſuo illis competentem.

79. Reſpondeo intorquens argumentum, quod ex Perſonis, contra rationem Granadi, & Ruitij ſuprà *numero* 73. intorſimus. Aſſerimus ergo concedendum eſſe antecedens, & negandam conſequentiam, ſiquidem vt proprietas diuina minùs perfecta eſſet quàm diuina eſſentia, deberet carere realiter iſtius perfectione, quod non compatitur cùm reali poſſeſſione perfectionis eſſentiæ, quam ratione identitatis cum illa habet proprietas, vt *numero* 74. aſſeruimus. Ad probationem huius conſequentiæ applicanda eſt diſtinctio, quam adhibuimus ſecundæ parti antecedentis replicæ *num.* 65.

80. Replicabis cum ipſo 3. ſi repugnat diuinis perfectionibus inæqualitas in perfectione. Ergo & quod virtualiter diſtinguantur. Hoc negamus. Ergo & primum. Reſpondeo eſſe nullam conſequentiam, etenim eſſe vnam diuinam perfectionem radicem alterius virtualiter, & virtualiter ab illa diſtingui, non arguit eas eſſe formaliter in ſe inæquales in perfectione, ſed ad ſummum, virtualem inæqualitatem, ad hunc tamen ſenſum, quòd ſicut eſſe illas formalitates virtualiter diſtinctas, nullam in ipſis ponit diſtinctionem formalem, ſed ſolùm æquiualentiam ad creatas perfectiones formaliter & in ſe diſtinctas; ita eædem formalitates dicentur virtualiter inæquales non inæqualitate formali & in ſe, ſed inæqualitate virtuali, per æquiualentiam ad creatas perfectiones, quæ inæqualis perfectionis formalis næuo fædantur. Quod patet, nam proprietatem, & eſſentiam in creatis eſſe in perfectione inæquales formaliter in ſe, deſumitur ex dependentia formali vnius, & independentia formali alterius. Nunc vero ab arguente, vt deſignet dependentiam formalem, quam habeat vna formalitas diuina ab alia, nullam cum fide monſtrabit, ad ſummum tradet virtualem, modo nuper explicato. Ergo aſſignare ſolum debet in illis inæqualitatem virtualem iuxta ſenſum explicatum.

81. Sed replicabis 4. & vrgentiùs: volitio obiecti imperfectioris vt formaliter, vel virtualiter diſtincta à volitione perfectioris, vel in ſuo conceptu formali habet perfectionem volitionis, tendentis in obiectum perfectius, vel non. Si primum, non ſunt duo actus, ſed vnus, & omnino idem; & ideo non dabitur locus diſputationi de inæqualitate diuinorum actuum. Si ſecundum; vel hic conceptus, prout excludens formaliter perfectionem alterius, eſt æquè perfectus cum illo, & hoc eſt difficillimum, cùm intelligi facilè nequeat, qua ratione tendentiæ in obiecta inæqualia, quæ in reliquis ſunt omnino paria, poſſint eſſe æqualis perfectionis. Vel non eſt æquè perfectus cum altero, cuius perfectionem formaliter, ſeu virtualiter excludit, & ſi hoc, iam admittimus inæqualitatem perfectionis in diuinis actibus.

Reſpondeo, nec replica hæc vim addit rationi Granadi nec Ruitij. Nam iuxta principia noſtra, hæc duo componuntur, & volitionem diuinam obiecti imperfectioris eſſe formaliter, ſeu virtualiter diſtinctam, à volitione perfectioris obiecti, necnon eſſe cum iſta æqualis formalis perfectionis. Quæ compoſitio naſcitur ex veritate notabilis *num.* 74. adducti, nam eo ipſo, quòd infinita ſit volitio obiecti imperfectioris, ratione talis infinitudinis, ſibi vendicat identitatem cum altera volitione in obiectum nobilius tendente; Rurſum, & ex vi iſtius identitatis, repugnat illi carentia perfectionis exiſtentis in alia volitione de nobiliori obiecto. Rurſum, & ex vi repugnantiæ iſtius carentiæ, competit illi iſtius perfectionem habere, atque adeo habere æqualitatem cum illa in perfectione; etenim id, cui repugnat ex conceptu ſuo formali carentià perfectionis alterius, debet habere tantam perfectionem, ac illud alterum. Tum, quia minor perfectio inuoluit carentiam maioris perfectionis, & ideo, cui talis carentia repugnat, etiam illi minoritas perfectionis repugnabit. Tum etiam, quia id, quod repugnantiam habet carentiæ perfectionis alterius fundat eandem æſtimabilitatem, & amabilitatem, ac illa altera perfectio, quæ eſt alteri propria. Siquidem in morali æſtimatione æqualem vtilitatem præſefert ſubiecto, eam habere, ac alteram. Ergo ex eo, quòd in Deo detur volitio tendens in obiectum minùs perfectum, & alia in obiectum nobilius tendens, non rectè inferunt hi Authores illas inæqualitatem formalem in perfectione habere. 82.

Sed replicabis contra ſolutionem, communiter defenditur, potiſſimùm in noſtra ſententia, pleniſſimam libertatem in omni genere, aſtruente in exercitio cuiuſque actus diuinæ voluntatis, Deum poſſe elicere actum tendentem in obiectum minùs perfectum, prætermiſſo actu tendente in obiectum nobilius. Ergo poteſt dari actus tendens in obiectum minùs perfectum cum carentia actus obiecti nobilioris. Ergo ille poterit eſſe imperfectior iſto. Conſequentia patet, quia actus carens maiori perfectione alterius, neceſſariò eſt altero imperfectior. Atqui actus liber obiecti imperfectioris exiſtere poteſt cum carentia actus obiecti perfectioris. Ergo poteſt eſſe imperfectior iſto. 83.

Sed reſpondebis, iuxta diuerſa principia conſtituentia aliter ac aliter eſſentiam metaphyſicam decreti Dei efficacis, & liberi in actu 2. Quidam enim defendunt, decretum Dei, eſſentialiter in eſſe liberi, actualiter conſtitui per actualem productionem rerum cauſatam immediatè à deſiderio ſimplici earum, quod deſiderium eſt neceſſarium in ſe, & in actu primo liberum, & conſtituitur in actu 2. liberum & efficax, per ipſam actualem rerum productionem. Alij verò aliter Dei libertatem in actu 84.

ſecun

ſecundo expendunt:dicunt enim decretum Dei liberum in actu 1. conſtitui formaliter in eſſe talis, per aliquid Dei intrinſecum, nempe per entitatem, quæ eſt pondus in obiectum, taliter quòd prædicta entitas ſit perfectio quædam formalis intrinſeca, & Deo neceſſaria; at verò non deficientia virtualis illius,nec ſit perfectio Dei formalis, nec neceſſaria, ſed contingens; ita tamen vt ratione illius nihil Deo adueniat, aut deficiat quoad entitatem, ſed solùm quoad denominationem.

85. Replica igitur adducta facilè declinari poteſt, ſecundùm iſtam duplicem opinionem: ſiquidem ſi attendatur ad primam, eſt certum ſecundùm illam in Deo dandos eſſe affectus ſimplices neceſſarios, & realiter identificatos circa quælibet obiecta,quorum quilibet efficax redditur, & libet in actu ſecundo, media productione actuali rerum immediatè ab illis cauſata;Rurſum eſt certum in hac opinione, quòd hi affectus communicant formaliter honeſtatem actionibus externis, & bonitatem moralem. Rurſum iuxta ſententiam iſtam tota honeſtas & moralis bonitas in actionibus externis inuenta, eſt denominatio extrinſeca prouenienſ illis, ex affectibus voluntatis,illas imperantibus, & eligentibus, vnde cùm tales affectus, quippe diuini,& infiniti, ſint æqualis perfectionis, vt ſupponitur ex dictis, fit, quòd æqualem honeſtatem, & bonitatem moralem communicent actibus externis; quia licèt actio externa tendens in obiectum imperfectius, detur cum carentia actionis obiecti perfectioris; tamen affectus ſimplex obiecti imperfectioris, non datur cum carentia affectus ſimplicis obiecti perfectioris; imo potius quilibet horum affectuum habet repugnantiam, ratione ſuæ infinitatis,cum carentia alterius,& conſequenter vnuſquiſque illorum, ſufficit communicare ſuæ actioni externæ, ſibi correſpondenti, infinitam honeſtatem & bonitatem moralem. Tunc ſic, ſed inter actiones infinitè honeſtas,& bonas moraliter non eſt dabilis inæqualitas in bonitate, & morali honeſtate; ſiquidem illa, quæ minùs perfecta deſignaretur, iam non infinita, ſed finita cenſeretur, ſiquidem haberet terminum, quem altera tranſiliret. Ergo actus obiecti minùs perfecti non eſt imperfectior actu de obiecto perfectiori.

86. Præterea eamdem replicam ſoluturi ſumus iuxta principia alterius ſententiæ, quam eſſe ſanctiſſimi doct.&ſuorum diſcipulorum defendimus 1.*p.tract.de volunt. Dei diſp.4. de conſtitutiuo actus liberi diuini*: ibi enim diximus quòd tendentia in obiectum imperfectius,& tendentia in obiectum perfectius, ſunt formalitates omnino neceſſariæ in Deo, atque adeo realiter inter ſe identificatæ;ſiquidem omnia in diuinis ſunt idem,vbi non obuiat relationis oppoſitio: Vnde quoad entitatem, quidquid fuerit neceſſarium in Deo,identificatur cum quolibet alio diuino:ex quo fit,quòd prædictæ tendentiæ ſint æquales in perfectione,quia vnicuique,ratione ſuæ infinitatis,repugnat carentia perfectionis alterius.Vnde licèt,ratione non deficientiæ virtualis,poſſit vna Deum denominare volentem, quin altera ipſum denominet,tamen quia quælibet ex illis tendentiis eſt æqualiter perfecta cum altera, & aliundè quælibet Deo adueniens, nullam Deo addat perfectionem, fit, quòd ſingulæ æqualem denominationem Deo exhibeant.

Iuxta iſtam vltimam opinionem, ſic eſt replicæ applicanda forma, diſtinguendo antecedens. Poteſt dari in Deo actus liber tendens in obiectum imperfectius, quin actus liber tendens in obiectum perfectius detur, quoad entitatem, nego,quin detur quoad denominationem, concedo, & diſtinguo conſeqoens. Ergo poteſt dari ille cum carentia iſtius quoad entitatem,nego,cum carentia iſtius quoad denominationem, nullam addentem perfectionem ſupra entitatem, concedo, & nego ſecundam conſequentiam. Ad probationem conceſſa maiori diſtinguo minorem, actus liber obiecti imperfectioris poteſt dari, cum carentia actus liberi obiecti perfectioris, cum carentia huius quoad entitatem, nego, cùm carentia huius actus quoad denominationem, nullam de nouo afferentem perfectionem ſupra ſuam entitatem, concedo, & nego conſequentiam. 87.

Sed replicabis. Ergo hæc eſt vera, omnes diuini actus ſunt æquales in perfectione,& honeſtate.Conſequentia eſt noſtra doctrina; ergo Deus nullam in ſuis actibus libertatem laude dignam exercebit. Probo conſequentiam; etenim iuxta principia noſtra, Deus ex ſe determinatus eſt, vel ad amandum obiectum perfectius,vel imperfectius, vel ad vtrumque omittendum. Rurſum iuxta doctrinam noſtram, quodcumque iſtorum, in quo diuina voluntas exerceatur, eſt æqualis bonitatis moralis, & honeſtatis. Ergo ex eo, qoòd hoc, vel illud determinatè eligat exequendum, nihil ſpeciale dignum laude exercebit. Conſequentia patet, quia apud nos,qui contraxit debitum vnius aurei, non cenſetur apud creditorem aliquam libertatem dignam laude exercere, ex eo, quòd hunc potiùs quàm illum aureum æqualis valoris & æſtimationis creditori præſtet,vt videbimus infrà *tract. de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti dubio de libertate Chriſti in obediendo precepto de morte ſubeunda*. Ergo ſi ſemel defendimus Deum eſſe neceſſariò obſtrictum ad honeſtam operationem, vel honeſtam omiſſionem,taliter quòd vnumquodque iſtorum æqualem habeat honeſtatem, & moralem bonitatem, tenebimur fateri Deum, ex eo, quòd vnum ex his potiùs, quàm aliud eligat, nullam libertatem laude dignam exercere. 88.

Vt reſpondeas aduerte, triplex eſſe caput, vnde laudabilitas operationum Dei ortum habere poteſt.Primum eſt,Deum hîc & nunc opus aliquod eligentem, ita illud exercere, vt in eo poteſtas non ſit ad illud non honeſtè operandum. Hæc eſt maximè laudabilis excellentia, verùm ab omni Dei operatione hîc & nunc exercita independens, cùm ante cuiuſque exercitium illi competat. Secundum, ex eo, quòd pro libito ſuo actum libertatis eligat exequendum, cùm antecedenter illum omittere poſſet; hoc enim laudabilitatem fundat; etenim quælibet virtutis executio, ſuam ſpecialem laudabilitatem ſecum fert; ergo Deus actum miſericordiæ exequens, dignus eſt, qui laude commende 89.

mendetur, cum poſſet talem actum omittere. Tertium caput eſt, ex eo quòd dum Deus aliquod opus exequitur, ſemper noſtræ vtilitati conſulit; Dnde licèt nullum exerceat, quod in ſuum commodum vergat, tamen exinde maius fundamentum habemus,. vt dignum laude colamus; etenim apud nos maiori laudabilitate afficitur is, qui aliquam actionem exequitur, conſcius ex illa nullum commodum reportaturus, eo fine ductus, vt alius vtilitatem ex illa capiat. Ergo ſi Deus ex operationibus à ſe elicitis, nequit aliquam commoditatem recipere, & eas exequitur, vt homines ex ipſis ingentes vtilitates recipiant, fit, maximum fundamentum laudabilitatis nobis præbere, in exercitio ſuorum operum.

90. Nunc applica formam replicæ præiactæ *numero octogeſimo octauo*, fateor, Deum non eſſe diguum laude, quæ nouiter reſpondeat perfectioni liberæ, per operationem nactæ, quia Deus quando liberè operatur, nullam ſibi acquirit perfectionem, quam antecedenter non haberet, vel æqualem, ſi illam liberè omitteret; nihilominus Deus dignus ſit laude ſpecialiter reſpondente illi virtuti ad quam opus ab illo factum ſpectare videtur. Rurſum illi præſtare debemus laudem gratitudinis ex eo, quòd liberè exequitur opus ea intentione, vt ex illo commoditatem & maximam vtilitatem reportemus, cùm poſſet Deus illud opus omittere, quo prætermiſſo, prædicta vtilitate priuaremur. Exemplum adductum ex debitore ſe ipſum oſtendit, quam diſpar ſit, ſiquidem in eius caſu creditor nullam commoditatem accipit ex eo, quòd hunc numero aureum præ alio illi debitor exhibeat; quapropter nulla apparet ratio, quare nouas gratias creditor debitori referat: at verò cùm Deus ex vi cuiuſque operationis nobis noua beneficia conferat, acquirit ſibi ius, vt nos illi nouas gratias pro quolibet opere à ſe facto referamus.

91. Altera ratio ab his Authoribus, vt dictam moralem neceſſitatem Deo exhibeant, formatur ſic: Deus nequit amare obiectum malum. Ergo non poterit amare obiectum minùs bonum meliori à ſe omiſſo. Conſequentiam probant, quia ſicut amor de obiecto malo, eſſet moraliter malus; ita amor de obiecto minùs perfecto, eſſet minùs perfectus moraliter. Atqui Deo repugnat amor moraliter imperfectus. Ergo & amor obiecti minùs perfecti, obiecto magis bono prætermiſſo. Maiorem probant, ſiquidem ſicut à malitia obiecti ſumit malitiam moralem actus affectiuus voluntatis, ſic ab imperfectione morali obiecti, debet accipere imperfectionem moralem actus voluntatis: Præterea, quia nos tendentes in obiectum minùs bonum, eligimus amorem moraliter imperfectum. Ergo pariter de Deo philoſophaturi ſumus.

92. Reſpondeo: concedo antecedns & nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem, amor de obiecto imperfecto eſſet moraliter imperfectus in creatis, concedo, in diuinis nego maiorem. Siquidem vt notauimus non ſemel amor creatus ſumit perfectionem ſuam ab obiecto, in quod tendit, cùm ab eo ſpecificationem ſumat: atque adeo iuxta maiorem vel minorem obiecti perfectionem metitur actus ſuam perfectionem maiorem, vel minorem. Amor verò diuinus, & vniuerſaliter quilibet Dei actus, ſpeciem ab obiectis creatis, in quæ tendit, non ſumit, & ideo ex illorum maiori, vel minori perfectione, non eſt taxanda illius perfectio moralis. Ad probationem primam illius maioris. Reſpondeo, malitiam actus, ex malitia obiecti accipi, & ex alia parte, cùm ille, qui obiectum malum amplectitur, auertatur ab vltimo fine, & Deus, qui vltimus finis eſt, à ſe ipſo auerti nequeat, ideo Deus nequit tendere in obiectum malum; at verò maior moralis perfectio ſemper ſibi annexam habet maiorem conuenientiam, & coniunctionem intentionalem cum vltimo fine: At Deus æqualiter affectiuè eſt ſibi coniunctus, qui vltimus finis eſt, ſiue magis bonum, ſiuè minùs bonum obiectum amplectatur. Ratio, ſiquidem maior affectiua coniunctio cum vltimo fine, vel dicit amorem perfectiorem ex parte actus, vel ex parte obiecti boni, quatenus importat maiorem vtilitatem ipſi vltimo fini; at neutrum dici poteſt; non primum, quia vt oſtendimus *numero octogeſimo ſexto ex tractatu de voluntate Dei* nullus in Deo eſt actus, qui quoad ſuam entitatem ſit alio actu perfectior. Præterea oſtendimus ex fide *ſectione tertia, & quarta*, nullum eſſe creatum obiectum, quod aliquam conuenientiam Deo afferre valeat, quæ ſpectet ad ſuum eſſe ſimpliciter, vel ad ſuum bene eſſe: Vnde fit, Deum æqualiter affectiuè eſſe coniunctum ſibi, qui vltimus finis eſt, ſiue in obiectum magis bonum, vel in minùs bonum intentionaliter affectiuè tendat.

Sed replicabis, quidquid ſit de hac doctrina, iſta propoſitio eſt vera, ſi obiectum eſt bonum in ſe, volitio diuina in illud tendens eſt bona in ſe. Ergo ſimiliter erit illatio hæc vera, ſi obiectum fuerit magis bonum, etiam volitio diuina in illud tendens erit magis bona. 93.

Reſpondebis negans conſequentiam, quia eſt nota diſparitas, etenim vt volitio diuina ſit bona, ſufficit, quòd fiat iuxta præſcripta dictaminis rationis; Rurſum vt volitio quæuis fiat ſecundùm dictamen rationis, ſat eſt illi tendere in obiectum bonum in ſe: At vt volitio euadat ex perfectiori obiecto perfectior in ſe, requiritur præter aſſignata vnum è duobus. Vel quòd actus ſuam perfectionem ex obiecto hauriat, vel quòd tale bonum, in quod tendit, ſit commodiùs Perſonæ amatæ: vtrúmque iſtorum diuinæ volitioni repugnare ſuppono ex dictis, exinde colligo quòd licèt bene inferatur, bonitas in actu, ex tendentia in obiectum bonum in ſe; non tamen maior bonitas illius, ex maiori bonitate obiecti, in quod fertur, eſt inferenda. 94.

Sectio VII.

Sententia negans moralem neceſſitatem in Deo reſpectu incarnationis defenditur.

95. Concluſionis huius Patronos non numero, quia præter aſſignatos tres, reliquus Authorum numerus ſine diſcrimine eam protegit. Eam expreſsè docet ſanctiſſimus doctor *lib. 1. contra Gentiles cap. 81.* Vbi cùm poſuiſſet, Deum velle omnia alia, volendo ſuam bonitatem, ex quo videbatur colligi poſſe, quòd ſi Deus neceſſariò ſe diligit, etiam neceſſario dilectutus eſſet cuncta creata, habet hæc verba: *Sed tamen rectè conſiderantibus apparet, quod non eſt aliorum ex neceſſitate*, & tandem aſſerit, *nulla ineſt ei neceſſitas, vt alia velit ex hoc, quod velit ſuam bonitatem.* Ergo cùm ſanctiſſimus doctor depulerit à Deo omnem neceſſitatem, qua bonitates creatæ ab ipſo diligi dicantur; fit, vt ille Deo negarit neceſſitatem moralem, ſiquidem hæc eſt vera neceſſitas in ſententia illam propugnantium, atque adeo in illa dictione, *omnem*, intellecta.

96. Probatur ratione, quæ in ſanctiſſimorum Patrum oraculis continetur. Siquidem vel in Deo ponitur neceſſitas ſe incarnandi independenter à peccato, vel dependenter ab illo. Non primum, propter dicenda infrà, dum de motiuo, à quo fuit motus Deus, vt carnem aſſumeret, diſſeremus, ibi enim videbimus, ſanctos plures docere, Deum incarnationem dependenter à peccato voluiſſe; atque Rurſum docent, quòd ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet, quod infert, Deum incarnationem intendiſſe dependenter à peccato. Ergo primum nequit dici. Neque ſecundum: quia vt *ſect. 1.* dedimus alio modo, à Deo probè cognito, non ſe incarnando, potuit mundare hominem à peccato: ergo quamuis Deus independenter ab illo incarnationem decreuiſſet, nulla neceſſitas ad ſe incarnandum eſt ipſi aſtruenda. Confirmatur primò, nam communis ſanctorum phraſis eſt, illud abſolutè impoſſibile vocare, quod eſt oppoſitum illi, quod eſt moraliter neceſſarium. Ergo cùm aliunde ſanctiſſimi PP. doceant, Deum potuiſſe hominem reparare ſine remedio incarnationis, ſentire videntur, Deum nullo modo eſſe neceſſitatum moraliter ad ſe incarnandum. Antecedens patet, nam ſancti Patres loquentes de vitatione omnium venialium, dicunt hominem iuxta communem gratiam iuſtificatum, non poſſe omnia peccata venialia vitare ſine ſpeciali priuilegio. Ar apud omnes eſt certum, hominem non phyſicè, ſed moraliter ſolùm eſſe neceſſitatum, ad perpetrandum aliquod veniale. Ergo phraſis SS.PP. eſt, vocare abſolutè impoſſibile illud, quod opponitur ei, quod moraliter eſt neceſſarium. Ergo è contrà, ſi Patres docent, abſolutè potuiſſe Deum reparare hominem ſine incarnatione. Ergo ſentiunt Deum, antecedenter non fuiſſe moraliter neceſſitatum ad illam eligendam.

Ratio concluſionis: nam ſi Deus ex neceſſitate morali incarnationem elegit. Ergo & quæque produxit ex neceſſitate. Probo conſequentiam, quia ideo incarnationem moraliter neceſſitatus eligit Deus, quia melior eſt incarnatio, quàm non incarnatio; & ex alia parte, in tali electione nullus ſequitur in infinitum proceſſus; at in quouis à Deo producto, melior eſt productio, quàm non productio illius, v.g. creatio mundi, quàm illius non creatio. Ergo. &c. 97.

Verùm vt rationis huius vis aptiùs ſubſiſtere poſſit, nota doctrinam, etſi generalem, perutilem: hoc, inter alia, verſari diſcrimen, inter intellectum, & voluntatem, quòd obiectum intellectus, conſiſtit in indiuiſibili, quippe conſiſtens in veritate cum falſitate pugnante; at verò voluntatis obiectum, latitudinem quandam tenet, ſiquidem conſiſtit in bonitate, & conuenientia, quæ ſuapte natura, non ita indiuiſibilis eſt, quippe illud idem, quod, reſpectu huius eſt bonum, poteſt reſpectu alterius eſſe melius; imo & deterius. Ex quo fit, vt licèt propoſita ſufficienter intellectui veritate, non poſſit intellectus non aſſentiri; propoſita tamen voluntati bonitate obiecti, poterit illa ſuum actum proſequutionis arcere, niſi aliunde proponatur ratio bonitatis, ita infinitæ, vt neque, reſpectu aliorum, poſſit eſſe maior, neque, reſpectu alicuius tertij, poſſit aliquâ malitiâ affici. Vt beatis ſumma apparet diuina perfruenda bonitas. 98.

Hoc animaduerſo; vis rationis conſtat, & ſuperadditur alia, ſiquidem tam incarnatio, quam non incarnatio, mundi productio, & eius non productio (idem intellige de cuiuſlibet rei productione ad extra) nequeunt diuinæ voluntati proponi, tamquam bonum infinitum, ſed vt finitum. Ergo in neutrum eorum debet ferri voluntas Dei neceſſariò. Conſequentia patet, quia quod eſt bonum creatum, poteſt eſſe bonum, reſpectu finis, A, & eſſe malum, reſpectu finis, B, 99.

Reſpondebis, argumentum hoc ſolùm concludere, depellendam eſſe neceſſitatem phyſicam à voluntate diuina, reſpectu cuiuſque operis ab ipſa exequendi; & hoc fides monet, non tamen eſſe ab illa auferendam neceſſitatem moralem, regulatam à dictamine ſapientiæ Dei dictantis, id, quod melius eſt, exequendum eſſe à Deo. 100.

Sed replicabis, quia ratio hæc vtramque neceſſitatem expungit, Phyſicam admittunt aduerſarij, moralem probo: quoniam dictamen ſapientiæ Dei, nequit proponere vt melius, exercitium aliquod ſingulare, per ordinem ad omnem finem, qui poteſt à Deo intendi, ſed tantùm per ordinem ad hunc vel illum determinatum finem in particulari: aliqua enim ſunt media conducibilia ad hunc finem, quæ inepta ſunt prorſus ad alium; & aliqua ſunt media conducibilia ad hunc finem abſolutè ſumptum & ſecundùm ſe, quæ ſimul ſunt minùs apta ad illum prout hîc, & nunc exequendum: quare dictamen ſapientiæ Dei, non potuit proponere redemptionem generis humani, tamquam medium conuenientiſſimum, reſpectu cuiuſque finis, ſed tantùm reſpectu finis ſingularis, 101.

qui

qui finis, cùm Deo neceſſarius non ſit, ſed ſpontaneus, nullam neceſſitatem nec phyſicam, nec moralem potuit in Deo arguere ad appetitionem, vel electionem talis reparationis.

102. Confirmatur, quia Deus non fuit moraliter neceſſitatus ad creandum alium mundum perfectiorem iſto, quem produxit de facto: Ergo nec fuit moraliter neceſſitatus ad eligendam incarnationem, eius negatione prætermiſſa. Conſequentiam ſtatuit veram ſimilis vtrobique ratio. Etenim ideo neceſſitas moralis ab illis ponitur in Deo, ad ſe incarnandum, quia incarnatio eſt melior, quàm non incarnatio. Ergo ſi Deus inter duos mundos, quorum vnus eſt alio melior, minùs perfectum elegit de facto, optimè ſequitur, Deum nulla neceſſitate morali obſtrictum fuiſſe ad producendam incarnationem, ex eo, quòd hæc ſit melior, quàm non incarnatio. Antecedens eſt ſecurum, ſiquidem poſſibilis eſt alius mūdus perfectior, nec enim erat extra actiuitatem omnipotentiæ Dei, alios homines, & Angelos impeccabiles producere; cùm intra eius actiuitatem eſſet, cunctas hominū humanitates, & Angelorū naturas, ſibi hypoſtaticè annectere: vel omnes illos cum viſione beata producere, vel confirmatos in gratia illos producere. Iam mundum illum, talibus creaturis conſtantem, perfectiorem eſſe iſto, in quo nihil eorum inuenitur, quis dubitare valebit? nemo; etenim ſi vna ſola humanitas, Verbo Dei vnita, tantam pulchritudinem huic mundo conciliauit, ſi omnes hominum humanitates, & Angelicæ naturæ, ſimili hypoſtatica vnione perfungerentur, quantus decor eſſet? At Deus de facto prædictum mundum non produxit. Ergo Deus minimè fuit moraliter neceſſitatus ad producendum alium mūdum perfectiorē, prætermiſſo imperfectiori.

103. Reſpondebis negando conſequentiam, & hanc diſparitatē ex aduerſariis adduces. Etenim Deum moraliter non neceſſitari ad producendū mundum perfectiorem, naſcitur ex eo, quòd cùm inter mundos poſſibiles, non ſit deſignabilis mundus optimus omnium, ſed quolibet aſſignato eximio, dabiles ſint alij meliores, & meliores in infinitum, fit, vt ponenda non ſit in Deo neceſſitas moralis ad id, quod non eſt dabile, nec producibile; at in incarnatione contrarium reperies, ſiquidem incarnatio inter omnia opera à Deo poſſibiliter factibilia, ſortitur rationem operis optimi, & ideo tenebitur Deus, illam præ ſuo contradictorio efficaciter eligere, aliàs videretur Deus à legibus ſupremi artificis deficere, & ſuæ bonitati, illum quaſi impellenti ad optimum exequendum, reſiſtere.

104. Sed replicabis, ſiquidem duplex datur ſententia in ordine ad poſſibilitatem infiniti; quædam affirmat poſſibile eſſe infinitum in actu, alia id negat, admittit tamen, quolibet mundo producto, poſſibiles eſſe alios perfectiores, & perfectiores in infinitum. Si enim vera eſſet ſolutio adducta, in qualibet iſtarum ſententiarum ſequeretur inconueniens. Ergo non eſt tenenda. Probo ſequelam, imprimis in ſententia negante poſſibilitatem infiniti in actu, & concedente poſſibilitatem alterius mundi perfectioris, & perfectioris, quolibet producto teneretur Deus continuò, producere mundos perfectiores, & perfectiores in infinitum; atque adeo in perenni perfectiorum, & perfectiorum mundorum productione ſemper exiſtere. Ratio, nam collata mundorum perfectiorum, & perfectiorum continua productio, cum negatione talis continuatæ productionis, perfectior eſt iſta. Atqui per vos Deus, legibus ſupremi artificis, & ſuæ propenſionis tenetur producere id, quod perfectius eſt, imperfectiori omiſſo. Ergo Deus neceſſitatus erit ad continuam, & perennem productionem mundorum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum. Quod inconueniens eſſe, quilibet iudicabit. Iam quòd in ſententia poſſibilitatem infiniti in actu admittente, etiam ſequetur abſurdum; probo, nam iuxta prædictam ſolutionem, ſi poſſibile eſſet infinitum in actu, neceſſitatus eſſet Deus ad illud producendum; ſiquidem productio infiniti in actu, perfectior eſt quàm eiuſdem non productio, ſed iuxta ſolutionem, Deus lege ſupremi artificis, & inclinationis ſuæ bonitatis; neceſſitatus eſt ad producendum perfectiùs. Ergò Deus neceſſitatus eſt ad producendum infinitum in actu. Hoc eſt abſurdum. Ergo & ſolutio.

105. Argues cum Granado, Deus non ſolùm eſt ſapientiſſimus artifex in actu primo, ſed & in actu ſecundò; at quòd maiorem præſtantiam exprimit in artifice eſt, non ſolùm, quòd noſcat optima operari, ſed quòd actualiter optima optimè operetur. Ergo Deus non ſolùm cognouit optima optimè exequi, ſed reipſa illa actualiter eſt exequutus, ſicque intellectus eius, cui præſtantiſſima inſidet ars, cum voluntate conformetur, in qua reperitur artifex perfectiſſimus.

106. Reſpondeo duplici modo artificem peccare poſſe in executione operis à ſe facti. Primò, ex eo, quòd perfectè minimè cognouit naturam, & modum operis exequendi; vel ex eo, quòd illud executioni nón dedit, eo modo, quo cognouerat eſſe faciendum: v. gr. ſi Pictor intendens Canem depingere, Catulum depingeret, vel Equum, in artem miſerabiliter delinquet, quia putat, Canem illis partibus conſtare debere, verùm ſi artifex volens Canem delineare, taliter, vt ſimilitudinem habeat cum Equo, ſi id exequitur, in artem minimè peccabit: ſed potiùs illum effectum regulis artis conformem depingit, & ſuæ ideæ ſimilem delineat. Vnde quando Deus opus minùs perfectum operatur, leges boni artificis minimè tranſilit; ſiquidem ipſe non ignorat modum, quo talis effectus minùs perfectus, eſt operandus, nec aliter quam facit, conatus eſt facere illum; ſed maxima cum deliberatione, & conſultò talem effectum minùs perfectum, relicto perfectiori elegit producendum. Vndè dum illum exequitur, operatur optimè; non ex parte effectus; ſed ex parte ſui, quia illum operatur ex perfecta cognitione operis, & illud exequitur eo modo, & ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam illum producere decreuit.

107. Argues 2. cum eodem: voluntas diuina conformatur omninò cum diuino intellectu: ſed iſte iudicat meliùs eſſe, Deum ita ſe amare, vt nihil prætermittat eorum, quæ quouis modo cedunt in illius gloriam. Ergo voluntas diuina nihil iſtorum prætermittet. Conſequentiam eſſe euidentem, docet Granado. Minorem probat, proprium eſt amantis velle gloriam amato,

& id neceſſariò iudicat intellectus. Ergo etiam iudicat intellectus meliùs eſſe, velle maiorem gloriam, quando hæc eſt debita amato. Sed Deo eſt debita omnis gloria. Ergo diuinus intellectus non poteſt non iudicare meliùs eſſe, quòd Deus ita ſe amet, vt Deus ſibi velit ſummam gloriam, non ſolùm internam, ſed externam. Maior enim primi ſyllogiſmi probatur, ſiquidem cùm intellectus diuinus ſit perfectiſſimus, voluntas, quæ ei conformatur, rectiſſima erit. Ex quibus infert, Deum neceſſitatum eſſe ad producendum melius, nempe incarnationem, cùm id, quod melius eſt maiorem gloriam, ſaltem externam, in Deo conciliet.

108. Reſpondeo argumentum hoc præocupauit *ſectio 5.* verùm ex ibidem dictis aſſero, aliud eſſe voluntatem diuinam conformari diuino intellectui, & aliud voluntatem amare omnia, quæ intellectus vt amabilia proponit. Diſcrimen hoc naſcitur ex diuerſa natura intellectus, & voluntatis. Hæc eſt libera, & ab actu arceri poteſt: ille, quidquid verum eſt, neceſſariò attingit. Conformitas enim voluntatis cum intellectu diuino, conſiſtit in eligendo eo, quod vt melius proponit intellectus, negamus tamen intellectum diuinũ proponere ſuæ voluntati, vt melius, eligere ſibi ſummam gloriam extrinſecam, quã poteſt ſibi amare, quod eſſe falſum, conſtat *ex ſect. 5.* Etenim vt ibi diximus æquè perfectus eſſet actus, quo vellet Deus obiectũ, ex quo reſultaret in Deo gloria extrinſeca vt quatuor, ac actus ille, quo Deus eligeret obiectũ, ex quo prouenirer illi gloria extrinſeca, vt octo. Vnde ad probationem minoris aſſero: creaturam debere Deo ſummã gloriam extrinſecam, quam illi poteſt efficaciter deſiderare; ratio eſt, quia creatura debet ſe conformare cũ voluntate diuina: in quo ſumma glorificatio reſplendet; quam creatura poteſt efficaciter Deo velle: de Deo autem ſe amante, aliam eſſe rationem, diximus *ſect. 5. & 4.*

109. Argues vltimò. Anſelmus pluribus in locis decernit, incarnationem fuiſſe Deo neceſſariam ſuppoſito peccato. Primo, *lib. 1. cur Deus homo, cap. 25.* ait: *neceſſarium eſſe aliquos homines ad beatitudinem perduci.* 2. *lib. 2. c. 4.* ait, *id neceſſariò faciendum per ſatisfactionem exhibitam ab homine Deo*, & *c. 5.* tam neceſſarium exiſtimat id in Deo, ſuppoſito peccato, quàm ſit Deo neceſſaria ſolutio, ex ſuppoſitione permiſſionis, quod aſſerit, rationibus efficacibus probari. Et *cap. 10.* idipſum repetit. Ergo in ſententia Anſelmi, Deus moraliter eſt neceſſitatus ad incarnationem eligendam.

110. Reſpondeo S. Anſelmum intelligendum eſſe, nedum de morali neceſſitate, ſed etiam de phyſica, non abſolutè, & ſimpliciter tali, ſed ex ſuppoſitione alterius decreti, quod exequi nequeat ſine incarnatione. Exiſtimauerat enim Anſelmus, Deum ante præuiſionem abſolutam peccati, prædefiniuiſſe numerum hominum, qui ſaluandi erant. Rurſum poſt abſolutam peccati præuiſionem prædefiniuiſſe eius reparationem media ſatisfactione, omnino æquali, ab vno homine præſtandam. His enim ab Anſelmo antecedenter præhabitis, cùm aliàs ſatisfactio omnino æqualis offenſæ dari nequeat niſi ab homine Deo, vt dubiis ſequentibus amplius oſtendam; fit, vt ipſe cogatur defendere, Deum neceſſariò electurum incarnationem, vt fieret hominis reparatio eo modo, quo prædefiniuit illam Deus per ſatisfactionem æqualem. Eſſe S. Anſelmi hanc legitimam interpretationem, colligitur ex ipſo pluribus in locis, potiſſimùm in præfatione librorum, *cur Deus homo.* vbi hæc: *monſtratur non minus aperta ratione, & veritate, naturam humanam ad hoc inſtitutam eſſe, vt aliquando immortalitate beata totus homo, id eſt in corpore, & anima frueretur, ac neceſſe eſſe, vt hoc fiat de homine, propter quod factus eſt.* Vbi ex eo, quòd Anſelmus defendat, hominem præordinatum eſſe in beatitudinem, defendit, neceſſarium eſſe, quòd homo conſequatur illam. Tunc ſic: ſed ſi efficaciter à Deo non eſſet homo præordinatus in beatitudinem, minimè neceſſarium eſſet, quòd homo conſequeretur illam: ſiquidem vt fert communis, præordinatio inefficax cum negatione finis priùs voliti copulari poteſt: vt conſtat in damnatis. Ergo dum aſſerit, neceſſarium eſſe, hominem beatitudinem aſſequi, intelligendus eſt Anſelmus ex ſuppoſitione, quòd Deus decreuerit efficaciter antecedenter, illum ad beatitudinem ordinare.

111. Iam, quòd Anſelmus defendat, hominis reparationem, media ſatisfactione æquali, eſſe à Deo prædefinitam ſuadent Verba immediata illis, quæ retulimus nuper; nam immediatè poſtquam dixit quæ dedimus, addidit: *Sed non niſi per hominem Deum, atque ex neceſſitate omnia, quæ de Chriſto credimus fieri, oportere.* Et Poſtea *lib. 2. cap. 5.* explicans qualitatem huius neceſſitatis, aſſerit: *cùm dicimus Deum aliquid facere quaſi neceſſitate vitandi inhoneſtatem, quam vtique non timet, potiùs intelligendus eſt, quòd facit neceſſitate ſeruandæ honeſtatis, quæ neceſſitas non eſt aliud, quàm immutabilitas honeſtatis eius, quam à ſeipſo, & non ab alio habet, & idcirco impropriè dicitur neceſſitas: dicimus tamen, quia neceſſe eſt, vt bonitas Dei propter immutabilitatem ſuam perficiat de homine, quod incepit, quamuis totum ſit gratia, quòd fecit bonum.* Hæc Anſelmus, vbi nullam in Deo neceſſitatem agnoſcit, reſpectu incarnationis, niſi illam, quam ſecum fert ipſius immutabilitas, ratione cuius non poteſt non perficere ea, quibus ſemel initium dedit, quod idem eſt, ac Deum nullo modo poſſe non exequi id, quod ab ipſo antecedenter, & efficaciter eſt prædefinitum; & conſequenter defendit Anſelmus, Deum antecedenter habuiſſe decretũ prædefinitiuum, cuius impletio neceſſariò connectebatur cũ ipſa incarnatione; & cùm hæc in ſententia Anſelmi nequeat eſſe decretum prędefinitiuum glorificationis hominis, abſolutè ſumptæ, nec decretum ſolùm terminatum ad hominis reparationem, ſecundùm ſe ſumptã, fit, quòd adimpletio illius decreti prædefinitiui, in ſententia Anſelmi, debeat intelligi de prædefinitione reparationis hominis Deo per æqualẽ ſatisfactionẽ; quia non eſt dabile decretum, neceſſitatẽ in Deum inducens ad ſe incarnandũ. Quòd enim apud Anſelmum, decretum, iſtam neceſſitatem in Deo cauſans, non terminetur ad glorificationẽ vel reparationẽ hominis, ſecundùm ſe acceptas, cõſtat ex ipſo Anſelmo, qui ſuper illa verba *Pauli ad Rom. 9. commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis*, expreſsè fatetur, Deũ aliter, &

& diuerſis modis, ac per incarnationem nos reparare potuiſſe; ſed tamen incarnationem elegiſſe, vt eximiam Dei charitatem erga homines commendaret. Ergo, in ſententia Anſelmi, tota neceſſitas ad eligendam incarnationem, naſcitur ex ſuppoſitione decreti prædefinitiui reparationis hominis, cuius adimpletio neceſſariò cum incarnatione connectitur.

DVBIVM III.

An peccatum, in ratione offenſæ, ſit ſimpliciter infinitum?

DVbium hoc propriam ſedem agnoſcit hîc, cuius examen aditum aperiet difficultatibus præcedentibus, & ſequentibus, de poſſibilitate, vel impoſſibilitate ſatisfactionis pro peccatis propriis, vel alienis, à puro homine eliciendæ: & quia, in illios reſolutione, pro parte affirmatiua varia ſuut inuenta capita, vnde peccato, in ratione offenſæ, infinitas ſimpliciter proueniat in genere moris, ideo plures ſectiones inſtituam, quæ illorum firmitatem examinent.

SECTIO I.

Notabilia generalia ponuntur.

1\. ANte reſolutionem notare debes primò, communiter in peccato Authores diſtinguere malitiam, & offenſam, ſeu rationem iniuriæ Dei. Malitia explicatur in ordine ad obiectum turpe, quod tale peccatum reſpicit; & includere dicitur malitia priuationem honeſtatis oppoſitæ. Offenſa verò exprimitur per reſpectum ad Deum, cui irrogari dicitur.

2\. Secundò nota, offenſam, iuxta communem, eſſe malum Perſonæ, cui infertur; vbi malum ſumitur pro diſconuenienti; necnon accipitur malum, quouis modo ſit tale, reſpectu offenſi, hoc eſt, ſiue ſit intrinſecum, ſiue extrinſecum illi: atque adeo offenſa eſſentialiter præſefert malum aliquod illatum, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, ipſam Perſonam offenſam afficiens; nam offenſa, ex proprio ſuo conceptu, eſt ablatio alicuius boni in eo, cui irrogatur; & quia bonum, quod aufertur, vel reipſa & in effectu auferri dicatur, vel ſolum in affectu, ideo vno ex his modis offenſa, eſt eſſentialiter mali illatiua in Perſonam offenſam, vt quando quis de Paulo, & Franciſco verba contumelioſa protulit, ſed cum diſcrimine, quòd Paulus bonam opinionem, ex vi talium Verborum, amiſit; Franciſcus autem ſuam bonam famam reipſa illibatam conſeruauit. In vtroque caſu offenſa illa fuit mali illatiua, reſpectu Pauli, quoad effectum; reſpectu verò Franciſci, quoad affectum.

3\. Tertiò nota communiter rationem offenſæ in peccato, habere eſſe morale dicitur; verùm hoc morale eſſe, duplicem ſenſum ſuſcipit, vel enim reddit ſenſum, quòd talis offenſa ſit contra, vel iuxta regulas operantis, & iſte ſenſus eſt falſus, nam cùm offenſa nequeat habere eſſe morale, quod ſit iuxta regulas, habebit eſſe, quod ſit contra illas, cùm non ſit aliud eſſe morale; at nequit eſſe morale quod ſit contra regulas, quia tale eſſe conſtituit peccatum in ratione malitiæ, ſicut eſſe iuxta regulas operantis, conſtituit actum in ratione boni. Ergo illud eſſe morale, quod habet offenſa vt talis, non eſt per ordinem ad regulas rationis operantis. Secundus ſenſus eſt, nempe quod illud eſſe morale, quod habet offenſa, dicatur in ordine ad prudentum æſtimationem, ſeu iuxta regulas prudentum virorum iudicantium, prædictum eſſe morale in talibus rebus verè inueniri: & iſte ſenſus moralitatis, licèt non ſit ita ſtrictus, ac prior, non tamen eſt improprius, ſed verus, & communiter tale morale eſſe diuiditur in extrinſecum, & intrinſecum, hoc eſt illud, quod opera Chriſti afficit, vt dicam latè *tract. de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti, diſp.* 1. extrinſecum verò eſt pura extrinſeca denominatio, vt valor monetæ, & pretium rerum, quæ emi & vendi ſunt ſolitæ.

Quartò notare debes, doctrinam antecedentem inferri ex propria ratione formalitatis offenſæ; vnde qui ſemel admiſerit in peccato duplicem rationem, offenſæ ſcilicet, & malitiæ, taliter, quòd rationem offenſæ, eſſe malum Perſonæ, cui irrogatur, & non ipſius operantis illam præſumpſerit, rationem verò malitiæ, eſſe malum ſolius operantis exiſtimauerit, tenetur defendere offenſam, in ratione entis moralis, non ſumi per ordinem ad regulas operantis, quia ſic ſolùm eſt operanti mala, & diſconueniens, atque adeo concipitur vt malitia; offenſa verò, vt notauimus, ſolùm eſt Perſonæ, cui infertur, mala. Et hoc ipſum patet experientiâ iſtâ, qua comperimus, offenſam in eſſe talis perſeuerare, quandiu prudentum exiſtimatio de illa habita durare verificatur. Signum ergo eſt moralitatem offenſæ, non ex ordine ad regulas ipſius operantis, ſed ex ordine ad Prudentum exiſtimationem fore deſumendam. 4.

Quintò nota. Nec ex doctrina allata præſumas, me iſtas formalitates ſeparabiles defenſorum. Aliud enim eſt, offenſam & malitiam in peccato eſſe diſtinctas formalitates, & aliud ſeparabiles: illud petit diſtincta illarum conſtitutiua iam explicata; iſtud verò depoſcit vnam ſine alia in peccato reperiri poſſe: quod impoſſibile ſuſpicamur: vnde ex diſtinctione illarum, ſeparabilitas earumdem non bene deducitur: vt patet in actu meritorio, in quo datur formalitas liberi, & formalitas boni: illa in ordine ad obiectum, & hæc in ordine ad ſubiectum: & tamen prædictæ formalitates inſeparabiles ſunt. Hac eadem ratione expendendæ ſunt in peccato prædictæ formalitates, offenſæ ſcilicet, & malitiæ, quòd hæc ſit in ordine ad obiectum, dictamini rationis, & regulæ abſonum: illa verò in ordine ad Perſonam, in quam fit, & quòd ambæ ſint inter ſe inſeparabiles. 5.

Sed inſtabis; difficile videtur diſcrimen inueniri inter prædictas formalitates. Etenim offenſa formaliter eſt malitia. Ergo. Antecedens patet, nam offenſa formaliter eſt contra regulam rationis. Ergo formaliter eſt malitia; cùm per nos hæc per ordinem ad regulas rationis, quibus opponitur, explicetur. Antecedens probo, nam offenſa vt talis, formaliſſimè eſt iniuſtitia. Ergo formaliſſimè eſt contra regulam rationis: 6.

ſiquidem quid magis oppoſitum regulæ rationis, quàm quod formaliter eſt iniuſtitia.

7. Obiectio hæc occaſionem dat, vt rem penitiùs explicemus, ſicque malitiam peccati, & eius offenſam impermixtas comperiamus. Itaque in peccato quolibet, tres formalitates conſiderare debes. Primam, nempe malitiam ex obiecto regulis diſſono deſumptam, quæ cæterarum eſt fundamentum, & radix. Secundam, ſcilicet offenſam Deo irrogatam, maliriæ illi ſpeciali innixam. Tertiam, videlicet malitiam quamdam generalem, & tranſcendentem in materia iniuſtitiæ generaliter acceptæ, quæ cadit immediatè, tamqnam in materiam proximam, in ipſam formalitatem offenſæ. Vnde ſicut in quolibet peccato, præter formalitatem malitiæ ſpecialis, qua à cæteris peccatis diſtinguitur, datur alia formalitas malitiæ inobedientiæ, quæ illi & aliis peccatis eſt communis, & quæ ſupra malitiam ſpecialem fundatur; ita ſupra formalitatem offenſæ, ex ſpeciali malitia ortæ, cadit alia formalitas malitiæ generalis iniuſtitiæ; atque adeo offenſa materialiter ſupponitur, ad iſtam formalitatem generalis iniuſtitiæ, ſicut malitia ſpecialis, ſe habet materialiter ad formalitatem offenſæ. Itaque formalitas offenſæ in linea offenſæ eſt formaliter offenſa, & eſt materia iniuſtitiæ generaliter acceptæ formaliter talis; ſicut experimur in furto, nam res ablata, eſt materia iniuſtitiæ; ablatio verò illius ex motiuo iniuſtitiæ eſt iniuſtitia formalis. Sic in quolibet peccato rem conſidera, ſiquidem iniuria ipſa eſt materia iniuſtitiæ; oppoſitio verò, quam habet cum dictamine rationis, eſt formalis iniuſtitia; conſiderata tamen, vt eſt malum Dei, dicitur offenſa.

8. Notare debes rurſum: bifariam actum aliquem poſſe moraliter dici infinitum. Primò, intrinſecè, quando ſcilicet illi correſpondet forma infinita eum intrinſecè afficiens, hac ratione diccmus, *tract. de ſpectantibus ad voluntatem Christi*, quodlibet Chriſti meritorium opus, eſſe infinitè meritorium intrinſecè, quia quodlibet in ſe habet valorem ex Perſona infinita deriuatum, & cùm talis valor intrinſecè, quemque Chriſti actũ meritorium intrinſecè afficiat, dicitur, illi moraliter infinitum valorem dare; extrinſecè vero dicitur infinitus omnis actus, qui obiectum infinitum reſpicit, qualis eſt omnis actus charitatis.

9. Vlteriùs nota, non ex eo, quòd aliquis defendat peccatum, in ratione offenſæ, infinitatem habere, teneri defendere peccatum ſimpliciter, & abſolutè eſſe ſummum malum: nam hæc duo connexionem nullam habent; ſiquidem teſte ſanctiſſ. Th. *1. p. q. 49. art. 3.* repugnat dari ſummum malum, cuius rationem dat, nam ſi id poſſibile eſſet, poſſibile etiam eſſet malum, in ſe omnem rationem mali continens. Sicut enim ſummum bonum eſſentialiter exigit, continere in ſe omnem rationem boni: ita è contrà ſummum malum eſſentialiter exigit, continere in ſe omnem rationem mali. Hoc autem eſſe impoſſibile patet, nam continentia omnis rationis mali, arguit in continente infinitatem per eſſentiam; ſed hoc repugnat. Ergo & repugnat malum, continens in ſe omnem rationem mali. Maior patet, ſiquidem continentia omnis rationis bonæ, arguit in continente, infinitatem per eſſentiam. Ergo & continentia omnis rationis malæ, arguere debet in continente infinitatem per eſſentiam. Ergo quamuis peccato repugnet eſſe malum ſummum, non exinde illi infinitas, ſecundùm aliquam rationem malam, ei repugnabit. Vnde ſicut in linea bonitatis, iſta duo præſcindibilia ſunt, nempe infinita bonitas, & ſumma bonitas, vt patet in communi, defendente actiones Chriſti eſſe infinitas, in linea bonitatis moralis, & eas eſſe ſummè bonas denegante; ita in linea mali, hæc duo præſcindibilia erunt, nempe aliquid eſſe malum infinitum in genere mali, & eſſe ſummum malum; atque adeo non ex eo, quòd quis defendat, peccatum eſſe infinitum in genere offenſæ, tenetur defendere illud eſſe in ſe ſummum malum. Hæc omnia incrementum hábent ex doctrina ſanctiſſ. Doct. *1. p. q. 7. art. 1.* nullum infinitum, adhuc in linea morali, poſſe eam infinitatem habere, qualem Deus dicitur in ſe habere; ſiquidem Deus dicitur infinitus, infinitate omnis potentialitatis, & informationis experte, ipſe enim eſt forma, ita in ſe ſubſiſtens, vt nullo modo ſit aliquid in ſe recipiens, aut receptum in alio: quapropter nihil eſt dabile, vnde limitationem poſſideat; ſiquidem capita aliquid limitantia cenſentur, vel ſubiectum, vel forma: Deus enim, ex qua parte ſubiectum, in quo recipiatur agnoſcere nequit, à ſubiecto aliquo limitationem non poteſt capere: ex qua verò parte, ipſe aliquid in ſe recipere eſt impos, à forma aliqua limitationem non poteſt haurire. Contrarium inuenies in qualibet infinitate morali (de hac enim ſolùm dici poteſt, eſſe ſimpliciter, & abſolutè talem) extra ipſum Deum, nam eo ipſo, quòd ſit infinitas, condiſtincta ab infinitate Dei, concipi debet dependens ab aliqua forma; vt patet in ſententia communi, defendente peccatum eſſe, in ratione offenſæ, infinitum; in hac enim dicitur, offenſam conſiderari, vt receptam in peccato. Ex quo infertur, quòd etiamſi peccato concedatur infinitas ſimpliciter, in ratione offenſæ, neceſſe non eſt illi dabilem eſſe infinitatem in eo genere, in quo infinitas Dei reponitur.

Nota item, nec ex eo, quòd quis peccato aſcribat infinitatem ſimpliciter in linea offenſæ, nec inquam bene infertur, teneri defendere illud eſſe infinitum, ſecundùm illam maliciam generalem iniuſtitiæ, quam diximus *n. 7.* fundari in ipſa offenſa. Ratio, nam ſtat bene fundamentum, & radicem alicuius prædicati infinitam ſimpliciter eſſe, & prædicatum reſultans, eſſe ſimpliciter finitũ formaliter: ſicut compatitur bene, valorẽ operum Chriſti, infinitatẽ ſimpliciter habere, & quòd bonitas eorumdẽ operũ, ſupra quam cadit valor ille, ſit ſimpliciter finita. Vnde aliud eſt, malitiã illam generalis iniuſtitiæ, fundatam in offenſa conſiderari formaliter, vel cõcipi materialiter, & idemticè. Si primo modo accipiatur, nullo modo infinita cenſebitur, quia ſic accepta ſolùm dicit reſpectum ad virtutẽ illi oppoſitam, qua priuat, nempe iuſtitiam, quam homo exercere tenebatur erga Deum, quæ quia finita eſt, nequit in illam, infinitatem ſimpliciter refundere. Si verò ſecundo modo malitia illa generalis iniuſtitiæ concipiatur, infinitatem abſolutè illi aſcribere poterimus, addendo ſemper idemticè, quia licet formaliter ſit diſtincta à formalitate offenſæ, tamen cum illa idemtificatur, 10.

catur;

catur;ſed hoc non ſufficit,vt ſibi abſolutā arroget infinitatem,nam etiā cum hoc addito,nempe identicè,poterit peccatum,ſecundùm malitiam ſpecialem,infinitum vocari quaſi ſubiectiuè.

Sectio II.

Infinitas intrinſeca peccati, non bene probatur ex eo, quòd peccatum ſit deſtructiuum Dei.

11. AVthores agnoſcentes peccatum infinitum, infinitate intrinſeca morali ſimpliciter, in ratione offenſæ, varios diſcurſus formant, vt eam in ſcholas firmiter inducant. Antiquiores Thomiſtæ ea ratione moti fuerunt,nempe quia cùm peccatum graue ſit auerſio à Deo, vt vltimo fine,eſt quantùm eſt ex ſe deſtructiuum Dei, atque adeo,cùm non eſſe Dei ſit malum infinitum, refundere debet infinitatem ſimpliciter in ipſum peccatum, quod tantum malum, vt effectum reſpicit.Modus hic,infinitatem iſtam ſuadens,luculentiùs fuit à quodam ſalmantino Magiſtro explicatus, vrgentiſſimis rationibus, & magno authoritatum pondere munitus; quapropter,vt præſenti concertationi incumbamus impenſiùs, decreui, explicationem eius in medium edere, fundamenta referre, & examinare.

12. Notat igitur primò Author iſte, diuerſa eſſe principia,vnde dubitari poteſt an peccatum accipiat, aliquam infinitatem,quæque ibi numerat, noſque, dum ſingulorum veritatem ſcrutemur,referemus. Ait ergo aliud eſſe, quærere ad explicandam infinitatem peccati, vnde eius infinitas deriuetur,aliud, quærere, quæ ſit forma; vel quaſi forma conſtituens peccatum infinitum. Vtrumque enim deſignans aſſerit, principium deriuans infinitatem ſimpliciter in peccatum,in ratione offenſæ, eſſe ipſum Deum, vt eſt forma deſtruenda per peccatum. Iam vt deſignat formam,à qua intrinſecè dicatur offenſa infinita, notat, deſtructionem Dei,ſeu non eſſe Dei, poſſe tripliciter ſe habere reſpectu peccati. Primò,vt purum obiectum complacentiæ ipſius peccatoris.Secundo modo,quatenus eſt effectus ipſius peccati,conſiderati quoad affectum.Tertiò per modum formæ moralis, moraliter afficiens peccatum,applicanſque illi ſuam infinitatem,quam habet in genere mali. Si primo modo talis deſtructio Dei conſideretur, inſufficiens eſt refundere prædictam infinitatem in peccatum, quia tunc talis deſtructio reſpiceretur, vt purè obiectum; obiectum autem vt obiectum, non dat infinitatē actui in illud tendenti.Si verò ſecundo,vel tertio modo conſideretur deſtructio Dei,potens eſt formaliter refundere infinitatem in peccatū.Fundamēta iſtius dicendi modi,poſt illius impugnationem,examen ſubibunt.

13. Communiter tamen modus iſte impugnatur, deſtruendo principium,ſupra quod totam ſuam ſtructuram erigit. Siquidem repugnat peccato habere vim Dei deſtructiuam,quaſi actiuè.Ergo ex peccato, nullo modo ſequitur non eſſe Dei, ex quo, tamquam effectu,vel forma,infinitas in peccatum valeat deriuari. Antecedens probo, ſiquidem repugnat Deo deſtructio paſſiua.Ergo & peccato deſtructio actiua Dei. Antecedens quis negabit. Cōſequentiam probo;quia Angelo repugnat calefactionis paſſiuæ capacitas, repugnat etiam calor,qui vim calefaciendi actiuè habeat,reſpectu Angeli,ſed magis repugnat Deo capacitas paſſiuæ deſtructionis, quam Angelo repugnet paſſiua calefactio.Ergo repugnat peccatum, actiuam vim habens deſtructiuam Dei.

Reſpondebis: obiectionem hanc,vim ſolùm habere, ad probandum peccatum, vim actiuè Dei deſtructiuam, reipſa, & in effectu minimè habere; non tamen illud non habere vim deſtruendi Deum actiuè, quoad affectum, & peccatorem, dum peccat, non intendere Deum interimere,& ipſius non eſſe,vt poſtea comperietur; ſufficere tamen hoc,vt in peccato infinitas refundatur, videbimus infrà in ſolutione argumentorum,quibus ſuaderi intenditur idipſum. 14.

Sed replicabis,peccatum nec vt conuerſio eſt ad creaturam, nec vt à Deo eſt auerſio, talem vim Dei deſtructiuam,actiuè etiam quoad affectum,habet.Ergo ruit ſolutio.Antecedens quoad primam partem probo,nam eatenus talis vis tribueretur peccato, vt conuerſio eſt, quatenus per prædictam conuerſionem, ponit peccator in creatura rationem vltimi finis.Sed hoc minimè ſufficit dare peccato,vt conuerſio eſt, talem vim. Ergo peccatum, vt conuerſio,prædictam vim non habet.Probo minorem,nam vt id ſufficeret;deſiderabatur,quod peccans,conſtituens creaturam vltimum finem, haberet illam tamquam ſummum bonū, vel vellet deſtruere ſummum bonum,nempe Deum. Sed neutrum euenit. Ergo peccatum vt conuerſionem, ponere creaturam vt vltimum finem,non ſufficit, dare peccato talem vim deſtructiuam Dei quoad affectum. Probo minorem quoad vtramque partem.Etenim ſi peccator dum ad creaturam conuertitur, vellet in ea reponere rationem ſummi boni, etiam vellet illi dare æqualitatem cum Deo.Hoc autem eſt impoſſibile,vt patet ex doctrina ſanctiſſ.Doct. 1 *p. q.63. art.*.. quem ibidem eius diſcipuli,& alij ſequuntur, vt *tract. de Angelis diſp. vit.* de illorum demerito conſpeximus:ibi enim aſſerit Angel.doct. Angelum nullo modo appetiuiſſe, nec potuiſſe, æqualitatem cum Deo per æquiparantiam, quia id erat impoſſibile: imo plures nobiliſſimi Thomiſtæ defendunt Angelum nullo modo talem æqualitatem potuiſſe appetere, adhuc conditionatè ex parte obiecti. Ergo illa minor quoad primam partem,eſt vera. Quoad ſecundam patet, ſiquidem non minùs repugnat deſtruere in Deo rationem ſummi boni, ac ponere in creatura prædictam rationem ſummi boni.At ob repugnantiam huius,quamuis peccator ponat medio peccato, vt conuerſio eſt, rationem vltimi finis in creatura, non conſtituit in ea, etiam quoad affectum, rationem ſummi boni. Ergo ob ſimilem repugnantiam,nec à Deo auferet rationem ſummi boni, etiam quoad affectum. 15.

Iam quòd peccatum,vt auerſio eſt,vim illam deſtruendi Deum affectiuam non habeat, quod erat ſecunda pars illius primi antecedentis, numero antecedenti allati, probo: etenim peccatum, vt auerſio eſt, ſolùm deſtruere intendit extrinſecè in Deo rationem vltimi finis; hoc eſt ſolùm prætendit actum finalicandi deſtruere; non verò deſtruere bonitatem diuinam, quæ 16.

Deo eſt intrinſeca ratio finalicans. Ergo peccatum, vt auerſio eſt; vim non habet deſtruendi Deum, etiam quoad affectum; aliàs eamdem haberet ad deſtruendam intrinſecam Dei bonitatem. Antecedens patet, nam pone caſum, quòd peccator inuincibiliter ignoret, ex peccato tale malum inducibile eſſe; in tali caſu prædictum malum peccatori, minimè imputaretur, etiam quoad affectum, vt eſt communis doctrina apud omnes *l.1.q.73.* Ergo peccatum eſſentialiter vim nòn habet, etiam quoad affectum, Deum intrinſece deſtruendi, etiamſi peccatum, vt auerſio eſt, conſideretur.

17. Reſpondebis, prædictam vim concedendam eſſe peccato, quoad vtramque rationem, conuerſionis ſcilicet, & auerſionis, ſiquidem peccator, dum ad creaturam conuertitur, licèt in ea ſupponat aliquod bonum illi proprium; tamen aliud bonum, ex vi conuerſionis ad illam, in ipſa deſiderat. Illud, quod ſupponit eſt finitum, nempe proprium eſſe creaturæ. Hoc vero eſt ratio ſummi boni, & vltimi finis; illud reſpicit vt obiectum; illud verò tamquam effectum affectiuè intentatum, non tamquam effectum poſitiuum adhuc affectiuè intentatum, ſed tamquam effectum negatiuum intentatum affectiuè, ad hunc ſenſum, quòd cùm non eſſe Dei, ſeu deſtructio illius reſultet ex eo, quòd peccator auertitur à Deo, & Deus ſit terminus *a quo*, talis auerſionis, fit, quòd non repugnet, quòd voluntas tendat in talem deſtructionem Dei, ſaltem affectiuè, quia licèt hæc ſit impoſſibilis, tamē indiſpenſabiliter ſequitur ex termino, *à quo*, & quando aliquod impoſſibile reſultat ex termino *à quo* voluntatis, poteſt voluntas tendere in illud, quamuis repugnet illi tendere in impoſſibile tamquam in terminum *ad quem*, quod explicari poteſt doctrinâ ſanctiſſ. Doct. communiter probatâ: quæri enim ſolet, an aliquis poſſit ſuum non eſſe deſiderare, ſeu appetere? Communis reſolutio eſt, id eſſe impoſſibile, ſi ly *non eſſe* rationem termini *à quo* non obtineat; ſi verò ly *non eſſe* habeat rationem termini *à quo* id poſſibile eſſe. Vnde aliquis poteſt appetere ſe non eſſe, vt à miſeriis liberetur, quia reſpectu talis appetitus ly *non eſſe* ſortitur rationem termini, *à quo*, qui neceſſe non eſt, vt in motu ſaluetur. Similiter diſcurri poteſt in præſenti, nam cùm non eſſe Dei ſe habeat in peccato, ad inſtar termini *à quo* ſcilicet ex parte Dei, à quo homo per peccatum recedit, poteſt per tale peccatum appetere homo, quantùm ad affectum, non eſſe ipſius Dei. Sicut agens naturale, quando generat aliquam formam, intendit non eſſe formæ oppoſitæ, quæ quodammodo ſe habet ex pate termini *à quo*. Ad inſtar enim horum, non eſſe Dei habet ſe ex parte termini *à quo* actionis offenſiuæ, quatenus ex ſe ſeparat hominem à Deo.

18. Iuxta hæc poteſt reſponderi ad id, quod dicebatur, de ſummo bono ponendo in creatura per peccatum, vt conuerſio eſt; pro quo notant, peccatorem ponere in creatura rationem vltimi finis, & rationem ſummi boni, non facere id formaliter expreſsè, & per iudicium ſpeculatiuum; aliàs omnis peccans hæreſim contraheret: nec id facere ponendo illa, vt ſunt in Deo, ſiquidem huius bonitas, eſt in omni genere omnem bonitatem includens; bonitas autem à peccatore in creatura poſita, ſunt aliquæ conditiones ſummi boni videlicet, quòd non ordinetur ad aliud bonum, & quodammodo omnia ordinet ad talem creaturam, cùm illa fruatur, illam Deo præferendo. Vnde verum non eſt, peccatorem, quando peccat, velle creaturam in omnibus eſſe æqualem Deo, ſed ſolùm in ratione vltimò finalicandi, quam falſu in creatura, ponere intentat, & hac de cauſa, dicitur arguitiuè, & conſequenter peccatorem velle deſtruere ſummum verum bonum per appetitum remotionis, licèt non proſequutionis: è contrà Angelus ſi appeteret æqualitatem cum Deo, non diceretur appetere ſuum non eſſe, appetitu remotionis, ſed etiam appetitu proſequutionis; ſiquidem vt ſupponitur, Angelus appetitu proſequutionis tenderet in æqualitatem cum Deo: at æqualitas cum Deo formaliter inuoluit non eſſe proprium Angeli, ex parte termini *ad quem*; ergo ex eo, quòd Angelus illam proſequutiuè appeteret, etiam ſuum non eſſe ſibi deſideraret; at verò peccator, cùm vult creaturam vt ſummum bonum, vult hoc ſummum bonum cum conſeruatione proprij eſſe, quia ſolùm vult illud ſummum bonum, ſecundùm rationem actualem finalicandi, ſine ordine ad alium finem, & ordinando cætera ad ipſum, quod in affectu compatitur cum conſeruatione proprij eſſe, licèt conſequenter velit deſtructionem Dei, non appetitu proſequutionis, ſed remotionis, quatenus appetit aliquid, cum quo non conſiſtit, habere Deum rationem vltimò finalicandi; ex quibus patet eſſe diſparem rationem in Angelo, ac in homine peccatore.

19. Sed replicabis ſigillatim contra ſingula, quæ principalia ſunt in ſolutione: & imprimis proſequor diſcurſum inceptum; etenim peccator medio peccato, vt auerſio eſt, non aufert à Deo rationem ſummi boni finalicantis. Quoad affectum; ergo nec in creatura ponit rationem aliquam ſummi boni, etiam quoad affectum medio peccato, vt conuerſio eſt. Ergo peccatum quoad affectum nullo modo eſt deſtructiuum Dei. Conſequentia eſt clara, cùm non alia ratione detur peccato vis deſtructiua Dei quoad affectum, niſi quatenus habet vim reponendi in creatura rationem ſummi boni, & illam à Deo quoad affectum auferendi. Prima verò conſequentia eſt certa, quia ponere in creatura prædictam ſummi boni rationem, eſt transferre eam à Deo, in quo ſolum reipſa inuenitur, in creaturam. Ergo quod vim non habet auferendi à Deo prædictam rationem, nec habebit eam, vt illam in creaturam transferat. Antecedens probari debet, quod ſic oſtendo, nam eatenus dicitur à Deo auferri ratio ſummi boni, quatenus medio peccato homo à Deo ſeparatur, vt patet in vltimis verbis ſolutionis *n.17.* ſed per hoc nihil ſommi boni à Deo aufertur, etiam quoad affectum. Ergo peccator medio peccato non aufert à Deo rationem ſummi boni. Minor patet, nam me ſeparatum eſſe à Deo per peccatum, minimè ad eſſe intrinſecum Dei pertinet. Ergo media ſeparatione mei à Deo, nihil de ſumma ipſius bonitate intrinſeca auferri dicetur. Antecedens patet, nam ad eſſe intrinſecum Dei, ſolùm ſpectat, vt vltimus finis eſt, eſſe plenè ſatisfactiuum appetitus naturalis creaturæ.

Ergo

Ergo me eſſe à Deo ſeparatum medio peccato, nullo modo ſpectat ad eſſe intrinſecum ipſius Dei. Probo conſequentiam; ex terminis conſtat, nihil intrinſecum Dei pendere ex eo, quòd nolim ego eidem adhærere. Ergo me ſeparari à Deo per peccatum, vel coniungi cum illo medio amore, nullo modo ſpectat ad eſſe intrinſecum Dei.

20. Reſpondebis fortaſſe, me eſſe cum Deo hîc & nunc medio amore coniunctum phyſicè intrinſecè, non pertinere ad eſſe Dei; atque adeo me ſeparari à Deo hic, & nunc, & in effectu, nullo modo eſſe deſtructiuum Dei ſecundùm aliquid intrinſecum ipſi, tamen moraliter ex parte peccatoris perinde eſt auerti, & ſeparari à Deo vltimo fine, ac ſi Deus iam non eſſet in ordine ad vſus hominis committentis peccatum graue; atque adeo perinde eſt, ac ſi deſtrueretur Deus, non ſecus, ac qui gemmam proiicit in mare, perinde eſt, ac ſi illam deſtrueret, quia in ordine ad vſus humanos perinde eſt illa gemma, ac ſi re vera deſtructa eſſet.

21. Sed replicabis: poſito peccato graui, perſeuerat totum eſſe Dei, etiam in ordine ad vſum. Ergo ruit ſolutio. Antecedens patet, nam poſito peccato graui, manet Deus vt vltimus finis reſpectu aliorum, & reſpectu mei. Ergo poſito peccato, perſeuerat totum eſſe Dei etiam in ordine ad vſum. Antecedens patet quoad primam partem nempe reſpectu aliorum, ſupponendo illos iuſtos, & Sanctos eſſe: probo illud etiam reſpectu mei hîc & nunc in peccato exiſtentis, nam etiam reſpectu mei manet talis ſuppoſito peccato, qui ſua miſericordia poſſit vel peccatum condonare, vel me ad contritionem excitare, & eâ mediâ meipſum ſecum coniungere. Ergo poſito peccato adhuc in ordine ad vſum, manet Deus vltimus finis reſpectu mei actualiter peccantis. Exemplum gemmæ eſſe extra tem, patet, ſiquidem proiectio illius in mare, eſt illam quoad vſum omnium perdere: quod minimè contingere Deo, qui medio peccato non perditur, vt ex dictis conſtat. Vnde fit, quòd poſito peccato dicatur Deus, ſolùm amittere actualem extrinſecam finalicationem, illius nempe actionis offenſiuæ, quod intendebat argumentum.

22. Secundò argumentot contra alia, quæ miſcuit ſolutio *num.* 17. & 18. allata. Plura videntur ibidem adducta ſibi contradicentia: ſiquidem ex vna parte iudicatur impoſſibile, aliquem ſuum non eſſe appetere appetitu proſequutionis, & exinde colligunt, peccatorem, ſe ad creaturam conuertentem, & in illa rationem ſummi boni collocantem, nullo modo velle non eſſe ipſius creaturæ appetitu proſequutionis. Hæc enim ſibi contradicunt. Inquiro, an dum homo peccat, in creatura intendat ponere rationem ſummi boni, quæ propria eſt Dei, vel alia, quæ ſit diſtincta ab ea, quæ in Deo reperitur. Quidquid dicas, contraria aſſerta pronuntiabis. Siquidem ſi aſſeras vltimum. Ergo ex vi conuerſionis ad creaturam, nullo modo ſequitur etiam conſequenter deſtructum iri Deum, quod eſt contrarium aſſerto huius dicendi modi; Probo ſequelam, nam ſi bonitas, quam affectiuè peccator ponit in creatura, eſt diſtincta ab ea, quæ in Deo eſt. Ergo talis poſitio non eſt ablatio alicuius bonitatis, quæ ſit in Deo, etiam quoad affectum. Probo conſequentiam, nam ablatio quoad effectum alicuius prædicati in Deo exiſtentis, non eſſet poſitio alterius prædicati quoad effectum diſtincti ab eo, quod exiſteret in Deo; ergo ablatio affectiua bonitatis in Deo exiſtentis, nequit eſſe poſitio affectiua bonitatis diſtinctæ ab ea, quæ in Deo ſupponitur eſſe. Iſta ſunt luce ipſa clariora. Ergo ex eo, quòd peccator intendat ponerè in creatura rationem aliquam boni, quæ diſtincta ſit ab ea, quæ eſt in Deo, exinde non ſequitur illum intendere Deum deſtruere. Conſequentia patet, ſiquidem affectiua deſtructio Dei, eſt affectiua ablatio alicuius exiſtentis in Deo. Sed poſitio affectiua bonitatis, quæ eſt diſtincta à Dei bonitate, non eſt ablatio affectiua, vt vidimus, bonitatis exiſtentis in Deo. Ergo poſitio affectiua bonitatis diſtinctæ à bonitate Dei, quam intendit peccator inducere in creaturam, non eſt deſtructio ipſius Dei adhuc affectiua: quod eſt contrarium aſſerto principali.

23. Si propter hoc aſſeras primum, nempe peccatorem intendere affectiuè ponere in creatura rationem bonitatis illius, quæ reipſa exiſtit in Deo, etiam pronuntiabis contrarium alteri propoſitioni, videlicet peccatorem, talem bonitatem affectiuè ponentem, non poſſe intendere affectu proſequutionis non eſſe talis creaturæ. Quod licèt verum ſit, cùm duo actus proſequutiui affectiui repugnant, contrarij, imo contradictoriè oppoſiti: tamen aſſerta iſta ſibi contradicentia eſſe probo, impoſſibile eſt peccatorem velle, dum peccat, in creatura ponere rationem ſummi boni, quæ ſit propria Dei; & affectu proſequutionis non velle, quoad affectum, non eſſe ipſius creaturæ. Ergo dicere ex vna parte peccatorem intendere ponere in creatura rationem bonitatis, quæ eſt propria Dei, & ex alia, negare peccatorem non velle proſequutiuè non eſſe ipſius creaturæ, eſt contraria defendere. Antecedens probo, per vos peccator, dum peccat, affectiuè vult creaturam, ad quam conuertitur, eſſe bonam bonitate illa, quæ eſt propria Dei. Sed bonitas illa includit formaliter non eſſe ipſius creaturæ. Ergo eo ipſo quòd peccator velit creaturam eſſe bonam bonitate, quæ eſt propria Dei, proſequutiuè vult non eſſe ipſius creaturæ. Maior eſt doctrina huius dicendi modi, ſiquidem eam ipſam bonitatem vult peccator ponere in creatura, quam dicitur à Deo per affectum tollere. Sed quam per affectum à Deo tollit, eſt bonitas propria Dei. Ergo peccator, dum peccat, iuxta hunc dicendi modum, affectiuè vult creaturam eſſe bonam bonitate illa, quæ eſt propria Dei. Nunc probo minorem illam; non minùs bonitas, quæ eſt propria Dei includit non eſſe creaturæ, cui per affectum eſt volita, ac æqualitas cum Deo; per affectum intentata, nón eſſe ipſius creaturæ inuoluere dicatur. At hæc formaliter inuoluit non eſſe creaturæ. Ergo & illa: ſolùm eſt difficultas in maiori, verum non video quo iure negari poſſit, ſtando proprietati terminorum; etenim idem eſt per æquiualentiam, velle affectiuè bonitatem, quæ eſt propria Dei, ac velle æqualitatem cum Deo; nam licèt formaliter ex volitione affectiua bonitatis Dei, ſolùm ſequatur volitio

æqualitatis cum ipſo in ratione boni concepto, tamen arguitiuè & conſequenter æqualitas cum Deo ſecundùm totam ſuam entitatem, ex tali volitione infertur, ſicut licèt ex tali volitione ponente in creatura bonitatem, quæ eſt propria Dei, formaliter ſolùm inferatur deſtructio bonitatis diuinæ finalicantis, in ſententia iſta; tamen arguitiuè & conſequenter ſequitur, deſtructio totius Dei, vt vidimus in ſolutione *num.* 18. allata. Minor eſt doctrina ſolutionis. Cônſequentia eſt certiſſima: Tunc vltra. Ergo peccator, dum peccat, conuertendo ſe ad creaturam, vult affectu proſequutionis non eſſe ipſius creaturæ. Probo conſequentiam: nam vt vidimus, hæc ſunt certa, Primum, peccatorem ſe ad creaturam conuertentem velle, quantùm eſt ex ſe, ponere in creatura bonitatem illam, quam à Deo affectiuè aufert. Secundum, bonitatem iſtam intentatam in creatura poni, inuoluere formaliter ex parte termini *ad quem* non eſſe ipſius creaturæ. Ergo etiam hoc deber eſſe certum, peccatorem, dum peccat, velle affectu proſequutionis, non eſſe ipſius creaturæ, ad quam cônuertitur. Conſequentia hæc Patet in Angelo, cui ideo negat ſolutio adducta potuiſſe velle æqualitatem cum Deo appetitu proſequutionis, quia cùm non eſſe ipſius Angeli inuoluatur in æqualitate cum Deo ſequeretur exinde Angelum eodem appetitu proſequutionis, velle debuiſſe non eſſe ipſius Angeli. At hoc totum reperitur, vt probauimus in peccatore, ſi verum eſt, illum, dum peccat, velle in creatura ponere bonitatem, quam à Deo aufert. Ergo peccator proſequutiuè vellet non eſſe ipſius creaturæ, ad quam conuertitur.

23. Nec veritatem continet aliud, quod *num.* 17. ſolutio adhibuit: videlicet voluntatem peccatoris poſſe tendere, & de facto tendere in non eſſe Dei, quia hoc licèt ſit impoſſibile, ſe tenet ex parte termini *à quo* non verò ex parte termini *ad quem*. Nunc ſic: ergo ſi iuxta principia allata iſtius modi dicendi, non eſſe Dei ſe teneret ex parte termini *ad quem*, optimè inferretur, peccatoris voluntatem non poſſe tendere in non eſſe Dei. Probo ergo rem ita ſe habere debere, iuxta principia iſtius dicendi modi. Non minùs reipſa eſt impoſſibile ponere in creatura rationem ſummi boni, quam affectiuè peccator intendit ponere in illa, dum per peccatum ad ipſam conuertitur, ac impoſſibile ſit auferre à Deo reipſa rationem ſummi boni. Sed illa impoſſibilitate non obſtante, voluntas peccatoris intendit tamquam terminum *ad quem*, ad ponendum in creatura rationem ſummi boni, & vltimi finis. Ergo non obſtante altera impoſſibilitate, tendere poterit voluntas in ablationem rationis ſummi boni à Deo, ſeu in deſtructionem Dei. In iſtô ſyllogiſmo duo aſſerta, quæ ſibi contradicunt, probantur contra modum iſtum. Primum, de facto voluntatem tendere proſequutiuè, in aliquod impoſſibile, etiam dum hoc ſe tenet ex parte termini *ad quem*, cùm impoſſibile ſit, voluntatem habere rationem ſummi boni, & vltimi finis, quæ eſt propria Dei, & in ſententia iſta, illam conetur ponere affectiuè voluntas in creatura, dum ad illam conuertitur: quod contradicit ſolutioni *num.* 17. adductæ, profitenti expreſsè, voluntatem tendere non poſſe in impoſſibile, quando hoc ſe tenet ex parte termini *ad quem*. Secundum, voluntatem æquè proſequutiuè tendere poſſe in deſtructionem Dei, etiamſi non eſſe Dei ſe teneret ex parte termini *ad quem*, cum illi ratione ſuæ impoſſibilitatis rationem termini *ad quem* non repugnare probauerimus. Quod contradicit alteri aſſerto, defendenti voluntatem non poſſe tendere in deſtructionem Dei, ſi deſtructio Dei ſe teneret ex parte termini ad quem.

Tertiò argumentor contra modum iſtum, concedendo ei, peccatorem per peccatum intendere deſtruere Deum quoad affectum, & hoc non obſtante peccatum exinde minimè infinitatem ſimpliciter ſubiturum. Ratio: nam conceſſa hypotheſi hac, eſt certum deſtructionem Dei eſſe reipſa, & quoad effectum impoſſibilem. Ergo peccatum non haurit tantam malitiam damni, quantam hauriret, ſi reipſa, & in effectu peccatum deſtrueret Deum. At deſtructione quoad effectum poſita euaderet peccatum infinitum: ergo deſtructione non poſita, nec poſſibiliter ponenda peccatum capere non poterit infinitatem ſimpliciter. Antecedens eſt lux ipſa cuique nota. Primam conſequentiam probo: etenim ſtante impoſſibili deſtructione Dei per peccatum, hoc nullam malitiam damni Deo illati contrahere poteſt. Ergo multò minùs hauriet tantam malitiam damni, quantam hauriret, ſi reipſa & in effectu Deum damnificaret, illum deſtruendo. Probo antecedens: quia formalis malitia damni non contrahitur ex ſolo interiori affectu, quo quis intendit exequi, ſed quo quis reipſa exequitur, vel ad ſummum per actionem, quæ apta ſit damnum illud exequi. At peccatum tantùm eſt affectiuè deſtructiuum Dei, in interiori ſcilicet affectu, cum impoſſibilitate deſtruendi illum quoad effectum. Ergo peccatum ſtante impoſſibili deſtructione Dei quoad effectum, nullam malitiam damni poteſt haurire. Probo maiorem; nam formalis malitia damni, conſiſtit in ipſa formali priuatione boni iniuſtè ablati. Sed hæc malitia non contrahitur per ſolum interiorem affectum. Ergo formalis malitia damni non contrahitur ex ſolo interiori affectu, quo quis exequi intendit, ſed per actionem actu damnum aliquod inferentem, vel proximè potentem illud inferre. Maior probatur, nam ſi attendatur interior affectus purus, quoad ea, quæ in ſe habet, omnis malitiæ formalis damni videbitur expers; etenim in illo formaliter talis malitia damni formalis non conſiſtit, quia hæc eſſentialiter conſtituitur ipſa deſtructione boni debiti; nec proximè cauſaliter, ſiquidem in omnium ſententia, affectus internus ſolus, rationem cauſæ proximæ damni minimè ſortitur.

Explicatur hoc, aliud enim eſt, actum internum eſſe malum, & aliud, malitia formali damni eſſe infectum. Primum eſt certum, ſecundum falſum, ſiquidem peccatum malitiam formalem damni contrahit, quatenus peccatum ipſum coaleſcit ex actione proximè damnificatiua; in præſenti autem ſolus manet affectus interior

interior auferendi à Deo rationem vltimi finis, & ſummi boni, cum impoſſibilitate exequendi quo ad effectum talem ablationem. Quomodo ergo cenſendus eſt talis actus interior, malus formaliter malitia formalis damni? Vnde licèt quodlibet peccatum interius ſuam malitiam habeat ex obiecto, prædicta tamen malitia damni formali deſtituetur. Rem hanc dabunt duo hæc exempla: Quia formalis malitia homicidij, in priuatione humanæ vitæ conſiſtit, quæ etiam, dum committitur, non communicatur actui interno, nam formale homicidium non eſt terminus puræ volitionis, ſed terminus ipſius exequutionis, vnde homicidium non habet eſſe tale, quia volitum, ſed quia reipſa commiſſum, vel poſſibiliter proximè per actionem externam committendum, niſi aliàs ex ſpeciali & miraculoſa Dei prouidentia impediatur talis commiſſio. Vnde ſi ponas actionem externam, quæ totam vim proximam habeat homicidium cauſandi, & Deus contra impetum naturalem illius, impediret miraculosè mortis exequutionem, vt non ſemel in ſuis ſanctis à tyrannide concuſſis, ſua miſericordia operatus eſt Dominus, adhuc in tali caſu malitia homicidij per illam actionem contraheretur; quia hæc contrahitur perfectè per actionem liberè poſitam talis valoris, vt ſi à ſuperiori cauſa non præpediatur, proximè & infallibiliter prædictam vitæ priuationem induceret. Rem hanc expendit eleemoſyna externa, quæ quia conſiſtit eſſentialiter in ſubleuatione egeſtatis, minimè communicatur actui interno ſeorſim ſumpto. Vnde bonitas eleemoſynæ minimè communicatur interiori actui, etiam quando coniungitur actioni externæ miſeriam ſubleuanti; alia bonitas illi communicatur, quæ actui interno proportionatur; ergo peccato malitia formalis damni minimè communicabitur ex eo præcisè, quòd affectiuè, & ex ſe ſit deſtructiuum boni debiti Deo, ſi aliunde impoſſibilis ſit quoad effectum talis externa ablatio boni diuini: quia non minùs conſiſtit damni malitia, in ablatione boni debiti, ac homicidium in priuatione humanæ vitæ, & miſericordia in ſubleuatione egeſtatis: ergo de omnibus his, eo modo eſt Philoſophandum.

26. Reſpondebis, quòd quando voluntas ex parte ſua abſolutè ponit media efficacia ad deſtructionem alicuius, licèt illa deſtructio de facto non ſequatur, voluntas dicitur reſpicere talem deſtructionem, non vt purum obiectum, ſed vt effectum ſaltem quoad affectum; ſi enim ſe habet voluntas peccantis mortaliter, reſpectu deſtructionis Dei, quæ licèt re ipſa ſit impoſſibilis, tamen non ob hoc prædicta voluntas deſtituetur malitia formali damni. Et exemplis poteſt reſponſio iſta fulciri; nam ſi aliquis vellet efficaciter quantùm eſt de ſe occidere Petrum, & ad id applicaret media ex ſe efficacia, licèt Petrus ex aliqua Dei protectione non poſſet occidi per talia media, vel quia præhabuit aliqua medicamenta impeditiua reipſa talis occiſionis, nihilominus talis voluntas occidendi Petrum, reſpiceret talem occiſionem & effectum ſaltem quoad affectum, & contraheret malitiam formalem damni, & homicidij. Præterea, qui haberet vim occidendi infinitos homines, poſſet velle occidere illos, licèt actu infiniti homines non ſint poſſibiliter producibiles, & ſic illa infinitudo occiſionum, licet realiter non ſit effectus illius voluntatis; quoad affectum, poteſt illi imputari tamquam effectus eius. Male ergo à peccato ſecludimus formalem malitiam deſtructionis Dei, ex eo, quòd talis deſtructio ſit reipſa impoſſibilis: nam talis impoſſibilitas non naſcitur ex defectu virtutis peccati, quia hoc quantùm eſt ex ſe, cônſtituit quoad affectum, creaturam vltimum finem atque adeo, quantùm eſt ex ſe, à Deo aufert, quoad affectum, rationem vltimi finis, cùm duo vltimi fines ſint impoſſibiles.

Solutio hæc, ſi premantur tantiſper, præoccupata videbitur ex his, quæ *numero antecedenti* dedimus; imo nihil in ea inuenitur, quod impugnatum non ſit: verùm vt clariùs appareat, exempla adducta parum aut nihil prodeſſe; aduerto ex aduerſa parte contradictoriam propoſitionem illi, quam ſolutio adhibuit, vt fundamentum, eſſe veritati conſonam; videlicet quòd quando affectus terminatur ad effectum impoſſibilem, non habet eandem malitiam, quam haberet effectus exercitus, ſi reuera eſſet poſſibilis, ſed aliam malitiam valde diſtinctam, quæ totum ſuum complementum in ipſo affectu cognoſcit, nam in tali hypotheſi impoſſibilitatis effectus, non prohibetur affectus interior, ratione effectus, ſed ratione ipſius affectus interni, & hæc eſt ratio, quare non hauriat infinitam malitiam, etiamſi tendat in effectum, qui ſi eſſet reipſa, infinitè malus eſſet: ſed ad ſummum finitam; ex quo infero, exemplum illud de occiſione infinitorum hominum, minimè ſuffragari ſententiæ contrariæ, ſiquidem ille actus nullo modo contraheret malitiam formalem damni infinitorum hominum: atque adeo non eſſet infinitè malus, & propter eandem rationem, actus, quo quis vellet infinitos homines ſaluare, nec infinitè bonus euaderet: ſimiliter actus, quo quis ex erronea exiſtimatione putans Deum bona aliqua intrinſeca poſſe ex creaturis recipere, vellet dare Deo dona intrinſeca, nullam infinitudinem in linea bonitatis contraheret. Et ratio omnium eſt, quia effectus iſti ſunt impoſſibiles reſpectu illius hominis, ſicque nullo modo refundere valent eandem bonitatem, & malitiam, quam in ſe haberent (demus habituros infinitam bonitatem & malitiam) ſed aliam inferioris ordinis. Vnde exemplum illud de homine intendente Petrum occidere, & media efficacia illius occiſionis infallibiliter inductiua applicante, & aliunde, vel à Deo, vel a medicamentibus fortioribus, eorum vis impedita, noſtram rationem munit, vt vidimus *num.* 25. 27.

Confirmatur, quia ſi ſtante impoſſibili deſtructione Dei, non eſſe Dei intentatum per peccatum ſufficeret, vt refunderetur infinitas intrinſeca ſimpliciter in genere moris in ipſum peccatum. Ergo ſimiliter ſtante impoſſibilitate, ex parte Dei, ad recipiendum ſuum eſſe à creatura, poterit quis per actum charitatis intendere dare eſſe Deo, & conſequenter talis actus charitatis hauriret infinitatem ſimpliciter ex tali eſſe quoad affectum intentato. Conſequentia habet duas partes, & actum charitatis poſſe intendere 28.

intendere dare eſſe Deo, ſi hoc eſſet poſſibile, & quod talis actus euaderet infinitus ex tali eſſe intentato, non minùs ac peccatum in iſtorum ſententia euadit infinitum ex non eſſe Dei, à peccatore intentato: Prima pars patet, nam actus charitatis adeo in feruore incrementum poteſt ſuſcipere, vt quis per illum intendere valeat dare eſſe Deo, ſi id poſſibile eſſet: illum enim S. Auguſtinum habuiſſe colligitur ex aſſerto quodam ipſi communiter aſcripto, dum enim erga Deum feruentiſſimo amore flagraret, dicitur, erupiſſe in hæc: *Vellem, quod ſi Deus non eſſet Deus, & Auguſtinus eſſet Deus, eligere non eſſe Deum, vt Deus eſſet Deus.* Quæ idem ſonant, ac velle dare eſſe Deo, ſi hoc eſſet poſſibile. Ergo per actum charitatis poteſt iuſtus intendere, Deo dare eſſe, ſi hoc eſſet poſſibile.. Secunda pars conſequentiæ patet, nulla eſt ratio, quare ex deſtructione Dei intentata per peccatum, accipiat hoc infinitatem in genere mali, & ex eſſe Dei per actum charitatis intentato, iſte non hauriat infinitatem in genere boni. Hoc negant iſti Authores. Ergo & illud negare tenentur.

29. Reſpondebis eſſe diſparem rationem, nam actus charitatis nunquam poteſt reſpicere eſſe Dei per modum effectus abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, conditione ſe tenente ex parte principij, & ex parte termini, quod vt explicet Author iſte, notat, quòd impoſſibile cognitum vt tale, nequit terminare actum proſequutionis abſolutum, & efficacem ex parte appetentis, ſed neceſſariò inuoluere ex parte illius conditionem; v.g. non poteſt Petrus abſolutè & efficaciter appetere volare, tamen volatum appetere poteſt, ſi haberet alas, ſi quidem alæ ex parte principij deſiderantur ad volandum, ſublatis enim illis non poteſt, ex parte principij volatus fieri. Similiter quando quis appeteret meritum infinitum, non poſſet appetere id abſolutè, & efficaciter, ſed conditionatè ex parte principij, quia non haberet principium merendi infinitum, ſic diſcurrit in præſenti, non poteſt quis velle dare Deo eſſe abſolutè ex parte principij, ſed neceſſariò ſupponit conditionem habendi eſſe, vt illud poſſet homo Deo communicare. Vnde ſi ſine tali conditione vellet dare eſſe Deo, in tali actu peccaret peccato ſuperbiæ: illud autem quod de Auguſtino dicitur, videlicet ex vi prædicti actus charitatis, voluiſſe dare eſſe ipſi Deo, exprimit in tali volitione conditionem ex parte principij, ſcilicet ſi Auguſtinus eſſet Deus. In peccato verò mortali nulla talis conditio inuoluitur ex parte principij, quia ex parte principij habet peccatum, quidquid requiritur ad deſtruendum Deum, ſi Deus eſſet deſtruibilis, nam ad deſtruendum Deum ex parte principij, ſufficiebat velle abſolutè, quòd Deo placeret hæc iniquitas, & quòd abſolutè vellet, Deum non eſſe finem vltimum, quod Peccator vult, quando ponit creaturam finem vltimum. Vnde peccatum, quoad affectum,, nullam inuoluit conditionem, neque ex parte principij, vt modo dixi, neque ex parte termini, deſtructio enim Dei ſolùm eſt impoſſibilis in effectu, non verò in affectu, quia peccator abſolutè affectat eam, & illa abſolutè eſt terminus talis affectus; dicitur tamen inuoluere conditionem ex parte termini, in ordine ad executionem, hoc eſt, affectat peccator deſtructionem, quam exequeretur ex vi peccati, ſi talis deſtructio eſſet poſſibilis; ex quibus ſequitur non eſſe Dei intentatum à peccatore, refundere infinitatem in peccatum: minimè verò illam refundere, eſſe Dei intentatum ab actu charitatis.

Sed replicabis: ſolutio hæc in ſua paritate relinquit actum charitatis, & peccatum. Etenim hæc ſunt certa. Primum, Deum ex parte ſui æquè eſſe infactibilem, ac indeſtruibilem. Secundum, peccatum non habere vim deſtructiuam Dei in effectu: ſicut nec actum charitatis illam habere ad Deum producendum. Tertium, peccatum vellet affectiuè deſtruere Deum; & actum charitatis velle producere Deum, intellecta conditione duplici, ſi Deus ſcilicet eſſet deſtruibilis, & ſi Deus factibilis eſſet. Iſta omnia admittit ſolutio. Ergo nullam diſparitatem deſignat inter actum charitatis affectiuè intendentem dare eſſe Deo, & peccatum intendens affectiuè deſtruere Deum. Probo conſequentiam, nam conceſſis his, æquè conditionatè, ſub conditione ex parte principij eſt potens peccatum deſtruere Deum, ac ſit amor potens conditionatè, ſub conditione ſe tenente ex parte principij ad præſtandū eſſe ipſi Deo. Ergo paritas vtriuſque manet æqualis. Antecedens patet, nam ideo amor eſt ſolùm conditionatè potens ſub conditione ſe tenente ex parte principij, ad præſtandum eſſe Deo, quia Deus non aliter eſt factibilis, niſi media virtute habente vim illum producendi, quæ reipſa repugnat amori; ſed Deus non aliter eſt deſtruibilis, niſi per virtutem habentem vim deſtruendi Deum, quæ reipſa repugnat peccato. Ergo hoc ſolùm eſt potens conditionatè ſub conditione ſe tenente ex parte principij. Minor eſt euidens, preterquam quòd conceditur ab Authore ſolutionis dicente, peccato repugnare vim quoad executionem Dei deſtructiuam. Ergo nulla ratio adducitur diſparitatis, inter peccatum, & actum charitatis, ratione cuius peccatum hauriat infinitatem ex non eſſe Dei, quod intendit, & actus charitatis intendens dare eſſe Deo, ex illo nullam infinitatem hauriat. 30.

Plurà hic Author congerit teſtimonia SS. dicentium, peccatorem, eſſe Dei, eius ſcientiam, omnipotentiam, & reliquorum attributorum conuentum deſtruere conati; ſed interpretandi veniunt, vel de hyperbolica locutione, qua non ſemel PP. vt nos à peccando ſubmoueant, vtuntur; vel de aliquo ſpeciali peccato, cuius ſpecialis malitia inuoluat ſpecialem illam intentionem deſtruendi Deum: non verò vniuerſaliter de quibuſque peccatis fuiſſe loquutos; ſiquidem apud illos eſt conſtans, peccatorem nullum latere, ſe non poſſe deſtruere Deum, & non ſemel ob hoc peccatum committere, aliàs illud minimè commiſſurum. Sed conceſſo apud Patres eſſe certum, peccatum quodlibet ſecum afferre ſaltem implicitè, intentionem illam deſtruendi Deum; cùm illa ſolùm eſſet affectiua de damno ab intrinſeco impoſſibili, nullum eſt fundamentum ſuadens, ex illa deſtructione capere poſſe peccatum infinitatem intrinſecam, ſiquidem talis deſtructio, quippe ab intrinſeco 31.

impoſſi

impoſſibilis, ſolùm eſſet illius intentionis extrinſecum obiectum, & nullo modo effectus, obiectum enim vt purè obiectum, ab aliquo actu attactum, in eum inſtrinſecam infinitatem minimè refundit; quantumuis obiectum ſit infinitum per eſſentiem, in omni genere entis, vt in actu charitatis monuerunt *numeri* 28. & 30.

SECTIO III.

Ex infinitate perſona offenſa, non bene probatur infinitas intrinſeca iniuria, Deo illata.

32. ALiud caput ſatis apud diſcipulos ſanctiſſimi Thomæ plauſibile, vnde infinitas offenſæ, aut iniuriæ Deo illatæ per peccatum deducitur, eſt infinitas perſonæ offenſæ, quia videlicet iniuria à vili Perſona illata eò eſt maior, quò Perſona offenſa eſt dignior, atque adeo cùm Deus, qui eſt offenſus à vili homine per peccatum, contineat infinitam dignitatem, offenſa debet eſſe infinita.

33. Sed hæc ratio fallax eſt, ex calculatione, quæ primo aſpectu reſpondentem deludit, cuius fallaciam detegit ſimilis argumentatio eidem calculationi innixa in actu charitatis, atque adeo ſi prædictus modus arguendi ſubſiſteret, fieret actum charitatis, in linea bonitatis moralis, infinitum euaſurum, quia actus moraliter bonus eò eſt melior, quò perfectius attingit obiectum cæteris paribus. Ergo cùm actus charitatis attingat Deum vt proprium obiectum, cuius perfectio infinitè excedit perfectionem reliquorum obiectorum, debet eſſe infinitè bonus. At nullus id admittit. Ergo ratio iſta, huic calculationi fidens, ſubſiſtere nequit.

34. Mirum eſt, quàm malè inſtantia hæc contra tios torſerit, adeo, vt tot effugia afferant pro reddenda diſparitate, inter actum charitatis & peccatum, quot ſunt Patroni illius modi arguendi; præcipua afferam, & refellam. Primum eſt, peccatum ex vi calculationis euadere infinitum in ratione offenſæ, quia offenſa, vt talis, eſt malum Dei, & ſic reſpicit Deum, non ſolùm vt obiectum, qualiter eum attingit actus charitatis præcisè, ſed etiam illum reſpicit vt ſobiectum morale prædictæ offenſæ, quapropter peccatum, ex vi illius calculationis, infinitatem ſimpliciter haurit, non tamen actus charitatis: iam quod iſte modus diuerſus, ſe tenens ex parte Dei, ſufficiat dare infinitatem peccato in ratione offenſæ, non tamen actui charitatis, explicant recètiores ex differentia qua ſubiectum & obiectum communicant ſuas perfectiones actibus in illa tendentibus, ſiquidem ſubiectum totum quod ex ſe poteſt communicat actui, ſecus autem obiectum; ſed per commenſurationem ad conatum actus, & influxum principij, & ideo actui charitatis dignitatem infinitam Deus non communicat. Si autem petas rationē huius diſcriminis aſſignari, inter obiectum & ſubiectum, illam deducunt ex modo, quo ſuppoſitum diuinum communicat valorem infinitum actionibus meritoriis Chriſti.

35. Sed replicabis, ſolutio hæc falsò défendit, Deum eſſe ſubiectum morale offenſæ, & hoc illi conceſſo, adhuc non reddit diſparitatem inter actum charitatis & peccatum. Singula probemus; primum, nam licèt peccatum concipiatur vt malum eſt Dei, quando vt offenſa concipitur, tamen rationabiliter verè nequit concipi vt malum intrinſecum Deo. Ergo Deus non vt ſubiectum intrinſecum moraliter, ſed vt purum obiectum extrinſecum debet ab offenſa reſpici, ſicut ab actu charitatis reſpicitur: & cõſequenter ſicut iſte, ita nec illa à Deo, infinitatem intrinſecam moraliter haurire poteſt. Antecedens probo, quia ſi conciperetur rationabiliter, & verè Deus, vt ſubiectum offenſæ intrinſecum, re ipſa adhuc eſſet intrinſecum ſubiectum moraliter offenſæ, quia aliàs tale iudicium verum non eſſet. At repugnat Deo eſſe ſubiectum intrinſecum morale offenſæ. Ergo repugnat verè concipi Deus, vt ſubiectum intrinſecum morale offēſæ. Minor probatur: repugnat Deo intrinſecè moraliter mutari. Sed ſi reipſa eſſet intrinſecum morale ſubiectum offenſæ, intrinſecè moraliter poſſet mutari, imò de facto per quamlibet offenſam quotidie millies mutaretur. Ergo repugnat Deo, eſſe reipſa ſubiectū intrinſecum morale offenſæ. Minor patet, quia ſicut ſubiectum phyſicè tunc mutatur intrinſecè, quando intrinſecè phyſicè recipit de nouo phyſicam formam; ita ſubiectum dicetur moraliter intrinſecè mutari, quādo recipit de nouo intrinſecam formam moraliter. Ergo ſi ſemel Deus aſtruatur ſubiectum intrinſecum moraliter offenſæ, cum millies quotidie ab hominibus offendatur, toties moraliter intrinſecè mutari diceretur. Conſequētiam monet omnimoda paritas, nam ſic ſe habet ad mutationem moralem intrinſecam inferendam in ſubiecto, forma moralis intrinſecè de nouo ſubiecto adueniens, ſicut ſe habeat forma phyſica, nouiter ſubiectum afficiens, vt in illud phyſicam mutationem inducat, nam ſicut per aduentum huius aliter phyſicè ſe habet ſubiectum; ita per aduentum illius, aliter moraliter ſubiectum ſe habet.

Reſpondebis cum Recentioribus diſtinguentibus ſequelam, mutaretur Deus moraliter, mutatione decreti, & conſilij, negant, mutationē morali ſumpta per ordinem ad prudētum æſtimationem, concedunt, & ſimili diſtinctione cæteris propoſitionibus ſatisfaciunt. Vnde aiunt, mutari illo modo, nihil aliud eſt, quàm ſic ſe habere in ordine ad æſtimationem prudentum, ac ſi re vera phyſicè mutaretur, fundamentum autem huius æſtimationis eſt hoc, nam eo ipſo, quòd quis grauiter offendit, Deum lædit intrinſecè in affectu, & effectiuè conditionatè; vnde dat fundamentum prudenti iudicio, ad exiſtimandum ſic ſe habere, ac ſi abſolutè illum læderet intrinſecè: & Deum ſic ſe habere ad grauificandam offenſam, ac ſi abſolutè, & intrinſecè Deus mutaretur per illam. 36.

Sed replicabis, ſolutio hæc dum mutationem intrinſecam fugere contendit in Deo, à proprio iudicio recedit, cùm per ea, quæ docet, nullo modo defendi poſſit, Deum eſſe abſolutè dicendum, ſubiectum intrinſecum moraliter offenſæ; ratio, nam ſignum aptius ad cognoſcendum, an aliquid ſit abſolutè dicendum, ſubiectum intrinſecum alicuius formæ, inueniri nequit, præter receptionem intrinſecam huius formæ in hoc, præ alio ſubiecto. Sed iuxta ſolutionem datam nullo modo ſaluatur receptio intrinſeca moraliter in Deo; Ergo iuxta illam ſaluari nequit, Deum eſſe abſolutè dicendum, ſubiectum intrinſecum offenſæ. Maior latet neminem. Mi- 37.

nor probatur, ſignum ad cognoſcendum receptionem abſolutam. & intrinſecam huins formæ in hoc ſubiecto, eſt mutatio abſoluta & intrinſeca aduenieus iſti ſubiecto per hanc formam. Sed iuxta ſolutionem datam, non ſaluatur mutatio abſoluta, & intrinſeca, adhuc moraliter aduenjens Deo per offenſam. Ergo iuxta illam non ſaluatur receptio intrinſeca abſoluta offenſæ in Deo. Maiorem docet philoſophia, quia tam indiſpenſabiliter cōnectitur cum receptione intrinſeca formæ in ſubiecto mutatio intrinſeca ſubiecti per formam, ac connectatur receptio ipſa iſtius formæ, cum ratione ſubiecti illius, atque adeo tam inintelligibile eſt, formā aliquam intrinſecè recipi in ſubiecto, & hoc intrinſecè non mutari, ac inintelligibile ſit, formam recipi in ſubiecto iſto, & hoc non eſſe ſubiectum illius. Nunc minorem probo. Nam iuxta ſolutionem datam, Deus abſolutè & intrinſecè non mutatur in ſe, moraliter adhuc, ſed ſolùm ita iudicari, ac ſi mutaretur per offenſam. At iudicium hoc non ſaluat reipſa Deum in ſe intrinſecè abſolutè mutari. Ergo iuxta ſolutionem non ſaluatur mutatio abſoluta, & intrinſeca adhuc moraliter, Deo per offenſam adueniens. Maior eſt ſolutio adhibita. Minor patet, nam iudicium illud; vel ſufficit, vt de Deo verificetur, quòd abſolutè intrinſecè moraliter mutetur in ſe, vel non ſufficit. Primum negat ſolutio. Si ſecundum. Ergo tale iudicium inſufficiens erit, vt Deus dicatur in ſe ſubiectum intrinſecum offenſæ. Probo conſequentiam, ſiquidem mutatio intrinſeca ſubiecti per hanc formam, cōſtituit vel connectitur cum ratione ſubiecti intrinſeci talis formæ. Sed iudicium illud non ſaluat in Deo, quòd per offenſam in ſe intrinſecè mutetur. Ergo nec ſaluabit quòd in ſe Deus ſit ſubiectum intrinſecum offenſæ. Maior præterquam quòd eſt ſecuriſſima philoſophia, manet probata in hoc numero. Minor eſt ſolutio data; cōſequentia optimè infertur. Tunc vltra. Ergo offenſa nullo modo reſpicit Deum tanquam ſubiectum intrinſecum illius; ergo non poterit à Deo infinitatem maiorem haurire in genere mali, quàm minimè hauriat actus charitatis in ipſum Deū tendens in genere boni.

38. Confirmatur, nam adhuc ſolutio hęc non ſufficit, vt fundamentum, quod aſſignat, vt exinde prudenter quis iudicet offenſam Deo illatam eſſe infinitam, efficaciam habeat ad tale iudiciū præſtandum: nam tale fundamentum in hoc conſiſtit, quia eo ipſo, quòd grauiter quis Deum offendat, Deum lædit intrinſecè in affectu, & effectiuè conditionatè, ità docet ſolutio *num.* 36. adhibita. At hoc fundamentum efficax non eſt, vt Deus prudenter iudicetur ſubiectum intrinſecum in ſe talis læſionis. Ergo nec efficax eſt ad prudenter iudicandum, offenſam haurire infinitatem intrinſecam ex Deo, vt ſubiecto illius. Probo minorem, nam quilibet cordatus penetrans vim lædendi Deum in offenſa repertam cognoſcet illam eſſe ſolùm affectiuam abſolutè & ſolùm læſiuam effectiuè conditionatè, ſub conditione ſcilicet, quòd Deus eſſet læſibilis. At hoc non eſt ſufficiens fundamentum, vt Deus prudenter iudicetur ſubiectum intrinſecū alicuius læſionis in ſe. Ergo ſolutio illa non præſtat fundamentum viro prudenti, vt iudicet Deum eſſe intrinſecum ſubiectum in ſe talis læſionis. Maior eſt ipſa veritas, & ſolutio ipſa. Minor patet, nam Authores iſti quamuis videant offenſam eſſe deſtructiuam rationis ſummi boni, quia tamen vident talem vim deſtructiuam eſſe ſolum affectiuam, & effectiuè conditionatā, ſub conditione ſcilicet, quòd Deus eſſet deſtruibilis, non eſt fundamentum ſufficiens viro prudenti, vt iudicet Deum in ſe eſſe ſubiectum intrinſecum talis deſtructionis; atque adeo nec efficax, vt offenſa ſumma infinitatem intrinſecam hauriat, ex tali deſtructione Dei intentata per peccatum. Ergo ſimiliter fundamentum viro prudenti non erit, vt iudicet Deum eſſe ſubiectum intrinſecum alicuius læſionis in ſe, ex eo, quòd videat, offenſam eſſe Dei læſiuam affectiuè; & effectiuè conditionatè, ſub conditione ſcilicet, quòd Deus eſſet læſibilis.

39. Confirmatur 2. nam ſi tale fundamentum eſſet ſufficiens, vt vir prudens iudicet, Deum eſſe ſubiectum intrinſecum læſionis intentatæ affectiuè ab offenſa, etiam erit ſufficiens ad prudenter iudicandum, Deum eſſe ſubiectum intrinſecum alicuius boni per actum charitatis affectiuè intentati. Hoc negant. Ergo & primum eſt ab illis negandum. Probo ſequelam, nam vt vidimus *ſect.* 2. *n.* 28. æqualem vim affectiuam habet actus charitatis, ad dandum Deo eſſe ſub conditione, quòd factibilis eſſet, ac habeat offenſa ad auferendum à Deo rationem ſummi boni ſub cōditione, quòd talis ratio à Deo eſſet auferibilis, vel ad lædendum Deum intrinſecè ſub conditione, quòd intrinſecè eſſet læſibilis. Sed iſta vis affectiua, in offenſa lædendi Deum, iuxta ſolutionem eſt fundamentum viro prudenti, vt iudicet Deum eſſe ſubiectum intrinſecum talis læſionis, & ex eo accipit infinitatem in linea mali. Ergo vis illa affectiua, quam habet actus charitatis, erit fundamentum viro prudenti, vt iudicet, Deum eſſe ſubiectū intrinſecum boni illius, quod affectiuè charitas præſtat Deo, taliter, quòd exinde hauriat infinitatem intrinſecam in linea boni. Vnde poterimus dicere, quòd Deus moraliter mutetur per actum charitatis, ſumpta morali mutatione per ordinem ad Prudentum æſtimationem, quòd que nullam imperfectionem poneret in Deo, ſiquidem mutari illo modo nihil aliud eſt, quam ſic ſe habere in ordine ad æſtimationem Prudentū, ac ſi re vera phyſicè mutaretur; Rurſum erit verum, quòd fundamentum talis æſtimationis eſſet hoc, nam ex eo, quòd homo Deum feruentiſſimè diligat, qualiter dicitur Auguſtinum Deum dilexiſſe, vult Deo bona intrinſeca affectiuè, & conditionatè effectiuè, ſub conditione, quòd poſſibilis eſſet poſitio alicuius boni intrinſeci in Deo: Hoc inquam dat fundamentum ſufficiens prudenti iudicio, ad exiſtimandum ſic Deum ſe habere, ac ſi abſolutè ille aliquod bonum intrinſecum ab actu charitatis reciperet, & Deum ſic ſe habere ad grauificandum charitatis actum, ac ſi abſolutè, & intrinſecè Deus mutaretur per illum. Hęc omnia tranſtuli ex ſolutione Authorum pro offenſa adhibita. Ergo ſi hęc reſpicit Deum vt ſubiectum iuxta prudentum eſtimationem, idem fundamentum datur, ad exiſtimandum prudenter, Deum eſſe ſubiectum actus charitatis. Ergo nullum veſtigium diſparitatis deſignant, inter peccatū & charitatis actū.

40. Confirmatur 3. nam conceſſo, quòd Deus

cenſeatur ſubiectum offenſæ, & quòd hæc exinde infinitatem hauriat; adhuc perſiſtit paritas inter peccatum, & charitatis actum: ſiquidem iſte pariter, ac offenſa reſpicit Deum, vt ſubiectum morale ſui. Ergo vel hoc non ſufficit ad communicandum offenſæ infinitatem intrinſecam, vel ſufficiet eam actui charitatis præſtare. Antecedens probo ex doctrina communiter ab Authoribus admiſſa ſanctiſſ. Th. 1. 2. *q.* 18. *art.* 3. vbi decernitur; quòd per amorem, amans patitur extaſim, & per hanc extaſim ponitur, ſecundùm partem appetitiuam in re amata; atque adeo res amata, manet vt ſubiectum amoris amantis; imo & ipſius amantis, iuxta illud, amans magis eſt vbi amat, quàm vbi animat. Hoc ipſum confirmari poteſt ex alia doctrina, communiſſima apud diſcipulos ſanctiſſ. Mag. *q.* 14. *in p. p. & q.* 19. vbi ponitur diſcrimen inter intellectum, & voluntatem, quòd ille trahit res ad ſe, vt in ſe, quaſi in ſubiecto ſint, voluntas verò per amorem fertur ad ipſas res, quaſi vt eas dicatur informare. Ergo actui charitatis, ex generali ratione amoris, tam proprium eſt reſpicere Deum à ſe amatum tamquam ſubiectum, ac proprium ſit offenſæ, Deum vt ſui ſubiectum reſpicere. Ergo eadem ratio militat in actu charitatis, ac in offenſa, vt ex Deo hauriat infinitatem ſimpliciter.

41. Argues nunc in fauorem iſtius modi dicendi, quem in hac ſectione impugnauimus, intendens probare grauitatem offenſæ ex dignitate Perſonæ eſſe taxandam. Peccatum contra Deum ſuperat tot gradibus offenſam, quot Deus ſuperat hominem. Sed hi ſunt infiniti. Ergo & illi. Maior probatur, nam ſicut inter Deum & hominem mediant infinitæ creaturæ, perfectiores homine, & imperfectiores Deo: quas omnes in perfectione ſuperat Deus: ſic inter offenſam contra hominem, & offenſam contra Deum, mediant infinitæ offenſæ, quæ contra creaturas patrari poſſunt, quæ ſint homine perfectiores, atque adeo, quæ ſint grauiores offenſæ, quas omnes ſuperet offenſa contra Deum facta, in grauitate. Ergo illa maior eſt vera, peccatum contra Deum factum ſuperat tot gradibus offenſam factam cõtra creaturam, quot gradibus Deus hominem ſuperat.

42. Argumentum hoc poteſt procedere de gradibus, qui verè in Deo contineantur, ſecundùm quos, collectionem creaturarum excedere dicatur, & de gradibus, qui verè in offenſa ſint, ſecundùm quos offenſa in Deum facta ſuperet cæteras offenſas factas contra creaturas, vel loquitur de gradibus per æquiualentiam. Si de primis, falſum aſſerit, quia nec offenſa in Deum continet gradus, quibus offenſas contra creaturas factas ſuperet, nec ipſe Deus vllos grados habet, ratione quorum creaturas dicatur ſuperare: vnde tam Deus, quàm offenſa in illum, ratione ſuæ eſſentiæ dicuntur ſuperare ſua inferiora; gradualis enim latitudo minimè eſſentiam rei conſtituit, quia cuiuſque rei eſſentia in indiuiſibili conſiſtit. Vnde idem eſt offenſam in Deum excedere reliquas offenſas in homines factas, ac illam eſſe in aliqua linea vel genere ſuperiori repoſitam, quæ pluris æſtimetur cæteris aliis inferioribus. Nec enim eo modo offenſa Dei eſt conferenda, cum cæteris hominum offenſis, ac conferri dicitur Deus, cum reliquis creaturis: ſiquidem Deus ita aggregatum creaturarum excedit, vt vnamquamque ſine limite ſuperet in ſua perfectione, ſed omnem æquali exceſſu ſuperare dicatur; & hoc naſcitur ex propria quidditate Dei, qui eminenter omnes, & quamlibet creaturam continere dicitur, nullam ſe ſuperiorem in perfectione cognoſcendo: offenſa verò Dei ita excedit reliquas offenſas facta, contra infinitas creaturas factas, vt ſimul in ſe limitem agnoſcere dicatur in ſua grauitate, ſiquidem qualibet offenſa deſignata poteſt dari alia grauior, & ipſa poteſt grauior fieri ex aliquibus circunſtantiis; itẽ nec aliqua offenſa in Deum eminenter continet reliquas offenſas; ex quo naſcitur, Deum in ſe infinitũ eſſe, ſecus verò offenſam in ipſum factam. Si verò arguẽs loquatur de exceſſu, ratione graduum æquiualenter in Deo, & in offenſa contra Deum facta contẽtorum; dicit verum, & in forma, eſt illi numero ſequenti reſpondendum. 43.

Reſpondeo in forma diſtinguens maiorem; peccatum contra Deum ſuperat tot gradibus offenſam factam contra hominem, quot Deus hominem excedit, eodem modo, nego, diuerſo modo, concedo; etenim offenſa finitè excedit offenſas, in homines factas modo finito, quandoquidem limitem aſſignatum admittat, Deus autem modo infinito creaturas cunctas excedit, ob contrariam rationem iam datam numero antecedenti. Ad probationem maioris ſimili modo diſtincturus eſt antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo maior illa eſt vera, peccatum cõtra Deũ factum, tot gradibus ſuperat offenſas in creaturas, quot Deus ſuperat homines, eodẽ modo nego, diuerſo, concedo conſequentiam. 44.

Replicabis, offenſa in Deum facta, gradibus infinitis excedit offenſas factas contra homines. Ergo eodem modo ac Deus ſuperat hominem, dicitur offenſa in illum, reliquas alias offenſas excedere. Antecedens probo, nam ideo Deus infinito modo excedit creaturas, quia in ſe eſt infinitus. Sed offenſa in Deum eſt infinita. Ergo offenſa in Deum, gradibus infinitis excedit offenſas in creaturas factas. Minor probatur, nam id, quod in ſuo conceptu inuoluit aliquid infinitum eſt infinitum. Sed offenſa diuina, & eius grauitas, inuoluit in ſuo conceptu aliquid infinitum, nempe infinitam dignitatem Dei, à qua formaliter hæc offenſa ſuam grauitatem haurit. Ergo talis offenſa habet grauitatem infinitam. Maior patet ex dicendis *tr. de ſpectantib. ad volunt. Chriſti diſp.* 1. ibi enim cum communi dicemus, quòd valor meritorum Chriſti eſt infinitus, quia inuoluit in ſuo conceptu deitatem infinitam, à qua formaliter opera Chriſti dignificantur, & hæc eſt ratio diſpar, quæ in actu noſtro charitatis & offenſæ in Deũ reperitur; quòd ille non inuoluit intrinſecè infinitam Dei bonitatem, ad quam tendit, ſed ſolùm reſpicit eam, vt terminum, & obiectum extrinſecum, à quo ſolùm deriuari poteſt bonitas extrinſeca, & quaſi effectiuè; at offenſa inuoluit infinitam dignitatem Dei in ſuo conceptu, non minùs ac opera meritoria Chriſti. Ergo ſicut hæc, ita & illa debet habere grauitatẽ infinitam.

Reſpondebis 1. negans antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. 45.

rem. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Itaque arguens ſupponere videtur, vt certum, dignitatem infinitam Dei ingredi formaliter, conceptum formalem eſſentiæ diuinæ offenſæ, quod eſt falſum; ſiquidem dignitas Dei tantùm reſpectu offenſæ, ſe habet vt terminus extrinſecus; ratio, nam eo ipſo, quòd homo cognoſcens furtum eſſe à Deo prohibitum, liberè committit illud, offendit Deum. At Dei dignitas, nec in actione libera furandi, nec in cognitione legis prohibentis, inuoluitur intrinſecè, ſed ad ſummum extrinſecè, tamquam extrinſecum obiectum purum: quomodo ergo dignitas diuina, erit de conceptu intrinſeco offenſæ Dei? Maior ex terminis ipſis nota, etenim inintelligibile eſt, quòd actionem quis liberam furandi exequatur, ſuppoſita cognitione legis illam prohibentis, & quòd non dicatur Deum offendere. Minor æquè eſt conſtans, nam actio libera furandi, quoad eius intrinſeca eſſentialia concepta, ſolùm importat externam rei alienæ ablationem, procedentem ex interna volitione imperante, regulata à cognitione indifferenti. Atqui dignitas diuina, vt eſt obiectum offenſæ, nec intrinſecè intrat actionem externam, nec internam volitionem, nec indifferentiam iudicij, nec ipſius prohibitionis cognitionem. Ergo ratio offenſæ adæquatè intelligitur conſtituta per aliquid diſtinctum realiter à diuina dignitate. Ergo hæc ſolùm ſe habet reſpectu offenſæ, vt terminus, ſicut diuina bonitas, reſpectu actus charitatis.

46. Reſpondebis, ſecundò negans antecedens, ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem, illud quod inuoluit aliquid infinitum, eſt infinitum, ſi capax fuerit infinitatis, concedo, ſi incapax fuerit, nego. Et diſtinguo minorem, Sed offenſa inuoluit infinitam dignitatem, cum capacitate recipiendi infinitatem, nego minorem, cum incapacitate illam recipiendi, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ad probationem maioris, quæ poteſt eſſe conſequentiæ probatio, diſtinguo antecedens, valor operum Chriſti eſt infinitus, quia inuoluit dignitatem infinitam, præciſè, nego, quia eam inuoluit, & ſimul opera Chriſti ſunt talis infinitatis capacia, concedo, & nego conſequentiam. Itaque ſi aliquid inuoluere aliquid infinitum præciſè ſufficeret, vt illud infinitum redderet, fieret etiam vt peccatum veniale euaderet infinitum, quia ſicut peccatum graue, quia eſt offenſa Dei, inuoluit dignitatem Dei, ita veniale, quia eſt offenſa Dei, inuoluere debet diuinam dignitatem; vel pete, quare illud, & hoc non, inuoluat dignitatem Dei, non eſt dabilis ratio, & tamen in ſententia omnium, ex dignitate Dei in veniali incluſa, hoc non haurit infinitatem, non alia ratione, niſi quia veniale incapax eſt infinitatis; ergo præter hoc, quod eſt inuoluere aliquid infinitum, deſideratur capacitas ad infinitatem, in eo, quod infinitatem eſt accepturum. Atqui peccatum graue incapax eſt infinitatis. Ergo quamuis habeat pro forma, dignitatem infinitam Dei, nullo modo ex illa infinitatem hauriet. Iam quòd ſtare poſſit, dignitatem Dei infinitam eſſe formam, reſpectu offenſæ, & hanc ex illa non ſumere infinitatem ſimpliciter, explico ex dictis; nam id quod, prout ſubeſt alicui formæ, admittit terminum eſſentialiter, nequit adhuc, vt ſubeſt infinitæ formæ, infinitatem deſumere, ſic enim ſe habet peccatum graue, adhuc vt eſt diuinæ Maieſtati iniurium, admittit enim augmentum, & decrementum, ſiquidem vnum peccatum eſt magis Dei offenſiuum alio: Quod enim, vt ſubeſt alicui formæ, ſuſcipit augmentum, dicitur habere terminum, vt ſubeſt prædictæ formæ. Ergo peccatum (etiam conceſſo, quòd eius forma ſit dignitas infinita Dei) terminum agnoſcit.

Sed replicabis, optimè ſtare, vnum peccatum eſſe alio grauius materialiter, & tamen vnumquodlibet, infinitum eſſe ſimpliciter, quia talis exceſſus non cadit ſupra infinitum formaliter acceptum, cùm hoc formaliter tale ioomnimoda negatione termini, quem aliud tranſgredi poſſit, conſiſtat: vt patet in infinita hominum ſerie, in qua plures capilli continentur, quàm homines, cùm ſinguli homines habeant multos capillos. Ergo ex eo præciſè quòd peccata inæqualia ſint, & vnum alio cenſeatur maius, non bene inferimus, ab eis eſſe infinitatem ſubmouendam. 47.

Reſpondebis, magnam, pati replicam iſtam, æquiuocationem, ſiquidem duplex deſignabile eſt infinitum. Vnum quantitatiuum, & aliud perfectionis, illud enim cùm fiat per additionem partium ad partes, permittit locum, vt de vno poſſit dici, ſaltem materialiter, eſſe alio maius, infinitum enim quantitatiuum formaliter acceptum, conſiſtit in negatione termini intrinſeci, ad hunc ſenſum, quòd deſignata aliqua parte, vel numero illud infinitum conſtituente, ſemper reſtat alia, alia & alia illud intrinſecè componens, infinitum verò perfectionis, eſſentialiter importat carentiam termini extrinſeci, ad hunc ſenſum, quòd imaginabilis non ſit aliqua alia perfectio, quam tale infinitum in ſe non præhabeat. Hoc enim eſſe conſtitutiuum talis infiniti perfectionis, patet, quia nihil aliud poteſt illud conſtituere: ſiquidem, cùm vnaquæque entitas ſit determinata in ſe, per ſuam determinatam indiuidualem differentiam, vel hecceitatem, & ex alia parte infinitum perfectionis, partium ſit expers, nequit in alio eius infinitudo reponi, niſi in eo, quod contineat, ſaltem eminenter, omnem perfectionem illius generis, in quo talis infinitudo conſideratur. Rem hanc manifeſtabunt exempla, ſiquidem probaturi Deum in omni genere eſſe ſimpliciter infinitum, non alio medio vtimur, niſi quia qoidquid perfectum ad quodlibet genus fuerit, eminenter in Deo præcontineretur, taliter, quòd ſi poſſibilis eſſet perfectio, qua Deus careret, Deus minimè eſſet, infinitè perfectus in omni genere perfectionis. Rurſum, vt deuincamus quodlibet Chriſti opus, eſſe infinitum ſimpliciter in genere meriti, & ſatisfactionis, nulla alia ratione id oſtendimus, niſi oſtendendo, nullum eſſe dabile opus meritorium, quod ſuperet quodcunque Chriſti meritum, neque deſignabile eſſe præmium, ad quod minimè Chriſti opus dignitatem non habeat. Ex hoc fit, quòd vt peccatum in genere offenſæ infinitatem ſimpliciter habeat, neceſſe eſt, quòd de qualibet offenſa graui verificetur, omnem rationem offenſæ in ſe ſal- 48.

tem

tem eminenter continere, taliterque, per quamcumque offenſam peccatorem conſtitui offenſorem, ac conſtitueretur, ſi plures & plures offenſas committeret, ſicut de quolibet Chriſti merito, quia infinito in tali linea, verificatur, ita eumdem Chriſtum merentem conſtituere, ac ſi innumera opera exequutus eſſet. Quæ omnia videntur rationi pugnare.

49. Sed replicabis 1. doctrinam noſtram ſolùm ſatisfacere peccatorum inæqualitatem in ratione offenſæ, ex qua parte hæc ſumitur ex obiecto, intenſione, & libertate actus, non verò ex qua parte ſumitur ex Perſona offenſa. Pro quo aduertunt, grauitatem offenſæ non ſumi ſolùm ex dignitate Perſonæ offenſæ; ſed etiam ex obiecto, libertate, & intenſione, & aliis circunſtantiis: quo animaduerſo aſſerunt, Peccata in ratione malitiæ, & in grauitate offenſæ, deſumpta ex obiecto, & aliis circunſtantiis, inæqualia eſſe, & vnum eſſe maius alio; grauitas autem Perſonalis, in offenſa graui inuenta, æqualis debet eſſe in omnibus peccatis mortalibus, quod ſic probant Recentiores; ſiquidem, quia valor Perſonalis à Perſona Verbi deſumitur, quæ infinita eſt, & ſeipſa valorem dat Chriſti actionibus, eſt æqualis in omnibus Chriſti operibus, etſi valor competens illis ex obiecto & aliis circunſtantiis maior ſit iuxta inæqualitatem bonitatis actuum. Ergo ſimilitergrauitas Perſonalis conueniens offenſæ ex maieſtate Perſonæ, quæ offenditur, ſeipſa grauificante, æqualis debet eſſe in omnibus peccatis, licèt grauitas ex aliis capitibus deſumpta, ſit maior, aut minor, iuxta inæqualitatem malitiæ.

50. Reſpondebis, quòd ſolutio hæc ſupponit eſſe duo capita, ita ſeorſim ſe habētia ad grauificandum offenſam, vt vnum independenter ab alio ſuam grauitatem offenſæ communicet: Quod eſſe falſum ſic oſtendo, nam ſi caput eſſet, quod ſeorſim ab alio grauitatem offenſæ præſtaret, eſſet circunſtantia dignitatis Perſonæ, quæ offenditur. Hæc autem non. Ratio, quia licèt Perſonæ dignitas ſit, quæ verè grauificat peccatū, vt offenſa eſt, tamen id præſtat, non ſecundùm ſe conſiderata, ſed vt modificata per cognitionem. Vnde ſi quis alapà Regem percutiat, ratus non eſſe Regem, quem percutit, ſed hominem è media plebe, non cenſetur Regem offendiſſe: ſignum ergo eſt, quòd dignitas ſeorſim à cognitione, & ſecundùm ſe accepta non influit in grauitatem offenſæ. Rurſum Deus non conſtituit hominem beatum, ratione ſuæ entitatis ſecundùm ſe ſumptæ, ſed vt poſſeſſæ per beatam viſionem, & hoc eſt cauſa cur Deus non reddat hominem infinitè beatum, ſed finitè magis, & minùs, pro maiori, aut minori viſionis perfectione. Ergo nec diuina dignitas ſecundùm ſe aggrauabit offenſam, ſed vt modificata per cognitionem illius, à quo offenditur. Conſequentia patet, quia ideo Deus ſecundùm ſe acceptus, beatitatem non præſtat homini, quia ſine viſione ab hoc elicita Deum attingente, beatitudo non conſiſtit. Sed ſine cognitione ab offendente elicita, quæ percipiat Perſonam offenſam, non conſiſtit offenſa. Ergo Perſonę dignitas ſecundùm ſe accepta, non communicabit grauitatem offenſæ, ſed vt modificata à cognitione offendentis. Ergo ſicut ob hanc cauſam, infinita dignitas Dei hominem non beatificat infinitè, iuxta menſuram ſuæ infinitatis, ſed finitè ſecundùm quantitatem viſionis, magis, & minùs, ſecundùm maiorem viſionis modificantis perfectionem; ita dignitas eadem Dei, ob ſimilem cauſam, non refundet in peccatum infinitam grauitatem offenſæ; ſed eò maiorem, aut minorem ſecundùm magis, vel minùs perfectam cognitionem, qua talis dignitas Perſonæ offenſæ ab offendente attingatur. Præterea hoc idem confirmo, etenim ſi cognitio diuinæ maieſtatis tantùm decreſcat, vt relinquat ſolùm ſemiplenam deliberationem, redditur leuis offenſa, quantumuis ſit graue præceptum obligans grauiter; Ergo dummodo cognitio non creſcat infinitè, nullo modo euadet offenſa infinita. Antecedens eſt ſecurum apud Moraliſtas cunctos, vno vel altero dempto. Conſequentiam dat omnimoda paritas. Siquidem ſi ſtante ſimili & eadem dignitate Dei, offenſa declinat in leuem, quia præceſſit leuis, & languida cognitio: Cur non deſiderabitur infinita eiuſdem dignitatis cognitio, vt offenſa in eam commiſſa, infinita conſurgat: Ergo falſum eſt, quod præcedens replica ſupponit, nempe dignitatem Dei, ſecundùm totam ſuam latitudinem, licèt à cognitione non reſtringatur, refuſuram grauitatem infinitam in offenſam.

Quo ſuppoſito reſpondeo in forma prædictæ replicæ *n.* 50. allatæ, diſtinguo antecedens: 51.
quia valor Perſonalis à Perſona Verbi deſumitur, quæ infinita eſt, & ſeipſa valorem dat Chriſti actionibus, in omnibus illis æqualis eſt valor, etſi detur inæqualitas in bonitate illarum, quia valor Perſonalis à Verbo deſumitur ſeipſo indepenter à modificatione cognitionis Chriſti, concedo antecedens, quia valor à Perſona Verbi vtcunque deſumitur, nego antecedens. Et nego conſequentiam. Itaque valor operum Chriſti conſtituitur per infinitam ſanctitatem deitatis vnitæ humanitati, non vt cognitam, ſed ſecundùm ſe acceptam & independenter à reſtrictione extrinſeca à cognitione proueniente, quod licèt aliqui negauerint, ſed immeritò: Ratio, nam vt opera Chriſti euadant infiniti valoris, ſufficit, quòd naſcantur ab humanitate, hîc & nūc in illa exiſtente ſanctitate infinita Dei; eo enim ipſo fiunt infiniti valoris, vt *tr. de his quæ ad vnitat. Chriſti diſp.* 1. ediſſeremus. Ergo ſanctitas Chriſti Perſonalis ſecundùm ſe accepta, & independenter à cognitione modificante, valorem operibus communicabit. Antecedens patet à ſimili, nam vt hominis iuſti opera dignificet gratia, non deſideratur, quòd talis gratia ab homine cognoſcatur, ſufficit enim quòd talis gratia, dum opera producuntur, in homine exiſtat. Ergo ſimiliter, vt opera Chriſti euadāt infiniti valoris, ſufficiet, naſci ab humanitate, hîc & nūc in illa exiſtente infinita Dei ſanctitate. Contrarium tamen inueniri in offenſa, in ordine ad grauitatem ſumendam ex diuina maieſtate offenſa, vidimus *n.* 51.

Sed replicabis, offenſa in Deum facta, ex dignitate eius ſumit grauitatem ordinis ſuperio- 52
ris, quàm ſint offenſæ in infinitas creaturas commiſſæ, ſed cognitio, qua cognoſcitur Perſona infinita, non reponitur in illo ſuperiori ordine, ad quem ipſa offenſa ſpectat. Ergo quam-

uis cognitio non ſit infinita , poterit offenſa conſurgere infinita. Maior ſupponitur iuxta communem,minor eſt certa,quis enim vnquam dixit,cognitionem tegnantem offenſam,& attingentem Deum,eſſe in eodem ordine ſuperiori conſtitutam,in quo repoſita eſt offenſa.Conſequentia patet, quia ſicut dignitas Perſonæ offenſæ,ſeipſa ſine modificatione ab inferiori ordine,ad quem cognitio illius ſpectat, refundit in offenſam ſuperiorem ordinem, adquem ſpectet,cur dignitas ipſa Infinita Perſonæ offenſæ, ſeipſa ſine modificatione finitudinis in cognitione inuenta,non refundet infinitatem in ipſam offenſam?ſic quidam Salmantini.

53. Reſpondebis fortaſſe,cognitionem non eſſe conditionem ſolùm,ſedetiam rationem formalem partialem, ex parte Perſonæ offenſæ , ad dandam grauitatem actui offenſiuo ; creſcit namque aut decreſcit grauitas offenſæ,ad incrementum, aut diminutionem cognitionis , ſiue ignorantiæ obiecti,& Perſonæ offenſæ,quod ſignum eſt,cognitionem,non conditionem tantùm, ſed etiam rationem formalem eſſe, atque adeò limitatio illius impedit quominus Perſona infinita , ſuam infinitatem actui offenſiuo communicet.

54. Sed replicabis 1. nam creſcente voluntario, in peccato creſcit malitia , & tamen voluntarium non eſt ratio formalis malitiæ. Ergo ex eo,quòd creſcente cognitione, creſcat grauitas offenſæ, malè colligitur , cognitionem eſſe rationem formalem partialem,ad dandam grauitatem actui offenſiuo. 2. nam eatenus incrementum cognitionis augere poteſt malitiam, aut offenſam, quatenus auget rationem voluntatij.Ergo ſi hæc ratio formalis malitiæ aut offenſæ non eſt,nec cognitio eſſe poterit partialis ratio malitiæ. 3.nam etſi cognitio Dei , quam habemus per fidem,finita ſit, illam tamen non latet infinitas maieſtatis offenſæ. Ergo quidquid ſit,an cognitio concurrat, vt ratio formalis partialis , an ſolùm vt conditio, non impediet transfuſionem infinitæ grauitatis. Conſequentiam probo, tum , quia exinde infertur impedire, quia ignorantia minuit , & plena cognitio auget malitiam. At cognitio maieſtatis Perſonæ offenſæ habita per fidem, quamuis finita ſit,non tamen eſt ignorantia,cùm illi pateat obiectiuè infinitas Dei , cui iniuria irrogatur. Ergo non impedit transfuſionem grauitatis infinitæ. Tum etiam eadem conſequentia probatur, illa cognitio,quam lateret ſuperioritas maieſtatis offenſi, impediret transfuſionem ſuperioritatis in grauitatem offenſæ ; ſi tamen cognitionem non lateat ſuperioritas dignitatis Perſonæ offenſæ , etſi talis cognitio inferioris ordinis ſit, non impedit transfuſionem ſuperioritatis in grauitatem iniuriæ.Ergo quamuis cognitio finita, non attingens obiectiuè infinitatem Perſonæ offenſæ impediat transfuſionem infinitatis in actum offenſiuum , cognitio tamen, quæ licet ſit finita , attingit infinitatem maieſtatis Perſonæ offenſæ , impedire non valebit communicationem infinitatis.

55. Reſpondebis ergo ad replicam num.5 2.concedo maiorem,& nego minorem.Ad probationem, reſpondeo , non ſolùm licere cuique aſſerere , cognitionem diuinæ maieſtatis debere conſtitui in ſuperiori illo ordine,in quo offenſa Dei reponitur , ſed id neceſſariò dici debere ; etenim ſi res iſta expendatur , reducendo eam ad principia , quibus ſidit ſententia , negans infinitatem intrinſecam offenſæ, videbimus eam ipſam admittere offenſam collocandam eſſe in ordine ſuperiori ; Quid autem ſit ordo iſte ſuperior, non alium aſſignant , quàm infinitudo extrinſeca , deſumpta ex dignitate Perſonæ offenſæ , ad hunc ſenſum , quòd offenſa in Deum , collata cum offenſis in homines commiſſis, reſpiciat obiectum nobilius cæteris obiectis,quæ aliæ offenſæ reſpicere dicuntur,quod eſt idem, ac offenſam illam Deo irrogatam habere infinitatem extrinſecam,quia reſpicit obiectum infinitum. Vnde pro eodem eſt, offenſam Dei eſſe in ordine ſuperiori reſpectu omnium offenſarum , ac habere infinitatem extrinſecam , cuius ſunt expertes reliquæ hominum offenſæ. At cognitio illa,quæ neceſſariò ad peccatum ſupponitur,quæque attingit neceſſariò infinitam dignitatem Dei, habet pro obiecto aliquid infinitum , nempe ipſam Dei maieſtatem. Ergo reponitur talis cognitio in eodem ordine ſuperiori, in quo collocatur ipſa offenſa Dei.Conſequentia patet, ſiquidem offenſam Dei repoſitam eſſe in ordine ſuperiori, quem attingere nequeunt cæteræ hominum offenſæ, nihil aliud eſt,quam tendere illam in obiectum ſuperius , quod aliæ offenſæ attingere nequeant.At cognitio quæuis, quæ deſideratur ad peccatum , tendit in diuinam maieſtatem, quæ ſuperius obiectum eſt obiectis alijs , quæ cæteræ cognitiones attingere poſſunt.Ergo cognitio illa quæ deſideratur ad peccatum , eſt in eodem ſuperiori ordine, in quo reponitur offenſa Dei,qui ordo alius non eſt , niſi ſtatus extrinſecus infinitudinis,qui offenſæ & cognitioni , ex eo quòd tendant in obiectum infinitum, correſpondet.Vnde hoc eſt cauſa, cur cognitio iſta nullo modo ſit impeditiua transfuſionis ordinis ſuperioris in grauitatem offenſæ. Ex his conſtat,cæteras replicas vim non habere, cùm negata minori illa præpediantur.

Ex his inferimus,peccatum noſtrum habiturum eamdem grauitatem , quam nunc habet, etiam ſi per impoſſibile Deus non eſſet infinitus reipſa,etiamſi à nobis cognoſceretur,vt habens infinitam dignitatem. Ratio,nam vt ſuprà vidimus,grauitas offenſæ non deſumitur ex infinita Dei dignitate quomodolibet ſumpta, ſed vt ſubeſt noſtræ cognitioni. At in tali hypotheſi cognoſceretur Deus , vt habens infinitam dignitatem, ſicut hîc & nunc cognoſcitur , illam habere.Ergo in tali hypotheſi peccatum æquè grauis offenſa eſſet,ac nunc eſt. Conſequentia iſta explicat commune exéplum occiſæ feræ ab eo,qui exiſtimaret eſſe hominé,iſte n.verè malitiam homicidij,ac ſi hominé occideret,cótrahit. 56.

Sed replicabis , ſi in tali hypotheſi peccatum euaderet æquè graue , ac modò eſt. Ergo æqualis ſatisfactio deberetur Deo in tali hypotheſi, ac modò illi debetur. Sed hoc eſt falſum.Ergo peccatum in tali hypotheſi non euaderet æquè malum, ac modò eſt. Minor probatur,nam qui alapâ plebeium percuteret , exiſtimans eſſe Regem , non tenetur illi eamdem ſatisfactionem præſtare, quam exhibere teneretut 57.

retur Regi, ſi illum reipſa, alapâ cæderet. Ergo qui Deum finitum offenderet, exiſtimans eſſe infinitæ dignitatis, non teneretur illi eamdem ſatisfactionem præſtare, ac modo tenetur dare ille, qui Deum reipſa infinitum offendit.

57. Reſpondebis notans, offenſam, quæ modò euenit, ſupponere eſſentialiter Deum infinitum, eò vel maximè, quia frequenter ſupponit cognitionem ſupernaturalem fidei, qua credimus Deum eſſe infinitum, ſupremum dominum, & independentem, actionem omnem peccaminoſam vetantem; quapropter actio quæuis peccati, ſeipſa eſſentialiter contrariatur Deo illam prohibenti, atque adeo eſſentialiter, & reipſa, eſt iniuria Deo illata. Vnde in caſu talis hypotheſis, actio peccaminoſa non ſupponeret eſſentialiter Deum infinitum, ſed ſolùm in falſa exiſtimatione de illo habita; atque adeo licèt affectus de ſe, ferretur in actionem à Deo prohibitam, qui à peccatore tunc infinitus præſumeretur, quapropter, quatenus eſſet ex parte affectus, Deum infinitum offenderet; at in re infinitum Deum minimè offenderet. Ratio, nam ad offenſam in re commiſſam, præter affectum deſideratur exiſtentia veræ infinitudinis in Deo; & cùm in tali hypotheſi non daretur Deus infinitus exiſtens, fit, quòd in illa, talis offenſa nullo modo identificaretur cum offenſa Dei infiniti in re talis; ſed ad ſummum cùm offenſa affectiuè ſolùm tendente in Deum infinitum. Hoc ſuppoſito, reſpondeo in forma, negando ſequelam, nam licèt in tali caſu offenſa illa eſſet æquè grauis affectiuè ac offenſa, quæ modò eſt, non tamen eſſet æquè grauis effectiuè: quapropter virtute illius offenſæ, non deberetur Deo æqualis ſatisfactio illi, quæ hîc & nunc pro qualibet offenſa debetur Deo; ratio, nam quantitas ſatisfactionis commenſuranda eſt damno, aut quaſi damno non ſolùm affectiuè, ſed effectiuè illato, quod expendit exemplum furti affectiuè efficaciter, ſed tamen reipſa non commiſſi, vbi ille, qui ſic furari cupit, non tenetur ad reſtitutionem, quia reipſa damnum minimè intulit. Vnde cùm in tali caſu non inferretur damnum Deo, qui in re infinitus eſſet, ſed Deo, qui infinitus falſo exiſtimaretur, inde fit, quòd in tali caſu minimè illi deberetur tanta ſatisfactio in tali hypotheſi, quanta hîc & nunc debetur Deo propter offenſam irrogatam Deo, qui in re, & in exiſtimatione exiſtit infinitus.

58. Sed replicabis ex doctrina, quam ſectione antecedenti latè confirmauimus. Affectus malus terminatus ad effectum impoſſibilem, qui aliàs ſi poſſibilis eſſet, infinitam malitiam contraheret, non habet eamdem grauitatem, quam haberet, ſi effectus ille poſſibilis eſſet. Ergo peccatum ortum ex cognitione falſa Dei infiniti, non haberet tantam grauitatem, quantam modò habet. Sed neganda eſt conſequentia, etenim, iuxta probabiliſſimam ſententiam, affectus efficax voluntatis, ſi terminetur ad actionem externam, quæ cadat ſub prohibitionem, nullo modo talis prohibitio cadit immediatè ſupra actum internum, ſed ſupra talem externam actionem, quæ prohibetur ratione ſui; quare eadem malitia exterioris actionis in affectum interiorem tranſit; At verò ſi affectus interior terminatur ad actionem, ſeu obiectum, quod ſub prohibitionem non cadat, illud, quod immediatè prohibetur, eſt ipſe actus interior, quapropter ipſe ratione ſui contrahit malitiam, taliter quòd res ipſa volita, concurrat per modum obiecti extrinſeci; ex his licebit inferre, quòd quando actio ipſa eſt poſſibilis, ſi habeat malitiam infinitam, cùm hæc eadem deriuetur in affectum interiorem; participabit hic infinitam malitiam: ſi verò actio volita eſt reipſa impoſſibilis, licèt hæc eſſet infinitè mala, caſu, quo eſſet poſſibilis, de facto tamen, quia hæc actio externa non eſt prohibita, ideo non transfundit malitiam infinitam in affectum, ſed in ordine ad moralem æſtimationem ſe habet, ſicut reliqua obiecta extrinſeca, quæ licèt ſint infinita, non communicant actui, niſi malitiam aut bonitatem finitam; Vnde clarè conſtat, quòd aliter ſe haberent res, caſu, quo Deus non eſſet infinitæ diuinitatis, nam cùm Deus non concurrat ad infinitatem offenſæ, niſi media cognitione ſuæ dignitatis, exiſtente in peccatore, fit, quòd eo ipſo, quòd cognoſcatur, vt eſt infinitæ dignitatis, debet refundere infinitam grauitatem in actum, quæ reſpondeat offenſæ infinitæ dignitatis, ſiue reipſa exiſtat hæc, ſiue nullo modo exiſtat.

Sectio IV.

Infinitas offenſæ non conuincitur ex infinitate bonorum, quorum priuationem cauſat offenſa.

Recentiores Authores aliâ viâ incedentes, intendunt peccato infinitatem intrinſecam ſimpliciter aſcribere, & licèt eamdem viam arripuerint, non omnes æqualiter, & eadem ponderatione excurrerunt; in præſenti tamen rationes ſimili forma ab ipſis conſtructas, quibus prædictam infinitatem aſtruere ſunt tentati, tametſi eidem principio innixas, referam, & earum vim examinabo. Igitur vt probent dictam infinitatem, vtuntur hoc argumento. Homo per peccatum meretur pœnam æternam. At hæc eſt malum infinitum ſimpliciter. Ergo peccatum eſt malum morale ſimpliciter infinitum. Probo conſequentiam, quia effectus ſimpliciter infinitus nequit non naſci ex cauſa ſimpliciter infinita. Sed pœna hæc eſt ſimpliciter infinita & aliàs effectus peccati. Ergo hoc eſt ſimpliciter infinitum. 59.

Hoc ipſum aliter munitur à quibuſdam, cauſa effectiua, continens infinitum effectum moraliter, non poteſt non eſſe infinita in genere moris. Tum quia effectus infinitus phyſicè in cauſa finita contineri nequit. Ergo nec effectus moraliter infinitus contineri poteſt in cauſa moraliter finita. Tum etiam quia effectus non poteſt cauſam ſui principalem excedere, atqui illam excederet, ſi infinitus eſſet, & cauſa finita, ſiquidem peccatum, quia offenſa Dei, continet efficienter moraliter infinitum effectum; demeritum enim efficienter moraliter continet 60.

pœnam, & meritum præmium. Ergo peccatum ex hac parte eſt infinitum ſimpliciter.

61. Aliter idipſum ponderant; ſupponentes ex communi doctrina, quam latè proſequemur, *tomo 2 tract. de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti*: frequenter enim Authores exinde colligunt infinitatem ſimpliciter in meritis Chriſti, quia Clemens 6. *in extrauag. vnigenitus* ait: *tumendum non eſſe, ne abundantia peccatorum theſaurus Eccleſiæ extinguatur propter infinita merita Chriſti, extingui autem poſſet peccatorum multitudine, ſi infinita in genere moris non eſſent*. Tunc ſic. Atqui quacumque pœnarum multitudine extingui nequit efficacia demeritoria peccati mortalis, cùm hoc ſit dignum infinità pœnà. Ergo ex his optimè infertur, peccatum eſſe infinitum in genere moris.

62. Rurſum idipſum vrgent, vis ſatisfactoria pro culpis cincategorematicè infinitis, eſt argumentum, quo nos *tract. citato* cum communi, conuincemus infinitatem ſimpliciter in ſatisfactione Chriſti. Ergo vis demeritoria pœnarum vſque in infinitum cincategorematicè, arguet infinitatem ſimpliciter in genere moris. At hæc vis in peccato mortali inuenitur, cùm iuxta S. Th. dignum ſit pœna infinita. Ergo eſt infinitum ſimpliciter in genere moris.

63. Reſpondebis, quòd ad continentiam moralem infinitæ pœnæ ſufficiat, peccatum eſſe in ſuperiori ordine; nec requiri, quòd gaudeat infinitate ſimpliciter; ſicut homo, quamuis finitus ſit, ſuperare dicitur infinitas ſpecies poſſibiles animalium, & intellectus, quamuis ſit finitus, excedere dicitur infinitas intellectiones.

64. Sed replicabis primò, nam eadem ratione poterit dici de operibus Chriſti ſufficere, quòd in ſuperiori ordine exiſtant, vt de illis verificetur, habere vim meritoriam & ſatisfactiuam pro peccatis cincategorematicè infinitis. At hoc negamus. Ergo ſi ſemel concedimus in peccato graui vim demeritoriam pœnarum, vſque in infinitum multiplicabilium cincategorematicè, malè recurrimus ad ordinem ſuperiorem, in quo tale peccatum reponatur.

65. Replicabis ſecundò, nam aliud eſt, non adæquari in perfectione ab infinitate ſpecierum, & aliud, illas actu præcontinere, tamquam vera cauſa illarum effectiua. Primum non arguit infinitatem in aliquo genere, vt conuincit exemplum hominis; bene tamen ſecundum. Nec oppoſitum probat intellectus, ſiquidem hic non continet vt cauſa adæquata infinitas intellectiones cincategorematicè; ad hoc enim indiget ſpeciebus intelligibilibus; peccatum autem continet infinitum effectum, vt ſufficiens cauſa. Ergo eſt infinitum in genere moris.

66. Replicabis tertiò, vis effectiua phyſicè effectus categorematicè infiniti, ſub conditione ſola poſſibilitatis effectus, non poteſt cauſæ phyſicæ finitæ competere, quamuis in ordine ſuperiori conſtituatur. Ergo vis effectiua moralis, effectus categorematicè infiniti, ſub conditione poſſibilitatis effectus, conuenire nequit cauſæ finitæ moraliter, quamuis in ordine ſuperiori reponatur. Atqui peccatum habet hanc vim moralem effectiuam ſub prædicta conditione; ſiquidem ſi eſſet poſſibilis pœna categorematicè infinita, illam mereretur peccatum condignè, inuariatum formaliter manens quoad grauitatem ex perſona offenſa deſumptam. Ergo peccatum non ſolùm eſt grauitatis ſuperioris in ordine, ſed etiam infinitæ ſimpliciter in genere moris.

67. Replicabis quartò, nam ſi peccatum non eſſet infinitum ſimpliciter, ſed ſolùm haberet ſuperioritatem ordinis, fieret, quòd pœnâ eiuſdem ordinis condignè maneret punitum. At hoc eſt falſum. Ergo peccatum eſt ſimpliciter infinitum. Probo minorem; carentia viſionis beatæ, eſt pœna eiuſdem ordinis cum grauitate culpæ lethalis, cùm, iuxta noſtram ſententiam, grauitas peccati ſolùm gaudeat infinitate extrinſeca, quatenus ſcilicet auertit à Deo, & illum offendit, carentia autem diuinæ viſionis, etiam ſeparat à Deo; at hac pœna non punitur condignè peccatum mortale, ſed citra condignum, vt à Theologis communiter dicitur. Ergo pœna ordinis ſuperioris non adæquat grauitatem offenſæ, atque adeo hæc non ſolùm erit ordinis ſuperioris, ſed ordinis infiniti ſimpliciter.

68. Cumulus enim rationum iſtarum reducitur ad primum ſyllogiſmum *numero* 59. adductum, nempe homo per peccatum meretur pœnam æternam. At hæc eſt malum infinitum ſimpliciter. Ergo peccatum eſt infinitum ſimpliciter: in bonitate huius conſequentiæ ſumus aliquantulùm immoraturi; quamque eſſe falſam, ſyllogiſmus alter ſub eadem forma manifeſtabit, homo per opera ex gratia meretur gloriam æternam de condigno, teſte Trident. *ſeſſ. 6. cap. 16. & can.* 32. at gloria æterna eſt bonum infinitum. Ergo talia opera ſunt in ratione meriti infinita: ſyllogiſmus enim hic ſub eadem forma elaboratur, ac ille, & ex alia parte ſicut peccatum, in ratione demeriti, eſt cauſa pœnæ æternæ; ita meritum, in ratione talis eſt cauſa moralis effectiua præmij æterni; nempe gloriæ æternæ. At, hoc non obſtante, opus bonum iſtius meritorium non eſt infinitum, ſimpliciter in ratione meriti, quapropter eſt falſa conſequentia iſtius vltimi ſyllogiſmi; ita nec peccatum, pœnæ æternæ meritorium, erit infinitum in ratione demeriti: atque adeo conſequentia prioris ſyllogiſmi falſitatem contrahet.

69. Reſpondent Puente Hurtado *diſputatione nona, ſectione tertia, ſubſectione quarta*. Bernal *diſputatione quarta, ſectione quinta*, §. 2. bona opera iuſtorum mereri quidem gloriam, quæ eſt vita æterna, non tamen vt æternam, ſed ſolùm ſecundùm ſe ſumptam, quia non aliter meretur iuſtus gloriam, quàm gratiam habitualem, vt communis docet; atqui gratiam habitualem non meretur homo vt æternam, quia hæc eſt ex natura ſua amiſſibilis. Ergo neque gloriam vt æternam meretur; peccatum verò meretur de condigno pœnam vt æternam, & ideo eſt ſimpliciter infinitum; ſecus meritum.

70. Sed contrà argumentor ſic: admitto gratiam habitualem eſſe amiſſibilem per peccatum; tamen cum hoc componitur, quod prout dependet à Deo, vt habet rationem præmiantis, exigat durationem æternam, exigentia ſe tenente ex parte Dei, quia ſi homo per peccatum obicem ſuæ durationi non apponat, Deus illam

perpe

perpetuò conſeruabit ex vi præcedentium meritorum. Rurſum ſi poſt peccatum commiſſum iuſtificetur homo, Deus illi reſtituet gratiam ex vi eorumdem meritorum, ita communiter Patres Concilij Tridentini aſſerto adhærentes, *ſeſſ.6.cap.16*. Ergo ſi natura meritorum expendatur, ipſis eſt debita gratia, vt in æternum duratura.

71. Hoc ipſum ſumit incrementum ex eo, quòd ſi bona opera iuſti non merentur niſi gratiam ſecundùm ſe ſumptam, ſi ſemel hæc conferatur, eſſet ſufficiens & adæquatum præmium illorum: Et conſequenter ſemel amiſſa gratia per peccatum non rediret, tametſi per ſequentem Iuſtificationem peccatum funditus auelleretur. Probo conſequentiam: ſiquidem gratia reſtitui deberet peccato abolito, maximè quia ablato obice reuiuiſcũt merita præcedentia, quibus debita eſt talis gratia: atqui meritis præcedentibus nulla, in tua opinione, debetur gratia, ſiquidem iam præceſſerunt adæquatè remunerata per primam gratiæ collationem. Ergo non eſt, cur talis gratia reſtituatur vi meritorum reuiuiſcentium. Ergo cùm ſit certiſſimum merita per peccatum mortificata, hoc peccato remiſſo, reuiuiſcere cum integro iure ad gratiam, antecedenter per peccatum amiſſam, recipiendam, à fortiori eſt dicendum, talia merita non omnino præmiari per gratiam ſecundùm ſe acceptam, ſed per illam, vt in æternum durantem.

72. Confirmo idem ex Tridentino *cap. 16.* Vbi expreſsè docet: *Homines iuſtos per bona opera promereri vitam æternam, ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint conſequendam*; Sed hæc verba ſunt intelligenda de vita æterna, non ſolùm ſumpta ſpecificatiuè, vt Authores contrarij volunt; ſed vt æterna reduplicatiuè. Ergo diſtinctio ab illis adhibita non eſt tenenda. Probo minorem, nam propoſitionem illam probat Concilium ex Ioanne 4. Vbi. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ergo cum in his Chriſtus promittat ſaturitatem in æternum duraturam, fit, quòd Tridentinum ſentiat, præmium operum bonorum eſſe gloriam, vt perpetuò perſeueraturam.

73. Reſpondebis cum aduerſariis, æternitatem gloriæ non reſpondere noſtris operibus, vt præmium illis æquale, ſed vt donum miſericorditer à Deo datum, quod ex Maguntino, aſſerunt colligi, vbi ait *cap.8. Iuſtorum opera ſunt digna remuneratione vitæ æternæ, quia Deus bene operantibus mercedem miſericorditer promiſit.* Idem infertur ex Senonenſi *Decreto 16.* Vbi: *Facit miſericordia locum vnicuique, iuxta meritum operum ſuorum, non abſoluta condignitate, ſed gratuita magis, & liberali promiſſione, quâ conuentione facta de denario diurno, conducit operarios in vineam ſuam.* Plura in ſuffragium iſtius ſolutionis adducere poteram, ſed illa omitto, vtporè eamdem interpretationem, iſtis locis dandam, ſubitura. Solùm addendum eſt axioma commune, nempe Deum præmiare noſtra bona opera vltra condignum, & punire citra condignum.

74. Sed replicabis: Nam vulgariter apud Scripturam extant loca expreſſa abſolutè dicentia, gloriam eſſe coronam iuſtitiæ, à Deo tamquam à iudice conferendam, & mercedem operibus bonis reſpondentem. Quæ verba rem noſtram confirmant, ſiquidem cùm ſit proprium iuſtitiæ ſeruare æqualitatem inter mercedem & opus, cui reſpondet, dicitur Deus mercedem rependere iuſtam, quando Deus vitam æternam meritis retribuit; & in iſta retributionis collatione iuſtus appellatur Deus, quia æqualitatem ſeruat inter meritum & præmium, quæ omnia ſupponunt opera condignè meritoria præmij, ideo cenſentur habere æqualitatem aliquam cum præmio. Atqui merita iuſtorum ſunt condigna vitâ æternâ. Ergo talia opera aliquam debent habere æqualitatem cum illa. Iſta enim doctrinam ſecuram continent. Siquidem in nullo alio diſtinguitur meritum de condigno, à merito de congruo, quòd illud adæquatur præmio, ſecus hoc. Rurſum eſt certum opera noſtra habere condignitatem cum æterna vita, vt patet ex loco Tridentini, necnon ex illo *Sap. 3. Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe.* Et iuxta illud Pauli: *Vt digni habeamini regno Dei.*

Nunc reſpondeo ad loca Maguntini, & Senonenſis Concilij, quòd quando docent opera iuſtorum eſſe condigna vitâ æterna ex miſericordi promiſſione Dei, non negant talibus operibus condignitatem, ſed tantùm connexionem in actu ſecundo cum præmio, vt hic & nunc aſſequendo; Hanc enim connexionem non habent opera iuſti, attenta etiam ſua dignitate; ſiquidem ad illam habendam deſideratur Dei promiſſio liberalis; quia quantumuis videat Deus opera iuſti eſſe digna vitâ æternâ, poterat pro ſuo libito illa remunerare, vel non remunerare; atque adeo poterat illa exigere titulo proprietatis, & dominij altiſſimi, quo in omnia creata viget, ſicque nolle talia opera præmiare; Vnde dum per promiſſionem ſe obligat ad remunerationem re ipſa exequendam, quaſi liberalem ſe oſtentat, & miſericordem in tali promiſſione; Hanc rem confirmat Cyrillus citatus à ſancto Thoma in Catena ad illud *Lucæ 12. Numquid gratiam habet ſeruus ille?* Super quæ ait Cyrillus. *Deus petit à nobis famulatum verum, quia clemens, & miſericors eſt, honores famulantibus pollicetur.* Quæ verba hunc ſenſum habent: Deus nulla obligatione obſtrictus erat ad remunerandum noſtra opera; quia quantumuis ſint in eius cultum præſtita, tamen innumeris titulis illi debita erant, verùm ipſe, pro ſua liberalitate & miſericordia, vult ſe ad remunerandum ex vi promiſſionis obligare, *& ideo ſupereminet ſudoribus ſubditorum, beneuolentiæ magnitudo*: quia cùm nulla lege obſtringeretur ad præmium illis, ad quod aliàs proportionem condignam habebant, æquale conferendum, voluit, vt ad id obligaretur, ſuo verbo obligari. 75.

Sed replicabis, ſeruus, qui hero præſtat debitum obſequium, nihil de nouo meretur apud illum. Ergo qui Deo offert obſequium, aliis titulis debitum, nouum præmium minimè meretur. Atqui homo iuſtus mille titulis debet Deo opera bona. Ergo nullum præmium apud Deum merebitur. 76.

77. Reſpondebis, duo dari retributionis genera. Primum in materia iuſtitiæ propriæ; ſecundum, in materia gratitudinis. Illud ſupponit in retribuente debitum iuſtitiæ: Secundum verò præcisè ſupponit, quòd obſequium ſit retribuenti gratum, & quòd in eius honorem fiat. Aſſerimus ergo, quòd quando ſeruus debitum obſequium domino ſuo præſtat, tametſi retributionem, ad materiam ex propria iuſtitia ſpectantem, non mereatur, ea videlicet ratione, quia Dominus nullum debitum contrahit propter tale obſequium: nihilominùs talis ſeruus meretur retributionem ab hero præſtabilem in materia gratitudinis; ratio nam eo ipſo, quòd ſeruus opus exhibeat Domino gratum. Dignus eſt, cui laudem referat, & rependat gratiam; cùm in talis operis exhibitione ſuo muneri ſeruus ſatisfecerit. Iſta enim hominibus euenire obſequia Deo grata præſtantibus; quapropter *Eccleſiaſt.* 31. Decernitur iuſtis gloria æterna, eo quòd præcepta Dei non violauerint, cùm ea tranſgredi valuiſſent, iuxta illud. *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, & erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Iſta enim intellige de retributione operum Chriſti à Deo facienda antecedenter ad Dei promiſſionem; nam hac poſita contrahit Deus debitum ex iuſtitia ad prædictam retributionem operum iuſti, vt latiſſimè dabit *dubium* ni fallor, *quintum*.

78. Illud autem, quod à Patribus inſinuatur, nempe opera iuſtorum non eſſe æqualia præmio, quod eſt vita æterna, hanc interpretationem ſuſcipit, quòd ſcilicet Patres docuerint, opera dicta non eſſe æqualia æqualitate formali, & ſecundùm quantitatem molis, taliter quòd non ſint tanti laboris meritoria opera, quanta iucunditas reperitur in præmio, ſiquidem labori momentaneo, in illis inuento, correſpondet ipſa gloria æterna, in qua iucunditas, & lætitia reperitur ſumma: nihilominùs ſi attendatur dignitas, quæ talibus operibus ſuperuenit ex gratia ſanctificante, inuenitur in illis æqualitas ſecundùm quantitatem virtutis, non alio modo, quàm inter ſemen & fructus ex illo ortos, æqualitas, & adæquatio interuenit in virtute ſeminali fundata. Id docuit expreſsè, & ſuâ ſolitâ elegantiâ ſanctiſſ. Præcep. 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 3. *ad tertium.* Vbi ait: *Gratia Spiritus Sancti, quam in præſenti habemus, & ſi non ſit æqualis gloriæ in actu, eſt tamen æqualis in virtute ſicut & ſemen arboris, in quo eſt virtus ad totam arborem. Similiter per gratiam ad hominem inhabitat Spiritus Sanctus, qui eſt ſufficiens cauſa vitæ æternæ. Vnde dicitur eſſe pignus hæreditatis noſtræ.* Quam doctrinam hauſerat Angelicus Doctor ex ſancto Auguſtino dicente: *Sum nimirum, ait, & diuina gratia, quam Ioannes ſemen appellat, quæ etiam iuxta Petri ſententiam, cum Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus datur, in ſupernæ vitæ præmium ſibi mendicandum aſſurgit mediantibus meritis, agente Spiritu Dei, à quo aguntur qui ſunt Filij Dei.*

79. Præterea dum aliam Patrum locutionem allegant, vocantium æternam vitam gratiam à Deo collatam, intelligendi ſunt cum ſancti Auguſtini interpretatione; Etenim ſanctus Doctor *Epiſt.* 105. & *lib. de correct. & gratia, cap.* 13. aſſerit æquiualenter, non quia ipſa, videlicet æterna vita, ſecundùm ſe non ſit meritorum merces, ſed quia radix meritorum, quibus datur, eſt gratia, & ſic eſt gratia in radice. Et in hoc ſenſu idem ſanctus Auguſtinus *lib. de gratia, & lib. arbitr. cap.* 8. gloriam appellauit gratiam pro gratia.

80. Illud enim Theologorum proloquium, quod adducit hæc ſolutio, quam impugnamus, *num.* 73. Nempe *Deus præmiat vltra condignum.* Relictis ſex interpretationibus, quas affert, & impugnat Bernalius citatus, alias interpretationes ſubit; Vel enim intelligendum eſt de præmio comparato cum meritis præſcindentibus à gratia ſanctificante; Vel attenta ſolùm æqualitate formali, & ſecundùm rem non verò ſecundùm virtutem. Vel de præmio accidentali Beatorum; Vel de auxiliis, & donis conceſſis rectè in hac vita operantibus, quæ nullo modo cadunt, nec poſſunt cadere ſub condignum meritum ipſorum meritorum; Vnde cùm vltra gratiam, & gloriam condignitati operum reſpondentes conferantur, ideo ſolitum eſt dicere, merita noſtra vltra condignum præmiari.

81. Suppoſitis his apparebit bonitas illius ſyllogiſmi noſtri, ſuppoſita bonitate alterius ab Aduerſariis adducti *num.* 59. Siquidem ex eo, aſcribunt peccato infinitatem ſimpliciter in virtute eius demeritoria, quia illud condignè promeretur æternam pœnam. At probatum eſt hominem per opera, ex ſanctificante gratia orta, condignè promereri vitam æternam, non ſolùm ſpecificatiuè, ſed etiam reduplicatiuè vt æternam. Ergo hominis iuſti ſunt infinitæ virtutis ſimpliciter in ratione meriti. Ergo vnum è duobus; Vel vtrique eſt neganda infinitas ſimpliciter, vel vtrique concedenda: ſiquidem ambobus adeſt omnimoda paritas. Nos verò illis infinitatē ſimpliciter potiſſimùm intrinſecam inficiamur, & iure, quia optimè ſtat cum finitudine eorumdem, continere in ſua virtute effectum in æternum duraturum: ſiquidem bonum opus dignificatur à gratia, vim ex ſe habente ad durandum perpetuò, ſi non adfuerit peccatum; & hoc, ſi graue fuerit, ſimiliter perſeuerantiam perpetuam, quantùm eſt ex ſe, depoſcit. Quid ergo mirandum, cauſam perpetuam in ſua virtute effectum in æternum duraturum continere?

82. Sed replicabis, quodlibet graue peccatum, meretur pœnam ſenſus infinitè intenſam. At pœna infinitè intenſa eſt ſimpliciter infinita. Ergo meretur pœnā ſimpliciter infinitam. Maiorem probo, quia pœna ſenſus infinitè intenſa pro parua duratione durans, æquiualet pœnæ finitæ in æternum duraturæ. Atqui per nos peccatum graue meretur de condigno pœnam in æternum durantem. Ergo etiam defendere debemus peccatum graue de condigno mereri pœnam infinitè intenſam.

83. Reſpondebis concedendo maiorem, & negando minorem: Ratio, nam ponamus vnam pœnam infinitè intenſam durare vnâ horâ, & alteram infinitè intenſam, dimidiâ horâ durantem: Inter has pœnas, illa iſtam excederet: vt termini ipſi declarant; Ergo pœna infinitè intenſa non poteſt eſſe ſimpliciter infinita in ratione

tione pœnæ, ſiquidem quod infinitum eſt in aliqua linea, limitem, quem tranſgredi poſſit aliud, habere nequit, vt *ſect. antecedenti* ponderabamus.

84. Reſpondebis ſecundò. Maiorem eſſe falſam, cuius falſitas deducitur ex illo *Apocalypſ.* 18. Vbi dicitur, *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Verba iſta frequenter adducunt Patres ad probandum, grauitatem pœnæ reſponſuram grauitati offenſæ, & delicti. Hæc enim vera non eſſent, ſi quoduis peccatum, pœnam infinitè intenſam promereretur condignè: ſiquidem tunc non eſſet vna pœna grauior pro maiori grauitate delicti, omnibus enim reſponderet æqualis pœna. Ad probationem maioris. Reſponde, pœnam infinitæ intenſionis breui finiendam, non æquiualere pœnæ finitæ intenſionis in æternum duraturæ; Tum quia finis cuiuſcumque mali, quantumuis eximij, eſt magni ſolatij cuilibet patienti, & inueniretur nullus, qui non eligeret infinitam intenſionem breui finiendam, potiùs quàm finitam perpetuam. Tum etiam quia infinita intenſio durans per integrum diem, maior pœna eſſet, quàm ſi per dimidium diem duraret; id autem quod in ratione pœnæ augmentum admittit, infinitum nequit eſſe in linea pœnali.

85. Ex his facilis eſt ſolutio ponderationum aliarum; quas à *num* 59. vſque *ad* 67 adduximus: ſiquidem omnes illæ ſupponunt, peccatum habere vim condignam demeritoriam pœnæ infinitæ intenſæ, vel ſecundùm durationem. Hoc autem non ſufficere ad refundendam infinitatem ſimpliciter, vidimus in opere hominis iuſti, condignè promerente præmium ſecundùm durationem infinitum, & tamen illud infinitum non eſſe. Illud autem negamus propter rationem, *num* 83. Vnde id, quod dicitur, qualibet deſignata pœna, quamtumuis maiori, & maxima, adhuc poſſe à Deo iuſtè puniri peccatum, non arguit in hoc vim demeritoriam pœnæ ſincategorematicè infinitæ, vel pœnæ infinitæ categorematicè, ſub conditione, quòd hæc eſſet poſſibilis, ſiquidem peccatum puniri iuſtè à Deo poſſe alia maiori pœna, quàm ſit quæuis hîc & nunc deſignata, hoc ſolùm ſignificat, gubernationi diuini Legiſlatoris conſultum eſſe, ne homines habenas peccandi laxarent, & vt terrore concuterentur ſimili pœnarum apparatu.

86. Eamdem vim infinitæ pœnæ demeritoriam in peccato, alio modo Recentiores ſuadere pretendunt; ſiquidem peccatum priuat omnibus bonis, quæ quidem infinita ſunt; Deinde priuat vnione hypoſtatica, & ſanctitate, ratione illius ſuperueniente, quæ infinita eſt ſimpliciter; At priuatio tam bonorum infinitorum, quàm boni ſimpliciter infiniti, eſt malum ſimpliciter infinitum. Ergo peccatum habet vim demeritoriam Infinitæ pœnæ.

87. Ratio hæc doctrinam petit, quam lato calamo *dubio ſequenti* examini tradituri ſumus, ex ibi tamen dicendis; aſſero, magnitudinem pœnæ in priuatione boni conſiſtentis, menſurandam non eſſe iuxta quantitatem boni ſecundùm ſe accepti, quo priuat, ſed iuxta maiorem, vel minorem indigentiam illius boni, quam habet, qui priuatur illo, necnon iuxta quantitatem iuris, quod in tale bonum poſſidebat. Quod autem, ex his grauitas pœnæ ſit taxanda exemplum iſtud manifeſtabit. Pone caſum, vilem hominem grauiter offendere Regem, ex vi talis offenſæ meretur, ne Rex vllo modo beneuolum ſe præſtet ergà illum, v.g. nè illum erigat in Marchionem, aut in ſuæ gubernationis Regni ſocietatem aſſumat. Hoc tamen non obſtante, grauiorem pœnam illi infliget, ſi bona propria ab illo demat, quibus ſuam miſeram vitam tranſigit, quàm ſi illum Marchionem, & in Regni gubernandi ſocium non creet. Iſta enim comperta ſunt cuique; at cauſa huius alia eſſe nequit, niſi, quia licèt carentia Marchionatûs, & ſocietatis pro gubernando Regno, ſit priuatio maioris boni, quàm ſit carentia propriorum bonorum, quorum antea erat poſſeſſor; tamen Marchionâtus & regiminis Regni, plebeius ille homo, vt ſuam vitam tranſigeret, non erat ita indigus, ac cæterorum bonorum, quæ antea poſſidebat ipſe, Ad hæc autem habebat ius, ad illa nullum: imò nec ſpem; Ratio eſt, quia ratione delicti nihil minus habere cenſeretur homo ille, quàm ſi nullam Regi iniuriam irrogaſſet, ſiquidem tametſi nullam offenſam contrà Regem commiſiſſet, nec Marchio crearetur, nec ad Regimen Regni eueheretur; ſic in noſtro caſu, cùm peccator nullum ius habeat ad vnionem hypoſtaticam, aut ad bona infinitâ, quæ à Deo poſſet homo adipiſci; licèt, per negationem iſtorum, maximo bono priuaretur homo, non tamen exinde maximâ pœnâ in ratione pœnæ concuteretur.

88. Sed replicabis, priuatio vnionis hypoſtaticæ eſt pœna peccati, quatenus eſt mala peccatori: At hæc priuatio eſt malum infinitum. Ergo eſt infinita pœna. Minor probatur, quia priuatio æquè mala eſt cum bonitate formæ, quam à ſubiecto depellit: vnuſquiſque enim experitur, tam malam illi eſſe priuationem viſus, quàm bonus illi viſus ipſe erat. Sed priuatio vnionis remouet ab humanitate ſanctitatem infinitam à ſubiecto, quæ illi adueniret ratione vnionis, ſanctitas enim vnionis eſt infinitum bonum reſpectu humanitatis, vt *tractatu de ſpectantibus ad animam Chriſti, diſp.* 1. decernemus. Ergo priuatio huius vnionis eſt malũ infinitum.

89. Reſpondebis, ex latè dicendis *dub. ſeq.* Priuationem, boni duo inuoluere, & puram carentiam rei, ſubiecto conſonæ; & poſitiuum damnum ex tali carentia prædicto ſubiecto accreſcens; Hæc eſt differentia inter iſta; quòd in hypotheſi, quòd detur pura carentia boni, aliàs ſubiecto conuenientis, abſque eo, quòd ex illo nullum damnum in tali ſubiecto reſultet, etiam leuiſſimum, tunc nullum malum dicetur ſubiectum pati, ex eo, quòd carentia prædicti boni afficiatur ipſum, ratio, nam quamuis talis carentia ex generali ratione carentiæ boni ſit mala, quaſi tranſcendentaliter; at ſi res, vt par eſt, prematur, nihil talis carentia ſecum affert, quod diſconueniens poſitiuè ſit prædicto ſubiecto. Rem exemplum manifeſtat; nam pone me litem habere de certis bonis poſſidendis, & iudicem ſententiam contra me tuliſſe; in hoc caſu, certum eſt, carentiam bonorum illorum, quæ per litem contendebam, cenſeri malum reſpe-

ctu

ctu mei; At verò reſpectu aliorum, nullo modo litigantium, & quibus ad bona illa nullum aderat ius, quamuis eorumdem bonorum habeant carentiam, Hæc reſpectu eorumdem minimè ſortitur rationem mali, etiam leuiſſimi. Ratio eſt clara, ſiquidem cùm ego exiſtimarem, me ius habere in talia bona, fit, quòd carentia eorum ſit mihi valdè poſitiuè diſconueniens. Eo quòd ex iure à me exiſtimato, ſpem de illorum poſſeſſione concepi, & cùm ex ſententia iudicis fruſtrata ſit ſpes, talis fruſtratio triſtitiam in me genuit, & peperit anxietatem. Iſta verò minimè accidunt aliis, quippe illi nullam de bonis iſtis poſſidendis conceperunt ſpem, quapropter nulla ex carentia illorum incutit triſtitiam, aut anxietatem; Hoc eſt argumentum efficax conuincens, carentiam vnionis hypoſtaticæ in illo, apud quem nec veſtigium ſpei ad illam habendam adeſt, minimè ſortiri rationem mali.

90. Ecce nunc forma replicæ applicanda; diſtinguo maiorem, priuatio vnionis hypoſtaticæ eſt pœna peccati, quatenus eſt mala priuatiuè tantùm peccatori, do maiorem; quatenus eſt mala poſitiuè, nego maiorem. Siquidem cùm in peccatore nulla ſupponatur ſpes illam obtinendi, quia nullum ad eam præceſſit ius in ipſo, fit quòd eius carentia nullum damnum eidem afferat, quare nullo modo illi poſitiuè cenſetur mala; & ſi proprietati Verborũ ſit conſulendum, carere peccatorem vnione hypoſtatica, non tam eſt habere malum, quàm non habere bonum, qood eſt ſignum, vt Beati, & Maria ſanctiſſima ex eò quòd vnione hypoſtatica careant, non iudicentur pati aliquod poſitiuum damnum. Cum his tamen compatitur, vt Deus cuilibet peccatori grauiter ſe à Deo auertenti negare poſſit vnionem hypoſtaticam in pœnam peccati; quia, ex vno capite peccator eſt dignus, cui quælibet beneuola actio, & beneficium negetur; & ex alio, aliquod dedecus illi eſt, vt vnio propter delictum ei denegetur; quantumuis ſit illi leuiſſimum damnum, propter rationem datam. Præterea diſtinguo minorem. Sed priuatio vnionis eſt infinitum malum priuatiuè, id eſt, non eſſe infiniti boni, concedo: malum infinitum poſitiuè, nego minorem, & nego conſequentiam. Siquidem ad grauitatem pœnæ in priuatione conſiſtentis, non tam attendendum eſt ad magnitudinem boni, quo priuat, quàm ad ius, & ſpem, quam ſubiectum habet de bono poſſidendo. Ad probationem minoris diſtinguo maiorem, priuatio ſemper eſt tam mala priuatiuè, quàm ſit bona forma, qua priuat, concedo. Semper eſt tam mala poſitiuè, nego maiorem, quia licèt priuet omni bono, quod inuoluitur in forma oppoſita, & ideo ſit tam mala priuatiuè, nihilominùs non tantùm ſemper vexat hominem, quantùm delectat oppoſita forma, quia talis carentia ſecum non affert tantùm mœroris & triſtitiæ, quantùm iucunditatis progignit oppoſita forma, quam excludit, quapropter non cenſetur tam diſconueniens poſitiuè carentia formæ, quàm ipſa forma ſit conueniens ſubiecto, quando hoc ad illam habendam non ſupponebatur cum iure, & ſpe,

91. Sed replicabis, Pone caſum, quòd Deus Petro promiſiſſet vnionem hypoſtaticam ſub conditione, quòd non peccet, ſicut noſtro Parenti primo promiſit gratiam originalem ſuis Poſteris dandam, ſi præceptum non violaſſet. Ergo ſi in tali caſu Petrus peccaret, vnionem amitteret, ad quam ius aliquod habebat, non aliter ac dum Adamus peccauit, amiſit gratiam Poſteris, ad quam habet ius, ex vi antecedentis promiſſionis. Ergo ſicut in caſu Adami, priuatio gratiæ cenſetur tam mala poſteris adhuc poſitiuè, quàm bona eſſet gratia illis conferenda, ſic in noſtro caſu, tam mala eſſet poſitiuè priuatio vnionis reſpectu Petri, quàm eſſet illi bona vnio conferenda ratione promiſſionis. At ſi Petro vnio daretur, bonum infinitum daretur; Ergo priuatio vnionis eſſet Petro, in tali caſu, malum infinitum poſitiuè; atque adeo eſſet infinita pœna.

92. Reſpondeo conceſſo caſu, adhuc nego priuationem vnionis fore infinitum malum poſitiuè, aut infinitam pœnam, ſiquidem grauitas pœnæ in priuatione conſiſtentis taxanda eſt iuxta malum, quod poſitiuè in ſubiectum inducit: vt iam ſæpè diximus, At in tali caſu priuatio vnionis ex ſe non inferret poſitiuum malum infinitum; ſiquidem non inferret ex ſe dolorem infinitum: Tum, quia triſtitia, & dolor ſunt actus vitales creaturæ, quæ ex ſe nõ poteſt illos infinitos cauſare. Præterea triſtitia infinita de bono amiſſo, neceſſariò debet ſupponere cognitionem infinitam de excellentia talis boni, ſiquidem quò perfectius cognoſcitur excellentia boni deperditi, eò maiorem triſtitiam progignit, quapropter ſi non cognoſcitur cognitione ſummè perfecta, non poterit ſummum mœrorem parere. Tum vltra ſed adhuc dato caſu, quo Deus Petro promiſiſſet vnionem, non haberet Petrus infinitam cognitionem de bono amiſſo. Ergo nec haberet infinitam triſtitiam. Ergo priuatio vnionis in tali caſu neque eſſet infinitum malum poſitiuè, nec infinita pœna.

93. Reſpondeo ſecundò, Ponamus duos homines, quorum vnus habeat titulum ad gratiã & gloriam, & alter ad vnionem hypoſtaticam. Deinde peccet vterque, ita vt vni in pœnam peccati negetur gratia, & gloria, & alteri ſola vnio hypoſtatica; in tali caſu, licèt hic abſolutè priuetur maiori bono, nihilominùs maiorem pœnam ſubibit ille, cui negatur gratia, & gloria, ita vt detrudatur in infernum, quàm ſi habenti titulum ad vnionẽ, hæc ipſa denegaretur ei ratione peccati, abſque eo quòd aliqua alia pœna ei infligeretur; potiſſimùm ſi relinqueretur illi gratia, & gloria; Ratio ex dictis conſtat, quia priuatio vnionis, in caſu iſto, componitur cũ maxima felicitate beatitudinis; at priuatio gratię, & gloriæ cum grauiſſima pœna ſenſus, qualis ſuſtinetur in gehẽna æterna, excludit, omnẽ felicitatem. At malum excludens omnem felicitatem cenſetur maius eo, quod admittit ſecum maximam felicitatem. Ergo grauius puniretur hic, qui gratiã, & gloriã puniretur in cõſortio grauiſſimæ pœnæ ſenſus, quàm ille, cui negaretur ſola vnio hypoſtatica. Ratio horum, quæ dicta ſunt, eſt hæc; quia priuatio boni, etſi leuioris, magis tamẽ neceſſarij, iudicatur maius malum in æſtimatione prudentũ, quàm priuatio maioris boni, ſed non ita neceſſarij, ſiquidem maius bonũ ſunt quinquaginta gratiæ gradus, quã vnus, & hoc nonobſtante,

obſtante, grauior pœna peccati eſſet tollere vnū ab habente vnicum, quàm tollere quadraginta nouem ab habente iſtos & adhuc vnum; cuius alia cauſa non eſt niſi quia magis neceſſarius eſt homini vnus gradus, quando eſt vnicus, quàm quadraginta nouem, ei qui habet quinquaginta, ratio, nā ex defectu vnius, quando eſt vnicus; ſumma miſeria homini ſuperueniret, cùm à gloria reiiceretur, & æternis cruciatibus addiceretur; at verò cum defectu quadraginta nouem, remanente tamē vnico, compati poſſet gloria, etſi in ſtatu remiſſo, quæ æternos illos cruciatus depelleret. Similiter in præſenti caſu, quamuis vnio hypoſtatica, licèt ſo ſola, ſit maius bonum, gratia, & gloria, eſt tamen minùs neceſſaria reſpectu hominis; ſiquidem ſine illa poteſt quis adipiſci maximam felicitatem beatitudinis, ſecus tamen ſine gloria; ex quo fit, grauius puniri eum, qui cùm habuiſſet titulum ad gratiam, & gloriam, illis ratione peccati priuaretur, quàm illum, cui, cùm haberet titulum ad vnionem hypoſtaticam, negaretur ipſa vnio ſola, ſine alia pœna; Vnde conſequenter fit, quòd ſi aliquis priuaretur omni bono, non exinde colligeretur punitum eſſe infinito malo, aut pœna infinita.

94. Argues peccatum eſt maius malum, quàm quæcumque pœna ſenſus, etiam infinita, & quàm carere hypoſtatica vnione, etſi quis ad eam poſſidendam haberet ius, & quibuſvis ſupernaturalibus bonis etiam infinitis, taliter quòd teneatur quis hæc omnia pati potiùs quam peccatum mortale committere. Ergo peccatum graue habet infinitam grauitatem in ratione offenſæ.

95. Reſpondeo, negando conſequentiam, cuius falſitas oſtenditur contra aduerſarios: ſiquidem ſi eſſet vera, ſequeretur veniale peccatum habere infinitam grauitatem, atque adeo in ratione demeriti magis præponderare, quàm opera Chriſti in ratione meriti, & ſatisfactionis, ſiquidem peccatum veniale, etſi minutiſſimum, non eſt committendum, nec pro omnibus Chriſti operibus, & valore illorum: Vnde ſicut non bene arguitur ex eo, quòd veniale committendum non ſit, propter opera Chriſti infinitè digna, quòd peccatum veniale habeat infinitam malitiam, ſicut opera Chriſti habent valorem infinitum; ita nec bene arguitur ex eo, quòd peccatum mortale ſit maius malum, quàm quæcumque pœna ſenſus tametſi hæc infinita ſit. Ergo peccatum mortale habet infinitam grauitatem; ſiquidem optimè ſtat magis fugiendum eſſe malum culpæ, quamuis finitum, quàm infinitum malum pœnæ, ſiquidem malum culpæ eſt macula, malum autem pœnæ non eſt macula; imò ſæpè ſuffragatur ad maculam delendam. Itaque hoc quod eſt, peccatum faciendum non eſſe pro nulla re mundi, non naſcitur ex eo, quòd peccatum ſit maius malum, quàm cætera recenſita ſint bona, ſed quia in ſe eſt malum, & contra rationem, & ipſum naturæ lumen dictans, nullum faciendum eſſe malum, vt eueniant bona quantumcumque hæc ſint eximia.

Sectio V.

Infinitas peccati non bene probatur ex Deo, vt per peccatum offendibili, nec ex vilitate Perſonæ offendentis ipſum Deum.

INfinitatem hanc intrinſecam aſcribi debere peccatò, aliò rationum pondere intentant quidam Authores. Primò ſic mouentur, grauitas offenſæ taxanda eſt iuxta gradum vilitatis Perſonæ offenſæ, Sed creatura offendens Deum eſt infinitè vilis. Ergo peccatum ab illa factum eſt infinitè graue. 96.

Sed ratio hæc non conuincit infinitatem ſimpliciter in peccato. Siquidem conceſſa minori, ſi conſequentia legitima eſſet, ſequetur peccatum veniale habere infinitatem ſimpliciter. Hoc admittit nemo. Ergo ratio hæc non ſufficit. Probo ſequelam. Quia licèt peccatum veniale non ſit contra legem charitatis, quatenus amicitiam cum Deo non depellit, eſt tamen contra Dei legem illud prohibentem, & contra conſcientiæ dictamen; atque adeo tale eſt, vt veram rationem offenſæ, tametſi leuis, participet: Ergo ſi ex vilitate perſonæ offendentis metienda eſt offenſa, fiet, peccatum veniale, cum committitur ab homine, qui in ſententia arguentis, eſt infinitè vilis, infinitatem in ratione offenſæ debere contrahere. 97.

Reſpondebis negando ſequelam, ſiquidem licèt talis vilitas, quantùm eſt ex ſe, ſit ratio refuſiua infinitatis, tamen hîc & nunc ſolùm in id infinitatem refundet, quod talis infinitatis capax fuerit, quod quidem innumera exempla confirmare poſſunt; Contingere ſolet, formam ex ſe virtutem habere communicandi ſuum effectum formalem, & quia ſubiectum, cui vnitur, eſt incapax illius, illi talem effectum minimè præſtat. De quibus vide *tractatum de ſpectantibus ad animam Chriſti, diſputatione prima.* Atqui peccatum veniale, propter ſuam minutiſſimam leuitatem, eſt incapax infinitatis, hinc fit, quòd licèt à vilitate Perſonæ fiat, quòd in illud hæc nullam infinitatem tranſmittat. 98.

Sed replicabis ſupponens cum communi, peccatum veniale eſſe maius malum quocumque malo pœnæ, & hoc edoctum ſuſceperunt cuncti Authores ex ſancto Thoma pluribus in locis; potiſſimùm *quæſt. 48. part. 1. art. 4. in ſolutione ad tertium.* Vbi: *Quodlibet malum culpæ eſt maius malum, quàm carentia diuinæ viſionis,* cuius dat rationem, *Quatenus hæc eſt malum pœnæ*, nempe carentia viſionis beatæ. Hoc ſuppoſito infero; Ergo peccatum veniale capax eſt recipiendi infinitatem ex vilitate Perſonæ à qua fit; Probo conſequentiam; ſi aliquid conſtitueret peccatum veniale incapax recipiendi infinitatem ex vilitate offendentis, maximè eius leuitas in genere mali. At hoc non ſufficit. Ergo non eſt incapax. Probo minorem. Leuitas hæc non ſufficit tollere 99.

à veniall, quod à vilitate offendentis procedat, nec tollit ab illo quod in genere mali excedat quodlibet malum in ratione pœnæ. Ergo nec ſufficiet illud conſtituere incapax recipiendi infinitatem, ex vilitate offendentis. Probo conſequentiam, eſſe aliquod opus Chriſti ſecundùm quid bonum (ſuppone hoc poſſibile in Chriſto diſputandi gratiâ) non tolleret ab illo infinitum valorem in ratione meriti, quia nec tolleret, caſu quo à Chriſto fieret, quòd à Perſona infinitè digna ortum haberet, nec quòd in infinitum excederet quodlibet opus ab aliis creaturis factum. Ergo eſſe veniale peccatum leue, & exiguum in linea mali, ſi nec tollit ab eo, quòd à vili perſona procedat, nec quòd malum etſi acerbiſſimum pœnæ ſuperet, ita nec ab illo auferet capacitatem recipiendi infinitatem in genere mali.

100. Rurſum oſtendo paruitatem malitiæ, & offenſæ, in veniali repertam, non ſufficere illud reddere incapax recipiendi infinitatem, ſi hæc ſemel ſtatuatur caput vnicum, infinitatem in peccatum mortale refundens. Per vos paruitas hæc malitiæ & offenſæ venialis, informatur vilitate Perſonæ offendentis. Ergo hæc illi infinitatem ſimpliciter communicat. Antecedens ſupponi debet in iſtorum ſententia, ſiquidem idem eſt actionem informari dignitate perſonæ, à qua fit, ac ab illa, hîc & nunc efficienter ortum habere. Nunc conſequentiam probo, paruitas bonitatis operis, quia informatur dignitate infinita, hæc de facto illi communicat infinitatem in genere obſequij. Ergo paruitas offenſæ, & malitiæ, quia informatur vilitate infinita Perſonæ offendentis, hæc illi infinitatem ſimpliciter in genere offenſæ communicabit. Antecedens probo, ſimul explico, dignitas Perſonæ Chriſti adeo ſe in genere dignificandi extendebat, vt non ſolùm dignificaret actiones bonas eo genere rectitudinis, cuius carentia eſſet peccatum mortale in eo, qui peccandi mortaliter eſſet capax, ſed etiam actiones illas bonas eo genere rectitudinis, cuius carentia eſſet peccatum veniale in eo, qui potens eſſet venialiter delinquere; Ergo illud antecedens eſt verum, nempe paruitas bonitatis operis, quia informatur dignitate infinita Perſonæ operantis, hæc illi infinitatem ſimpliciter in genere obſequij communicat. Ergo idem contingere debet in veniali. Probo conſequentiam; rectitudo oppoſita peccato veniali, non redditur incapax, à ſui exiguitate in linea bonitatis, recipiendi infinitatem ſimpliciter, ex dignitate Perſonæ infinitæ. Ergo carentia talis rectitudinis non reddetur incapax, à ſui exiguitate in linea malitiæ, recipiendi infinitatem ſimpliciter, ex vilitate Perſonæ illam elicientis. Non video, quid aliquo iure negari poſſit. Vtrobique enim ſunt omnia ſimilia. Vtrimque caput eſt perſona operans, & ambæ actiones ſunt exiguæ, vna in linea rectitudinis, alia in linea demeriti, conſiſtentis in priuatione talis rectitudinis. Ergo vel vtraque incapax, vel capax vtraque infinitatem recipiendi. Ergo vnum è duobus, vel vilitas perſonæ non eſt ſufficiens ratio infinitatis transfuſiua in peccatum mortale; vel peccatum veniale eſt ſimiliter à prædicta vilitate infinitatem accepturum.

Secunda ratio, qua ſibi ſuadent infinitatem 101.
ſimpliciter in peccato, ſic formatur, etenim peccatum graue offendit Deum infinito modo. Ergo euadit infinitum in ratione offenſæ. Antecedens probant, nam quodlibet peccatum graue offendit Deum quantùm offendibilis eſt. Ergo offendit illum infinito modo. Conſequentia liquet, ſiquidem ſi Deus cognoſceretur ab intellectu, infinito modo, ab ipſo cognoſceretur quantùm cognoſcibilis eſt. Antecedens probant, nam quodlibet peccatum tollit à Deo rationem vltimi finis. Ergo offendit Deum quantùm offendibilis eſt. Antecedens ſupponunt; Conſequentia patet, quia Deus nequit offendi magis, quàm quòd per affectum tollatur ab ipſo ratio vltimi finis, quod per peccatum contingit illi. Ergo hoc offendit Deum quantùm offendibilis eſt.

Ratio hæc eſt inefficax, ex ea enim ſolùm 102.
infertur in peccato ratio offenſæ infinitæ ſecundùm quid, vel ſi infinitas ſimpliciter ex ea colligitur in peccato, etiam exinde colligi debet infinitas ſimpliciter in amore ſupernaturali. Vtrumque patet, etenim amor ſimiliter Deum amat infinito modo, quia Deum amat quantùm amabilis; ratio, nam ex vi talis amoris, ponit quoad affectum in Deo rationem vltimi finis, quam per peccatum homo à Deo abſtulerat. Ergo ſi hæc ratio ſuffragatur peccato, vt infinitum euadat, ſimiles cauſas aget in fauorem amoris, vt infinitus euadat; Vel ſi ad id non ſufficit, nec ſufficiet ad illud. Et omnium ratio pro inſufficientia ad vtrumque eſt, quia licèt ex parte Dei, per quodlibet peccatum offendatur Deus quantùm offendibilis eſt, hoc eſt, nihil ex parte Dei inoffenſum relinquat peccatum, tamen ex parte offendentis magis ac magis poteſt offendi in feruore, in conatu, &c. Sicut id totum de amore philoſophari par eſt.

Reſpondebis fortaſſe in fauorem rationis 103.
factæ, quòd licèt magis ac magis Deus poſſit offendi, ly magis cadens ſupra ſubiectum, non tamen ſi ſupra obiectum cadat, Hæc enim compati inter ſe poſſe, expendi poteſt doctrina communiter recepta; in qua admittitur Angelos duos ſuperiores poſſe vnum inferiorem ſimul comprehendere, atque eo ipſo illum cognoſcere quantùm cognoſcibilis eſt, ex parte obiecti, taliter, vt nihil eorum, quæ formaliter, aut eminenter in ipſo continentur, illos duos Angelos cognoſcentes lateat: cum hoc tamen compatitur, quòd detur inæqualitas maioris, vel minoris perfectionis, ex parte modi, quo illum comprehendunt prædicti Angeli, ſiquidem illorum ſuperior perfectiùs inferiori alterum illis inferiorem attingit. Pariter poteſt diſcurri, quòd ſcilicet peccatum Homicidij Deum offendat quantùm offendibilis eſt ex parte obiecti, auferendo ſcilicet quoad affectum rationem vltimi finis à Deo, & hoc non obſtante, aliud peccatum feruentiùs, & intenſiùs Deum offendat, maiori ſcilicet cum conatu à Deo prædictam rationem quoad affectum ſubmouendo, verùm talis ex-

ceſſus ſe tenet ex parte ſubiecti feruentiùs conantis; non tamen ex parte obiecti, quapropter minimè hoc impedimentum eſt, ne quodlibet eorum offendat Deum, quantùm offendibilis eſt, ſicut nec impediuit in quolibet illorum Angelorum ne cognoſceret eorum quilibet inferiorem quantùm cognoſcibilis eſt.

104. Sed teplicabis, ſolutionem hanc diſparitatem non reddere inter actum amoris & peccatum *num.* 1 0 2 ponderatam: atque adeo ſi ſufficiens eſſet pro danda infinitate, peccato, ſufficiens debet eiſe pro infinitate, amori exhibenda; vel è contrà, vtrumque ſimul probatur, ſi tantiſper ponderetur paritas illa citata. Etenim ſicut peccatum ideo ex parte obiecti Deum offendit quantùm offendibilis eſt, quia quoad affectum aufert à Deo rationem vltimi finis, ita amor, quia quoad affectum, Deum vt vltimum finem conſtituit, debet amare illum quantùm amabilis eſt ex parte obiecti. Etgo ſicut quia vnus amor feruentius alio in Deo talem tationem ponit, non dicitut amare Deum, quantùm amabilis eſt ex parte obiecti; ita ſi per vos vnum peccatum alio feruentius Deum offendit, maiori, vel minori conatu, ab illo rationem vltimi finis auferendo, fit, ipſum minimè offendere Deum, quantùm offendibilis eſt ex parte obiecti. Vel ſi hoc non obſtat in peccato, nec obſtabit in amore; atque adeo in vtroque deriuabitur infinitas ſimpliciter.

105. Replicabis 2. etenim peccatum non poteſt offendere Deum, quantùm offendibilis eſt. Ergo ruit ſolutio data. Antecedens probo, nam peccatũ nullum poteſt adæquare offendibilitatẽ Dei. Ergo nullum offendit Deum quantùm offendibilis eſt, etiam ex parte obiecti. Conſequentia eſt clara, quia offendere Deum quantùm offendibilis eſt, nihil eſt aliud, quàm offenſam illam, eiſe comprehenſiuam offendibilitatis Dei, ſicut cognoſcere Deum quantùm cognoſcibilis eſt, nihil eſt aliud, quàm cognitionem elicere, quæ adæquata ſit diuinæ cognoſcibilitati. At idẽ eſt aliud in aliqua linea comprehendere, ac illud in illa linea adæquare. Ergo ſi peccatum non adæquet offendibilitatẽ Dei, nec offendet ipſum, quãtùm offendibilis eſt. Nunc probo antecedens illud, quia ſi ob aliquid, quodlibet peccatũ adæquaret offendibilitatẽ diuinã ex parte obiecti, maximè quia quodlibet peccatum quoad affectum tollit à Deo rationem vltimi finis. Sed hæc ratio non ſufficit ponere in quolibet peccato adæquationem cum diuina offendibilitate. Ergo peccatum non adæquat offendibilitatẽ Dei. Maior eſt doctrina, quam adhibent authores, cum quibus de certo, vel pete alſam, non deſignabunt; minor probatur: etenim licèt amor ponat quoad affectum rationem vltimi finis in Deo, quam peccatum quoad affectum aufert à Deo, non adæquat amabilitatem diuinam ex parte obiecti, vt fatentur cuncti; ergo hoc quod eſt peccatum quoad affectum remouere à Deo rationem vltimi finis, non ſufficit illud adæquare offendibilitatem diuinam ex parte obiecti. Conſequentiam probat omnimoda paritas: ſiquidem ſicut adæquata offendibilitas diuina ex parte obiecti, conſiſtit in terminabilitate ablationis à Deo rationis vltimi finis, ita adæquata amabilitas ex parte obiecti, conſiſtit in terminabilitate affectiuæ poſitionis in Deo rationis vltimi finis. Ergo vtroque eſt par ratio.

Replicabis tertiò, ſiquidem illi axiomati Metaphyſico, *quæ ſunt idem vni tertio ſunt idem inter ſe*, correſpondet axioma aliud Mathematicum, nempe *quæ ſunt æqualia vni tertio ſeruant æqualitatem inter ſe*. Rurſum & ſicut ad ptobandum aliqua duo extrema identitatem cum tertio non habere, eſt argumentum efficax, quod deuincit, extrema illa inter ſe diſtinctionem habere; ita ad ptobandum extrema duo æqualitatem cum tertio non habere, argumentum erit, illa inter ſe inæqualitatem ſeruare. Hoc ſuppoſito, ſic argumentor, peccatum in grauitate alterum excedens nollo modo excedere dicitur offendibilitatem diuinam ex parte obiecti, ſed ad ſummum illam dicitur adæquare, vt de ſe patere videtur. Ergo falſa eſt illa propoſitio vniuerſalis, nempe quodlibet peccatum graue adæquare offendibilitatem diuinam ex parte obiecti. Probo hanc conſequentiam. Per te peccatum omnibus grauius (demus id poſſibile eiſe poni in rerum natura) ſolùm eſt compos adæquare offendibilitatem Dei ex parte obiecti. Ergo peccatum quod ſit illo minùs graue non adæquabit offendibilitatem prædictam ex parte obiecti. Probo conſequentiam. Quia ex qua parte peccatum minùs graue adæquat offendibilitatem Dei, eſt æquale prædictæ offendibilitati; & ex qua parte eſt minùs graue altero grauiori, eſt eidem inæquale. Ergo ſi peccatum grauius eſt æquale diuinæ offendibilitati, non poterit peccatum minùs graue eiſe diuinæ offendibilitati æquale. Probo conſequentiam; ergo ex inæqualitate extremorum inter ſe, non bene deducetur inæqualitas eorumdem cum tertio: ſiquidem peccata iſta ſunt inter ſe inæqualia, & cum offendibilitate diuina, quæ eſt illorum tertium, æqualitatem ſeruant, quod eſt, regulam illam adhibitam apud omnes illibatam diſſipare. Ergo nullum peccatum dicetur offendibilitatem Dei ex parte obiecti adæquate, ergo nullum offendit Deum quantùm offendibilis eſt ex parte obiecti. Ergo nullum euadet ſimpliciter infinitum. 106.

Secundò deficit ratio iſtius modi dicendi, quia dato, quòd Deus à quolibet peccato graui offendatur quantùm offendibus eſt, adhuc fundamentum non eſt ad dandam peccato infinitatem ſimpliciter; ergo ruit ratio iſta. Probo antecedens. Non bene ſequitur, homo offenditur quantùm offendibilis eſt; Ergo offenſa illi irrogata eſt infinita. Ergo præciſe ex eo, quòd Deus offendatur quantùm offendibilis eſt, non bene infertur, ergo offenſa illi irrogata eſt infinita. Probo conſequentiam; ideo offenſa irrogata homini eſt finita, quia licèt offenderetur ab alio per illam quantùm offendibilis eſt, tamen offendibilitas hominis eſt finita. At huc vſque authores iſti minimè oſtenderunt, offendibilitatem Dei eiſe infinitam ſimpliciter. Ergo ex eo, præcisè, quòd à quolibet peccato offendatur Deus, quantùm offendibilis eſt, non bene infertur, offenſam quamlibet Deo irrogatam eiſe infinitam ſimpliciter. Minor probatur, cætera enim patent, ſiquidem ſi aliqua ratio eſſet probans offendibilitatem Dei eiſe infinitam ſimpliciter, maximè, quia Deus eſt obiectum infini- 107.

tum ſimplicitet; at hæc ratio non arguit Dei offendibilitatem eſſe ſimpliciter infinitam. Ergo nulla tatione probatur Dei offendibilitatem eſſe ſimpliciter infinitam. Minor probatur. Tum, quia licèt Deus, qui eſt infinitus, ſit credibilis, tamen eius credibilitas non eſt infinita. Ergo licèt Deus, qui offenditur, infinitus ſit, non bene infertur ex eo eius offendibilitas infinita. Antecedens patet, aliàs actus credendi quilibet eſſet infinitus, quia ſinguli actus credendi tendunt in Deum, quantùm credibilis eſt, nam ſinguli innituntur diuinæ authoritati in dicendo, & aliter Deus credibilis non eſt. Tum etiam, quia Dei natura eſt infinita, & tamen participatio eius per gratiam, quamuis ſit illius participatio quantùm participabilis eſt, non eſt infinita. Ergo licèt Deus ſit infinitus, non bene infertur ex eo præcisè, quòd peccatum graue offendat illum quantùm offendibilis eſt, quòd eius offendibilitas ſit infinita. Ergo nullum eſt caput, vnde infinitas Dei in eius offendibilitate aperiatur. Ergo quamuis concedatur, quòd peccatum quodvis offendat Deum, quantùm offendibilis eſt, non bene infertur, tale peccatum infinitum ſimpliciter euaſurum.

Sectio VI.

Infinitas peccati non rectè probatur ex concreto offenſæ, includente aliquid infinitum, nec quòd per peccatum creatura antefertur Deo.

108. Aliter tentant quidam authores dare peccato infinitatem ſimpliciter. Mouentur primò ſupponentes ſententiam valde probabilem, defendentem, offenſam eſſe concretum quoddam, conſtitutum ex maieſtate diuina tanquam ex forma; quo ſuppoſito, ſic iſtam infinitatem ſuadent. Compoſitum includens formam infinitam, eſt ſimpliciter infinitum. Sed offenſa includit formam ſimpliciter infinitam, nempe diuinam maieſtatem. Ergo offenſa diuina eſt ſimpliciter infinita. Maiorem doceot eſſe veram ex Philoſophia, minorem ſupponunt, & conſequentiam infert Logica.

109. Reſpondebis, prædictum compoſitum phyſicè eſſe infinitum iudicandum, & in eſſe entis, cùm includat in ſe aliquid infinitum, non tamen eſſe infinitum in genere moris, & in genere offenſæ; quia me peccare, & Deum eſſe infinitum, non habet infinitam vim in æſtimatione prudentũ, ad prouocandam indignationem Dei, eo quòd limitatur illa vis, & prouocatio, in genere moris, à defectu cognitionis, & aduertentiæ, qui ex parte noſtra ſemper reperitur in omni peccato; & conſequenter iſtam rationem, cùm tam facilem exitum ſuſtineat, vim non habere ad deuincendam infinitatem in peccato.

110. Contra iſtam ſolutioonem poteſt ſic argui, & ratio adducta corroborari: qoia cõpoſitum morale conſtans ex forma phyſicè infinita, etiam in morali æſtimatione, eſt ſimpliciter infinitum. Ergo nulla eſt reſponſio allata. Antecedens patet, in quolibet actu Chriſti meritorio, hic enim eſt morale compoſitum, ex entitate actus creati, & ex infinita Dei dignitate, quaprnpter eſt infinitum moraliter, & in æſtimatione Prudentum. Confirmatur, quia moralis æſtimabilitas compoſiti moralis, non eſt aliud, quàm entitas phyſica illius, vt de ſe conſtat. Ergo ſi tale compoſitum eſt iofinitè tale, in eſſe phyſico, non habebit, vnde limitetur. Ergo eo ipſo, quòd offenſa ſit compoſitum infinitum in eſſe phyſico, etiam in morali æſtimatione infinitatem habebit.

111. Reſpondebis, nec ſic rationem illam ponderatam, habere vim infinitandi peccatum; ſiquidem dici poteſt, tale compoſitum limitatum iri ab imperfecta cognitione, quam vnuſquiſque habet, dum Deum offendit, ſiquidem cùm Deum imperfectè cognoſcamus, cum ingenti ignorantia creaturam illi præferimus, ſunt enim peccata noſtra veluti rudis infantis, pluris facientis rem exiguam, nempe pomum, quàm Regnum.

112. Sed contra ſolutionem hanc diſcurſus ille poteſt muniri: nam Chriſti meritum æqualiter eſſet perfectum, ſiue Chriſtus operaretur ex notitia perfectiori, qua operabatur nunc, ſiue ex æquè imperfecta cum noſtra, operaretur. Ergo notitia noſtra, quam de Deo habemos, non facit, vt offenſa diuina non ſit moraliter infinita. Confirmari poteſt præcipuus diſcurſus. Ponamus, præſentiam corpoream non eſſe aliud, quàm corpus ipſum, vt affectum, ſeu vt denominatum à ſpatio. Certè ſi ſpatium denominans ſit palmare, præſentia erit palmaris, ſi illud bipalmare, & hæc. Si illud infinitum, & hæc. Ergo ſi offenſa eſt talis à Dei maieſtate infinita, vt à forma, infinitas huius refundetur in illam ſine limitatione.

113. Sed prætermiſſis, non quia falſis, ſolutionibus intertextis, quia alia via faciliori poteſt oſtendi, prædictam rationem vim nullam habere, ad oſtendendam infinitatem in peccato. Imprimis maior illa exceptiones patitur; quia vt abſolutè compoſitum, vel concretum ſit infinitum, petit, vt ſecundùm omnem ſui partem infinitatem redoleat, vel quòd forma infinitè ab eo, quod appellatur quaſi materia, poſſideatur, quouis autem iſtorum deficiente, deficere videtur infinitas in compoſito; quòd autem nnn bene inferatur, ex eo præcisè, quòd forma compoſitum componens ſit infinita, ipſum compoſitum abſolutè eſſe denominandum infinitum, patet, quia denominatio compoſiti diuerſa ſolet eſſe à denominatione formæ, vt patet in homine, qui corporeus eſt, quamuis forma eius ſit ſpiritus, & noo alia ratione, niſi vel quia alia pars eſt materialis, vel quia vnio illarum ſpiritualis non eſt, ratione cuius materialiter forma illa poſſidetur. Ita in concreto offenſæ, ſtante eius forma infinita, poterit illud abſolutè finitum eſſe, quia id, quod habet rationem materiæ in illo, nempe ratio liberi, vitalis, entis, & qualitatis, prorſus finita, & limitata ſunt, vel quia vnio intentionaliter vniens (cognitio ſcilicet diuinæ maieſtatis) partes illas, eſt finita & limitata.

114. Rurſum idipſum munio, ſiquidem infinitas formæ, ad ſummum videtur conuincere, concretum hoc, *offenſa Dei*, eſſe ens finitum, & infinitum in diuerſo genere, hoc eſt, ſecundùm diuerſa: finitum quoad id, quod dicit in recto,

nempe

nempe quoad actum voluntatis liberum, eiuſ-
que deliberationem, intenſionem, & feruorem:
infinitum verò quoad id, quod dicit in obliquo,
nempe formam, quæ eſt diuina Maieſtas; ſed
tamen ipſum concretum ex illis reſultans abſo-
lutè eſt finitum appellandum; Hoc reor verum
ex doctrina, quam diſcipuli ſanctiſſ. Doct. fami-
liariter profitentur. Lege Salmanticenſe Colleg.
tom. 1. in 1. p. tract. 3. diſp. 2. dub. 2. Vbi ex Ange-
lico Præcept. ſupponunt vt dogma inconcuſ-
ſum: cognoſcentia fieri idem in eſſe cognoſcibili.
Cum rebus cognitis, atque adeo colligunt ibi-
dem §. 5. *n.* 101. beatum cognoſcentem Deum
fieri idem cum illo; imo fieri Deum, & conſe-
quenter intellectum beati euadere creatum, &
increatum, ens per eſſentiam, & ens per partici-
pationem, non ſecundùm eamdem rationem,
ſed in genere diminuto, & intelligibili, quia hoc
tantùm ſonat, quòd Deus vniatur intellectui
beati per modum formæ, quod non iudicant
abſurdum, ſicut nec eſt, vnum compoſitum ex
Deo, vt termino, & natura creata vt terminabi-
li, eſſe aliquid creatum quoad naturam huma-
nam, & quoad Perſonam quid increatum; ita
aſſeritur, non repugnare intellectum factum
idem intelligibiliter cum eſſentia diuina adæ-
quatè ſumptũ, eſſe ſimul aliquid creatum, quoad
id, quod ex ſe habet, & eſſe aliquid increatum,
quoad formam intelligibilem, cui eſt vnitus; ad-
dunt tamen, intellectum adhuc vnitum, modo
aſſignato, formæ infinitæ, abſolutè fore dicen-
dum finitum, quia adhuc in eſſe intelligibili,
infinitè non vnitur formæ infinitæ, ſed finitè.

115. Hoc ipſum & nihil amplius probare ratio-
nem iſtorum authorum, paritas ſimillima de-
uincit. Videlicet, concretum hoc *offenſa Dei* eſſe
finitum quoad ea, quæ ſunt phyſica in ipſo non
ſemel enumerata: & infinitum quoad formam,
nempe Maieſtatem Dei, ſed tamen abſolutè eſſe
nuncupandum concretum illud finitum. Ratio
eſt par: quia non infinitè, ſed finitè illa forma
vnitur adhuc moraliter materiæ illius concreti,
nempe vel medio feruore, & offenděris conatu,
vel media cognitione, vt *ſect.* 2. latè oſtendimus.

116. Præterea, alia eſt ratio, quare concretum illud
abſolutè ſit dicendum finitum; quia videlicet ra-
tio infiniti habet rationem boni, & finitudo ha-
bet rationem mali, & quia, bonum ex integra
cauſa, malum autem ex quocunque defectu, hinc
fit, quòd cum in concreto hoc *offenſa Dei* detur
vna pars finita, vt admittunt iſti authores, exin-
de fit, quòd offenſa Dei ſit ſimpliciter finita.
Sicut in ſimili dicitur de compoſito humano
conflato ex duplici parte, quarum vna eſt cor-
porea, & altera eſt ſpiritualis, compoſitum ex
illis conſurgens abſolutè dicitur materiale: &
hoc cur? quia ſpirituale habet rationem boni,
& materialitas habet rationem mali, ideo quo-
uis deficiente, deficit ratio ſpiritus, necnon ab-
ſoluta ſpiritualis compoſiti denominatio.

117. Nec vim auget illud, quod *n.* 112. adducit de
ſpatio modus iſte, nam dato præſentiam corpo-
ris in loco, eſſe puram extrinſecam denomina-
tionem, adhuc intentum non deuincit, etenim
in ſententia iſtam doctrinam defendente, non
dicitur, præſentiam ſumi à ſpatio ſecundùm ſe,
aliàs dicerer ego eſſe in toto compluto, ſed à ſpa-
tio vt à locato affecto, itaque me eſſe præſentem
huic parti gymnaſij, & non toti, eſt me coëxiſtere
huic parti, & non alijs per contactum quantita-
tiuum immediatum ambarum ſuperficierum.
Ex quo fit, me non habere tantam præſentiam,
quantum fuerit ſpatium abſolutè, ſed cum hoc
addito, quantum fuerit ſpatium, à ſuperficie mei
corporis contactum, per correſpondentiam
contiguam partium mei corporis ad locum.

Ex omnibus his infero, rationem iſtam eſſe 118.
inefficacem, ad probandum peccatum eſſe ab-
ſolutè dicendum ſimpliciter infinitum, adhuc
admiſſo, quòd denominatio offenſæ proueniat
à diuina maieſtate, tamquam à forma, etenim
adhuc admiſſo hoc, talis denominatio non pro-
ficiſcitur à Deo ſecundùm ſe accepto, ſed ab ip-
ſo, vt hac vel illa libertate, tanta, vel tanta in-
tenſione actus voluntatis attingitur, necnon vt
ab hac vel illa cognitione, diuina maieſtas in-
tentionaliter poſſidetur: & quia omnia hæc ſunt
finita, fit, non tantam euadere offenſam, quanta
eſt in ſe eius forma, nempe Dei entitas, ſed tan-
tam eſſe, quantus eſt modus, quo talis forma ab
offendente pertingitur: ſicut in ſimili dictum eſt
de intellectu beati, qui abſolutè infinitus non
euadit, etiam in ordine intelligibili, quamuis ha-
beat formam infinitã, quia non infinitè, ſed fini-
tè, media viſione finita ab intellectu poſſidetur.

Præterea impugno rationem hanc, ſiquidem 119.
ſi vires habet ad infinitandum offenſam, eaſdem
retinere debet ad præſtandum infinitatem amo-
ri Dei. Hoc negant authores cuncti, & ipſi. Ergo
& primum. Probo ſequelam maioris, nam ſicut
offenſa Dei eſt concretum agnoſcens Deum,
quem offendit, tanquam formam, ita amor Dei
eſt concretum reſultans ex Deo, quem amat,
tamquam ex forma. Sed iuxta præſentem diſcur-
ſum, quem impugnamus, quia Deus eſt forma
concreti offenſæ Dei, hæc eſt abſolutè, & ſimpli-
citer infinita. Ergo ob ſimilem cauſam amor Dei
euadet ſimpliciter, & abſolutè infinitus. Non me
latet diſparitas, quæ offerri poteſt, & quæ com-
muniter affertur toties, quoties contrarij præ-
muntur inſtantia iſta ex amore deſumpta, dicen-
tes latum eſſe diſcrimen inter amorem, & offen-
ſam, quòd hæc reſpicit Deum, vt ſui formam, &
ideo ab eo infinitatem ſimpliciter haurit, amor
verò ſolùm reſpicit Deum, vt obiectum, qua-
propter ab illo infinitatem ſimpliciter non ſu-
mit. Non me latet hæc tam vſitata diſparitas,
ſed apud authores non vidi niſi verba quæ in-
uenta ſunt, vt plicas parent ad infirmandum ar-
gumentum, vt ab inſtantia incepta deſiſtat. Quid
ni ex parte Dei vel offenſæ ponitur, ratione cu-
ius offenſa reſpiciat illum, vt ſui formam, quod
quia non inuenitur in amore, hic minimè vt
formam ſui, ſed vt purum obiectum, Deum di-
citur reſpicere? nihil; neque illud ſatis dilectè
contrarij vnquam tradiderunt.

Præterea rationem iſtam, & ſimul hanc diſ- 120.
paritatem impugno. Supponit ratio iſta, &
diſparitas, quòd offenſa Dei habeat ipſum vt
ſui formam. Et ſuppono rationem iſtam in-
tendere probare, peccatum habere infinitatem
intrinſecam in linea offenſæ, aliàs nullo modo
limites attingeret quæſtionis, hæc enim ſolum
in præſenti excitat, an peccatum ſit infinitum
intrinſecè in genere offenſæ, nam de extrinſeca
infinitudine, quæ communis eſt actui charitatis,

& aliis Deum reſpicientibus, quæſtio præſens nihil refert, ſed ſupponit apud omnes id eſſe concedendum peccato, ſicut actui charitatis, & beatæ viſioni. Nunc ſic argumentor. Non minùs repugnat Deo eſſe formam intrinſecam alicuius, ac concipere aliquid vt formam intrinſecam Dei. At hoc repugnat. Ergo & illud, atque adeo offenſa non agnoſcet Deum, vt formam intrinſecam ſui, conſequentia bene infertur. Minor ſupponitur ex dictis ſupra *ſect.* 3. vbi probauimus repugnare Deo eſſe ſubiectum intrinſecum moraliter alicuius, quod eſt idem, ac repugnare aliquid eſſe formam intrinſecam Dei. Maior patet, quia ideo repugnat concipere aliquid vt formam intrinſecam Dei, quia exinde conciperetur Deus, vt capax alicuius compoſitionis reſultantis ex ipſo tanquam ſubiecto, & ex alio tanquam forma. At ex eo, quòd Deus concipiatur, vt forma intrinſeca alicuius nempe offenſæ, conciperetur vt capax compoſitionis reſultantis ex ipſo, vt forma, & ex alio gerente vicem materialis ſubiecti. Ergo non minùs repugnat concipere Deum, vt formam intrinſecam alicuius, ac concipere aliquid tamquam formam intrinſecam Dei.

121. Reſpondebis fortaſſe, non repugnare concipere Deum, vt formam intrinſecam alicuius, ſiquidem vt poſtea dabimus *tract. de his, quæ ſpectant ad voluntatem Chriſti.* Diuinitas ipſa concipitur, vt forma moraliter ſanctificans ipſius Chriſti humanitatem; necnon & Verbum diuinum concipitur, vt forma operationibus Chriſti dás valorem, & dignificans infinitè. Sic enim conſiderare poterimus diuinam Maieſtatem, vt formam intrinſecam offenſæ, ſine periculo concedendi in diuina maieſtate capacitatem ad componendum, ſicut nec tale periculum imminet in caſibus deſignatis.

122. Sed replicabis, quia vt ſupra vidimus *diſp.* 1. Verbum concipi quaſi formam reſpectu humanitatis, & operum Chriſti, non eſt illud concipere cum munere informandi ſubiectum, ſed vt formam ſubſiſtentem, & cum munere terminandi ſolùm perſonaliter, quod ab omni imperfectione purgatum eſſe, diximus latè ſupra, ſicut in *tract. de Trinitate* cum communi ſolet dici, vnam perſonam eſſe in alia, nullum inuoluere indicium imperfectionis, quia idem eſt, ac ſi conciperemus vnum ſubſiſtens in alio ſubſiſtente, quæ tantùm important modum eſſendi in alio, ſine veſtigiis imperfectionis in informatione inuentæ: at concipere Deum, vt formam moralem intrinſecam reſpectu offenſæ, non admittit alium modum eſſendi Deum in offenſa, niſi vt formam per intrinſecam informationem ſaltem moralem, ſiquidem in ea nequit eſſe vt terminus ſubſiſtens, nec concipi cum munere terminandi illam perſonaliter, vt de ſe patet. Ergo cum munere intrinſecè, etſi moraliter, informandi offenſam, quod repugnare Deo, ſicut & ipſi ſortiri munus recipiendi intrinſecè, etſi moraliter, aliquam formam, manet oſtenſum.

123. Vltimò arguo contra rationem allatam; cui permittimus Deum eſſe formã offenſæ. Itaque adhuc conceſſo hoc, offenſa nequit participare infinitatem intrinſecam moraliter. Ergo nulla eſt ratio. Deus quantumcunque concipi queat vt forma offenſæ, nequit concipi, vt forma intrinſeca illius. Ergo offenſa nequit à Deo intrinſecam infinitatem haurire. Antecedens patet ſeipſo, ſiquidem quid magis extrinſecum alteri concipi valet, quàm Deus cunctis rebus extra ipſum, præter humanitatem, cui phyſicè vnitus eſt media intrinſeca illius vnione cum ipſa. Nunc conſequentiam probo; ſiquidem peccatum eſſe infinitum in ratione offenſæ, eſt denominatio intrinſeca (de extrinſeca hic dubium, minimè eſt inter authores concertatio) ergo à formã, quæ intrinſeca ſit offenſæ. Conſequentia eſt euidens, nam denominatio eſt ipſa forma ſubiecto exhibita. Ergo denominatio intrinſeca erit forma ſubiecto intrinſecè exhibita. Ergo ſi Deus eſt prorſus offenſæ quid extrinſecum, ab eo non poterit offenſa intrinſecè denominari infinita.

Reſpondebis fortaſſe, quòd licèt Deus offenſus, non ſit forma intrinſeca offenſæ, in genere phyſico, eſt tamen forma intrinſeca, in genere moris, ſicut Perſona diuina Chriſti, eſt forma intrinſeca ſatisfactionis, non phyſicè, ſed moraliter, vel ſicut Deus, in ſententia Thomiſtarum, licèt non ſit intrinſecum ſubiectum phyſicè offenſæ, dicitur tamen ſubiectum intrinſecum moraliter illius. 124.

Sed replicabis, ſiquidem latiſſima eſt diſparitas inter Perſonam Chriſti, vt cum eius actionibus collatam, & Deum, vt collatum cum offenſa. Tum quia Perſona Chriſti, non tam vt forma reſpectu operationum concipitur adhuc moraliter, quàm vt conditio ſe tenens ex parte principij vt *quod* illarum, per modum termini ſuſtentantis humanitatem, quæ eſt principium, *quo*, earumdem, quod ſufficere, vt prædictæ operationes euadant infinitæ ex Perſona, latè dabimus *tract. de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti, diſp.* 1. Tum etiam, quia licèt diuinum Verbum eſſet veluti forma moralis intrinſeca operum Chriſti, illa tamen moralis informatio innitebatur in coniunctione phyſica, qua humanitas Chriſti, & illa mediante, eius operationes erant vnitæ ipſi Verbo, virtute cuius vnionis intrinſecæ, poterant moraliter ipſo Verbo informari. Nunc peto ab aduerſariis, vt aſſignent vnionem aliquam intrinſecam, quam ſupponat offenſa, ratione cuius dicatur cum Deo intrinſecè vniri aliquid, ſupra quod fundetur offenſa? nihil eſt aſſignabile, vt de ſe patet. Quorſum ergo Deus dicetur intrinſecè moraliter offenſam informare? Ergo inter Perſonam Chriſti, cum ſuis operationibus collatam ex vna parte, & Deum ad offenſam comparatum, nulla eſt paritas; imo exinde argui poteſt, Deo repugnare moraliter intrinſecè denominare offenſam infinitam. Nam ſi per poſſibile, vel impoſſibile, operationes Chriſti non ſupponerent vnionem illam intrinſecam, qua humanitas vnita eſt Verbo, ab hoc infinitam moralitatem non poſſent operationes illæ accipere, nec Verbum poſſet concipi vt forma moraliter intrinſecè eas informans. Ergo cùm nullam vnionem intrinſecã cum Deo ſupponat offenſa, imo ſupponit ab eo ſeparationem moralem, cùm ſupponat auerſionem ab ipſo, in qua fundatur, ſit, nullum eſſe fundamentum ſuadens, Deum moraliter intrinſecè offenſam informare. 125.

Reſpon

126. Reſpondebis huic argumento aliter dicens, illud probare offenſam nullo modo à Deo infinitatem intrinſecam haurire poſſe, non tamen ab illo extrinſecam infinitatē ſimpliciter non poſſe recipere; ſiquidem quamuis videatur Deo repugnare informatio moralis intrinſeca, non tamen informatio extrinſeca, vt ex terminis liquet.

127. Sed replicabis. Solutionem hanc à RR. ſalmantinis datam, eſſe quæſtionis fugam; nam tota contentio, quæ Authorum animos concitauit huc vſque, eſt in admittenda, vel neganda peccato infinitate intrinſeca. Affirmantes quidam, quærentes formam, à qua talis intrinſeca infinitudo deriuetur, relictis aliis capitibus, deſignarunt Deum, vt formam offenſæ; Hoc prædictis replicis impugnauimus. Reſpondere nunc efficaciam non habere, ad repellendam à peccato infinitatem extrinſecam, deſumptam ex Deo, qui forma ſit extrinſeca moralis offenſæ, eſt reſponſio ab arguente non petita; imo vim tantum difficultatis fugere, ne dicam illi ſuccumbere. Præterea, quia omnes ſupponunt, peccatum habere infinitatem extrinſecam quatenus eſt offenſa Dei, qui infinitus eſt, non abſimilem illi, quæ actui charitatis, & viſioni beatæ, conuenire dicitur. Signum ergo eſt ſolutionem hanc tanquam inutilem quæſtioni, reiiciendam eſſe.

128. Reſpondebis, quòd licèt ſolùm admittatur, offenſam eſſe extrinſecè infinitam, tamen hæc infinitudo longè diuerſa eſt ab ea, quæ conuenit actui charitatis, & viſioni beatæ, ſiquidem hæc ſolùm eſt obiectiua, & ſecundùm quid, ea videlicet ratione, quia tendunt in Deum tanquam in proprium illarum obiectum; at verò offenſa eſt ſimpliciter infinita extrinſecè, quia tendit in Deum non ſolùm vt obiectum, ſed vt illius formam: ratione cuius diuerſitatis, longè maior infinitudo extrinſeca relucet in offenſa, quàm in actibus charitatis, & viſionis beatæ.

129. Sed replicabis ex dictis *n.* 119. petens ab his authoribus rationem iſtius diuerſi modi tendendi offenſæ, & actus charitatis in Deum; quid ſit ex parte Dei eſſe formam offenſæ diſtinctum ab hoc, quod eſt eſſe obiectum viſionis. Et caſu, quo rationes iſtæ poſſint, vt diſtinctæ, concipi, reſtat aſſignare aliquid ex parte offenſæ, vi cuius reſpiciat Deum ſub ratione formæ moraliter informantis eam, quod in actu charitatis minimè reperiatur, cuius defectu iſte ſolùm reſpiciat Deum ſub formalitate præciſa obiecti. Suſpicor illos reſponſuros, ſed quid reſponſiſſim ſit, audiui nunquam.

130. Secunda ratio, quæ authores plures deuicit, ad concedendam peccato infinitatem intrinſecam, ſic formatur; per quodlibet peccatum graue poſtponitur Deus creaturæ, & hæc illi præponitur; in quo grauitas offenſæ conſiſtere, eſt certum: At hæc antelatio, & inæqualitas eſt infinita, ſiquidem verſatur inter extrema in infinitum diſtantia. Ergo peccatum mortale eſt infinitum abſolutè & intrinſecè.

131. Ratio hæc ex dictis efficaciâ vacat: ſed vt magis conſtet valor iſtius rationis, & vis obiectionum, quibus eam ſum impugnaturus, ſiquidem eædem ſimul inſeruire poſſunt ad impugnandum alias rationes, quibus authores ſuadent prædictam infinitatem, quaſque iam impugnatas dederunt *ſectiones antecedentes*, notare debes, in quolibet peccato duas conſiderari poſſe inæqualitates, virtute quarum talis antelatio infinitatem in peccatum transfundere queat. Vna eſt deſtructio vltimi finis, & hæc à peccatore, dum peccat in affectu, & reipſa non cauſatur, ſed ſolùm talis deſtructio quoad affectum intenditur, vt *ſectione* 2. expendimus. Secunda inæqualitas ab ipſo peccatore, dum peccat, in executione, & in effectu poſita, eſt poſitio vltimi finis in creatura, quatenus peccator per peccatum legem Dei non adimplet, illum ſaltem extrinſecè inhonorando. Diuerſimodè ſumus locuturi de infinitate peccati, per ordinem ad iſtas inæqualitates. Etenim cùm prima inæqualitas ſit affectata intentio deſtruendi Deum, ab illo affectiuè rationem vltimi finis amouendo, debet eius grauitatis quantitas taxari, ſecundùm menſuram damni intentati à peccatore, atque adeo deducere infinitatem in offenſa ex iſta inæqualitate affectata, nō erit recurrere precisè ad antelationem creaturæ, tanquam ad vnicum caput illius infinitatis cauſatiuum, ſed ad damnum illud intentatum, quod inſufficiens eſſe ad prædictam infinitatem in offenſam refundendam: latè *ſect.* 2. tradidimus. Iam ſi loquatur de ſecunda inæqualitate non per ordinem ad damnum intentatum affectiuè, ſed per ordinem ad damnum, quod reipſa peccator, dum peccat, in actu ſecundo exercet, nempe quatenus legem à Deo ſtatutam violat, & per hoc anteponit Deum creaturæ: loquendo ergo de antelatione iſta, hoc damnum in executione cauſante, de qua diſcurſus formatus pro danda infinitate intrinſeca offenſæ loquitur, aſſero, inſufficientem eſſe ad conuincendam dictam infinitatem.

Argumentor igitur ſic: antelatio creaturæ reſpectu Dei, vt legiſlatoris, non ſufficit dare peccato infinitatem ſimpliciter. Ergo antelatio creaturæ reſpectu Dei, vt vltimi finis, inſufficiens eſt vt peccato infinitatem ſimpliciter det. 132.

Antecedens expendo, ſiquidem prædicta antelatio ſolùm ponit id, quod eſt contra iuſtitiam legalem bono communi conſulentem, teſte ſanctiſſ. Doct. 1. 2. q. 59. *art.* 1. *ad* 1. Cùm autem bonum in communi acceptum, infinitum non ſit, ideo infinitatem in peccato non transfundit. Conſequentiam probo nunc, ſiquidem licèt violatio iuſtitiæ legalis cum bono communi oppoſitionem habeat, tamen bonum hoc, quando à iuſtitia legali, quæ eſt in Deo, reſpicitur, non minùs participat rationem boni diuini, quàm bonum illud, quod ſpecialis iuſtitia Dei reſpicit. Itaque vt commune omnibus conſideratur à iuſtitia legali dicitur attingi. Ergo hæc eſt vera qui antéponit creaturam bono illi iuſtitiæ legalis, conſtituet inæqualitatem erga bonum, quod diuinum eſt. Ergo ſimiliter hæc debet eſſe vera; ſi inæqualitas iſta infinitatem non haurit ab iſto bono, cui opponitur, ita nec inæqualitas oppoſita iuſtitiæ diuinæ infinitatem hauriet intrinſecam à bono diuino, cui opponitur. Confirmatur ex verbis ſanctiſſ. Doct. 1 *p. q.* 103. *art.* 2. Vnde probatio allata vires ſumit, ibi enim ſanctiſſ. Præcep. quærit, vtrum finis gubernatoris (agit de Deo vt gubernatore) ſit extra Deum & reſpondet, quòd finis talis gubernationis eſt extra omnem creaturam, & quòd eſt ipſe Deus,

quatenus eſt bonum commune. Atqui finis Dei gubernatoris, eſt finis, quem Deus reſpicit vt legiſlator; ſiquidem Deus mediis legibus vniuerſum totum regit, & gubernat. Ergo æqualiter participat rationem boni diuini illud, quod reſpicit iuſtitia legalis, ac bonum, quod reſpicit iuſtitia diuina ſpecialis. Ergo propoſitio illa eſt vera: ſi inæqualitas reſpectu Dei, vt gubernator, & legiſlator eſt, non accipit infinitatem intrinſecam à bono illo communi diuino; ita nec inæqualitas contra bonum, quod iuſtitia diuina ſpecialis reſpicit, hauriet ab eo infinitatem ſimpliciter infinitam.

233. Confirmatur, nam æqualitas Deo debita, quam iuſtitiæ virtus conſtituit in Deo, non accipit infinitatem intrinſecam ſimpliciter. Ergo nec inæqualitas, quæ eſt oppoſita prædictæ æqualitati à iuſtitia poſitæ, in quo conſiſtit prædicta antelatio creaturæ ad Deum; ab iſto infinitatem ſimpliciter intrinſecam hauriet. Non video diſparitatem. Hoc ipſum aliter ponderatur. Per amorem charitatis anteponitur Deus ad omnem creaturam; at talis antelatio exinde infinitam ſimpliciter bonitatem non haurit. Ergo antelatio creaturæ ad Deum; per peccatum facta, non hauriet exinde infinitatem ſimpliciter. Conſequentiam millies paritas munit, ſiquidem bonum infinitum magis intrinſecum nequit eſſe reſpectu antelationis illum deſpicientis, quàm reſpectu antelationis, qua præfertur ipſe ad quidquid creatum, & creabile eſt. Ergo ſi huic infinitatem ſimpliciter infinitam non communicat, ita nec illi. In his enim diſparitatem non video; imo ſi ſiſtamus proprio modo tendendi harum antelationum in Deum, ſi aliquid diſparitatis eſt, potiùs in fauorem amoris eſt exiſtimanda; ſiquidem hic, ex vi ſuæ tendentiæ, conatur magis infinitari diuinæ bonitatis approximari, quàm initia antelationis illius, ratio, nam amor anteponens Deum creaturis reſpicit Deum, vt terminum ad quem pergit: at antelatio per iniuriam facta, recedit à diuina bonitate; ſiquidem conſiſtit in auerſione à toto Deo: atque adeo magis intrinſecè comparatur Deus reſpectu antelationis amoris, præferentis illum ad creaturas, quàm reſpectu antelationis iniuriæ, præferentis creaturam ad Deum. Et hoc non obſtante, ab eo illa infinitatem intrinſecam non haurit, ergo nec iſta. Hoc ipſum aliter ponderatur, ſiquidem hoc, quod eſt peccatum anteferre aliquid finitum infinito, non ſufficit ab iſto infinitatem ſimpliciter haurire. Ergo ruit tota doctrina. Antecedens patet, ſiquidem dum quis præfert aliquam virtutem ad vitandum aliquod mortale peccatum, dicitur, in iſtorum ſententia, aliquid finitum anteferre, nempe virtutem ad aliquid infinitum, nempe peccatum, quod, in ſententia contraria, eſt infinitum ſimpliciter, & tamen talis antelatio non ſumit ab illo infinitatem ſimpliciter. Ergo anteferre aliquid finitum infinito, non ſufficit ab iſto infinitatem haurire. Ergo quamuis peccator, dum peccat, in actu exercito anteferat creaturam Deo, qui infinitus eſt, nullam tamen infinitatem intrinſecam tale peccatum à Deo deſumet.

Sectio VII.

Regulariter nullum peccatum eſt infinitum, tametſi aliquod poſſit dari peccatum intrinſecè infinitum ſimpliciter.

Dvas habet partes præſens reſolutio. Primam videlicet, regulariter nullum peccatum infinitatem habere? Pro quo notare debes ex aſſertis *ſect.* 2. Peccatum mortale ab hominibus frequenter non eſſe iniurium Deo, ex eo quòd illi nocumentum aliquod inferat, ſed ex eo quòd ingratos nos ipſi conſtituat inimicos, & infenſos, atque adeo dignos, quos ipſe odio proſequatur. Rurſum nota ex dictis notam fieri eſſentiam infiniti, eſſe videlicet illud, quod caret fine, & termino ſub ea ratione, qua infinitum eſt, quapropter infinitum ſecundùm extenſionem dicimus illud, quod extenſionis caret termino: & ſecundùm intenſionem, quod ſimiliter in ſua intenſionis linea termino, & fine caret. Iuxta hæc igitur illud erit infinitum in genere boni, aut mali, quod in ſua linea omnem excluſerit terminum. Ex quo deducitur clarè, quòd illud malum quod ſupra ſe aliud maius, in linea mali, agnouerit, nullo modo appellandum eſſe infinitum in genere mali, ſiquidem eo ipſo, quòd ab altero ſuperetur, terminum habere debet, quem illo grauius tranſgredi dicatur; quare in ratione mali terminum non habet. 234.

Ratio igitur primæ partis reſolutionis tituli ſic procedit. Id quod in aliqua linea agnoſcit aliud, quod illo ſit maius, non eſt infinitum in tali linea. Atqui offenſa quam frequenter Deo irrogamus, agnoſcit aliam maiorem in linea offenſæ. Ergo offenſa regulariter Deo illata, non eſt ſimpliciter infinita in ratione offenſæ. Minor probatur: quia hæc cauſalis eſt vera, eatenus Deum offendimus, quatenus peccatum graue in illum committimus. At peccatum graue agnoſcere poteſt regulariter aliud maius in ſua linea, teſte Chriſti oraculo apud Ioannem 19. dicentis: *Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Ergo offenſa, quam de facto cognoſcimus, agnoſcere poteſt maiorem in ſua linea offenſæ. 235.

Reſpondebis, argumentum noſtrum efficax eſſe, ad probandam inæqualitatem eorumdem in ratione malitiæ, non verò in ratione offenſæ; quare ſecundùm illam rationem, iure non dicitur infinitum, bene verò ſecundùm alteram conſiderationem; Inæqualitatem in vna, & æqualitatem in alia linea explicant ſic, quòd malitia conſiſtit in diſſonantia ad rationem, ex quo fit, quòd cùm magis diſſonet rationi Deum odiſſe, quàm homicidium facere; ideo malum vnum, aliud, in linea malitiæ, ſuperare dicitur: at verò cùm offenſa Dei conſiſtat in auerſione à Deo, & omnia peccata grauia æqualiter nos dicantur à Deo auertere; hinc fit, quòd peccata cuncta grauia, cenſeantur æqualia in ratione offenſæ. 236.

Sed replicabis, nam ſolutio hæc vel loquitur de auerſione à Deo, vt finis ſupernaturalis eſt, 237.

conſiſtente

conſiſtente in priuatione charitatis, ratione cuius vnimur Deo vt fini ſupernaturali. Vel auerſio ſumitur à Deo vt hic legiſlator eſt. At neutro modo veritatem habet ſolutio allata. Ergo &c. Minor probatur: etenim ſi loquatur de auerſione primo modo ſumpta, verum eſt, eam eſſe æqualem in omni peccato graui, ſi quidem quodlibet priuat nos omni charitatis gradu: tamen non eſt ratio ſuadens, iſtam auerſionem ſic ſumptam eſſe ſimpliciter infinitam. Tum ob rationes, quas in tali infinitate deneganda *ſectiones antecedentes* dederunt. Tum etiam, quia cùm auerſio ſic ſumpta, ſit priuatio, & hæc taxetur, iuxta magnitudinem formæ, qua reipſa priuat, & aliunde charitas, qua priuat, infinitatem ſimpliciter aſſequi nequeat, fit, auerſionem hanc ſic acceptam, nullo modo infinitatem ſimpliciter aſſecuturam. Iam conſiderata auerſio in ſecunda acceptione, quatenus auerſio à Deo, vt legiſlatore eſt, ſuſcipiat inæqualitatem, pro peccatorum inæqualitate, ſic oſtendo. Primò, quia peccata eò grauiora euadunt, quò opponi dicuntur præceptis ſpectantibus ad virtutes nobiliores ergo grauius auertitur à Deo vt legiſlatore, & magis eſt illi infenſus, qui violat præceptum ad perfectiorem virtutem ſpectans, quàm qui violat præceptum imperfectioris virtutis. Secundò probo eamdem inæqualitatem; etenim violatio præcepti, qua talis, eſt reipſa diſſona, & naturæ rationali valdè diſconueniens. Ergo hæc eſt vera, violatio præcepti quæ magis diſſona eſt, magis opponitur Deo vt præcipienti. At in ſententia contraria dantur peccata, quorum quædam magis, alia minùs naturæ rationali diſſonant. Ergo dantur peccata, quorum quædam magis, & alia minùs opponuntur Deo vt legiſlatori. Ergo quæ magis & minùs reddant infenſum peccatorem Deo, Ergo eadem ratio, quæ conuincit peccata eſſe inæqualia, in ratione malitiæ, conuincit inæqualitatem in illis, vt ſunt auerſio à Deo. Ergo eadem ratio inæqualitatis conuincet, finita eſſe peccata, tam ſecundùm malitiam, quàm ſecundùm offenſam.

238. Secundò prædictam ſolutionem impugno; quia formaliter à Deo auerti, eſt formaliter Deo contrariari & fieri dignos, quos Deus odio proſequatur, ſed per formalem rationem malitiæ, formaliter Deo contrariamur, & efficimur digni, quos ipſe odio nos proſequatur. Ergo per rationem formalem malitiæ, formaliter à Deo auertimur. Ergo ſemel negata infinitudine in malitia, negari debet infinitudo in offenſa. Syllogiſmus hic conſtans eſt. Maior patet, ſi quidem eo ipſo, quòd quis alteri contrarietur taliter, vt dignus fiat odio illius, iudicatur illi infenſus, & auerſus. Minor probatur; ſiquidem contrarietas hominis cum Deo, in nullo alio conſiſtere poteſt formaliter, quàm in hoc, quòd homo præferre dicatur creaturam Deo; Atqui in iſta prælatione formaliter conſiſtit malitia peccati. Ergo per formalem rationem malitiæ, formaliter à Deo auertimur. Eadem minor inſtauratur aliter, ſiquidem ſi ſciſcitemur id, in quo eſſentia offenſæ conſiſtit, nihil aliud inueniemus præter inhonorationem Dei, ab homine peccante factam. At formaliter Deum inhonoramus per malitiam peccati. Ergo formaliter per talem malitiam Deum offendimus. Minor patet, ſiquidem formaliter Deum inhonorare, nihil aliud eſt quàm inordinate creaturam amare, illam Deo præferendo; ſed in hoc amore inordinato creaturæ, conſiſtit formalis ratio malitiæ. Ergo ipſa Dei inhonoratio eſt formaliter ipſa peccati malitia; at hæc finita eſt in ſententia contraria. Ergo & offenſa. Vide *ſect. 3. à num. 46.*

239. Contra iſtam reſolutionis partem, varia & grauia obiiciunt Authores argumenta, Sed omnia præoccupauerunt *ſectiones antecedentes*; Illud enim deſumptum ex virtute deſtructiua affectiua Dei. *ſect. 2.* Quod deſumitur ex eo, quòd ſubiectiuè offenſa in Deo moraliter ſubiectetur, *ſect. 3.* quodque aliis vocibus proponitur, nempe ex dignitate Perſonæ offenſæ. Rurſum, argumentum illud deſumptum ex infinitate bonorum, quorum priuationem cauſat offenſa *ſect. 4.* Item, quod ſumitur ex offendibilitate Dei, & ex vilitate offendentis *ſect. 5.* Præterea illud, quod deſumitur ex forma infinita incluſa in hoc concreto offenſa, & ex antelatione, qua per peccatum anteſertur creatura Deo *ſect. 6.* Hanc ergo partem reſolutionis noſtræ Paludanus *in 3. diſt. 20. q. 2. art. 2.* vbi defendit poſſe hominem cum gratia condignè pro mortali ſatisfacere. Mayonus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2.* Argent. *q. vnica. art. 1.* & innumeri alij Doctores *in 3. diſt. 20.* quàm *in 4. diſtinct. 15.* quos ſecuti ſunt Recentiores plures, Sotus *in 4 diſt. 19. q. 1. art. 4. ad 1.* Medina *1. 2. q. 87. art. 4.* tametſi Author hic contrarium doceat *3. p.* & alij plures Thomiſtæ, quos probabiliter noſtram ſententiam tueri, docet Cipullus *q. 1. art. 2. §. 5.* ex aliis verò, extra ſcholam Sanctiſſimi Thomæ, defendunt illam Scotus *in 3. diſt. 20. q. vnica §. contra ea, quæ dicuntur* & in *4. diſt. 15. q. 1. §. de ſecundo.* & *§. quantum ad iſtam.* Quem ſequuntur Vaſquez *3. p. diſp. 2. c. 2* Suarez ibidem *diſp. 4. ſect. 3.* Granados *p. 2. controu. 6. tract. 3. diſp. 5.* Lugus *tom. de incarnat. diſp. 5. ſect. 3.* Amicus *tom. de incarnat diſp. 5. ſect. 1.* Ouiedus *1. 2. tract. 4. contr. 4. punct. 3.*

240. Secunda pars reſolutionis tituli docebat peccatum aliquod eſſe dabile, quòd intrinſecam infinitatem contrahat. Explicatur pars hæc. Pone aliquem, certam habuiſſe cognitionem de diuinitate humanitati Chriſti hypoſtaticè coniuncta, & ex alia parte intendiſſe, & reipſa executioni mandauiſſe actionem, hic & nunc Chriſti occiſiuam, qualem iudæi exercuerunt de facto; Dicimus in tali caſu peccatum illud occiſionis contracturum infinitam grauitatem; Verùm hæc infinitudo non eſt reducenda ad genus intenſionis, ſiquidem hæc limitationem ex cognitione finitè intenſa pati deberet; Nec reducenda eſſet ad genus infinitudinis in ratione offenſæ, ſiquidem talem infinitatem eſſe extrinſecam, & ſecundùm quid, hoc eſt, ſecundùm formam latè dedit *ſectio 1.* ſed reduci debet ad infinitam grauitatem damni, ex illa occiſione reipſa illati.

241. Antequam partem iſtam probem, nota, vitam humanam Chriſti eſſe infinitæ dignitatis, & valoris, non minùs, ad quemcumque actum meritorium ab ipſa elicitum, vt latè *tractatu de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti* reſoluet: imò

à fortiori id eſſe tenendū ab iis,qui hoc vltimum tutantur,pat... ſiquidem ratio, quare tales actus infinitè digni euadunt,eſt, quia moraliter dignificantur à Perſona diuina, & ideo ſic dignificati eliciuntur, quia mediante humanitate prædictæ diuinitati copulantur. At humanitas,ſeu vita Chriſti humana, immediatè verbo annectitur. Ergo ſemel admiſſa infinita dignitate in actibus Chriſti,neceſſe eſt eamdem in humanitate Chriſti admittere. Suppone item ex his,quæ *ſect.* 2. dedimus, malitiam formalem damni,contrahi per actionem ex ſe & ex natura ſua damnificatiuam proximè, ex quo infertur,multò meliùs eam contracturam, ſi reipſa damnum illud in executione ab illa in rerum natura inducatur,vt de ſe conſtat.

242. Ratio igitur concluſionis eſt: id, quod eſt cauſa inductiua damni infiniti,nequit eſſe cauſa finita, At qui ex certa cognitione dignitatis infinitæ in Chriſti vita relucentis, illam destrueret reipſa, eſſet inductiuus reipſa dãni infiniti. Ergo tale peccatum eſſet infinitum in linea damnificandi. Maiorem ipſi termini comprobant. Etenim ſicut cauſa, quæ inductiua eſſet alicuius boni infiniti, reipſa extra omnes eius cauſas ponendi, nó poſſet non eſſe infinita ſimpliciter, ita cauſa inductiua mali infiniti reipſa extra omnes cauſas ponendi, non poterit infinita non eſſe; & vtriuſque eſt eadem ratio, ſiquidem tota latitudo perfectionis repertæ in effectu, præcontineri debet in virtute cauſæ eum exequentis, aliàs quorſum illius productionem efficeret: ſi talem perfectionem in ſua virtute non præhaberet: at quod finitum eſt in ſua virtute, continere non poſſe infinitum, termini ipſi expendunt. Ergo illa maior eſt vera,id videlicet,quod eſt cauſa inductiua damni infiniti, nequit eſſe cauſa finita. Minor eſt euidens ſiquidem carentia boni infiniti eſt malum infinitum. Ergo qui effectiuè induceret prædictam carentiam, damnum infinitum cauſaret, At carentia vitæ Chriſti,eſt carentia boni infiniti,reipſa cauſata ab eius occiſore,certò cognoſcente eius infinitam dignitatem. Ergo qui ex certa cognitione dignitatis infinitæ,in Chriſti vita relucentis, illam deſtrueret reipſa, eſſet effectiuè inductiuus damni infiniti. At actio reipſa inductiua mali, illudque de facto inducens,contrahit malitiam damni in tanta grauitate, quanta afficitur malum ab ipſa in executione illatum. Ergo prædictum peccatum occiſionis vitæ Chriſti,(ſuppoſita cognitione diuinitatis cum humanitate coniunctæ in occidente) habet infinitam grauitatem in linea damni.

243. Confirmatur,occiſio Chriſti reſpicit non eſſe illius, tamquam effectum efficaciter & reipſa ex illa ſequutum. Ergo prædicta occiſio contrahit grauitatem infinitam damni. Antecedens ſe ipſum probat. Conſequentiam probo, in ſententia contrariorum, quia peccatum quodlibet reſpicit non eſſe Dei, tanquam effectum illius quoad affectum efficaciter intentatum, quamuis reipſa ſit impoſſibile exequi, & vt impoſſibile fieri a peccatore cognoſcatur, conſurgit peccatum infinitum in linea damni. Ergo multò magis occiſio Chriſti ab occidente dignitatem vitæ Chriſti infinitam cognoſcente eadem infinita; ſi quidem talis occiſio reſpicit tamquam ſui effectum nedum in affectu, ſed in effectu reipſa cauſatum non eſſe vitæ infinitè dignæ. Conſequentia, ſuppoſita antecedentis veritate,neſcio quo iure poſſit negari. Vtrobique eſt damnum infinitum, cùm ſit negatio eſſe entis infiniti. Rurſum occiſio vitæ Chriſti, in effectu reſpicit non eſſe vitæ Chriſti, tanquam effectum reipſa ſecutum ex illa, at peccatum,in ſententia aduerſariorum, reſpicit non eſſe Dei,tanquam effectum non in effectu, ſed ſolùm quoad intentionem affectiuam conditionaliter ponendum. Ergo vtrobique eſt eadem ratio.

Confirmatur ſecundò,quando voluntas ponit aliquid incompoſſibile cum alio, dicitur effectiuè moraliter cauſare deſtructionem alterius. Ergo occiſio vitæ Chriſti à cognoſcente infinitam dignitatem in tali vita, eſt cauſa moralis deſtructionis illius. Conſequentia liquet nam occidens in effectu Chriſtum, ponit in effectu mortem,quæ incompoſſibilis eſt cum exiſtentia vitæ Chriſti. Antecedens probo, ex doctrina Sanctiſſ. Doct. 3.*p.q.*85.*art.*2.*in ſolut. ad* 3. vbi ait: *pœnitentiam concurrere effectiuè ad deſtructionem peccati*; iuxta quæ communiter docent diſcipuli Sanctiſſ.Doct. pœnitentiam non ſolùm diſpoſitiuè, ſed effectiuè moraliter concurrere ad remiſſionem culpæ, quia ex ſe ponit aliquid incompoſſibile cum tali culpa; quodque explicari ſolet ex phyſicis, vbi vnum agens deſtruere dicitur actiuè oppoſitum formæ productæ, quatenus producit formam incompoſſibilem cum illo. Ergo illud antecedens eſt verum, nempe, quando voluntas ponit aliquid incompoſſibile cum alio, dicitur effectiuè moraliter cauſare deſtructionem alterius. At grauitas malitiæ damni in actione repertæ conſurgit tanta, iuxta quantitatem mali in executione ab ipſa commiſſi. Ergo ſi ab occiſore Chriſti,eius vitæ dignitatem infinitam cognoſcente ſequitur in re,& in effectu malum infinitum,fit, talem occiſionem infinitam moraliter euaſuram. 244.

Confirmatur tertiò. Quando voluntas, ex parte ſua abſolutè, ponit media efficacia ad deſtructionem alicuius, tametſi deſtructio illa de facto non ſequatur, voluntas dicitur reſpicere talem deſtructionem non vt purum obiectum, ſed vt effectum, ſaltem quoad affectum. Ergo multò magis quando voluntas ex parte ſua, abſolutè ponit media efficacia ad deſtructionem alicuius, quam quidem deſtructionem reipſa,& in executione cauſent, voluntas reſpiciet prædictam deſtructionem, non vt purum obiectum,ſed vt effectum, non ſolùm affectiuè, ſed effectiuè inſpectum. Conſequentia de ſe conſtat; ſiquidem maiori titulo aliquis terminus, tanquam proprius effectus,à voluntate eſt inſpiciendus, quem reipſa voluntas exiſtentem ponit,quàm terminus ille, cui exiſtentia repugnat, quemque producere conditionatè voluntas deſiderat, ſub conditione, quòd poſſibilis eſſet. Anteecedens eſt doctrina,quam non pauci ſuſtinent probabiliter;imo eam *loco citato* ſuſtinuimus *ſect.* 2. *huius dubij*. Etenim ſi aliquis efficaciter vellet,quantum eſt de ſe Petrum interficere, & ad id applicaret media ex ſe efficacia, tametſi Petrus, ex aliqua Dei miraculoſa 245.

protectio

protectione, per illa media non poſſet occidi, vel quia præhabuit aliqua media efficacius impeditiua, in tali caſu voluntas illa occidendi Petrum, reſpiceret tanquam effectum, ſaltem quantùm ad affectum, occiſionem illam; cuius ratio eſt, quia illa media ex ſe efficacia erant vt inducerent occiſionem, ſi aliunde nón impedirentur. Vnde tametſi realiter non ſequeretur occiſio Petri, quoad affectum tamen ſecuta eſt ex illa voluntate, & moraliter reſpiceretur ab illa voluntate, nó vt purum obiectum, ſed vt effectus illius affectiuus. Tunc ſic. Ergo ille qui Chriſtum, reipſa intendens occidere, applicaret media, nedum proximè potentia vt illam occiſionem inducerent; ſed quæ reipſa, & in effectu prædictam occiſionem extra cauſas exiſtentem ponerent, diceretur re vera reſpicere occiſionem illam, non ſolùm, vt obiectum, ſed vt effectum proprium illius. At talis occiſio eſſet malum infinitum. Ergo prædicta occiſio contraheret infinitam grauitatem in genere damni.

246. Confirmatur 4. nam vt vidimus *ſect.* 2. quia ille habens vim ex ſe efficacem occidendi infinitos homines, vellet illos occidere, quamuis effectus ille ſit impoſſibilis, quia infiniti homines non ſunt, tamen talis occiſio, eſt effectus moraliter illi homini imputabilis, ſaltem quoad affectum, optimè inferretur, quod ſi reipſa homo ille infinitos homines occideret, talem occiſionem non ſolùm debere inſpici, vt purum obiectum, ſed vt proprium effectum hìc & nunc homini illi moraliter imputabilem. Rurſum indubitatum eſt apud cunctos, occiſionem terminatam reipſa ad infinitos homines, infinitam grauitatem hauſturam ex malo, ab ipſa reipſa perpetrato, & hoc cur? quia talis occiſio, malum illud, nedum vt obiectum, ſed conſpiceret vt effectum ab illa reipſa cauſatum. Ergo homo ille, qui cognoſceret certò, vitam Chriſti eſſe infinite dignam, & aliunde reipſa nedum applicaret media proximè potentia vt illam deſtruerent ſed quæ reipſa & in effectu eam deſtruerent, committeret peccatum hauriens infinitam grauitatem ex malo infinito, ab illa occiſione reipſa inducto, quia nedum illud vt obiectum, ſed vt effectum cum ſupponamus illud ab ea hìc & nunc cauſari) conſpiceret. Et omnium ratio, quia vtrobique malum inductum eſt infinitum ſimpliciter, tamquam effectus ab illis occiſionibus cauſatus, & aliunde effectus grauitas continetur in grauitate virtutis cauſæ producentis.

247. Sed arguo primò, qui occideret ſic Chriſtum, ſolùm inferret damnum finitum. Ergo talis deſtructio non eſſet infinite grauis in genere damni. Conſequentia patet, ſiquidem grauitas malitiæ damni taxatur à menſura damni illati, vel proximè inferendi, vt ſæpe monuimus. Antecedens patet, talis occiſio ſolùm induceret carentiam vnionis naturalis, animam & corpus inter ſe nectentis. Ergo ſolùm malum finitum induceret talis occiſio. Conſequentia patet quia grauitas malitię, conſiſtentis in carentia boni, cum ſuſcipit gradum in linea mali, in quo videlicet repoſita eſt forma qua priuat, in linea bonitatis. Cùm igitur vnio naturalis animam cum Chriſti corpore annectens ſit bona ſolùm bonitate finita, ſit, quod carentia illius, ex vi talis occiſionis inducta, ſit mala ſolùm grauitate finita. Antecedens de ſe liquet, ſiquidem talis occiſio non eſſet deſtructio vnionis hypoſtaticæ, humanitatem cum verbo copulantis; Vt de ſe patet, cum hæc, occiſo Chriſto, remanſerit. Ergo ſolùm deſtrueret vnionem illam naturalem. Iam, quòd hæc eſſet finitæ dignitatis, patet, quia tota dignitas eorum, quæ ſunt in Chriſto, deriuatur ex vnione ad verbum at prædicta vnio naturalis non eſt vnita verbo, ſiquidem repugnat vnioni, quæ eſt talis reſpectu vnius extremi, eſſe vnionem reſpectu alterius. At vnio hæc naturalis eſſentialiter eſt talis reſpectu animæ & corporis. Ergo nequit eſſe illorum vnio cum verbo. Ergo vnio hæc verbo non copulatur. Ergo ab eo infinitam dignitatem non ſumit ſiquidem ea à verbo fiunt digna, quæ illi copulata extant.

Reſpondeo, negans antecedens. Ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem ibi incluſam, & poſtea ponderatam diſtinguo. Vnio naturalis eſt finitæ dignitatis, phyſicè do, moraliter, nego. Ad probationem, diſtinguo maiorem, tota dignitas eorum, quæ ſunt in Chriſto, deriuatur in ea ex vnione ad verbum, ex vnione inquam ad verbum ſiue mediata, ſiue immediata, concedo maiorem, ex vnione ſolùm immediata ad verbum, nego, & diſtinguo minorem, at prædicta naturalis vnio, non eſt vnita verbo immediatè, & ratione ſui, concedo, mediatè ratione humanitatis immediatè verbo copulatæ, nego minorem. Ad probationem minoris ibidem allatam, diſtinguo, repugnat vnioni, quæ eſt talis reſpectu vnius extremi, eſſe vnionem reſpectu alterius, æquè immediatè, concedo, immediatè reſpectu proprij extremi, & mediatè reſpectu alterius, nego & concedo minorem, & diſtinguo conſequens. Ergo vnio hæc naturalis verbo non copulatur, immediatè, concedo, mediatè ſolùm, nego. Et nego conſequentiam; ſiquidem vnionem illam naturalem eſſe mediatè vnitam verbo, ratione corporis & animæ, quæ immediatè ſunt vnita verbo, ſufficere, vt ex illo hauriat infinitam dignitatem in genere moris, comprobant omnes actus Chriſti meritorij, qui non immediatè ratione ſui, ſed mediatè ratione humanitatis verbo immediatè vnitæ, eidem dicuntur vniri, ex vi cuius mediatæ vnionis, euadunt infinitè digni in genere moris, vt latè dabit *tract. de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti diſp.* 1. 248.

Præterea nam ſemel dato ab arguente, quòd qui ſic occidens Chriſtum reipſa, deſtrueret vnionem naturalem animæ & corporis Chriſti, neceſſarium eſt fateri, talem occiſorem eſſe cauſam damni infiniti. Etenim ſemel admiſſo, Mariam Sanctiſſimam effectiuè cauſare vnionem prædictam naturalem, neceſſum eſt fateri, eandem cauſare bonum infinitum, vt omnes admittunt, ratio enim vtrobique eſt eadem, ſiquidem ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatiò debet eſſe negationis cauſa. Ergo ſi verum eſt Mariam Sanctiſſimam, quia efficientem vnionem naturalem 249.

corporis

corporis & animæ Chriſti, eſſe cauſam boni infiniti, etiam debet eſſe verum occiſorem, quia deſtruentem talem vnionem à Maria Sanctiſſima poſitam, & eius negationem inducentem, eſſe cauſam mali infiniti. Itaque ratio, quare in ſententia, Virgini immaculatæ aſcribente, vim talis vnionis productiuam, docetur, eam eſſe cauſam boni infiniti, eſt, quia ex vi talis vnionis productionis producit compoſitum cauſando videlicet vnionem annectentem partes inter ſe; at hæc eadem ratio vice verſa militat in occiſore Chriſti, nam ille deſtruendo vnionem prædictam, partes illas inter ſe copulantem, deſtrueret compoſitum, vt de ſe patet. Ergo vtrobique eſt eadem ratio, vt Virgini detur ratio cauſæ boni infiniti, & vt occiſori Chriſti exhibeatur ratio cauſæ infiniti mali.

250. Sed quæres, an non ſolùm, qui ex certa ſcientia diuinitatis Chriſti, cum reipſa occideret, ſed in hypotheſi, quòd reipſa purum hominem interficeret, putans inuincibiliter eſſe Chriſtum, diceretur contrahere infinitam malitiam ad culpam imputabilem? Affirmat Amicus, quem ad manus habui, dum rem iſtam agebam. Affirmo quoque & ego, & conſequenter ad ea, quæ dedimus *in hoc dubio ſect. 3. à num. 56.* Et ex ibi dictis paritas hæc formatur. Ibi diximus, peccatum noſtrum habiturum eamdem grauitatem, quam nunc habet, etiamſi per impoſſibile Deus infinitus non eſſet reipſa, ſi tamen inuincibiliter putaretur à nobis infinitam dignitatem habere. Ergo eamdem malitiæ grauitatem haberet qui occideret reipſa hominem purum, exiſtimans inuincibiliter hominem illum, quem vult occidere, eſſe Chriſtum Dominum. Ratio eſt par, nam ideo eſt verus primus caſus, quia offenſæ grauitas non deſumitur ex infinita Dei dignitate quomodolibet ſumpta, ſed vt ſubeſt cognitioni noſtræ, & cùm in tali hypotheſi cognoſceretur Deus, vt habens infinitam dignitatem, ſicut licèt nunc cognoſcitur, illam habere, ideo tale peccatum eamdem malitiam, quam nunc habet, diximus contracturum, non abſimili ratione, ac occiſio feræ ab exiſtimante eſſe hominem, dicitur homicidij malitiam contrahere, ac ſi re vera hominem occideret. Et pariter ac in caſu, quo quis reipſa accedens ad ſolutam, exiſtimans inuincibiliter eſſe nuptam, committit verum adulterium. Hæc inquam ratio vires eaſdem retinet in noſtra hypotheſi, ſiquidem vt homo ille Chriſticidium contraheret, neceſſe non eſt, vt homo ille à ſe occiſus reipſa ſit Chriſtus, ſed quòd putetur Chriſtus eſſe. Quia cùm integra peccati malitia ſumatur per ordinem ad operantem, vt collatum cum ſua regula proxima, ſuam actionem dirigente, nempe cum dictamine practico, quod ſequi operans tenetur, fit, quòd malitia actionis, non menſuretur, iuxta talitatem effectus reipſa ſecuti, ſed iuxta talitatem effectus exiſtimati, & dictati.

251. Verùm ſtatim ſe offert difficultas in hypotheſi iſta, tametſi actio interna, regulata dictamine illo exiſtimante hominem illum eſſe Chriſtum, contrahat malitiam Chriſticidij; tamen actio externa minimè illam malitiam contraheret. At ſi reipſa Chriſtus eſſet, qui occiditur, nedum actio interna, ſed externa, malitia Chriſticidij inficeretur. Ergo vtrobique in his hypotheſibus eadem non conſurgeret malitia. Maiorem probo quoad vltimam partem; ſiquidem malitia Chriſticidij in actione externa reperta, connectitur eſſentialiter cum veritate Chriſti reipſa occiſi. At tunc non eſſet Chriſtus occiſus, ſed alius. Ergo actio externa illa nullo modo contraheret malitiam Chriſticidij.

Reſpondeo negans maiorem, Ad probationem nego maiorem; ſiquidem tale Chriſticidium non ſolùm ab occiſore in tali hypotheſi conſideratur, vt obiectum purum interioris voluntatis, ſed vt effectus infallibiliter ſecuturus ex actione externa, quam hîc & nunc liberè, & deliberatè homo ille exequitur; atque adeo ambobus actibus, tam interno, quàm externo, adeſt malitia Chriſticidij, & vires ſolutionis inſtaurant exempla allata *num.* 250. 252.

Obiicies ſecundò, ex hac hypotheſi noſtra ſequeretur falſitas alterius, in qua adſcripſimus occiſioni Chriſti à cognoſcente certò infinitam dignitatem eius, malitiam infinitam. Ergo non eſt admittenda. Probo ſequelam. Ideo negauimus in prima parte concluſionis in titulo poſita, peccata regulariter facta, infinita intrinſecè non eſſe, quia ſcilicet vnum alio datur maius in linea offenſæ; quod infinito ſimpliciter tali repugnare diximus cum communi. At ſi in noſtra hypotheſi, peccatum contraheret malitiam damni, ex eo quòd in Chriſtum æſtimatum inuincibiliter tenderet, verificaretur, peccatum eſſe infinitum, & ſimul in linea ſuæ malitiæ dari aliud maius illo. Ergo vel eſt negandum in tali caſu infinitum euadere peccatum, vel rationem illam, pro deneganda infinitate peccatis regulariter factis, eſſe inefficacem. Minor patet quoad primam partem, quæ eſt noſtra reſolutio. Nunc probo ſecundam partem illius; Pone vnum hominem volentem Chriſtum occidere, & exiſtimans Petrum eſſe Chriſtum, reipſa non Chriſtum, ſed Petrum occideret. Pone ſimiliter eumdem hominem, ſeu alium exiſtimantem, per actum odij à ſe elicitum, poſſe deſtruere Deum, quem annihilabilem inuincibiliter ſuſpicaretur. Hæc duo peccata ita ſe habent, vt inæqualia ſint in linea grauitatis damni, taliter quòd iſtud excedat illud. Et tamen iuxta noſtra principia vnumquodque illorum infinitam grauitatem in linea damni intrinſecam obtinet. Ergo iam conceditur aliquod infinitum in aliqua linea, quod in ipſa aliud ſe maius agnoſcat. Nunc duo ſunt probanda. Et quòd hæc duo peccata ſint infinita in linea damni, & quòd in eadem linea inæqualitatem ſeruent. Primum de priori ſupponimus in noſtra reſolutione verum, De poſteriori verò, paritas ſimillima munit. Etenim ſi occiſio Petri ab exiſtimante Chriſticidium, contrahit grauitatem infinitam Chriſticidij. Cur occiſio Dei exiſtimata per odium, non contrahet infinitam grauitatem Deicidij? Eadem enim eſt ratio vni ac alteri infinitam dandi grauitatem damni. Vt noſtram rationem ponderanti conſtabit. 253.

Iam

Iam quòd in hac eadem linea extiterint hæc peccata inæqualia; probo, nam bonum, quod per Chriſticidiũ læditur, eſt inſerius in linea boni, eo, quod per Deicidium deſtrui exiſtimaretur. Ergo Chriſticidium à Deicidio excederetur. Conſequentia de ſe eſt nota, nam creſcente bono, quod læditur, augetur damnum, quod inducitur. Ergo ſi bonum læſum ſuperat aliud, etiam damnum illud ſuperabit aliud Nunc antecedens probo. Bonum, quod per Chriſticidium læditur, eſt bonum infinitum præcisè in linea morali, nempe vnio naturalis corporis, & animæ Chriſti, quæ ſolùm eſt infinita in linea morali, & finita in linea phyſica. At bonũ, quod deſtrueretur per Deicidium, eſſet bonum infinitate ſimpliciter phyſica affectum, & in omni genere tali. At bonum infinitum phyſicè & in omni genere, ſuperat in bonitate id, quod ſolùm in linea morali eſt bonum infinitum. Ergo bonum, quod per Chriſticidium putaretur lædi, eſſet inferius eo, quod per Deicidium lædi exiſtimaretur.

254. Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & negn minorem. Ad probationem admiſſis hypotheſibus maioris, illam diſtingun, talia peccata eſſent inæqualia in eodem ordine damni, nego. Eſſent inæqualia quaſi in alio ordine, tranſeat; ſiquidem Chriſticidium in linea damni deſtruentis bonum infinitum pure tale in linea morali, nullum agnoſceret maius, quia ipſum, in prædicta linea morali, eſſet caput ſupremum reſpectu aliarum læſionum, tendentium in alia bona extra vitam Chriſti. Deicidium verò ad aliam lineam ſpectans, nempe ad lineam læſionis boni infiniti phyſicè & entitatiuè, conſtituitur caput primum prædictæ lineæ; iſtæ enim lineæ ſunt diſparatæ, atque adeo exceſſus, qui interuenire poteſt in illis, eſt purè materialis, nihil derogans infinitati cuiuſlibet; exemplum huius eſſe poteſt, quod communiter ad alia verificanda adduci ſolet. Pone quantitatem infinitam ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vnaquæque iſtarum dimenſionum ſeorſim ab alia eſſet ſimpliciter infinita, quia vnaquæque in ſua linea taliter ſe haberet vt cenſeretur ſuprema, & licèt ſimul ſumptæ excederent vnamquamque ſigillatim acceptam, tamen talis exceſſus eſſet extra lineam propriam cuiuſque, & ideo nullius lædit infinitatem, ſiquidem quæuis illarum nullum terminum agnoſceret, quia in ſuo ordine alia non daretur maior dimenſio. Applica doctrinam. Nunc concedo minorem. Et nego conſequentiam. Ad probationem illius partis maioris, diſtinguo maiorem, bonum, quod per Chriſticidium læditur, eſt bonum inferius eo, quod per Deicidiam deſtrui exiſtimaretur, intra eamdem lineam bonitatis, nego, in alia, tranſeat. Et diſtinguo conſequens. Ergo Deicidium excederet Chriſticidium formaliter & in eadem linea, nego, materialiter & in diuerſa linea, tranſeat. Probatio antecedentis eſt illius ſolutio, quam vſque huc ponderauimus.

DVBIVM IV.

An neceſſaria fuerit incarnatio, vt digna fieret pro peccato ſatisfactio?

Sectio I.

Status quæſtionis, notabilia, & ſententia.

Reſolutio huius clariorem reddet neceſſitatem incarnationis; etenim licèt aliqui noſtris temporibus, viribus totis propugnent, non eſſe neceſſariam, vt Deo fieret ſatis ex iuſtitia ſpeciali, quia ſuſtinent inter Deum & homines repugnare talis virtutis exercitium; tamen vix eſt, qui neget eſſe neceſſariam ad condignam pro peccatis ſatisfactionem præſtandam Deo. Et licèt hæc ita animis RR. inſideant, in varia tamen diſperguntur itinera, quibus prædictam veritatem mens noſtra aſſequi valeat. 1.

Fateor non defuiſſe antiquos doctores, quibus contrarium RR. adſcribant. Alexander *3.p.q.1.memb.1.art.2.* Scotus *in 4.diſt.15.q.1.* Cui, dicunt, ſubſcripſiſſe Philippum Fabrum *in 3.diſt.41.c.2.* Verùm hos omnes, ſi rectè inſpexeris, lubrico calamo ſuam mentem reſeraſſe, erit tibi compertum. Iam cuius extiterit ſententia hæc non eſt noſtrum indagare, ſed eius fundamenta aperire. Quod tandem præſtabo ſpeciali numero. Nunc ſuppoſita veritate, quam vt firmam concluſionem ſubiicio, ſcilicet, purum hominem gratiâ ſolùm adoptionis ſuffultum, non ſibi ſufficere vt de proprio peccato mortali condignam ſatisfactionem exhibeat, tantùm ſubibit examini ratio quæ talem impoſſibilitatem demonſtret. 2.

Noto me non vſurum pro concluſione tuenda ratione alia, quam non exiſtimauerim edoctam à Sancto Thoma. Cùm ergo adhuc ſit ſub lite, an infinitas offenſæ quam in Deum peccatum inuoluit, ſit ex mente D. Thom. adſcribenda, ab hac infinitate argumentum non ſumam, vt prędictam impoſſibilitatem ſatisfaciendi pro mortali, proprio homini puro impingam. Exiſtimauerim, eſſe euidentem apud illos, dictam impoſſibilitatem ex infinitate offenſæ, hac ſemel oſtenſa, vel ſuppoſita, propugnantes. Vt ex terminis ipſis conſtat, ſed antequam rationem quam elegi, proponam, aliorum mentes priùs aperiam. 3.

Sectio II.

Durandi Almaini, & Lugi rationes refello.

Durandus duas rationes affert. Primam quia homo adæquatè gratias Deo pro beneficiis acceptis exhibere nequit. Ergo & non poterit ſatisfacere condignè pro peccato mortali proprio. Sed hæc ratio ſe dirimit, etenim non ideo adæquatè eſt impos homo ad gratia- 4.

rum

tum actiones pro omnibus beneficiis præſtandas Deo, quia deſit homini virtus ſufficiens, ſed cum ipſa gratiarum actio, ſit beneficium nouum, ſit, ſaltem vt pro ipſo gratias rependere nequeat. Aliàs eadem actio, & beneficium, & actio gratiarum cenſerentur. At in ſatisfactione pto peccato proprio, ſiue alieno datur diſtinctio inter actiones, per quas ſit ſolutio, & offenſa, pro qua ſit, de quibus eſt controuerſia in quærenda ratione cur illis deſit valor ad ſatisfaciendum condignè pro illa. Ergo.

5. Hac ratione relicta, in aliam ſe tradidit Durandus æquè infirmam; etenim nemo poteſt ſatisfacere Regi pro culpa, ob quam dignus eſt corporis morte. Ergo multò minùs pro culpa, ob quam eſt dignus morte animæ. Reſpondeo primò cum Paludano negante antecedens; quia homo qui morte dignus eſt, tanta beneficia, & obſequia conferre poteſt Senatui vel Regi, vt de cõdigno, mereatur remiſſionem pœnæ. Conſidera hominem morte dignum, quia homicidam, reipublicæ conantem ſatisfacere, & vt id aſſequatur, aliorum conciuium in rempublicam machinatam proditionem pandere, vel ſi conſcius eſſet, inimicos craſtina die ciuitatem ſuam depopulaturos. Senatui reuelare; nonne hoc beneficium dignum eſſet quod à Rege vita eius conſeruaretur immunis.

6. Secundò reſpondeo negans conſequentiam. Ratio quia non poſſe hominem primam offenſam compenſare, naſcitur ex inæqualitate cuiuſcumque boni creati, cum vitæ bono. De 2. autem compenſatione aliter diſcurritur: Etenim in hoc ſatisfaciendi negotio eſt lis an actus contritionis & dilectionis Dei ſufficienti bonitate afficiantur coram oculis Dei, ad dignè compenſandum pro lethalibus.

7. Cardinalis Lugo *tom. de incarnatione diſp. 5. ſect. 4. per totam*: cùm in aliis antecedentibus plures rationes deſpexiſſet, aliam efficaciorem ſibi videri præfigit dicens, ſe fateri offenſam, etſi finitam tanti ponderis eſſe, vt vires cuiuſque, hominis puri ſatisfactorias excedat, & quæſitus de ratione huius impotentiæ ſatisfaciendi, Reſpondet oriri ex grauitate offenſæ, petente condignè non aboleri per ſatisfactionem finitam; aliàs ſi homines ſcirent, Deum condignè placari poſſe per noſtra obſequia, offenſam omnino extingui, faciliùs auderent Deum offendere, & minùs grauiter ſentirent de huiuſmodi offenſa quàm oporteret ad eam omnino vitandam; vtque à peccatis committendis omnino homines arcerentur, oportuit, offenſam in illis eſſe ſupra ſatisfactionem condignam hominis puri.

8. Hæc ratio Lugi, adeo diſplicuit vt neminem eam amplectentem inuenerim, & iure, cùm ſi principium, cui innititur, ſubſiſteret, idipſum eſſet ſufficiens ad plura inconuenientia ſine diſcrimine admittenda. Et rurſum, nam ipſa impoſſibilitate ſatisfactionis ſemota, plura hominibus ſuppetunt motiua, quæ à peccando retrahere poſſint. Primum ſic oſtendo. Etenim ex eo quòd hominum impudentia, & proclinitas ad bonum delectabile, homines impellat ad peccandum, erit-ne congruum Eccleſiam minimè prudenter & piè ſe geſſiſſe, in concedendis iubileis, & bulla cruciata, quibus conceditur abſolutio à caſibus reſeruatis, & facultas commutandi aut diſpenſandi plura reſeruata vota? Minimè. Et tamen ſi ratio Lugi conſtiterit, in vitium Eccleſiæ verteretur, tot vota eſſe emiſſa incautè, & impudenter violata, quæ non ſemel vitaret homo, ſi illi nota non eſſet talis bulla, qua à ſimilibus obligationibus liberari poſſit; etenim cùm ille ſit conſcius indultum eſſe conceſſum paruis expenſis, duorum ſcilicet dragmatum à quolibet obtinendum, vi cuius poſſit à peccatis & cenſuris reſeruatis abſolui, nec non à ſimilibus votis, etſi iuramento firmatis, media commutatione liberari, in plures caſus reſeruatos recideret, ſpe veniæ, facili diligẽtia, virtute talis bullæ à ſacerdote obtinendæ: & tamen ex eo quòd plures ex malitia occaſionem peccandi arripiant, nec minùs piè Eccleſia in ſimilibus concedendis indultis procedit, nec à viris prudentibus ipſa bulla parui penditur: imo plures perfectiſſimi homines talibus indulgentiis muniti in feruentiores actus Religionis charitatis, cæterarumque virtutum erumpunt. Ergo ex eo quòd homini conſtaret, ſe condignè poſſe pro peccatis ſatisfacere, mediis obſequiis à ſe factis, non ex eo caderet, in eorum æſtimatione, à proprio grauitatis pondere offenſa, nec exinde frequentiùs in peccata laberentur. Vel ſi hæc ratio ſubſiſtit, etiam ſubſiſtere dicemus ad denegandum, prudentem fuiſſe ab Eccleſia conceſſionem Iubilæorum, quàm ſpe illa lucrandi, poſſent antecedenter homines anſam ſumere in plura ac plura peccata recidendi.

Confirmo hoc; etenim ſi hæc ratio conſtans eſſet, ſimilem quis poſſet formare, vt ſacramenti pœnitentiæ inſtitutionem negaret, vel diligentias ad illud lucrandum non ita faciles eſſe à Chriſto præſcriptas, ne videlicet homines ita facilem aſſequendi veniam, viam haberent, & confidentiâ veniæ promiores ad peccandum fierent. 9.

Sed ex doctrina Lugi poteris occurrere, admittendo hic & nunc facilem eſſe homini placationem Dei, & peccatorum veniam ex miſericordia, & liberrima indulgentia ſacramentorum ſubortam, non verò ex grauitate peccati natam; ex quo fieri hic & nunc, adhuc ſuppoſita hac Dei benignitate, impoſſibilitatem ſatisfactionis ex ſe à peccatis homines retrahere, etenim ex eo quòd cognoſcant, ſibi eſſe impoſſibile aſſequi placationem diuinam, niſi ſuppoſita Dei liberalitate, prudenter proferunt Iudicare, conuenientius illis fore peccata vitare, quàm in illa miſerabiliter recidere. 10.

Sed hæc ſolutio finem, in quem eſt inuenta, deſtruit. Ideo hic & nunc arcetur à peccatis homo, quamuis virtute Sacramentorum facilem viam habeat ad placandum Deum, quia cognoſcit talem viam eſſe ſibi paratam à Dei miſericordia, & benignitate. Sed hoc ipſum cognoſceret homo, caſu, quo poſſibilis eſſet illi condigna ſatisfactio, & Dei placatio, quia obſequium, quod Deo in ſatisfactionem offerret, ortum haberet ex Dei miſericordia, & liberalitate illi conferentis auxilia, vt ſimile obſequium præſtaret. Ergo ſiue poſſibilis, ſiue impoſſibilis cognoſcatur ab homine ſatisfactio 11.

pro

pro peccato, idem fundamentum habet, quo benè conſiderato iudicet, vtilius eſſe ſibi à peccatis retrahi, quàm illis fœdari. Vlteriùs firmo hoc ipſum. Etenim finis, gratiâ cuius hanc doctrinam confinxit Lugus, eſt, vt homines procliues ad peccandum à tali inclinatione refrænentur, & à peccatis ſe contineant. Sed hæc ratio huic fini non ita efficaciter adhuc intra limites congruentiæ, quos experientia noſtra quotidie excurrit, inſeruire videtur. Ergo non rectè illam inter omnes, quas reſpuit, elegit Lugus. Minor patet, quia alia ſupererat ratio, quæ magis cohiberet homines, ne in peccata prolaberentur. Videlicet pœna illis infligenda. Hæc enim potiùs retrahit homines, ſuis commoditatibus deditiſſimos, ne iniuriam irrogent aliis, ad quam puniendam tot ſunt pœnæ impoſitæ, capitalis pœna, qua, vitâ maximè à cunctis concupitâ orbantur. Exilium perpetuum, quo à patriis laribus remouentur. Pecuniaria ſolutio, qua indigi & miſeriâ afflicti vitam degunt. Hoc enim experientia docetur: Quia ſi ab homine, quem aliàs volumus à furto retrahere, ſciſcitemur: Quæ ratio illum à ſuo propoſito deducat, an difficultas reſtitutionis, quam executurus eſt, quaque placationem iudicis aſſequetur; an verò illum efficaciùs dimouere ſit compos pœna, quam ſi furetur, eſt paſſurus? Reſpondebit, ſicut quotidie à pluribus audimus, plus illum ſimilem pœnam deterrere, quàm placationem Iudicis & difficultatem reſtitutionis poſtea ab illo faciendæ. Cùmque de his grauiamur, vt iudicium feramus, dum homines à peccatis retrahere præſumimus, certum eſt, illos magis retrahi debere ex timore pœnæ acerbiſſimæ in æternum duraturæ, quàm ex eo quòd cognoſcât ſibi eſſe impoſſibilem ſatisfactionem pro peccato à ſe commiſſo. Ergo potior ratio homines à peccatis retrahendi, eſt ſi agnoſcant, ſe pœnis fore incutiendos acerbiſſimis & perpetuis, quàm ſi cognoſcant, ſeipſos eſſe pro illis ſemel commiſſis ſatisfaciendi impotes; potiſſimùm dum apud eoſdem conſtiterit, facile viam eſſe illis paratam de aſſequenda venia ſuorum peccatorum, & placationis diuinæ ex miſericordia, & Dei liberalitate, virtute Sacramentorum Eccleſiæ.

SECTIO III.

Vaſquij, & Ripaladæ rationes examinantur.

12. VAſquez docet plura, vt ſuam mentem explanet, quæ vniuerſaliter non admittuntur à pluribus: hac de cauſa diſcipuli eius ſibi impoſuerunt onus liberandi eum ab inuidia, quam apud alios tantus Magiſter ſibi conciliauit. Primum ſupponit ex *prima ſecunda diſputatione* 203. actum contritionis ex ſe, & ex natura ſua eſſe formam ſanctificantem. Secundum, hominem per quodcumque peccatum ſiue originale, ſiue actuale, contrahere debitum carendi omni auxilio Dei, vt ab illo reſurgat, & perfectè reſipiſcat. Quod vt intelligatur, diſtinguit in peccato duplex debitum. Vnum ſubiectiuum, & obiectiuum aliud. Illud, peccati macula & offenſa eſt, ratione cuius homo dignus fit omni beneficio Dei carere, & ſuperno dono Dei: obiectiuum debitum appellat carentiam illam beneficij & pœnæ, tali peccato reſpondentem, quæ quia peccato debita intuitu peccati, & quia eſt terminus, quam debitum ſubiectiuum reſpicit, debitum obiectiuum nuncupatur. Tertium, hominem poſſe ſatisfacere pro macula & offenſa, quæ eſt debitum ſubiectiuum. Quartum, hominem non poſſe ſatisfacere pro debito obiectiuo. Quintum incarnationem fuiſſe neceſſariam ad ſatisfaciendum condignè pro toto debito. Hæc Vaſquez. Et multa ſunt. Ex illis Primum Vaſquez ſupponit ex 1.2. Sicque præſens examen non ſubibit, ſed ea facilitate, qua hic illud ſuppoſuit, vt verum, eadem nos vt falſum ſupponimus. Solùm intrant quæſtionem ſecundum, tertium, & quintum, dicta, quorum reſolutio & reſolutionem parabit quarto. Iſta eodem ordine, ac à Vaſquio ſunt aſſerta, ſunt & proponenda.

Aſſertum ſecundum Vaſquij verum.

Secundum dictum Vaſquij ſic proponitur, hominem per quodcumque peccatum 13.
ſiue originale, ſiue actuale, contrahere debitum carendi omni auxilio Dei, vt ab illo reſurgat, & perfectè conteratur; atque adeo dum illi confertur auxilium ad contritionem verè illi tale debitum carendi auxilio quod per peccatum contraxerat, condonatur, & remittitur. Hoc aſſertum quoad ſecundam partem Reuerendiſſimi Complutenſes, qui adhuc prelo ſuos negarunt Codices. Sed nos integrum Vaſquij dictum exiſtimamus verum; Imò parum conſequenter loqui cenſemus, qui primam partem cum Vaſquio admittentes, videlicet hominem per peccatum contrahere debitum carendi auxilio, vt conteratur, negant ſecundum videlicet, dum homo conteritur, non ſupponere condonationem talis debiti in collatione auxilij, quo talem contritionem peragit.

Pro eo igitur. Hæc tria ſunt certa. Primum, homo per peccatum tam origina- 14.
le, quàm actuale, debitum contrahit carendi omni auxilio. De originali expreſſe docuerunt Celeſtinus. *Epiſtola prima, capite quarto.* Fulgentius *libro de Incarnatione, & gratia Ieſu Chriſti, capite duodecimo.* Proſper *ad capitula Gallorum reſponſione octaua*, & alij Doctores Sancti, quos etiam citat Vaſquez. Idem apud Sanctos reperies verum de peccato actuali mortali, cuius macula quoad intenſionem, æqualis fuit reſpectiuè ad ſubiectum indiuiduum, cum peccato originali. Etenim cùm per vtrumque Dei inimici & Deo inuiſi conſtituamur, æqualiter per illa reddimur omni beneficio à Deo dando indigni.

Secundum, contritionem hîc & nunc elici- 15.

 tam

tam ſupponere pro priori naturæ auxilium ſupernaturale, quo fit: eſt dogma Catholicum à Conciliis & ſanctis Patribus edoctum, vt ex illis vidimus 2. *:. tractatu de gratia neceſſitate.* Vbi dedimus auctoritatum copiam, ad probandum gratiam ſupernaturalem per Chriſtum eſſe neceſſariam, ad quodcumque opus ſalutare, ad vitam æternam conducens exequendum. Ex his infero tertium. Ergo contritio eſſentialiter ſupponit condonationem debiti homini factam. Probo hoc, quod eſt in numero tertium de quo dixi eſſe omnimodè verum. Tu concedis, hominem per peccatum commiſſum, contraxiſſe debitum carendi auxilio ad conterendum, vt vidimus in primo certo. Rurſum concedis in ſecundo certo, contritionem ab eodem homine factam, ſupponere ſpeciale auxilium, quo fit. Ergo teneris admittere ad minus, contritionem hanc eſſentialiter ſupponere auxilij. collationem, quo debebat carere. Iſta illatio mihi eſt euidens. Ergo debet ſupponere condonationem, & remiſſionem illius debiti. Probo conſequentiam, quia collatio auxilij, quo debebat carere homo, formaliter eſt condonatio. Ergo ſi contritio ſupponit collationem auxilij, quo debebat carere, etiam condonationem debiti illo carendi ſupponit contritio. Probo antecedens; quia non eſt medium. Vel dum contritio fit, adhuc patitur homo, tamquam pœnam, carentiam omnis auxilij, cuius debitum, per peccatum contraxerat. Vel non patitur. Primum eſt impoſſibile, cùm ſupponat auxilium, quo contritio extra cauſas ponitur. Ergo oon patitur homo, dum conteritur, illam pœnam carendi omni auxilio. Ergo cùm per contritioné non poſſit illa expiari cődignè, vt apud omnes eſt certum, quia principium meriti ſub meritum caderet, fit, illam pœnã carendi auxilio, per ipſam collationem auxilij, quo contritio fit, perfectè remitti, & cődonari. Patet euidenter conſequentia, quia pœna ſemel contracta non aliter tollitur, niſi per ſolutionem, aut ſatisfactionem, vel per condonationem. Ergo ſi dum Petrus conteritur, compatitur pœnam illam, videlicet carentiam auxilij, quam per peccatum antecedenter contraxerat. Ergo, vel quia pro illa, media contritione ſatisfecit, & hoc eſt, impoſſibile, vt docet veritas, vel quia talis pœna liberaliter condonatur, dum illi homini confertur auxilium, quo conteratur. Ergo in collatione auxilij, remittitur debitum carendi auxilio. Ergo qui ſemel admiſerit tanquam Catholicus illa duo aſſerta, hominem per peccatum contraxiſſe debitum carendi auxilio, & dum conteritur, illi datum eſſe auxilium, quo conteratur, non poteſt negare contritionem ſupponere remiſſionem, ſeu condonationem debiti carendi auxilio, qno fieret.

16. Vt ab hac ratione, quam iudico efficacem RR. iſti ſe expediant, explicare conantur illud primum certum à nobis ſuprà ſanctoru Patrum aſſertis firmatum. Supponunt enim io duplici genere eſſe malum, reſpectu cuius poteſt dici, hominem per peccatum contrahere eius dignitatem. Malum poſitiuum vnum, negatiuũ aliud, illud eſt pœna ſenſus, cui præfixa eſt duratio, & intenſio. Negatiuum verò eſt carentia alicuius beneficij, ſeu doni liberaliter à Deo exhibendi, vel negandi. Hoc enim non eſt determinatum, ſed ſuppoſitâ inimicitiâ per peccatum contractâ, homo fit indignus, cui beneficia Deus preſtet, quæ aliàs illi homini erant indebita. Vnde licèt homo per peccatum contrahat debitum carendi viſione beata, necnon dignitatem ad ſuſtinendas pœnas ſenſus, ſecundùm ſe conſideratas preſcindendo ab affectu quo infligendæ ſunt: Tamen non contrahit debitum carendi aliis donis ſupernaturalibus ſecundùm ſe conſideratis, quatenus dona ſunt in ſe ſupernaturalia, ſed quatenus beneficia, vel quatenus important quoddam genus beneuolentiæ in Perſona offenſa reſpectu offendentis. Rationem huius dant, quia inimicus eo ipſo quòd talis, meretur, ne ille, quem offendit, erga illum beneuolentiam exerceat, nec vt illi ex affectu benefaciendi aliqood bonum conferat: licèt aliquando illi bonum, non quia inimico bonum, ſed quia conferenti proficuum præſtare poſſit.

Hoc totum exemplo manifeſtabitur. Conſidera ſeruum iniurium Domino ſuo, in lectulo valdè ægrorum iacentem, iſte quia iniurius, dignus eſt cui Dominus medicamina ſibi conſona noo procuret: Verùm conferens intra ſe Dominus eius, ſalutem ſerui fore ſibi valde proficuam, poterit ſuæ commoditati conſulens ſalutem ſerui ſedulò procurare, Medicum conſulere, aliaque neceſſaria afferre; quia etſi iniurius illi extitiſſet ſeruus, hic non ideo meritus eſt, Dominum priuari vtilitate, quam in ſalute ſerui ſibi adfuturam præuidet. Vnde caſu, quo Dominus plura officia erga ſeruum præſtaret, non quidem amoris gratiâ, quia vt ſupponimus illum maximo odio proſequebatur, ſed ob ſuam commoditatem; ſicut illa boni collatio non ſortiebatur rationem beneficij, ita non erat pœnæ alicuius remiſſio, vel condonatio, vtpotè ſeruus, ratione Iniuriæ Domino ſuo illatæ, non contraxit dignitatem ad hoc, vt Dominus ſoo commodo priuetur, in ſaluti ſerui conſulendo, quia hoc eſſet concedere dignitatem ad pœnam alterius. 17.

Hac doctrina præiacta; ſimul & ſemel obiicit noſtræ rationi, illi reſpondet, occurrit & ſanctorum Patrum dicta explicat. Aſſeritque ſanctos Patres docentes, hominem per peccatum habere dignitatem, ſeu debitum carendi omni bono à Deo præſtando, verum aſſerunt, ſed explicandum. Quòd ſcilicet in peccato detur duplex dignitas, vel duplex tendentia in vna dignitate, quædam ad pœnam ſecundùm ſe. Alia non in carentiam boni ſecundùm ſe, ſed in carentiam boni ex affectu peccatori benefaciendi prouenientis. Ex quo & reſpondet & occurrit rationi noſtræ. Qoòd dum Deus Peccatori auxilium, vt conteratur, confert, talis collatio, etſi aliàs Peccatori ſit bona, cùm ſit etiam Deo vtilis ad fines ſibi probè cognitos acquirendos, vt ſcilicet eius virtus actiua, & liberalitas patefiaot, fit, quòd in peccatore nulla reperiatur dignitas carendi abſolutè hoc auxilio, quia aliàs concederetur in illo dignitas ad hoc vt Deus illo bono & vtilitate priuetur. 18.

Quod

Quod eſſe falſum, exemplū ſupra allatum commendat, atque adeo ſi Deus tale auxilium peccatori conferret, ob illos aſſignatos fines, & non ob peccatoris bonum nullam pœnam peccatori remitteret, quia peccator, ſi bene conſideretur, non haber dignitatem, vt Deus prædicta vtilitate priuetur, quam in collatione auxilij ſe lucraturum præuidit.

19. Fateor hæc ingenium redolere, ſed firmam non eſſe. Primò quia SS. Patres dum de dignitate, quam homo per peccatum contrahit, ſermonem inſtituunt, abſolutè aſſerunt contrahere debitum carendi omni bono, ad vitam æternam conducente, nec ibi diſtinguunt de fine, quo moueretur Deus ad illud conferendum peccatori, vel illud denegandum, an ſcilicet dignus ſit, vt ſolùm illi denegetur bonum à Deo, ex intentione ſoam gloriam, liberalitatem, & potentiam manifeſtandi. Si enim aſſerta Patrum abſolutè proferuntur, & abſolutè intellecta, Catholicum gignunt ſenſum ad quid pro libito, ſunt hac vel illa diſtinctione coarctanda potiſſimùm cùm ſic intellecti Patres non ita ſecuram doctrinam teneant, ac ſi abſolutè intelligantur. Quod ex denuo dicendis conſtabit.

20. Secundò do Authori Deum hoc auxiliū congruum peccatori conferentem, poſſe præſcindere à motiuo illi benefaciendi, nunc inquiro, iſtud auxilium congruum, quacumque intentione collatum, eſt-ne bonum peccatori, vel non? Hoc dicere eſſet error. Ergo primum, ſed Sancti Patres abſolutè docent hominem per peccatum contrahere dignitatem carendi omni bono à Deo exhibendo. Ergo quocumque motiuo aſſignato, in collatione auxilij, inuoluitur remiſſio carentiæ illius boni, ad quam habebat peccator dignitatem iuxta phraſim Sanctorum Patrum. Hoc ipſum aliter inſtauro. Negare homini peccatori bona illa ſuperna, nempe auxilia, docent expreſsè Patres, eſſe pœnam à Deo peccatori inflictam, ratione peccati antecedenter commiſſi, ergo dum illi docent, hominem peccatorem contrahere debitum carendi auxilio, non ſunt intelligendi de debito carendi beneficentiâ Dei, ex qua moueatur ad illud conferendum, ſed de debito carendi auxilio, quauis intentione conferatur. Conſequentia patet; quia intentum Sanctorum Patrum in omnibus illis locis eſt, malitiam peccati inter omnia mala, quæ homini euenire poſſunt, nobis proponere vt primum occupantem locum, atque adeo, vt magis nos ab eius contagio amouerent, poſtquam in numerum ſunt vocatæ peccati auerſio ab vltimo fine, iniuria ſummo Domino illata, &c. Vt magis à peccato nos retraherent, numerauerunt ea mala, quæ peccato contracto hominem inſequuntur, & inter illa hoc debitum carendi auxilio retulerunt. Tunc ſic: ſed vehementiùs nos à peccato deflecterent Patres, & impenſiùs peccati malitiam commendarent, ſi debitum illud carendi auxilio (quod per peccatum, hominem contrahere pronunciant) non ſolùm intelligatur de debito carendi auxilio ex Dei beneficentia, ſed de debito carendi auxilio ex quacumque intentione collato. Ergo Patres intelligendi ſunt de debito carendi auxilio, ſiue ex beneficentia, ſiue ex alia intentione conferatur. Minor patet. Quia carere auxilio abſolutè conſiderato maius malum eſt homini, quàm illud poſſidere cum carentia beneficentiæ illud conferentis. Ergo debitum carendi auxilio abſolutè & ſecundùm ſe accepto maius malum eſt, quàm ſit debitum carendi auxilio ex ſola beneficentia, quia hoc componitur cum eius collatione, & poſſeſſione ſaltem ex alio fine. Quod in humanis compertum eſt cuique, & exemplum Authoris id ipſum aperit. Pone infirmum febri laborantem (aliàs ſeruum & iniurium Domino ſuo) ingenti ſiti quaſſatum, & enixè aquam à Domino petentem: videns Dominus, quod ſi illi refrigerium hoc ſeruo denegauerit, vitam, cuius aliàs ipſe eſt indigus, periculo exponat, decernit illi aquam propinare; non ex fine benefaciendi, ſed ex fine concupiſcentiæ. Nunc peto à ſeruo. Quod tamquam maius malum æſtimabatur ab illo, num carere potu abſolutè, an illo frui cum carentia beneficentiæ Domini conferentis? Reſpondebit ſe magis à ſiti, quàm à beneficentiæ Domini carentia torqueri. Quid enim mea intereſt ſiti iam fermè extincto, intentio propinantis. Refrigerium conſequar à Domino, quamuis non ex beneficentia, ſed ex ſua concupiſcentia illud exhibeat. Exinde certū fuit apud vulgus, vulgare dictum, *parezca mi capa*, &c. hoc eſt ex quauis intentione E iuſmihi reſtitutio contingat. Ergo debitum carendi auxilio abſolutè & ſecundùm ſe accepto, maius malum eſt, quàm ſit debitum carendi auxilio ex ſola beneficentia, quia hoc componitur cum eius collatione, & poſſeſſione ſaltem ex alio fine. Ergo cùm intentum ſanctorum Patrum, dum proferunt, nos contrahere per peccatum debitum carendi auxilio, ſit, nos à peccato retrahere, intelligendi ſunt de debito carendi auxilio, quod ſit maius malum. Ergo cum debitum carendi auxilio abſolutè & ſecundùm ſe, ex quocumque fine conferatur, ſit maius malum, quàm debitum carendi illo, vt beneficio, vel ex fine benefaciendi peccatori, intelligendi ſont de primo & non de ſecundo debito.

Hoc ipſum ratione non inutiliter probo; etiem data hypotheſi, quòd hìc & nunc in collatione auxilij congrui, poſſit Deus præſcindere rationem beneficij & non moueri ex fine benefaciendi peccatori. Impugno igitur rationem, qua hic Author mouetur. Ideo per te in collatione auxilij Deus nihil remittit peccatori, quia talis collatio auxilij poteſt eſſe bona ipſi Deo conferenti, ſicut collatio vel ſollicitudo de ſalute procuranda ſeruo iniurio Domino, facta ex affectu concupiſcentiæ, & quia vtilis eſt ſerui ſalus Domino ſuo, nullam inuoluit remiſſionem debiti, quod ex iniuria cōtraxerat. Sed hæc ratio dirimit doctrinam Authoris huius. Ergo eſt inefficax. Probatur minor: quia non minùs ablatio æternæ pœnæ poteſt Deo eſſe bona, vtpote ordinabilis ad oſtenſionem eorumdem attributorum, ad quæ ordinare poteſt collationem auxilij. Ergo ſi hanc pœnam æternam Deus auferret ex complacentia ſui, & non ex fine benefaciendi peccatori, illi nihil remitteret, aut condonaret. 21.

Sed occurrere poteris ex doctrina Authoris. 22.

Eſſe diſparitatem, quia aliter, ac aliter ſe habet in peccatore dignitas ad pœnam æternam poſitiuam, ac ad pœnam negatiuam, videlicet ad negationem auxilij; quia primam reſpicit determinatè, præſcindendo à quocúque affectu punientis; pœnam tamen negatiuam reſpicit taliter, vt in illa noo præſcindat ab affectu punientis, hoc eſt, illa dignitas conſtituit peccatorem dignum, qui priuetur punientis beneficentia, cuius priuatio poteſt compati cum actuali collatione auxilij, caſu, quo tale auxilium non conferatur, quia bonum eſt peccatori. Sed contra hanc ſolutiooem eſt tota Authoris doctrina. Inquiro ab illo: cur peccatoris dignitas non reſpicit hanc pœnam negatiuam, vt præſcindentem ab affectu punientis, & pœnam æternam vt præſcindentem ab affectu punientis reſpiciat? ſeu quod idem eſt, ſed clarius. Cur peccatur non ſit dignus pœna negatiua, ſeu priuatione auxilij ſecundùm ſe conſiderata? Reſpondere tenetur, vt vidimus in explicatione eius doctrinæ, quia collatio auxilij poteſt eſſe Deo offenſo bona, & aliunde peccator non poteſt habere dignitatem, vt Perſona, quam offendit, tali bono priuetur, quia aliàs poſſet dari dignitas ad pœnam alterius. Vide retro, quę dixerat Author. Tunc ſic. Sed per te & commune aſſertum, non infligere pœnam æternam poteſt Deo eſſe boonm ob eoſdem fines, quibus collatio auxilij dicitur eſſe bona Deo. Ergo peccator non cótrahit dignitarem ratione peccati ad pœnam illam, vt præſcindentem ab affectu punientis, & ſecundùm ſe abſolutè conſideratam, quia aliàs contraheret dignitatem, vt Deus priuetur illo bono, quod lucraretur, ſi talem pœnam æternam homini peccatori non infligeret, ſed ad ſummum contrahere dicetur dignitatem negationis beneficentiæ, hoc eſt, vt Deus non infligat pœnam æternam ex fine illi benefaciendi.

23. Tametſi rationes iſtæ non parum neruoſæ ſint; adhuc reſtat aperire Authorem non conſequenter diſcurrere, quo oſtenſo improbabilitatem huiuſmodi dicendi manifeſtius deprehendes. Aſſerit ergo Author hic. Deo eſſe bonum multis titulis, & ob multos fines collationem auxilij congrui reſpectu peccatoris, quod ſi Deus exhiberet ob hos fines, & non ob peccatoris bonum, nullam pœnam peccatori remitteret, &c. In hac doctrina ſupponit hic Author, nedum poſſibile eſſe, conferri à Deo auxilium congruum peccatori abſque intentione illi benefaciendi, Verum & de facto hîc & nunc contingere. Quia cùm in hoc principio totam ſuam doctrinam collocet, cui innixus defendat de facto, peccatori nihil debiti remitti in collatione auxilij, quia cùm hæc poſſit eſſe Deo bona ob alios fines, ſi ob illos ſit volita, eo ipſo nollom debitum remitteret ſimilis collatio auxilij. Ergo ſentit, nedum de poſſibili, verùm & de facto, collationem auxilij congrui intendi à Deo, abſque intentione benefaciendi peccatori.

24. Præterea quia reſolutiones de facto ex aſſertis de poſſibili, nullam veritatem mutuantur: poſſibilitas eſt lariſſima Prouincia, & quæ intra eius ſphæram aliquali veritate vigent, ab omni veritate in Prouidentia exiſtenti vacare ſolent. Ergo cùm contentio ſit de facto, & ex vi Prouidentiæ, an ſcilicet collatio auxilij aliquam remiſſionem debiti inuoluat. Siniſtrè hic Author vt negatiuam tueretur partem, recurreret ad principium, cuius veritas ſolùm de poſſibili, & ex vi alterius Prouidentiæ conſtare poterat. Ergo hic Author, qui, vt defendat contra Vazquez, in collatione auxilij congrui nullam contingere in peccatore alicuius debiti remiſſionem, protegitur hoc principio, quia collatio auxilij poteſt eſſe volita peccatori non ex intentione illi benefaciendi, non intelligendus eſt ad hunc ſenſum, quòd de poſſibili hoc poſſit contingere, ſed quòd de facto hîc & nunc collatio auxilij congrui à Deo peccatori facta, ſit volita ob alios fines, & non ex intentione illi benefaciendi. Hoc dictum quantùm horreat aures, etſi minùs pias, aliis relinquo. Cenſorem eſſe nolo, potiſſimùm Authoris, è cuius penu, ſi quæ ſubtilia, ſi quæ omni eruditione referta, luctæ Complutenſi dantur (omitto plura quæ furtim conceduntur prælo) tanquam ex limpidiſſimo ſonte hauſerunt, & hauriunt RR. cuncti.

Iam Authorem non loqui conſequenter oſtendo. Iſte auxilij congrui acerrimus contra Prædeterminantes defenſor, ſic illius naturam declarat, iuxta principia totius ſocietatis, cuius fuit cultor, & alumnus. Aſſeritque congruitatem auxilij nihil addere Phyſicum realiter diſtinctum ab entitate ſufficientis, nec ideo congruum, & efficax, qoia ſecum ferat virtutem influxiuam antecedenter connexam cum conſenſu, ſed ideo congruum & efficax, quia datum in hac occaſione, in qua viſum eſt, ſortiturum effectum. Et rurſum ait: Hoc auxilium congruum, licèt io entitate maius beneficium non ſit, quàm ſufficiens, tamen abſolutè ſemper eſt maius beneficium in genere moris, quod ſic explicat Vazquez 1. 2. *diſp* 9. 8. *c.* 6. Cognouit Deus ſcientia mediâ, quem exitum habitura erant auxilia, cum his futurum eſſe conſenſum, ſaluandumque eſſe Petrum, cum alio non, & cùm poſſet dare auxilium, quod eſt tantùm ſufficiens, dat illud, quod præuidit habiturum effectum. Ergo maius beneficium eſt, infert Author, auxilium congruum, quàm ſufficiens; quia maius beneficium eſt auxilium, quod re ipſa eſt ſortiturum effectum, quàm non ſortiturum effectum. Hæc Author hic. 25.

Ex quibus infero, ab auxilio congruo impræſcindibilem eſſe rationem beneficij, quia de ratione illius eſt non eſſe ſufficiens, quo eſſe maius beneficium profitetur. Ergo velle Deum dare peccatori auxilium congruum, eſt velle dare auxilium, quod eſt beneficium peccatori. Ergo dum illud peccatori confert, illud ex intentione peccatori benefaciendi confert. Probo conſequentiam. Eo ipſo quòd Deus conferat peccatori auxilium congruum, quod eſt eſſentialiter beneficium peccatori, confert illud vt beneficium, Sed implicat Deum velle beneficium vt beneficium alicuius, quin illud conferat ex Intentione illi benefaciendi. Ergo dum auxilium congruum peccatori vult, illud ex intentione peccatori benefaciendi conferre intendit. Maiorem declaro, etenim collatio auxilij congrui ſupponit eſſentialiter ſcientiam mediam in Deo, qua præuiderat 26.

Deus,

Deus, hoc auxilium ſortiturum eſſe effectum, & non aliud, atque adeo voluntatem, illo & non alio auxilio præuentam, conſenſuram fore, & cum alio minimè conſenſuram. Ergo iſtud conferre, cum quo præuiſa eſt operatura, eſt illud conferre vt beneficium voluntati. Quia in ſententia Authoris. Ratio eſſentialis auxilij congrui, qua à non congruo diſtinguitur, eſt infallibiliter connecti cum conſenſu abſoluto, caſu, quo tale auxilium conferatur, & ratio beneficij maioris in illo relucens, qua auxilium ſufficiens orbatur, eſt velle Deum illud dare, quia præuidit ſortiturum effectum, ſi daretur, cùm poſſet illud negare, & auxiliū ſufficiens ſolùm eligere. Ergo conferre Deum auxilium congruum Peccatori, eſt velle conferre illi beneficium, vt beneficium. Sed velle beneficium vt beneficium alteri, eſt velle illi benefacere: Ergo Deus conferens auxilium congruum Peccatori, intendit illi benefacere. Ergo impoſſibile eſt præſcindere à collatione auxilij congrui, rationem beneficij, nec à voluntate illud conferendi, voluntatem benefaciendi. Ergo iuxta placita, quorum aſſecla eſt ex profeſſione, tenetur hic Author fateri eſſe idem debitum carendi beneficentiâ Dei, ac debitum carendi auxilio congruo. Ergo hic & nunc cùm peccator contrahat, in eius ſententia, debitum ſeu dignitatem carendi beneficentiâ Dei, contrahere debet dignitatem, & debitum carendi auxilio congruo. Tunc ſic. Ergo in collatione auxilij Peccatori facta, aliquod debitum peccatori remittitur. Probo hanc conſequentiam vt mihi videtur efficaciter. Per te ideo in collatione auxilij non remittitur aliquod debitum peccatori, quia cùm talis collatio poſſit eſſe bona Deo ob alios fines, ſi ob illos conferatur, & non ex intentione benefaciendi peccatori, iam illi nullum debitum remittetur: vt in exemplo ſerui infirmi, & Domino iniurij explicaui. Sed impoſſibile eſt, Deum velle conferre peccatori auxilium congruum, & illud non velle ex intentione benefaciendi Peccatori, cui confertur, vt vidimus in proceſſu doctrinæ allatæ. Ergo in collatione auxilij congrui Peccatori facta, ſemper aliquod debitum remittitur.

27. Non ob hoc nego, collationem auxilij poſſe eſſe volitam ob alios fines, nempe in oſtenſionem liberalitatis diuinæ, aliorumque attributorum: imò addo, id eſſe neceſſarium, & nullo modo poſſe Deum conferre auxilium hoc, quin talem collationem, etſi ex intentione Peccatori benefaciendi ortam, non ordinet ad iſtos fines, iuxta illud communiter dictum, *Omnia propter ipſum operatus eſt Dominus.* Verùm cum hoc optimè compatitur, Deum conferentem auxilium peccatori, ex intentione benefaciendi illi, ipſum conferre, ſicut optimè compatitur, Deum velle homini beatitatem amore amicitiæ, quamuis hoc ipſum ordinet ad ſeipſum, hoc eſt ad extrinſecam ſuam glorificationem.

28. Sed quia horum compoſitio materiam valde vtilem inuoluit, non ſolum huic inſtituto, ſed & cuidam difficultati, in tractatu de charitate valde RR. Ingenia vexanti proficuam, libet figere pedem vſque ad eius exactam indaginem. Quidam igitur vt negent ſtrictam amicitiam inter Deum & homines, hoc vtuntur vulgari, ſed difficili argumento. Deus hominibus volens beatitatem, & alia bona ſupernaturaria, intendit ſuam extrinſecam glorificationem, quæ eſt illi extrinſecè bona. Ergo non ſiſtit illius actus in bonitate, & commodo creaturæ, tanquam in formali obiecto, ſed tranſit ad intendendam glorificationem extrinſecam Dei, amatam propter bonitatem intrinſecam talis glorificationis. Ergo hic actus non eſt amicitiæ erga creaturam, ſed concupiſcentiæ erga Deum. Hoc eſt argumentum vnicè in hoc puncto vrgens, cuius vim explico ſic: Si ego amarem beatitatem Petro, propter gloriam extrinſecam Dei, actus ille non eſſet amicitiæ erga Petrum, ſed charitatis erga Deum. Ergo quando Deus eodem modo amat Petro beatitatem, actus ille non erit amicitiæ erga Petrum, ſed beneuolentiæ erga ipſum.

Solutionē facilem huic argumento apud plures non inuenies, ſed illam præſto communi ſolutioni innixam. Lege amicitiæ quilibet tenetur, quantùm in ſe ſit intendere bonum amici, & ex vi actus præſcindere ab omni vtilitate, & commodo proprio omni modo, quo poſſit; ex quo fit, quòd non erit contra legem amicitiæ, capere ex actu amicitiæ eam vtilitatem, & commodum, quod in nullo actu poteſt vitari, atque adeo contra amicitiæ legem inter homines non eſt, quòd amicitiæ actus ſit delectabilis ipſi amanti, & quòd vi illius, amans honeſtatem contrahat, & meritum, quæ ſunt illi valdè vtilia. Eadem ergo ratione cùm Deus, vltimus finis creaturæ, & infinitè bonus, determinans ſit ad propriam bonitatem, quouis actu, tanquam vltimum ſpecificatiuum, & formale motiuum reſpiciendam, contra amicitiæ legem non erit, hanc extrinſecam vtilitatem reſpicere. Hoc enim ſpeciale habet Deus, ex eo quòd infinitè bonus & vltimus finis ſit, quod non habent aliæ voluntates creatæ; illæ enim poſſunt reſpicere bonitatem amici, & in ea ſiſtere ac proinde ad id tenentur: voluntas autem diuina cùm non poſſit ſiſtere in bonitate creata, ad id lege amicitiæ non tenetur; ac proinde contra hanc non erit, ipſam bonitatem creatam in glorificationem propriam Dei finis vltimi, propter illius intrinſecam bonitatem amare. 29.

Hæc, quæ dicta ſunt, in gratiam argumenti huius pro amicitia neganda Deo, erga homines, transfero facili greſſu ad noſtrum propoſitum aperiendum. Componitur ergo, Deum conferentem hoc auxilium peccatori, vt illi benefaciat, iſtud totum ordinare vltimatè ad ſuam glorificationem, & illam collationem velle, etiam vt beneficam Peccatori, propter bonitatem intrinſecam ipſius; quia cùm Deus ſit vltimus finis & infinitè bonus, debet quocunque actu à ſe elicito reſpicere ſuam propriam intrinſecam bonitatem, tanquam ſpecificatiuum, & formale motiuum ſui actus. Si enim velit collationem auxilij, vt beneficam Peccatori, & ibi ſiſteret, aliquid creatum, eſſet obiectum motiuum, & ſpecificatiuum illius actus diuini. Ergo vt hoc inconueniens 30.

fugiamus, tenemur dicere illum actum conferendi auxilium, vt beneficum peccatori, vlterius progredi ad recipiendum Deum, & eius externam glorificationem.

31. Ex his habes, & quòd collatio auxilij congrui, non poſſit præſcindi à ratione beneficij, peccatori, cui confertur, facti, & quòd talis collatio naſcatur ab intentione Dei, qua manifeſtare vult ſuam externam glorificationem. Et ex hoc deprehendes, rationem diſparitatis inter Dominum & ſeruum ex vna parte, & inter Deum & peccatorem ex alia. Quòd quando ſeruo iacenti, aliàs Domino inuiſo, aliquod bonum communicat Dominus, eo fine, vt vtilitatem capiat ex ſeruo iam ſano, ille actus eſt ſolùm concupiſcentiæ, & collatio talis boni præſcindit à ratione beneficij, ratio, quia illud ſolum, ordinat in propriam commoditatem Dominus, & ex hoc quòd eſt ſeruum ordinari in vtilitatem Domini, nullum bonum acceſcit ſeruo, imo in capienda vtilitate, ex eo plura mala infliguntur illi; at dum peccatori confert Deus auxilium congruum, & ſimul illam collationem ordinat Deus in ſuam commoditatem talem qualem, maximum beneficium Peccatori elargitur. Quia ordinari hominem ad ſuum vltimum finem, inter omnia eſt ſplendidius beneficium, & ſic tam procul eſt, quòd actus, quo vult Deus Peccatori conferre auxilium congruum propter ſuam externam glorificationem, ſit actus concupiſcentiæ, vt potiùs formaliſſimè, per illam tendentiam, in ratione beneuolentiæ erga Peccatorem conſtituatur.

32. Sed arguis primò, Collatio auxilij nullam condignitatem ab homine aufert: Ergo nullum debitum in illo remittit. Ergo pro omni debito poterit homo ſatisfacere. Patet hæc conſequentia, quia in ſententia Vazquij, vt videbimus, poteſt homo ſatisfacere pro debito ſubiectiuo, per cõtritionem poſtea eliciendam; ex alia parte, per collationem auxilij nullum debitum illi remittitur. Ergo pro omni poterit homo ſatisfacere. Reſpondeo breuiter, concedo maiorem, nam in ſententia Vazquij, condignitas peccatoris eſt idem cum debito ſubiectiuo, quod quia per contritionem, tamquam per ſatisfactionem, aufertur, ita etiam condignitas; & ſic diſtinguo conſequens. Ergo nullum debitum remittitur obiectiuum, nego, ſubiectiuum, Concedo. Hæc ſolutio eſt conformis doctrinæ Vazquij, quam nunc ſolùm prætendo ab impugnationibus, quæ in illam obiicere ſolent RR, liberare, poſtea fortiorem impugnationem adducturus.

33. Argues, Vazquez iuxta aſſertum tertium adductum, & poſtea examinandum, docet: hominem per contritionem ſatisfacere pro debito ſubiectiuo. Sed qui ſatisfacit pro debito ſubiectiuo, ſatisfacit pro obiectiuo. Ergo idem ſatisfaciet pro obiectiuo, quod eſt ipſa carentia auxilij. Ergo dum confertur auxilium, nulla ſit remiſſio carentiæ auxilij. Quia per contritionem faciendam ſit ſatisfactio pro illa, & quando datur ſolutio pro debito, repugnat debiti eiuſdem remiſſio.

34. Diſtinguo minorem: qui ſatisfacit pro debito ſubiectiuo, ſatisfacit pro obiectiuo, quando hoc non ſupponitur condonatum, concedo minorem, quando ſupponitur condonatum, nego minorem. Vnde quando Peccator elicit contritionem, iam illi eſt facta remiſſio debiti obiectiui carendi auxilio, cùm hoc illi conferatur ad contritionem eliciendam, atque adeo compoſſibilis eſt ſatisfactio pro debito ſubiectiuo media contritione, cum remiſſione antecedenter facta debiti obiectiui media collatione auxilij facta.

35. Sed diſpone caſum, quòd in eodem inſtanti, in quo Peccatori confertur auxilium, eliciat contritionem, tunc dictum auxilium non conferretur homini indigno. Ergo in collatione auxilij nulla fieret remiſſio. Probatur antecedens. Etenim in ſententia Vazquij, vt vidimus in primo aſſerto, contritio eſt forma ſanctificans, & dignificans. Tunc ſic, ergo in eodem inſtanti, in quo contritio elicitur, deſtruitur Peccatoris indignitas. Ergo tale ſubiectum in eo inſtanti non eſt indignum. Ergo dum in illo inſtanti confertur auxilium, non illud confertur homini indigno. Ergo in tali auxilij collatione nullius debiti ſit remiſſio. Reſpondeo diſtinguens maiorem, tunc dictum auxilium non conferretur homini indigno, in inſtanti collationem auxilij præcedenti, nego. In ipſo eodem inſtanti dictæ collationis, adhuc diſtinguo, non conferretur indigno in illo inſtanti, quo caret indignitate ratione auxilij, dependenter à quo in ipſomet inſtanti talis indignitas deſtruitur, cõcedo. Non datur indigno in illo inſtanti, quo caret indignitate illa independenter ab auxilio collato in eodem inſtanti nego. Hoc totum deprehendes, ſi rectè inſpexeris naturam condonationis. Hæc enim, vt fiat in hoc inſtanti, ſolùm petit, quòd ſubiectum, cui debitum ſubiectiuum in hoc inſtanti condonatur, præceſſerit in inſtanti antecedenti cum tali debito ſubiectiuo, & quòd in hoc inſtanti tale debitum ſubiectiuum non deſinat independenter ab actione condonantis. Plura ſuppetebant exempla, ſit tibi vnum vel alterum in promptu. Subleuatio miſeriæ in hoc inſtanti dicitur fieri homini egeno, quamuis in hoc inſtanti, quo fit, miſeria aliqua non ſit. Et hoc ideo, quia ſubleuatio miſeriæ, quæ exercetur in hoc inſtanti, ſolùm petit, & quod ſubiectum, cui in hoc inſtanti ſubuenitur, præceſſerit in alio inſtanti miſerum, & quòd in hoc inſtanti, quo ſubleuatur, eius miſeria non pellatur independenter ab actione hîc & nunc ſubuenienti. Rurſum remitto tibi centum, & verè in hoc inſtanti remitto, quamuis in hoc inſtanti nihil mihi dicatis debere; & hoc non alia ratione, niſi quia in inſtanti antecedenti, ad inſtans hoc remiſſionis, eras debitor, & in hoc inſtanti deſinis eſſe debitor dependenter à mea liberali remiſſione. Sic in præſenti. Verum eſt, quod in eodem inſtanti, quo auxilium congruum confertur peccatori, ſit contritio, qua dignus exiſtit in opinione Vazquez, nihilominùs talis collatio auxilij abſolutè dicitur conferri à Deo, homini indigno, quia confertur homini auxilium, qui in inſtanti antecedenti ad collationem erat indignus, & quia in hoc inſtanti deſinit eſſe indignus medio auxilio collato, à quo dependet contritio, per quam, in ſententia Vazquij, talis indignitas in hoc inſtanti deſtruitur.

Sed

36. Sed adhuc inſtabis. Actum contririonis nullo modo ſupponere condonationem, vel remiſſionem alicuius debiti. Etenim condonario duo eſſentialiter inuoluit, nempe & qoòd modò ſit, vel immediatè antea præceſſerit debitum catēdi auxilio, & quòd modò detur hoc auxilium. At ex iſtis ſolùm ſupponitur ad contritionem auxilij collatio, non tamen debitum carendi illo. Ergo non ſupponitur ad contritionem condonatio. Conſequentia eſt certa, quia vt condonario ſupponeretur in hoc inſtanti ad contriöonem, etiam ſupponi debebant omnia illa, quæ neceſſariò condunatio inuoluere dicitur. Minor quoad primam partem eſt certa, quoad ſecundam probatur, quia non ſupponitur debitum carendi, quod ſit in hoc inſtanti, quia cùm in illo ſit contritio, quæ, in ſententia Vazquij, expellit peccatum; non poteſt in hoc lnſtanti tale debitum dari, quod eſt idem cum peccato ipſo. Nec ſuppooitur debitum carendi, quod præceſſerit immediatè antea, quia id ſolùm ſuponitur ad contritionem, quod per ſe influit in contritionem, vt patet in eo, quod ad quemlibet effectum in eodem inſtanti pro priori naturæ ſupponitur. Sed contritio eodem modo fieret ab auxilio, ſiue præceſſiſſet, ſiue non præceſſiſſet immediatè antea debitum carendi auxilio. Ergo non ſopponitur ad cootritionem debitum, quod immediatè antea præceſſerit. Ergo contritio nullam ſupponit condunationem.

37. Vt reſpondeas, nota breuiter debitum obiectiuum duo inuoluere, vnum in recto, nempe carentiam auxilij, in obliquo aliud, nempe indignitatem ex parte ſubiecti, & taliter hæc inuoluere, vt quolibet deficiente, deficere dicatur debitum, qoia quodlibet illorum eſt pars eſſentialiter petita ab ipſo debito obiectiuo. Ex quo fit, quòd cùm contririo eſſentialiter ſupponat negationem carentiæ auxilij, quo fit, quia ſupponit ipſum auxilium, quod ſeipſo eſſentialiter eſt negatio negarionis carentiæ ſui, fit, quòd contririo ſuppnat negationem alicuius, quod eſſentialiter debitum obiectiuum inuoluit, ac proinde ſupponit contritio negationem debiti obiectiui, quia vt diximus, ſupponit negarionem alicuius partis in tali debito incluſæ. Hoc iacto. Reſpondeo in forma. Conceſſa maiori, & minoti. Diſtingue conſequens. Ergo non ſupponitur ad contritionem coodonatio, quoad id, quod dicit in recto, nego conſequentiam, quoad id, quod dicit in obliquo, concedo. Ad probationem reſpondeo, quòd ad hoc vt ad contririonem condonatio ſupponatur, non requiritur quòd illa duo ſupponantur ad eius elicientiam, ſed ſufficit, quòd collatio auxilij, quæ eſt vna pars à debito obiectiuo petita, ſupponi dicatur, quia per hoc intelligitur totum debitum obiectiuum deſinere eſſe, ſicut qualibet parte deficiente, & compoſitum perit. Sed rurſum inſtabis, contritio ab auxilio elicita meretur collationem auxilij. Ergo contritio nullam ſupponit condonationem, conſeſequentia ex terminis conſtat, antecedens probo, quia contririo licèt ab hoc auxilio procedat, non tamen ita vt ſi ab illo non procederet, ſed ab alio, quod loco illius poneretur, non eſſet, quia eodem modo contririo fieret, ſiue hoc, ſiue aliud auxilium eius elicientiam cauſaret. Sed quæuis cauſa, à qua non ita effectus procedit, vt illa deficiente effectus ille non ſit, poteſt ſub meritum cadere eiuſdem effectus. Ergo cùm contritio ab hoc auxilio procedens, poſſet, iſto non poſito, ab alio, ſi loco illius poneretur, procedere, fit, quòd poſſit promereri auxilium ipſum, à quo hic & nunc efficitur. Minorem probat. Etenim non alia ratione virgo ſanctiſſima, meruit ex gratia Chriſti maternitatem, qua in ipſum Chriſtum influxit, niſi quia talis maternitas eſſentialiter non ſupponebatur ad Chriſtum. Ergo illa minor eſt certa.

Lato calamo dedi materiam ſufficientem, vt tota huius obiectionis difficultas maneat extincta *diſputatione ſecunda, dubio tertio, numero quarto, tractatu de prædeſtinatione* vbi expendi, obuius doctrinæ Salazar, diſtinctionem, quæ inter cauſas per ſe primo modo & cauſas eſſentiales, & per ſe quarto modo intercedit; verùm ex ibi dictis breuiter id ipſum explico. Etenim cauſæ quarto modo dicantur requiri ad hunc effectum producendum, quia iſte nullo modu erit illis deficientibus, quare iſtæ dicuntur inſupplebiles. Cauſæ verò eſſentiales, ſeu per ſe ſecundo modo ſuppleri poſſunt, atque adeo effectus erit ipſis non ſtantibus, ſi loco illarum aliæ ei ſubſtitutæ apponerentur. Et ex hoc naſcitur alia differentia. Quòd primæ cauſæ numquam poſſunt pendere ab effectu, quem cauſant, quia cùm vt ab illo dependerent, deberent tales effectus ſecundùm ſuum eſſe conſiderari, vt ab illis cauſis independentes. Hoc cùm repugnet prædictis effectibus, qui ſemper debent conſiderari, vt dependentes ab aſſignatis cauſis, vt monui, fit, quòd etiam repugnet illis, ab effectibus, quos producunt, dependere: contrarium euenit cauſis per ſe ſecundo modo, quæ licèt dum in ſuum effectum influunt, ab illo dependere nequeant, tamen ſi iſtæ de facto non influerent in illum, ſed aliæ loco illarum, poſſent ab effectu dependere, quem modò producunt, ſed cum hoc ſtat, quòd nunc talis effectus eſſet dependens ab alia cauſa, reſpectu cuius nullo modo poſſet habere prioritatem. Nunc in forma reſpondeo negans antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Sed quæuis cauſa, à qua non ita effectus procedit, vt illa deficiente, effectus ipſe non ſit, poteſt ſub meritum cadere eiuſdem effectus, quando de facto à tali cauſa procedit, nego minorem, quando ab hac non, ſed ab alia cauſa oriretur, concedo minorem. Et nego conſequentiam, quia loquitur de contritione vt hic & nunc ab hoc auxilio procedente. Vide quæ citato loco dictaui, vt ſimilem obiectionem euerterem de maternitate, ſed infrà exprofeſſo latiùs occurram: vbi diſparitatem dabo inter maternitatem & auxilium. 38.

Rurſum argues. Si media collatione auxilij congrui, debitum aliquod peccatori condonatur, debitum ipſum per peccatum contractum remitteretur. Sed tale peccatum contractum eſt dignitas pœnæ æternæ, ſolùm auferibilis per contritiooem poſtea eliciendam, per quam, in ſententia Vazquij, ſolùm deſtruitur macula 39.

peccati, quæ eſt idem cum dignitatate ad pœnam æternam. Ergo per collationem auxilij non remittitur debitum per peccatum contractum. Reſpondeo diſtinguens maiorem; debitum aliquod per peccatum contractum remitteretur, obiectiuum concedo, ſubiectiuum nego, & diſtinguo minorem: ſed debitum per peccatum contractum, eſt dignitas ad æternam pœnam, ſubiectiuum, concedo, obiectiuum, nego, & ſub diſtinctione maioris concedo, & nego conſequentiam. Itaque licèt occurreret via, qua poſſet hæc obiectio efficaciter infringi, ne longiorem inſtituam ſermonem, aliam cum aliis arripere decreui. Iam prædixi duplex eſſe debitum quod per peccatum contraximus, obiectiuum vnum, & ſubiectiuum aliud. Illud eſt, verbi gratia, pœna æterna, vel carentia auxilij. Hoc eſt ipſa condignatis ad dictas pœnas. Ex quo fit, quòd poſſit compati vnum ex illis remitti manente alio minimè condonato, hoc eſt, remiſſum eſſe debitum obiectiuum, ſcilicet carentiam auxilij, vel pœnam æternam, & manere condignitatem, ſeu debitum ſubiectiuum ad illas pœnas, quia remiſſio obiectiui debiti fit per formam diſtinctam, ac remiſſio debiti ſubiectiui, illa vel per actum, quo libere pœnam æternam remittit, vel per collationem auxilij; at remiſſio debiti ſubiectiui, ſeu condignitatis, fit per formam formaliter oppoſitam tali condignitati, quæ in ſententia Vazquij, eſt contritio ſupernaturalis, quæ ſola illam expellit, atque adeo collatio auxilij illam non depellit, nec eius remiſſionem formaliter inuoluit, & conſequenter remiſſo debito obiectiuo manet non condonatum ſubiectiuum debitum. Vnde illi, cui auſertur pœna debita per peccatum, adhuc perſeuerante iſto, remittitur debitum obiectiuum, quia illi remittitur id, quod ſuſtinere debebat. Solent hoc explicare in illo, qui ad exilium damnatur propter delictum, cui ſi permittatur commorari in loco delicti, dicitur remitti ipſum exilium, adhuc contracta condignitate ad exilium in illo perſeuerante.

40. Hanc ſolutionem impugnant communiter ex eo, quòd eo ipſo, quòd remittatur debitum obiectiuum remittitur ſubiectiuum; non enim poteſt remitti pecunia debita, quin remittatur debitum pecuniæ. Verùm ab hac replica euadunt RR. diſparitatem aſſignantes inter debitum pecuniarum, & debitum pœnæ procedens ex culpa. Nam illud fundatur in obligatione, quæ iuri alterius innititur aduerſus rem debitam. Vnde iure alterius ceſſante, vel media remiſſione, aut ſolutione, etiam in iſto extinguitur obligatio: at verò debitum ſubiectiuum pœnæ, ſeu dignitas ad pœnam per peccatum, fundatur in ipſa macula peccati, cui quia non opponitur remiſſio pœnæ, ideo per illam non tollitur.

41. Iſta omnia hic attuli, non quia eis indigeret inſtitutum, quod eruendum decreui; mihi enim ſat eſt decreuiſſe, in collatione auxilij eſſe concedendam remiſſionem alicuius debiti, quam prætendebant recentiores contra Vazquez euertere. Verùm in his, quæ vltimò dedi ex recentioribus pro ſolutione argumenti & replica ſolùm ingerit difficultatem mihi inſuperabilem, quomodo poſſit, debito obiectiuo carendi hoc auxilio, per collationem auxilij remiſſo, manere condignitatem ad carentiam hanc huius numeri auxilij. Ratio difficultatis eſt hæc, quam breuiter ſubiicio. Etenim quis vnquam intelligere valebit realem & propriam condignitatem ad rem prorſus impoſſibilem. Sed eo ipſo, quòd conferatur auxilium, illius carentia fit omnino impoſſibilis. Ergo non poteſt permanere dignitas ad talem carentiam. Ergo nec reſpectu illius debitum ſubiectiuum, ſeu dignitas reperiri poterit. Quid reſpondeant, neſcio. Apud me vtrumque iudico remitti ſaltem pro illo tempore, pro quo ſupponitur auxilium collatum, Hæc ſufficiant pro ſecundo dicto Vazquij nempe in collatione auxilij, aliquod debitum, per peccatum contractum, remittendum eſſe.

Tertium dictum Vaſquij examinatur.

Dicebat tertiò Vaſq. hominem poſſe ſatiſfacere pro macula & offenſa, quæ eſt debitum, ſubiectiuum, etiam ſuppoſita dicta condonatione in ſecundo aſſerto ab ipſo aſſignata; & rurſum addit ex his, quæ docet *prima ſecunda*, contritionem ſupponere habitum gratiæ, à qua in genere efficientis procedit, necnon remiſſum peccatum, & his non obſtantibus remiſſionibus docet, media contritione perfectè pro peccato ſatisfieri, hæc nunquam componere potui, exiſtimo enim eſſe prorſus terminis ipſis incompoſſibilia. Argumentor ſic, cum hoc, quod eſt contritionem ſupponere gratiam peccatum remittentem, non compatitur pro poſteriori contritionem eſſe ſatisfactionem pro illo. Ergo hæc duo incohærihilia ſunt. Probo antecedens cum hoc, quod eſt contritionem ſupponere pro priori peccatum remittentem gratiam, non compatitur contritionem pro poſteriori eſſe cauſam remiſſionis peccati. Ergo cum hoc, quod eſt contritionem ſupponere pro priori gratiam remittentem peccatum, non compatitur contritionem pro poſteriori ſatisfacere pro illo. Conſequentia eſt certa, quia qui ſatisfacit, eſt cauſa remiſſionis illius, pro quo ſatisfacit, vt de ſe conſtat, antecedens probo, hoc quod eſt contritionem ſupponere pro priori gratiam remittentem peccatum, eſt idem, ac contritionem ſupponere peccatum remiſſum. Sed cum hoc, quod eſt contritionem ſupponere pro priori peccatum remiſſum, non compatitur contritionem pro poſteriori illud remittere. Ergo cum hoc, quod eſt contritionem pro priori ſupponere gratiam peccatum remittentem, non compatitur contritionem pro poſteriori eſſe cauſam remiſſionis peccati. Minor, præterquam quòd ſuis terminis firmatur, ex ipſo Vazquio robuſtior fit contra ipſum, in ſententia Vaſquij, cum hoc, quod eſt, contritionem ſupponere pro priori collationem auxilij remittentis debitum carendi illo, non compatitur contritionem pro poſteriori remittere illud debitum. Ergo cum hoc, quod eſt, contritionem pro priori ſupponere peccatum remiſſum per gratiam, non poteſt compati contritionem ipſam pro poſteriori eſſe cauſam ſatisfactoriam remittendi peccatum. Conſequentia eſt ipſa paritas, 42

ritas, antecedens eſt doctrina Vazquij, vt vidimus & videbimus ipſam eſſe illius fundamentum, ad probandum neceſſariam eſſe Christi ſatisfactionem, vt pro illo debito carendi auxilio, pro quo ſatisfacere eſt impos contritio, fiat condigna ſatisfactio.

43. Verùm reſponde ex Vaſquij doctrina, & vt rectè ſolutionem percipias, nota, iuxta illius principia eſſe certum, contritionem hic & nunc, ab hoc auxilio procedentem, poſſe à ſolo auxilio extrinſeco Dei ortum habere. Ex quo hanc diſparitatem exiſtimare poteris, quòd contritio, non quomodocunque ſupponit condonatum debitum carendi auxilio, ſed illud eſſentialiter ſupponit condonatum per formam tali debito oppoſitam. Etenim cùm illud debitum obiectiuum, eſſet auxilij carentia, & carentiæ auxilij forma oppoſita ſit entitas auxilij, vt de ſe conſtat, fit, quòd contritio ſupponens eſſentialiter collationem auxilij, quo fit, ſupponat eſſentialiter remiſſum debitum obiectiuum, per formam oppoſitam; atque adeo nō manet locus illi, vt in poſteriori naturæ, pro tali debito poſſit ſatisfacere: at verò contritio non ſupponit eſſentialiter peccatum condonatum, per formam tali peccato oppoſitam, quia licèt hic & nunc illud ſic condonatum ſupponat, quia hîc & nunc ſupponit gratiam, & à qua peccatum, tamquam à forma contraria, depellitur, tamen hæc eadem contritio, cùm poſſet non fieri à gratia, ſed ab auxilio, poterat illam non ſupponere, atque adeo nec peccatum remiſſum, ſic illi manere aditū, vt pro poſteriori naturæ pro peccato poſſet exactè ſatisfacere.

44. Iſta ſolutio plura inuoluit, quæ nec vera ſunt, nec ſi vera eſſent, ſufficientia, vt vis argumenti infringeretur. Primum, quatenus docet, contritionem hanc numero, hîc & nunc procedentem à gratia, poſſe ab auxilio extrinſeco proficiſci, quod obuiat principiis, quæ ieci iuxta ſanctiſſimum Thomam *tractatu de Iuſtificatione, diſputatione prima, dubio ſecundo, ſectione tertia de Viſione, diſputatione ſecunda, dubio quarto, ſectione ſecunda. numero duodecimo* vbi neceſſitatem principij intrinſeci ad quodcumque opus ſupernaturale deſideraui. Sed demus illam, etſi non valentem oriri ab auxilio extrinſeco, bene tamen ab auxilio intrinſeco ſupernaturali nullo modo cum gratia habituali coniuncto, vt plures etiam ex Thomiſtis probabiliſſimè ferunt, quos vidimus *tract. de iuſtificatione*, quodque doctrinæ à Vazquio adductæ ſufficere videtur ad ſaluandum contritionem non eſſentialiter ſupponere gratiam habitualem, tamquam principium, à quo efficienter procedat. Adhuc hoc admiſſo, nulla eſt ab illo aſſignata diſparitas. Ratio, vt mihi videtur eſt efficax: quia hoc, quod eſt contritionem, iuxta Vazquium, hic & nunc à gratia procedentem poſſe ab auxilio procedere, non ſufficit, vt illa ſit hîc & nūc ſatisfactio pro peccato. Ergo ruit diſparitas. Antecedens probo, hoc, quod eſt contritionem poſſe ab auxilio procedere non ſufficit, vt hîc & nunc à gratia non procedat. Sed hoc, quod eſt hîc & nunc à gratia contritionem procedere, impedit, vt hîc & nunc contritio pro poſteriori poſſit pro peccato ſatisfacere. Ergo hoc, quod eſt contritionem hîc & nunc à gratia procedentem poſſe ab auxilio procedere, non ſufficit, vt illa ſit hîc & nunc pro peccato ſatisfactio: Maior eſt doctrina Vazquij. Minor probatur: contritionem hîc & nunc à gratia procedere, facit, quòd contritio hîc & nunc ſupponat pro priori peccatum deſtructum per formam peccato ex natura rei formaliter oppoſitam. Sed ſupponere peccatum hîc & nunc deſtructum per formam ex natura rei formaliter oppoſitam, impedit, vt hîc & nunc contritio pro poſteriori poſſit eſſe peccati ſatisfactio. Ergo hoc quod eſt hîc & nunc contritionem à gratia procedere, impedit, ne contritio pro poſteriori poſſit pro peccato ſatisfacere. Maior eſt doctrina Vazquij; Minor eſt euidens, quia illud quod hîc & nunc non eſſe alterius ſuppunit, non poteſt illud non eſſe cauſare. Hoc enim experientia philoſophiæ edocet. Quod enim ſupponit lucem hîc & nunc ſubiectum hoc informantem, non poteſt tenebras depellere, quia depellere tenebras eſt idem, ac non eſſe illarum cauſare, quod ad illud hîc & nunc neceſſariò ſupponitur, cùm ſupponat hîc & nunc lucem, cuius eſſe eſt formaliter non eſſe tenebrarum: ſic in lite noſtra, contritio hîc & nunc ſupponit non eſſe tenebrarum peccati, quia per te hîc & nunc ſupponit gratiæ lucem, cuius eſſe eſt ſaltem mediatè non eſſe tenebrarum peccati. Ergo non poterit verificari de contritione talem lucem in ſubiecto ſupponente, quòd tenebras peccati per ſatisfactionem expellat.

Admitto diſcrimen illud à Vazquio inter contritionem collatam reſpectu debiti carendi auxilio, & illam vt collatam ad peccatum, quòd ſcilicet contritio poſſet eſſe ſatisfactio, in caſu alterius prouidentiæ, vel in opinione aliorum dicentium, illam ab auxilio intrinſeco procedere, atque adeo ab habitu gratiæ non dependere in genere efficientis; quia tunc ſicut non dependeret à gratia, quia illam non ſupponeret, ita nec remiſſum per illam ſupponeret peccatum, atque adeo pro illo ſaltem aliqualis poterat eſſe ſatisfactio. Quod nunquam poterit exercere, reſpectu debiti obiectiui, carendi ſcilicet auxilio, quia hoc nunquam poteſt ad dictam contritionem eſſentialiter non ſupponi, vt principium per ſe perſeitate 4. modi, atq; adeo ſemper, & eſſentialiter debet ſupponere condonatum dictū debitum, quod eſt in cauſa, vt non ſuperſit contritioni locus, vt pro tali debito in nullo caſu ſatisfacere valeat. Verū vt ſuprà præmonui, quæ de poſſibili ſunt, quæſtionibus de facto minimè iuuare dicuntur. Si enim docet Vazquez hîc & nunc contritionem ſupponere gratiam, à qua dependet, & à qua peccatum deſtruitur. Quid iuuabit poſſe ex alia prouidentia contritionem non ſupponere gratiam, nec ab illa dependere, & ſic peccatum deſtructum non ſupponere, ad hoc vt hîc & nunc de contritione efferat Vazquius eſſe ſatisfactionem, qua peccatum deſtruatur? Imo do Vazquio in contritione reperiri valorem ſufficientem, & æqualem bonitatem cum peccato in ratione mali & iniuriæ, ratione cuius, qui illam eliceret, ſufficientem ſatisfactionem præberet; tamen ſuppoſitis principiis ex Vazquio iactis, repugnat, quod hîc & nunc & in actu exercito, dicatur 45.

catur contritio, ſatisfactio pro peccato. Ratio: quia vt hîc & nunc diceretur ſatisfactio in actu exercito, debebat peccatum extinguere in actu exercito. Sed peccatum extinctum ſupponit. Ergo non extinguit. Ergo non ſoluit, licèt ex ſe eſſet, extinctiua, & ſolutiua peccati. Hoc explicari poteſt in eo, qui ſufficientem quantitatem ad ſoluendum debitum, quod contraxerat, præſentat, non dicitur ſatisfacere in actu ſecundo niſi illud in actu ſecundo ſoluerit, nec illud ſoluit in actu ſecundo, ſi in actu exercito non extinguit illud.

46. Sed aliter poteſt occurri rationi noſtræ pro ſententia Vazquij: optimè cohærere poſſe, & Deum mediâ gratiâ remittere iniuriam, & pro poſteriori hominem ſatisfacere media contritione pro illa, quia poteſt dici illam remiſſionem, à Deo præſtitam pro illo priori, eſſe factam ſub onere, vt ſibi pro illa fiat ſatisfactio media contritione; ſicque apud homines contingere experimur, aliquam iniuriam ſibi irrogatam remittere ſub onere, vt illi aliquod obſequium exhibeatur pro ipſa. Verùm vt ab exemplo incipiam, ſicque ad rem noſtram componendam, ſine exemplo eſſe adductum, oſtendam. Quis vnquam hoc genus remiſſionis offenſæ inter homines factæ, ratam & abſolutam remiſſionem iniuriæ appellauit, nemo, ſed ad ſummum conditionatam iudicauerunt cuncti. Quod ex terminis liquet; etenim ſi conditio illa nempe ſatisfactio, ſub cuius conditione remiſſio eſt conceſſa, non purificetur, adhuc iniuria & offenſa perſeuerare dicetur, & minimè remiſſa iudicabitur. Hoc experientiâ peruium eſt. Sicut hanc doctrinam valde diſtare à præſenti noſtro inſtituto, in quo iuxta decretum Tridentinum, & veritatem, remiſſio iniuriæ, quæ fit à Deo, mediâ gratiâ habituali, & abſoluta, & independenter ab omni ſatisfactione, & conditione futura, plenum ſortitur effectum, qui eſt ipſa offenſæ remiſſio, & condonatio.

47. Sed adhuc do hypotheſim, quòd remiſſio offenſæ pro illo priori, mediâ gratiâ à Deo facta fieret cum onere contritionis, pro poſteriori factæ, vel alterius actionis exequendæ; adhuc talis contritio, vel alia quæuis actio non diceretur ſatisfactio pro illa iniuria, ſed ad ſummum ſatisfactio nouæ obligationis, ex illo modo iuſtificandi ortæ. Hoc enim colligo ex doctrina apud omnes veriſſima, iuxta quam docetur, quòd quando homo media contritione extra Sacramentum ſanctificatur, illi peccata remittuntur, cum onere illa confitendi, in voto Sacramenti pœnitentiæ incluſo, vt dixi cum communi *tract. de integritate confeſſionis diſp.1. dub.3. num.* 4. Rorſum quando homo ille poſtea peccata ſua confitetur, illa confeſſio, non eſt ſatisfactio pro culpa illi iam antecedenter remiſſa, & condonata, ſed ad ſummum eſt ſatisfactio obligationis voti confitendi, in contritione incluſi. Sic enim in noſtro negotio res eſſet per agenda in hypotheſi, quòd remiſmiſſio culpæ à Deo mediâ gratiâ antecedenter facta, fieret ſub conditione, vel onere alicuius actus ſupernaturalis, atque adeo nunquam erit caſus, in quo contritio vel alius actus cenſeatur ſatisfactio pro culpa, quam remiſſam ſupponere, ſemper eſt certum.

48. Confirmo igitur hanc rationem ex doct. *tract. de impeccabilitate Chriſti* adducenda infrà. Vbi de poſſibili defendemus poſſe humanitatem antecedenter ad vnionem peccare. Quo in caſu, ipſa humanitas poſtea etiam Verbo vnita, non poſſet pro peccato ante vnionem commiſſo condignè, & perfectè ſatisfacere; ratio eſt in promptu, quia quælibet bona operatio Chriſti ſupponeret vnionem hypoſtaticam, quæ vt infrà videbimus ex ſe, & ex natura ſua eſt peccati deſtructiua, atque adeo quælibet operatio, poſtea ab illa humanitate elicita, ſupponeret remiſſum media vnione peccatum illud. Ergo non poſſet eſſe illius perfecta ſatiſfactio.

49. Sed occurres in tali caſu poterat Deus remittere peccatum illud humanitatis media vnione dependenter à meritis Chriſti futuris ex tunc præuiſis, ſicut in ſententia apud Theologos certa, de facto Deus peccata, antiquorum Patrum remiſit, dependenter à Chriſti meritis futuris ex tunc præuiſis. Sed eſt diſpar ratio in vtroque caſu, vt infrà latiùs oſtendam, ſed ex ibi dicendis dico de facto Deum peccata antiquorum Patrum remiſiſſe dependenter à Chriſti meritis futuris, ex tunc præuiſis, quia gratia, media qua Deus antiquis Patribus peccata condonauit, non fuit cauſa nec principium meritorum Chriſti, imo fuit illorum effectus, at ſi eadem merita Chriſti ſufficerent ad merendum remiſſionem peccati antecedenter facti, etiam vt præuiſa, ſufficerent ad merendum illam vnionem, media qua talis remiſſio contingeret, & cum talis ſit principium condignificans talia merita, iam principium meriti caderet ſub meritum, quod eſſe abſurdum eſt certum & latè oſtendimus *tract. de prædeſtinatione* & infrà latiùs redibit ſermo.

50. Sed occurres iuxta principia probabilia, à nobis tract. illo de prædeſtinatione allata, licèt nó probata, ſed ab aliquibus tamen admiſſa, de potentia abſoluta potuiſſe opera Chriſti præuiſa mereri hypoſtaticam vnionem, in quo caſu talia opera præcederent vnionem in ordine intentionis, licèt in ordine executionis, talis vnio prædicta opera meritoria antecederet. Ergo ſimiliter poteſt dici in hoc caſu præſenti, quod meritum Chriſti vt præuiſum, poſſet eſſe ſatisfactio pro culpa illa, ab humanitate antecedenter ad vnionem commiſſa.

51. Sed contra & imprimis vtrumque exiſtimo falſum. Primum diffusè loco nuper citato aperui. Secundum breuiter demonſtro. Etenim in quocumque ordine, etiam intentionis, debet præuideri culpa illa ante vnionem commiſſa in ipſa humanitate, taliter quòd intentio illa ad humanitatem, vtroque modo conſideratam, tam ante vnionem cum peccato, & ad illam cum ipſa vnione poſtea Verbo copulatam, terminaretur. Ergo tale peccatum in executione, non poterat tolli per ſatisfactionem Chriſti, & eius meritum vt præuiſum in intentione. Singulas huius entimematis propoſitiones oſtendo. Antecedens patet, quia ſi illa humanitas in ordine intentionis non præuideretur, vt habens peccatum ante vnionem, poſtea ordine executionis non poterat præuideri antece-

dentet

denter ad dictam vnionem cum peccato, quia quæ in executione patrantur, licèt inuerſo ordine, in ordine intentionis præuidentur. Et quæ non præuidentur ordine intentionis, nec in executione contingunt, atque adeo vel ordine intentionis præuidetur, vt habens peccatum ante vnionem, vel cum vnione. Hoc non, quia aliàs ſemper præuideretur cum impedimento ad habendum peccatum, & ſic poſtea in executione non poſſet talis humanitas peccatum committere. Sit exemplum, ſi aliquod corpus præuideretur in intentione, in primo inſtanti ſui eſſe radiis ſolis immerſum, non poſſet poſtea in executione habere tenebras in Primo inſtanti ſui eſſe tale corpus. Ergo pari ratione peccatum illud, quod in executione tolleretur per merita Chriſti præuiſa in intentione, præuideri debebat etiam in illo ordine intentionis antecedenter ad vnionem hypoſtaticam; ex his antecedens illius entimematis manet probatum, conſequentiam illius probo. Eo ipſo quòd talis intentio ad humanitatem vtroque modo conſideratam terminaretur, iam in illa intentione peccatum, ex vi vnionis tolleretur, & non intuitu alicuius ſatisfactionis. Ergo poſtea in executione, non poſſet peccatum illud tolli per ſatisfactionem operum Chriſti, vt præuiſorum ordine intentionis. Antecedens probo quia vt ſuppono *ex tractatu de impeccabilitate* cum his Authoribus, cum quibus decerto in quauis conſideratione, in qua vnio hypoſtatica præuidetur ſuperueniens naturæ, peccato affectæ, præuidetur vt peccatum illud expellens. Ergo illa natura, etiam in intentione, præuidetur cum negatione peccati. Ergo nulla ratione poteſt in executione per ſatisfactionem depelli. Sed de his iterum me videbo.

Quintum dictum Vazquij.

52. Poſtquàm reſoluerat Vazquez in ſecundo dicto, homini peccatori, dum conteritur, remitti debitum carendi auxilio, quod per peccatum contraxerat, aſſerit tamdem, hanc condonationem carentiæ auxilij ſufficere, ne dicatur homo pro ſuo lethali poſſe adæquatè ſatisfacere, & ad ſupplendum hunc ſatisfactionis defectum, incarnationem fuiſſe neceſſariam, docet.

53. Multis molti impetunt hoc aſſertum Vazquij, ſed non omnes ita neruosè, ſicut fas erat. Pater Granados alios ſequutus ſic *3.p.tr.2.diſp.1.n.*36.agit in Vazquez: ſequi ex hoc placito, quòd homo, qui originale non contraxiſſet, & Angelus, ſi aliàs reſipiſcentiæ eſſet capax, pro proprio peccato ſatisfacere valeret. Probat ſequelam, quia in tali ſuppoſitione non eſſet peccatum originale, intuitu cuius carere deberet auxilio ad reſurgendum.

54. Verùm hæc obiectio nemini eſt viſa efficax quia licèt tunc peccatum originale non adeſſet, eſſet tamen actuale peccatum in homine illo, vel angelo, ex vi cuius ambo mererentur carentiam auxilij quæ verè condonaretur illis in ipſa auxilij collatione; atque adeo illorum contritio verè ſupponeret remiſſionem pœnæ debitæ, quæ remiſſio æqualiter impediret ſatisfactionem, quam ſi eſſet remiſſio pœnæ debitæ, propter peccatum originale.

55. Alij Thomiſtæ, quos Puente *diſp.*10. *n.*6. & Lugo *d.*5.*n.*7. ſequuntur, hoc dictum Vazq. impugnarunt ratione iam ſubiicienda, ſed valde tepidè, efficaciùs tamen illam ij R.R. proponũt. Eò enim tendit, vt probet, hominem non poſſe, pro hac pœna carendi auxilio ſatisfacere non impedire ſatisfactioni perfectæ ab homine faciendæ: & vt hæc ratio plauſibiliùs incedat, ſuppono, non eſſe idem, debitum carendi auxilio eſſe condonatum, ac culpam eſſe condonatam, quia debitum carendi auxilio, eſt pœna, & hæc poteſt remitti, culpa in ratione culpæ manente, ſicut de facto hic & nunc contingit in quolibet peccatore, contritioné eliciente, cui dum cõfertur auxilium ad contritionem, remittitur pœna carendi illo auxilio, & tamen pro illo priori, non intelligitur culpa condonata, aliàs, vt bene notat Lugo, poſt collationem illius auxilij, & ante actum contritionis, non eſſet in homine integra ratio culpæ & habitualis peccati, quod eſt falſum etiam in ſententia Vazquij. Hoc iacto, ſic ratio formatur. Etenim quòd ſatisfactio non ſe extendat ad aliquam pœnam, quæ poſt peccatum ablatum ſoluenda remaneat, non tollit rationem perfectæ ſatisfactionis. Ergo quòd ſatisfactio non ſe extendat ad aliquam pœnam, quæ ante peccatum ablatum, ſit remiſſa, non tollet perfectam ſatisfactionem. Hoc entimemate tota vis clauditur. Explico & antecedens firmo. Chriſtus Dominus perfectè, condignè & ſuperabundanter, vt fides docet, dicitur pro noſtris culpis & peccatis ſatisfacere, quamuis poſt dimiſſam culpam, intuitu Chriſti meritorum, maneat aliqua pars pœnæ in purgatorio luenda. Ergo ſtat bene, quòd ſatisfactio non ſe extendat ad aliquam pœnam, quæ poſt peccatum ablatum relinquitur ſoluenda, & quòd talis ſatisfactio ſit perfectiſſima culpæ ſatisfactio, ſic manet antecedens commendatum. Nunc probo conſequentiam illam. Ideo Chriſti ſatisfactio dicitur talis reſpectu culpæ, quamuis pœnam relinquat ſoluendam, quia pars debiti pœnæ in purgatorio ſoluenda, ſupponit exiſtentem culpam, pro qua ſatisfactio poſſit offerri. Sed condonato homini peccatori, illo debito carendi primo auxilio, manet integrum debitum culpæ, vt culpa, vt in notabili ſuppoſuimus. Ergo qui ſatisfacit pro toto illo, quod tunc manet, ſatisfacit de condigno pro culpa in ratione culpæ. Sed in ſententia Vazquij, vt vidimus ſupra in tertio eius dicto, poteſt homo media contritione ſatisfacere pro toto debito ſubiectiuo, quod in ſententia illius eſt culpa, præter debitum carendi auxilio ad contritionem requiſito. Ergo poteſt ſatisfacere pro culpa, vt à debito pœnæ diſtincto. Ergo licèt aliqua pars pœnæ priùs illi fuiſſet remiſſa, ſi tamen poſtea pro culpa condignè ſatisfacit, dicetur ſe abſolutè pro culpa ſatisfacere; atque adeo erit verum, quòd homo ex viribus à Deo præſtitis, poſſit pro ſuo peccato condignam ſatisfactionem exhibere.

56. RR. Complutenſes ſic ab hoc argumento in gratiam ſui Magiſtri, Vazquij ſe expediunt. Negant conſequentiam primam, & diſparitatem dant, quia licèt ſatisfactio, Verbi gratiâ Chriſti, non ſe extendat ad auferendam in actu ſecundo pœnam poſt peccatum relictam, & in purgatorio

tio luendam; tamen non ſupponit condonationem per ſe requiſitam ad auferendum peccatum; at verò ſatisfactio, quam præſtat media contritione homo, ſupponit neceſſariò condonationem per ſe requiſitam, ad auferendum ſuum peccatum, quia ſupponit eſſentialiter collationem auxilij, quæ eſt gratioſa, & liberalis remiſſio debiti carendi illo, quod per peccatum contraxerat, atque adeo licèt per contritionem ſatisfaciat pro culpa, tamen quia talem remiſſionem debiti ſupponit, à condignæ ſatisfactionis ratione deficere videtur.

57. Sed hæc ſolutio, licèt explicet diuerſitatem materialem, in his caſibus inuentam, tamen diſparitatem non reddit quoad id in quo conueniunt, atque adeo tota ſolutio ſiſtit in eo, quòd ſatisfactio hominis ſupponit condonationem, quæ minimè ſupponitur ad ſatisfactionem Chriſti. Sed non ſubſiſtit ſolutio, quia adhuc condonatâ illâ pœnâ, peccatori manet tota culpa integra. Ergo licèt pro illa pœna ſatisfacere non poſſit, cùm inueniat exiſtentem culpam, pro illa ſolutionem præſtahit. Quia ſicut Chriſtus, quamuis liberaliter accipiat auxilium primum ad ſatisfaciendum requiſitum, & in actu ſecundo non ſatisfecerit pro pœna poſt peccatum remiſſum relicta, dicitur pro noſtris peccatis abſolutè ſatisfacere & condignè; quia inuenit culpas noſtras realiter exiſtentes, ita etiam peccator, licèt ſupponat condonationem illius pœnæ carendi auxilio, & illud ſupponat liberaliter eſſe collatum, tamen condignè & totaliter pro culpa ſatisfacere dicetur, quia totam illam exiſtentem inuenit & nullo modo condonatam reperit.

58. Non me latet adhuc rationi huic poſſe præadducta ſolutione occurri, dicendo, non ideo homini negari ſatisfactionem condignam pro culpa, quia ſupponat collationem auxilij quomodocumque liberaliter collati; ſed quia ſupponat collationem auxilij, quæ verè ſit remiſſio debiti carendi illo: atque adeo licèt gratis daretur Chriſto, eſſe collatum liberaliter primum auxilium ad ſatisfaciendum, quod non pauci ex contrariis denegant, cùm illud ſit Chriſto debitum ratione vnionis hypoſtaticæ; tamen talis auxilij collatio reſpectu Chriſti non fuit alicuius debiti remiſſio, cùm Chriſtus debitum carendi aliquo auxilio non contraxiſſet. Hacque de cauſa hominis puri ſatisfactio, licèt inueniat culpam, pro illa condignè non ſatisfacit, Chriſti tamen ſatisfactio eſt illius adæquata & condigna ſolutio ob contrariam rationem.

59. Sed in hanc ſolutionem communem etiam, communi replica inſurgo; ſequitur ex illa Chriſtum adæquatè non ſatisfeciſſe pro toto debito noſtri peccati. Etenim iuxta hanc ſolutionem ex eo peccator non ſatisfacit pro toto debito peccati adæquatè, quia ad eius ſatisfactionem aliqua pars debiti ſupponitur gratis condonata. Sed ad ſatisfactionem Chriſti, etiam ſupponitur aliqua pars debiti gratis condonata. Ergo ſatisfactio Chriſti non fuit pro toto debito peccati adæquata. Minor probatur, quia peccatum Adam fuit dignum carere omni beneficio. Ergo meruit carere Redemptore, quod eſt inter beneficia maximum. Sed hoc debitum ſupponitur ad ſatisfactionem Chriſti gratis condonatum. Ergo aliqua pars debiti ex noſtro peccato contracti ſupponitur condonata ad ſatisfactionem Chriſti. Minor probatur, quia Chriſtus non aliter ſatisfecit, niſi merendo nobis id, quod per peccatum amiſeramus. Sed non potuit mereri ſuam exiſtentiam, aut incarnationem vt communiter defenditur. Ergo debitum carendi redemptore ſupponitur gratis condonatum ad ſatisfactionem Chriſti Ergo adequatè &c.

Nec vires huius replicæ declinabis recurrens ad decretum, quo Chriſtus prædefinitus eſt Redemptor dicens, Chriſtum ante præuiſionem peccati eſſe prædefinitum Redemptorem, atque adeo per peccatum nullo modo Adamum contraxiſſe debitum carendi Chriſto, vt Redemptore, quia ſuppoſita hac prædefinitione, iam ſupponitur donatus Redemptor, ante peccatum, ſicque negatio Redemptoris impoſſibilis erat, ac proinde ea negatione non poterat homo puniri: atque adeo nec reſpectu illius poterat dari meritum, ſeu dignitas proxima & formalis. 60.

Fateor hoc ordine decretorum totam vim replicæ diminui; verùm iſte ordo non admittitur à Vazquio, nec ab eius aſſeclis, vt poſtea videbimus, qui conſtanter defendunt nullo modo fuiſſe Chriſtum prædefinitum Redemptorem, ante præuiſionem peccati, quare hac omiſſa ſolutione. 61.

Aliter conantur diſcipuli Vazquij vim replicæ extenuare, aſſeruntque ſatisfactionem puri hominis, nempe contritionem, taliter eſſe inſufficientem ad promerendam condonationem, quam ſupponit, quod inſufficiens eſſet ad illam promerendam, etiam caſu, quo talis condonatio non ſupponeretur. Actus verò Chriſti, ſeu illius ſatisfactio, habet condignitatem, & valorem ex ſe tantæ æſtimationis moralis, vt dignè poſſet promereri incarnationem, & condonationem debiti carendi illa; ſic incarnatio, & illius carentiæ condonatio non ſupponeretur ad ſatisfactionem Chriſti. 62.

Sed hæc ſolutio & relinquit principia, quibus debebat inniti, & quærens alia, quibus fidat, robur replicæ noſtræ fugit. Imprimis ſolutio, quam impugnamus, in id deuoluebatur, quòd contritio non poterat eſſe adæquata pro culpa ſatisfactio, quia cùm ſupponat partem debiti, quod per peccatum contraxit homo, remiſſam, non poterat eſſe illius ſatisfactio; actus verò Chriſti non ſupponere aliquam partem debiti illi condonatam, atque adeo eſſe pro toto debito adequatam ſatisfactionem. Hæc erat ſolutio, quam ex principiis Vazquij hauſtam dederunt noſtro argumento RR. in hanc ſolutionem inſurrexit replica probans, Chriſto etiam eſſe partem debiti ex peccato noſtro contracti remiſſam, & non obſtante remiſſione hac, ipſum ſatisfeciſſe adequatè pro culpa. Recurrere ergo hos RR. ad defectum valoris contritionis, vt ab illa rationem condignæ ſatisfactionis ſummoueant, eſt, aliam viam arripere, & alio clipeo, vt replicæ ictus retundantur, muniri, & ſine cauſa principia Vaſquij deſerere, iuxta quæ, vt vidimus, in eius aſſerto tertio, contritio eſt perfecta & æquiualens 63.

lens compenſatio pro culpa taliter quòd ſi condonationem illam partis debiti non ſupponeret, ſufficiens eſſet, vt pro illa ſatisfaceret.

64 Impugno iterum. Per te hîc & nunc, licèt ſatisfactio Chriſti ſit tantæ æſtimationis, & valoris, vt ſi non ſupponeret partem debiti remiſſam, pro illa ſatisfaceret, tamen hîc & nunc illam remiſſam ſupponit. Ergo hîc & nunc, & in actu ſecundo non eſt ſatisfactio pro toto debito, quod ex peccato contraximus, ſed eſſet, caſu, quo illam partem debiti remiſſam non ſupponeret. Hoc ſic pondero ex doctrina, quam adduximus & admittunt iſti Reuerendiſſimi ſuprà in impugnatione tertij dicti Vaſquij dicentis: contritionem habere ſufficientem valorem, & bonitatem, ad ſatisfaciendum pro peccato: verum hîc & nunc non poſſe pro illo ſatisfacere, quia hîc & nunc ſupponebatur ad contritionem pro priori remiſſum à gratiâ: atque adeo licèt talis contritio eſſet ex ſe extinctiua, & vt ſic loquar, ſatisfactiua peccati, tamen hîc & nunc, & in actu ſecundo non poteſt dici pro peccato ſatisfactio, vel actualis extinctio, ſed ad ſummum eſſet, ſi peccatum remiſſum non ſupponeret. Hæc doctrina ab his Reuerendiſſimis admittitur contra Vaſquez. Nunc autem, vt hoc quintum dictum illius à noſtro argumento redimerent, aſſerunt, ſatisfactionem à Chriſto pro toto debito in nobis per peccatum contracto, oblatam eſſe hîc & nunc adæquatam ſatisfactionem illius, quia licèt hîc, & nunc partem debiti ſupponat remiſſam, tamen tanti valoris eſt ſatisfactiò Chriſti, vt ſi prædictam partem debiti remiſſam non ſupponeret, pro illa ſatisfaceret. Videte conſequentiam, & à paritate bonitatem huius illationis contra illos. Ergo hîc & nunc ſatisfactio Chriſti non eſt adæquata ſatisfactio pro toto debito, quod ex peccato contraximus, quia partem debiti, in iſtorum ſententia, remiſſam ſupponit, ſed eſſet, ſi illam condonatam non ſupponeret. Dicere autem Chriſti ſatisfactionem hîc & nunc, & in actu ſecundo non fuiſſe adæquatè condignam pro toto debito, quod ex peccato contraximus, eſt abſurdiſſimum. Ergo & id ex quo tale abſurdum irreuocabiliter ſequitur.

65. Reuerendiſſimi alij complutenſes conantur aliter noſtram replicam eneruare. Diſtingunnt enim in incarnatione, & eius ſubſtantiam, & quod nobis eſſet proficua, aiuntque peccatum Adæ non demeruiſſe incarnationis ſubſtantiam, ſed quod nobis eſſet proficua, quod quidem Chriſtus Dominus promeruit, & ideo promeritus eſt quidquid nos demeruimus per peccatum, & quidem Adamum non demeruiſſe incarnationis, ſubſtantiam, exiſtimant eſſe pluſquam certum, quia licèt ego ratione inimicitiæ dignus ſim carere omni beneficio, quod mihi prouenire poſſet à Perſona offenſa, non tamen ſum dignus, vt propter me priuentur alij bonis (quæ poſſunt aliis concedi) ex eo quòd ego ipſe aliquod emolumentum inde percipiam; quia mea indignitas tantùm ſe extendit ad priuationem boni in me ipſo, non verò, vt aliqui propter me malum aliquod patiantur, vel priuentur beneficio, quod mihi prodeſſe poſſet; atque adeo non mereor, ne alteri fiat beneficium, ſed quod illud iam alteri factum, nullius mihi ſit emolumenti. Vnde peccatum Adæ non demeruit ſubſtantiam incarnationis, hæc enim erat maximum beneficium, & eximium bonum humanitatis Chriſti, quia aliter non tam eſſet peccatorem ſibi malum meteri, quam humanitati Chriſti experti peccati, ſed ad ſummum promeritus eſt, quòd incarnatio non ſit ipſi Adæ proficua nec poſteris.

Iam quòd Chriſtus Dominus promeritus fuerit incarnationem fore nobis proficuam, oſtendunt, quia eatenus eſt peccatoribus proficua, quatenus merita Chriſti in eorum Redemptionem applicantur, ſed Chriſtus Dominus meruit applicationem, & acceptationem ſuorum meritorum in Redemptionem generis humani. Ergo meruit, quòd incarnatio eſſet nobis proficua. Minorem probo, quia merita Chriſti, applicata ſunt in hominum Redemptionem per actus voluntatis ipſius Chriſti, quibus voluit talia merita hominibus prodeſſe; at Chriſtus Dominus meruit ſibi auxilia ad hos actus, & rurſum per tales actus impetrauit à Deo acceptationem meritorum. Ergo, &c. minorem probo, quia ſtatim ac humanitas Chriſti cognouit incomparabile vnionis beneficium ſibi factum, gratias Deo reddidit, deinde per hanc gratiarum actionem, vtpote infiniti valoris, meruit ſibi omnia auxilia poſſibilia ad quæcumque bona opera, ac proinde meruit auxilia, quibus ſua merita pro hominibus offerret, & Redemptionem ipſorum hominum impetraret à Deo. Ergo meruit eos actus, ratione quorum nobis proficua erat incarnatio. Ergo cùm homo non demeruit ſubſtantiam incarnationis, ſed ne illi eſſet proficua, & Chriſtus Dominus promeritus fuerit auxilia ad opera, ratione quorum nobis profutura erat ipſa incarnatio, promeritus eſt nobis quidquid amiſeramus per peccatum. Ex hoc inferunt, Chriſtum ſatisfactionem obtuliſſe omnino æqualem, cùm nullam condonationem ſupponeret. 66.

Verùm hæc ſolutio vanè diſtinctionem illam in incarnatione Verbi prætendit ſuadere. Etenim hîc, & nunc impræſcindibilis eſt à ſubſtantia incarnationis ratio proficuitatis noſtræ, atque adeo ſi ipſa incarnatio quoad ſubſtantiam non fuit demerita à peccato Adæ, nec ipſam vt nobis proficuam demereri poterat. Aſſumptum probemus; Adam per peccatum fuit inuiſus, & inimicus Dei. Ergo demeruit incarnationem quoad ſubſtantiam. Probo conſequentiam: quia inimicus Dei demerebatur, ne Deus fieret hîc & nunc homo, ergo quia inimicus Dei demerebatur incarnationem quoad ſubſtantiam. Hæc enim nihil aliud eſt, quam Verbum vnitum humanitati. Antecedens probo. Quia inimicus 67.

Dei demerebatur, ne Deus fieret homo, vt hic & nunc illum redimeret. Ergo quia inimicus Dei demerebatur, ne Deus fieret hîc & nunc homo. Antecedens eſt doctrina ſolutionis, in qua dicitur, Adæ peccatum demeruiſſe incarnationem, vt illi proficuam, quæ maior proficuitas naturæ humanæ, quàm à peccatorum laqueis liberari, & redimi? Conſequentiam prubo, idem eſt hîc & nunc, Verbum vniri humanitati ad nos redimendum, ac Verbum hîc & nunc humanitati vniri, ergo ſi quia inimicus Dei demeruit, ne Verbum vniatur ad redimendum, etiam quia inimicus Dei, demeruit, ne Verbum humanitati vniatur. Antecedens probo: velle Deum ex vi prouidentiæ exiſtentis, Verbum humanitati vniri, eſt velle Verbum vniri humanitati ad nos redimendum. Ergo idem eſt hîc & nunc Verbum humanitati vniri, ac vniri ad nos redimendum. Antecedens præclara Sanctiſſimorum Patrum nubes irradiat. S. Athanaſius *ſermon. 3. contra Arrianos. Prior eſt indigentia noſtra quam Christi natiuitas, nam vt Verbum fieret homo* (ecce incarnationis ſubſtantiam) *nunquam prædeſtinatum fuiſſet* (ecce velle Dei) *niſi hominum neceſſitas huius rei cauſam dediſſet*, S. Irenæus *libro 5. contra hæreſes, capite 14. ſi non deberet caro ſaluari*, ecce proficuitas, *nunquam Verbum Dei caro factum fuiſſet*, ecce incarnationis ſubſtantia. Sanctus Auguſtinus *concione 2. in Pſalm. 36: Si tu homo non dimiſiſſes Deum*, ecce demeritum, *Deus non fieret pro te homo.* Ecce incarnationis ſubſtantia. Plura ſuppetebant Sanctorum Patrum munimina hanc rem comprobantia. Sed de his latè infrà. Ergo illud antecedens, velle Deum ex vi prouidentiæ exiſtentis Verbum humanitati vniri, eſt idem, ac velle illud vniri ad nos redimendum, eſt certum. Ergo demereri, ne Deus velit Verbum humanitati vniri ad nos redimendum, quod eſt demereri, ne incarnatio ſit nobis proficua, eſt demereri ex vi huius prouidentiæ exiſtentis, ne Deus velit, quòd Verbum humanitati vniatur. Quod eſt demereri incarnationem quoad ſubſtantiam. Ergo ſi per te Adæ peccatum demeritum fuit primum, cur negas demeruiſſe ſecundum? Tunc ſic: ſed Chriſtus per te non fuit promeritus incarnationis ſubſtantiam. Ergo non fuit promeritus totum id quod demeriti fuimus per peccatum. Ergo aliquam partem debiti gratis condonatam ſupponebat Chriſti ſatisfactio. Ergo hæc non fuit condigna, & adæquata ſolutio pro toto debito, quod ex peccato contraximus.

68. Aliter hanc ſolutionem impugno ratione eadem, quam contra ſe afferunt iſti Reuerendiſſimi. Adam per peccatum demeritus fuit omni actione beneuola Dei priuari. Sed incarnatio quoad ſubſtantiam proceſſit ex beneuola actione Dei erga Adamum & nos. Ergo Adamus per peccatum demeritus fuit incarnationis ſubſtantiam. Minorem probo, quia incarnatio decreta eſt ex fine hominem redimendi. Sed decretum incarnationis ex tali fine, eſt beneuolentia Dei erga hominem. Atque adeo hic per peccatum contraxit indignitatem incarnationis quoad ſubſtantiam. Ergo cum Chriſtus promeritus non fuerit incarnationem quoad ſubſtantiam, promeritus non eſt totum id, quod per peccatum amiſeramus.

Huic rationi non parum neruoſæ occurrunt Reuerendiſſimi ex doctrina quam promittunt infrà tradituros, dum ſermonem inſtituent de motiuo incarnationis. Aiuntque, incarnationem, dum prædefinita eſt ex fine Redemptionis hominum, prædefiniri potuiſſe vel ex intentione inefficaci Redemptionis vel ex intentione efficaci. Si prædefinita fuit ex intentione inefficaci Redemptionis, nullum cenſetur beneficium hominis hæc prædefinitio ex hoc motiuo ſic intento, quia prout terminata eſt ad ſubſtantiam incarnationis non debet cenſeri beneficium, quod probatum eſſe docent in illa prima ſolutione, quam huc vſque impugnauimus; neque pro vt terminata inefficaciter ad finem Redemptionis, quia non cenſetur alteri beneuolus ille, qui vult illi ſolùm inefficaciter, bonum, quod pro ſuo libito efficaciter conferre poteſt; Si verò incarnatio prædefinita fuit ex intentione efficaci Redemptionis, maximum certè beneficium hominis fuit hæc intentio, quia ex illa procedit neceſſariò electio mediorum de facto conducentium extra Chriſtum ad noſtram ſalutem. Cæterùm, aiunt iſti Reuerendiſſimi in ſua ſententia quam policentur probandam alio in loco. Chriſtus Dominus prædefinitus fuit duplici decreto efficaci, vno omnino independenti à peccato hominum; altero dependenti ab ipſo, cum hac tamen diſpoſitione, quòd per merita Chriſti vt prædefinita independenter à peccato inductus fuerit Deus ad illum iterum prædefiniendum dependenter à peccato in finem Redemptionis, & propterea quidquid beneficij accreſcit homini ex ordinatione efficaci Chriſti in eius Redemptionem, fuit ex meritis antea præuiſis in ipſo Chriſto vt prædefinito per primum decretum. Sicque euidenter componere volunt litem noſtram iuxta varia principia, quæ curſim miſcent, & latè dum de motiuo incarnationis agunt. 69.

Fateor hæc omnia in omnibus doctrinæ Sancti Thomæ, & diſcipulis obuiam ire, & plura intertexere parum veritati conſona. Quæ ſicut ipſi hîc non probant, ſed alibi relinquunt probanda, ideo ab illorum impugnatione ſuperſedeo, & dum de incarnationis motiuo ſe offerat diſcuſſio, promitto de his lariſſimum proponere examen; interim tamen recurrite ad loca Sanctorum, quæ ſuprà dedi, in quibus experiemini ſuperflua eſſe poſita illa duo efficacia decreta, quibus Chriſtus ex vi huius exiſtentis prouidentiæ prædefinitus ſit, vno independenter à peccatis, & alio, ab illis dependenter, vtpote Sancti cuncti, & innumera ſcripturæ loca referenda infrà, non alium finem præſcripſerunt voluntati diuinæ efficaci, qua ex vi 70.

huius

huius prouidentiæ exiſtentis prædefinitus eſt Chriſtus, niſi peccati remedium. Vanè ergo ponitur alia voluntas diuina & efficax iſtam antecedens, qua efficaciter ſit prædefinitus Chriſtus propter vtilitatem ipſius. His igitur tranſeunter datis, aliam ſequuntur ſolutionem, ſicque rem compoſitam tradunt. Decreuit Deus incarnationem ex intentione inefficaci Redemptionis hominis (ponamus, aiunt ipſi decretam non fuiſſe aliter, niſi ex hac intentione) in hoc decreto nihil inuoluitur, quod demeruerit homo tanquam ſui beneficium, neque enim demeruit homo incarnationem quoad ſubſtantiam, vt ſupponunt, neque motiuum Redemptionis, quia cùm ex vna parte tendentia inefficax in hoc motiuum, præcisè ſecundùm ſe ſumpta, non ſit bona homini, ſi de facto non tranſeat ad ponenda media, & ex alia parte hæc intentio ratione ſui præcisè non indueat de facto Deum, ad eligenda media, fit, vt neque ratione ſui, neque ratione effectûs in ipſa contenti, poſſit eſſe hominis beneficium. Deinde videns Deus congruum valde eſſe humanitati aſſumptæ à Verbo, gratias ipſi Deo referre pro tanto beneficio, illi contulit auxilium efficax ad tales gratias reddendas, illud tamen auxilium non præſtitit Deus ex fine Redemptionis hominis, ſed ſolùm ex motiuo benefaciendi humanitati aſſumptæ, eo quòd valde conſonum rationi eſſet, vt quæ tam eximium beneficium ſuſceperat, priùs ſe gratam oſtenderet, quàm ab eo exigeret beneficia noua, hac enim de cauſa collatio talis auxilij non fuit beneficium hominis lapſi in peccatum, quia licèt ex ea maximum emolumentum ipſi homini decreuerit, nihilominus in collatione talis auxilij non conſulebat Deus vtilitati inde accreſcenti homini lapſo, ſed proſpiciebat commodo humanitatis aſſumptæ, & ideo non ſe præſtitit benefactorem hominis lapſi, ſed ſolùm humanitatis Chriſti.

71. Hoc auxilio munita humanitas Chriſti Deo reddidit gratias pro beneficio vnionis, & per has gratias promerita eſt ſibi omnia auxilia poſſibilia ad quælibet opera, atque adeo meruit ſibi auxilium ad petendam Redemptionem hominum. Prædicto merito promotus eſt Deus ad conferendum Chriſto tale auxilium ex intentione Redemptionis, & ideo hoc auxilium fuit primum hominis beneficium, quod illi accreuit ex incarnatione. Cùm autem Chriſtus per ſua merita obtinuerit tale auxilium, ac reliqua bona conducentia in poſterum ad Redemptionem, fit, vt cauſa fuerit omnium beneficiorum, quæ homo à emeritus eſt per peccatum. Huc vſque RR.

72. Hæc verbo ad verbum tranſtuli ex aſſertis RR. ne aliquid eorum omittens minùs clarè eorum ſententiam proponerem, ſicque aperto pectore apertum martem ſubiiciamus. Fateor hanc rem nullo modo poſſe componi, niſi exactum ſermonem de motiuo incarnationis, & de voluntate, qua ſit volita, ſermo inſtituatur. Illum tamen nunc inſerere, eſt filum inſtituti præſentis præcidere; quare omiſſis aliis vtpote ad illum locum ſpectantibus, ſic hanc ſolutionem breuiter ex ibi dicendis impugno. Per te incarnatio eſt volita hic & nunc à Deo ex intentione inefficaci Redemptionis hominis. Sed Adam per peccatum demeruit, ne Deus haberet hanc voluntatem, & ex alia parte Chriſtus non promeruit, vt illam haberet Deus. Ergo aliquid demeritus eſt Adam cuius contrarium non fuit promeritus Chriſtus. Minor quoad ſecundam partem, eſt doctrina RR. quoad primam probo. Adam per peccatum demeritus eſt, ne Deus haberet voluntatem erga ipſum beneuolam, quæ eſſet eius beneficium. Sed voluntas illa inefficax, qua voluit Deus incarnationem ex motiuo Redemptionis hominis, eſt voluntas beneuola Dei erga hominem hîc & nunc, & maximum hominis beneficium. Ergo Adam per peccatum demeruit, ne Deus talem voluntatem inefficacem ex tali motiuo haberet. Maior eſt certa apud ipſos. Minorem probo. Voluntas efficax Dei, qua voluit dare auxilium Chriſto, quo gratias Deo redderet pro beneficio vnionis, eſt voluntas beneuola Dei erga hominem & maximum beneficium. Ergo voluntas inefficax, qua voluit Deus incarnationem ex fine redimendi hominem, eſt voluntas beneuola Dei erga illum, & maximum illius beneficium. Antecedens probo. Illa voluntas conferendi Chriſto auxilium efficax, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, ortum habuit ex fine benefaciendi homini lapſo. Ergo talis voluntas efficax fuit maximum beneficium hominis lapſi. Antecedens probo, per te ex tali collatione auxilij, maximum emolumentum ipſi homini accreſcebat. Ergo Deus volens efficaciter tale auxilium conferre Chriſto, promotus fuit ex fine benefaciendi homini lapſo. Antecedens eſt doctrina RR. vide ſolutionem.

73. Reſpondebis, fatendo ex tali auxilij collatione, maximum accreſci homini lapſo beneficium; verùm talem collationem non eſſe volitam ex fine benefaciendi homini lapſo, ſed ſolùm ex fine benefaciendi humanitati aſſumptæ, atque adeo in tali collatione non conſulebat Deus vtilitati inde accreſcenti homini lapſo, ſed proſpiciebat commodo, & vtilitati humanitatis aſſumptæ.

74. Sed hæc ſolutio, diuinatio potiùs quàm veritatis aſſecutio cuique videbitur, quod facile ex infrà dicendis aperiam; licèt breuiter. Hæc voluntas auxilium conferendi Chriſto, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, fuit ſimul voluntas homini benefaciendi. Ergo talis voluntas fuit habita ex fine homini benefaciendi. Antecedens probo, ex RR. doctrina, in collatione talis auxilij Chriſto facta, maximum emolumentum, & beneficium accreuit hîc & nunc homini lapſo, vt patet expreſsè ex ſolutione adhibita, vtpotè talis auxilij collatio fuit cauſa actionis gratiarum, quas rependit Chriſtus Deo pro beneficio vnio-

nis, & ratione actûs gratiarum contulit Deus Chriſto omnia alia auxilia, quæ deſiderabantur ad actus noſtræ ſalutis. Ergo voluntas conferendi Chriſto auxilium, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, fuit ſimul voluntas benefaciendi homini lapſo. Conſequentiam iudico certam, quotieſcumque obiectum volitum eſt bonum, & reipſa cedit in vtilitatem alterius, voluntas, qua quis tale obiectum alteri vult, eſt voluntas alteri benefaciendi; ſicut voluntas, qua alteri eſt volitum obiectum, quod illi eſt malum, & in eius ruinam vergit, eſt voluntas malefaciendi illi. Sed collatio auxilij Chriſto facta, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, eſt bonum, & maximum emolumentum homini lapſo. Ergo voluntas Dei, qua volita eſt Chriſto talis auxilij collatio ad ſimiles gratias referendas, eſt voluntas benefaciendi homini lapſo. Maior ſeipſam commendat; etenim non alia ratione voluntas conferendi Chriſto tale auxilium, eſt voluntas benefaciendi humanitati Chriſti, niſi quia tale auxilium erat illi bonum, ad reddendas gratias Deo pro beneficio vnionis, quæ actiones gratiarum maximè humanitatem decebant, eò quòd valde conſonum rationi eſſet, (eorum vtor verbis) vt quæ tam eximium ſuſceperat beneficium, ſe Deo gratam oſtenderet enixè. Ergo hæc eſt vera, quoties obiectum volitum eſt bonum, & reipſa cedit in vtilitatem alterius, voluntas, qua quis tale obiectum alteri vult, eſt voluntas alteri benefaciendi. Nunc minorem non probo quia à RR. approbatam. Ex quibus certò conſequentia infertur.

75. Aliter hunc diſcurſum inſtauro. Et ſuppono libenter, voluntatem conferendi auxilium Chriſto, ad reddendas Deo gratias pro beneficio vnionis, eſſe voluntatem benefaciendi humanitati aſſumptæ; cæterùm prætendo probare, hanc eamdem voluntatem tale auxilium conferendi Chriſto, eſſe voluntatem benefaciendi homini lapſo. Ideo per te voluntas talis collationis auxilij factæ Chriſto, eſt voluntas benefaciendi illi, quia auxilium collatum cedebat in vtilitatem humanitatis Chriſti. Sed hoc ipſum auxilium cedebat in vtilitatem hominis lapſi. Ergo illa eadem voluntas, qua volitum eſt auxilium Chriſto, & fuit illius benefactiua, etiam fuit benefactiua hominis lapſi. Minorem concedunt RR. in ſua ſolutione, ſed libet eius probationem validare. Verba eorum afferam, *hoc auxilio munita humanitas, Deo reddidit gratias pro beneficio vnionis, & per actus gratiarum promerita eſt ſibi auxilia omnia poſſibilia, ad quæcunque opera pia, atque adeo meruit ſibi auxilium, ad petendam Redemptionem hominum, prædicto merito promotus eſt Deus, ad conferendum tale auxilium Chriſto, ex intentione Redemptionis.* Ergo omnia auxilia & cuncta bona opera Chriſti, quæ operatura erant Redemptionem hominis lapſi, ortum habebant, tanquam ex merito, ex actione gratiarum, quas Chriſtus Patri rependit pro beneficio vnionis. Sed meritum hoc gratiarum actionis, ortum habebat ex collatione auxilij à Deo præſtiti. Ergo hæc collatio auxilij Chriſto facta, vt redderet actiones gratiarum pro beneficio vnionis, fuit maximum beneficium homini lapſo. Ergo voluntas illud auxilium conferendi Chriſto, fuit voluntas benefaciendi homini lapſo. Vtramque conſequentiam ſimul probo. Hoc auxilium per te erat radix, & principium omnium auxiliorum, & piorum operum, quæ in poſterum erant ſalutem hominis lapſi operatura, atque adeo erat fons omnium beneficiorum, quibus ſubueniendum erat humanæ naturæ, quia in iſtorum ſententia, tale auxilium fuit principium actionis gratiarum, quibus illa omnia fuit promeritus Chriſtus, & quibus promotus fuit Deus ad illa cuncta Chriſto conferenda poſtea. Ergo cùm Deus ante collationem talis auxilij cognoſceret, quòd ſi illud decernat, mouebitur poſtea vi illius ad ponenda omnia alia media, quæ interſunt ſaluti hominis lapſi, dum ſe determinat Deus ad conferendum tale auxilium, virtualiter ſe determinat ad alia media in poſterum ſucceſſura; atque adeo in ipſa collatione auxilij, dat reliqua media, quæ ſunt formaliter beneficia, in ſententia RR. erga hominem lapſum. Conſequentia eſt certa. Quando Deus ex præuiſione boni operis futuri à voluntate, vi alicuius auxilij, ſi detur, dat ipſum auxilium, dicitur in ſententia RR. dare tale opus in ipſa datione auxilij. Ergo dum Deus ex præuiſione meritorum futurorum, vi collationis auxilij huius Chriſto factæ, ſi detur, ad ſalutem hominis lapſi ſpectantium, vult hoc auxilium conferre, dicetur dare, in hac auxilij collatione, beneficia omnia futura, quæ hominis lapſi ſaluti interſunt. Sed eo ipſo quòd quis dat alteri in cauſa beneficium aliquod, dicitur benefacere illi per ipſam poſitionem cauſæ, teſte Auguſtino frequenter proferente, Deum dum gratis nobis auxilia efficacia confert in bona opera, gratis etiam eadem bona opera conferre. Ergo dum Deus efficaciter vult collationem huius auxilij Chriſto, continentis virtualiter omnia beneficia, quæ homini lapſo interſunt, intendit efficaciter homini lapſo benefacere. Ergo tam auxilium, quàm voluntas illud Chriſto conferendi, vt gratias rependeret Deo pro beneficio vnionis, eſt voluntas tam benefaciendi humanitati aſſumptæ, quàm homini lapſo. Tunc ſic; ſed Adam per peccatum, indignum ſe præbuit omni actione beneuola Dei erga ipſum. Ergo demeritus eſt, ne Deus haberet voluntatem conferendi auxilium Chriſto, ad reddendas Deo gratiarum actiones pro beneficio vnionis, cùm probatum ſit voluntatem, hanc eſſe beneuolam erga hominem lapſum. Tunc vltra, ſed in ſententia RR. Chriſtus non promeruit, vt Deus haberet voluntatem hanc efficacem conferendi illi auxilium ad reddendas gratias Deo pro beneficio vnionis. Ergo non tantùm promeruit Chriſtus, quantùm homo lapſus demerebatur per peccatum. Ergo ſatisfactio Chriſti aliquam partem debiti ſupponebat gratis condonatam. Ergo non fuit adæquata pro toto debito, quod per peccatum contraximus. Patet conſequentia *ex hoc dicto* 5. Vaſquij aſſerentis, ideo hominem purum non poſſe ſatisfacere adæquatè pro peccato proprio lethali, quia eius ſatisfactio ſupponere debet gratis condonatam aliquam partem debiti, quod per peccatum contraximus, ſed probatum eſt hoc ipſum de ſatisfactione Chriſti. Ergo ex dicto hoc Vaſquij, ſequitur vnum è duobus, vel Chriſtum adæquatè non ſatisfeciſſe pro culpa; vel ſi non obſtantè remiſſione alicuius partis debiti, quam

ſupponere

ſupponere probauimus, ſatisfactio Chriſti fuit adæquata, hac eadem remiſſione non obſtante, poterit homo adæquatè pro ſua culpa, & condignè ſatisfacere.

76. Sed adhuc poteſt occuri ex ſolutione RR. aliud eſſe, auxilium illud Chriſto collatum, ad reddendum gratias Deo, eſſe bonum homini lapſo, & aliud, tale auxilium eſſe illi beneficium. Ad illud ſufficit, quòd quomodocunque ſit homini lapſo vtile. Ad hoc deſideratur, vt præter vtilitatem, quam ſecum illi affert, ortum habeat ex voluntate homini lapſo benefaciendi. Cumque licèt talis auxilij collatio Chriſto Domino facta, fuerit homini lapſo vtilis, tamen ortum non habuerit à voluntate diuina ex intentione illi benefaciendi, fit, quòd talis auxilij collatio, etſi aliàs homini lapſo bona, nullo modo extiterit beneficium illius, etenim auxilium illud collatum fuit Chriſto, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, ex intentione ſola benefaciendi humanitati Chriſti.

77. Sed hæc ſolutio tota eſt diuinatio, imo & vana Imprimis fateris in hac ſolutione. Deum in primo ſigno voluiſſe incarnationem, ſaltem ineſficaciter ex fine redimendi hominem. Poſtea aſſeris. Chriſto collatum eſſe auxilium, ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis. Et rurſum Chriſtum reipſa tales gratias dediſſe Deo, & illis meruiſſe apud ipſum omnia alia media, quę ſucceſſu temporis erant Redemptionem hominis lapſi operatura, necnon de facto, ratione talium gratiarum motum fuiſſe Deum, ad conferendum talia media, quæ homini lapſo erant valde profutura. Ergo præuidit Deus ante collationem auxilij, quo gratias Deo reddidit, & omnia media Redemptionis promeruit, quòd ſi illud daret Chriſto, gratias Deo repenſurum fore, & media Redemptionis promeriturum. Ergo quando hic & nunc in ſtatu abſoluto tale auxilium efficax, ad reddendum gratias Deo, contulit, illud præſtitit ex intentione homini benefaciendi. Probo conſequentiam, tum quia optimum argumentum, ad ſcrutandam intentionem voluntatis diuinæ in collatione alicuius auxilij, cuius poſitio dicitur infallibilis alicuius operis executio, eſt ipſa operis exiſtentia, & omne illud, ad quod eſſentialiter ordinatur, & eſſentialiter à parte rei connectitur: etenim cùm cognoſcamus Deum ante collationem auxilij præuidere tale opus eſſe exequendum, ſi dictum auxilium ponatur, dum videmus Deum tale auxilium conferre, cuius poſitio eſt prædicti operis executio, colligimus, Deum tale auxilium conferentem, intendiſſe exiſtentiam talis operis, & omnium eorum, ad quæ eſſentialiter ordinatur, & cum quibus reipſa à parte rei eſſentialiter connectitur. Tum etiam quia in ſcrutandis diuinæ voluntatis intentionibus, decet Theologum æmulari chariſmata meliora, ſcilicet SS. PP. & ſacræ Scripturæ placita, ſicque humilis ſcrutator, & non diuinator teſte Auguſtino euadet, cùmque SS. PP. & ſacræ Scripturæ aſſerta expreſsè profiteantur, Chriſtum fuiſſe productum ex fine nos redimendi, & ipſum ex vi huius præſentis decreti, minime venturum, niſi teſte Auguſtino noſtra neceſſitas præceſſiſſet. Fit eius productionem, & omnia alia ipſi collata ortum habuiſſe ex intentione homini lapſo benefaciua, ad quid recurſuri ſumus ad alias intentiones impingendas Deo, cùm iam præfixas è SS. PP. ore poſſideamus. Ergo collatio illa auxilij Chriſto facta, vt redderet gratias Deo pro beneficio vnionis, tam bona fuit homini lapſo, vt iure, beneficij proprietatem mereatur. Sed de his infrà latiùs.

RR. alij complutenſes aliâ viâ incedunt, vt vim replicæ extenuent, diſtinguunt in decreto incarnationis duplicem tendentiam, in ſubſtantiam, vnam, & in motiuum, aliam, id eſt in finem Redemptionis hominis, quæ eſt motiuum illius decreti, hoc aiunt, deperdi per peccatum, quia eſt beneficium hominis, incarnationem dirigere in eius Redemptionem, non tamen demereri decretum incarnationis quoad ſubſtantiam, quia cùm hæc ſine tali motiuo non eſſet hominis beneficium, cadere non poterat ſub demeritum peccati. 78.

Inſuper dicunt, Chriſtum non meruiſſe decretum incarnationis quoad ſubſtantiam, quia hoc decretum ſecundùm hanc rationem erat eſſentialiter præ requiſitum ad ipſam incarnationem, atque adeo ad opera meritoria Chriſti Domini; id enim quod eſſentialiter ſupponitur ad meritum, nullo modo impetrari poteſt per ipſum meritum; verùm cum hoc componunt, Chriſtum meruiſſe merito ſolutiuo motiuum talis decreti, quia cùm hoc determinatum motiuum, non ſupponatur per ſe ad incarnationem, fieri poteſt quod in ſpe gratiarum actionum Chriſti, Deus eligat hoc motiuum præ aliis; atque adeo per actionem gratiarum poſtea futuram, ſolutionem offertet Chriſtus pro beneficio homini præſtito, ex eo quòd incarnatio in hunc finem fuerit directa. Ex his exiſtimant rem totam eſſe compoſitam, quia idipſum, quod homo demeruerat per peccatum in decreto incarnationis, nempe motiuum, quod erat beneficium erga ipſum hominem, promeritus eſt Chriſtus; atque adeo perfectam ſatiſfactionem obtulit pro peccato. 79.

Non pauca inuoluit ſolutio hæc, quorum examen latam petebat papyrum; ſed non immorabor in eorum expenſione, ne in re, quam latè alij recentiores impugnant, figamus pedem, & præpediti, alia, quæ reſtant maioris momenti, peragere nequeamus. Sufficiat vnum vel alterum in medium proponere, vt huiuſmodi ſolutio inſufficientia noterur. Imprimis hæc diſtinrio tendentiarum in decreto incarnationis, quarum vna feratur in motiuum, alia incarnationis ſubſtantiam pertingat, videtur ſubtilitati ſolùm inniti, eo fine inuentæ, vt vim argumenti propoſiti, verborum apparatu, quis eludere poſſit. Verùm in hanc ſolutionem communi apud RR. impetu ago. Et data poſſibilitate huius meriti ſolutiui, quod vniuerſa ſchola deſpicit, tamquam nouiter inuentum, ad confundendas varias Theologiæ difficultates: & omiſſo, incarnationem quoad ſubſtantiam, non fuiſſe demeritam per peccatum, quod eſſe falſum, oſtendimus ſuprà, & latiùs infrà, ſic argumentor contra illam partem ſolutionis, in qua docetur, Chriſtum meruiſſe per modum meriti ſolutiui motiuum decreti incarnationis, non verò ipſum decretum incarnationis quoad ſubſtantiam: id promeruit Chriſtus, quod per peccatum Adam

demeruit. Sed iſte demeruit non ſolùm motiuum decreti incarnationis, ſed decretum incarnationis quoad ſubſtantiam. Ergo vtramque tendentiam promeruit Chriſtus. Maior eſt doctrina Theologorum. Minorem probo. Adam demeruit tendentiam illam in motiuum per te, quia talis tendentia in motiuum, vtpote in Redemptionem, erat beneficium hominis lapſi. Sed tendentia in motiuum Redemptionis non erat beneficium, niſi vt coniuncta cum alia tendentia, vel vt idemtificata cum decreto incarnationis quoad ſubſtantiam. Ergo Adam per peccatum demeruit, non ſolùm motiuum decreti, ſed decretum incarnationis quoad ſubſtantiam. Maior ſeipſam explicat, quia per peccatum Adam factus fuit Dei inimicus, inimicus contrahit dignitatem carendi omni beneficio à perſona offenſa præſtabili; Minor æquè eſt certa, quia eatenus tendentia in motiuum non poteſt benefacere homini lapſo, niſi quatenus reipſa, & in executione, inſeruire poteſt fini redimendi hominem lapſum. Sed talis tendentia in motiuum Redemptionis, non poteſt inſeruire reipſa fini hominem lapſum redimendi, niſi vt idemtificata cum decreto incarnationis quoad ſubſtantiam. Ergo in tantùm tendentia in motiuum Redemptionis, eſt beneficium hominis lapſi, in quantùm idemtificatur cum decreto incarnationis quoad ſubſtantiam. Minor patet, in tantùm tendentia illa in motiuum Redemptionis, inſeruire poteſt reipſa fini Redemptionis, in quantùm reipſa cum Chriſto coniungitur. Sed talis tendentia in motiuum Redemptionis, reipſa nequit cùm Chriſto coniungi, niſi vt idemtificata cum decreto incarnationis quoad ſubſtantiam. Ergo talis tendentia in motiuum Redemptionis, reipſa inſeruire nequit fini Redemptionis, niſi vt idemtificata cum decreto incarnationis quoad ſubſtantiam. Maior eſt de fide: deme Chriſtum in rerum natura, & vnicum noſtrum Redemptorem auferes, & totus Redemptionis finis euaneſcet. Minor eſt euidens. Quia decretum incarnationis quoad ſubſtantiam, fuit ratio vnica, à qua Chriſtus habuit ortum. Conſequentia optimè infertur. Tunc ſic, ergo Adam per peccatum vtramque tendentiam demeruit, tendentiam ſcilicèt in motiuum Redemptionis, & tendentiam in decretum incarnationis quoad ſubſtantiam, cùm vna ſine alia beneficium hominis lapſi non ſit. Ergo cùm Chriſtus ſit promeritus totum quod demeruit Adam, ſit, vtramque tendentiam Chriſtum promeruiſſe. Falsò ergo RR. iſti admittentes, Chriſtum promeruiſſe tendentiam in motiuum Redemptionis, negant alteram tendentiam in decretum incarnationis quoad ſubſtantiam promeruiſſe.

80. Reſpondent RR. non implicare quòd idipſum quod realiter verificatur de vno voluntatis actu, vt tendente in vnum obiectum, non verificetur de eodem actu voluntatis, vt tendente in aliud obiectum, quod hac inſtantia explicant, Chriſtus Dominus ratione præcepti moriendi, erat determinatus ad habendum actum voluntatis, quò mortem acceptaret, & liber ad habendum talem actum voluntatis, ex hoc aut illo motiuo. Ergo ſicut idemmet actus voluntatis, provt tendens in mortem, eſt neceſſarius, & provt tendens in motiuum eſt liber, ita poterit dari demeritum circa decretum incarnationis, provt tendens in motiuum Redemptionis, quin ſit demeritum pro decreto, vt tendente in ipſum decretum incarnationis quoad ſubſtantiam.

Sed contra, nam hæc ſolutio non tangit vim argumenti; hoc enim in id vires direxit, quòd implicet Adamum demereri tendentiam in motiuum, quin ſimul demereatur tendentiam in decretum incarnationis quoad ſubſtantiam, ea præciſa ratione, quòd tale demeritum debet eſſe in ordine ad id, quod habet rationem beneficij reſpectu hominis lapſi, & cùm tendentia in motiuum Redemptionis non ſit beneficium hominis lapſi, niſi vt coniuncta cum tendentia decreti incarnationis quoad ſubſtantiam, ſit, quòd Adamus demerens tendentiam in motiuum Redemptionis, debeat demereri tendentiam aliam decreti incarnationis quoad ſubſtantiam. Hoc enim argumentum non fidit, in implicatione verificandi vnum prædicatum de vno actu voluntatis, vt tendente in vnum obiectum, & negandi idem prædicatum de eodem actu voluntatis, vt in aliud obiectum tendente; hoc enim licèt aliquas patiatur exceptiones, tamen ab eius veritate vel falſitate, finis argumenti præſcindit. Ergo ſolutio hæc rem non tetigit. 81.

Nec ſuffragatur illi exemplum allatum; imo refragatur, vt bene aduertunt RR. Etenim in ſententia authorum, cum quibus decerto, quia acceptatio mortis ex hoc motiuo fuit Chriſto libera, fuit Chriſto libera tota ſubſtantia acceptationis, lege quæ ex talibus RR. damus *diſputatione de impeccabilitate Chriſti*. Ergo eo ipſo quòd Adamus demeruiſſet tendentiam illam in motiuum Redemptionis, eo ipſo demereri debebat decretum ipſum in ſubſtantiam incarnationis. Probo conſequentiam. Per vos eatenus fuit libera, & meritoria Chriſto tota ſubſtantia huius acceptationis mortis, quia fuit Chriſto libera tendentia in hoc motiuum, quæ eſt idem cum ſubſtantia talis actus. Ergo cùm tendentia talis decreti in Redemptionis motiuum, ſit omnino idem cum ſubſtantia talis, decreti, non poterit Adamus demereri tendentiam in motiuum Redemptionis, quin demereatur totam ſubſtantiam talis decreti. Tunc ſic, ſed eo ipſo quòd demereatur totam ſubſtantiam decreti incarnationis, demeretur ipſam incarnationem. Ergo eo ipſo, quòd demereatur vnam tendentiam in motiuum, demereri debet ipſum decretum quoad ſubſtantiam incarnationis. Tunc vltra. Sed Chriſtus non promeruit, per te, ſubſtantiam incarnationis. Ergo Adamus illam demerens, aliquid demeruit, quod non promeruit Chriſtus. Ergo Chriſtus non promeruit totum, quod nos demerebamus per peccatum. Ergo non ſoluit totum debitum, quod per peccatum contraximus. Ergo aliquam partem debiti ſupponit eius ſatisfactio, liberaliter & gratis condonatam. Ergo non fuit eius ſatisfactio adæquatè condigna, quod eſt inconueniens illatum contra quintum dictum vazquij, quod in fauorem illius RR. iſti vlcare conabantur. Et de 82.

quinto

quinto aſſerro Vazquij eſt de eius modo dicendi ſufficiat hoc.

83. Ripalda *tom. 2. de ente ſuper naturali diſp. 97. ſect.* 1. aliam rationem aſſignat, vi cuius non poſſit purus homo pro peccato proprio, ad æqualitatẽ condignè ſatisfacere, ſuamque mentem aperit, diſtinguens duplicem ſeruitutem, qua afficitur homo reſpectu Dei. Primò ingenua & nobilis, etiam amicis communis, quæ Dominio Dei ſupremo innititur, quod à ſe minimè valet abdicare, & vi cuius acquiſitum ius habet ad petendum quaſcumque actiones in ſuum obſequium, à quacunque creatura. Altera ſeruitus eſt infamis, & ignobilis, ſeruilem conditionem ſapiens, qua homo incapax redditur, vt ametur, & tanquam amicus & filius pertractetur à Deo, ſed dignus, qui tanquam vile eius mancipium habeatur ſubditus ſemper manens eius imperio; taliſque conditionis prædictam ſeruitutem eſſe, vt ſi Deus, alio titulo excellentiori non eſſet Dominus creaturæ rationalis, & omnium obſequiorum eius, cenſeretur Dominus eius, ratione ſeruitutis peccati.

84. Hanc ſeruitutem contrahere hominem per peccatum, plura commendant ſacræ paginæ loca, & SS. innumera placita, ſed quia obuia facilè cuique, omitto illa. Ex quo hanc format rationem. Deus, ratione peccati, acquirit in omnia Peccatoris obſequia poſſibilia ius, atque adeo ratione illius, fit Dominus, & peccator ſeruus, ille ad exigendum, hic verò ad reddendum; vnde ex vi talis Dominij poterit Deus peccatorem obligare ad patiendum pœnas æternas, & conſequenter ad reddendum æterna obſequia, quia ſicut iure gentium, homo captus in bello fit ſeruus alterius, qui vi talis Dominij acquiſiti, poſſit illi præcipere omnia obſequia rationi conſona, vtpote cùm capiens poſſet captum eximio vitæ bono priuare, dum illi vitam condonat, & ſeruatur captus gratiâ capientis, ideoque ſeruus, ſeu à morte ſeruatus, appellatur, teſte Iuſtiniano *§. ius autem inſtit. de iure naturali.* Quis dubitauit prædictum Dominum poſſe præcipere omnia obſequia poſſibilia ſeruo, quem interficere noluit. Ergo Deus potiori titulo & iure, poterit commutare in obſequia æterna cruciatus æternos, & mortem æternam animæ. Sed pura creatura non poteſt ſatisfacere ad æqualitatem iuri diuino, in ſeruitutem ipſius acquiſito ratione offenſæ. Ergo pura creatura non poteſt ſatisfacere ad æqualitatem pro culpa graui, per vlla obſequia à ſe præſtita, vel in æternum præſtanda. Minor probatur. Nam nullum eſt obſequium, vltra quod non poſſit Deus aliud & aliud exigere ratione offenſæ, ſiquidem titulo ſeruitutis habet Deus ius in omnia, quæ exhibere poteſt. Sed non eſt æquale iuri obſequium, quod extinguit ius ad exigendum alia, ſicut ſi quis debet centum, & decem ſoluat, non extinguit ius ad centum, cùm vltra 10. exhibita, maneat ius apud creditorem ad alia 90. Ergo cùm Deus habeat ius ratione offenſæ in omnia Peccatoris obſequia, etiam duratione æterna, & intenſione cincategorematicè infinita, non fiet ei æqualis ſatisfactio, dum non exhibentur omnia, quin aliud reſtet poſſibile, quod iure poſſet exigere. Sed hoc eſt impoſſibile. Ergo & impoſſibilis ſatisfactio, æqualis iuri diuino in ſeruitutem ratione offenſæ acquiſito.

86. Sed hæc ratio, eidem, ſicut præcedentes, eſt difficultati obnoxia; ex illa ſequitur vnum è duobus, vel Chriſtum adæquatè pro offenſa non exhibuiſſe ſatisfactionem, vel ſi illam præſtitiſſe dicatur, etiam poſſe illam exhibere hominem purum pro culpa propria. Quod vt aperiam, noto. Dominium illud ſupremum, quod Deo competit, quia creatori, & rerum omnium opifici, Primæque cauſæ, non minùs ius dare Deo in omnes creaturas, earumque operationes, & obſequia, ac dat Deo dominium, quod acquirit, in creaturam rationalem, ratione ſeruitutis peccati. Hoc enim eſt cuique compertum, & ex terminis ipſis conſtat. Ideoque in re communiſſima non eſt immorandum. Ergo Deus habet Dominium in omnia Chriſti opera. Ergo habet ius ad exigendum ab illo omnia obſequia poſſibilia. Ergo quolibet ab illo oblato, alia & alia exigere poterat iuſto titulo. Ergo ſatisfactio Chriſti (cùm aliàs eſſet debita Deo ex vi iuris ſupremi dominij) non poterat eſſe condigna, & ad æqualitatem, vel ſi non obſtante tali debito fuit condigna ſatisfactio, ſimiliter erit condigna ſatisfactio, quam pro ſua culpa præſtaret homo, quamuis tale obſequium ſit aliàs debitum Deo iure dominij in ſeruitutem, quam contraxit homo ratione offenſæ.

87. Nec refert, ſi reſpondeas, licèt Deus habeat Dominium proprietatis ſupremum in omnes Chriſti actiones, non obſtare condignitati ſatisfactionis illarum, quia Deus eas non exigit à Chriſto, tanquam Dominus ſupremus. Non inquam refert, quia ſimiliter poterit quis dicere, Deum non exigere actiones, & obſequia puri hominis, quamuis illa poſſet Deus, ſi vellet, exigere ratione Dominij in ſeruitutem, quam homo ratione offenſæ contraxerat. Vnde ſicut Deo non exigente à Chriſto actiones ſibi debitas, ratione Dominij proprietatis, aliqualem remiſſionem illi facit, ita non petente Deo actiones puri hominis, titulo Dominij ſpecialis in ſeruitutem, aliquam illi facit remiſſionem. Ergo ſicut non obſtante remiſſione illa, conceſſa Chriſto, Chriſtus ſatisfecit pro culpis adæquatè, & condignè, ita non obſtante remiſſione eadem homini facta, eius ſatisfactio pro culpa propria, erit adæquata & condigna. Probo conſequentiam: quia ideo talis remiſſio condignitati ſatisfactionis Chriſti non obeſt, quia talis remiſſio non diminuit æqualitatem valoris operum eius cum grauitate offenſæ. Sed talis remiſſio in non exigendis operibus à peccatore iure Dominij per peccatum non diminuit æqualitatem operum hominis puri cum grauitate offenſæ, cùm hæc in ſententia recentioris non ſit infinita. Ergo neque oberit condignitati talium operum ad ſatisfactionem perfectam pro offenſa propria. Fateor, hanc remiſſionem in non exigendis operibus ab homine peccatore, titulo iuris acquiſiti per peccatum, obeſſe modo perfecto ſatisfactionis, tamen nullo modo impedituram rationem perfectæ ſatisfactionis quoad rem oblatam, etiam ſuppoſita tali remiſſione, vel ſi impedit hîc, & Chriſti ſatisfactionem impediet, cùm hæc etiam ſupponat hanc eamdem remiſſionem ex parte

Dei, cùm eius opera, & obſequia, quæ aliàs à Chriſto, titulo iuris quod ſibi acquiſiuit in illa ratione ſupremi Domini, exigere poterat, hic & nunc nôn exegerit.

Sectio IV.

Ratio ſequenda pro impoſſibilitate ſatiſfactionis hominis puri.

88. Ratio hæc concluſionis procedit in bypotheſi hac, quòd contritio formaliter peccatum (quod licèt ſit falſum iuxta Diui Thomæ placita *tractatu de iuſtificatione* ſupponimus nunc eſſe verum) expellat per modum formæ incompoſſibilis cum illo & ſanctificantis animam; nec non etiam in hypotheſi, quòd offenſa non ſit infinita, adhuc exiſtimamus hominem purum non poſſe pro peccato proprio adæquatè, & condignè ſatisfacere: Rationem hanc, quam ſubiicio, tradût Recentiores quidam, qui etſi exteri, illam colligere conantur ex principiis D. Th. quæ poſtea ponderabo. Hurtadus, Puente *diſp.* 10. *de incarnatione* §. 15. Alter Hurtadus *diſp.* 1. *de incarn. difficultate* 10. *num.* 55. & ante illos Raguſa *diſp.* 5. §. 3. *verſ.* 3 Ratio ergo huius bypotheticæ concluſionis ſic procedit. Data hypotheſi, quòd contritio eſſet forma ſanctificans, & expellens peccatum, & quod peccatum non ſit infinitum in ratione offenſæ, adhuc deficit contritioni requiſitum neceſſarium, vt ſit ſatisfactio. Ergo &c. antecedens probo, etiam data illa hypotheſi deficit contritioni hoc, quod eſt depellere peccatum ex æſtimatione morali. Sed peccatum depellere ex morali æſtimatione eſt requiſitum neceſſarium ad ſatisfactionem. Ergo etiam datà illa hypotheſi, contritioni deficit requiſitum neceſſarium, vt ſit ſatisfactio. Hic ſyllogiſmus totam vim rationis fundamentalis præhabet. Eius propoſitiones percurramus. Maiorem probo, præterquam quòd à Vaſquio conceditur, vt ſtatim oſtendam. Etenim contritionem depellere peccatum conuenit independenter à libertate, qua hîc & nunc elicitur, atque adeo libertas illius ad expulſionem peccati non conducit. Sed vbi non intercedit libertas, totà ratio æſtimationis moralis apud homines & Deum perit. Ergo etiam data illa hypotheſi, contritioni deficit hoc, quod eſt depellere peccatum ex æſtimatione morali. Maiorem docent Vaſquez & ſui, qui omnes aſſerunt, taliter contritioni conuenire expulſionem peccati, quatenus eſt forma ſanctificans, vt ſi neceſſariò, & nullo modo liberè ab homine peccatore procederet, eius peccatum expelleret. Ergo libertas, qua hic & nunc contritio elicitur à voluntate, ad peccati expulſionem minimè conducet. Nunc minorem Primi ſyllogiſmi, videlicet peccatum depellere ex morali eſtimatione eſt requiſitum neceſſarium ad ſatisfactionem, probo. Ex definitione ſatisfactionis, quæ apud omnes nihil aliud eſt, quàm æquiualens compenſatio offenſæ. Sed vt æquiualens dicit valorem, vt dicit valorem, eſſentialiter æſtimabilitatem inuoluit. Ergo ſatisfactio pro peccato petit tanquam indiſpenſabile requiſitum, illud depellere ex morali æſtimatione Nunc conſequentiam primi ſyllogiſmi quilibet inferet.

89. Verùm vt ſyllogiſmus ille ſine obice procedat, illam minorem vlterius confirmo. Finge tibi peccatori hic & nunc dormienti. infudiſſe Deum habitualem gratiam, quaque formaliter depelleretur à te peccatum. Hoc in caſu non diceris pro tuo peccato ſatisfeciſſe, quamuis mediâ gratiâ in te recepta, peccatum, quo maculabaris, depellebatur. & hoc verum non alia ratione, niſi quia talis expulſio peccati non contingit tibi ex morali æſtimatione. Ergo ſatisfactio non eſt ſolùm contenta cum peccati expulſione, ſed petit tanquam ſibi requiſitum, peccati expulſionem cum morali æſtimatione.

90. Reſpondebis eſſe diſparem rationem inter gratiam dormienti datam, & contritionem peccatoris. Quòd per illam, quamuis aliàs peccatum depellentem, ſatisfacere non poſſit homo, cum ab illo minimè, ſed à Deo procedere dicatur; at verò contritio in genere efficientis ab homine peccatore oritur; atque adeo cùm per illam peccatum expellatur, per illam pro peccato ſatisfacere dicetur.

91. Si enim propter hanc diſparitatem non ſit hoc exemplo ſufficienter illa minor oſtenſa, alio vtat, quod in omnibus contritioni æquiparetur, & tamen illi ſatisfactionis conceptus non competat. Suppone ſententiam probabilem plurimum docentium, viſionem beatam eſſe formam ſanctificantem, & peccati ex natura ſua expulſiuam, eſſe veram, & quod hic & nunc eam homini exiſtenti in peccato conferret. In hoc caſu omnia, qua contritioni conueniunt, in viſione beata reperiuntur. Etenim ſicut illa, procederet efficienter ab intellectu Peccatoris viſio, & eſſet forma ſanctificans, & de facto peccatum ex natura rei expelleret. Et tamen prædicta viſio non eſſet ſatisfactio pro illa culpa, non alia ratione, niſi quia licèt procederet ab homine illo & peccatum expelleret, talis expulſio non contingeret ex æſtimatione morali. Ergo hoc, quod eſt hominem producere aliquod expellens peccatum, non ſufficit ad ſatisfaciendum pro illo.

92. Sed reſpondebis adhuc diſparitatem inueniri inter viſionem beatam & contritionis actum, quamuis horum quodlibet forma ſanctificans ſit & peccatum expellens, quòd viſio beata ex ſe, & ex natura ſua, libertate caret, ſecus tamen contritio, quæ connaturaliùs cum libertate ſit; atque adeo licèt viſioni beatæ eſſe formam expellentem peccatum conueniret, repugnaret tamen eſſe pro illo ſatisfactionem. Sed contrà. Etenim contritionem hîc & nunc liberè procedere à peccatore, ſecus tamen viſionem beatam, non ſufficit, vt contritio ſit pro peccato ſatisfactio: quia libertas, quæ in actu contritionis hîc & nunc relucet, minimè per ſe conducit ad expulſionem peccati. Ergo hîc & nunc contritionem liberè procedere à voluntate peccatoris ſecus tamen viſionem ab intellectu, nihil Iuuat, vt contritio dicatur ſatisfactio, & non beata viſio.

93. Sed reſpondebis, plurimùm conducere ad expulſionem peccati contritionem eſſe æqualem in æſtimatione morali cum peccato, ad hoc vt illam expellat, & cum ad æſtimationem moralem

ralem neceſſariò requiratur libertas, cuius contritio eſt ex natura ſua capax, ſit, quòd libertas, quæ in contritione relucet, plurimùm conferat ad expellendum peccatum, & conſequenter ad ſatisfaciendum pro illo, & cùm nulla libertas inueniatur in viſione beata ſit, illi deficere requiſitum ad ſatisfaciendum pro peccato.

94\. Sed hæc ſolutio viam parat vt ſimul & ſemel rationem à priori proponamus, vnde naſcatur libertatem non eſſe neceſſariam in contritione ad expellendum peccatum, atque adeo nō requiri eſſe æqualem, in æſtimatione morali, cum illo, vt à ſubiecto expellatur; etenim in ſententia Vaſquij, & ſuorum, cum quibus in hac hypotheſi concertamus, contritio depellit peccatum in genere cauſæ formalis, ſed vt vnum aliud expellat in genere cauſæ formalis, non requiritur eſſe æquale cum illo in perfectione phyſica, vt videre eſt in naturalibus, vbi forma valde imperfecta depellit perfectiſſimam, & è contrà; nec in morali æſtimatione, vt ſtatim probabo. Ergo tota ſolutio perit. Minorem probo. Primò ſuppone peccatum eſſe finitum in ratione offenſæ, & ſimul ſuppone ablatam eſſe vnionem ab humanitate vnita verbo, in hoc caſu, opera illius, quæ ſtante vnione hypoſtatica fuiſſent elicita, manerent cum infinito valore, etenim ad condignitatem meriti non petitur phyſica perſeuerantia formæ condignificantis, ſed ad ſummum requiritur, ipſam phyſicè informaſſe tempore, quo opus meritorium fuit productum; in hoc enim caſu peccatum ſubſequens, etiamſi eſſet malitiæ finitæ, omnia illa merita mortificaret, & depelleret. Ergo ad præciſam rationem expulſionis per modum formæ, non petitur æquiualentia æſtimabilis in linea morali, inter formam expellentem & expulſam.

95\. Secundò ſuppone peccatum eſſe infinitum, intra genus morale, vt probabilius defendunt non ignobiles Thomiſtæ, quis dubitauit illud expelli à gratia, non æquè bona, ac malum eſt peccatum? Ergo &c. Tunc ſic, ſed ad ſatisfactionem eſſentialiter requiritur æquiualentia, in æſtimatione morali, tum eo, pro quo exhibetur, & probauimus. Ergo licèt talis æqualitas in æſtimatione morali non petatur in contritione, ad depellendum peccatum, & talis moralis æſtimabilitas impertinens ſit ad prædictam expulſionem; tamen vt contritio ſibi arroget nomen, & ſatisfactionis proprietatem pro peccato, talis æqualitas in æſtimatione morali deſideratur. Ergo in hypotheſi noſtra, quòd contritio depellat peccatum, vt defendunt Vaſquez & ſui, non tamen pro illo condignè ſatisfaciet.

96\. Sed dic: ergo ſiquis liberè in ſe produceret habitualem gratiam, veram pro illo ſatisfactionem offerret. Probo conſequentiam; in hoc caſo homo ille tantum bonum offerret, quantum malum erat peccatum, etiam in æſtimatione morali? Ergo ſi in noſtra hypotheſi contritio eſt tantum bonum, quantum eſt malum peccatum, cum aliàs liberè à voluntate procedat, erit pro illo ſatisfactio æqualis in æſtimatione morali. Reſpondeo caſum antecedentis eſſe eumdem cum caſu conſequentis, & ſic eadem falſitate notandum propter rationem ſuprà datam.

97\. Sed occurres, intendens ſimul & ſemel probare veritatem vtriuſque caſus. In noſtra hypotheſi, contritio eſt forma ſanctificans peccato oppoſita, ſicut gratia habitualis. Ergo erit ſatisfactio condigna pro peccato. Probatur conſequentia; ſatisfacere nihil eſt aliud, quàm facere ſatis, taliter quòd ex vi illius, Perſona offenſa non maneat rationabiliter inuiſa. Sed qui liberè produceret gratiam, & qui hîc & nunc contritionem liberè producit, hoc totum exequitur. Ergo quilibet iſtorum condignè pro peccato ſatisfacit. Nec refert ſi minorem diſtinguas; hoc totum exequitur per compenſationem, factam opere æquiualente, ſecundùm æſtimabilitatem moralem, nego. Per poſitionem formæ incompoſſibilis cum offenſa, concedo. Non inquam refert, quia qui offerret contritionem, vel gratiam habitualem à ſe liberè productas, faceret ſatis per compenſationem factam opere, æquiualente ſecundùm æſtimabilitatem moralem. Ergo ſatisfaceret iuxta legem ſatisfactionis ſtrictè condignæ. Probo antecedens, compenſationem eſſe factam opere æquiualente, ſecundùm æſtimationem moralem iniuriæ, nihil aliud eſt, quàm quòd ille, cui opus offertur, tanti æſtimet opus illud, quanti apud ſe habet nocumentum ſibi ab iniuria illatum. Sed Deus, cui gratiam, vel contritionem à ſe productas offerret homo, tanti æſtimat illas, quanti nocumentum ſibi ab iniuria illatum. Ergo qui illas produceret, offerret compenſationem factam opere æquiualente, ſecundùm æſtimationem moralem, iniuriæ. Maior ex terminis conſtat. Minorem probo. Quia tantùm vult Deus peccatum vitari, quantùm peccatum odit. Ergo tantùm vult gratiam, ſeu contritionem ab homine liberè productas, quibus peccatum hîc & nunc vitatur, quantùm odit peccatum. Ergo Deus, cui gratiam vel contritionem à ſe productas offerret homo, tanti æſtimat illas, quanti nocumentum ſibi ab iniuria illatum. Ergo qui illas offerret, faceret ſatis per compenſationem factam opere æquiualente, ſecundùm æſtimationem moralem, iniuriæ.

98\. Reſpondeo ergo argumento, optimè me in limine occurriſſe, & vt replicę ſatisfaciam, nota. Gratiam habitualem (etiam in hypotheſi, quòd ab homine liberè produceretur) non habere tantam æſtimabilitatem moralem, quantam habet peccatum; imo ſi ex ſe conſideretur, omnis æſtimabilitatis moralis expertem prædicabis, licèt in ſe phyſicam bonitatem & maximam in illa contempleris. Ratio, quia bonitas moralis ſolis actibus voluntatis competit tanquam proprietas. Vnde ſolùm cauſaliter moralis bonitas gratiæ conueniet, quatenus ipſa cum voluntate eſt radix, & principium bonorum actuum ſupernaturalium, potens peccatum reipſa è ſubiecto depellere: Cùm igitur ad ſatisfactionem hæc moralis æſtimabilitas deſideretur, neceſſariò fiet, gratiæ deficere à ratione ſatisfactionis propriæ.

99\. Verùm quia contritioni competit, vtpotè actui voluntatis, vera & ſtricta bonitas moralis, aliter de illa diſcurſuri ſumus. Nota igitur; in contritione adhuc in hypotheſi noſtra, quòd eſſet forma ſanctificās duplicem bonitatem conſidero. Vnam phyſicam, ex vi cuius peccatum

depelle

depelleret, etiamſi abſque omni libertate produceretur. Et hęc bonitas nullo modo compenſatio peccati dicitur, ſed forma illud expellens: imo etiamſi demus hanc bonitatem eſſe excellentiorem in genere phyſico, malitiâ peccati in genere moris, adhuc non eſſet pro peccato condigna ſatisfactio. Aliam inſuper bonitatem in contritione reperio, videlicet moralem, ſimilem illi, quæ omnibus actibus virtutum competit, & hæc ſemper eſt minor peccati malitia, vt poſtea latè ſcribam, atque adeo hæc non poteſt eſſe condigna ſatisfactio.

100. Reſpondeo nunc in forma, Replicæ argumenti. Nego igitur antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens, tantùm vult Deus peccatũ vitari, quantùm peccatum odit, per laudabilitatem ſeu bonitatem moralem, quam poſitiuè mereatur hoc, quod eſt vitari peccatum, nego: propter deſtructionem malitiæ peccati; concedo. Diſtingue ſimili forma conſequens: Ergo tantùm vult gratiam & contritionis actum, quibus peccatum vitatur, quantùm odit peccatum propter laudabilitatem moralem actus cõtritionis; nego: propter malitiam peccati, concedo, eodem modo diſtingue primum conſequens, & nega abſolutè vltimam conſequentiam. Etenim actuum laudabilitas moralis, non metienda eſt iuxta menſuram magnitudinis mali, quod impediunt vel priuant. Hac de cauſa non mihi magnæ datur laudi, quod meum ſuperiorem occidere nollem, & tamen malum tali nolitioni oppoſitum, eſt maximum.

102. Sed adhuc ſcrupulus inſtat, in noſtra hypotheſi, qui gratiam, vel contritionem eliceret, licèt tantum bonum in æſtimatione morali non offerret, quantum malum eſt iniuria in genere moris, tamen, vt nuper diximus in notabili, maius bonum phyſicum proponeret, quàm ſit malum peccatum in genere moralis æſtimabilitatis. Sed hoc ſufficit, vt ille homo illa offerens, ſatisfacere condignè dicatur. Ergo ruit notabilium & ſolutionis doctrina. Probatur minor, apud moraliſtas communiter fertur, furem rem ſurreptam apud Dominum collocantem, etſi id abſque omni libertate exequatur, verè & propriè ſatisfacere. At talis ſatisfactio, cùm ſit omnis libertatis expers, omni æſtimabilitate morali deſtituitur. Ergo vt contingat ſatisfactio condigna pro peccato, ſufficiet rem æqualem vel maiorem in eſſe phyſico exhibere, quamuis in genere moralis æſtimationis ſit inferior illo, pro quo talis ſatisfactio exhibetur.

103. Vt reſpondeas, nota; apud Moraliſtas vt dedi *tractatu de reſtitutione* §.1. Valde eſſe diuerſum, extingui debitum reſtituendi, & ſatisfacere pro debito, vel illud per ſatisfactionem extinguere. Extingui debitum reſtituendi ex meritis ſuis ſolùm petit, quòd per hanc actionem inæqualitas in bonis poſſeſſis reducatur ad æqualitatem abſtrahendo ab hoc, quòd illa actio, per quam illa æqualitas ponitur, ſit vel non ſit ſatisfactio, quia poteſt eſſe illa inæqualitas ablata per actionem, quæ nullo modo ſatisfactio cenſeatur. Sit exemplum. Dominus ſuam rem apud furem inueniens, ſi illam è manibus furis violenter acciperet, debitum reſtituendi extingueret, & tamen non ſatisfaceret. Ergo extinctio debiti & reductio inæqualitatis ad æqualitatem, poteſt eſſe ſine ſatisfactione pro debito. Hac doctrina allata reſpondeo in forma, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, nego maiorem. Vt patet ex notabili, quia licèt debitor rem furto acceptam abſque libertate iterum apud verum Dominum collocans, debitum reſtituendi extinguat, tamen non ſatisfacit per illam actionem; cùm omni libertate carens, omni laudabilitate in æſtimatione morali apud Dominum orbetur.

Sed interroga, an in hypotheſi, qua contritio 104.
eſſet æquè bona, in æſtimatione morali, ac malũ eſt peccatum, poſſit eſſe condigna pro illo ſatisfactio? Nego, ratio breuis, quia non ſtat benè contritionem eſſe æquè bonam in æſtimatione morali cum peccato, & ſimul habere condignitatem requiſitam, vt ſit ſatisfactio pro illo. Hoc probo, quia vt condigna ſit, præter poſitiuam ſuæ entitatis bonitatem debet ſibi annexam habere peccati negationem. Hoc ſuadet doctrina communiter recepta apud authores docentes, non implicare peccatum cum gratia, hi enim aſſerunt, quòd qui illa ſimul haberet, eius opera non haberent condignitatem ad merendum vitam æternam, non alia ratione, niſi quia talia opera non elicerentur à gratia, vt coniuncta cum peccati negatione. Ergo negatio peccati requiritur, vt opus ſit cõdignè meritorium. Ergo vt contritio, aliàs tam bona in genere moris, quàm malum peccatum, habeat condignitatem, debet coniungi cum negatione peccati. Ergo requiſitum ſuæ condignitatis eſt peccati negatio. Ergo priùs debet intelligi cum negatione peccati, antequam intelligatur condigna. Ergo condignitas contritionis non poteſt eſſe vtilis ad hoc, vt ipſa ſit pro illo ſatisfactio. Patet conſequentia, quia iuxta dicta talis condignitas ſupponit peccatum deſtructum. Ergo condignitas contritionis non eſt vtilis, vt ſit pro peccato ſatisfactio. Probo conſequentiam; inintelligibile eſt peccati deſtructionem, poſſe ortum habere à condignitate illa, in qua, vt diximus, formaliter inuoluitur non eſſe ipſius peccati. Ergo non ſtat bene, etiam in hypotheſi, quòd contritio ſit æquè bona in æſtimatione morali cum peccato, habere condignitatem requiſitam, vt ſit pro illo ſatisfactio.

Sectio V.

Alia ratio pro impoſſibilitate ſatisfactionis puri hominis pro peccato proprio.

HÆc ratio, quam iam ſubiicio, præſtabit vi- 105.
res rationi antecedenti, quam tradit S.Th. *q.1.art.1.ad ſecundum*, illamque deſumpſerat ex Ariſtotele *5.Ethic.c.5.* & ex SS. PP. aſſertis; ex D.Anſelmo *lib.1.cur Deus homo c.21.* ex Ricardo de S.Victore *lib.de incarnatione c.8* inſinuatur etiam à Conc.Epheſino *c.7.* quos frequẽter ſequuntur RR. Suarez *diſp.4.ſect.3.* ſed ante formationem rationis huius nota, hîc non eſſe animum ita diſcurſum eius premere, vt infinitatem in peccato ſimpliciter deuincat, ab hac enim ſuperſedeo, & data hypotheſi, quòd nulla ratione

conuin

conuincatur ſimilis infinitas, an ratio nunc proponenda eam grauitatem in peccato manifeſtet, vt ſimul impoſſibilem pro eo reddat ſatisfactionem à puro homine exhibendam.

106. Ratio igitur ſic communiter cõponitur, nam iniuria, ſeu offenſa eò eſt maior, quò dignior eſt perſona offenſa, & offendens eſt vilior, ſicut ſatisfactio è contrà eò eſt minor, quò dignior eſt Perſona, cui offertur. Iſta ſunt certa vt ex Ariſtotele cuncti expoſitores Ethici deduxerunt, vt ſtatim annotabo. Cùm ergo offenſa creſcat ex maieſtate infinita Dei relatè ad vilitatem hominis peccantis, & ex alia parte, ſatisfactio debeat decreſcere ex eadẽ hominis paruitate, & ex maieſtate, Dei, cui offertur, fit, nunquam poſſe purũ hominem ſatisfacere adæquatè pro grauitate offenſæ à ſe cõmiſſæ; innititur hæc ratio authoritate Ariſtotelis, 5. *Ethic.c.5.* dicentis, *repaſſionem non ſemper retinere medium iuſtitiæ, nam ſic ait; ſi is qui Magiſtratum gerit, alium percutit, non eſt repercutiendus*: vbi rationem noſtram inſinuat, quia aliter ex dignitate Perſonę eſſet maior ſatisfactio tunc, quam offenſa vnde è contrà decernit Ariſtoteles. *At ſi quiſpiam Magiſtratum percuſſerit, non ſolùm repercutiendus eſt, verumetiam ſupplicio afficiendus.* Vbi aliam partem rationis edocet, quia ſcilicet iniuria creſcit ex offendentis vilitate, & ex eodem capite ſatisfactio decreſcere videtur.

107. Et quia ratio adhibita communiter apud omnes huic authoritati fidit, libuit calamum detinere in eius mente expendenda, conformiter ad ea, quæ ſupra idem caput in publica relectione ad cathedram moralis philoſophiæ, quam ſors liberaliter conceſſit, in ſuggeſtu dictaui. Igitur, Ariſtoteles in illo capite totus fuit in euertenda definitione iuſti, quam Ægyptij ſcripſerunt; definierunt iſti iuſtum per repaſſionem, repati enim eſt omnino ſimile pati illud, quod alteri feceris, vt eſt lex talionis moſaica lege obſeruata. Conatus fuit Ariſt. citato loco prædictam definitionem iuſti probare non eſſe conſonam. Nam repaſſio, nec ad iuſtitiam commutatiuam, nec diſtributiuam, nec ad iuſtum emendandi gratiâ accomodatur, tametſi repaſſionem Rhadamanti iuſtam eſſe dicant Ægyptij. Vbi nota Rhadamantum fuiſſe lyciæ Regem, Iouis, ac Europæ filium, æqui obſeruantiſſimum, hincque à Poëtis figmentum euaſit, apud inferos illum culpas nocentum explorare. Hucque faciunt Heſiodica carmina.

Sique quis faciat, eadem patiatur & ipſe.
Iudicium rectum fuerit vindictaque recta.

Probat igitur Ariſtoteles: nec contrapaſſi lex valet in iuſtitia diſtributiua, aut commutatiua. Nam ſi quis Magiſtratum gerit, & quempiam percuſſerit, non æquum eſt eum repercuti, ſi verò aliquis Magiſtratum gerentem pulſauerit, is non modò repulſandus eſt, verumetiam extremo ſupplicio afficiendus. Rurſum probat, ſi quis ſua ſponte aliquid commiſerit, & alter quid ſimile, inuitus tamen, perpetrauerit, non ambo debent repati ſimiliter; plurimùm enim refert, quempiam ſpontè ſua, vel inuitum quidquam committere, illic enim repaſſum manet idem ſi ſimiliter puniantur, at iuſtum non manet idem. Ergo iuſtum & contrapaſſum, vel repaſſum non ſunt idem conuertibiliter. Proterea enim legitur Deuteronomij 19. ciuitates refugij erant in terra promiſſionis pro iis, qui incidenter & calefacti occiderant, at qui odio concitati, deliberato animo interfecerant, à cornu altaris auellebantur.

Verum dubitabis, *cap.* 4. dixerat Ariſtoteles, quòd in iuſtitia commutatiua non conſiderabatur qualitas Perſonarum, vel earum diuerſa conditio, & quòd non refert, ſi prauus ſtudioſum rebus ſuis priuauit, an è contrà? Malè ergo in præſenti capite docet ad iuſtitiam ſeruandam, conditionem Perſonarum eſſe attrendendam. Reſpondeo nullo modo Ariſtotelem ſibi contrariari, quia in illo *cap.* 4. agebat Philoſophus de his, in quibus menſuratur nocumentum ſecundùm rem ſubſtractam, etenim in bonis fortunæ, idem eſt, ſi nobilis à me ſubſtraxit centum, ac ſi ſubtraxiſſet ignobilis, at verò hoc in capite, agit Philoſophus de iniuria perſonali, & tunc quantitas nocumenti conſideratur ſecundùm Perſonæ circunſtantiam. Ex his magis perſpicua manet Ariſtotelis mens, & clarè colligitur, valde conducere ad metiendam grauitatem offenſæ, recurſum ad circunſtantias Perſonæ offenſæ, & offendentis. Igitur iuxta Ariſtotelis placita accrementum ſumit offenſa ab excellentia Perſonæ offenſæ, relatæ ad vilitatem offendentis, & decrementum ſatisfactionis ex eadem vilitate Perſonæ ſatisfacientis, ad excellentiam Perſonæ, cui ſatisfactio offertur, relatæ. 108.

Ad hunc diſcurſum, Vvandignum voco; qui nouiſſimè *tractatu de incarnatione diſputat. 1. num.* 26. poſt aliâ à ſe relicta placita, vt proprium expenderet, hac ratione vſus fuit. Quò maior eſt obligatio reddendi honorem alteri, eò eſt minor valor operis honorantis in ordine ad ſatisfactionem offenſæ. Quare actiones aliàs debitæ offenſo ſeorſim ab offenſa, paruipenduntur inter homines ad ſatisfactionem offenſæ, ad quam ſolùm æſtimantur actiones illæ, quæ aliàs non debebantur exhiberi. At obligatio reddendi honorem Deo, in creatura eſt infinita, cùm ius diuinum ad eum honorem ſit infinitum; & quò magis creſcit dignitas creaturæ per gratiam habitualem, etiamſi ea infinitæ intenſionis ſit, magis creſcit obligatio reddendi Deo honorem, nam quò magis eſt filius Dei, magis debet honorare Patrem, à quo ſuum eſſe participat. Ergo actiones puræ creaturæ momenti non ſunt, ad ſatisfactionem offenſæ Dei, quamuis gratia, à qua fit, in infinitum creſcat. 109.

Dixi vocandum eſſe Vvandignum pro noſtra ratione, in eo videlicet quòd inclinatur in impoſſibilem eſſe ſatisfactionem puri hominis, impoſſibilitate orta ex calculatione decrementi ſatisfactorij, quod, vt videtur, æquè efficaciter dictant impoſſibilitatem deuincit, ſiue tale decrementum ex vilitate Perſonæ ſatisfacientis, & maieſtate eius, cui offertur ſatisfactio, naſcatur, ſiue ex ingenti obligatione talis operis ortum habeat, atque adeo quoad hoc eiſdem obiectionibus impetitur hæc ratio ac noſtra, & eiſdem ſolutionibus ac noſtra protegitur. Quoad alia verò, quæ in hac 110.

ratione

ratione fundanda immiſcet author hic, valde à noſtra ratione deuiant, & meritò à Ripalda impugnantur *tom.2. de ente ſupernaturali lib.4. diſputatione* 87. *a num.* 16. *vſque ad* 18. incluſiuè.

111. Pater Lugo ſibi impoſuit onus impugnandi rationem noſtram; occurrit primò rationi noſtræ *tom.* 1. *de incarnatione. diſput.* 5. *ſect.* 2. per totam; etenim per nos offenſa peccati, etſi creſcat ex infinitate Perſonæ offenſæ, & ſatisfactio, à vili creatura oblata, decreſcat ex ipſa vilitate ſatisfacientis, & excellentia Dei, cui talis ſatisfactio offertur, non eſt infinita. Ergo licèt ægerrimè, poterit tamen aliquando tota illa offenſa compenſari obſequiorum numero, excellentia, diuturnitate, & precibus. Probat conſequentiam. Licèt vaſſallo contumelioſo in principem, difficilis ſit condigna ſatisfactio, non tamen impoſſibilis, quia adeo egregia obſequia erga principem exhibere poterit, vt prudentum iudicio condignè ſatisfacere diceretur. Vt ſi principem, cui grauem offenſam intulit, iam ad mortem condemnatum præriperet, ſeſe illius loco ſubſtituendo, in hoc caſu quis dubitet condignè vaſſallum illum ſatisfeciſſe pro iniuria, quantumuis graui principi ſuo illata? Ergo ſimiliter purus homo, adeò poſſet egregiè in Deum obſequia multiplicare, vt priorem tandem offenſam aboleret.

112. Nec refert ſi impugnes cum RR. Complutenſibus replicâ, quam ipſe Lugo affert, & refellit. Fatendo offenſam peccati non euadere infinitam, ſed ſemper finitam manere, verùm ita grauem & ſuperiorem intra lineam moralem, & prudentum æſtimationem, vt incompenſabilis à quocumque bono opere iudicetur, quantumuis multiplicetur, intendatur, & excellentiùs conſurgat; mouentur in doctrina, quæ quia communis, penes prologuium recenſetur. Videlicet quia res diuerſorum ordinum ita comparantur inter ſe, vt licèt ambæ finitæ ſint, numquam ea, quæ inferior eſt, quantumuis in ſua linea incrementum ſuſcipiat, poterit perfectionem ſuperioris attingere, vt peruium innumera exempla reddunt. Perfectio Angeli finita eſt, ſed talis excellentiæ, vt quantumuis cumulus animalium intra propriam ſphæram quoad ſpeciem & numerum creuerit, numquam ad perfectionem Angelicam peruenire valebit. Alia ſuppetebant exempla, ſed quia ſuperfluum eſt, omitto. Ita licèt peccatum, vt offenſa, finitum ſit, tamen eſt ordinis ſuperioris, atque adeo nunquam ab actu contritionis quamtumuis intenſione & numero creſcat, exequabilis, quia contritio ſemper continebitur intra lineam inferioris ordinis.

113. Non inquam refert, quia replicat Lugo *num.* 21. licèt tota doctrina hæc ſit vera, loquendo de rebus quoad earum phyſicam perfectionem, cæterùm regula adducta in æſtimatione morali, exceptionem patitur; etenim argentum, quantumuis multiplicetur, non adæquat phyſicam perfectionem auri, & cum hoc ſtat, quòd in æſtimatione hominum prudentum, libra argenti æquiualeat, & ſuperet vnciam auri.

Nec refert, ſi occurras aſſignans duplicem ſpeciem, ad quam reducere valemus argentum & aurum. Vnam phyſicam, & ſic diuerſæ ſunt eorum ſpecies, aliam, moralem, & ſic vnius ſunt ſpeciei, atque adeo eiuſdem moralis valoris in ordine ad vtilitatem communis vitæ, & hoc eſt in cauſa, quòd valor auri poſſit bene compenſari per valorem argenti, quia valor poteſt exæquari à valore, qui ſit eiuſdem ſpeciei: at verò offenſa Dei, & ſatisfactio noſtra, non cadunt ſub eadem ſpecie æſtimationis moralis, quia capita, ex quibus ſumuntur, ſunt diuerſæ ſpeciei moraliter, atque adeo in illa refundunt diſtinctos valores in ſpecie morali; nam valor offenſæ ex dignitate Dei promanat. Satisfactionis valor ex homine ſumitur. Vide capita quantùm diſtent, nedum phyſicè, verùm moraliter, & percipies diſtantiam, nedum phyſicam, ſed & moralem repertam in valore offenſæ, & valore ſatisfactionis, & exinde colliges, nullo modo valorem offenſæ compenſabilem fore à valore ſatisfactionis à quouis homine puro oblatæ. 114.

Non inquam refert, quia replicat Lugo *numero* 22. intendens probare illam regulam videlicet, *res ordinis ſuperioris non poſſe compenſari per inferiores, adhuc in æſtimationem morali*, à veritate deficere. Etenim bonitas moralis actus charitatis, collatus cum actu temperantiæ, eſt in ordine ſuperiori moraliter iſto, & tamen in morali æſtimatione, plures actus temperantiæ vni actui charitatis æquiualent. Rurſum peccatum in Deum habet malitiam moralem, ſuperioris ordinis reſpectu peccati in proximum, & tamen plura adulteria æquiualent moraliter vni odio Dei, & illis correſpondet æqualis pœna. Rurſum hoc ipſum comprobare prætendit in viſione beata, qua in hac hora perfungaris, qua tranſacta, priuandus ſis illa, & omni bono aliàs in æternum duraturo, ſi enim tibi daretur optio inter viſionem beatam, ſolùm pro hora duraturam, & gloriam corporis & omnium beatorum conſortium, vitamque feliciſſimam & perpetuam, quodnam iſtorum eligeres? Profectò optabilius eſſet vltimum, quia in prudentum æſtimatione, excellentia viſionis Dei ſic conſideratæ, optimè compenſaretur perpetuitate & multitudine aliorum bonorum. Hoc enim fortaſſis reſponderet Pater Salas 2.*tom.in* 1.2.*tractatu* 13 *diſputat.* 16. *num.* 24. vbi docet, maius malum eſſe cruciatum æternum, quàm carentiam viſionis beatæ per horam. Ergo illa regula, cùm has omnes exceptiones patiatur, adhuc intra lineam moralem, non erit vniuerſaliter vera. 115.

Huc vſque Lugo, ſed per hæc non ita præpediuit veritatem rationis allatæ, vt facilis non ſit illi exitus. Imprimis exempla hæc punctum, cui ſoli innititur noſtri diſcurſus fundamentum, nullo modo tetigerunt. Fundamentum ergo illius erat improportio, quæ reperitur inter actum contritionis, & offenſam, ratione cuius contritio non poſſit condignè ſatisfacere pro illa, quamtumuis ipſa incrementum in ſe ſuſcipiat. Nec mirandum 116.

dum eſt, rem aliquam finitam eſſe, & tamen nullo modo exæquabilem eſſe ab alia, ob improportionem inter illas tepertam. Sit inſtantia ex *tractatu de merito*, ſententia communis docet & catholica, hominem non poſſe etiam de congruo promereri auxilium; vt operetur, ſuis viribus naturalibus relictum, quamuis tale meritum finitum & limitatum ſit, & non ob aliam rationem, niſi quia inter auxilium, vt ad vitam æternam conducens, & opera naturalia quantumuis excellentia, & quoad numerum infinita, datur improportio. Ergo cùm inter offenſam Deo illatam, & contritionem, aliaue opera, quantumuis quoad numerum & intentionem excellentia, detur improportio, quis mirabitur, quòd illis denegemus adæquatam condignamque rationem ſatisfactionis pro offenſa? noſtra nunc ſolùm intereſt, oſtendere ſimplicem improportionem intercedere, inter offenſam quamuis finitam, & omnia obſequia, quæ homo in eius compenſationem perpetrare poſſit. Quod non aliter patefiet, quàm iterum premendo rationem diui Thomæ. Etenim eadem capita, quæ iuuant, vt creſcat offenſa, fauent vt decreſcat ſatisfactio. Maieſtas Dei, & offendentis vilitas eleuant offenſam ad ſupremam ſphæram, vltra quam aſcendere eſt impoſſibile, quia inueniri nequit Perſona, æquè Deo digna, quæ offendatur. Nec vilior alia creatura, quæ offendat. Eadem maieſtas Dei, cui ſatisfactio eſt offerenda, & vilitas creaturæ, quæ ſatisfactura eſt, deprimunt ſatisfactionem ad infimum gradum æſtimationis moralis; Apud hanc enim, eò minor apparet ſatisfactio, quò ſuperior eſt Perſona, cui offertur; & quò ignobilior eſt Perſona, quæ illam præſentat; & cùm nobilior Deo nequeat fingi Perſona aliqua, nec vilior creatura poſſit inueniri, fit, quòd eadem capita, quæ in genere moris nobilitarunt offenſam, vſque ad vltimum *quod ſic* moralis æſtimationis, deprimant ſatisfactionem vſque ad minimum *quod ſic* infimi gradus æſtimationis moralis. Ergo capita, quibus flaccida redditur ſatisfactio, reddunt quodlibet opus hominis puri, quantumuis creſcat in bonitate, & numero, improportionatum, vt ſit condigna pro offenſa ſatisfactio.

117. Nec inſtes cum Lugo, offenſam quantumuis maximam, finitam eſſe, atque adeo exæquabilem multitudine actuum excellentium, quia nihil deuincet; etenim vt ſuprà dixi, ſtat bene aliquam perfectionem eſſe finitam, & nihilominus omnes aliarum rerum perfectiones minimè poſſe ad illam peruenire. In phyſicis inſtantiam habemus, ſemel ſtatuta veritate hac, quòd accidens ſe ſolo nequeat, quia imperfectius eſt ſubſtantia, illam producere, nunquam talem impotentiam ſupplebunt omnia accidentia, creata, & creabilia ſimul ſumpta. Exemplum ſuprà allatum de merito de congruo idipſum comprobat, & iuuat ſimilis doctrina, quam cuncti admittunt *tractatu de merito*. Vbi Doctores docent duo. Et quòd non deſideretur meritum infinitum, vt reperiatur in illo condignitas ad augmentum gratiæ & gloriæ, & quòd opera, gratia minimè informata, ſint prorſus improportionata ad promerendum de condigno prædictum præmium; & taliter improportionata, vt quantumuis talia opera in infinitum multiplicentur, ſimilem improportionem habebunt, ad promerendum de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ. Sic in noſtro propoſito diſcurri poteſt, etenim ſicut inter naturale & ſupernaturale, bene fundatur improportio ſufficiens, vt vnum ſe ſolo nequeat erga aliud condignitatem habere, quamuis vtrumque finitum ſit, ita inter offenſam, & quæcumque opera hominis puri; ſimilis poterit inueniri improportio, quæ fundetur in maximo *quod ſic* æſtimationis moralis in quo collocatur offenſa, & in minino *quod ſic* moralis æſtimationis, in quo reponitur quodcumque bonum opus hominis puri, vt exinde nullo modo poſſit habere hoc, ſufficientem condignitatem ad ſatisfaciendum pro offenſa à ſe Deo irrogata, quamuis hæc ſit in linea morali finita.

Et ſi res matura mente penetretur, for- 118.
taſſe maiorem improportionem inueniri in quibuſcunque operibus hominis puri, ad ſatisfaciendum condignè pro offenſa, quàm in operibus naturalibus, ad promerendum de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, colligere licebit; etenim licèt principia naturalia, ſe ſolis ſint imptoportionata producere actus condignè meritorios præmij ſupernaturalis, tamen ſi ſupernaturalibus adiutoriis aſſocientur, non impediunt vim merendi præmia ſupernaturalia; imo aliquater ſimul cum auxiliis iuuant, & tamquam requiſitum neceſſarium ad præmium conducunt. Sine libertate enim meritum frigeſcit, & non eſt, nec præmium actibus neceſſariis, quantumuis ſupernis correſpondet. At ipſa natura hominis puri, nedum iuuat ad ſatisfactionem pro offenſa, ſed impedit eius condignitatem in æſtimatione morali, quia cùm hæc tanti habeat opus, quanti pendet conditionem Perſonæ, à qua fit, & qualitatem Perſonæ, cui offertur, fit, quòd opera hominis puri, quamtumuis in infinitum creſcant, in nihilum æſtimentur, cum natura vilis, quæ illa offert, ſit in minimo *quod ſic* æſtimationis moralis, & Perſona, cui offertur, in maximo *quod ſic* excellentiæ, conſtituta.

Ex his colliges, quòd quamuis actus plures 119.
temperantiæ boni & ſupernaturales æquiualere poſſint vni actui charitatis, in ordine ad præmium ſupernaturale, non tamen æquiualere poterunt omnia obſequia à puro homine facta, pro vna graui offenſa Deo irrogata. Ratio eſt, quia cùm præmium taxetur iuxta menſuram bonitatis, multitudinis actuum, libertatis, intenſionis, & ſupernaturalitatis eorumdem, fit, quod in repetitione plurium actuum ſupernaturalium temperantiæ, detur proportio ad promerendum idem præmium, quod actui charitatis correſpondet, quia quod deficit illis de nobilitate, quam obtinet charitas, compenſatur ab illorum multitudine, &

aſſiduo ipſorum exercitio. Contrarium inuenitur in obſequiis, quantumuis multiplicentur, ab homine puro factis; in illis ſemper regnat improportio explicata, quam non poteſt vincere obſequiorum multiplicatio. Iuxta hæc reſponſurus es argumento & replicis Lugi.

120. Red replicabis, ſicut injuria in Deum facta creſcit ex infinitate Dei offenſi, ſic bonitas dilectionis Dei creſcit ex infinita Dei bonitate, quam reſpicit tanquam obiectum formale, quod eſt in cauſa, vt ſanctus Thomas 2. 2. & nos cum illo *tractatu de charitate, diſputatione ſecunda, dubio tertio, numero primo*, tanquam certum reputemus, actum charitatis perfectiorem eſſe omni alio actu cuiuſcunque virtutis ſupernaturalis; etenim quò perfectius eſt obiectum, eò actus eſt perfectior. Ergo tantam bonitatem poteſt trahere actus dilectionis ex obiecto infinito, quod reſpicit, quantam malitiam trahit iniuria, ex eo quòd ſit contra infinitam Perſonam.

121. Reſpondeo negans conſequentiam, diſparitas eſt; actus dilectionis Dei in bonitate creſcit ratione ſui obiecti, quod reſpicit, ſed cum limitatione ratione ſubiecti, à quo elicitur, propter infinitam diſtantiam, quam habet ſubiectum, à quo fit, reſpectu obiecti, quod reſpicit; etenim, vt diximus, vilitas ſubiecti eſt cauſa, vt dilectio non habeat tantam æſtimabilitatem, quantam obiectum poſſet in illam refundere, & quantam de facto hîc & nunc habet dilectio elicita à ſubiecto, ratione maioris ſanctitatis, Deo magis coniuncto, videlicet à Chriſto Domino, vi cuius coniunctionis tale obiectum refundit in actum dilectionis, quem humanitas Chriſti elicit, omnem infinitatem in ordine ad præmium; iniuria verò in Deum facta, creſcit in grauitate à Deo offenſo abſque limitatione, quia non habet principium ex parte ſubiecti, eius grauitatem ab obiecto refuſam impediens; etenim ſubiectum, quia vile, cùm infinitè diſtet ab offenſo, tam procul eſt, vt dictum incrementum, quod ab obiecto infinito ſumit, impediat, vt illud adiuuet, & ad illud conducat iuxta ſuprà non ſemel expoſita.

122. Argues aliter contra veritatem doctrinæ. Sequitur non fuiſſe neceſſariam Chriſti ſatisfactionem, ad condignam, & æqualem compenſationem pro offenſa. Etenim vel ſatisfactio Chriſti fuit ſuperabundans ſatisfactio pro illa, vel ſolùm æqualis? Hoc vltimum non poteſt dici iuxta noſtra principia, in quibus pro nunc ſupponimus offenſam eſſe finitam, & Chriſti opera, vtpote procedentia à natura Verbo coniuncta, infinitum valorem habere. Ex quibus fit neceſſariò, talia opera excedere in infinitum grauitatem offenſæ. Ergo dicendum eſt Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſuperabundantem, & excedentem offenſæ finitæ grauitatem. Tunc ſic, ergo vt detur ſatisfactio præciſè adæquans prædictam grauitatem, non eſt neceſſarius infinitus valor in opere, reſultans ex natura ſubſtantialiter coniuncta cum perſona Infinita. Ergo quodlibet opus bonum ſupernaturale, dummodo naſcatur à natura, media gratia habituali cum Deo coniuncta, ſufficiet, vt ſit æqualis compenſatio offenſæ, vtpote finitæ. Probo hanc conſequentiam, quia opus elicitum à natura ſubſtantialiter coniuncta cum Perſona infinita, quale eſt quodlibet opus hîc & nunc productum ab humanitate Chriſti, infinitè excedit grauitatem offenſæ, vt ſupponimus. Ergo tale opus excedet etiam infinitè quodcumque aliud opus, offenſam grauem adæquans. Sed opus, quod infinitè exceditur ab alio, procedente à perſona infinita, eſt finitum. Ergo opus offenſam grauem adæquans eſt finitum. Ergo vnum è duobus, vel Chriſti ſatisfactio fuit ſolùm grauitati offenſæ æqualis, quod eſt falſum, vel dabilis eſt ſatiſfactio ab homine puro procedens, quæ ſit condigna, & æqualis offenſæ grauitati compenſatio.

Reſpondeo breuiter, concedo ſequelam, videlicet Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe neceſſariam, vt daretur æqualis ſatisfactio pro grauitate offenſæ lethalis; etiamſi hæc ſupponatur finita, quia abſolutè repugnat ſatisfactio, quæ ſit æqualis grauitati offenſæ mortalis; etenim, vel talis ſatisfactio oritur à natura & Perſona infinita, qualiter proceſſit, quam Chriſtus obtulit, & ſic fuit ſuperabundans, & infinitè excedens offenſæ grauitatem. Vel oritur à natura hominis puri, & ſic eſt deficiens, nullo modo ad æqualitatem perueniens, propter rationes non ſemel datas. Vnde vtraque deſinit eſſe æqualis grauitati offenſæ, vna nempe à Chriſto facta per exceſſum, alia verò à nobis homine puro orta, per defectum. 123.

Sectio VI.

Homo purus, pro peccato proprio mortali, imperfectè ſatisfacit.

PRæfixam reſolutionem docet Diuus Thomas hîc *quæſt.1. art.2. ad 1.* quem ſequuntur ferè omnes eius diſcipuli, quos citat, & ſequitur Araujo *tom.1. in tertiam partem, quæſt.1. art. 2. diſp. 2. num.12.* Verùm diſſidium eſt inter RR. in explicando modo, quo hæc ſatisfactio ſit exequenda. Ratio dubitandi illorum eſt hæc, etenim ſi fit media contritione ſupponente gratiam, maculam auferentem, neceſſariò ſupponere debet offenſam deſtructam, quia cùm hæc fundetur in illa, fit, quòd deſtructâ maculâ non poſſit permanere offenſa. Ex quo rurſum fit, ſuperfluam fore ſatisfactionem quamlibet ſubſequutam, quia hæc offertur pro offenſa, quæ exiſtit, non verò pro offenſa, quæ periit. Comprobant hoc, ſuffragio petito à Tridentino *ſeſſione ſexta, capite decimo quarto*, ſic definiente, ſatisfactionem ſacramentalem fieri ſolùm pro pœna temporali, 124.

non verò pro æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur. Ex hac authoritate augent vim rationis dubitandi. Ideo concilium docet, ſacramentalem ſatisfactionem non eſſe ſatisfactionem pro pœna æterna, quia hæc antecedenter remiſſa fuit cum ipſa culpa. Tunc ſic, ſed etiam contritio, quæ ſupponit gratiam, maculam peccati auferentem, ſupponit etiam offenſam cum ipſa culpa remiſſam. Ergo contritio ſupponens gratiam, maculam peccati auferentem, non poteſt eſſe, adhuc imperfecta, pro offenſa ſatisfactio.

125. Arauio citatus *numero centeſimo decimo octauo, §. demque quoad tertium*, vt ab hac dubitandi ratione ſe expediat doctrinam quamdam ſupponit quæ rem difficilem difficiliorem reddit, aitque gratiam ſortiri duplicem effectum; negatiuum vnum, qui eſt ablatio maculæ culpæ. Alium, qui eſt ablatio offenſæ, inter hos effectus datur ordo prioris, & poſterioris. Prior eſt maculæ culpæ ablatio. Poſterior eſt ablatio offenſæ. Nunc ait, contritionem ſupponere gratiam, vt cauſantem primum effectum, qui eſt ablatio maculæ, & antecedere ipſam gratiam, vt cauſantem poſteriorem effectum, videlicet deſtructionem offenſæ. Ex quo fit, quòd contritio poſita in medio illorum extremorum, licèt non poſſit eſſe ſatisfactio pro illo, quod ſupponit, poterit ſatisfacere pro alio, quod ſuccedit.

126. Sed hæc doctrina & repugnantia dat, Authori obuiat, & quod magis eſt, Diuum Thomam deſerit, Incipio ab hoc. Sanctus Thomas 1. 2. *quæſt*. 113. *articul*. 6. in corpore dicit, quatuor reperiri in qualibet impij iuſtificatione, hunc ordinem ſeruantia. Primum gratiæ infuſio. Secundum, motus liberi arbitrij in Deum. Tertium motus liberi arbitrij in peccatum. Quartum remiſſio culpæ: Pondero ly *gratia infuſio*. Vbi Thomiſtæ celebres vnanimi conſenſu nomine gratiæ infuſionis, intelligunt de gratia habituali, à qua efficienter illam vltimam diſpoſitionem, videlicet contritionem, aſſerunt, prouenire; atqui in illa prioritate negat diuus Thomas remiſſam eſſe culpam, & ſolùm docet illam remitti à gratia, poſtea habitis motibus arbitrij in Deum, & in peccatum. Ergo contra diuum Thomam eſt dicere, quòd prius remittitur culpa per gratiam, & poſt hanc remiſſionem dari motum liberi arbitrij in peccatum, qui ſit ſatisfactio pro offenſa.

127. Rurſum idem ſanctus Doctor *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 4. & in 2. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. ad 4.* docet opera extra charitatem facta, ſi vltimò diſponant ad gratiam, mereri de congruo infuſionem gratiæ, non verò de condigno. Vbi eius omnes diſcipuli profitentur doceri à diuo Thoma, hanc vltimam diſpoſitionem dici opus factum extra charitatem, & à peccatore elicitum. Ergo hæc eadem vltima diſpoſitio, vt eſt ſatisfactio imperfecta, dicenda erit opus factum extr caharitatem, & à peccatore, atque adeo non ſupponere contritionem offenſam, remiſſam.

128. Præterea repugnantia docet hic Author. Etenim quod inintelligibile eſt, nullo modo probar, repugnat enim maculam ab anima depelli, & intactam offenſam relinqui. Macula enim, vt innuit dubitandi ratio, eſt fundamentum, cui vnicè innititur offenſa. Quis fundamentum deſtruxit, & id quod ſupra illud reponitur, perſeuerare vidit. Diſcurre per ſingulas materias, quæ hanc rem tangunt, & hanc veritatem experieris illibatam. Ergo ſi Author hic docet, contritionem ſupponere gratiam, vt expellentem maculam, etiam vt expellentem offenſam, quia hæc in illa fundatur.

129. Tandem hanc doctrinam non eſſe principiis Authoris conſonam, facile erit cuique probare, lege illum 1. 2. *tract. de iuſtificatione*, vbi defendit, vltimam diſpoſitionem à gratia non procedere efficienter, ſed ab auxilio. Ergo contritio antecedit gratiam, & eius effectus negatiuos, videlicet ablationem maculæ, & ablationem offenſæ. Ergo hic ſibi contrariatur, dum docet, contritionem ſupponere gratiam, vt expellentem maculam.

130. Alij à prædicta ratione dubitandi liberos eſſe preſumunt, ex eo quòd hominibus adultis, ex lege à Deo lata in illis verbis, *niſi pœnitentiam egeritis*, & in aliis, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos* non datur remiſſio culpæ, niſi dependenter ab eorum ſatisfactione, videlicet ab eorum pœnitentia, quæ ex ſua ratione formali, eſt quædam imperfecta compenſatio pro culpa, & offenſa; cùm igitur remiſſio peccati fiat cum habitudine, ad eiuſmodi compenſationem, nihil referre videtur, quòd contritio ſubſequatur culpæ remiſſionem, vt ſit pro illa compenſatio, ſaltem imperfecta. Hoc enim oſtendere conantur pluribus exemplis, duo ex illis afferam. Primum ſit Chriſti ſatisfactio, quæ verè fuit talis reſpectu peccatorum antiquorum Patrum, quia licèt iam remiſſa eſſent, tamen eorum remiſſio facta fuit à Deo cum ordine ad Chriſti ſatisfactionem. Secundum enim, ſi captiuus liberetur cum obligatione ſoluendi pretium pro ſua redemptione, illa ſolutio pretij etiamſi fiat tempore, quo captiuus libertate fungebatur, eſt vera ſatisfactio pro illo.

131. Secundo modo declinant alij vim rationis dubitandi, diſtinguentes in contritione duplicem formalitatem, vnam impetrationis, & diſpoſitionis, aliam reſtitutionis damni Deo illati per peccatum, dicunt enim, contritionem ſub diuerſa ratione ſatisfactionem appellari, prout antecedit gratiam, ac prout ad illam ſubſequitur; nam vt antecedit, ſatisfacit per modum diſpoſitionis, & impetrationis pro obtinenda offenſæ remiſſione; at quatenus ſubſequitur per modum reſtitutionis ſatisfacit, quia ſic intendit reſtituere damnum Deo per peccatum irrogatum, nempe honorem quem à Deo peccator abſtulerat, quod ex humanis comprobant; etenim creditor per hoc, quod liberaliter offenſam ſibi illatam remittat, non dicitur damnum, quod paſſus eſt, recuperare. Vnde ſi remiſſio ſub hac lege feratur, vt debitor commodo, quo poſſit ex acceptis gratuitò à creditore damnum illud ſibi factum compenſet, in hoc caſu etiam poſt remiſſam culpam habet locum compenſatio pro tali damno; ſic

enim dicunt contingere in præſenti. Vnde actus contritionis, vt ſubſequitur ad gratiam, & illâ formatur, eſt teſtiturio honoris ablati à Deo per peccatum, conſequenter ad ea, quæ docet diuus Thomas io hac *tertia parte*, *quæſtione ſexageſima*, *articulo tertio*, *ad tertium*, quòd actus pœnitentiæ virtutis, ſcilicet contritio, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ imperfectæ; atque adeo actus contritionis etiam vt ſubſequitur ad gratiam, & illâ informatur, non ſolùm eſt ſatisfactiuus in actu primo, ſed in actu ſecundu eſt ſatisfactio, quia, vt notat diuus Thomas, contritio eſt actus iuſtitiæ, quamuis imperfectæ, at actus iuſtitiæ non ſolùm eſt ſatisfactiuus in actu primo ſub conditione, quòd eſſet debitum, ſed de facto ſatisfacere debet in exercitio, & cùm, ſi ſupponat gratiam non poſſit ſatisfacere pro offenſa per modum impetrationis, vt de ſe patet, ſatisfacere debet per modum reſtitutionis nocumenti à Deo per offenſam illati.

132. Tametſi hæc ſatis probabiliter ſint dicta, tamen clariùs, quid in hac re ſit dicendum, aperiam. Aſſero igitur, contritionem dici ſatisfactionem pro offenſa, quatenus vt antecedit gratiam, ad illius infuſionem diſponit. Colligo reſolutionem hanc ex diuo Thoma infrà *quæſt. 83. articul 3.* vbi expreſsè ait, quòd contritio, ſeu actus virtutis pœnitentiæ, ex ſua ratione formali, eſt dolor de peccato, vt eſt offenſa Dei cum propoſito emendationis; propoſitum autem emendationis non ſolùm eſt ceſſatio à culpa, ſed vera pro illa compenſatio. Tunc ſic, ſed contritio ea ratione, qua antecedit gratiam, habet veram rationem formalem pœnitentiæ. Ergo prout antecedit gratiam, eſt dolor de offenſa cum propoſito emendationis, ac proinde eſt pro illa compenſatio, etenim vt docet ſanctus Thomas ibi, prædicta compenſatio inuoluitur in propoſito emendationis.

133. Sed occurres, compenſationem illam eſſe pro pœna temporali, non verò pro culpa, aut offenſa. Sed contra, nam actus contritionis non reſpicit per ſe & eſſentialiter pœnam temporalem, ſed culpam, at propoſitum emendationis, in quo includitur compenſatio eſſentialiter, pertinet ad rationem formalem contritionis. Ergo compenſatio in eius eſſentia incluſa, non eſt pro pœna temporali, ſed pro culpa.

134. Occurres ſecundò, actum contritionis, prout antecedit gratiam, non eſſe meritorium adhuc de congruo illius. Ergo prout antecedit gratiam, non poteſt eſſe pro culpa ſatisfactio. Sed contra, nam licèt antecedens ſit falſum apud plures Thomiſtas, illud concedo, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, etenim omne meritum debet eſſe opus amici, vt latè dedimus *tractatu de merito*, *dubio ſecundo*, *numero tertio*, *diſputatione prima*. ſatisfactio verò, etſi perſonalis, non debet præſupponere amicitiam, ſed ordinari ad illam, vel cum illa coniungi, cum quo ſtat, quod prima gratia, teſte Paulo, ſemper donetur gratis & liberaliter.

135. Verùm quia ſemper mihi fuit difficilis diſparitas, inter meritum & ſatisfactionem, & ſatis nunquam bene explicatur, cur meritum de congruo petat procedere à ſubiecto iam antecedenter amico, & conſequenter gratia habituali inſtructo, ſatisfactionem verò imperfectam minimè id expoſtulare, ſed illi ſufficere ſibi annexam habere infallibiliter amicitiam & gratiam; ideo probabilius iudico negandum eſſe antecedens, atque adeo præſumo, neceſſariò eſſe fatendum, contritionem, vt antecedit gratiam tamquam diſpoſitio, eſſe meritoriam de congruo ipſius primæ gratiæ ab illo, qui fatetur prædictam contritionem, vt antecedit gratiam, tamquam eius diſpoſitio, eſſe ſatisfactionem ſaltem imperfectam pro culpa & peccati offenſa. Nec contra hoc ſequeretur aliquid contra aſſertum Pauli, etenim dictum Pauli aſſerentis gratiam gratis donari, vel intelligendum eſt non de gratia habituali, cuius eſt diſpoſitio contritio, ſed de gratia auxiliante, à qua efficienter contritio procedit; hæc enim non cadit ſub meritum, nec de congruo, nec de condigno, aliàs principium meriti ſub meritum caderet, vel ſi intelligendum eſſet de gratia habituali, poteſt reſponderi, Paulum excludere meritum, quod ex natura ſua ita perfectum eſt, vt id quod intuitu illius datur, non gratioſum & liberale cenſeatur beneficium, ſed merces & præmium. Hoc autem ſolùm id, quod eſt de condigno lucratur, non verò illud, quod ſolùm de congruo dicitur, quia hoc, vt loco citato dixi, communi voce, voce tenus meritum noncupatur.

Sectio VII.

Duplici interrogationi ſatisfactio.

Sed quæres primò, an caſu, quo homo Chriſto vt capiti coniungatur, poſſit pro peccatis propriis ſatisfacere. Hoc quæſitum initium habere poteſt ex verbis Diui Auguſtini *libro tertio*, *de doctrina Chriſtiana*, *capite trigeſimo*, vbi dicit, *actiones Chriſti vt caput eſt ſuarum fidelium*, *& quodam modo diſtribuuntur in ſuis membris*. ex quibus declaratur ſtatus quæſiti huius; etenim negari non poteſt, quòd forma totius corporis myſtici, vt ſubordinatur Chriſto Capiti ſit præſtantior, quàm forma inadæquata etiam in eſſe morali; & in hoc ſenſu excedet etiam eamdem totalem formam tali capiti non ſubordinatam. Quærit igitur interrogatio hæc, an creatura pura per actiones aliàs elicitas cùm ſubordinatione ad Chriſtum, qui eſt omnium creaturarum myſticum caput, poſſet offerre condignam ſatisfactionem pro ſuo peccato mortali. 136.

Nego; ratio breuis, quia ex ſuprà traditis offenſa in æſtimabilitate morali excedit quodcunque opus elicitum ab homine puro, & exinde diximus, opera ab homine puro facta eſſe intrinſecè improportionata ad compenſandum æqualiter pro offenſa graui. Ergo dummodo hæc intrinſeca improportio ab illis per aliquid intrinſecum non pellatur, & ratione cuius eleuentur ad eſſe æqualium in æſtimabilitate morali, ſemper manebunt intrinſecè improportionata. Sed ex eo quòd aliqua creatura eliceret 137.

ope

opera ex ſubordinatione ad Chriſtum, tanquam myſticum caput, nihil intrinſecum recipiunt prædicta opera, ratione cuius intrinſecè porportionentur in æſtimatione morali cum grauitate offenſæ. Ergo ſiue fiant, ſiue non, cum prædicta ſubordinatione, ſemper prædicta opera manebunt intrinſecè improportionata, vi cuius improportionis nequeant eſſe exacta, æqualis, & condigna, pro graui offenſa, ſatisfactio.

138. Verùm, vt hanc ſolutionem non turbet aliqua æquiuocatio, te notantem volo, eſſe iſta valde diuerſa, Chriſtus ſatisfacit pro nobis, nos ſatisfacere per Chriſti actiones ex vna parte. Et nos ſatisfacere per actionem noſtram; prout hæc poteſt iudicari Chriſti actio ex alia. Nam illæ duæ propoſitiones primæ ſunt veræ, quia ſemper actio, perquam ſatisfactio exercetur, eſt infiniti valoris; atque adeo intrinſecè proportionata cum grauitate offenſæ; imo (ſic liceat loqui, ſuperproportionata, vtpote ſuperabundans, quamuis offenſæ grauitas ſit infinita intra lineam æſtimabilitatis moralis. At verò tertia proproſitio eſt falſa, ſi intelligatur de perfecta ſatisfactione, quia quando ſatiſfacimus per actionem noſtram eliciriuè à nobis, licèt moraliter cenſeatur actio Chriſti, ſemper ſatisfacimus per actionem valoris limitati, & intrinſecè improportionati grauitati iniuriæ; quia quilibet prudenter diſtinctionem & varietatem rerum diſcernens, non iudicabit illam actionem, quam videt eliciriuè à pura creatura productam, ortum habere à ſoppoſito diuino; etenim licèt ſit conſcius illam creaturam, tamquam partem corporis myſtici, eſſe coniunctam cum Chriſto; tamen non poterit non cognoſcère talem coniunctionem eſſe accidentalem; atque adeo animaduerteret illam eſſe inſufficientem, vt actio illa creaturæ à ſoppoſito Verbi infinitatem haberet; Contrarium verò iudicaret in actionibus à Chriſto elicitis, vtpote ortis à natura, quam cognoſceret eſſe per ſe ſubſtantialiter coniunctam cum ſuppoſito diuino. Per hæc ſoluta manet interrogatio prima.

139. Secundò quæres, an ex hypotheſi, qua homo peccaret abſque vlla aduertentia formali, vel habituali ad iniuriam, vel offenſam Dei, illud peccatum eſſet mortale, pro quo homo ſatisfacere non poſſet. Hanc rem ex recentioribus pauci tetigerunt. Qui ex modernis proximè ad noſtram ætatem illam ſub terminis dubitationis dederunt examini, fuit Salas *tomo ſecundo, in primam ſecundæ, tractatu decimo tertio, diſputatione decima ſexta, ſectione vigeſima ſecunda*, verùm Pater Lugo luculentiùs quæſtionem hanc *tomo de Incarnatione, diſputatione quinta, ſectione quinta*, hanc rem indagandam ſuſcepit. Et vt ſententiam ſine obice proponam, rationem dubitandi pro vtraque contradictionis parte in limine ſcribam.

140. Affirmatiua pars inniti poteſt doctrinæ numeris ſuperioribus propoſitæ, vbi vidimus impotentiam ſatisfaciendi ad ęqualitatem pro offenſa Dei, ortum habere ex magnitudine, & excellentia Dei offenſi. Ergo ſublata ratione hac offenſæ diuinæ, fit hanc impoſſibilitatem ſatisfaciendi omnino fore ſummouendam. Tunc, ſed in hypotheſi, in qua homo neſciret Deum ſuo peccato offendi, quod poſſet contingere, vel quia inuincibiliter ignoraret eſſe Deum, vel quia inuincibiliter ignoraret, Deum, quem cognoſceret, nihil de probitate, aut improbitate hominum curare, tunc ille in ſuo peccato malitiam illam diuinæ offenſionis non contraheret: ergo pro huiuſmodi peccato poſſet homo ille ſuis actionibus condignè & æqualiter ſatisfacere.

141. Ratio dubitandi pro parte negatiua fundatur in doctrina, quam communiter defendunt Authores in materia de peccatis, in qua docetur, quemlibet humanum actum, factum contra rationis legem, & naturæ dictamen eſſe peccatum mortale. Ergo ille qui contra prædictas leges operaretur, peccatum mortale committeret. Tunc ſic, ſed data illa hypotheſi, homo ille operaretur contra legem naturæ dictantem; *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Ergo grauiter peccaret. Ergo ſi in tali hypotheſi, poſſet homo pro tali peccato propriis actionibus perfectè ſatisfacere, iam eſſet poſſibilis ſatisfactio pro culpa graui illi æqualis, & condigna, quod eſſet omnibus aſſertis antecedentibus manifeſtè contrariari.

142. Hac ratione pro vtraque parte poſita, defendit Lugo *ſectione ſexta, numero centeſimo vigeſimo*, poſſe hominem in tali hypotheſi adæquatam & perfectam ſatisfactionem pro tali peccato exhibere. Fundamentum eius in ratione, cui innitetur reſolutio noſtra, euertetur. Noſtra ſententia eſt, adhuc in hypotheſi illa, hominem purum, conſtitutum cum inaduertentia ſcilicet ad Deum, non poſſe pro furto, aut homicidio cum notitia diſſonantiæ ad rationem, factis condignam & æqualem ſatiſfactiooem exhibere. Rationem aliam non adducam, niſi quam mihi præſtat notabile primum à Lugo adductum, *ſectione illa quinta, numero ſeptuageſimo*. Vbi habet hæc, peccatum illud, quod in tali hypotheſi fieret, adhuc fore offenſam Dei, quia ad hoc, vt ego in ea actione offendam aliquem, non requiritur, quòd ſciam, illum offendi; nam offendere illum, eſt dare illi rationabilem cauſam, & occaſionem indignationis contra me; poteſt autem aliquis rationabiliter indignari contra me propter actinnem turpem, licèt ego neſcierim, illum tali actione offendendum. Sic probatur; verbi gratiâ, Pater rationabiliter contra filium indignatur propter adolteria, vel alia eius crimina, licèt filius non aduerterit ad periculum incurrendi paternam indignationem, & in hoc ſenſo dicitur verè pater offenſus propter filij crimina. Sic etiam in præſenti, ait Lugo; fatemur omnia peccata, etiamſi fierent cum ignorantia, vel inaduertentia inculpabili diuinæ offenſionis, vel indignationis, adhoc offendere Deum, cùm omnia peccata diſpliceant Deo, & dent iuſtam cauſam alicuios indignationis contra peccantem. Ex his, quæ Pater Lugo dictauit citato loco, breuem diſcurſum contra illum formo. Ergo cùm ipſi Deo ſatisfactio ſit exhibenda, impoſſibilis eſſet, etiam in illa hypotheſi, pro tali peccato condigna ſatisfactio propter ſummam Dei excellentiam, & vtilitatem offendentis.

143. Sed ſtatim occurrit Lugo, illam ſatisfactionem non ferri in peccatum, quatenus Dei offenſam, quia hæc malitia non poteſt refundi in actum, niſi cognoſcatur, cùm ſine cognitione non poſſit eſſe homini voluntaria. At in tali hypotheſi non magis cognoſcitur offenſa, ac ſi re vera non eſſet, atque adeo in tali hypotheſi non imputabitur operanti, quòd offenderit Deum, ſed quòd occiderit, vel mæchatus fuerit. Ergo cùm in tali hypotheſi illud peccatum non contraxiſſet malitiam formalem offenſæ, ſatisfactio, quæ tunc exhiberetur, non ordinaretur ad compēſandum pro peccato, ſecundùm rationem offenſæ, atque adeò peccatum non haberet eam grauitatem offenſæ Dei excellentis, quam hîc & nunc deſumit, & ratione cuius de facto impoſſibilis redditur ſatisfactio.

144. Fateor in tali hypotheſi, non eamdem rationem formalem offenſæ reperiendam eſſe in peccato, qualem hîc & nunc in illo de facto cognoſcimus, atque adeo impotentiam ſatisfaciendi pro illo in tali hypotheſi, non eſſe capeſſendam ex excellentia Dei, vt formaliter offenſi, quia hæc denominatio ex parte Dei ſumitur ex formali ratione offenſionis peccati, qualis in illo, ſub tali hypotheſi, non inueniretur, verumtamen cum his ſtat. Deum quolibet peccato, quod in tali hypotheſi patraret homo, materialiter eſſe offendendum, atque adeo tunc impotentia ſatisfaciendi ſumeretur ex excellentia Dei materialiter offenſi, & vilitate perſonæ, quæ talem ſatisfactionem eſſet oblatura.

145. Argumenta Lugi vel probant illa peccata in tali hypotheſi, non eſſe grauia, & ſi hoc, non intrant quæſtionem, cùm hæc de impotentia ſatisfaciendi puri hominis pro peccato graui inſtituatur. Vel probant eſſe grauia, verùm non eſſe offenſam Dei. Et ſi hoc, licèt conuincant non eſſe offenſam formalem Dei, tamen eſſe materialem offenſam, ſupponunt ex conceſſis ab ipſo in notabili citato. Verùm hoc ſufficere, vt homo ille non ſatisfaceret pro talibus peccatis adæquatè & perfectè, ſatis inſinuauimus in reſolutione.

DVBIVM V.

An purus homo poſſit condignè pro veniali ſuo perfectè ſatisfacere.

SECTIO I.

Plura certa proponuntur.

1. VT præparem viam facilem reſolutionibus variis in hoc puncto, ſupponi debent aliqua. Primum veniale peccatum ſortiri veram rationem offenſæ in ſua linea paruitatis, quod facile ſuadetur ex indignatione, quam ex illo concipit diuina maieſtas, quam à poſteriori commendat pœna acerbiſſima purgatorij, à Deo in eius vindicationem præparata; ſed cum hoc ſtat, ipſum appellari ſecundùm quid offenſam & peccatum ſecundùm quid, non ad hunc ſenſum, quòd illa particula *ſecundùm quid* diminuat in ipſo proprietatem & veritatem peccati & offenſæ. Sed quia collatum cum peccato lethali, ita leue ſit, vt præ leuitate cum lethali grauitate comparata, vix offenſa, aut peccatum appareat.

2. Secundò ſuppono, & erit confirmatio præcedentis notabilis, hominem in peccato mortali exiſtentem, non poſſe pro tunc condignè ſatisfacere pro culpa veniali; imo nec pro pœna venialis iam antea dimiſſi, ratio, quia adeo grauis eſt mortalis offenſa, vt hominem dignum conſtituat, quòd eius opera toto tempore, quo eſt Deo mortaliter inuiſus, nullo modo acceptentur pro debito pœnæ, necnon quòd ratione illorum condignè Deus ita grauiter offenſus, non placetur ab illa iuſta indignatione quam ex peccato veniali conceperat. Quod quidem manifeſtè colligitur ex Paulo 1. *ad Corinth.* 3. *ſi charitatem non habuero nihil mihi prodeſt*, & ex Eccleſiaſt. *Dona iniquorum non probàt altiſſimus, neque in multitudine ſacrificiorum propitiabitur.* Quæ verba, quidquid ſentiant Scotus & Durandus, non poſſunt non intelligi de merito aut de ſatisfactione de condigno, nam vt bene notant RR. in peccatore propriè dari meritum de congruo circa remiſſionem ſuorum peccatorum, quia cùm homo per mortale peccatum fiat inimicus Dei, reipſa fieri debet indignus quolibet beneficio ab ipſo Deo præſtabili, atque adeo dignus, vt nolit Deus placari ab indignatione ex peccato veniali concepta, quia talis placatio eſt non paruum beneficium hominis.

SECTIO II.

Duplex reſolutio dubij.

3. HOmo iuſtus per contritionem perfectam, venialis deteſtatiuam, perfectè & condignè pro illo ſatisfacit, hanc tenent vix cuncti dempto Soto *de inſtitutione ſacerdotis lect.* 18. *de pœnitentia*, quem nouiter ſequitur Vvandignus *de incarnat. diſp.* 1. *num.* 65. Pro illa cito Lugum hîc *diſput.* 5. *ſect.* 7. licèt quoad id, quod addit, nempe regulariter nunquam, aut rarò tolli per condignam ſatisfactionem, quia exiſtimat regulariter ſemper intercedere aliquam gratuitam remiſſionem, infrà alia ſectione examinabitur cum placito Suaris.

4. Ratio concluſionis ex dictis eſt facilis, quia contritio eſt proportionata in æſtimatione morali cum offenſa venialis, imo ſuperexcedens. Ergo erit pro illa condigna ſatisfactio. Antecedens probo, quia contritio, ſiue ſit, ſiue non, forma ſanctificans, eſt magis bona, quàm malum ſit veniale. Ergo erit condigna pro illo ſatisfactio. Probo antecedens. Contritio meretur vitam æternam, ſed veniale peccatum non meretur pœnam æternam. Ergo magis booa eſt contritio, quàm malum ſit peccatum.

5. Sed occurres non ſatis conſtare diſparitatem, cur in opere exiguo bono, adhuc à peccatore elicito, detur aliqua congruentia ad vitam æternam, & dicta congruentia denegetur pec-

cato

cato veniali in ordine ad æternam pœnam, cùm vtrobique ſit æqua paritas, Ergo hac manente iàm contritio non erit magis pœna, quàm malum ſit peccatum. Verùm hic occurſus facilè corruit: eſt enim cognita differentia inter meritum de congruo circa præmium, & demeritum de congruo circa pœnam, quod exceſſus ille in præmiando merito de congruo correſpondens, eſt maximè Deo conueniens, & eius magnificentiam commendans, at exceſſus ille in puniendo, qui correſponderet demerito de congruo, Deum maxime iuſtum dedeceret, quia talis exceſſus in in crudelitatem vergit. Sed de hoc iterum dabo ſermonem. Secundò occurres rationi, illam non conuincere prædictam condignitatem contritionis, pro ſatisfactione venialis, etenim contritio ſupponit liberalem condonationem auxilij, quod ſufficit, vt contritio nequeat eſſe condigna pro veniali ſatisfactio; ſicut & ſufficit, ne ſit condigna compenſatio pro mortali.

6. Nec hic occurſus obſtat, cùm nec ille ſufficiat, ne contritio cenſeatur æqualis pro mortali ſatisfactio, vt lato calamo ſcripſimos dubio antecedenti. Et conceſſo ibi fuiſſe obſtaculum ſufficiens, in præſenti tamen nullius eſt efficaciæ, quia cùm veniale non ſecum trahat debitum carendi auxilio ad reſurgendum, qualiter diximus ſecum afferre peccatum mortale, fit, quòd talis auxilij collatio, vt homo per contritionem à veniali reſurgat, non ſit condonatio. Peccatum veniale non contrahere debitum carendi auxilio ad reſurgendum, poſtea in ſolotione argumentorum aperiam.

Tertiò occurres rationi cum RR. illam eſſe inſufficientem, quia licèt contritio ſit æquè, vel magis bona, quàm veniale, nihilominùs non eſt perfecta ſatisfactio illius, quia contritio fit ex auxilio gratuito dato à Deo creditore, & cùm vbi eſt gratuita remiſſio, non poteſt eſſe perfectá ſatisfactio: fit per actum contritionis nullo modo pro veniali ſatisfieri. Quod ſic declarant; Etenim creditor, qui dat centum, vt à debitore fiat ſolutio centum debitorum, virtualiter debitum remittit. Sed Deus dans auxilium ad conterendum, virtualiter ipſam contritionem confert. Ergo remittit debitum. Ergo dum conterimus de veniali, licèt obſequium æquè bonum, vel maius, quàm malum ſit veniale, offeramus, non ſatisfacimus condignè pro illo. Sic reſpondent ex Caietano, Fabro, & aliis Scotiſtis plures RR. Complutenſes.

7. Sed contra, quia licèt contritio ſit ex auxilio, & donis à Deo creditore liberaliter datis, non impedit, illam eſſe pro veniali condignam ſatisfactionem. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo. Opus aliquod bonum ab homine grato elicitum, eſſe à Deo auxilium conferente ad eius elicientiam, non impedit, in illo rationem meriti de condigno; imò & ex iuſtitia, vt infrà latè ſcribam, in ordine ad præmium ſopernaturale. Ergo neque contritionem eſſe à Deo medio auxilio ad eius elicientiam, impediet in illa rationem ſatisfactionis pro veniali, pro quo offertur. Antecedens ſuppono ex doctrina aduerſariorum, vtpotè theologicam veritatem, vt videbimus *tractatu de ſpectantibus ad voluntatem Chriſti*. Conſequentiam probo. Ideo opus eſſe à Deo creditore medio auxilio non impedit in illo rationem meriti de condigno, quia licèt ex vi auxilij tale opus ſit Dei, non impedit, quòd tale opus ſit proprium hominis tamquam eius effectus liberè ab illo productus. Sed hæc ratio militat etiam in contritione. Ergo ſicut non tollit ab opere condignitatem meriti, nec ab ipſa condignitatem ſatisfactionis auferet.

8. Reſpondent Reuerendiſſimi Complutenſes, quorum ſolutio eiſdem verbis ab ipſis datam tranſcribam. Dicunt enim in merito noſtro duo poſſe conſiderari, nempe & æqualitatem, ſeu proportionem operis cum præmio, & gratiam, quæ requiritur ad faciendum bonum opus. Si primom conſideretur, eſt propriè meritum, & præmium vera remuneratio, quia hæc conſiſtit in editione boni pro obſequio exhibito in gratiam præmiantis, & illi grato, in quo conſiſtit ratio meriti. Sed bonum opus, etſi à gratia factum, verè eſt obſequium præſtitum ab homine in gratiam Dei, illique gratum. Ergo eſt verè meritum, & redditio illi reſpondens vera remuneratio; & verum præmium. Si verò conſideretur gratia, quæ neceſſaria eſt ad faciendum opus bonum, hæc ſufficit, vt præmium illi reſpondens, hoc eſt, gloria æterna, gratia dicatur abſolutè, teſte Auguſtino *libro de gratia & libero arbitrio, cap. 7. Si vita*, inquit, *bona noſtra, nihil eſt aliud, quàm Dei gratia, ſine dubio & vita æterna, quæ bona vita additur, Dei gratia eſt, ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur*. Ex quibus fit, quòd licèt id, quod merito reſpondet, non ſit immediatè gratia; quia tamen meritum in ſeipſo gratia eſt, rectè dicitur ipſum præmium gratia in radice.

9. Aliter, dicunt, ſe habet res in ſatisfactione; quia hæc conſiſtit in eo, quòd qui offenderat, reddat aliquid in æſtimatione morali æquiualens offenſæ; non enim reddit æquiualens in æſtimatione morali, ſi ipſe non ſit præcipuus Author boni operis, quia is reddit æquiualens, qui tantùm de ſuo dat, quantùm ab alio abſtulerat, in æſtimatione morali, per iniuriam; at ſi præcipuus Author operis ſatisfactorij, non eſt qui offenderat, ſed ipſe creditor, iam qui offendit non reddit de ſuo, ſed de bonis creditoris; atque adeo non tam dicetur offendens reſarcire damnum, quàm creditor ſibi reſartionem comparare ex propriis ſuis bonis. Ergo in tali caſu non redditur æquiualens ab offendente. Hoc diſcrimen, aiunt, colligi expreſsè ex Scripturæ & Patrum aſſertis, quæ cùm remiſſionem peccati gratuitam vocent abſolutè, ita vt nunquam ex meritis eſſe dicant; at vitam æternam, etſi gratiam pro gratia, vel gratiam in radice appellent; abſolutè tamen dicunt, illam eſſe coronam & mercedem, certè non alia de cauſa, niſi quia licèt contritio ſeipſa expellat peccatum, Deus nihilominùs gratis eſt præcipua cauſa expellens, cùm gratis ſit principalis cauſa contritionis, vt expellentis; meritum verò, cùm conſiſtat in hoc, quòd opus ſit obſequium gratum præmianti, & opus ſit obſequium gratum, etſi fiat ex gratia, ſemper ſeruat rationem meriti.

10. Sed contra, diſparitas hæc inter meritum,

& ſatisfactione aſſignata facilè falſitate deuin-
citur, ſi naturam ſatisfactionis ſeriò contem-
plemur in contritione. Etenim, vt ſuprà vidi-
mus, expellere peccatum formaliter non eſt
pro illo ſatisfacere; poteſt enim ſtare, quòd
formaliter peccatum expellatur per id, quod
formaliter non ſit illius ſatisfactio. Vndè du-
plex incompoſſibilitas cum peccato inueniri
poteſt in contritione. Prima, quæ illi conuenit
tamquam formæ ſanctificanti (ſupponimus
cum Authoribus, cum quibus diſputo, eſſe
formam ſanctificantem) & hæc incompoſſibi-
litas cum peccato, etiam in illorum ſententia;
ſatisfactio non eſt, quia conuenit contritioni in-
dependenter à libertate, taliter quòd ſi neceſſa-
riò ab homine eliceretur., aiunt ipſi Patres
eodem modo incompoſſibilitate iſtam habe-
ret cum peccato. Alia incompoſſibilitate af-
ficitur contritio, & eſt per modum æqui-
ualentis retributionis, & obſequij, æqualis
bonitatis in æſtimatione morali, cum grauita-
te offenſæ taliter quod æquè ſit prædictum ob-
ſequium perſonæ offenſæ gratum, ac diſplicue-
rat eidem Perſonæ offenſæ peccatum. Dum
enim dicimus, contritionem eſſe pro peccato
veniali ſatisfactionem, illam conſideramus, vt
extinguentem debitum tamquam obſequium
æquale, & retributionem æquiualentem graui-
tati venialis, non verò præciſè vt extinguen-
tem debitum per modum formæ phyſicè in-
compoſſibilis cùm debito. Ex his colliges do-
ctrinam replicæ contrariæ reſponſiuam. Quòd
contritio extinguens debitum per modum re-
tributionis, & obſequij æquiualentis grauitati
venialis, ſecundùm quam rationem dicitur ſa-
tisfactio, non differt à merito. Ratio, quia ob-
ſequium formaliter ſumptum non eſt entitas
contritionis ſecundùm ſe conſiderata, ſed actus
vitalis, vt procedens liberè à voluntate, ſe de-
terminante pro delectu ſuo, tamquam vera Do-
mina illius, ad illum habendum. Replica eo-
rumdem eò tendebat, vt poneret differentiam
inter meritum, & peccati expulſionem, per mo-
dum formæ phyſicè cum peccato incompoſſi-
bilis, & hoc modo ſumptam contritionem, fa-
teor, non eſſe ſatisfactionem. Ratio verò con-
cluſionis noſtræ procedit de contritione extin-
guente debitum per modum retributionis illi
æquiualentis, qua ratione eſt ſatisfactio, ſicque
accepta ſecum identificat rationem meriti, &
ſatisfactionis, quia idem eſt ſatisfacere per ob-
ſequium æquiualens, ac de condigno mereri id,
pro quo tale obſequium præſentamus.

11. Secunda reſolutio. Etiam in hypotheſi, qua
concedatur, contritionem opponi per modum
formæ incompoſſibilis cum veniali, ex vi talis
oppoſitionis non dicitur pro veniali ſatisfactio.
Hæc concluſio ſequitur ex doctrina proximè al-
lata in prima, & eſt conformis doctrinæ, quam
de ipſa contritione dedimus ſuprà, in ordine ad
peccatum mortale; ibi contra Vaſquez, &
ſuos reſoluimus, etiam data hypotheſi, quòd
contritio opponeretur cum peccato lethali,
tamquam forma incompoſſibilis, adhuc pro il-
lo non diceretur ſatisfactio ex vi prædictæ in-
compoſſibilitatis. Ergo etiam data ſimili hy-
potheſi, in qua contritio phyſicè cum peccato
veniali opponeretur per modum formæ in-
compoſſibilis, adhuc illius ſatisfactio non eſſet
ex vi prædictæ oppoſitionis. Sequelam firmat
eadem paritas, etenim ſatisfactionis conceptus
trahit ſecum condignum, & æquiualens obſe-
quium iuxta æſtimationem moralem; ſed hoc,
quod eſt expellere per modum phyſicæ formæ
incompoſſibilis, peccatum, non eſt formaliter
obſequium conferre iuxta æſtimationem mo-
ralem, vt ſuprà & non breuiter ſcripſimus. Er-
go in hypotheſi, dicta contritio nullo modo 12.
pro veniali ſatisfacere dicetur ex vi prædictæ
oppoſitionis phyſicæ cum veniali.

Verùm reſolutio hæc incrementum accipit,
ex negatione dictæ oppoſitionis in contritione
cum peccato veniali; Etenim ſi negemus illi
habere ſimilem incompoſſibilitatem, & oppo-
ſitionem, facilè ſuadebitur, contritionem non
poſſe dici pro veniali ſatisfactionem, ex vi præ-
dictæ oppoſitionis & incompoſſibilitatis, quæ
minimè in illa reperitur. Dico igitur contritio-
nem nullo modo opponi per modum formæ
cum peccato veniali, etiam in hypotheſi, quòd
contritio eſſet illius deteſtatio. Hoc dictum val-
dè conſonat principiis ex Diuo Thoma addu-
ctis *tractatu de iuſtificatione, diſputat. 2. dub. 1.
num. 3.* Vbi conferens contritionem cum pec-
cato, etiam vt deteſtationem ipſius propter
Deum ſummè dilectum, reſoluit, nullo modo
opponi cum illo contritionem per modum
formæ phyſicè illud expellentis. Sic ergo in
præſenti licebit diſcurrere de contritione, vt
collata cum veniali, etiam in hypotheſi, quòd
contritio eſſet deteſtatio venialis propter Deum 13.
ſummè dilectum. Conſequentiam veritas ante-
cedentis confirmat, & eius omnimoda paritas.

Sed quæres genus oppoſitionis, quam habet
contritio in hypotheſi dicta cum peccato ve-
niali. Reſpondeo eamdem oppoſitionem eſſe
inter hæc aſſignabilem, qualem agnouimus
loco citato inter peccatum lethale, & ipſam
contritionem. Hæc enim, diximus, cum mor-
tali opponitur per modum vltimæ diſpoſitionis
ad ipſius remiſſioné, ita eadem contritio etiam
in dicta hypotheſi opponetur cum veniali, quod
ex motiuo charitatis deteſtatur, tamquam di-
ſpoſitio conducens ad ipſius remiſſionem; ve-
rùm præter hanc oppoſitionem, aliam in con-
tritione reſpectu venialis agnoſco, quam illi
reſpectu mortalis *citato loco. & dub. 1. huius con-
trouerſia*, viribus totis cum communi doctrina
denegauimus. Opponitur ergo contritio cum
peccato veniali per modum condignæ ſatisfa-
ctionis, quatenus, vt diximus *reſolutione prima*,
eſt compenſatio offenſæ venialis, & redditio
obſequij æquè boni & fortè melioris in æſti-
matione morali, quàm ſit malum ipſum pec-
catum veniale. Iſtam oppoſitionem denegaui-
mus contritioni reſpectu mortalis propter ex-
ceſſum grauitatis iſtius, ſatis ſuperque ſuprà
per tot ſectiones explicatum. Quem iterum in
ſolutione argumentorum *ſectione ſequenti* pon-
derationi trademus.

Colliges, iuxta hæc ſatis probabiliter defen-
di poteſt, cum Abulenſi *lib. 4. reg. cap. 2. q. 39.* 14.
& aliis, quos citat, & ſequitur Ripalda *tom. 2.
de ente ſupernatur. diſputatione*, ni fallor 97.
ſectione 3. num. 36. non ſolùm contritionem
perfectam, ſed etiam attritionem ſupernatu-
ralem

ralem ab homine iuſto; imò & alia quæuis opera bona ſupernaturalia, dolorem ſaltem virtualem venialium inuoluentia, habere poſſe prædictam oppoſitionem cum venialibus, per modum condignæ ſatisfactionis. Hos Authores cito, qui licèt hanc doctrinam expreſsè non tradiderint, colligitur ex eorum aſſerto, quatenus docent, prædicta opera habere poſſe æqualem valorem cum malitia venialis culpæ. Ratio autem noſtræ illationis facilè ſuadetur, quia prædicta opera ab homine iuſto producta ſicut & ipſa contritio ſunt magis grata Deo, quam illi fuerit ingrata offenſa leuis. Rurſum ſunt magis meritoria, cùm augmentum gratiæ, & gloriam in æternum duraturam de condigno mereantur, quàm demeritoria ſit offenſa leuis; cùm hæc ad ſummum pœnam temporalem demereatur. Ergo apud Deum maioris complacentiæ, & moralis æſtimationis erunt prædicta opera, quàm illi diſpliceant venialia peccata. Ergo homo iuſtus illa eliciens condignè pro illis ſatisfaciet. Ergo talia opera & non ſolùm contritio, opponentur cum peccatis venialibus per modum retributionis æqualis, & condignæ ſatisfactionis in hypotheſi, quòd virtualem ſaltem inuoluant deteſtationem venialium.

Sectio III.

Argumenta contra primam concluſionem.

15. Argumenta adducenda eò tendunt, vt probent contra primam concluſionem, non poſſe hominem iuſtum condignè ſatisfacere pro peccato veniali. Argues ergo primò, ideo non poteſt homo purus condignè pro peccato mortali ſatisfacere, quia mortale, eſt iniuria facta contra diuinam excellentiam, cui ſatisfactio eſt offerenda, & iniuria incrementum ſumit ex maiori dignitate Perſonæ offenſæ, & offendentis paruitate; & ex alia parte ſatisfactio ex eiſdem principiis decrementum patitur, qua de cauſa diximus, Perſonam, infinitatis expertem, eſſe impotem ſatisfaciendi condignè pro offenſa contra Perſonam infinitam irrogata. Tunc ſic, ſed vt diximus in notabilibus. *ſect.* 1. adductis, peccatum veniale eſt vera offenſa Deo ſummo & infinitè excellenti bono illata. Ergo eadem ratio, quæ petit in ſatisfaciente condignè pro mortali, eſſe Perſonam infinitam, eadem conuincet debere eſſe Perſonam infinitam illum, qui condignè conatus fuerit pro peccato veniali ſatisfacere.

16. Reſpondeo eſſe cognitam, & facilem diſparitatem, quam explicat diuerſus modus creſcendi ex infinitate perſonæ offenſæ in peccato mortali, & leui inuentus. Graue enim peccatum, tametſi finitum ſit in ratione iniuriæ, ita inter terminos finitæ creſcit, vt ſemper ſecum ferat grauitatem ingentem, ex Perſona offenſa, & offendente, atque adeo eius augmentum ſemper eſt graue, pro quo condigna nequeat exhiberi compenſatio. Et licèt, ſæpè ſit reſolutum, grauitatem lethalis deſumi ex maieſtate Perſonæ offenſæ, & offendentis vilitate, non tamen excludimus aliud caput; nempe obiectum, ex quo accrementum prædictum ſit deſumendum; quod mihi ſuadet communis doctrina, agnoſcens in iniuriis grauibus inæqualitatem etiam in ratione formali offenſæ, grauior enim offenſa eſt, quæ in odio Dei inuenitur, quàm quæ in ſimplici fornicatione inuenitur; quod non eſſet verum ſi grauitas offenſæ grauis metienda ſolùm eſſet ex vilitate offendentis, & maieſtate Perſonæ offenſæ; Etenim cùm hæc ſemper ſint æqualia; nec enim alia Perſona præter diuinam offenditur, nec alia eſt præter creaturam rationalem, quæ offendat, non poterunt inæqualem grauitatem iniuriis grauibus communicare. Vnde licèt iniuria accrementum capiat ex Perſonæ offenſæ, & offendentis conditione, etiam vires accreſcendi ſumit ex obiecto & aliis circumſtantiis; atque adeo latiſſimos terminos habet quos percurrat, & contra quos poſſit incrementum tenere, ac proinde ita eleuatur in ratione iniuriæ per reſpectum ad excellentiam Perſonæ offenſæ & vilitatem offendentis, vt nullum relinquat locum condignæ ſatisfactioni ab homine puro exhibendæ: Contrarium verò reperio in leui iniuria, quam licèt fatear augeri ex excellentia Perſonæ offenſæ, dictum eius augmentum tam breues agnoſcit lineas, tamque anguſtis præcingitur terminis, vt ſemper leue in æſtimatione morali iudicetur, quod eſt in cauſa, vt ſuperſit locus condignæ ſatisfactioni, quam valeat homo purus pro illa offerre.

17. Nun me latet reſponſio aliá, quam huic obiectioni plures diſcipuli Diui Thomæ proponunt. Qui aliis principiis, etſi veris innixi, aiunt infinitatem illam, quæ competit peccato ex infinitate Perſonæ offenſæ & vilitate offendentis, competere illi ex parte auerſionis, non autem ex parte conuerſionis. Vnde cum peccato veniali non conueniat auerſio, ſed ſola conuerſio inordinata, inde eſt, quòd in illo non inueniatur infinitas aliqua in ratione offenſæ; quæ doctrina poteſt fulciri Diui Thomæ authoritate *ex* 1.1. *quæſt.* 72. *art.* 5. Vbi docet, quòd veniale non eſt contra Deum, hoc eſt, non poſtponit Deum creaturæ, quia hoc competit peccato ratione auerſionis, licèt veniale aliâ viâ poſſit dici contra Deum, hoc eſt, contra præceptum eius. Sed hoc non ſufficit, vt in illo, ex excellentia Dei grauitas incompenſabilis reſultet, quia hæc ſolùm naſcitur ex vera ratione offenſæ, quæ à veniali abeſt, cùm ex vi illius non poſtponatur Deus creaturæ, in quo ratio ſtrictæ offenſæ contra Deum reponitur. Hanc ſolutionem communem eſſe apud diſcipulos Diui Thomæ: lege quempiam, & illos citatos comperies: fateor eſſe probabilem, verùm cùm ſemper mihi probabilius adſit, vt notaui *ſect.* 1. Veniale peccatum eſſe abſolutè dicendum Dei offenſam, ideo ſtare debeo ſolutioni primæ.

18. Sed inſtabis contra illam. Si ſemel admittatur veniale peccatum eſſe abſolutè offenſam Dei, fit, fieri incompenſabilem ab homine puro, quantùmuis iuſto, media contritione. Sequela eſt concluſioni primæ contraria. Ergo falſo principio adhæret ſolutio prima. Probo ſequelam. In hypotheſi, quòd veniale ſit Dei offenſa

ſenſa, ipſum eſſe maius malum, quàm ſit bona contritio. Ergo per illam non poſſet fieri compenſatio condigna pro veniali. Antecedens Probo. Ex dicta hypotheſi fieret inelegibilius eſſe peccatum veniale, quàm negationẽ contritionis. Ergo fieret ex tali hypotheſi maius malum eſſe peccatum veniale, quàm contritio ſit bona. Antecedens mihi eſt certum; quia facit hunc ſenſum; inter negationem contritionis, & exiſtentiam peccati venialis, potiori iure eſt eligenda peccati venialis negatio, quàm contritionis exiſtentia. Nunc probo conſequentiam. Eo ipſo, quòd peccatum veniale ſit ineligibilius, quàm negatio contritionis, fit, quòd peccatum veniale ſit maius malum, quàm negatio contritionis, Ergo veniale eſt maius malum, quàm bona ſit contritio. Antecedens ſeipſum probat, quia idem eſt, hoc eſſe maius malum alio, ac minus eſſe eligibile, quàm illud. Conſequentiam probo: Etenim id, quod eſt magis malum, quàm negatio alicuius rei, eſt magis malum, quàm ſit bona illa res. Ergo ſi veniale eſt magis malum, quàm negatio contritionis. Ergo eſt magis malum, quàm bona ſit contritio. Maior videtur certa, quia negatio in ſuo accremento malitiæ, metienda eſt iuxta menſuram magnitudinis bonitatis, cuius eſt negatio. Ergo purus homo quantumuis iuſtus, non poterit media contritione condignè ſatisfacere pro veniali, in hypotheſi, quòd veniale ſit propriè offenſa.

19. Reſpondeo in forma, negando ſequelam. Deinde nego aliam ſequelam. Ad probationem diſtinguo antecedens: veniale eſt ineligibilius, quia maius malum afferat, in ſubiecto, nego, quia ratione legis illud prohibentis eſt minùs amabile, concedo. Et nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis eodem modo diſtinguere debes. Inter negationem contritionis & exiſtentiam venialis potiori iure eſt eligenda negatio contritionis, quàm venialis exiſtentia, propter maius malum à veniali inductum, nego; quia prohibita eſt illius commiſſio, concedo. Vnde optimè ſtat quòd veniale nullo modo ſit eligendum, imò plus reſpuendum, quàm negatio contritionis, & quòd negatio contritionis ſit magis mala, quàm veniale peccatum. Etenim carentia contritionis maius malum infert ſubiecto, quàm malum à veniali illi illatum: quia illa priuat ſubiectum bono excellenti, gratia videlicet & gloria in æternum duraturis, quod non inducit veniale, cùm bene cum iure ad illa in homine compatiatur, cum his tamen cohæret, eſſe minùs amabile, quàm contritionis carentia, non quia maius malum, ſed quia prohibitum, quia id, quod vetitum eſt amari, nullo modo eſt eligendum, vt ex illo aliquod bonum eueniat.

20. Secundò argues impugnans fundamentum, quo concluſionem probabamus: videlicet ideo contritionem eſſe condignam ſatisfactionem pro veniali, quia eſt tam bona; imò magis bona, quàm malum ſit veniale peccatum. Hoc fundamentum non ſubſiſtit. Ergo, contritio non poteſt eſſe condigna ſatisfactio pro veniali peccato. Probo minorem. Datur actus voluntatis, qui ſit magis bonus, quàm ſit malum peccatum veniale, & tamen non eſt condigna pro illo ſatisfactio. Ergo nec contritio erit condigna ſatisfactio pro veniali peccato, licèt ſit magis bona, quàm malum ſit veniale peccatum. Probo minorem. Dilectio ſupernaturalis Dei, & plura ſupernaturalia opera, quæ non ſunt deteſtatiua venialis, licèt ſint æqualia in bonitate cum malitia venialium. tamen non ſunt condignæ ſatisfactiones pro illo. Ergo dantur opera æquè bona, ac mala ſunt venialia, etiamſi non illis competat ratio ſatisfactionis condignæ pro veniali. Ergo non bene arguitur, contritio eſt æquè bona, ac malum eſt peccatum veniale. Ergo eſt condigna ſatisfactio pro illo.

Facilè te expedies ab hoc argumento, ſi oculos iniicias in doctrinam allatam in calce *ſectionis antecedentis*. Iuxta quæ, & quæ *in tota ſectione citata* diximus, dicimus nunc, fundamentum, cui fidebat concluſionis ratio, non bene eſſe captum à Reuerendiſſimis. Etenim non diximus tantùm, actum æquè bonum, ac malum eſt veniale, eſſe illius æqualem ſatisfactionem, ſed dedimus, actum æquè bonum, ac malum eſt veniale & illius retractiuum, eſſe illius ſatisfactionem condignam. Primum enim non ſufficit, bene autem ſecundum, ratio, quia cùm ſatisfactio ſit redditio honoris ablati, & rurſum cùm per veniale conuerſa fuerit creatura ad bonum commutabile, teſte Diuo Thoma *prima ſecundæ, quæſtione ſeptima, articulo ſecundo*, tamquam in obiectum peccati venialis; taliter, quòd licèt à Deo totaliter non auerteretur, vt ait Diuus Thomas, tantiſper ex vi illius torpeſceret, ſeu à Deo remoueretur, neceſſe eſt, quòd vt aliquis actus ſit ſatisfactorius de condigno, præter æqualitatem in bonitate cum malitia venialis, debeat eſſe talis, vt ex vi illius creatura conuertatur ad Deum, retractando ſimul illam conuerſionem ad bonum commutabile; ſicque quoad affectum, magis, ac magis conuertatur ad Deum: ea autem retractatio in pura dilectione, & minùs in alio ſupernaturali opere, non inuenitur, niſi in eo, qui ſit formalis & expreſſa venialis deteſtatio. 21.

Verùm ſi doctrinam, quam ſuprà citato loco ſcripſimus, proſequamur, dicam, etiam dilectionem, & alia opera ſupernaturalia eſſe ſaltem virtuales deteſtationes venialium; atque adeo illorum condignas ſatisfectiones, cùm teſte Scoto, Gabriele, & pluribus aliis, virtualis venialium deteſtatio, ſimul cum æquali bonitate malitiæ illorum, ſit condigna eorumdem ſatisfactio. 22.

Vltimò argues contra veritatem concluſionis. Ex ea infertur incarnationem non fuiſſe neceſſariam, ad ſatisfaciendum condignè pro veniali. Hoc eſt abſurdum. Ergo & concluſio. Sequela probatur, ideo fuit neceſſaria Verbi incarnatio ad ſatisfaciendum de condigno pro lethalibus, quia, vt vidimus, homo purus, quantauis gratia inſtructus, non poterat pro illis condignè ſatisfacere, ſi enim eſſent ab homine puro compenſabilia, nulla eſſet neceſſitas 23.

ſitas incarnationis. Sed in noſtra concluſione defendimus, hominem purum poſſe condignam offerre Deo compenſationem pro veniali, ad quid ergo neceſſitas incarnationis pro redimendis hominibus à venialibus? Conſequens eſſe abſurdum fatentur cuncti. Ergo noſtra concluſio non eſt defendenda.

24. Reſpondeo breuiter. Chriſti incarnationem fuiſſe neceſſariam, ad auferendum impedimentum ad ſatisfaciendum pro veniali. Diximus enim in notabilibus, hominem exiſtentem in mortali eſſe impeditum ad ſatisfaciendum pro ſuis venialibus. Cùm igitur ſi non eſſet incarnatio, omnes maneremus in peccato originali, quod contraximus, fit, illam eſſe neceſſariam, vt depelleret à nobis prædictum impedimentum; quapropter omnia auxilia gratiæ; homini iuſto collata, ad ſatisfaciendum pro veniali, eſt gratia redemptiua. Sed cum his compatitur, quòd inſpectetur natura, & grauitas venialis peccati ex vna parte, & valor contritionis in homine puro repertus ex alia, nullam neceſſitatem inuenio incarnationis, pro illo condignè compenſando ob rationem concluſionis; de facto tamen aſſero ſimpliciter illam fuiſſe neceſſariam ad illius ſatisfactionem, quia hæc ſupponit compenſationem condignam pro originali mortali, quod condignè ſolùm poterat condigna ſatisfactione aboleri, mediante diuini Verbi incarnatione.

25. Verùm adhuc libuit rationem concluſionis aliter formare, vt penitius diſcrimen, inter ſatisfactionem peccati venialis, & mortalis, manifeſtemus. Ratio enim, quam dedimus, cur homo nequeat pro mortali, bebene pro veniali, condignè ſatisfacere, quamuis ambæ ſint propriæ offenſæ Dei, fundabatur in eo, quòd offenſa mortalis grauior erat veniali, & exinde improportionata operi puri hominis. Hæc inquam ratio incrementum habet ex hac ponderatione; Etenim offenſa actiua ſiri ordinis grauitatem ſumit ab offenſa paſſiua. Sed offenſa paſſiua, quam veniale infert Deo, eſt diuerſi, & inferioris ordinis in grauitate, quàm offenſa paſſiua, quam mortale Deo infert. Ergo, &c. Maior ſeipſam probat; nam offenſa actiua quoad ordinis grauitatem ſpecificatur à Perſona offenſa formaliter, vt offenſa, nam hoc eſt ſpecificatiuum formale offenſæ actiuæ; Perſona enim quæ offenditur, ſolùm materialiter ſe habet, & vt ſubiectum ad ſpecificandam offenſam actiuam; atque adeo tota ratio ſpecificatiua formaliter, eſt ipſa offenſa ab offendente illata Perſonæ offenſæ. Minor primi Syllogiſmi probatur: Etenim offenſa Deo à veniali illata, eſt diſplicentia, quam Deus concipit ex læſione boni creati prohibiti. At offenſa Deo à mortali illata, eſt diſplicentia, quam Deus concipit ex læſioſione boni increati. Inter quas dari diuerſitatem ordinis ſuperioris, & inferioris, de ſe patet. Iam quòd illæ offenſæ in eo ſint conſtitutæ, oſtendo ſic; nam per mortale contemnitur immediatè ipſemet Deus ſecundùm ſe. Per veniale non contemnitur Deus immediatè, ſed ſolùm feruor charitatis, quem operans debebat in ſua operatione adhibere: atque adeo contemptus mortalis cadit immediatè in Perſonam increatam, quæ à peccatore deſeritur, & poſtponitur creaturæ, præ cuius amore Deus ipſe relinquitur; Contemptus verò venialis, immediatè tantùm cadit in ipſum bonum creatum, ſcilicet in feruorem charitatis, qui ſolùm per veniale deſeritur. Ratio huius eſt: quia in id tantùm cadit immediatè contemptus, quod voluntariè deſeritur. Sed per mortale ſolùm Deus deſeritur ſecundùm ſe, per veniale ſolus feruor charitatis, cùm homo adhuc cum veniali maneat coniunctus per gratiam cum ipſo Deo. Ergo contemptus mortalis immediatè cadit in ipſam increatam Perſonam, venialis verò in feruorem. Ex quo infero minorem ſecundi ſyllogiſmi. Ergo diſplicentia, quam Deus concipit de iniuria ſibi facta per mortale, eſt de contemptu & morali læſione ſuæ increatæ maieſtatis, quæ per mortale deſeritur: Diſplicentia verò, quam concipit de veniali offenſa, eſt tantùm de feruore charitatis, quem elicere debebat homo in ſua operatione.

Sed inſtabis, vtraque offenſa mortalis, vel venialis, eſt in Deo paſſiuè. Ergò vtraque eſt eiuſdem ordinis, grauitatis, atque adeo incompenſabilis ab homine. Reſpondeo, diſtinguens antecedens. Vtraque offenſa eſt in Deo paſſiuè ſecundùm eam grauitatem, quam vtraque habet ab obiecto ſui immediato, & bono læſo, concedo. Aliter, nego. Igitur cùm diuerſi ordinis ſint bonum, ex cuius læſione Deus concipit diſplicentiam per mortale cauſatam, & bonum, ex cuius læſione concipit diſplicentiam à veniali ſibi illatam, fit, quòd ſint etiam diuerſi ordinis diſplicentiæ, quæ ex talibus peccatis in Deo cauſantur; atque adeo mortale erit diuerſi ordinis à veniali. 26.

Illuſtratur hoc ex familiari exemplo, quia apud omnes eſt certum, quòd offenſa maior eſt & altioris ordinis illa, quæ eſt læſio regiæ maieſtatis in propria Perſona, quàm læſio facta in bonis extrinſecis Regis, tametſi ambæ intelligantur eſſe paſſiuè in regia Perſona. Rationem dant cuncti: quia prima ſumit grauitatem ex ipſa Perſona regia, quam immediatè lædit, à qua ſimiliter menſuram grauitatis accipit offenſa paſſiua, in Rege, & diſplicentia, quam ipſe concipit de ſimili læſione. Poſterior verò ſumit ordinis grauitatem ex bono extrinſeco Regis, quod læſit. Quod adeo commune eſt, vt ipſa pœnarum diuerſitas, illis offenſis correſpondens, oſtendat. Similiter in præſenti. Applica doctrinam. Ergo ex eoquòd, quis ſit impos condignè ſatisfaciendi pro mortali, non rectè infertur, eſſe impotem ſatisfaciendi condignè pro veniali. 27.

Sed argues primò, tam in rebus extrinſecis poſſumus grauiter, quàm in intrinſeca dignitate perſonali, leuiter offendere Deum. Ergo ſpecificatiuum offenſæ eſt moralis immediatus contemptus Dei, nec ſpecificatiuum venialis ſemper erit bonum extrin 28.

trinſecum Dei. Antecedens probo. Quia poſſumus in furto, quod eſt extrinſecum Dei grauiter, & è contra in odio, & blaſphemia indeliberata, quæ immediatè tendunt in Deum, leuiter offendere Deum.

29. Reſpondeo negando antecedens, non enim bonum extrinſecum Dei dicitur res ipſa creata, in cuius materia peccatur, cùm etiam in materia rei creatæ peccari poſſit cum virtuali contemptu Dei, qui tantùm verſatur intrinſecè moraliter circa ipſam increatam Dei dignitatem: Dicitur tamen offendi Deus in bonis extrinſecis, quando non deſeritur Deus per peccatum, ſed modus circa Deum, nempe feruor operationis. Ad id, de odio & blaſphemia ſine deliberatione commiſſis; dico, grauiter non offendere Deum, quantumuis tendant in Deum immediatè, quia tales actus non ſunt humani, quia non ſunt voluntarij, atque adeo cùm non habeant voluntarium ſimpliciter, ita nec morale ſpecificatiuum ſimpliciter in ratione offenſæ.

30. Sed inſtabis; ſicut poteſt Rex & in ſua perſona, & in rebus extrinſecis grauiter, & leuiter offendi à Ruſtico: ita & Deus. Ergo. Reſpondeo negando conſequentiam. Diſparitas eſt infinita diſtantia, quæ inter creaturam offendentem, & Deum offenſum, quæ non eſt inter Ruſticum, & Regem; maior namque, vel minor diſtantia, facit, vt idem contemptus factus vni, ſit grauis, & factus alteri, ſit leuis. Reſpondeo ſecundò, & conſequentiùs, negando Regem poſſe in ſua Regia Perſona leuiter à Ruſtico offendi; ratio; nam omnis contemptus, tametſi minimus, Regiæ Maieſtatis à Ruſtico factus, eſt grauis, & ab illo incompenſabilis; quia quæuis etiam minima legis tranſgreſſio in contemptum Maieſtatis facta, æſtimatur grauis offenſa Regis.

31. Sed nota, vt hoc intelligas, dupliciter poſſe in rebus extrinſecis offendi Regem. Primò per ſublationem tantùm rei externæ. Secundò per virtualem contemptum ipſius Regiæ Maieſtatis. Prima offenſa quatenus terminatur, & conſummatur in ſola ablatione rei externæ, & ibi ſiſtit, eſt longè diuerſi ordinis ab offenſa facta Regi, in contemptum ipſius Perſonæ; atque adeo eſt compenſabilis à Ruſtico, quamuis intra ſuum ordinem poſſit eſſe grauis, vel leuis. Secunda verò eſt altioris ordinis, & à Ruſtico incompenſabilis, quia tangit immediatè Perſonam Regiam per virtualem contemptum ipſius.

32. Ex hoc inferes, Deum non poſſe adhuc in rebus extrinſecis grauiter offendi, quin virtualiter ipſa increata Maieſtas contemnatur. Ratio; quia nulla res eximi poteſt à dominio Regis, atque adeo quantumuis creatura prætendat, res extrinſecas auferre à Deo, nunquam illas eximet à dominio Dei. Vnde ſolùm dicitur Deus leuiter in rebus extrinſecis offendi, quando contemptus rei extrinſecæ non inuoluit contemptum Dei; ſignum verò cognoſcendi quando talis contemptus inuoluitur, eſt, quando per offenſionem Dei in rebus extrinſecis deſeritur Deus, & è contrà, dum non deſeritur per talem læſionem, non inuoluitur contemptus Dei vt contingit in veniali.

33. Sed inſtabis: veniale eſt immediatè contra voluntatem Dei. Ergo eſt immediatus contemptus Dei. Conſequentiam probo: Nam ille eſt immediatus contemptus Dei, qui immediatè contemnit voluntatem Dei; idem enim eſt contemnere Deum, & contemnere voluntatem Dei. Primum antecedens Probo. Nam peccatum veniale expreſsè prohibetur à Deo. Ergo qui illud committit, facit contra voluntatem Dei. Probo conſequentiam; qui illud committit, facit contra Dei prohibitionem. Ergo contra eius voluntatem. Ergo contemnit eam. Ergo contemnit Deum. Probo omnes has conſequentias, ideo qui mortale committit, contemnit Deum, quia contemnit eius voluntatem, & ideo hanc, quia contemnit eius prohibitionem. Ergo, &c.

34. Confirmatur; quia vt mortale ſit contra prohibitionem, & voluntatem Dei, non eſt neceſſe, vt peccator expreſsè intendat facere contra prohibitionem, aut voluntatem Dei, ſed ſufficit ſi committat id, quod eſt prohibitum à Deo, nam hoc ipſo interpretatiuè cenſetur facere contra voluntatem Dei. Ergo vt veniale ſit immediatè contra prohibitionem, & voluntatem Dei, non eſt neceſſe, vt peccator intendat facere contra voluntatem Dei, ſed ſufficit, ſi committat id, quod eſt prohibitum à Deo.

35. Reſpondeo, veniale eſſe offenſam contra voluntatem Dei, non tamen eſſe eiuſdem ordinis cum offenſa mortali; offenſa enim venialis, eſt ordinis creati reſultans ex læſione feruoris charitatis, quem venialiter peccans debebat Deo. Mortalis verò ordinis increati, reſultans ex læſione maieſtatis increatæ, & licèt vtraque ſit offenſa contra voluntatem Dei, quia vtraque diſplicet Deo, & vtraque moraliter cauſat paſſiuam offenſam in Deo; tamen non ſunt eiuſdem ordinis, cùm mortalis ſemper ſit ordinis increati, vtpotè orta ex læſione ipſiuſmet increatæ maieſtatis, quæ per mortale contemnitur, cùm per illud deſeratur. Vnde illa propoſitio. Veniale eſt contra prohibitionem Dei, eſt diſtinguenda, eſt contra voluntatem Dei prohibentem practicè ſui deſertionem, & contemptum, nego. Contra voluntatem Dei prohibentem contemptum & deſertionem boni creati, concedo. Mortale enim eſt contra voluntatem Dei, veniale, verò contra ſecundam. Exemplum ſit in eo, qui in Regem delinquit, hic enim facit contra voluntatem legis prohibentem læſionem & iniuriam Regiæ Maieſtatis; ille tamen, qui ſolùm delinquit in bona extrinſeca Regis, facit contra voluntatem Regis, prohibentem tantùm læſionem bonorum extrinſecorum illius. Quæ quidem offenſæ diuerſi ordinis ſunt vt ſuprà diximus.

36. Ad confirmationem reſpondeo fatens, neceſſarium non eſſe, vt quis mortaliter peccet, quòd expreſsè dicat, ſe facere contra voluntatem Dei, tamen neceſſe eſt, vt illam omnino deſerat, intendit tamen illã deſerere, quando ſciens per peccatum mortale ſe à Deo, vt ab

vltimo

vltimo fine ſeparati, & hoc non obſtante illud omittit, præferendo illud Deo, vltimo fini, & amico. Qui autem venialiter peccat, non deſerit omnino voluntatem Dei, ſed tantùm in ordine ad hanc rem prohibitam, proinde non dicitur facere contra voluntatem Dei ſimpliciter.

37. Sed adhuc inſtabis, venialiter peccans actu deſerit voluntatem Dei. Ergo ſaltem illum leuiter contemnit. Ergo etiam veniale includit contemptum Dei. Antecedens probo: nam actu deſerere voluntatem Dei, nihil eſt aliud, quàm non exequi, quod præcipit, quodque per veniale contingit. Prima conſequentia patet. nam actu deſerere voluntatem Dei, eamque leuiter contemnere, eſt actu facere contra eius prohibitionem. Ratio: quia ſicut ſimpliciter deſerit voluntatem Dei, eamque grauiter contemnit, qui actu facit contra grauem ipſius prohibitionem, ab eaque per priuationem gratiæ etiam habitu recedit, ita actu illam deſerit, eamque leuiter ſaltem contemnit, qui facit contra leuem ipſius prohibitionem.

38. Hoc ipſum confirmatur: ideo mortaliter peccans contemnit grauiter Deum, quia ipſo actu peccati mortalis præfert amorem creaturæ authoritati Dei grauiter prohibenti. Ergo ideo peccans venialiter leuiter ſaltem contemnit Deum, quia ipſe peccato veniali præfert amorem creaturæ authoritati Dei leuiter prohibentis.

39. Reſpondeo deſerere & contemnere idem eſſe, atque adeo nego antecedens: etenim qui abſolutè alium deſerit; vel contemnit, ſeparatur ab alio ſimpliciter; non enim amicus, qui amicum leuiter offendit, dicitur illum deſerere, aut contemnere ſimpliciter, quia per illam leuem læſionem, ſimpliciter ab illo non dicitur ſeparari. Nunc aſſero ex proloquio à SS.PP. recepto, & accepto. Videlicet nunquam Deus deſerit, niſi deſeratur à creatura: vbi Verbum, deſeratur, ſumitur pro omnimoda ſeparatione à Deo; ex quo fit, per veniale nullo modo dici homines abſolutè deſerere, aut contemnere Deum, cùm illud non ſufficiat ad ſeparandum hominem abſolutè à Deo: quia, vt ſupponimus, compatitur veniale in homine cum Deo media gratiâ accidentaliter coniuncto. Nec probatio antecedentis conuincit, quia non eſt idem, contemnere, aut deſerere Deum ſimpliciter, ac facere contra illius prohibitionem. Contemnere enim, aut deſerere abſolutè voluntatem Dei, eſt ſimpliciter ab illa ſeparari. Ex quo fit: quòd hæc cauſalis non ſit vera; ideo mortaliter peccans deſerit, aut contemnit voluntatem Dei, quia facit contra eius prohibitionem abſolutè, ſed quia illum ſimpliciter deſerit media ſeparatione. Ex his patet ad confirmationem, quia hæc cauſalis etiam eſt falſa, ideo mortaliter peccans contemnit Deum, quia in materia graui præfert amorem creaturæ amori ipſius Dei. Quod verò res ita ſe habeat, declaro ſic: pone caſum, quòd Deus eandem materiam grauem vetaret, non tamen ſub pœna ſuæ indignationis & perpetuæ ſeparationis, in hoc caſu, qui contra talem prohibitionem faceret, præferret amorem creaturæ prohibitioni Dei etiam in materia graui, non tamen præferret neceſſariò ipſi amori Dei: quia talis homo poſſet habere expreſſum affectum nunquam talem prohibitionem facturum, ſi ſciret, ſe forè à Deo ſeparandum, tanquam ab amico vltimo fine; imo adhuc in tali caſu, poſſet ſimul diligere Deum, & contra talem prohibitionem facere, ſicut contingit hîc & nunc, dum iuſtus venialiter operatur.

Sed inſtabis: qui venialiter peccat, conſtituit creaturam vltimum finem. Ergo abſolutè per veniale deſeritur Deus. Antecedens probo: quia venialiter peccans actionem illam nequit ordinare in Deum. Ergo illius actionis non eſt Deus vltimus finis. Ergo creatura: Reſpondeo facilè, concedens venialiter peccantem non poſſe ſuam actionem ordinare in Deum, tanquam in vltimum finem, quia cùm illa actio ſit antelatio amoris creaturæ ad diuinam præceptionem, fit, quòd illam nequeat ordinare in Deum tanquam in finem; verùm non ex hoc infertur, hominem illum conſtituere creaturam vltimum finem illius actionis: quia vt illam ſic finem conſtitueret, præter hoc, quod eſt exercere actionem inordinabilem ad Deum, deſideratur quòd exerceat actionem incompoſſibilem cum Deo amico, & vltimo fine: necnon quòd amor ſui actus præferatur amori Dei, quod ſolùm inuenitur in peccato mortali; vt de ſe patet. 40.

SECTIO IV.

Aliæ duæ concluſiones, dubij reſponſiuæ.

Sit in ordine tertia concluſio. Contritio perfecta eſt condigna ſatisfactio prorſus ſeipſa extinguens debitum venialis, cuius eſt retractatio efficax, independenter ab omni voluntate acceptante Dei, & noua remiſſione. Hæc concluſio eſt communis inter diſcipulos D. Thom. & alios nempe Vaſquez contra Suarez. Eſt etiam contra Lugo, qui licèt contritioni dederit vim ſatisfactiuam, quaſi in actu primo fundatam in eius intrinſeco, & æquali valore cum malitia offenſæ leuis, independenter ab omni alia voluntate extrinſeca Dei, venialis offenſæ remiſſiua, tamen hîc & nunc de facto, & regulariter loquendo, non eſſe ſatisfactionem in actu exercito ſine noua voluntate Dei, talem offenſam remittente; imò illi denegat eſſe ſatisfactionem de facto, cùm ex vi iſtius Prouidentiæ, peccata venialia, media remiſſione, tollantur, quod non compatitur cum eorum ablatione, mediante ſatisfactione. Ita Lugo *tract. de Incarnatione, diſput. 5. ſect. 7.* & etiam contra Ripaldam, cuius modum dicendi inſrà referam in alia concluſione. 41.

Ratio reſolutionis eſt, quia contritio eſt, vt probauimus concluſione prima, condigna ſatisfactio ab homine iuſto elicita, qui eſt perſonalis debitor. Ergo eſt vera & propria debiti, & condigna ſolutio. Ergo talis, quam nequeat creditor non acceptare. Probo hanc conſequentiam à paritate, quæ inſeruire poteſt ad probandum reliquas, ſi aliquis irrationabiliter illas negauerit. Qui centum eſt debitor, & centum creditori proprio offert. Extinguit in ſe illorum centum debitum, quod contraxerat, nulla voluntate creditoris expectata: 42.

Ergo qui contraxit debitum ſatisfaciendi per obſequium à ſeipſo factum pro iniuria, quam alteri intulit, eo inſtanti, quo tale obſequium præſtiterit, præcedens debitum extinguet, nulla; ad dictam extinctionem, deſiderata voluntate creditoris.

43. Hoc ipſum aliter inſtauro. Vel ergo poſita contritione habet Deus ius ad exigendum debitum, & peccatorem puniendum, vel non habet. Si primum. Ergo contritio non fuit condignum, & æquiualens obſequium pro offenſa leui, quod eſt contra Suarez. Si ſecundum. Ergo non eſt neceſſaria noua remiſſio, & nouus fauor. Rurſum premitur hoc ipſum. In ſententia Suarez, contritio eſt magis bona, quàm ſit malum peccatum veniale. Ergo oblata ab homine contritione, non poteſt Deus manere rationabiliter indignatus ea indignatione, qua peccatum veniale reſpuere dicebatur. Probat hanc conſequentiam paritas in humanis experta. In his autem apud homines cordatos, tantùm durationis habet offenſa, quam vnus in alterum fecit, quantùm temporis, vel offenſus condonare tardauerit, vel offendens extiterit in mora ad illi offerendum ſatisfactionem. Dum enim contingit, quòd qui offendit ingentia obſequia obtulit, quæ collatione facta cum damno per iniuriam facto, maioris emolumenti in honore, aut in bonis ſunt, quàm ipſum damnum, quod per iniuriam fuit paſſus; Quis non iudicabit offenſum irrationabiliter indignatum aduerſum offendentem, ſi poſt tot beneficia illi ab offendente oblata, adhuc in eadem indignatione in offendentem perſeueret? Sic in noſtra re: atque adeo vel oblata ſemel contritione, quæ maius eſt obſequium Deo placens, quàm ſit malum veniale, & Deo diſplicens, manet Deus rationabiliter indignatus ea indignatione, quam antea in veniale habebat, vel non? Si hoc, Ergo non eſt neceſſaria noua remiſſio. Si manet. Ergo contritioni deficit aliquid ad rationem perfectæ ſatisfactionis, quod eſt contra Suarez aſſerta.

44. Reſpondebis cum Suarez, optimè ſtare cum hoc, quod eſt contritionem eſſe pro veniali perfectam ſatisfactionem, deſiderari nouam voluntatem Dei, quæ tale veniale remittat. Quod inſtat ſic. Stat bene, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe perfectiſſimam compenſationem pro noſtris peccatis, cum hoc, quòd Deus potuiſſet nobis non remittere peccata. Ergo quamuis Deus poſita contritione poſſit veniale non remittere, non bene inferimus aliquid deficere contritioni ad veram ſatisfactionem pro veniali.

45. Sed contra: quia eſt latum diſcrimen inter ſatisfactionem propriam, & alienam. Quod ad hanc acceptandam, quantumvis ſuperabundans & excedens debitum ſit, non tenetur creditor: quia in hoc ſemper manet illibatum ius, ad exigendum ſatisfactionem à perſona illa, quæ offenſam irrogauit, vt omnium DD. vox tenet. At verò propria ſatisfactio non poteſt non acceptari à creditore, quia ſeipſa eſt honoris ablati reſtitutio, atque adeo iſta, ſemel iſtâ poſita, debitor ab omni debito liberabitur: nunc ad rem. Fateor ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ſuperabundantem pro omni debito, quod per peccatum contraximus, tamen quoad hunc effectum ſatisfaciendi pro venialibus, maiorem vim agnoſco in contritione ab homine iuſto elicita, quam in Chriſti ſatisfactione, quia hæc, vtpote aliena, potuit non acceptari, at verò hæc, quæ fit media contritione, quia propria, nulla indiget acceptatione.

Secundò reſpondebis, optimè compari, nos de condigno apud Deum gloriam promereri, & quòd Deus, ſecluſo pacto, poſſit gloriam denegare. Ergo non valet bene, Deus poteſt, oblata contritione pro veniali, illud non remittere. Ergo non ſatisfacimus media contritione condignè pro illo. Sed contra, quia diſpar eſt faciliſque ratio, quia ex proprio genio meriti inuoluit, præter ſuam condignitatem intrinſecam, voluntatem extrinſecam præmiantis. Etenim meritum non aliter ſuum effectum in actu ſecundo lucratur, quàm mouendo voluntatem illius, apud quem eſt poteſtas præmij collatiua; vnde duo connotat meritum de condigno. Vnum independenter à voluntate præmiantis ſibi annectit. Aliud dependenter à voluntate præmiantis ſortitur. Illud eſt ſubiectum dignum conſtituere præmio, ad quod obtinendum exercetur. Iſtud eſt præmij poſſeſſio, ad illud ſufficit præſtantia operis; adhoc præter illam requiritur voluntas alterius, applicata ad præmium conferendum; & cùm non repugnet ſubiectum eſſe dignum præmio, quin voluntas præmiantis applicetur hîc & nunc ad eius collationem, ſit compati poſſe dignitatem præmij, & ius ad illud ſine præmij poſſeſſione; atque adeò ſtabit bene, nos mereri apud Deum de condigno gloriam æternam, & quòd Deus poſſit nolle illam conferre nobis, contrarium tamen reperitur in ſatisfactione hîc & nunc pro veniali, quia illa oblatio eſt immediata extinctio indignationis Dei, quam de offenſa antea conceperat. Ratio, quia ſeipſa eſt ablatio offenſæ venialis. Ratio, quia ſeipſa eſt redditio æquiualentis obſequij pro illa. Ergo ſe habet tanquam reſtitutio honoris ablati, atque adeo eſt ſolutio debiti. Ergo ſeipſa & ex ſe totum debitum extinguit. Ergo ſeipſa totam maculam & offenſam diſſipat. Ratio, nam in ſententia Suarez & Logi, contra quos eſt concertatio, offenſa habitualis tamdiu ſolùm permanere dicitur, quandiu non condonatur ab offenſo, aut non ſatisfit ab offenſore ad æqualitatem; nec eius permanentia moralis, in iſtorum ſententia, diſtinguitur à præteritione Phyſica offenſæ, & non ſatisfactione æquali, aut non condonatione; itaque offenſa habitualis venialis (idem dicunt de habituali mortali) eſt hoc complexum; præteritus actus venialiter prauus, & non ſatisfactio æqualis offenſoris, vel non condonatio ſeu remiſſio liberalis offenſæ. Ergo vbi extiterit æqualis, imo ſuperabundans ſatisfactio pro veniali, totaliter euaneſcet offenſa independenter à voluntate remittente offenſoris. Ratio quia tunc aliquod complexum periit, quando aliqua pars eius conſtitutiua perit.) Sed veniale eſt hoc complexum, offenſa præterita, & negatio æqualis ſatisfactionis offendentis, vel negatio remiſſionis offenſi. Ergo cùm per ſatisfactionem æqualem, quæ eſt contritio, tollatur negatio ſatisfactionis æqualis, quæ erat vna pars ſub diſiunctione conſtitutiua illius complexi habitualis venialis offenſæ, 46.

fenſæ, ſit totum illud complexum offenſæ media contritione aboleri. Vbi nota, quòd dum dicunt hi Authores offenſam habitualē eſſe illud complexum ex actione præterita praua, & negatione æqualis ſatisfactionis, vel negatione remiſſionis conflatum, illud quod eſt poſitiuum in illo complexo, nempe actio præterita praua, determinatè eſſentialiter requiritur, quia ſi actio phyſica offenſæ non præteriiſſet, non diceretur homo habitualiter offenſor, & peccator: at verò illa duplex negatio, videlicet negatio ſatisfactionis, vel negatio remiſſionis, neutra determinatè, licèt vtraque ſub diſiunctione, requiratur, ideo ponitur ab illis dictio illa diſiunctiua, *vel*, & rectè, quia ſi homo, qui offenſor eſt, ſatisfaciat æqualiter, tam tollit partem eſſentialem illius complexi, quæ erat negatio ſatisfactionis æqualis, quàm idem complexū offenſæ deſtruat Deus, ſi remittat, quia tollit aliam partem illius complexi, quæ erat negatio remiſſionis. Ergo ſicut ſi Deus remitteret offenſam, totam illam aboleret, nulla attenta voluntate hominis ſatisfacientis, ita ſi homo æqualiter per contritionem ſatisfacit pro veniali offenſa, totam illam deſtruet nulla attenta voluntate Dei remittentis.

47. Vnde fateor quòd hic & nunc & in actu ſecundo, non poſſit homo iuſtus mereri apud Deum, niſi obſequia eius acceptentur in remunerationem; quia aliud eſt, Deum eſſe debitorem ad dandum creaturæ rationali, & aliud non eſſe creditorem ad exigendum aliquid ab illa. Etenim vt Deus ſit debitor, requiritur promiſſio & pactum Dei, quia ipſe ex ſe nihil creaturæ debet. At vt Deus non ſit illius creditor, ſufficit, quòd voluntas debitoris, qui eſt homo, ſoluerit totum, quod debebat; etenim oblata ſolutio debitoris, cùm ſoluat totum, quod debet creditori, extinguit iſtius ius, quod ante ſolutionem habebat ad exigendum. Ex quo fit, quòd cùm meritum creaturæ conſtituat Deum debitorem ad dandum, ſiue ex fidelitate ſiue ex iuſtitia, ſiue ex gratitudine; ſatisfactio verò non conſtituat Deum debitorem ad dandum, ſed ad non exigendum. Fit, ad meritum, præter eius intrinſecam condignitatem, requiri voluntatem extrinſecam Dei promittentis, ad contritionem verò præter intrinſecum eius valorem æqualem offenſæ, non deſiderari voluntatē Dei remittentis.

48. Reſpondebis tertiò, cum hoc, quod eſt hominem iuſtum ſatisfacere ad æqualitatem, per exercitium operum pœnalium virtutum, pro pœna temporali cuius eſt debitor pro peccatis commiſſis, compatitur, poſſe Deum illa minimè acceptare. Ergo non bene arguitur in noſtra concluſione, hominem iuſtum æqualem ſatisfactionem pro veniali non exhibere, ſi Deus poſſet illam offenſam non remittere.

49. Sed contra quia apud DD. omnes punire, reo non incumbit, ſed iudicis intereſt, etenim debitori pœnæ ſolùm incumbit, pœnam pati, & ſuſtinere pœnalitates à iudicis arbitrio taxatas. Vnde poteſt ſtare, reum ſibi præfigere acerbiorem pœnam in expiationem culpæ à ſe commiſſæ, quàm ſit illa, quam illi infligeret Iudex, & tunc nolle illam acceptare in prædicti criminis compenſationem, & aliam ſtatuere mitiorem pœnam, quam tenetur ſufferre reus. Ex quo ſit, quòd cùm punire non ſit rei, ſed iudicis, neceſſatiò requiri ad ſatisfactionem pro pœna, præter æqualitatem illius, ipſi pœnæ intrinſecam, voluntatem iudicis, illam, in ſatisfactionem, acceptantem: at verò ſatisfacere pro iniuria, debitori, qui offendit, competit, non alia ratione, ac reſtituere bona ſpectat ad illum, qui à proprio domino ſurripuit. Ergo ſicut ille, qui fur fuit centum, ſi illa ſoluerit, totum debitum pecuniarium ſoluere dicitur; taliter, quòd creditor ſimilem ſolutionem teneatur admittere. Ita qui ſatisfacit Deo pro offenſa ad æqualitatem, extinguit totum debitum independenter à voluntate Dei remittentis.

Reſpondebis 4. quilibet homo iuſtus ex vi 50.
gratiæ non minùs habet ius, vt remittantur illi maculæ habituales veniales, quàm habeat homo ex vi contritionis, vt ſimiles maculæ habituales remittantur ei. Etenim cùm ex vi gratiæ, habeat homo ius ad gloriam, quam aſſequi non valet in præſentia venialium, fit, mediatè habere ius, vt illi prædictæ maculæ remittantur. Sed hoc iure non obſtante eſt neceſſaria Dei condonatio, vt illi fiat remiſſio venialium. Ergo non bene valet, contritio dat ius homini, vt mundetur à veniali. Ergo non requiritur ex parte Dei noua voluntas illud remittens.

Sed contra, quia eodem modo ſe habet ius, 51.
quod ex vi gratiæ acquirit homo ad vitam æternam, ac ius ortum in illo, ex vi meriti; etenim ſicut hoc non aliter operatur, niſi mouendo voluntatem præmiantis, ita gratia habitualis, atque adeo vtrumque ius non eſt, niſi quædam exigentia in actu primo, ad remiſſionem venialium, ſi Deus velit illam concedere. Contrarium autem inuenitur in ſatisfactione, etenim ſi ſemel condigna extiterit, & æqualis, non ſolùm non dat ſimile ius ad condonationem, ſicut gratia habitualis & meritum, verùm nullum ius confert ad illam, nec illam exigere poteſt, ſed ſeipſa immediatè, vtpote ſolutionem debiti pecuniarij imitans, totum debitum offenſæ venialis extinguit, vt ſæpe repetij.

Sed occurres cum Lugo, qui à contritione au- 52.
fert rationem ſatisfactionis in actu ſecundo pro veniali, quia videlicet peccato veniali correſpondet pœna acerbiſſima Purgatorij, quæ arguit, vix eſſe vllum obſequium iuſti, quo vnicè valeat compenſari, cùm in eius pœnæ commutationem, plurima & diuturna obſequia charitatis & religionis prudentiſſimè poſſint admitti. Ergo nullum erit obſequium æquale malitiæ offenſæ, cum qua proportionatur pœna.

Reſpondeo in obſequio duo eſſe conſideran- 53.
da, aliud ipſius pœnalitatem, & aliud eius valorem, & bonitatem. Eſſe hæc diuerſa inter ſe, patet, cùm contingat non ſemel aliqua obſequia eſſe magis pœnalia aliis, & non eſſe æquè bona illis: actus enim pœnitentiæ magis pœnales ſunt, quàm actus charitatis, & tamen ſunt minùs boni. Similiter in veniali, aliud eſt, offenſa, & culpa illius, & aliud, pœna illi correſpondens, ratione talis culpæ & offenſæ. Ex quo fit, quòd pœnalitas obſequij correſpondeat pœnæ, quæ ſequitur ad culpam venialem: & bonitas in obſequio inuenta correſpondeat veniali offenſæ. Vnde licèt pœnalitas obſequij nequeat eſſe æqualis pœnæ offenſæ leuis, poterit eius bonitas eſſe æqualiter ſatisfactoria pro offenſa,

quia licèt excedatur à pœna offenſæ correſpondente, poterit bonitas, & valor operis obſequioſi eſſe equalis, imo & excedere, in æſtimatione morali, malitiā peccati venialis, in ratione offenſæ: ſicut de facto illam excedit, in bonitate, cōtritio.

54. Secundò argues ex communi oratione fidelium, petentium humiliter à Deo omnium peccatorum remiſſionem, quam vnuſquiſque ex Dei miſericordia expectat. Ergo in deſtructione noſtrorum peccatorum libera voluntas Dei remittentis interuenit. Confirmat hoc ipſum Ripalda, magna authoritatum copiā n. 4 infrà citandus. Quæ omnia eò deueniunt, vt tribuant Dei fidelitati venialium remiſſionē. Ergo iſi actus voluntatis diuinæ, quò fidelis eſt, requiritur, vt noſtra venialia pereant. Antecedēs probat, Ioan. *epiſt.1.c.1. ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat peccata noſtra.* Ergo Dei fidelitati tribuenda eſt venialium extinctio.

55. Reſpondeo fatens ex miſericordia Dei omnia peccata venialia ab ipſo remitti, & iure optimo fideles illi fidentes, prædictam remiſſionem ſperare; ſed addo, illa Deum dici remittere largo titulo, & vniuerſaliſſimo, quatenus ipſe liberaliter, & ex miſericordia, auxilia nobis confert, quibus muniti, poſſimus pro venialibus æqualē ſatisfactionē offerre. Rurſum admitto in prædicta remiſſione laxè ſumpta, inuolui Dei conſtantem fidelitatem, quia adimplet in collatione auxiliorum, ad ſatisfaciendum pro venialibus requiſita, verbum omnibus fidelibus datum, de cōferendis neceſſariis auxiliis, vt dignè ad ipsū conuertātur.

56. Quarta concluſio in ordinē; quamuis hîc & nunc contritio, & eius valor à Deo acceptetur in remunerationem gratiæ, & gloriæ, non impeditur à ratione perfectæ ſatisfactionis pro veniali. Hæc eſt contra Ripaldam *t.2. diſp.96. ſect.3.n.43.* vbi docet, reipſa, iuxta prouidentiam præſentem Dei, nulla iuſti obſequia ſatisfaciunt, nec ſub ea poſſunt ſatisfacere cōdignè pro offenſa leui nō ſolùm regulariter, & moraliter, vt volebat Lugo, ſed nec Phyſicè, aut Metaphyſicè. Fundamentum huius authoris, quo mouetur *n.45.* in probatione huius cōcluſionis manebit ſolutum.

Concluſionis ratio tota erit, in deſtruendo fundamento Ripaldæ: mouebatur enim hic author, totus valor condignus obſequiorum iuſti de facto acceptatur à Deo, in remunerationem præmij, & exhauritur totus in augmento gratiæ & gloriæ, quod ei prouidetur. Ergo nullus eis relinquitur valor, quo iuſtus condignè ſatisfaciat pro offenſa leui. Ergo hæc ſolùm euaneſcit per remiſſionem Dei. Hæc eſt ratio Ripaldæ aſſerti. Sed non ſubſiſtit. Ergo, &c. Probo minorem. Hoc, quòd eſt obſequia hominis iuſti (loquamur de contritione determinatè) acceptari in remunerationem præmij, videlicet augmenti gratiæ & gloriæ, non tollit à contritione eſſe ſatisfactionem æqualem offenſæ venialis. Ergo non ſubſiſtit Ripaldæ fundamentum. Probo antecedens. Quia actu acceptari contritionem fundatur in hoc, quod eſt illam eſſe æqualem ſatisfactionem pro veniali. Ergo actu acceptari in remunerationem præmij, non impedit contritionem eſſe pro veniali æqualem ſatisfactionem. Antecedens mihi eſt euidens, & innegabile à viro prudenti. Quia priùs eſt obſequium cum ſua bonitate offerri, quàm in remunerationem præmij acceptari. Sed contritio, in ſuo primo ortu, naſcitur ab homine iuſto, tāquam ſatisfactio pro veniali. Ergo hoc, quod eſt acceptari in remunerationem præmij, fundatur in hoc, quod eſt contritionem eſſe pro veniali ſatisfactionem æqualem. Minor ex dictis in toto hoc dubio eſt certa, quia dum primò oritur contritio ab homine iuſtó, egreditur vt efficax venialis deteſtatiò. Sed vt ſic, eſt ſatisfactio æqualis pro veniali, vt diximus latè ſuprà. Ergo vt primò oritur contritio ab homine iuſto, naſcitur vt æqualis pro veniali ſatisfactio. Ergo actu acceptari in remunerationem præmij, non impedit illam eſſe æqualem ſatisfactionē de facto, expellentem veniale, nulla intercedente, ex parte Dei, remiſſione. Probo conſequentiam ſatis clarè ex doctrina huius dubij: quia actualis præmij remuneratio, quæ fundatur in eo, quod eſt æqualis ſatisfactio pro peccato, fundatur in eo, quod eſt redditio æquiualens pro ipſo peccato. Ergo fundatur dicta remuneratio præmij, in eo quod ſeipſo, & immediatè tale peccatum delet, abſque nouo actu acceptante, ex parte Perſonæ offenſæ. Tunc ſic. Sed id quod fundatur in eo quod ſeipſo peccatum delet, nequit impedire, ne illud deleat, imo abolitum ſupponit. Ergo actualiter acceptari contritionem in præmium, cùm fundetur in eius valare, ſeipſo peccatum deſtruente, nullo modo impediet, nè contritio ſit digna ſatisfactio pro veniali, illud ſeipſa & abſque remiſſione deſtruens.

57. Ex his ſufficienter fundamento Ripaldæ manere videtur ſatisfactū. Verùm inſtat ipſe *n.46.* Inter homines offenſor non ſatisfacit pro offenſa, nec illam extinguit ſine remiſſione offenſi, per obſequia mercede conducta, aut quæ offenſus abſque cōductione remuneratur, acceptante remunerationē offenſore; nam vltra eiuſmodi obſequia iure poteſt offenſus exigere alia, ratione offenſæ, cū ratione iſtius debita ſint ei obſequia, ab omni remuneratione libera. At eadem ratio verſatur inter hominē & Deum. Ergo homo non poterit ſatisfacere Deo per obſequia, quæ Deus conducta mercede gratiæ & gloriæ ſupra condignum remuneratur. Nam vbi Deus ea obſequia acceptat titulo remunerationis, poteſt iure exigere alia obſequia titulo offenſæ, cùm ei ſint debita hoc titulo obſequia, nulli remunerationi obnoxia. Vnde ait Ripalda, vt obſequia ex ſe ad ſatisfaiciendum pro offenſa, & illam extinguendam condigna, ſatisfaciant hîc & nunc reipſa, & in actu ſecundo, & offenſam abſque aliqua remiſſione extinguant, eſt neceſſe, vt non ſint remunerationi expoſita, ſed illam ab offenſo ſoluendam excludant, atque adeo licèt contritio ex ſe ſit ſatisfactiua condignè pro offenſa veniali, & illius extinctiua in actu primo, pro illa de facto non ſatisfacit, nec illam reipſa extinguit abſque remiſſione, quia hîc & nunc à Deo acceptatur ad remunerationem ſupernaturalis præmij nempe augmenti gratiæ & gloriæ.

58. Sed facilè ex dictis vis iſtius confirmationis declinatur. Etenim eodem modo Philoſophor de obſequiis inter homines præſtitis, ac de obſequiis hominum erga Deum exercitis. Atque adeo ſi offenſor exercuit obſequia talis conditionis, vt ſeipſis alterius hominis offenſi detrudant indignationem, quam ex offenſa conceperat, quòd poſtea talia obſequia acceptantur

in

in remunerationem ab offenſo, non tollit à prædictis obſequiis, quòd ſint ſatisfactio pro offenſa; quia collatio præmij, vt ſupponimus, fundabatur in eo, quòd ſeipſis propter æqualitatem, quam cum offenſa habebant, illam abolebant, atque adeo idem eſſet in tali caſu talia obſequia ab offenſo præmiari, ac tale præmium illis conferre, quia antecedenter extinxerunt offenſam. Si enim obſequia ab homine offenſore facta, ex ſe non habebant valorem ſufficientem ad ſatisfaciendum pro offenſa, quam offenſo intulerat, & offenſus ille præmiauit; tunc ſi non tolleretur offenſa, ea præciſa ratione, quòd ab offenſo præmientur, ſed quia antecedenter ad prædictam remunerationem prædicta obſequia non ſufficiebant ad offenſam expellendam. Cùm ergo contritio ſit ex genere obſequiorum, quæ propter rationes datas, debitum ſeipſis extinguunt, necnon ex illis, quæ præmiantur, quia debitum contractum expiarunt, fit, quòd acceptari illam in remunerationem præmij, augmenti ſcilicet gratiæ, & gloriæ, non impediat, vt reipſa ſit & in actu ſecundo ſatisfactio condigna pro veniali, imo, vt diximus, tam procul eſt, quòd præmij collatio id impediat, vt id ipſum etiam ſupponat, cùm ideo contritio præmiatur augmento gratiæ & gloriæ, quia eſt talis bonitatis, vt ſit efficax retractatio peccati, quod eſſe idem, ac quia eſt perfecta venialis extinctio, & ſatisfactio, probauimus non ſemel.

59. Hoc ipſum confirmo in ſententia, quam probabilem tenent Ieſuitæ plures Vaſquez ſequuti. Etenim apud hos ſunt hæc duo certa, & quòd contritio ſit forma ſanctificans expellens peccatum mortale, & quòd à Deo prædicta contritio augmento gratiæ, & gloriæ præmietur. Ecce quomodo acceptari contritionem in remunerationem premij, non impediat, illam peccatum depellere, tanquam perfectam illius ſatisfactionem. Et hoc verum non alia ratione, niſi quia talis acceptatio, ad tale præmium fundatur in contritione, quæ apud illos talis naturæ eſt, vt ſeipſa expellat peccatum mortale, tanquam æqualis compenſatio, atque adeo hæc propoſitio eſt vera, ideo contritio hîc & nunc augmento gratiæ & gloriæ à Deo remuneratur, quia tanti valoris eſt vt depellat peccatum mortale, tanquam condigna ſatisfactio. Similiter ergo, & probabilius in noſtro caſu licebit idipſum affirmare, ideo contritionem hîc & nunc acceptari à Deo ad præmium gratiæ & gloriæ, quia talis conditionis & valoris eſt, vt depulerit peccatum veniale. Ergo ſicut ob hanc cauſam, acceptari ad præmium augmenti gratiæ & gloriæ, non impedit, ne illa ſit ſatisfactio pro mortali, quia in ſententia probabili ſupponat talis acceptatio in contritione valorem æqualem, cum malitia lethalis, meliori titulo id aſſerere erit conſonum de eadem contritione reſpectu venialis, cùm probabilius ſit tam apud diſcipulos D. Thom. quàm apud exteros, contritionem habere æqualem, imo ſuperabundantem valorem, & bonitatem, quàm ſit malum veniale: atque adeo nullibi acceptatio contritionis ad præmium, tollet ab illa eſſe reipſa hîc & nunc ſatisfactionem pro peccato, pro quo hîc & nunc ab homine iuſto offertur.

Secundò inſtat Ripalda à poſteriori *num*. 49. 60.
attritio elicita ab homine iuſto non ſatisfacit efficaciter hîc & nunc pro offenſa veniali, independenter à remiſſione Dei. Ergo nec contritio. Antecedens probat. Quia ſi attritio ſeipſa efficaciter ſatisfaceret pro veniali, nunquam veniales remitterentur per Sacramentum Pœnitentiæ, cùm abſque præuia attritione, Sacramentum remiſſionem non operetur: attritione autem præcedente operari illam non poſſet, ſi per ſolam attritionem extingueretur offenſa ante ſuſceptionem Sacramenti. Tunc ſic. Ergo neque contritio extinguet offenſam independenter à remiſſione Dei. Quia ſi contritio aut alius actus extingueret offenſam venialem ſeorſim à Dei remiſſione, ideo eſſet, quia contritioni & aliis actibus, competit condignitas ſatisfactoria pro culpa veniali. Sed eadem condignitas competit attritioni elicitæ ab homine iuſto, vt ſupponit, & nos dedimus ſuprà. Ergo aut attritio, aut nullus alius actus hîc & nunc, & ex vi huius prouidentiæ, ſatisfacit pro veniali independenter à Dei remiſſione.

Reſpondeo conceſſo antecedenti negans conſequentiam. 61.
Ad probationem concedo antecedens & nego minorem. Vnde licèt ſuprà ſuſtinuerimus, attritionem eſſe magis bonam, quàm malum ſit veniale, necnon eſſe retractationem peccati, tamen non diximus illam eſſe hîc & nunc ſatisfactionem pro illo, non ob defectum condignitatis, deſumptum ex negatione condignitatis ſubiecti, & principij, quia ſupponimus illam eſſe elicitam ab homine iuſto, ſed ob defectum formalis affectiuæ conuerſionis ad Deum, quæ in ipſa formaliter non inuenitur, quæque deſiderabatur, vt eſſet hîc & nunc ſatisfactio pro veniali, ratio, quia licèt per veniale non eſſet homo auerſus formaliter à Deo, tamen vt ait D. Thom. formaliter erat homo ad bonum commutabile conuerſus, atque adeo iſta conuerſio formalis in bonum commutabile, debet compenſari per conuerſionem formalem, ad incommutabile bonum, quod ſolum aſſequitur homo per contritionem: atque adeo licèt in illa, & attritione reperiatur condignitas ſufficiens, quaſi in actu primo, ad hunc ſenſum, quòd quælibet illarum ſit magis bona, quàm ſit malum peccatum veniale, non tamen ad hunc ſenſum, quòd tantùm ponat vna ac ponit alia, cùm contritio præter hoc, quod eſt eſſe magis bonam, quàm ſit malum peccatum veniale, ſit formalis conuerſio affectiua in Deum, quod deficit attritioni, quodque deſiderari, vt hîc & nunc veniale depelleret, tanquam æqualis pro illo ſatisfactio, ſupponimus ex principiis D. Th. ſuprà citati.

SECTIO V.

Duplici quæſito ſatisfactio.

QVæres primò. An homo poſſit ſatisfacere 62.
pro veniali, viribus naturæ præciſè innixus? affirmant nominales plures *in* 4. *diſt*. 16. *q*. 3. *& diſt*. 20. necnon Durandus ibi. Communiter tamen negant DD. cum D. Th. & præter ſanctiones alias Conciliorum, videtur id definitum eſſe ab Arauſicano 2. *can*. 6. vbi hæc habet.

Signus per natura vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, cogitare aut eligere poſſe confirmat abſque illuminatione Spiritus ſancti, hæretico fallitur ſpiritu. Ex quibus hanc formo rationem, nemo poteſt bonum opus morale, vt ad ſalutem conducens, operari viribus naturæ ſolùm innixus. Sed ſatisfacere pro veniali, eſt opus conducens ad æternam ſalutem. Ergo homo viribus naturæ ſolùm innixus nequit ſatisfacere pro peccato veniali. Maior eſt concluſio. Conſequentia bene infertur. Minor probatur. Quia licèt veniale non auertat ſimpliciter hominem à Deo, illum tamen retardat, ne Deum aſſequatur. Ergo idipſum, quod tale peccatum ſummouet, neceſſariò debet conferre ad conſequendum Deum; ſed media viſione beata, quæ eſt homini æterna ſalus, poſſidetur ab homine Deus. Ergo illud opus, quod veniale deſtruxerit, ad vitam æternam conducit.

63. Sed occurres concluſioni; demus caſum, quo venialiter in ſtatu naturæ peccaret homo, quid illi obuiaret, ne per æqualem ſatisfactionem illud deſtruere poſſet, medio opere naturali? Ergo & in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Antecedens patet, quia ſi aliquid obeſſet, maximè tunc hominem non poſſe elicere opus naturale tam bonum, quoad temporalem bonitatem, quantum malum temporale induceret tunc veniale peccatum. Sed hoc eſſet id in illo ſtatu poſſibile homini, vt ex terminis conſtat. Ergo nulla ratio ibi obeſſet, ne homo per opus naturale ſatisfaceret pro veniali.

64. Reſpondeo, notans peccatum veniale, in quouis ſtatu eliciatur, eſſe talis conditionis, vt hominem in quo eſt, retardet ab vltima ſupernaturali felicitate, caſu, quo Deus velit hominem illum ad illam ordinare. Adde, opus naturale ex ſe & ex natura ſua tale eſſe, vt caſu, quo Deus hominem eleuaret ad vitam ſupernaturalem, qualiter hîc & nunc cognoſcimus eſſe ordinatum, ad illam conſequendam minimè conduceret propter ingentem improportionem intèr naturale & ſupernaturale inuentam. Ex quibus fieret, quòd in caſu, quo homo conditus eſſet in pura natura, ibique poſſet in peccatum veniale labi, nullo modo valeret condignam ſatisfactionem offerre pro illo per opus merè naturale: quia in tali caſu, veniale maioris mali eſſet inductiuum, quàm bonum afferret illud naturale opus. Per hæc in forma, quæ ad applicationem eſt facilis, reſpondere valebis huic obiectioni.

65. Sed occurres, ex hac ſolutione ſequitur, veniale & mortale etiam in eo caſu eſſe quoad durationem æqualia, atque adeo tam æternum fore veniale ac mortale. Sed hoc eſt falſum. Ergo & noſtra ſolutio. Reſpondeo eſſe admittendam ſequelam in vno ſenſu, & in alio negandam. Vnde fateor veniale & mortale in illo ſtatu in æternum eſſe duratura, verùm diuerſa fore principia in illa, ita diuturnam durationem refundentia. Etenim mortale, propter ſuam grauitatem, contraheret debitum carendi omni remiſſione, quam illam non contracturum veniale nec in hoc ſtatu lapſo, ſtatim ſubiiciam. Veniale tamen duraret, quia in homine non darentur vires ſufficientes ad eliciendum opus æquè bonum, ac malum eſſet veniale, vt in ſolutione ad argumentum dictauimus.

66. Quæres ſecundò an homo per veniale poſitiuè mereatur carentiam auxilij, quo ab illo poſſit reſurgere? Hac in re vnum certum eſſe exiſtimo. Veniale minimè hominem conſtituere dignum carendi auxilio in perpetuum. Ratio eſt in promptu, quia ſi dignitatem ad hanc carentiam induceret, iam ex ſe, licèt ſecundariò, induceret dignitatem ad carentiam beatitudinis in perpetuum in homine iuſto, quod eſſe falſum, quis non videat? Sequelam probo, etenim eo ipſo, quòd homo mereatur carere auxilio, quo ab illo reſurgat, meretur non auferri ab ipſo impedimentum, quo permanente, beatitudine carebit, ac proinde meritum illud ſecundariò inducet carentiam beatitudinis. Ex quo fit, per veniale non conſtitui hominem dignum carendi auxilio, quo reſurgat ab illo poſt hanc vitam: an verò mereatur carere hoc auxilio in hac vita, vel per aliquod determinatum tempus, verbi gratiâ per annum, maiorem difficultatem habet.

67. Relictis tamen aliis probationibus, quibus RR. muniunt negatiuam partem, vtpote nihil alicuius notæ ad hanc rem expendendam adducentibus, mihi ſatis probabile eſt, hanc partem, etſi vt veriorem admittam, nullo firmo fundamento poſſe ſtabiliri Quapropter illam non aliter oſtendam, quàm ex inductione falſitatis, quæ in modis defendendi affirmatiuam partem inuenitur; itaque abſolutè pronuncio, hominem per venialia nullo modo conſtitui dignum carendi auxiliis, etiam pro determinato tempore in hac vita, vt ab illis reſurgat, quia imprimis non conſtituitur dignus carendi illis in perpetuum, vt probauimus. Ergo nec conſtituitur dignus carendi auxiliis pro hac vita. Probo conſequentiam, quia cùm quædam peccata venialia paulò ante mortem, & alia multò antea committantur, non erit conſonum omnibus illis, tanquam terminum ſuæ pœnæ, finem vitæ aſſignare; quia ex hoc ſequeretur, æqualia peccata inæqualiter puniri. Ergo neque poteſt mereri veniale carere auxilio, quo depellatur per aliquod determinatum tempus, nempe per annum. Probo conſequentiam, quia ſæpè tempus hoc non poſſet in hac vita adimpleri, quia poſſet homo ante illud tempus præoccupari morte, quapropter, vel numquam poſſet adimpleri, vel in alia vita adimpleretur. Sed nullum ex his eſt verum. Ergo, &c.

DVBIVM VI.

An purus homo poſſit perfectè, & condignè pro aliorum lethalibus ſatisfacere?

HOc dubium doctrinam præſentabit valdè vtilem, vt inde neceſſitas incarnationis commendetur: fateor plura eſſe data dubiis præcedentibus, quæ reſolutioni præſentis dubij lucem offerent. Verùm quia aliqua de nouo à recentioribus ſunt inuenta, non parum ſubtilia, decreui hanc rem ſingulari dubio diſcutere. Pro quo.

SECTIO

Sectio I.

Status controuerſia & notabilia generalia.

68. NOta ex *tract. de merito Chriſti* D. Thom. 1. 2. *quaſt.* 1 1 4. *artic.* 6. Ex vi prouidentiæ exiſtentis, nullum hominem iuſtum, poſſe de condiguo promereri alteri homini peccatori, gratiam iuſtificantem. Ratio facilis, quia nullum relinquit valorem condignum operibus iuſti prouidentia hæc, ad promerendum aliis quidquam ſupernaturale, ratio, nam prouidentia hæc diſpoſuit, meritis cuiuscunque iuſti correſpondere adæquatè, tanquam æquale præmium, augmentum gratiæ & gloriæ, ipſi iuſto, intuitu talium operum collatum; atque adeo vim meritoriam illorum exhaurit, & conſequenter prouidentia hæc de medio aufert ab illis valorem ad promerendum aliis. De hoc communiter cuncti diſcipuli D. Thom. & eius interpretes loco iam dato.

69. Secundò nota, quæſtionem tituli non eſſe de facto, ſed ex vi alterius prouidentiæ, colligitur ex notabili ſcripto, & inſuper non intelligi dubium hoc, an ex vi alterius prouidentiæ, poſſit vnus iuſtus taliter pro alio ſatisfacere, vt illius ſatisfactio ſeipſa & formaliter conſumat debitum, quod per peccatum alter homo contraxit; quod adeo verum eſt, vt etiamſi vnus homo admittatur à Deo in fideiuſſorem pro alio, non poſſet ſatisfactio fideiuſſoris, ſeipſa tale debitum formaliter extinguere; ratio eſt facilis, quia per peccatum homo manet Deo inimicus, & ei intrinſecè inuiſus. Ergo ſolùm id extinguet debitum, quod per peccatum contrahitur, quod ſit ſufficiens auferre prædictam inimicitiam cum Deo; atque adeo cùm talis inimicitia ſit cuique peccatori inhærens, ſit ſolùm poſſe per id in ſe formaliter receptum, prædictum debitum extingui. Vnde cùm ſatisfactio à fideiuſſore elicita, non eſſet formaliter peccatori inhærens, ſed in ſe ſolùm formaliter exiſtens; exinde eſt, per illam formaliter, & ſeipſa non poſſe debitum contractum per peccatum alterius extingui. Solùm enim poteſt quæſtionem intrare; an ex vi alterius prouidentiæ poſſit pro altero ſatisfacere, impetrans à Deo per modum merentis formam illam, quæ deſideratur, vt homo in peccato iacens, ab illo mundetur, iuſtificeturque.

70. Vlterius nota, dupliciter poſſe ſe gerere diuinam prouidentiam, in conſtituendo puro homine, tanquam aliorum capite, vt ex eius merito de condigno in ipſos gratia deriuetur, illos mundans, & ſanctificans. Primo modo ſimili ei, quem de facto experimur in Adamo, ſecundùm quem ipſe conſtitutus eſt caput totius poſteritatis, in ordine ad demeritum; ad hunc ſenſum poterat Deus ſic prouidere, vt vnus homo eſſet caput cæterorum in ordine ad meritum; ita ſcilicet, vt transferenre Deo priùs voluntates aliorum, in voluntatem illius hominis, qui eſſet illorum caput, non ſolùm propagetur & multiplicetur præmium gratiæ, ex vi meriti capitalis, ſed etiam meritum ipſum condignum multiplicetur in aliis; atque adeo, vt tot eſſent merita diuerſa, quot eſſent poſterorum diuerſæ voluntates, non alio modo, quàm quo hic & nunc peccatum & demeritum Adæ, in ſingulis poſteris fuit, eſt, & erit multiplicatum. Verùm in iſto ſenſu repugnare hominem iuſtum de condigno promereri alteri gratiam conſtituendo illum cæterorum caput, latè dedimus iuxta communem ſententiam *tractatu de merito*.

Secundo modo poterat diuina prouidentia res ita componere, vt vnum hominem iuſtum conderet, tanquam aliorum vniuerſale caput, ita videlicet, vt merito capitis præmia gratiæ in alios, tanquam in eius membra transfunderentur. Vbi nota, quòd ille homo non eſſet cenſendus caput ad hunc ſenſum, quòd voluntates membrorum in capitis voluntate transferrentur, ſicut primo modo dictum manet, ſed ſolùm ad hunc ſenſum, quòd ipſo ſolo merente capite, membra participarent effectum illius meriti; hunc modum prouidentiæ experti ſumus in Chriſto. Etenim ex vi illius meriti omnia auxilia, gratiam, eius augmentum & gloriam adipiſcimur. In hoc enim ſenſu deuoluenda eſt quæſtio noſtra. An ſcilicet poſſit homo iuſtus aliis de condigno mereri, tanquam ipſorum caput influens in eos, gratiam iuſtificantem. 71.

Sectio II.

Sententiæ, & ſequenda.

ANtequam ſententias ſcribam, libet, quæ ſint, quæ poſſint diſputationem præſentem ingredi, annotare, ne plura, quæ lato calamo reſoluta iacent, iteratam contentionem ſuſcipiant. Primum, an talis homo, caput aliorum conditus, poſſit auxilia, & gratiam homini non peccatori, vel in pura natura poſito, de condigno apud Deum promereri. Secundum, an illemet homini ſancto & iuſto, augmentum gratiæ & gloriæ mereri de condigno poſſit? Tertium, an illemet homini peccatori, poſſit de condigno promereri gratiam, & non remiſſionem, caſu, quo gratia non coniungatur cum actuali peccati remiſſione? Quartum an illemet poſſit eandem gratiam homini peccatori promereri de condigno, etiamſi cum tali gratia remiſſio peccati coniungatur. Inter hæc, illa duo priora examini dedimus cum S. Thom. & eius interpretibus 1. 2. *tr. de merito Diſput.* 2. *dub.* 1. 2. & 3. Tertium verò ſolus ad examen vocat Ripalda *tom. 2. de ente ſupernaturali diſput. 96. ſect. 3.* quod his vocibus promouet, hominem vnum bifariam poſſe peccatori mereri gratiam. Primò, merendo ſimul gratiam & remiſſionem peccati, ſiue quia hæc neceſſariò ſequitur illius infuſionem, ſiue quia Deus ſanciuit ſua promiſſione, peccatori recipienti gratiam, remiſſurum peccatum. Secundò merendo gratiam abſque remiſſione peccati, etenim in ſua opinione, ait, præter infuſionem gratiæ, requiritur ex natura rei, nouus Dei fauor ad remiſſionem peccati, quamuis ex natura rei, is fauor neceſſarius non ſit, ſed infuſionem gratiæ naturali neceſſitate ſequatur condonatio peccati, diuinitus tamen 72.

poteſt non ſequi, & cum gratia infuſa peccatum componi. Hoc ſuppoſito aſſerit *num.* 34. poſſe hominem illum mereri de condigno peccatori gratiam, quando eius infuſionem non eſt ſequutura eius remiſſio.

73. Verùm nec hoc meretur limites quæſtionis attingere; etenim his vocibus res propoſita, non res ſed vox eſt, etenim eſt de ſubiecto non ſupponente. Quia iuſtus ille gratiam cum peccato promerens, in re meritum non eliceret, meritum enim in re collatum eſt cum eo, quod in re præmium eſt, ſed gratia cum peccato coniungenda in re materia præmij non eſt. Ergo nec actus hominis iuſti, ad talem coniunctionem ordinatus, meritum in re erit. Minor de ſe patet, quia conferre Deum homini in peccato exiſtenti gratiam, tam inutilem conferret, & finis nempe æterna vita, ad quem eſt gratia hereditas, euacuaretur; atque adeo non magis in tali caſu, homini illi eſſet proficua gratia, ac ſi in illo minimè reperiretur. Hæc enim ex ore Ripaldæ, & aliorum, quos citat vbi ſupra *diſp.* 132. *ſect.* 19. ſcribo. Iſti enim componentes gratiam & peccatum ſimul in eodem ſubiecto, aſſerunt, quòd homo ille, qui ſimul gratiam, & peccatum haberet, omni iure ad vitam æternam eſſet deſtitutus, nec eſſet amore Dei dignus, & eodem modo eſſet dignus, qui odio à Deo proſequeretur, ac ſi ſolùm haberet mortale peccatum. Ergo illa collatio gratiæ cum peccato coniungendæ, non poterat eſſe materia præmij. Ergo actio, qua gratiam ille homo impetraret, cum ſimili coniunctione nullam rationem meriti teneret. Ergo iſtud tertium quæſitum à Ripalda nouiter inuentum, eſt de ſubiecto non ſupponente, atque adeo indignum, vt quæſtioni Theologicæ ſubiaceat.

74. Igitur depulſis his tribus quæſitis, ſolùm vocandum eſt in quæſtionem. An de potentia abſoluta ex vi alterius prouidentiæ, poſſit homo, qui aliorum conſtitutus ſit caput, de condigno ſatisfacere pro peccatis aliorum? quod vt mihi videtur, eſt idem, ac quærere, an poſſit alteri homini, in peccato exiſtenti, mereri de condigno gratiam, & ſui peccati remiſſionem? Non me latet, aliquos RR. poſuiſſe diſcrimen inter ſatisfactionem condignam pro peccato, & meritum de condigno infuſionis gratiæ & remiſſionis peccati, ita Ripalda vbi ſuprà *ſect.* 6. ſequutus Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 7. *verſ. dico primò.* Sed quidquid ſit de diſcrimine hoc. In hac re eſt prima ſententia, docens de potentia abſoluta poſſe hominem iuſtum condignè ſatisfacere pro peccato mortali alterius, cuius eſſet caput. Raguſa *de in. arma. diſp.* 2. & 4. Suarez vbi ſuprà *diſp.* 4. *ſect.* 7. qui pro hac citant Caietanum, hìc *q.* 1. *art.* 2. Paludanum *in* 3. *diſp.* 2. *q.* 2. & Sotum *lib.* 3. *de natura & gratia c.* 6. ſed quàm ſiniſtrè aliqui horum citentur vide plures ex diſcipulis D. Thom. hìc, & id comperies. Noviter Ripalda vbi ſuprà, qui per plures ſectiones omnia illa quatuor quæſita acriter defendit.

75. Secunda ſententia eſt negatiua, & communis potiſſimùm inter diſcipulos D. Tho. eamque expreſsè docet ſanctus doctor hìc *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. & 4. *contra gentes* 4. vbi Ferrara. Alenſis 3. *p. q.* 1. *mem.* 6. *art.* 1. & 2. Bonauent. *in* 3. *diſp.* 20. *q.* 3. Richard. *q.* 4. Capreolus *q.* 1. *art.* 2. *concluſione* 1. Abulenſis *ad cap.* 34. *Exodi q.* 7. Altiſſiodorenſis *lib.* 3. *ſumma tract.* 1. *c.* 8. Ioannes Medina *codice de pœnitentia tract.* 3. *q.* 1. Vaſquez *diſp.* 4. *à cap.* 3. Aluarez 3. *p. diſput.* 7. Arauio *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 2. & alij innumeri. Torres, Meratius, Gaſpar Hurtadus, Puente *tomo de incarnatione diſp.* 10. & 52.

76. Inter has extremas ſententias eſt media, quam tuetur Ioannes de Lugo *diſp.* 5. *num.* 147. aſſeritque purum hominem iuſtum, non poſſe promereri de condigno alteri gratiam, aut remiſſionem peccati, ſi plenitudine gratiæ non fuerit imbutus, verùm ſi ad plenitudinem gratiæ perueniens fuerit, poterit ſimile meritum habere.

77. Secunda ſententia, quia rationi, & D. Thom. conformis, apud Authores eſt valde recepta, illam ſequimur: & 1. SS. PP. aſſertis roboramus. S. Cirillus Alexandrinus *in Concilio Epheſino tom.* 6. *c.* 4. & *c.* 16. *colum.* 6. Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus *ibi. c.* 7. Baſilius *in Pſalm.* 28. & alij docent non poſſe purum hominem genus humanum liberare à peccato. Sed ſi poſſet homo condignè promereri aliis gratiam & remiſſionem peccati, verificaretur de homine poſſe genus humanum à peccato liberare. Ergo contra PP. eſt dicere hominem poſſe condignè promereri aliis gratiam & peccati remiſſionem.

78. Nec refert dicere PP. intelligendos eſſe, hominem iuſtum non poſſe pro peccato alieno ſatisfacere, non verò non poſſe condignè promereri alij gratiam, & remiſſionem peccati.

79. Etenim ſi rectè expendantur SS. placita, compertum erit, vtroque modo illis contrariari, ſiue aſſeratur, hominem poſſe alios à peccato liberare per modum meriti condigni, ſiue defendatur poſſe liberare per modum ſatisfactionis. Hoc probo primo. Etenim Leo Papa *Sermone* 12. *de paſſione* impotentiam hanc liberandi homines à peccato expreſsè admonet repertam eſſe etiam in ſpecie meriti de condigno. Verba ſunt hæc. *Quia ergo primi hominis vniuerſa poſteritas vno ſimul vulnere ſauciata corruerat, nec vlla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere, venit è cœlo medicus ſingularis vbi nec vlla SS. merita deuotant*; Ergo Leonem ſentire, dum aſſerit hominem non poſſe alios à peccato liberare, nedum in illo impotentiam ſatisfaciendi pro illis verùm & merendi ſuorum peccatorum remiſſionem conſtare videtur.

80. Secundò id ipſum ex SS. PP. dictis. Equidem ipſi rationem dantes de impotentia, quam haberet purus homo liberandi alios à peccato, aſſerunt eam eſſe, quia non poteſt homo purus exhibere holocauſtum, hoſtiam, aut pretium ſufficiens ſeu prædicta libertate condignum. Sed vt infrà videbimus, meritum condignum gratia & peccati remiſſione aliorum, eſt pretium, holocauſtum & hoſtia ſufficiens, & prædicta libertate condignum. Ergo dum docent PP. hominem iuſtum non poſſe alios liberare à peccato, intelligendi ſunt de impotentia ad merendum pro aliis de condigno gratiam & remiſſionem ſuorum peccatorum. Eo vel maximè cum SS. PP. latuerit hæc diſtinctio inter vim ſatisfactiuam condignam, & condignam

vim

vim meritoriam pro remiſſione peccati, quam authores RR. vt SS. aſſertis non viderentur aduerſarij, in ſcholas adduxerunt.

81. Expreſſiùs aſſumptum noſtrum comprobat Auguſt, *lib. primo de peccatorum meritis cap. 14.* vbi hæc. *Quiſquis auſus fuerit dicere, iuſtifico te, conſequens eſt, vt etiam dicat, crede in me. Quod nemo SS. poteſt dicere niſi Sanctus Sanctorum. Vnde concludens ait, ſicut non eſt credendum niſi in ſolum Deum, ita nullam creaturam iuſtificare poſſe niſi ſolum Deum.* In quibus verbis idem ſentit Auguſtinus. Verbo iuſtificare alium, ac medio influxu meritorio capitis, gratiam iuſtificantem impios, transfundere in alios. Ergo ſi hoc negat ſanctus doctor cuilibet ſancto reſpectu peccatoris. Ergo expreſsè negat poſſe hominem vnum mereri alteri peccatori gratiam, & remiſſionem peccati, in quo conſiſtit iuſtificatio. Minor probatur ex Auguſtino ipſo, ſupra illa verba à ſe adiecta Pauli *ad Romanos 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ.*

82. Totus enim fuit Sanctus Doctor in ſtatuenda hac veritate, iuſtitiam videlicet in homines propagari, ſicut iniuſtitiam, non imitatione, ſed merito & vera cauſalitate morali Chriſti, quam nullus SS. poteſt imitari. Sic enim ait Auguſt. *per vnius iuſtificationem, magis hoc expreſſit, quàm ſi per vnius iuſtitiam diceret, eamque iuſtificationem dicit, qua Chriſtus iuſtificat impium, quàm non imitandam propoſuit, ſed ſolus hoc poteſt, quoniam poſſunt eſſe multi iuſti homines, & imitandi, iuſtus autem & iuſtificans, nemo niſi Chriſtus:* Poſt hæc adiungit. *Quiſquis autem auſus fuerit,* &c. Ergo ſentit Auguſtinus impoſſibile eſſe aliquem hominem iuſtum poſſe medio ſuo merito de condigno alios iuſtificare, hoc eſt aliis mereri gratiam, eorũ peccata depellentem. Etenim in eo ſenſu, in quo admittit Chriſtum nos iuſtificaſſe, negat hoc cuilibet homini puro. Sed Chriſtus non aliter nos iuſtificauit, niſi merendo nobis gratiam, & peccatorum remiſſionem. Ergo Sanctus Doctor ex vi verborum præcedentium abſolutè intelligit, per ly *alium iuſtificare*, idem ac medio influxu meritorio capitis, gratiam impios iuſtificantem, transfundere in alios, quod eſſe impoſſibile cuilibet homini præterquam Chriſto profitetur.

83. Huic authoritati obuiam it ſolus Ripalda *n. 57.* intelligendam eſſe de impoſſibilitate meriti condigni ſatisfactorij, non verò de merito condigno præcisè, inter quæ lata & latè diſcrimina proſequitur *à n. illo vſque ad 62.* iuxta quæ ait, ſolùm Chriſtum potuiſſe, vt ait Auguſt, merito ſatisfactorio condigno iuſtificare nos, non verò eſſe impoſſibile aliquem purum hominem alios iuſtificare mediante merito condigno, quod non ſit ſatisfactorium ſimul.

84. Sed hæc interpretatio, cùm principiis à ſolò Ripalda iactis fidat, non aliam veritatem habebit, niſi quam prædicta principia in illam deriuauerint, quanta ſit hæc infrà aperiam. Hæc tamen ſufficiant pro ſuffragio ab authoritate petito; nunc rationibus eſt roboranda concluſio. Verùm quia non omnes authores, illam ſuſtinentes, æquali vi, vt par erat, fulciuerint, libuit, quas ipſi adducunt, rationes referre, & refellere, vt magis appareat, illis ſpretis robur rationis ſecundæ.

Sectio III.

Ferraræ, Medinæ, & aliorum rationes reſpuo.

Ferrara, Altiſiodorenſis, Sotus ſuprà citati ſic noſtram concluſionem muniunt; ideo hominem purum non poſſe condignè pro aliis ſatisfacere, quia quælibet hominis ſatisfactio, ſemper in gratia Dei fundaretur. Sed ſatisfactio, quæ in gratia creditoris fundatur, non poteſt eſſe ſatisfactio ex iuſtitia. Ergo impoſſibilis eſt homini puro, pro aliis condigna, & æqualis ſatisfactio. 85.

Sed huius rationis vis facilè declinatur. Etenim ſi aliquam efficaciam haberet, catholicam veritatem diſſiparet; etenim catholicè eſt nobis conſtans, Chriſtum condignam, pro nobis peccatoribus, ſatisfactionem ſuo Patri præſentaſſe, ſed ſatisfactio Chriſti ſupponebat vnionis gratiam, liberaliter antecedenter acceptam; ergo vel hoc, quod eſt habere gratiam antecedenter acceptam à creditore, ſatisfactionis condignitati non obeſt, vel ſi obeſt, Chriſtus condignè minimè ſatisfecit pro nobis. 86.

Sed inſtabis, ſatisfactionem quamcumque à puro homine offerẽdam, nedum ſupponere debere gratiam antecedentem ad illam acceptam à creditore, quod ingenuè fatentur minimè iuſtitiæ nocere, verùm etiam gratiam concomitantem ſecum inuoluere, quod vt videbimus infrà, maximè obuiat iuſtitiæ, quia cùm quælibet pro aliena culpa ſatisfactio deberet eſſe ſupernaturalis, gratiam concomitantem debebat ſibi ſociam annectere. 87.

Sed adhuc non conuincis, quia gratia concomitans, quæ ſatisfactionem ex iuſtitia impedit, eſt gratia ita gratioſa, vt nullo modo ſit gratiæ antecedenti debita. Hoc in ſolutione pecuniaria comperimus, eram 50. debitor, 25. creditori ſoluo: Hunc acceptare illa 25. pro 50. quorum eram debitor, eſt gratia ipſam ſolutionem concomitans, atque adeo impediens, ne illa ex iuſtitia cenſeatur. Tunc ſic. Sed gratia illa, quæ ad ſatisfactionem pro aliena culpa eſſet neceſſaria, non ſic concomitans gratis eſſet iudicanda. Ergo quamuis concomitans gratia creditoris interueniret, non ob hoc deſineret eſſet condigna pro aliena culpa ſatisfactio. Minor eſt probanda. Quia vel illa gratia cõcomitans illum actum ſatisfactorium, eſſet auxiliũ efficax, vel auxilium cum ipſa ſatisfactione identificatum, quod alij concurſum ſimultaneum appellant; neutrũ horum eſt gratia concomitans, ſatisfactionem ex iuſtitia impediẽs. Ergo gratia illa, quam deſiderant hi authores in qualibet ſatisfactione à puro homine exhibenda, nullo modo eſt ſufficiens impedire, ne cenſeatur ex iuſtitia pro aliena culpa ſatisfactio. Probo minorem quoad partem primam. Etenim licèt auxiliũ efficax, ex ea parte qua infallibiliter ſecum actum ſecundum annectit, concomitans illum poſſet dici; tamen ore pleno inter gratias antecedentes, antecedenter à creditore acceptas eſt computandum, etenim poſitio illius prorſus antecedit actum, ad quem datur, 88.

datur, atque adeo antecederet ſatisfactionem illam, ad quam daretur, illoque poſito vtitur voluntas illo prout mauult. Ergo tale auxilium efficax non aliter impediret, ne ſatisfactio, à puro homine exhibenda pro aliena culpa, eſſet condigna, ac impedit concomitans dominium creditoris de eadem re cum dominio debitoris. Sed hoc, vt infrà de ſatisfactione Chriſti reſoluemus, non impedit, ne in ſatisfactione iuſtitia ſtricta reperiatur. Ergo nec auxilium efficax illi puro homini conferendum, impedimentū erit. Sic manet probata prima pars illius minoris.

89. Nunc probanda eſt ſecunda pars. Etenim auxilium identificatum cum actu ipſo ſatisfactorio, licèt ſit ſimpliciter gratia cōcomitans ipſum actum, vtpote cum illo identificata, tamen non eſt gratia omnino gratis collata: eius enim collatio debita eſt gratiæ antecedenti efficaci; ratio, nam cùm hæc petat infallibiliter actum ſecundum inferre, iam exercitium ipſius actus eſt illi debitum. Ergo omnia identificata realiter cum ipſo: ſed hoc auxilium concomitans eſt cum actu realiter identificatum. Ergo ſimiliter erit debitum eidem gratiæ antecedenti efficaci, cui eſt debitus ipſe actus. Ergo auxilium concomitans, quod daretur homini puro ad ſatisfaciendum, licèt eſſet gratia, non eſſet ſimpliciter gratia concomitans, gratis à creditore data. Sed hæc ſolùm eſt, quæ impedit, ne ſatisfactio ſit ex iuſtitia, vt vidimus in ſolutione pecuniaria. Ergo ſatisfactionem illam ſecum habere inuolutam gratiam prædictam concomitantem, non ſufficeret tollere ab illa rationem ſatisfactionis condignæ ex iuſtitia pro culpa aliena.

90. Rurſum, quia hac ſolutione non vitatur inconueniens, quod cōtra hos authores noſtrum argumentum deduxerat: Quia ſi illam ſatisfactionem, à puro homine elicitam, mediis gratiis auxiliantibus tollebat, ne eſſet ex iuſtitia pro aliena culpa ſatisfactio. Ergo cùm Chriſtus nullum elicuiſſet actum ſine illis, iam Chriſtus pro nobis nullo modo ex iuſtitia ſatisfeciſſet. Quod authores hi negant obſtanter.

91. Rurſum hæc ratio vniuerſaliter ſententiam ſuam hac ratione non fulciunt. Etenim licèt ex ea conuinceretur prædictam ſatisfactionem non fore ex iuſtitia, non tamen concludit, minimè fore condignam. Compatitur enim vnum ſine alio, vt compertum eſt apud Theologos *hic, & tractatu de merito*. At in præſenti non attendentes ad rigorem ſtrictæ iuſtitiæ, quærimus an homo ille condignè ſatisfacere poſſet, pro culpa aliena? Ergo probatio illa præterquam quòd non conuincit intentum, quod proponit, fugit intentum, quod debebat perſequi.

92. Medina *codice de pœnitentia tract*. 3. q. 1. ſequutus Guillelmum Pariſienſem *lib. cur Deus homo c*. 7. dicit, rationem, cur creaturæ puræ ſit deneganda, ex vi cuiuſlibet prouidentiæ, vis condignè ſatisfactiua pro culpis alienis, eſſe, quia ſatisfactio à pura creatura elicita, non fieret ex indebitis alio titulo; etenim Deus Dominus ſupremus, legiſlator primus, & benefactor vniuerſaliſſimus, quaſcunque operationes cuiuſlibet creaturæ puræ, per quas prætenderet ſatisfacere, exigere poterat, vel titulo ſeruitutis, quia Dominus, vel gratitudinis, quia benefactor, vel quia legiſlator, titulo obedientiæ. Sed actiones quæ creditori debentur alio titulo, nequeunt eſſe ſatisfactoriæ. Ergo repugnat, creaturam puram poſſe condignè ſatisfacere pro alienis culpis.

93. Sed hæc ratio aliud probare inſinuat ab eo, quod tenebatur arguere. Etenim actiones, eſſe alio titulo Deo creditori debitas, ſi quid impedit, id eſſet illas actiones non potuiſſe eſſe ex iuſtitia ſatisfactorias, quod hîc & nunc eſt ſupra inſtitutum noſtrum, non verò impediret, illas eſſe condignè meritorias gratiæ & remiſſionis aliis faciendæ. Quod eſt quæſitum dubij examini datum. Iam quòd licèt illum primum impediret, huic ſecundū non obſtaret, patet cùm apud eoſdem authores ſit certum, ex vi prouidentiæ exiſtentis, hominem iuſtum mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, non obſtante, quòd opera ab illo elicita ſint Deo, omnibus aliis titulis in argumento ſignatis, debita; ergo quamuis actiones puræ creaturæ, in quacunque prouidentia, eſſent Deo creditori debita aliis titulis, non obſtabit, vt illę ſint condignè meritoriæ gratiæ & remiſſionis peccati aliis faciendæ. Ergo aſſumptum ſententiæ, quod ſuſceperant, improbatum relinquunt.

54. Rurſum actiones illas eſſe tot titulis Deo creditori debitas, nec impediret, ne cenſerentur condignè ſatisfactoriæ ex iuſtitia pro peccato alieno, in cuius remiſſionem exhiberentur. Ergo multò minùs, ne eſſent condignè meritoriæ remiſſionis peccati alieni. Antecedens probo ex doctrina apud nobiles Theologos ſatis approbata infrà *diſputatione de ſatisfactione Chriſti* latiùs enodanda. Etenim licèt aliqua actio debeatur alio titulo, etiam materiam debitam multiplicante, ſi tamen hîc & nunc dum exhibetur, illo alio titulo à creditore non exigitur, bene poterit eſſe ex iuſtitia ſatisfactio. Ergo licèt actiones illius puræ creaturæ, eſſent Deo tot titulis annumeratis debitæ, poterat Deus illas illis titulis non exigere, atque adeo relinquere illis locum, vt per illas ipſi fieret iuſta & condigna pro aliena culpa ſatisfactio. Rurſum poteſt hæc ratio inualidari ſatisfactione Chriſti, quæ mediis actionibus Deo tot titulis debitis fuit pro omnibus peccatis ex iuſtitia compenſatio. Sed de hoc iterum latiſſimè me videbo, controuerſia ſequenti.

95. Alij noſtram ſententiam commendant ex doctrina, quàm *hic art. 2 in reſponſione ad ſecundum* affert Diuus Thomas, ibi enim ait ſanctus Doctor. Neque Adamum per pœnitentiam ſuam, neque alium purum hominem potuiſſe ſatisfacere pro peccatis generis humani, quia tale peccatum habet quamdam infinitatem, & ex meritis ſuis diffundi debebat in totam naturam humanam; bonum verò alicuius perſonæ priuatæ non poterat ex meritis ſuis communicari toti naturæ, quia actus alicuius indiuidui, non poſſet in totam naturam ſpeciei diffundi, cauſæ enim, quæ poſſunt in totam ſpeciem, ſunt æquiuocæ, & non vniuocæ. Sol enim eſt cauſa æquiuoca & ideo eſt cauſa totius generationis humanæ.

96. Verùm hæc ratio ex ſiniſtra valde intelligentia doctoris angelici procedit, & quia quæſiti hypoteſim omittit. Vnde totus eſt Sanctus præceptor in oſtendenda impoſſibilitate ſatiſ-

ſactionis

factionis à Perſona priuata procedentis pro peccatis totius naturæ, quod verùm eſſe fatemur, nec hoc vnquam in dubium vocatur. Solùm enim eſt lis examini ab authoribus data, an in hypotheſi, quòd aliqua creatura, gratiâ capitis ornaretur, eius actiones eſſent meritoriæ de condigno, gratiæ & remiſſionis peccatorum totius humani generis? de hoc nec verbum tetigit Sanctus Thomas in prædicto loco. Etenim vt ipſe ſanctus Doctor ait *3. p. q. 8. art. 5.* in corpore, & *in ſolutione ad 3.* in Chriſto Domino gratia capitis non fuit vnionis gratia, ſed ipſa habitualis gratia cum quadam excellentia, vt in alios homines influeret. Sed hæc gratia cum hac excellentia, puræ creaturæ terminos non ſuperat. Ergo puræ creaturæ potuit à Deo communicari. Vnde licèt gratia hæc phyſicè accepta, eſſet eiuſdem ſpeciei cum gratia priuatæ Perſonæ; moraliter tamen eſſet diuerſa, atque adeo potens influxum habere in omnes Perſonas naturæ humanæ, quemque exercuit in illas Chriſtus de facto. Sed D. Th. hoc in loco nec verbum de hac gratia capitis attulit. Perperam ergo ab iis citra intentum adducitur.

97. Rurſum premo, fundamentum huius rationis eſt, recurſus ad infinitatem extenſiuam. Sed hac ſublata, adhuc quærimus, an purus homo poſſit condignè ſatisfacere pro peccato alieno. Ergo hæc infinitas extenſiua non ſufficit ad difficultatem exhauriendam. Minor eſt certa, quia authores cuncti, qui nobiſcum ſentiunt, purum hominem non potuiſſe condignè promereri remiſſionem peccatorum totius ſuæ naturæ, quæſiti an id ipſum tenerent, caſu quo, peccatum illud mortale dictam extenſionem non haberet, ſed eſſet peccatum ſolius priuatæ Perſonæ? Reſpondent, eamdem eſſe impoſſibilitatem ſatisfaciendi condignè pro illo in creatura pura. Ergo ſublata hac infinitate extenſiua, quærimus, an purus homo poſſit condignè ſatisfacere pro peccato alieno.

98. Rurſum hanc rationem impugno, etenim illa infinitas peccati extenſiua abſolutè, & ſimpliciter, non eſſet infinitas. Ergo ob infinitatem hanc non eſſet cenſenda creatura illa impotens ſatisfacere pro peccatis totius naturæ, quia quod finitum manet, exhauriri poteſt. Antecedens patet, quia Adamus non in alios ſuum peccatum transfudit, præter futuros, poſſibiles non fœdauit, quia ſolùm illorum, & non iſtorum, fuit conditus caput, atque adeo ſolas futurorum voluntates in ſua voluntate copulauit. Sed homines futuri non ſunt abſolutè infiniti. Ergo peccatum, quod per ordinem ad illos ſuam extenſionem ſumpſerat, non habuit infinitam ſimpliciter & abſolutè extenſionem. Ergo hæc non poteſt nocere creaturæ puræ, ne pro illo valeat condignè ſatisfacere.

99. Sed occurres, peccatum præter aſſignatam infinitatem, aliam habere etiam extenſiuam infinitatem, videlicet quoad durationem pœnæ, ex hac enim ortum habere impotentiam ſatisfaciendi pro illo condignè in pura creatura.

100. Sed contra, quia hæc ratio, alia eſt ab ea, quam in principio hi authores dederunt. Etenim ſuprà recurrerunt ad infinitatem extenſiuam in peccato originali ſolùm inuentam, de qua præciſè loquebatur S. D. in loco ab ipſis adductus; at verò alia infinitas quoad durationem pœnæ, de qua in hac ſolutione agunt, nedum peccato originali, ſed cuilibet mortali priuatæ Perſonæ competit. Ergo iam in aliam rationem eunt authores iſti; Verùm licèt fatear, hanc infinitatem quoad durationem pœnæ eſſe ſufficientem, ad probandum in aliquorum ſententia infinitatem intrinſecam peccati mortalis, qua de cauſa ſufficientem, vt homo purus non poſſet pro peccato alieno, condignam Deo ſatisfactionem exhibere, nihilominus ſi ſola hæc infinitas extenſiua quoad durationem pœnæ in peccato inueniretur, ſaltem de potentia abſoluta (vt hîc ſemper loquimur) adhuc maneret locus in pura creatura, vt pro peccato alieno condignam Deo ſatisfactionem præſentaret. Etenim ex vi alterius prouidentiæ, poterat homo ille ſatisfacere pro offenſa, licèt pro pœna illi debita non poſſet, quia infinita, condignè ſatisfacere. Ergo adhuc ſuppoſita hac infinitate extenſiua quoad durationem pœnæ, ſupereſſet aditus condignè ſatisfaciendi in pura creatura pro alieno peccato. Antecedens patet, quia poterat Deus intuitu operum creaturæ puræ offenſam condonare, remanente in peccatore actu ad pœnam æternam. Ergo licèt pro hac, quia infinita, non poſſet condignè ſatisfacere, poterit ſatisfacere pro offenſa, ſi hæc eſſet finita. Antecedens probo. Tum quia hîc & nunc Deus intuitu operum Chriſti & noſtrorum offenſam condonat peccatori, manente, in illo, reatu ad pœnam temporalem. Tum etiam. Quotidie experimur, principem offenſam ſibi factam remittentem; & illam propter bonum commune acriter punientem. Ergo ita Deus poterat intuitu operum creaturæ puræ remittere offenſam ſibi factam, admittendo ad ſuam amicitiam peccatorem, & tamen non remittere illi pœnam ſuo peccato debitam. Ergo tametſi creatura pura non poſſet condignè ſatisfacere pro pœna illi debita, quia in horum ſententia eſſet quoad pœnæ æternæ durationem infinita, tamen pro offenſa, quam finitam prædicant, condignam ſatisfactionem valebit exhibere.

SECTIO IV.

Vaſquij & Ioannis Lugi rationes refello.

101. Pater Vaſquez *capite de incarnatione diſput. 4. capite 5.* poſt alias à ſe ad longum, & non parum efficaciter impugnatas rationes, aliam ſibi viſam efficaciorem pro noſtra ſententia tuenda formauit, quæ ſic ſe habet, quia ſatisfactio pro alio inuoluit meritum, quo vnus aliis mereatur gratiam remiſſiuam culpæ; quia non aliter Chriſtus pro nobis ſatisfecit, niſi primam gratiam nobis merendo. Sed purus homo, qualibet perfectiſſima gratia ornatus, & gratia capitali inſtructus, primam gratiam alteri non poteſt de condigno

prome

promereri. Ergo purus homo nequit, etiam ex vi alterius prouidentiæ, pro peccato alieno ſatisfacere. Minor ſolùm eſt probanda, quia gratia illa capitis eſſet eiuſdem rationis cum gratia adoptionis, quæ modò in nobis reperitur; hæc verò ex ſua natura ſolùm dicit ordinem ad merendum de condigno illi ſubiecto, cui inhæret, non verò alteri, quod ex D.Thom. confirmat. *in 4.diſtinct. 20. quæſt. vnica, articulo 2.in ſolutione ad ſecundum* vbi hæc habet, *quod præmium eſſentiale redditur ſecundùm diſpoſitionem hominis, quia ſecundùm capacitatem videntium erit plenitudo viſionis, & ideo ſicut vnus non diſponitur per actum alterius, ita vnus alteri non meretur præmium eſſentiale, niſi meritum eius habeat efficaciam infinitam.* Quæ verba ponderat ſic Vaſquez. D. Thomas ait, neminem poſſe mereri alteri præmium eſſentiale, niſi habeat meritum infinitum. Sed pura creatura, quauis gratia prædita, non haberet meritum infinitum. Ergo nulla pura creatura poteſt alteri mereri primam gratiam, vel remiſſionem peccati. Mentem Vaſquez aliâ verborum formulâ eius diſcipuli eleuauerunt. Sed ea infrà proponam.

102. Verùm hæc ratio Vaſquij innititur principio valde incerto, videlicet gratiam ſolùm dicere ordinem ad merendum de condigno gratiam illi ſubiecto, cui inhæret, rurſum hoc dato, adhuc non conuincit, hominem iuſtum non poſſe alteri promereri de condigno remiſſionem peccati, cùm abſque vi meritoria primæ gratiæ alteri dandæ, poſſet habere homo ille vim meritoriam de condigno remiſſionis peccati alieni. Singula probaturi ſumus.

103. Sed ad examen voco principium illud Vaſquij, videlicet gratiam ſolùm dicere ordinem ad merendum de condigno proprio ſubiecto, cui inhæret, imprimis eſt contra S. Thom. *hic quæſtione 8.articulo 5.* vbi expreſsè docet, Chriſtum Dominum per gratiam habitualem fuiſſe caput influens moraliter, & de condigno gratiam in reliquos homines. Item idem Sanctus Doctor 1.2. *quæſtione 114.articulo 6.* tollit à quolibet iuſto meritum condignum alienæ gratiæ, cuius rationem dedit, quia Deus eius meritum non ordinauit, nec ad gratiam alienam acceptauit, ſed ad propriam, ſicut ordinauit, & acceptauit meritum Chriſti. In quibus clarè demonſtrat D. Thom. potuiſſe iuſtum, mereri de condigno alienam gratiam, ſi Deus aliter prouideret, quatenus eſt ex meritis ipſius gratiæ, ſi aliunde non repugnaret. Ergo gratia ex ſe, & ex natura ſua, non exigit eſſe principium meriti de condigno ſoli proprio ſubiecto, cui inhæret.

104. Rurſum iuxta D.Thom. gratia habitualis dat operibus iuſti, valorem ſatisfactorium de condigno pro pœna alterius. Ergo etiam valorem de condigno pro alterius gratia. Antecedens ſuppono eſſe D.Thom. *diſtinct. 15. quæſtione 3. articulo 3.* quem ſequuntur innumeri, teſte Suarez *de pœnitentia diſputatione 48. ſectione 2.* Conſequentiam, vt probem, noto, in Deo duplicem dari voluntatem, ratione noſtra diſtinctam, alteram voluntatem remuneratiuam, cuius effectus eſt præmium. Alteram voluntatem vindicatiuam, quæ reſpicit pœnam. Nota vlterius, homini iuſto gratiam in ſe receptam, duplicem vim, & virtutem communicare mediis actibus bonis. Vnam qua mouet voluntatem remuneratiuam Dei ad retributionem præmij, quæ eſt vis meritoria; aliam, qua mouet voluntatem vindicatiuam ad remiſſionem pœnæ, quæ eſt vis ſatisfactoria. Hoc iacto, probo hunc conſequentiam illam, poteſt gratia vim ſatisfactoriam pro pœna, quam paſſurus eſt proprium ſubiectum, extendere ad ſatisfaciendum pro alterius temporali pœna. Ergo etiam poterit eadem gratia vim meritoriam præmij proprio ſubiecto correſpondentis, extendere ad præmium alienum.

Iterum eamdem conſequentiam probo ex 105.
aſſertis Vaſquij, contra quem eſt inſtituta iſta concertatio; etenim apud ipſum, & exiſtimo apud veriorem opinionem, vis ſatisfactoria non eſt diſtincta à vi meritoria; taliter, quòd quæcumque ſatisfactio exercetur per modum meriti, merendo ſcilicet remiſſionem pœnæ. Nunc ſic in ſententia Vaſquij, non eſt contra naturam gratiæ hominem iuſtum de condigno mereri alij pœnæ temporalis remiſſionem. Sed in ſententia Vaſquij tam pœnæ remiſſio, quàm præmij collatio ſunt effectus eiuſdem virtutis meritoriæ, & vtraque eſt præmium meriti. Ergo neque contra naturam gratiæ erit, quòd homo iuſtus aliis de condigno promereatur præmium.

Sed occurres diſparitatem eſſe cognitam. 106.
Etenim ſatisfactio exercetur ſemper per modum ſolutionis, & nullo modo per modum meriti. Et cùm ſolutio poſſit acceptari à creditore, ſiue fiat à proprio debitore, ſiue ab alio diſtincto, qualis eſſet fideiuſſor, fit, quòd licèt gratia augeat vim operibus iuſti, ad promerendum pro aliis pœnæ remiſſionem, non tamen valet augere illis valorem ad merendum pro aliis.

Sed hæc ſolutio nullo modo adhæret princi- 107.
piis Vaſquez, iuxta quæ, vt vidimus ſuprà *dub.* 2. meritum etiam poteſt exhiberi per modum ſolutionis, de quo iterum redibit ſermo. Ergo vtrobique eſt eadem ratio. Item, quia, vt vidimus ſuprà, iuſtus merens, & Deus remunerans ſe habent vt creditor, & debitor, homo, eſt creditor ius habens in præmium, quod tanquam debitor eſt Deus collaturus. Ergo ſi iuſtus de condigno ſatisfaceret Deo pro debito pœnæ alterius abſque iniuria gratiæ irrogata, non alia ratione, niſi quia Deus pro ſuo guſtu acceptat eius ſolutionem, & pœnam pro alio, ita Deus poterit ſatisfacere iuri hominis merentis per collationem doni alteri dati, quia merens, qui eſt iuſtus, & creditor, acceptare vult tanquam donum ſibi collatum illud idem donum, quod alteri confertur, nulla iniuria gratiæ ipſi inhærenti irrogata.

Hoc ipſum in humanis frequenter comperi- 108.
mus. Etenim ſupremus princeps omnia facinora, ab ſtrenuo milite patrata; compenſare ſolet variis modis, vel illum perſonaliter honorando, ingentem donorum copiam conferendo, vel parentibus, filiis, aliiſve familiaribus, ſibi valde coniunctis, ſimilia dona præſtando. Quæ omnia ſiue ipſi, ſiue aliis, ſuo nomine collata, indifferenter, tanquam proprium præmium, militis

facinora

facinora conueniunt. Ergo ſicut ipſa opera ſtrenua optimè à Principe cōpenſantur, collatione donorum, vno vel altero modo collata ab illo, quia indifferenter ad vnum, vel alterū modum præmiandi mouebāt voluntatē Principis. Ergo ſimiliter opus bonum iuſti optimè compenſabitur à Deo præmio ſupernaturali, quod æquale ſit illi, ſiue ipſi merenti, ſiue alteri nomine ſuo conferatur. Vtrobique enim eſt omnimoda paritas. Opera iuſti ſuperna eodem modo, mouent voluntatem diuinam ad præmium, ac ſtrenua militis facinora voluntatem Principis ad præmiū alliciunt. Ergo ſicut hæc non ſunt determinata ad præmiū ſoli militi conferendum, ſic illa indifferētia debent eſſe ad hoc, vel aliud præmium, quod ſibi, vel aliis nomine ipſius conferatur: quia tam bonum proprium merētis eſt præmium, quod alteri nomine ſuo confertur, quàm ſit bonum illi præmium, quod ipſi tribuatur, vt patet in Chriſto, cuius dicuntur dona, omnia auxilia ſuperna, quæ ex meritis illius dignatus fuit Deus nobis conferre. Ergo poterat Deus, ex vi alterius prouidentiæ, ſatisfacere iuri hominis iuſti, merentis per collationem doni alteri nomine ſuo factam, abſque præiudicio gratiæ habitualis propriæ, quià merens, qui eſt iuſtus & creditor, acceptare vult tamquam donum ſibi collatum, illud idem donum, quod alteri nomine ſuo, hoc eſt, ex ſuis meritis id petentibus, confertur.

109. Ecce principium, in quo totam vim rationis repoſuit Vaſquez, ſatis ſuperque deſtructum. Iam illi demus gratiam hominis iuſti prædictæ conditioni ſubiacere, vt nequeat eſſe principiū merendi alteri primam gratiam, adhuc rationem Vaſquij minimè probaturam, non poſſe hominem iuſtum ſatisfacere pro offenſa aliena, quod eſt principale aſſumptum noſtræ litis, ad quam componendam tot ſunt vocatæ Authorum, rationes arbitræ. Argumentor ſic, Etenim cum hoc, quod eſt hominem iuſtū, etiam gratiā capitis ornatum, non poſſe alteri de condigno promereri primam gratiam, compati poteſt, poſſe ſatisfacere pro offenſa aliena. Ergo ruit Vaſquij ratio. Probo antecedens. Quia cum hoc, quod eſt hominem hìc & nunc non poſſe etiam de congruo mereri primam gratiā, compatitur ſatisfacere poſſe ſaltem imperfectè pro peccato proprio, per actum, qui ſit vltima diſpoſitio ad gratiam, vt ſuprà notauimus, imò perfectam ſatisfactionem admittit Vaſquius. Ergo cum hoc, quod eſt hominem iuſtum, gratia capitali ornatum, non poſſe alteri mereri de condigno primam gratiam, compatietur poſſe ſatisfacere perfectè pro aliena offenſa.

110. Sed occurres. Diuus Thomas *in quartum diſtinctione decimaquinta, quæſtione tertia, articulo tertio in corpore*, abſolutè negat antecedens, quia opera vtrumque habent ex eadem radice, & quod ſint meritoria, & ſatisfactoria.

111. Sed contra, quia Diuus Thomas in prædicto loco aliud negat ab eo, quod nos tamquam certum in illo antecedenti proponimus, quia in dicta propoſitione ſolùm de ſatisfactione imperfecta loquimur, quæ vt vidimus ſuprà *dubio primo*, huius diſputationis, non exoptet in charitate radicari, ſed ſolùm exoptat illam infallibiliter inferre, & cum illa indefectibiliter coniungi, qua ratione diximus eſſe imperfectè ſatisfactoriam quin eſſet meritoria; at Sanctus Thomas in hoc loco adductus loquitur de ſatisfactione perfecta pro pœna temporali: an ſcilicet opera bona in peccato per ſuperuenientem charitatem poſſint eſſe ſatisfactoria pro pœna: & reſoluit id eſſe impoſſibile, & reddit rationem, quia cùm ſint mortua ad merendum, ſunt etiam mortua ad ſatisfaciendum ſcilicet perfectè. Hanc eſſe mentem D. Thomæ mihi ſuadent verba, quæ affert in ſolutione ad primum, vbi apertè fatetur illud noſtrum antecedens, videlicet talia opera eſſe ſatisfactoria imperfectè, & diſpoſitiuè per hæc verba: *Quanto aliquis plura bona facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit, & ideo probabile eſt, quòd minoris pœnæ ſit debitor, & per hoc debevent à ſacerdote diſcretè computari, vt minorem pœnam iniungat.* Quæ verba clarè concedunt prædictis operibus aliqualem rationem ſatisfactionis, ſaltem diſpoſitiuæ. Rurſum ex vi eorumdem verborum conſtat D. Thomam, non loqui in prædicto loco de operibus, quæ ſunt vltima diſpoſitio ad gratiam, qualiter ſic loquitur antecedens illud à nobis propoſitum, ſed de aliis, quæ ad ipſam contritionem diſponunt, vt patet ex contextu. Ergo alius eſt caſus D. Thomæ ab eo, quem antecedens ſupponit.

Incrementum accipiet doctrina hæc ex illa D. Th. *in 4. diſt. 20. q. vnic. art. 2. ad 1.* quam pro Vaſq. adduximus ſuprà; ibi enim ait D. Th. meritum debere fieri iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem, quod eſt idem, ac dicere, vnū non poſſe alteri mereri de condigno, quia vnus non poteſt diſponi per alterius actum; hinc enim quod affirmat de merito, minimè ſatisfactioni concedit, quia illi per accidens eſt, quòd hìc & nunc offenſa tollatur media gratiæ infuſione, etenim ſi ſatisfactionis iura perpendantur, ipſa nō petit eſſentialiter prædictam gratiæ infuſionem, ſed bonum Dei, quod talem offenſam ſubmoueat, videlicet aliquod obſequium, & honorē, qui ab homine habente capitis gratiam exhiberi perfectè poteſt, tametſi ex ſe eſſet impoſ. alteri mereri de condigno primam gratiam. Vnde ſi Deus poſſet per condonationem extrinſecam, offenſam remittere vt non ignobiles Magiſtri ferunt, poſſet prædictus homo aliorum conditus caput, ex pacto Dei obligare ipſum ad condonandam offenſam ſi offenſa eſſet finita, quamuis non poſſet primam gratiam alteri de condigno promereri. 112.

Sed vt veritas hæc magis plauſibilis appareat, breuiter fundamenta Reuerendiſſimorum, quibus rationem Vaſquij fulciunt proponam, vt qua facilitate ſoluuntur, eadem facilitate principium illud, cui innituntur, funditus corruat. Intentum iſtorum eſt, principium illud Vaſquij, gratiam ſcilicet non ordinari ad merendum alteri gratiam, niſi proprio ſubiecto, cui inhæret, firmitatem habere. Sicque illud probant, quia gratia illa, qua eſſet inſtructus homo ille, non eſſet ſemen merendi aliis ſimilem gratiam, aut immediatam remiſſionem peccati, per extrinſecam condonationem. Ergo purus homo non poteſt ſatisfacere condignè pro aliis. Conſequentia eſt iuxta Vaſquij principia, quæ conformia eſſe Diuo Thomæ diſcutiemus infra, non aliter contin- 113.

gere poteſt condigna ſatisfactio vnius pro alio, niſi merendi alteri de condigno gratiam iuſtificantem, vel immediatè peccati remiſſionem per extrinſecam condonationem. Antecedens habebat duas partes. Primam; gratiam, qua præditus eſſet homo ille, non eſſe illi ſemen merendi aliis aliam gratiam. Secundam; quod non eſſet illi ſemen merendi aliis immediatè remiſſionem peccati per extrinſecam condonationé. Prima pars probans ex Adr. *ep.1.ad Epiſc.Hiſp. col.4.* vbi de Chriſto loquēs ait: *Sicut peccata nō tolleret, ſi ipſe peccatum haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, ſi ipſe propter hominem, quem aſſumpſit ſine ſorde peccati, neceſſarium habuerit, vt gratiam adoptionis acciperet.* Hæc Adr. Quæ ſic ponderant. Sicut ſi ipſe, Adrianus ait, peccator nō poſſet aliorum peccata abolere; ita ipſe Adoptiuus non tribueret adoptionis gratiam. Ergo iuxta Pontificem, tam implicat Adoptiuum in alios gratiā adoptionis transfundere, quàm implicet, Peccatorem alterius ſcelera diuellere. Ergo principium Vaſquij eſt certum.

114. Sed facilè Adrianus exponitur, ipſum loqui ex vi iſtius Prouidentiæ, non verò de alia quá Deus habere poterat. Verùm enim eſt ſecundùm præſcriptum à diuina voluntate hîc & nunc habitum, diſpoſitum eſſe, quòd præmium condignum gratia & gloria, operibus filij adoptiui correſpondens, non conferatur alteri, nomine illius, ſed ſibi ipſi, cui inhæret adoptionis gratia, quæ eſt ſuorū meritorū radix. Vnde caſu quo Chriſtus gratia adoptionis indiguiſſet, vt ſua opera valorem haberent, totum ſuum meritum ordinaretur ad ſibi acquirendam gratiam & gloriam de cōdigno nihil nobis promerendo.

115. Secundò probabant hanc ſecundam partem antecedentis. Opus bonum filij adoptiui, ſubiectum, in quo eſt, neceſſario cōſtituit, & ſolum dignum gratia, & gloria, ſibi determinatè correſpondētē: Ergo illam alteri nequit de condigno promereri. Conſequentiam probant, quia actus ille eſt limitati valoris & totum communicat ſubiecto, in quo eſt, in ordine ad præmium ipſi ſubiecto conferendum. Ergo totus eius valor exhaurient, per collationem præmij ſuo ſubiecto factam. Ergo nihil valoris ſupereſt illi, quo moueat condignè voluntatem diuinā, ad conferendum gratiam, & gloriam alteri. Nunc autem antecedens probatur: quia opus filij adoptiui ſuum valorem ſumit à gratia adoptionis, cuius eſt effectus. Ergo ſolùm habebit valorem in ordine ad id, ad quod gratia relationé dicit. Sed gratia habitualis ſolùm connectitur, cum præmio gloriæ conferendę ſubiecto, in quo eſt. Ergo ſolùm poteſt gratia adoptionis, dare valorem operi in ordine ad gloriā, vt proprio ſubiecto conferendam. Ergo opus bonum filij, quod erat antecedens, adoptiui, ſubiectū, in quo eſt, neceſſariò conſtituit, & ſolum dignum gratia & gloria, ſibi determinatè correſpondente.

116. Sed hæc argumentatio, ſi quam vim habet, eámdem retortā in ſe patietur arguens. Etenim in ſententia RR. gratia conſiderata ſecundùm ſe, non connectitur cū augmento ipſius gratiæ. Alias eo ipſo, quòd ſubiectum informaret, illi præſtaret irrefragabile ius ad prædictū augmentum. At ipſa gratia dignificat opus bonum, vt de cōdigno promereatur ipſius gratiæ augmentum. Ergo optimè ſtare poteſt, gratiam opus dignificare ad id, tamquā præmium, cum quo ſecundùm ſe eſſentialiter non cōnectebatur gratia. Ex quo deduco à paritate, hanc vim illationis in deſtructionem principij Vaſquij. Ergo quamuis gratia ſecundùm ſe, & ex vi ſuæ informationis, ſubiecto, cui inhæret, non conferat ius, niſi ad præmium ſuo ſolo ſubiecto præſtandum, non bene arguitur. Ergo non valebit condignificare opus, in ordine ad præmium, alteri ſubiecto conferendum.

Verùm, vt formæ argumēti reſpondeas, nota, 117.
gratiam exiſtentem in me, & poſſe ſumi ſecundùm ſe, & quæ illi competunt ex vi ſuæ informationis; vel vt coniunctam cum opere meritorio. Primo modo accepta, ſolùm comparatur valet ad gloriam, etiam ſecūdùm ſe acceptam. Secundo modo, comparatur ad augmentū eiuſdem gratiæ & gloriæ. Etenim iſta duo eſſe diuerſa, patet, quia ſi gratiam ex vi ſuæ informationis Primæ contempletis, antequam cū nouo opere coniungatur, nullum ius ad augmentum ipſius præſtare experieris. Ergo aliud eſt neceſſarium præter ipſius informationem, vt intelligatur in homine iuſto ius ad augmentum eiuſdē gratiæ & gloriæ. Ex quo neceſſariò infertur, aliter ſe habere gratiam in communicatione iuris ad præmium, ortum ex ipſa, vt coniuncta cum opere bono. Etenim ipſa ſecundùm ſe accepta, & ex meritis informationis, communicat ius ad gloriam ſoli ſubiecto, cui inhæret; ratio, nam ius iſtud, vt ſic, à gratia ortum, eſt ius filij adoptiui; atque adeo eſt ad gloriam tamquam ad hæreditatem. Ergo hoc ius ſolùm illi ſubiecto cōmunicabit, quod ex vi ipſius gratiæ filius adoptiuus conſtituatur. Et cùm aliud, præter proprium ſubiectum, quod informat, filium adoptiuum non conſtituat, fit, vt ſoli illi ſubiecto tale ius ad gloriam communicet, quod naſcitur ex gratia, ſecundùm ſe accepta, &, ex meritis informationis. Aliter tamen communicat ius ad præmium, quando tale ius naſcitur à gratia, vt coniuncta cum opere bono meritorio. Etenim tale ius reſpicit augmentum gratiæ & gloriæ, tamquam præmium & mercedem, atque adeo valebit illud ius præſtare ſubiecto in ordine ad aliud, cui tale præmium nomine ipſius conferatur. Etenim in hoc diſtinguitur id, quod hæreditas eſt, & id, quod præmium & merces cenſetur. Quòd illud ſolùm in ſubiecto, quod filius eſt vocatus, recipiēdum eſt; at hoc poteſt conferri alteri ſubiecto, quod non fuit merens, dummodo nomine merentis conferatur; ratio, quia præmium non aliter correſpondet operi meritorio, niſi vt aliquid, quod inter merentis bona numerari poſſit. At, vt vidimus ſuprà, inter bona merentis cōputari ſolet, tam id, quod illi immediatè exhibetur, quàm id, quod alteri nomine ſuo tribuitur, fit exinde, quòd gratia, quæ daretur aliis ex vi alterius prouidentiæ, poſſet eſſe præmium operis illius hominis iuſti, qui eſſet illorum caput, quod inquam opus, ſuam condignitatem haberet, mediante gratia, in illo homine, exiſtente.

Reſpondeo in forma. Nego antecedens. Ad 118.
probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo opus illud ſolùm habet valorem à gratia adoptionis in ordine ad id, quod dicit ordinem in ipſa gratia, ſecundùm ſe, & ex meritis informationis, Nego, ad id, quod

quod dicit ordinem ipſa gratia, pro vt coniungitur cum opere meritorio. Concedo. Eodem modo diſtinguo minorem ſubſumptam. Nunc applica doctrinam antecedentem.

119. Secundò ratione probant idem Vaſquij principium. Etenim actus meritorius nihil aliud eſt, quàm actus bonus, vt coniunctus cum gratia habituali in eodem ſubiecto, etenim quia Deus complacet in iuſti ſanctitate, in eius opere, vt cum ipſa ſanctitate coniuncto complacere dicitur. Ergo in ordine ad illud præmium, prædictum opus complacet Deo, in ordine ad quod mouet complacentia ipſius Perſonæ ſanctæ. Sed complacentia Perſonæ, non mouet niſi in ordine ad gloriam, determinatè dandam ſubiecto, in quo eſt, quia ſicut gratia habitualis in me exiſtens, non conſtituit alium hominem ſanctum, & iuſtum, ita nec filium & hæredem gloriæ. Ergo, &c. Sed hæc ratio hac ſolùm diſtinctione, præcipuis propoſitionibus applicanda, præoccupatur. Atque adeo conceſſo antecedenti. Diſtinguo conſequens; in ordine ad illud præmium mouet opus, in ordine ad quod mouet complacentia Perſonæ, præciſè cum gratia habituali conſideratæ, nego. Ad quod mouet complacentia Perſonæ, prout ſimul coniunctæ cum opere meritorio, concedo, ſic diſtingue ſubſumptam, & doctrinam antecedentem applicabis.

120. Tertiò probant idem principium. Hæc eſt vera; ideo opus, vt coniunctum cum gratia dicit ordinem ad gloriam, quia gratia, à qua tale opus dignificatur, dicit ordinem ad gloriam; gratia ſolùm dicit ordinem ad gloriam conferendam proprio ſubiecto, cui inhæret. Ergo actus, vt coniunctus cum gratia, ſolùm dicet ordinem ad gloriam proprio ſubiecto conferendam. Concedo maiorem, & minorem, & neganda eſt conſequentia. Etenim licèt ſit verum, opus non dicere ordinem ad gloriam, ſi non oriretur à gratia importante prædictum ordinem; atque tale opus proportionante ad dictum præmium; tamen non bene arguitur, gratia habitualis ſecundùm ſe, ſolùm dicit ordinem ad gloriam, proprio ſubiecto dandam. Ergo actus illa dignificatus ſolùm ad gloriam, proprio ſubiecto conferendam, tamquam vnicum præmium, importabit ordinem. Quia vt ſuprà diximus, optimè compatitur. Gratiam dignificare actum ad præmium, ad quod ipſa ſecundùm ſe non dicat ordinem.

121. Quartò probant idem principium; mediis operibus iuſtis creſcimus in ſanctitate. Ergo creſcimus in filiatione adoptiua. Sed filiatio, vt filiatio ſolùm dat ius ſubiecto, in quo eſt, ad hæreditatem paternam. Ergo idem reſoluendum eſt de operum ſanctitate. Nota vt reſpondeas; de nobis poſſe verificari incrementum hic & nunc ſuſcipere mediis operibus in ſanctitate radicali, vel in ſanctitate formali; creſcere mediis operibus in ſanctitate formali reddit hunc ſenſum, quod talia opera ſint formaliter ſanctitas, quapropter illis multiplicatis, augmentum accipere in ſanctitate formali, erat neceſſe, ſed hic ſenſus eſt falſus, cùm nulli actui hominis iuſti, quantumuis ſit perfectiſſima Dei dilectio, competat ſanctitatis prædicatum, vt diximus *tractatu de merito*, cum Diuo Thoma, & eius diſcipulis. Creſcere vero mediis operibus in ſanctitate radicali hunc ſenſum facit, quòd homo iuſtus mediis, ſuis operibus meretur augmentum gratiæ & gloriæ, quæ ex vi exiſtentis Prouidentiæ ſemper illi exhibetur; Hoc iacto reſponde in forma rationi, diſtinguens antecedens, creſcimus in ſanctitate radicali mediis operibus bonis, Concedo. In ſanctitate formali, nego. Et diſtingue conſequens. Ergo mediis operibus creſcimus radicaliter in filiatione adoptiua, concedo. Formaliter creſcimus, nego conſequentiam. Perge ad minorem, quam ſic diſtingues. Sed filiatio adoptiua, vt talis ſolùm dat ius ſubiecto, in quo eſt, ad hæreditatem, ſi ſermo ſit de filiatione formali, eſt verum. Si de radicali, eſt falſum. Vnde cùm ſtatuerimus filiationem adoptiuam radicalem, eſſe ipſum opus hominis iuſti, vt meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, licèt ex vi prouidentiæ exiſtentis ſolùm correſpondeant illi quatenus collatæ ſunt proprio ſubiecto, cui inhæret, & à quo elicitur, tamen in altera prouidentia prædicta opera poterant eſſe radix ſanctitatis formalis, videlicet gratiæ, vt alteri conferendæ propter rationes non ſemel ſcriptas.

Quintò probant principium. Gratia habitualis reddit ſubiectum particeps diuinæ naturæ, illud ſcilicet ſubiectum, in quo eſt, & non aliud, quod eſt idem, ac illud facere particeps diuinæ operationis, viſionis ſcilicet & amoris Dei, ad hunc ſenſum quod faciat, vt ſubiecto, in quo eſt, debeatur participatio diuinæ operationis. Ergo gratia habitualis, vt dignificans opus illud, ſolùm reddet dignum ad gloriam proprio ſubiecto conferendam. Conſequentia patet, quia gratia eleuat opus ad illud idem præmium, quod ipſa gratia reſpicit, vel cuius participatio debita eſt ipſi gratiæ. Sed gratiæ habituali non eſt debita participatio diuinæ operationis niſi in ſubiecto, in quo eſt. Ergo gratia habitualis, vt dignificans opus, illum ſolùm reddet dignum ad præmium, quod eſt proprio ſubiecto, à quo elicitur, conferendum. 122.

Hæc ratio eadem ſolutione, ac prima, eſt ſoluenda, iuxta quam, nega conſequentiam. Ad probationem nego maiorem propter rationem loco citato præſtitam. Vel aliter reſpondebis, etiam negando conſequentiam. Ad probationem, conceſſa maiori, diſtingue minorem, tantùm debita eſt operatio in ſubiecto, in quo eſt, operatio immediatè ipſi gratiæ debita tamquam actus potentiæ, concedo. Operatio non ipſi gratiæ dignificanti debita immediatè, ſed immediatè alij gratiæ datæ in præmium operis dignificati, & media hac gratia dignificante, nego antecedens. Explico, Etenim operatio debetur in illo ſubiecto, in quo fuerit gratia, quæ in præmium datur; hanc autem non reſpicit gratia dignificans, vt neceſſariò dandam ipſi promerenti in ſeipſo, ſed intuitu illius, ipſi vel alij, vel ipſi in ſe, vel in alio. 123.

Vltimo & efficaciùs idem principium probant. Si iuſtus poſſet promereri aliis gratiam, poterit etiam mereri aliis auxilium efficax ad opus honeſtum. Ergo ad opus, quo præſeruetur à peccato. Sed hoc eſt abſurdum. Probo. 124.

Si poſſet mereri auxilium, quo à peccato præſeruetur, poſſet mereri auxilium, quo alius à peccato reſurgeret, quia qui poteſt ad maius, ad minus præualet. Maius enim beneficium eſt à peccato præſeruari, quàm ab illo ſemel commiſſo abſolui. Quod conſtat in Beata Maria Sanctiſſima cui maior gratia facta fuit ex eo, quòd ab originali præſeruata fuit, quàm aliis hominibus ex eo, quòd iam lapſi in originale ab eo miſericorditer liberentur.

125. Sed hæc ratio ſolùm efficaciter impetit illos, qui ſemel concedentes hominem iuſtum poſſe ſibi promereri auxilium, quo à peccato præſeruetur, & aliunde negant, non poſſe de condigno promereri alteri auxilium, quo à peccato reſurgat: nullam tamen habere in nos, qui vtrumque negamus. Primùm propter authoritatem Diui Thomæ ſtatim ſubiiciendam. Secundum propter rationem poſtea in decurſu dubij præſtandam. Vnde ex eo, quòd maius ſit beneficium, auxilium, quo homo à peccato præſeruetur, quàm auxilium, quo à peccato commiſſo reſurgat, eſt optimum argumentum ad probandum, nullam puram creaturam poſſe condignè, nec ſibi, nec alteri illud promereri. Nec enim hoc eſt contra noſtram reſolutionem. In illa enim ſolùm prætendimus, ea omnia dona, quæ iuſtus ſibi promereri de condigno poteſt, poſſit etiam aliis de condigno promereri.

126. Vt autem totaliter hoc argumentum decidat, oſtenſuri ſumus; Quodnam ſit maius beneficium, collatio auxilij, quo peccatum vitetur, an collatio auxilij, quo à peccato ſemel patrato reſurgat peccator? Quæ dubitatio, æquiualet his vocibus, cui maior gratia confertur, innocenti, aut paccatori, illi, quia cadere à Deo non ſinitur. Iſti, quia iam lapſum reſurgere facit? Huic quæſtioni pulchriùs aliis reſpondet Diuus Thomas 1.2. *quæſt.* 106. *art.* 2. Per hæc verba. *Gratia autem eſt, quia gratis datur, vnde dupliciter poteſt eſſe maior gratia. Vno, ex quantitate dati, & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuatum cæteris paribus abſolutè loquendo. Alio modo poteſt dici maior gratia, quia magis datur gratis. Et ſecundùm hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens, quàm innocens, quia magis gratis datur illud quod ei datur à Deo: Cùm enim eſſet dignus pœna, datur ei gratia; & ſic licèt illud donum, quod datur innocenti, ſit abſolutè conſideratum maius; tamen donum, quod datur pœnitenti, eſt maius in comparatione ad ipſum. Sicut enim paruum donum datum pauperi, eſt maius, quàm diuiti magnum. Et quia actus circa ſingularia ſunt, magis conſideratur quod eſt hic, vel nunc tale, quàm quod eſt ſimpliciter tale, ſicut dicit Philoſophus 3. Ethic. de voluntario, & inuoluntario.* Pulchra ſane verba.

127. His & non aliis (vt poſtea latiùs oſtendam) innixi concedimus antecedens, & primam conſequentiam. Et negamus ſecundam. Non enim, valet. Homo iuſtus ex vi alius Prouidentiæ, poteſt alij de condigno promereri gratiam habitualem, & auxilium, quo bonum opus exequatur. Ergo poterit promereri illi de condigno auxilium, quo peccatum vitetur, vel quo præſeruetur à peccato. Sicut nec bene valet: poterat de condigno aliis mereri gratiam habitualem ſecundùm ſe ſumptam. Ergo & gratiam, vt cum remiſſione peccati coniunctam, vel auxilium, quo à peccato ſemel commiſſo alius reſurgat. Iſta enim maiori luce perfundentur ex his quæ luculenter proceſſus totius reſolutionis noſtræ præſtabit.

Pater Ioannes Lugo *tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 5. *ſect.* 8. *num.* 147. ſpretis aliis rationibus pro noſtra ſententia ſuprà data, hanc proponit rationem ſibi viſam efficacem, ad hanc formam reductam. Contra exigentiam gratiæ eſt dignificare opera ad illud præmium, per quod non remuneratur dignè ipſe operans. At per gratiam alienam non remuneratur dignè iuſtus operans. Ergo non poteſt dignificare opera ad gratiam alienam. Minorem probo. Non poteſt iuſtus operans remunerari per gratiam alienam, niſi cum detrimento propriæ gratiæ, nam quantùm meriti pro aliis conſumit, tantùm ſibi detrahit; nullus enim iuſtus, quacunque emineat ſanctitate, reperitur, qui non indigeat toto valore ſui meriti, ad augendam propriam gratiam. At non remuneratur dignè iuſtus operans, ſi remuneratur cum propriæ gratiæ nocumento, cùm maius bonum eius ſit ſuæ gratiæ propriæ augmentum, quàm incrementum alienæ. 128.

Ex quo infert, quòd caſu, quo ipſe iuſtus ex imprudenti affectu ſua merita pro aliis applicaret, Deus tamen iuxta leges boni remuneratoris, nullo modo talem applicationem acceptaret, quia re vera cum propriæ ſanctitatis iactura, non maneret homo condignè remuneratus. Fatetur tamen in humanis, poſſe condignè præmiari militem, per munera filiis, vel cognatis data, pro quibus ipſe miles inſtanter poſtulat, quia in his poteſt contingere, maius bonum eſſe militis, honorem vel munus filij, quam ſuiipſius, & hoc eſt in cauſa, quòd Princeps prudenter credat, militem bene perpendiſſe rem totam, & condignè remunerari illo genere præmij. At verò in remuneratione gratiæ & gloriæ, certum eſt decipi, qui gratiam ſibi ex merito prouenientem, alteri applicaret. Ideo enim prudenter illæ virgines apud *Matth. cap.* 5. licèt aliàs miſericordes, & beneficæ, negarunt tamen oleum ſodalibus enixè petentibus, & dicentibus, *Date nobis de oleo veſtro*, quia gratia per oleum ſignificata, non poteſt prudenter alteri quantumcumque indigenti applicari. 129.

Concludit tamen, poſſe iuſtum mereri gratiam aliis, caſu quo Deus concederet illi plenitudinem gratiæ ex natura rei poſſibilem, qualem Chriſtus Dominus habuit: quia tunc non indigeret ſibi augmento gratiæ, nec meritum eius remuneraretur cum detrimento propriæ ſanctitatis. 130.

Pia; ſed non efficax ratio: Etenim adhuc poſita hypotheſi, quòd homo iuſtus, qui conſtitutus ſit aliorum caput, eam gratiæ plenitudinem non haberet, qua Chriſtus viguit, poterat prudenter ſua merita applicare in remunerationem gratiæ aliis conferendæ, & Deus dictam applicationem acceptare ſine læſione tituli iuſtiſſimi remuneratoris. Ergo hæc ratio non eſt efficax. Antecedens probo. Etiam data illa hæpotheſi, poterat cognoſcere ſe opus 131.

mi

miſericordiæ & charitatis executurum, ſi ſua merita pro aliorum remuneratione applicaret. Ergo etiam in tali hypotheſi, prudentèr illam applicationem exequeretur, & Deus iuſtiſſimè ſe gereret illam acceptando. Antecedens probo. Supponendo Deum tuliſſe legem, de nulla conferenda gratia illi iuſto propter merita ſua, ſed ſolùm illi, cui vellet iuſtus prædicta ſua merita applicare. Poſſe Deum de potentia abſoluta hanc legem præfigere, dominium, quo fungitur in omnes creaturas rationales, & earum operationes, apprimè commendat, eò vel maximè eùm quotidie id experiamur in Dominis humanis, qui non ſemel viſi ſunt ſtatuere, Vt ſuorum ſeruorum operæ in aliorum vtilitatem cedant, vt & nullo modo ſibi ipſis conſulere poſſint. Tunc ſic, hac lege à Deo condita, cuius eſſet iuſtus conſcius, prudentiſſimum dictamen gigneretur, quo in applicandis ſuis meritis pro aliis regularetur. Etenim ex vna parte, cognoſceret, ſe iuſtum exequi, ſi ſuas actiones diuinæ legi conformes eliceret: Ex alia, videret, ſe otiosè geſturum in applicandis ſuis operibus in propriam remunerationem. Ex alia, cognoſceret, ſua merita votum aſſecutura, ſi illa, pro remuneratione aliena applicaret. Quid tunc deficeret, vt talis applicatio prudens non exiſtimaretur & iuſta? Iuſta quia diuinæ voluntati conformis. Prudens, quia cum fructu exercita, aliter tamen facta eſſet otiosè executioni mandata; imò imprudenter ſe gereret in tali caſu iuſtus, ſi aliter operaretur, nam cùm cognoſceret, diuino ſtatuto id præſcribente, ſe ſibi proficuum eſſe non poſſe, bene tamen aliis, imprudentiſſimus euaderet, ſi nollet aliis proficuitatem impendere.

131. Probo rurſum, etiam in hypotheſi illa, quòd iuſtus plenitudine gratiæ non gauderet, dabilem eſſe caſum, quo actum charitatis, & miſericordiæ exerceret iuſtus eo præcisè, quòd cognoſcens ex applicatione ſuorum meritorum aliquem fructum alios fore reportaturos, illa pro tali proficuitate applicuerit, tametſi ex alia parte eſſet conſcius, aliquam iacturam ipſum in propriis bonis eſſe paſſurum. Probo aſſumptum. Etenim dum dicimus, poſſe hominem mereri gratiam alteri de condigno, potiſſimum habere locum, caſu quo alter, cui promereretur gratiam, non eſſet macula peccati infectum, ſed in pura natura conſtitutum. Nunc ſic argumentor, homo iuſtus, in maxima ſanctitate reſplendens, poterat elicere actum charitatis meritorium gratiæ vt duo, ſed ſi illos applicaret alteri homini exiſtenti in pura natura, eliceret feruens charitatis opus, quamuis ex tali applicatione illis duobus gradibus gratiæ priuaretur. Ergo dabilis eſt caſus, in quo ſine plenitudine gratiæ, & cum iactura illius, quam poſſidet, poſſit iuſtus exercere opus charitatis, in applicatione ſuorum meritorum pro alio, cui conferenda ſit gratia. Probo minorem. Quia conferendo iacturam, quam pateretur homo iuſtus, cum beneficio alteri in pura natura faciendo, vix mereretur iacturæ nomen. Etenim in tali caſu nõ ſpoliaretur ſimpliciter habituali gratia, ſed ad ſummum eius augmento quoad duos gradus illius. Iſte alter, cui tales gradus darentur, tranſiret à ſtatu, inter omnes infimo, ad perfectiſſimum filiationis adoptiuæ, & conſtitueretur in felici ſphæra hæredis omnium bonorum paternæ complacentiæ. Ergo applicare hominem iuſtum ſua merita pro alio, cui tot, ac tanta beneficia accreſcerent, opus eximiæ virtutis eſſet, eò vel maximè cùm ex dicta applicatione illi tam exigua iactura in bonis ſpiritualibus eueniret, vt illi emolumento comparata, non mereretur nomine iacturæ appellitari. Ergo homo ille, etiam in hypotheſi, quòd ad plenitudinem gratiæ, qua viguit Chriſtus, non perueniret, prudentiſſimè ſe gereret, ſi ſua merita applicaret alteri exiſtenti in pura natura, tametſi ex prædicta applicatione ſibi ipſi aliquam iacturam pararet.

SECTIO V.

Prima ratio tenenda pro ſententia.

SEntentia, quam hîc probare contendimus, his terminis clauditur. Non poteſt purus homo pro alieno peccato ſatisfacere per modum compenſationis, ſeu æquiualentis retributionis, ſed per obſequium, quod ita Deo placeat, ac diſplicuit mortalis offenſa; pro qua eſt ſatisfactio exhibenda. In hanc veritatem probandam tot vidimus conſpiraſſe Authores, ſed votum non fuiſſe aſſecutos oſtendimus; Nos verò, vt efficacem pro illa tuenda rationem aſſignemus, non aliis principiis innitemur, quàm illis ipſis, quæ dubio quarto iecimus, vt impotentiam in homine ſatisfaciendi pro peccato proprio conuinceremus. Ratio igitur eſt hæc. 132.
Meritum condignum remiſſionis peccati, debet eſſe tantæ æſtimationis, quantæ eſt malitia peccatoris, & eius vilitas. Sed nullum obſequium à pura creatura exhibitum, poteſt in æſtimatione morali eſſe æquale, cum malitia & vilitate peccatoris. Ergo purus homo nequit cõdignam ſatisfactionem exhibere pro illo. Minor innititur principio illi celebri ex Diuo Thoma deſumpto, quod dubio illo non inutiliter protexímus, videlicet, quia ſatisfactio cùm ſuam æſtimabilitatem hauriat ex infinitate Perſonæ, cui exhibetur, & vilitate ſatisfacientis, ita ex his capitibus decreſceret, vt nunquam valeret coæquari in æſtimatione morali, cùm grauitate offenſæ ex eiſdem capitibus ſuum incrementum deſumente, quòd licèt maiorem vim aliquibus RR. videatur habere in ſatisfactione pro peccato proprio, cùm tamen illam agnoſcant, licet leniorem, in ſatisfactione pro alieno, tamen ſufficientem ad oſtendendum, nunquam obſequium à pura creatura exhibitum, par eſſe poſſe, in æſtimatione morali, cum grauitate offenſæ ideo de hoc examinando non curo. Nunc maior eipſam commendat; quamque ex definitione ſatisfactionis condignæ, quilibet tenetur admittere.

Sed occurres hanc rationem ſolùm conuincere hominem iuſtum, ex vi Prouidentiæ exiſtentis, ſecundùm quam illi finita gratia diſpenſatur, non poſſe pro offenſa peccati condignè ſatisfacere, quia obſequium hic & nunc ab illo poſſibiliter fieri, alium nequit habere valorem, præter finitum ex gratia, habituali finita 133.

finita, deriuatum. At ex vi alterius prouidentiæ, de qua præſens lis eſt ſuborta, poterat Deus illum hominem, aliàs caput aliorum conſtitutum, gratia infinita exornare, & conſequenter obſequium ab illa creatura factum eſſet infinitæ æſtimabilitatis ab illa gratia, à qua condignificaretur: Atque adeo vinceret moraliter totam grauitatem offenſæ, quæ finita eſt iuxta veriorem ſententiam.

134. Sed contra, etenim hæc ratio quoad vtramque Prouidentiam, eaſdem vires retinet, & admiſſo caſu, quo poſſibilis eſſet infinita gratia, & quo grauitas offenſæ ſit finita in æſtimatione morali, adhuc non ſequeretur, poſſe hominem illum condignè ſatisfacere pro offenſa, vel mereri de condigno, vt illi peccatori offenſa remitteretur. Etenim illam gratiam, tunc infinitam fore ſolùm conuinceret, actum ab illa condignificatum eſſe meritorium de condigno alterius gratiæ, quæ eſſet infinitè intenſa, non tamen conuinceret mereri poſſe remiſſionem peccati. Etenim licèt gratia infinitè intenſa, quæ illius actus meritorij eſſet præmium, ſecundùm ſe conſiderata eſſet perfectior peccati remiſſione; tamen conſideratis circumſtantiis hic & nunc, maius beneficium eſſet remiſſio peccati homini peccatori facta, quàm collatio gratiæ infinitæ homini exiſtenti in gratia præſtita. Ratio, nam hic & nunc remiſſio non ſolum conſideratur, vt carentia peccati eſt abſolutè, ſed vt carentia peccati vt præteriti connotati, & ſic eſt æquè amabilis, ac peccatum eſt odibile. Vnde naſcitur quòd abſolutè ſit maius beneficium remiſſio peccati, quàm collatio gratiæ infinitæ homini non exiſtenti in peccato; quia iuxtà regulam communiter acceptam, beneficium incrementum ſumit ex indignitate ſubiecti, cui communicatur. Quodque exemplo clarè commendatur. Quis negabit inter bona maius cenſeri bonum vt duo, quàm vt vnum, & tamen in ratione beneficij, bonum vt vnum, poterit bonum vt duo ſuperare. Quia cùm exceſſu illo entitatiuo, ex parte boni vt duo ſe tenente, compatitur circumſtantia ſe tenens ex parte boni vt vnum, à qua rationem maioris beneficij exhauriat. Vtpote ſi bonum vt duo præſtetur amico, & bonum vt vnum inimico præſentetur. Sic in præſenti, gratia infinita, quæ in præmium daretur actui infinitè meritorio, entitatiuè accepta eſſet maius bonum, quàm remiſſio peccati, quæ illi eidem actui daretur in præmium. Verùm in ratione beneficij, maiorem æſtimabilitatem haberet remiſſio peccati, quàm gratiæ illa collatio, deſumpta ex circumſtantia hominis Deo inimicis; atque adeo licèt illa poſſet cadere ſub meritum de condigno puræ creaturæ, hæc ſub prædictum meritum cadere non poterit.

135. Nec hoc inualidat inſtantia ſumpta ex meritis Chriſti, quia hæc erant infinita per eſſentiam in ratione æſtimabilitatis moralis, atque adeo dignitatem habebant ad omne præmium poſſibile: at gratia infinita ſolùm quoad intenſionem accidentalem, infinitatem habebat per maiorem, & maiorem radicationem eiuſdem actus finiti; atque adeo impotens æquari, in æſtimabilitate operum Chriſti valori ex principio infinito per eſſentiam prouenienti.

Sed occurres ſecundò cum Ripalda vbi ſuprà *ſectione quarta*, qui inter omnes Reuerendiſſimos acriùs in hanc noſtram rationem vires totas applicuit. Omnes eius fideliter in medium edam, vt nulli earum per incuriam parcens, quiſque ſit arbiter, an latera firma habens deuictus ſuccumbam in lucta. Ait igitur Ripalda noſtram rationem ruinoſo principio fidere: Etenim licèt eſſet certum, meritum hominis iuſti non eſſe æqualis dignitatis, ac ſit remiſſio peccati ſecundùm proportionem arithmeticam rei ad rem (quod ipſe, licèt cum timore, negat *ſectione quinta, numero quadrageſimo ſeptimo*,) tamen hanc rationem non conuincere, meritum hominis iuſti non eſſe æqualem, in dignitate cum remiſſione peccati ſecundùm proportionem geometricam. Sed hæc æqualitas ſecundùm proportionem geometricam. Sed hæc æqualitas ſecundùm proportionem geometricam ſufficeret, vt tale meritum eſſet condignum ad remiſſionem promerendam. Ergo noſtra ratio non conuincit intentum, nec firmo nititur principio. Minor comprobatur vera exemplo in vniuerſa Theologia admiſſo. Æternum enim gloriæ pondus dicitur præmium æquale momentaneæ, & leni tribulationi hominis iuſti, quæ æqualitas ſolùm eſt proportionis geometricæ; etenim æqualitas rei ad rem inter noſtra merita, & æternam gloriam reperta ſufficienter, & condignè remuneratur augmento gratiæ, aut viſione beata æqualis durationis cum illis. Ergo ſi talia merita condignè hic & nunc præmiantur gloria æterna, quæ in ſtatera iuſta compoſita, cum labore momentaneo & leui noſtrorum operum, immenſam, & infinitum pondus operatur, erit propter ſolam æqualitatem ſecundùm proportionem geometricam, quam habent noſtra merita cum viſione æterna. Nunc maiorem probat. Quia ſi bonitas remiſſionis peccati eſſet maior ſecundùm proportionem geometricam, quàm dignitas hominis iuſti, maximè quia eſt tanta, quanta eſt malitia peccati longè excedentis dignitatem meriti. Sed bonitas remiſſionis peccati non eſt tanta, quanta eſt malitia peccati. Ergo ex vi noſtri principij non bene infertur impotentia huius condignæ ſatisfactionis. Maior eſt principium rationis noſtræ. Minor probatur. Primò quia peccatum reddit hominem poſitiuè dignum Dei inimicitia, & multis aliis malis exinde ſequutis; at per remiſſionem peccati præciſè, non conſtituitur homo poſitiuè Dei amicus. Ergo, &c. Secundò probat hanc minorem, quia malitia peccati eſt tanta, vt hominem conſtituat in ſumma miſeria & infelicitate; at bonitas remiſſionis peccati non eſt tanta, vt hominem conſtituat in ſumma felicitate. Ergo non eſt tanta bonitas remiſſionis peccati, quanta eſt malitia ipſius peccati. 136.

137. Fateor argumentum hoc vnum aſſequi, ſcilicet bonitatem remiſſionis abſolutè non eſſe æquè bonam, ac malum eſt peccatum. In hoc enim vis rationis noſtræ non reponitur; atque adeo conceſſo, peccatum eſſe peius, quàm ſit bona peccati remiſſio,

ad

adhuc ratio noſtra ſuas vires retinet, vt ab homine iuſto depellat valorem, ad ſatisfaciendum condignè pro prædicta remiſſione, vt ſtatim ſpeciali ſectione reſoluam: atque adeo Author hic finxit hoſtem, cum quo luctaretur, verùm ex ibi dicendis, dico totam vim rationis noſtræ conſiſtere in maiori malitia peccati, quam exæquare non poteſt meritum iuſti, vt illi conferatur in præmium peccati remiſſio. Vnde hæc ſeu peccati carentia poteſt conſiderari ſecundùm ea, quæ intrinſecè & metaphyſicè importat, vel ſecundùm ea, quæ connotat extrinſecè, nempe peccatum præteritum, quod per illam aufertur. Si primo modo illam conſideres, cum illa æqualitatem, ſecundùm proportionem geometricam, meritum iuſti habere iudicabis, atque adeo illi (ſi aliud non obſtiterit) poſſet prædicta carentia peccati, tanquam præmium æquale correſpondere. At ſi concipias illam ſecundo modo, æſtimabilior redditur, vtpote cùm connotet peccatum, quod præceſſit, & hoc præ eius grauitate indignitatem maiorem inducat impediens remiſſionem, ſit, quòd abſolutè remiſſio peccati hic & nunc exercita, ſit maioris bonitatis etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm ſit bonitas meriti iuſti. Vnde meritum, quod aliàs eſſet æquale cum carentia peccati ſecundùm ſe, minimè eſſet capax illam inducendi in homine peccatore, quia vt hoc poſſet, debebat habere æqualem vim, ad depellendum peccatum, quod talem carentiam impedit, ac habet peccatum tali remiſſioni & carentiæ obuians.

138. Ecce quomodo Ripalda tam procul eſt à deſtructione noſtri principij, vt illud haud tetigerit. Exiſtimauerat n. illud eſſe, quia bonitas remiſſionis erat maior, quã bonitas actus hominis cõdignificati, & licèt hoc ita ſit in ſẽſu explicato, & denuo explicando, tamen in ſenſu, quem nobis imputat Ripalda, nec eſt principium rationis noſtræ, nec verum, quia ipſe exiſtimat, nos iudicare idem eſſe, remiſſionem peccati, ac carentiam peccati; atque adeo eamdem æſtimabilitatem vtrumque importare; vnde optimè inferebat, actum dignificatum, eſſe æqualis æſtimationis moralis; imo & maioris, quàm ſit remiſſio peccati, quia ſi remiſſio peccati eſt idem, ac carentia peccati; & actus condignificatus eſt æqualis, imo maioris bonitatis, quàm ſit carentia peccati, à fortiori inferebat eumdem actum eſſe æqualis, imò maioris bonitatis, quàm ſit peccati remiſſio. Verùm ex falſo antecedenti conſequentiam optimam intulit. Etenim apud nos hæc ſunt falſa, vt ad noſtrum propoſitum conducunt: idem eſt carentia peccati, ac remiſſio peccati, nec non æquè æſtimabilis eſt carentia peccati, ac remiſſio peccati: quia remiſſio peccati addit ſupra hoc, quod eſt eſſe peccati carentiam, aliquod connotatum inæxequabilis grauitatis, nempe præteritum peccatum ab ipſa remiſſione deſtruendum. Quapropter licet quoad intrinſeca idem ſit carentia, ac peccati remiſſio; tamen quoad intrinſeca, & quoad extrinſeca minimè eſſe idem recenſemus: vnde principium noſtri diſcurſus confert actum condignificatum cum remiſſione peccati, vt inuoluente ſecum, tam intrinſecum ſui, ſcilicet carentiam, quàm extrinſecum, nempe peccatum præteritum ab ipſa diſſipandum. Ex quo inferes: Ergo actus condignificatus, non eſt æquè bonus, ac bona ſit remiſſio, etiam ſecundùm proportionem geometricam: quia prædictus actus eſt inæqualis bonitatis ſecundùm eamdem proportionem, cum peccati malitia, quàm de contrario inuoluit prædicta remiſſio.

Sed replicabis ex Ripalda, quæſt. à priori, *ſect. 4. num. 41.* vt talis actus, ſic dignificatus, ſit dignus peccati remiſſione, ſufficit habere bonitatem æqualem, bonitati, & dignitati gratiæ habitualis. Sed meritum iuſti habet bonitatem, & dignitatem, æqualem bonitati & dignitati gratiæ habitualis. Ergo tale meritum iuſti eſt dignum remiſſione. Minor ex ſe patet, quia meritum iuſti eſſentialiter conſtituitur ex dignitate gratiæ, & bonitate actus, atque adeo complectitur præter bonitatem actus, etiam bonitatem & dignitatem gratiæ. Maior eſt probanda, quia bonitas, & excellentia gratiæ digna eſt, cui adiungatur remiſſio peccati, & Deus digno titulo, ſeu de condigno, mouetur ex intuitu præuio gratiæ ad remittendum peccatum. Ergo ſufficit bonitas, & dignitas meriti, æqualis bonitati & dignitati gratiæ, vt Deus de condigno moueatur, ad remittendum peccatum. 139.

Secundò probat eamdem maiorem, quia tanta eſt complacẽtia Dei in merito iuſti, quanta eſt in bonitate gratiæ, cum meritum iuſti gratiam, & inſuper bonitatem moralem actus includat. Ergo vis motiua Dei ad remittendum peccatum, tanta eſt in merito iuſti, quanta eſt in habituali gratia, nam hæc vis exercet totam ſuam cauſalitatem media complacentia, quam allicit in voluntate Dei. Ergo tanta dignitas eſt in merito iuſti, ad inducendum affectum efficacem remittendi peccatum, quanta eſt in habituali gratia. Vbi enim eſt æqualis complacentia Dei, ibi eſt æqualis bonitas, & vbi eſt æqualis bonitas, condignitas alia deſiderari non poteſt. Ergo de primo ad vltimum, vt meritum iuſti ſit dignum remiſſione, ſufficit habere æqualem bonitatem, & dignitatem cum bonitate, & dignitate gratiæ habitualis. 140.

Sed iſta replica explicatione terminorum euaneſcit. Etenim vt æqualitas, vel inæqualitas inter meritum iuſti, & præmium, quod eſt remiſſio, perpendatur, neceſſe eſt ſcrutari ea, quæ ex parte vtriuſque importantur. Conſidera meritum iuſti, & in illo ſolùm inuenies entitatem honeſtam ſuæ æqualitatis, & condignitatem, quam habet à gratia ſecundùm ea, quæ ipſa gratia in recto, & intrinſecè importat, dixi ſecundùm ea, quæ intrinſecè & in recto connotat gratia: quia hæc poteſt conſiderari ſecundùm prædicata ſua entitatiua, quibus hominem conſtituit filium adoptiuum, & eius actum dignum remuneratione æterna; vel poteſt conſiderari ſecundùm ea, quæ extrinſecè illi annectuntur, videlicet prout coniungitur cum actuali remiſſione peccati. Meritum enim de condigno hominis iuſti, non ſupponit gratiam cum remiſſione coniunctam, vt tale, quia remiſſio peccati non coniungitur cum gratia, quæ eſt principium meriti condigni. Adde, quia ſolùm ſupponitur ad meritum in illo priori cum gratia 141.

 coniun

coniunctum, quòd extiterit forma dignificans ſubiectum, vt in actum meritorium condignitatem poſitiuè refundere valeat. Sed ſola gratia ſecundùm ſua intrinſeca prædicata ſubiectum dignificat pro illo priori, & ea ſola poſitiuè in actum meritorium condignitatem refundit. Ergo ſola gratia, & non remiſſio ſupponitur ad actum meritorium. Ergo iſte ſolùm dicit præter bonitatem ſuæ honeſtatis, bonitatem gratiæ ſecundùm ea, quæ in recto & intrinſecè ab ipſa gratia importantur. Conſidera nunc præmium iſti actui correſpondens, & inuenies illud eſſe gratiam, tam ſecúdùm ea, quæ in recto inuoluit, quàm ſecundum ea quæ illi extrinſecè & contingenter competunt, videlicet vt coniunctam cum remiſſione. Ergo amplius dicit præmium, quod non importat meritum iuſti. Probo conſequentiam. Meritum iuſti ſolùm importat bonitatem gratiæ, ſecundùm ea, quæ illi intrinſecè conueniunt, & nullo modo ea, quæ extrinſecè illi adaptantur, nempe remiſſionem peccati. Præmium verò in tali caſu vtrumque inuolueret. Ergo amplius diceret præmium, quod non importat meritum iuſti. Ergo meritum iuſti non eſt tantæ bonitatis, quanta eſt bonitas præmij. Exindeque æſtimabilius erit præmium, quàm iuſti meritum, quaque de cauſa tota condignitas talis meriti, reſpectu prædicti præmij, peribit. Vnde è contra licebit contra Ripaldam ſuum epilogum inſtaurare. Vbi non eſt æqualis bonitas, æqualis complacentia minimè reperitur. Sed inter meritum iuſti & gratiam, vt coniunctam cum remiſſione peccati, non eſt æqualis bonitas, etiam ſecundùm proportionem geometricam. Ergo reſpectu illorum non dabitur in Deo æqualis complacentia.

142. Sed rurſum replicabis: bonitas meriti iuſti eſt æqualis, ſecundùm proportionem geometricam, bonitati præmij, nempe gratiæ, quæ illi homini daretur, vt coniunctæ cum peccati remiſſione. Ergo tota noſtra doctrina ruit. Probo antecedens, bonitas meriti iuſti, dicit bonitatem gratiæ ſecundum omnia, quæ intrinſecè, &, extrinſecè conueniunt gratiæ, quæ in illius præmium daretur. Ergo bonitas meriti iuſti eſt æqualis, ſecundùm proportionem geometricam, bonitati gratiæ, quæ in præmium illius conferretur alteri. Probo antecedens, meritum iuſti importat bonitatem gratiæ illud dignificantis, ſecundùm ea, quæ illi intrinſecè conueniunt. Sed eo ipſo meritum iuſti importat bonitatem gratiæ, ſecundùm ea, quæ gratiæ extrinſeca ſunt. Ergo bonitas meriti iuſti, dicit bonitatem gratiæ, ſecundùm omnia, quæ gratiæ competunt, quatenus præmium illius actus eſt. Probo minorem; gratia, quam ſupponit meritum iuſti, eſt talis conditionis, vt illi debeatur peccati remiſſio, taliter, quòd illam ſibi annexam habeat, quoties in ſubiecto, cui communicatur, inueniatur peccatum. Ergo meritum iuſti eo ipſo, quòd ſupponat gratiam illum dignificantem quoad intrinſecum illius, importat bonitatem gratiæ ſecundùm ea, quæ ſecum extrinſecè inuoluit.

143. Sed contra: quia meritum iuſti ſupponere gratiam, cui debeatur remiſſio actualis in hypotheſi, quod peccatum inueniat in ſubiecto, cui communicatur, eſt ſolùm ſupponere gratiam, quoad intrinſeca gratiæ. Ergo tale meritum non habebit æqualem bonitatem cum bonitate alterius gratiæ, quæ in præmium illius daretur homini peccatori. Probo antecedens. Meritum iuſti ſupponere gratiam, cui debeatur remiſſio, non eſt ſupponere illam cum actuali remiſſione peccati coniunctam vt de ſe patet. Sed ſupponere illam, vt non coniunctam cum remiſſione peccati, eſt ſolùm ſupponere illam, quoad intrinſeca illius. Ergo meritum iuſti ſupponere gratiam, cui debeatur peccati remiſſio, eſt ſolùm ſupponere gratiam, quoad intrinſeca illius. Probo minorem, gratia, quæ cum peccati actuali remiſſione coniungitur, eſt gratia quoad omnia, quæ intrinſecè, & extrinſecè importat. Ergo gratia, quæ cum actuali remiſſione non coniungitur, licèt intrinſeca ſui denotet, extrinſeca non importabit. Explico hoc, gratiam eſſe peccati remiſſiuam, eſt idem ac gratiam exigere remiſſionem. Exigere remiſſionem in gratia, eſt ipſa entitas gratiæ. Ergo meritum iuſti ſupponere gratiam, vt non coniunctam cum remiſſione, licèt illam exigat, ſolùm eſt ſupponere gratiam quoad intrinſeca illius. Ergo meritum iuſti ſolùm habet bonitatem gratiæ, à qua dignificatur, conſideratæ ſecundùm ea, quæ illi intrinſeca ſunt. Tunc ſic, ſed ex parte præmij, quando gratia daretur homini peccatori, ratione cuius peccatum expelleretur, non ſolùm ſe teneret gratia, quoad intrinſeca ſui, ſed quoad extrinſeca, nempe ipſa gratia cum actuali remiſſione peccati. Ergo plus ex parte præmij poneretur, quàm meritum illud haberet, Ergo æqualitas inter dictum meritum & præmium, etiam ſecundùm proportionem geometricam nullo modo inueniretur.

Sectio VI.

Secunda ratio, ſeu confirmatio prioris. 144.

IN decurſu doctrinæ elapſæ diximus, fundamentum vnicum, quo ratio noſtræ concluſionis muniebatur, eſſe, grauius iudicari peccatum & indignius bonitate, & dignitate operis hominis iuſti, talemque exceſſum hunc eſſe, vt nullam admittat proportionem adhuc geometricam, in opere iuſti hominis ad ſatisfaciendum condignè pro peccati offenſa, & iniuria: & licèt *ſectione antecedenti* prædictam inæqualitatem ſufficienter probatam relinquamus, aliter nunc oſtendendo firmitatem principij dati, illam probandam ſumimus. 145.

Pone opus aliquod eſſe ita bonum, vt omnia, quæ exerceri ſunt ſolita, in feruore antecellat, quodque reſpiciat obiectum omnium eminentiſſimum, quod eſt Deus, qualiter eſſet amor & ſupernaturalis dilectio, qua quis feruentiſſimè Deum proſequeretur. Iſte actus ſic adeo perfectus, dignitatem non haberet ad promerendum omnes gradus poſſibiles viſionis æternæ, nec omnia alia bona, quæ ſub diuina largitate cadere poſſunt; omnes admittunt. Pergo vlterius. Sed quodlibet peccatum mortale, quantumuis inter omnia infimum, quoad feruorem, & circunſtantiás eſt meritorium carentiæ omnium gra-

duum

duum viſionis beatæ, & cunctorum beneficiorum ad quæ manus diuina ſe extendere poteſt. Ergo peius eſt in genere mali peccatum, quantumuis inter mortalia infimum, quàm bonum ſit opus hominis iuſti, tametſi omnia, quæ hîc & nunc ſunt exercita in perfectione deuincat. Ergo nullum opus hominis iuſti habebit æqualitatem, etiam ſecundùm proportionem geometricam, cum grauitate peccati. Ergo nullum poterit eſſe condignè pro illo ſatisfactorium.

146. Sed hæc ratio non à paucis deſeritur, verùm qui illam acerbo calamo impetit, eſt Pater Ripalda, qui ore pleno fallacem eſſe vocat, vbi ſuprà *diſput.* 97. *ſect.* 1. *num.* 8. occurrit ſic rationi allatæ; quia homo per peccatum veniale, fit indignus hypoſtatica vnione, quam non poteſt quis de condigno promereri perfectiſſimo actu dilectionis Dei, & tamen dilectio Dei eſt magis bona, quàm ſit malum peccatum veniale. Ergo non bene arguimus, homo meretur per hoc peccatum, carentiam bonorum, quæ non poteſt mereri per dilectionem. Ergo magis malum eſt peccatum.

147. Nec refert ſi dicas, noſtram rationem procedere de peccato mortali, de quo ſolùm verificatur mereri priuationem omnium bonorum ſupernaturalium, tanquam pœnam ex rationabili odio peccati, quam ſubire debet peccator, etiamſi ſtrictiſſimo iure talia dona antecedenter ad peccatum deberentur illi. At peccatum veniale non mereri priuationem vnionis hypoſtaticæ, tanquam pœna, ex rationabili odiu iniuriæ leuis, quam teneatur offendens venialiter ſubire, etiamſi ei talia bona ſtricto iure ante offenſam venialem ſint debita, ſed tanquam meram ceſſationem liberalitatis.

148. Non inquam refert, quia replicat hic Author, priuatio boni poſſeſſi, ſeu aliàs iure ex promiſſione acceptata poſſidendi decreta, ratione culpæ, per quam homo fit indignus tali bono, iure cenſetur pœna. At huiuſmodi poteſt eſſe priuatio vnionis hypoſtaticæ, inducta per peccatum veniale, & priuatio communionis amicabilis bonorum inducta inter homines per offenſam grauem. Nam ſicut homo redditur indignus, per malitiam peccati mortalis, omni amicitia ſimpliciter cum Deo; ita per malitiam peccati venialis redditur indignus ſtrictiſſima, & perfectiſſima omnium amicitia, quæ nullam admittit, etiam leuem diſplicentiam Perſonæ, qualem ſecum adducit vnio hypoſtatica.

149. Reſpondeo, quia etiamſi homo ius haberet ad vnionem, adhuc per veniale commiſſum, non mereretur carentiam vnionis hypoſtaticæ, tanquam pœnam. Ergo ruit doctrina huius authoris. Probo antecedens, homo per veniale non contrahit dignitatem ad minorem pœnam. Ergo multò minùs per ipſum contraheret dignitatem ad maiorem, quæ eſſet carentia vnionis hypoſtaticæ, ad quam ius haberet. Antecedens probo, homo per veniale non contrahit dignitatem carendi habituali gratia, etſi ad illam ius haberet. Sed carentia habitualis gratiæ eſt minor pœna, quàm carentia vnionis hypoſtaticæ, etſi ad illam ius haberet. Ergo homo per veniale non contrahit dignitatem ad pœnam, quæ eſt minor carentia vnionis hypoſtaticæ. Maiorem communis Theologia admittit; & ſi aliquibus crediderim, dignus cenſura indicatur, aſſerens peccatum veniale promereri condignè carentiam habitualis gratiæ. Aliud enim eſt veniale eſſe demeritorium condignè vnionis hypoſtaticæ, aliud eſt, eſſe cum illa incompoſſibile, atque adeo caſu, quo vnio adueniret naturæ, quæ peccatum veniale haberet, expelleret illud. Per hæc enim oſtenditur, vim rationis noſtræ eſſe inconcuſſam, & optimo fundamento innixam. Ex quo optimè arguitur, homo per peccatum mortale demeruit condignè carentiam bonorum, quæ ipſe per actum perfectiſſimæ charitatis, non poteſt condignè promereri. Ergo peccatum mortale peius eſt in linea morali, quàm quodlibet opus perfectiſſimum hominis iuſti.

Rurſum inſtat Ripalda *numero* 10. ſatisfactio Chriſti Domini æqualis fuit grauitati noſtri peccati, & illa ſuperior. Tamen plura bona demeruit noſtrum peccatum, quæ ſatisfactio Chriſti mereri non potuit. Quippe noſtrum peccatum demeretur omnem Redemptorem; atque adeo omnem vnionem hypoſtaticam Dei cum natura rationali creata, & auxilia gratiæ ad omnem actum ſatisfacientem pro ipſo neceſſaria. Ergo poteſt actus bonus eſſe æqualis ſatisfactio pro peccato, etiamſi non mereatur omnia bona, quæ peccatum demeretur. 150.

Si aliis principiis, quæ Ripalda ipſe amplectitur, inniterer, negarem antecedens, & ſic totum fundamentum argumenti corrueret: falſum enim eſt iuxta principia iſtorum RR. peccatum noſtrum demeruiſſe incarnationem, quoad eius ſubſtantiam, quod enim fuit condignè promeritum, eſt, illam non fuiſſe nobis proficuam, vel quòd talis incarnatio non fieret ex intentione nobis benefaciendi. Verùm quia hæc alibi dubio antecedenti impugnaui, nunc aliter Replicæ Ripaldæ ſum occurſurus, admitto ergo noſtrum peccatum demeruiſſe Chriſtum Redemptorem, atque adeo omnem vnionem hypoſtaticam, quam non potuit Chriſti ſatiſfactio promereri, necnon Chriſti ſatisfactionem fuiſſe condignam pro peccato, & nego conſequentiam; quia ex diuerſo capite naſcitur, Chriſti ſatisfactionem non poſſe promereri vnionem hypoſtaticam, quam demeruit peccatum, ab illo, ex quo prouenit opus hominis iuſti non promereri condignè omnia bona, quæ noſtrum peccatum demeruerat. Etenim Chriſti ſatisfactionem non poſſe promereri vnionem hypoſtaticam condignè, naſcitur ex eo, quòd vnio hypoſtatica ſupponitur data neceſſariò pro quolibet priori ad quemlibet actum; qui eſſet illius meritorius, atque adeo ob hanc cauſam ſub meritum cadere non poteſt, non ob defectum valoris in ſatisfactione Chriſti repertum; etenim ſi talis vnio non ſupponeretur, talis valor ad illam ſe extendere poſſet: atque adeo ſtat bene, Chriſtum pro peccato condignè ſatisfacere, quamuis condignè, imo nec de congruo poſſit vnionem hypoſtaticam, quam peccatum demeruit, promereri; at verò opus hominis iuſti non poſſe promereri omnia illa dona, quæ peccatum demeruerat, ortum habet ex improportione, quam habet cum 151.

prædi

prædictis bonis; atque adeo non quia opus hominis iuſti talia bona, quæ peccatum demeruit, ſupponat collata, non promeretur illa, ſed ob defectum valoris illius.

156. Rurſum inſtat Ripalda *numero* 11, quia in peccatore demeritum condignum gratiæ, & beatitudinis, *vt mille*, non arguit maiorem malitiam, quàm eam, quæ dignè demeretur gratiam, & beatitudinem, *vt* 4. tamen in actu bono meritum condignum maioris præmij, arguit maiorem bonitatem, quàm eam, quæ de condigno meretur minus, nam maius præmium demeretur eadem malitia, quæ demeretur minus; at eadem bonitas, quæ minus meretur non meretur maius præmium. Qui enim demeretur Epiſcopatum, aut magiſtratum, à fortiori demeretur Pontificatum, & imperium; qui verò Epiſcopatum meretur, non eo ipſo Pontificatum meretur. Itaque non eſt neceſſe malitiam demerentem amicitiam & beatitudinem *vt* 4. ad demerendum illam *vt mille*, & etiam infinitam, incrementum accipere, quia à fortiori eſt indignus amicitia, & beatitudine infinita, qui eſt indignus finita, & magis reſiſtit vnioni hypoſtaticæ conferendæ, qui reſiſtit conferendæ gratiæ habituali. Ergo cùm poſſit actus puræ creaturæ accedere ad bonitatem meritoriam gratiæ, & beatitudinis, *vt* 4. poterit æquare malitiam demeritoriam gratiæ & beatitudinis infinitæ; cùm hæc maior neceſſaria non ſit, quam demeritoria gratiæ & beatitudinis, *vt vnum*. Hanc rationem clariùs propono. Ex eo quòd peccatum demereatur omnes gradus poſſibiles viſionis beatæ, non bene arguitur. Ergo peccatum eſt peius in genere mali, quàm bonum quodcunque opus hominis iuſti. Probat ſic Ripalda, vt peccatum demereatur omnes gradus viſionis, ſufficit illi malitia, quæ deſideratur ad demerendum quatuor gradus viſionis debitos. Ergo ſicut non rectè argueretur, peccatum demeretur quatuor gradus viſionis. Ergo habet maiorem malitiam, quàm habeat bonitatem dilectio Dei ſuper omnia, quæ poteſt mereri de condigno octo gradus viſionis, ſic non bene inferimus idem conſequens, ex eo, quòd peccatum demereatur de facto omnes gradus viſionis intra latitudinem poſſibilitatis.

157. Vt reſpondeas, nota, aliud eſſe, demeritum negatiuum reſpectu præmij, & aliud demeritum poſitiuum reſpectu eiuſdem. Primum dicit negationem requiſitorum, nempe dignitatis, aliarumue conditionum, quæ deſiderarentur, vt illud ſubiectum diceretur poſitiuè tale præmium promerens. Secundum autem importat carentiam dignitatis per delictum ad præmium. Inter hæc conſidera differentiam; quòd primum demeritum, licèt inducat negationem & carentiam præmij, at prædicta carentia præmij, non poteſt dici poſitiuè pœna, reſpectu illius. At ſecundum demeritum, importat carentiam præmij tanquam pœnam poſitiuè ab illo promeritam. Ratio, quia cùm quis orbatus eſt omnibus requiſitis ad obtinendum præmium abſque culpa, licèt demereatur negatiuè præmium, hoc eſt, eſt non dignus, vt illi præmium conferatur, tamen non ſit poſitiuè indignus, qui tali præmio priuetur tanquam pœna; quia hæc eſt relatiuè ad culpam, vbi non præceſſit hæc, illa infligi nequit. Vnde inter carentiam præmij, vt pœnam & demeritum poſitiuum, debet eſſe æqualis proportio, ea videlicet quam culpa & pœna exigunt. Atque adeo tantitas cuiuſlibet eſt argumentum tantitatis alterutriuſque. Vnde ſicut bene valet, eſt culpa, *vt quatuor*. ergo correſpondet pœna, *vt quatuor*; ita licebit inferre, eſt pœna *vt quatuor*. Ergo culpa, *vt quatuor*, præceſſit.

Ex his colliges primò, falſam eſſe doctrinam, quam in probatione primi antecedentis inſeruit Ripalda, videlicet, hominem, qui Epiſcopatus officio, quod poſſidet, priuatur, tanquam indignus. Ergo etiam ipſe, vel alius erit dignus, qui priuaretur pontificatu, quem haberet ipſe, vel alius. Etenim maior pœna eſt, ſicut maius bonum eius poſſeſſio, priuare aliquem Pontificatu, quo fungitur, quàm ipſum priuare Epiſcopatu, ſi illum haberet. 158.

Ex quo rurſum fit, quòd licèt maior dignitas poſtuletur à Pontificatu, quàm Epiſcopatus exoptet, ea videlicet ratione generali, qua quidquid alio eſt maius, maiorem dignitatem petat, quàm quod eſt minus: atque adeo ſit optima conſequentia. Ergo qui poſitiuè meretur maius bonum, etiam quod eſt minus poſitiuè merebitur; tamen non eſt eodem modo certa hæc conſequentia, quam intulit Ripalda, videlicet, ergo qui indignus eſt minori bono, etiam erit bono maiori indignus. Dixi hanc non eſſe ita eodem modo certam, ac præcedentem, ratio, quia non eſt vniuerſaliter vera de omni demerito aut indignitate, ſed ſolùm de indignitate negatiua, ita vt arguatur ſic, qui indignus eſt minori bono ea indignitate, quæ priuationem ſolam & carentiam omnium requiſitorum, vt quis poſitiuè tale bonum promereretur, importat, optimè colligitur eumdem hominem eſſe ſimili indignitate indignum maiori bono, quia cùm talis indignitas ſit idem cum carentia totius dignitatis ad bonum, fit, quòd reſpectu cuiuſlibet boni tam minoris quàm maioris indignus appellabitur, qui tali indignitate extiterit affectus: at verò conſequentiam illam minimè vim habere in demerito poſitiuo, aut poſitiua indignitate, etenim hæc eſt talis conditionis reſpectu illius ipſam habentis, vt carentiam præmij, ad quod aliquod ius habebat, tanquam pœnam reſpiciat, ita vt ſi tali demerito ſpoliaretur homo, prædicto præmio afficeretur, & ratione talis demeriti, & in illius pœnam eo hîc, & nunc priuatur. Ergo ſicut hîc & nunc non valet, homo pœnam leuem meretur. Ergo & grauem. Ita non valebit, homo iſte eſt indignus indignitate aut demerito poſitiuo, qui minori bono in pœnam ſui demeriti priuetur. Ergo ſimiliter erit indignus maiori bono demerito poſitiuo, ex vi cuius in pœnam illius priuetur dicto maiori bono. Per hæc reſpondebis in forma negans antecedens. Ad probationem, doctrinam allatam recole, exinde diſtinctionem elicies, qui enim demeretur Epiſcopatum, aut magiſtratum à fortiori demeretur Pontificatum, aut imperium, ſi Epiſcopatum demeretur demerito negatiuo, concedo, ſi illum demeretur demerito poſitiuo, nego. Quæ differentia inter hæc demeri

merita inueniatur, dedit numerus 117.

160. Poſtremò inſtat Ripalda, *numero* 14. quia ad ſatisfactionem æqualem pro offenſa, ſufficit bonitas operis valens extinguere offenſam, & inimicitiam cum offenſo. Poteſt autem extingui offenſa & inimicitia cum offenſo, quin is obligetur offendentem in ſuam amicitiam, & communionem bonorum, quam offenſa demerita eſt, reuocare, vt apud nos eſt compertum. Ergo ad ſatisfactionem æqualem pro offenſa non requiritur bonitas, valens obligare offenſum ad amicitiam, & communionem bonorum, quam offenſa demerita eſt. Ergo quamuis homo iuſtus, non poſſet de condigno, omnia bona alteri, vel ſibi danda, quæ demeritum fuit peccatum, promereri; potuit tamen ſatiſfacere pro aliena offenſa, aut propria.

161. Breuiter reſpondeo, ex his, quæ dedi *tractatu de Charitate*, ibi legi iuxta ſanctum Thomam placitum, non poſſe hominem obligare Deum ex vi condignæ & æqualis ſatisfactionis pro offenſa ad illam remittendam, quin Deus admittat in amicitiam offenſorem, & in communicationem bonorum. Hoc ſuppoſito, cuius veritas hic non examinanda ſed ſupponenda eſt, totum argumentum Ripaldæ ruit.

Verùm quia tota hæc ſectio, doctrinam tradidit æqualiter conuincentem, hominem non poſſe æqualem ſatisfactionem, & condignam exhibere pro peccato proprio vel alieno, ideo iterum calamum applicaturi ſumus ad ea, quæ conferunt præcisè, in oſtendenda impoſſibilitate ſatisfactionis condignæ pro alienis peccatis, ſicque immediatiorem cum Ripalda loco citato ineamus contentionem. Pro quo

Sectio VII.

Etiam hypotheſi data, quòd carentia peccati non ſit æquè bona, ac malum eſt peccatum, adhuc homo nequit ſibi, vel alteri mereri condignè peccati remiſſionem.

162. HÆc hypothetica reſolutio eò tendit, vt citiùs argumentis Ripaldæ fiat ſatis. Etenim vt probet, poſſibilitatem ſatisfactionis condignè pro peccatis alienis, vtitur tanquam medio hac propoſitione, *carentia peccati non eſt æquè bona ac malum eſt peccatum* & in illa ſtabilienda, plura ſatis ſubtilia conſumit à quibus ſuperſederet Author, ſi ſciret id, in cuius commendationem tot probationes congregauit, fore ab aliis ingenuè admittendum.

163. Igitur admiſſo, quòd carentia peccati non ſit æquè bona, ac malum eſt peccatum, adhuc homo conſtitutus aliorum caput, non poſſet condignè ſatisfacere pro peccatis illorum. Nota quod ſuprà *num.* 141. notaui. Aliud eſt, loqui de carentia peccati ſecundùm ſe ſumpta, aliud, de carentia peccati hîc & nunc homini peccatori facta, & aliud, de remiſſione peccati. Primũ ſolùm dicit prædicata methaphyſica negationis peccati, præſcindendo ab omni extrinſeco, videlicet, an ſubiectum, quod peccato caret hîc & nunc, illud in inſtanti antecedenti habuerit, necne. Secundum præter prædicata methaphyſica carentiæ peccati, inuoluit extrinſecum connotatum, ſcilicet peccatum in inſtanti antecedenti, quo fuit ſubiectum infectum, & hîc & nunc illo priuatur. Tertium verò conuertitur cum ſecundo, quia remiſſio hîc & nunc facta eſſentialiter, eſt peccati deſtructio. Ergo neceſſariò ſupponit, peccatum in alio inſtanti præextitiſſe; non enim aliquid in hoc inſtanti deſtruitur, quod in antecedenti inſtanti exiſtentiam non habuit. Ergo remiſſio peccati, & carentia peccati in peccatore inducta, præter prædicatum methaphyſicum carentiæ, inuoluunt aliquid extrinſecum, peccatum videlicet vt præteritum in alio inſtanti, quod in hoc remittitur, & cuius carentia in hoc inſtanti inducitur. Noſtra ergo hypotheſis eſt ſic intelligenda. Dato, quòd carentia peccati ſecundùm ſe ſumpta, hoc eſt primò modo accepta non ſit tam bona, quàm malum eſt peccatum exiſtens, adhuc non poſſet homo, aliorum caput, illam de condigno promereri peccatori actu.

Hæc reſolutio ſimul probatur, & explicatur. 164.
Cum hoc quod eſt, carentiam peccati ſecundùm ſe non eſſe tam bonam, quàm peccati exiſtentiam, compatitur in illo homine defectus valoris, etiam ſecundùm proportionem geometricam, ad talem carentiam in homine peccatore actu cauſandam. Ergo adhuc in tali hypotheſi, homo ille condignam ſatisfactionem non poſſet pro dicta peccati carentia exhibere, antecedens probo: cum hoc, quod eſt carentiam peccati ſecundùm ſe non eſſe tam bonam, quàm peccati exiſtentiam bonitate abſoluta, compatitur illam eamdem carentiam, vt hîc, & nunc in homine peccatore cauſandam, habere maiorem bonitatem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm eſſet bonus quilibet actus, ab illo homine pro eius merito & ſatisfactione oblatus. Ergo cum hoc, quod eſt carentiam peccati ſecundùm ſe non eſſe tam bonam, quàm peccati exiſtentiam malam, compateretur in illo homine defectus valoris, etiam ſecundùm proportionem geometricam, ad talem carentiam in homine peccatore inducendam. Antecedens probo. Carentia peccati hîc & nunc in homine peccatore inducenda ſupra ſeipſam, ſecundùm ſe connotat peccati grauitatem præextitiſſe in homine illo, in quo eſt collocanda talis carentia, ſed hoc arguit in bonitate carentiæ, prout hîc & nunc inducendæ, in peccatore maiorem bonitatem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm ſit bonitas cuiuſcunque operis boni, ab homine illo eliciendi. Ergo cum hoc, quod eſt carentiam ſecundùm ſe non eſſe tam bonam bonitate abſoluta, quàm malum ſit peccatum exiſtens, compatitur, ipſam eamdem carentiam, vt hîc & nunc in homine peccatore inducendam, habere maiorem bonitatem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam quàm eſſet bonus quilibet actus, ab homine illo pro eius ſatisfactione & merito præſentatus. Probo minorem, carentia peccati in homine peccatore inducenda, eſt bona bonitate æquali cum magnitudine indignitatis ſubiecti, cui confertur.

Sed

Sed hoc arguit in bonitate carentiæ peccati, prout in peccatore inducendæ, maiorem bonitatem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm ſit bonitas cuiuſquè operis boni, ab homine illo eliciendi. Ergo carentiam illam in peccatore inducendam, connotare peccati grauitatem extitiſſe in eodem homine, arguit in carentia maiorem bonitatem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm ſit bonitas cuiuſque actus, ab homine illo pro eius merito exhibiti. Maior, in qua eſt tota difficultas, pro viribus probanda eſt denuò, nunc breuiter: etenim beneficium creſcit ex indignitate ſubiecti, cui confertur; maius enim eſt beneficium & æſtimabilius, quod indigno datur, quam quod exhibetur digno. Ergo inducere carentiam peccati in homine peccatore, erit bonum bonitate æquali cum magnitudine indignitatis ſubiecti. Tunc ſic, ſed indignitas illius ſubiecti, vtpote peccatoris, tanta eſt, quanta eſt malitia peccati. Ergo bonitas illius carentiæ; vt hîc & nunc in peccatore inducendæ, habet tantam bonitatem & æſtimabilitatem, ſaltem reſpectiuam, quanta eſt malitia peccati, ex cuius indignitate illam deſumpſit. Ergo habet bonitatem maiorem reſpectiuam, etiam ſecundùm proportionem geometricam, quàm ſit bonus actus, ab homine illo pro eius merito exhibitus. Hæc vltima conſequentia eſt euidens. Etenim ſi bonitas carentiæ peccati, vt hîc & nunc inducendæ, eſt æqualis cum indignitate ſubiecti, vel ex illa augmentum ſumit, & ex alia parte in ſententia Ripaldæ vt ſuprà *dub.* 2. vidimus, indignitas ſubiecti, nempe peccati malitia, excedit ſecundùm proportionem geometricam, omne opus à pura creatura exhibitum, fit, quòd bonitas eiuſdem carentiæ, vt hîc & nunc in peccatore inducendæ, ſit reſpectiuè maior, ſecundùm proportionem geometricam, quolibet opere, ab homine illo pro eius merito exhibendo.

165. In hanc rationem, ingentem argumentorum nubem congerit Ripalda, quibus ſigillarim, obuiam ibo. Priùs tamen immorari decreui in euoluendis quibuſdam propoſitionibus, quarum veritas viam aperiet facilem pro ſoluendis huius authoris obiectionibus. Prima propoſitio eſt; *carentia mali non eſt æqualiter bona, ac eſt mala ipſa exiſtentia mali.* Secunda; *quamuis carentia mali non ſit æqualiter bona ac mala ſit mali exiſtentia; tamen quò peius eſt malum, cuius eſt carentia, eò eſt melior bonitas carentiæ illius; licèt incrementum bonitatis dicta carentia, non creſcat eodem paſſu, quo malum creuerit in malitia.* Iſta ſine difficultate admittuntur à cunctis, ideo ab eorum probatione me abſtineo. Tertia tamen propoſitio eſt; *eadem carentia mali poteſt creſcere in ratione beneficij ex aliquibus circunſtantiis, vnde ſuam maiorem æſtimabilitatem depromere poſſit.* In explicatione huius figam calamum, quia in eius examine, doctrina eſt inſerenda valde vtilis, ad hanc litem dirimendam.

166. Nota igitur, æſtimabilitatem, & valorem beneficij moralis, non eſſe taxandum iuxta valorem intrinſecum, & phyſicam bonitatem, aut entitatem ipſius beneficij, ſed in ordine ad vtilitatem donatarij, quæ maior, aut minor eſſe ſolet ex circunſtantiis, Perſonæ ſcilicet, loci & temporis. Quam bene Seneca *de beneficiis cap.* 2. *in his ſequemur ea, quæ opportunitate grata ſint,* &c. *aut quæ etiamſi naturâ pretioſa non ſint, tempore, aut loco fiant.* Sed rem hanc exemplis tene, ſi enim hac noſtra tempeſtate, vbi nihil frumenti, aut panis inueniretur adhuc venale, homini valde famelico tribuas quatuor aureos, aut gemmam magni valoris, non ità ei bene facies, ac ſi panem porrigas, aut aliquid obſonij, cùm tamen, computatis donis ſecundùm ſe, in maiori pretio ſit gemma, quàm panis fruſtum. Hac doctrina munitur Ripalda *tom.* 2. *de ente ſupernaturali tractatu de auxiliante gratia per totum*, defendit auxilium congruum, quamuis, ſecundùm ſuam entitatem, ſit auxilio ſufficienti æquale, tamen in ratione beneficij, maius beneficium eſt auxilium congruum homini conferre, quam ſufficiens ſolum illi præſtare. Quia cùm valor beneficij ex entitate, ſecundùm quam ſunt æqualia, non ſit capeſcenda, ſed ex vtilitate donatarij, & vtilius ſit homini habere auxilium, cum quo præuiſus eſt operaturus, quàm illi auxilium dare, cum quo non operaturus eſt præuiſus, fit, maius euadere, auxilium congruum in ratione beneficij, quam auxilium ſufficiens; vtpote cum illo, & non cum iſto vtilitatem conſenſus eſt homo reportaturus.

Vnde circunſtantias temporis, loci, Perſonæ valde iuuare ad augendum beneficij pondus, dubitabit nemo, quaſqueeſſe in cauſa, vt id, quod aliàs vt vulgare prætеrimus beneficium, tanquam eximium donum à nobis magni habeatur. Perpende hæc duo. Concedat Princeps priuilegium Petro innocenti, ne damnetur ad verbera quomodocunque ſuam vitam tranſegerit, ſiue hæc, vel alia ſcelera patrauerit. 167.

Rurſum Paulo iam propter ſua crimina ad verbera damnato, indulgeat ne verberetur. Inquiro quodnam iſtorum maius recenſeretur beneficium? Quis dubitabit ſecundum, quia quamuis vtraque verberum negatio, quoad rationem carentiæ quaſi metaphyſicè conſiderata, & per ordinem ad idem malum, quo priuant, ſit æqualis, tamen per reſpectum ad ſubiectum, quia Paulus iam dignitatem ad verbera contraxerat, ad quæ per ſententiam iudicis deſtinatus proximè exiſtebat, reſpectu quorum licèt primus eſſet capax, ita proximè deſtinatus non aderat, maius beneficium eſt cenſendum illud, quod Princeps præſtitit Paulo, quem flagella iam imminentia terrebant, quàm ſit illud, quod Petro conceſſit de ſimili malo non patiendo, dum ſimile malum illi non imminebat.

Nec parum incrementum ſuſcipit beneficium, ex collatione illius, in hac vel in illa temporis occaſione: Etenim ſi quis videns Petrum iam maris vudis arreptum & certiſſimè ſubmergendum, protinus illum, ne ſubmergatur, è procellis eripiat, maius beneficium præſtat, quàm ſi alium, ſecurè natantem per placidas aquas fluminis ab illis, ne abſorbeatur, educat. Et hoc cur? ob circunſtantiam temporis, etenim ibi periculum imminebat proximè, hîc tamen erat procul ſubmerſio. 168.

Ex his conſtat, quòd id, quod aliàs in bonita

nitate quaſi entitatiua alterũ non excedit, tamẽ collatione facta ad circumſtantias extrinſecas loci, temporis aut ſubiecti, ita poterit eleuari, vt in ratione beneficij illud ingenti exceſſu antecellat, atque adeo ſtare poterit, quòd inter aliqua extrema detur omnimoda æqualitas in bonitate abſoluta, quæ in ſuis entitatibus ſecundùm ſe conſideratis fundetur, & quòd vnum alterum excedat in bonitate reſpectiua, quæ in aliqua circunſtantia hîc & nunc occurrente fundetur. Ergo licèt ſi carentia peccati, ſecundùm ſe & metaphyſicè cum exiſtentia peccati conferatur, non ſit tam bona bonitate abſoluta, quàm malum eſt ipſa peccati exiſtentia; atque adeo illam in ſubiecto ſecundùm ſe ſumpto inducere, non ſit maximum beneficium; atque adeo cum illa ſic conſiderata, poſſit habere æqualitatem in bonitate opus bonum, ab homine illo elicitum; tamen carentia peccati, vt connotans peccatum præteritum, habet bonitatem æqualem cum indignitate, quam in ſubiecto peccatum producit, atque adeo ſic conſiderata habet bonitatem reſpectiuam, excedentem bonitatem cuiuſlibet actus boni, ab homine illo eliciendi.

170. Concludo; carentia peccati, prout hîc & nunc inducenda in homine peccatore, habet bonitatem excedentem; etiam ſecundùm proportionem geometricam, bonitatem cuiuſlibet actus, quem homo ille poſſet elicere: atque adeo licèt iſte exceſſus non proueniat illi ex præciſa ratione, quòd carentia mali ſecundùm ſe ſit tam bona, quàm exiſtentia mali eſt mala, tamen illi accreſcit ex circunſtantia perſonæ, in qua hîc & nunc eſt inducenda. Quia hîc & nunc tanti habetur apud prudentes priuare hominem fœditate, qua maculatur, quanti penditur indignitas illius exigens ne mundetur, & in illo carentia mali à ſe contracti inducatur.

Sectio VIII.

Argumenta Ripaldæ contra hanc Doctrinam.

172. ALiquas obiectiones propoſuimus ſuprà, quibus noſtram concluſionem impetit Ripalda. Alias huc remiſi tradendas, quæ ſimul cum ea, quæ dedimus *ſect.* 6. quàm concluſionem *ſect.* 2. allatam impugnare videntur. Arguit igitur ſic vbi ſuprà *ſect.* 5. *num.* 52. & erit replica pugnans cum immediatè dictis. Conferat Deus ex duobus peccatoribus omni beneficio indignis, alteri beneficium remiſſionis ſimul cum gratia habituali, & viſione beata, alteri ſolam remiſſionem ſine gratia habituali & viſione beata, maior eſt bonitas & æſtimatio prioris beneficij, quàm poſterioris, licèt indignitas & reſiſtentia peccati æqualis ſit in vtroque. Tamen bonitas & æſtimatio prioris beneficij, non eſt maior quàm malitia, & vilitas peccati. Ergo non obſtante indignitate, & reſiſtentia peccati, bonitas & æſtimatio beneficij poſterioris, ſeu ſolius remiſſionis peccati, minor eſt, quàm malitia & vilitas peccati. Nam quod eſt inæquale vni extremo, non poteſt eſſe æquale alteri æquali cum illo; cùm enim duo extrema ſunt æqualia inter ſe, etiam ſunt pariter æqualia, aut inæqualia tertio.

173. Hoc argumentum ſupponit doctrinam, quam non eſſe veram iuxta D. Thom. principia, dedi *tractatu de iuſtificatione*; ſupponit enim poſſe peccatum à Deo tolli per puram extrinſecam condonationem, & liberalem remiſſionem; nulla forma intrinſecè recepta in homine; quæ eſſet vel gratia habitualis vel alia forma maioris excellentiæ. Hoc enim minimè cohærere cum D. Thom. aſſertis latè *loco citato* diſcurri. Verùm, vt locum habeat Ripaldæ argumentum, do caſum, quem ſupponit poſſibilem. Si aliquid argumentum probat, conuincit omnia peccata eſſe æqualia inter ſe; etenim ſuam grauitatem deſumunt & ex Perſonæ offenſæ dignitate, & vilitate offendentis. Quæ reſpectu omnium peccatorum ſunt æquales. Vnde ſtante æquali dignitate offenſi, & vilitate offendentis, non poſſet dari in ipſis peccatis inæqualitas. Probat ſimiliter hæc ratio, quia peccatum, quod cenſeretur grauius, non poſſet eſſe maius quàm ſit dignitas Perſonæ offenſæ, & vilitas offendentis. Ergo peccatum, quod eſſet minùs graue, etiam cenſeretur minus, non obſtante, quòd illis eſſet æqualis dignitas Perſonæ offenſæ & offendentis vilitas. Ergo vel illa peccata eſſent ſemper æqualia inter ſe, quia eſſent illis æquales dignitas offenſi, & offendentis vilitas, ex quibus grauitas illorum ſumitur, quod eſt falſum, cùm ſupponamus illa peccata eſſe inæqualia inter ſe, & vnum eſſe altero grauius; vel quòd ſtante æqualitate cum vno tertio, nempe dignitate offenſi & vilitate offendentis, compatitur inæqualitas in illis.

174. Reſpondeo ergo in illo caſu vnum eſſe maius beneficium alio materialiter, & eſſe vtrumque æquale in ratione beneficij formaliter. Explico hoc, beneficium, vel poteſt attendi quoad rem, quæ confertur in illo, vel in ordine ad circunſtantiam Perſonæ, cui datur. Si primo modo conſideretur, maius beneficium eſt illud, quod in ſe maiorem præhabet bonitatem, & magis vtilem donatario. Si ſecundo modo, ſemper attenditur ad indignitatem ſubiecti, quæ indiuiſibiliter exigit negationem totius boni ab offenſo illi poſſibiliter exhibendi. Ex quo fateor, quòd remiſſio facta homini peccatori cum collatione gratiæ, & viſionis beatæ, eſſet maius beneficium quoad rem datam, quàm eſſet remiſſio ſola alteri peccatori facta, ſine gratia & beata viſione. Verùm talis exceſſus eſſet materialis, deſumptus ex maiori bonitate doni collati, non verò formalis, qui ex indignitate ſubiecti deſumeretur. Etenim homini indigno æqualiter & indiuiſibiliter petenti, qui omni beneficio priuetur, per accidens ſe habet, & materialiter, quòd beneficium, quod petit ſibi ab offenſo negari, ſit maius alio, ſi cõſideretur ſecundùm ſe, quia homo indignus omni beneficio æqualiter omnium beneficiorum indignitatem importat, & æqualiter ſe omnibus beneficiis opponit. Quare ſtabit bene, quòd vnum ſit alio maius beneficium, & quòd æqualiter eadem indignitas peccati vtrique ſe opponat. Sicut in phyſicis, ſtabit

bene, duo agentia eſſe vnum altero fortius, & ambobus ab altero illis fortiori æqualiter reſiſti. Ecce quomodo cohæret, aliqua duo extrema eſſe inæqualia inter ſe, & æqualia vni tertio, inæqualia materialiter inter ſe, & formaliter æqualia in ordine ad tertium, quod non obuiat principio illi mathematico, in argumento adducto.

175. Arguit ſecundò Ripalda. Remiſſio peccati non eſt ita bona, ac malum eſt peccatum, nec melior quàm meritum iuſti. Ergo iuſtus homo poſſet illam condignè promereri. Relicta ſolutione quæ iuxta aliorum principia occurrebat. Diſtinguo antecedens, remiſſio peccati non eſt ita bona ac malum eſt peccatum, ſumpta remiſſione ſecundùm ſe, pro ſola carentia peccati, concedo; ſumpta, pro vt hîc & nunc inducenda, nego. Et eodem modo diſtingue alteram partem antecedentis de merito, & nega conſequentiam: quia vt ſæpius diximus, remiſſio peccati, vt hîc & nunc inducenda, tanti moraliter habetur, quanti æſtimatur indignitas peccati prohibentis, ne in tali ſubiecto inducatur.

176. Verùm magis propriè loquendo; nega primum antecedens, quia dum ponitur remiſſio peccati in argumento, ſemper intelligitur remiſſio, pro vt hîc & nunc eſt inducenda in homine peccatum habente, ſecundum quam rationem, habet ſemper eamdem bonitatem reſpectiuam ſufficientem, vt excedat omnem bonitatem actus hominis iuſti.

177. Sed inſtabis petendo, quomodo poſſit ſtare, quòd carentia, peccati non ſit æquè bona moraliter, ac eſt malum peccatum, quo priuat, vt *ſectione antecedenti* diximus, & quòd homo non poſſit mereri de condigno, vt in altero peccatore inducatur. Etenim ſi non eſt tam bona prædicta carentia peccati, quàm malum eſt peccatum, poterit compati, quòd licèt malitia peccati excedat in malitia, bonitatem actus ab homine iuſto eliciendi, illam non excedat bonitas dictæ carentiæ; quam dicimus non eſſe æquè bonam, quàm malum eſt peccatum, quod priuat.

178. Reſpondeo, me dixiſſe ſuprà, carentiam peccati, vt ſic formaliter, & ſecūdùm ſe conſideratam, collatam cum malitia peccati, non eſſe tam bonam, quàm malum eſt ipſum peccatum: tamen ipſam carentiam, vt in homine peccatore inducendam, collatam cum bonitate meriti, habere maiorem bonitatem, quàm ſit ea, quæ in merito inuenitur: quia ſic conſiderata carentia, præter ea, quæ ſecum metaphyſicè affert; inuoluit extrinſecum impedimentum, quod eſt in cauſa, vt meritum, quod aliàs haberet æqualem bonitatem cum bonitate carentiæ, illam non habeat ad inducendam ipſam carentiam hîc & nunc in homine peccatore, & hoc impedimentum eſt ipſum peccatum, quod in malitia, & pondere, excedit omnem bonitatem actus hominis iuſti. Vnde hoc complexum, carentia peccati hîc & nunc in homine peccatore inducenda, & dicit in recto bonitatem carentiæ peccati, quam dicimus æquari poſſe à bonitate actus hominis iuſti, & impedimentum peccati, quod non poteſt à merito iuſti ſuperari.

Hoc ipſum præterquam quòd *tota ſectione* 179.
antecedenti non inutiliter confirmatum, illuſtrari poteſt doctrinâ, quam tranſeunter affert contra ſe Ripalda, vbi ſuprà *ſect.* 1. Non enim eſt inſolitum apud authores, vt rem moralem potius exponant, rebus philoſophicis illam patefacere; etenim apud philoſophos non contemnenda doctrina, loquentes de virtute agentis in ordine ad effectus ſuos producendos, qui aiunt, nō ſibi ſufficere habere vim illos virtualiter in ſe continentem; quia poteſt ſtare, quòd virtus agētis, cum perfectione effectus collata, ſit eminentior, & perfectior illa, & nihilominus ſi velit hic & nunc agens ſuam virtutem applicare ad illum efficiendum, illū nequeat producere. Ratio, quia cùm effectum producere inuoluat cauſalitatem exercitam, cauſalitas verò exercita, vt lucretur effectum, plura exigat requiſita, inter quæ principaliorem locum obtineat excluſio impedimentorum ex parte paſſi, & victoria reſiſtentiæ contrarij agētis, fit, quod non ſemel cōtingat, agens non poſſe ſuum effectum producere, quamuis in eius virtute perfectio effectus præcontineatur, quia agens contrariū eſt fortius, & tota ſua vi impetit, ne talis effectus producatur. Vnde vt abſolutè agens producat illum, tam requiritur, eius virtutem poſſe agens contrarium ſuperare, quàm perfectionem effectus cōtinere. Rem declarat communiſſimum exemplum. Quis dubitabit, frigiditatem, *vt quatuor* non eſſe maioris perfectionis, quàm vnum ſolum gradum frigiditatis, vtpote in eius virtute contentū, atque ſufficientem eſſe inducere carentiam vnius gradus caloris, medio gradu illo frigiditatis à ſe producto? Nemo, cum hoc tamen ſtat, quòd ſi ſit ex parte aduerſa paſſi aliud agēs fortius tali productioni reſiſtens, nunquam illum effectum, quem aliàs ſine tali impedimento produceret agens cauſabit, donec illi accreuerint vires, quibus poſſit agentis contrarij impetus vanos reddere. En quomodo ſtat in philoſophia bene, habere virtutem agens æquè perfectam cum perfectione effectus, & quòd illum hîc & nūc minimè producere valeat, ob reſiſtentiam alterius agentis fortioris, tali productioni renitentis. Hęc transfero ad noſtrum propoſitum. Ergo ſimiliter ſtabit benè, carentiam peccati ſecundùm ſe, non eſſe ita bonam, ac eſſet bonus actus ille, quem homo ille produceret, & nihilominus hūc non habere vim ſufficientem, ad illam hic & nunc moraliter de condigno cauſandam in homine peccatore, non ob defectum bonitatis illius actus, vt collatæ cum bonitate carentiæ peccati, ſed ob exceſſum reſiſtentiæ peccati, qua impetit ex aduerſo, ne talia carētia inducatur in homine peccatore. Sic enim in concordiam voco ea, quæ tanquam ſibi contraria à nobis petebat interrogatio, in cuius gratiam hæc dicta ſunt.

Sed contra hæc arguit Ripalda, vbi ſuprà in 180.
hoc *numeri* 51. Quia ex noſtra doctrina videtur ſequi maximum abſurdum. Etenim ſi beneficium, quod eſt minus bonum abſolutè, nempe carentia peccati ſecundùm ſe, quàm ſit malum peccatum, fieret reſpectiuè ex indignitate peccati tam bonum ac pretioſum, quàm malum eſt peccatum; etiam auxilium gratiæ peccatori pro viſum, eſſet tantæ bonitatis

ac

ac æſtimationis, quantæ vilitatis & malitiæ eſt peccatum, etenim homo peccator indiuiſibiliter fit indignus omni beneficio à Deo præſtando ſiue beneficium ſit auxilium, vt conuertatur, ſiue ſit remiſſio peccati, per quam hoc depellatur, at hoc eſt incredibile, & contra æſtimationem prudentum. Ergo ſi ſemel admittimus, quòd remiſſio peccati eſt inferior in bonitate abſoluta, quàm malitia peccati, non poterimus defendere, illam eamdem carentiam, habere bonitatem reſpectiuam, æqualem malitiæ peccati iuxta æſtimationem prudentum, ita vt homo ille non poſſet meritoriè de condigno inducere illam in homine peccatore.

181. Si crediderim non ignobili doctrinæ aliquorum RR. tenentium, nec de potentia abſoluta poſſe hominem, vnum, alteri peccatori promereri de condigno collationem auxilij, quo ad Deum poſſet conuerti, licerèt admittere ſequelam, & eodem modo parare diſcurſum de bonitate in auxilio reperta, at vſque huc diſcurrimus de bonitate carentiæ peccati; atque adeo in auxilio duplicem bonitatem conſiderare, vnam abſolutam, illi ex ſe competentem, quæ vt collata cum peccato, non ſit æqualis cum eius malitia; aliam verò reſpectiuam, & eſſe eiuſdem æſtimationis & valoris moralis, ac eſt ipſum peccatum; nec enim imprudentem iudico horum virorum exiſtimationem. Etenim cùm viderint hominem peccatorem fieri indignum omni beneficio poſſibiliter à Deo offenſo præſtando, & collationem auxilij ordinati in conuerſionem ad Deum, maximè peccatori proficuam, eſſe nobiliſſimum beneficium, prudens fundamentum habent, vt iudicent dictum auxilium, quod ex ſe non eſt tam bonum bonitate abſoluta, quàm malum eſt peccatum, fieri reſpectiuè, hoc eſt, ex circunſtantia Perſonæ, æqualis moralis æſtimationis, ac eſt malum peccatum, taliter quòd ſicut peccatum impedit vim actiuam moralem meriti de condigno, ad inducendam carentiam peccati, hîc & nunc in homine peccatore, ſic idem peccatum impediat virtutem meritoriam de condigno puræ creaturæ, ad promerendum collationem auxilij homini peccatori faciẽda.

182. Verùm inuitens doctrinæ allatæ, quam conatus eſt infringere hic author, aliter eius obiectioni reſpondeo. Nego igitur ſequelam. Ad probationem, dico, vulgare eſſe philoſophiæ aſſertum, videlicet, *omne agens in agendo repati*. Hoc enim ita certum eſt, ac omne agens prætendens aliquam formam in ſubiecto inducere, ſemper inire luctam cum alio, ſuam vim repellente, & quantumuis ſit vehementioris virtutis quàm ſit oppoſitum agens, aliquod damnum patitur in ſua virtute, tametſi pro illo victoria decantetur. Hoc in philoſophia eſt compertum, iuxta quod dicimus, negãdo ſequelam, quia licèt peccatum ſit in æſtimatione morali vehementioris roboris, ne homini peccatori aliquod beneficium à Deo offenſo exhibeatur, quàm ſit opus meritorium hominis iuſti, tamen hæc maior reſiſtentia ex parte peccati, id ſolum, & quod præcipuum eſt, aſſequetur, vt ſcilicet pro illo ſtet victoria, nempe quòd quantumuis meritum iuſti conetur peccatum à ſubiecto depellere, peccatum ex vi meriti non deſtruatur; ſed perſiſtat in ſubiecto. Et cùm in quauis lucta contrariorum agentium, etiam quod vincit; quia fortius, aliquod damnum à contrario minùs forti recipit, fit, quòd meriti virtute moueatur Deus, ad conferendum aliquod beneficium, contra impetum peccati exiſtentis, vi cuius poſſit ad Deum, quem offenderat conuerti. Nunc reſponde in forma negans ſequelam. Ad probationem diſtinguo: Peccator indiuiſibiliter fit indignus omni beneficio à Deo præſtando, virtute inſuperabili à merito reſpectu cuiuſque beneficij, nego. Virtute inſuperabili à merito reſpectu beneficij, cui principaliter reſiſtit, concedo, recurre ad dicta & diſtinctionis membra penetrabis.

Vlterius arguit Ripalda eodem *numero* 31. noſtra ſententia fatetur remiſſionem peccati abſolutè eſſe minùs bonum, quàm ſit malum peccatum. Ergo quando remiſſio confertur propter meritum iuſti, non confertur indigno, ſed digno; etenim ipſa remiſſio, quatenus eſt præmium, confertur iuſto merenti, & non peccatori: at iuſtus merens eo præmio dignus eſt, ex ſuppoſitione quòd remiſſio peccati ſit minùs bona bonitate abſoluta, quàm malum peccatum; atque adeo merito iuſti tolletur augmentum bonitatis reſpectiuæ illius remiſſionis, deſumptæ ex indignitate ſubiecti, cùm dignitate, & æqualitate meriti compenſetur, & ipſa etiam remiſſione tollitur. 183.

Plura miſcet obiectio hæc, quæ per partes ſigillatim explicabo, & breuiter Reſpondeo, caſu, quo præmium remiſſionis conferretur homini peccatori, intuitu operis iuſti, præmiatus eſſet homo iuſtus, vt de ſe patet, tamen non in ſe, ſed in peccatore; & licèt indignitas merentis non impediat remiſſionem, quia ſupponimus merentem eſſe iuſtum, tamen indignitas peccatoris, in quo eſt iuſtus præmiandus, reſiſtit maximè ne talis remiſſio fiat, quia inter hæc agentia moralia, meritum ſcilicet iuſti intendens talem remiſſionem in ſubiecto peccatore inducere, & peccatum tali remiſſioni repúgnans, fortius eſt peccatum ad impediendum ne fiat, quàm ſit potens meritum ad merendum vt inducatur. Ad illud quod addit vltimò, ipſam bonitatem reſpectiuam, quam dicimus nos, eſſe maiorem in carentia. vel remiſſione peccati, quàm malum ſit peccatum, merito iuſti compenſari ad æqualitatem, ſæpe eſt reſponſum, eſſe falſam propter rationes tota hac ſectione & aliis datas. 184

Ad illud, quod dicit, indignitatem ſubiecti, ex qua dicebamus, carẽtiam, ſeu remiſſionem, maiorem bonitatem reſpectiuam ſumere, ipſa remiſſionẽ eſſe tollendam. Fateor remiſſione à Deo facta peccatũ tolli, & indignitatem omnẽ, quam ex illo contraxerat homo, verùm de hoc non eſt cõtentio, niſi an talis remiſſio in homine peccatore inducenda, poſſit contingere intuitu meriti de condigno à pura creatura exhibiti, taliter, quòd meritum iuſti habeat coram oculis Dei, tantum ponderis, vt præualeat in eius æſtimatione valor operis, illius indignitati ſubiecti, cui eſt talis remiſſio volita? Negaui, & nego propter ingentem tam 185.

quam habet peccatum ad reſiſtendum, vt ſæpe monui.

186. Rurſum arguit Ripalda ratione, quam vocat *num.* 52. à priori, quia beneficium remiſſionis peccati non eſt maius, nec aliud, quàm reſtituere hominem in priſtinam indemnitatem, quam habebat ante peccatum. At priſtina indemnitas antecedens ad peccatum, non eſt tantæ æſtimationis, & bonitatis, quantæ malitiæ & vilitatis eſt peccatum, vilior enim & peior eſt peccator, quàm pretioſus & bonus ſit homo, conſtitutus in pura natura abſque gratia & peccato. Ergo remiſſio non eſt æqualis bonitatis cum malitia peccati, atque adeo poterit eius bonitas talis, qualis ſit, à merito hominis iuſti adæquari. Sed hæc obiectio ſæpius eſt ſoluta; & iuxta dicta breuiter reſpondeo, quòd peccatum eſt talis conditionis, vt eadem indemnitas, quæ ante illud erat minoris æſtimationis, quàm illud, fiat poſtea eiuſdem æſtimationis cum ipſo. Applico doctrinam de carentia peccati quam millies repetiui.

Sectio IX.

An in hypotheſi, qua præſeruatio à peccato poſſit alteri de condigno promereri, ſequatur poſſe remiſſionem peccati cadere ſub meritum condignum.

187. Hanc hypotheſim propono, vt faciliùs diſtribuantur ſolutiones argumentis Ripaldæ præſtandæ; Et quia argumentum hoc *num.* 52. adductum ab ipſo, occaſionem offeret vt ad vnguem examinetur doctrina, quæ viſa eſt pluribus difficilis. Arguit ſic *loco citato* Ripalda. Homo poteſt de condigno promereri præſeruationem à peccato, merendo auxilium efficax ad implendum præceptum, at præſeruatio à peccato eſt indemnitas, quam obtinet homo per remiſſionem peccati; imò maioris æſtimationis moralis, quàm ſit peccati remiſſio: Ergo ſi homo poteſt condignè mereri alteri præſeruationem à peccato, multò meliùs remiſſionem peccati, alteri poterit de condigno promereri. Minorem, in qua docet, eſſe maioris æſtimationis moralis præſeruationem à peccato, quàm remiſſionem illius, multis probat, ſed breuiter reducam illa. Etenim maioris æſtimationis eſt præcaueri aliquem à malo incurrendo, quàm ab eo iam præſenti liberari; maius enim beneficium fuit collatum Beatæ Mariæ Virgini præſeruatio à peccato originali, quàm commune beneficium, quod omnes aſſequuntur remiſſione peccati per Sacramentum Baptiſmi.

188. Nec ſatisfacies dicens, ideo remiſſionem eſſe minus beneficium, quàm præſeruationem, quia remiſſio peccati ſupponit neceſſariò negationem præſeruationis ab illo.

189. Nam contra hoc arguit Ripalda primò: quia ſi poteſt iuſtus mereri grandius beneficium præſeruationis, in quo feliciùs continetur peccati remiſſio, à fortiori poterit mereri minus. Secundò quia beneficium remiſſionis eſt minus ſeorſim à negatione beneficij præſeruationis. Etenim ſi quis præſeruet aliquem à captiuitate incurrenda, & alium redimat ab ea quam modò patitur, & à qua incurrenda præſeruare non potuit, maius beneficium cenſetur conferre priori, quàm poſteriori, licèt poſteriori non negauerit præſeruationem, quam, vt ſupponimus, conferre non valuit. Quare ſi per impoſſibile Deus non poſſet hominem præſeruare à peccato, poſſet autem Angelum, maius beneficium præſtitiſſet Angelo, quem præſeruaſſet à peccato, quam homini, cui peccatum remiſiſſet, maioreſque propterea Angelus, quàm homo, deberet gratias Deo, vt B.M.V. debet maiores, quàm reliqua hominum turba propter præſeruationem à peccato originali.

Nec valet recurrere ait Ripalda ad communem ſolutionem, videlicet, remiſſionem peccati eſſe maius beneficium reſpectiuum, quàm præſeruationem ab illo, ratione indignitatis ſubiecti peccato infecti, vi cuius indignum ſit omni beneficio ab offenſo præſtabili. 200.

Quia replicat Ripalda. Etenim omnibus penſatis, maius beneficium fuit conceſſum B.M.V. præſeruatio à peccato originali, quàm reliquis hominibus etiam peccatoribus, qui ex ſuppoſitione illius liberantur ab eius noxa, Sacramento Baptiſmi. Tum etiam maius beneficium fuiſſet conceſſum ei, quem Deus conſtitueret omnino impeccabilem, & liberú à peccato, quàm ei, quem à peccato iam contracto liberaret, & ipſum peccato obnoxium relinqueret, aut ſaltem maius, quàm ei, cui vnum peccatum condonaret, altero non condonato, quamuis in his omnibus beneficiis ſit reſpectus ad indignitatem ſubiecti. Tunc ſic, ſed poteſt cadere ſub meritum condignum iuſti præſeruatio à peccato, imo & beneficium impeccabilitatis, quæ eſt annexa viſioni beatæ. Ergo non obſtante indignitate ſubiecti, poterit meritum iuſti aſſequi de condigno, vel plenam vel ſaltem vnius peccati indulgentiam. 201.

Hæc non potui ita perſtringere vt promiſeram, ne ſi aliqua demerem, in vitium difficultatis fugiendæ mihi verteretur. Igitur hac in re, data hypotheſi, quòd quis poſſet de condigno alteri promereri peccati actualis præſeruationem; defendo, non ſequi poſſe de condigno alteri promereri remiſſionem peccati antecedenter contracti. Hanc reſolutionem non aliter explicaturus ingredior, quàm vocando ad examen quodnam iſtorum maius ſit cenſendum beneficium, remiſſio peccati, an ab illo præſeruatio? & rurſum, an præſeruatio ab originali B.M.V. conceſſa ſit maius beneficium, quã præſeruare hominem, ne peccatũ actuale cõmittat. 202.

Imprimis conferamus pondus præſeruationis ab originali in B.M.V. cum præſeruatione à peccato mortali actuali, homini peccatori nõ ſemel à Deo liberaliter data. Ex cuius reſolutione doctrinam cõmunem dabimus, alteri reſolutioni de remiſſione peccati, & præſeruatione illius. Recole quæ ſuprà dedimus, vbi oſtendimus capita, ex quibus ratio beneficij incrementũ ſumit iuxta æſtimationem prudentum, illis præuentus addes. Certum eſſe, beneficium præſtari alicui, dum alterius ope ab aliquo malo 203.

libera

liberatur; verùm hoc ſuſcipit magis & minùs reſpectiuè ad ſubiectum, cui talis fauor communicatur. Etenim poteſt ſtare, quòd vnus homo licèt in periculo patiendi malum ſit conſtitutus, & moraliter illud infallibiliter ſit paſſurus, abſolutè tamen habeat potentiam antecedentem ad illud malum vitandum, & ſimiliter poterit alius homo ita eſſe obnoxius malo, vt nedum illud vitabit, ſed nec poterit vlla ſuarum virium potentia impedire illud, ne ipſi contingat; quapropter tametſi malum, quod vterque homo timet, ſit idem; tamen maius beneficium nuncupabitur, liberare hominem hunc à malo, quàm ab eodem alterum eximere; ratio, quia eſt malo magis obnoxius, qui nullam potentiam habet in ſe ad illud vitandum, & maiores gratiarum actiones iſte homo ſuo benefactori rependet, quàm ille alter, qui licèt ſit ab eodem malo concutiendum, tamen in ſe habet potentiam ad impediendum, ne à prædicto malo impetatur, & minores gratias ſuo benefactori dabit, ſi eum à malo liberet, quod poſſet ipſe vitare, ſi vellet.

204. Ex hac doctrina colliges caput, vnde proueniat, quòd præſeruatio ab originali Beatæ Mariæ Virgini conceſſa, ſumat maius beneficij pondus, quod non habeat nec carentia originalis in Angelo, nec præſeruatio ab actuali peccato alicui peccatori conceſſa. Etenim primam excedit ex eo quòd ſi tali priuilegio defungeretur Beata Virgo Maria, & communi poſterorum. Adæ relinqueretur curſui, infallibiliter labe originali inficeretur; atque adeo hoc malum ex prouidentia communi hìc & nunc exiſtente, ſecluſo ſpeciali indulto, irrefragabiliter illam impeteret. At Angelus priuilegio non fuit munitus, vt peccato originali non macularetur, ſed communis prouidentia illi indulſit. Vt illud vitaret. Ergo carentia originalis in Beata Maria Virgine, maius extitit beneficium, quàm carentia originalis in Angelo. Iam quòd præſeruatio ab originali Beatæ Mariæ Virgini conceſſa, fuerit præſtantius beneficium, quàm ſit præſeruatio ab actuali, homini peccatori præſtita; probo. Quia licèt Beata Maria Virgo relicta ſuæ naturæ, & communi Prouidentiæ reliquos Adæ poſteros regenti ſubiecta, infallibiliter originale malum contraheret, ſicut & homo peccator ſuæ flexibilitati datus, & ſolùm ſui conſilij manibus relictus, communi legi ſuæ conditionis fragilis innixus, in peccatum mortale aliquando, in decurſu ſuæ vitæ eſſet lapſurus, & in hoc vtraque præſeruatio eſſet æqualis in ratione beneficij, quia vtraque liberaret à malo infallibiliter contrahendo; tamen quia talia mala diuerſimodè reſpiciuntur à Beata Maria Virgine & à peccatore, exinde eſt, quòd præſeruatio ab originali in Beata Maria Virgine ſit maius beneficium, quàm præſeruatio ab actuali in homine peccatore. Diuerſitas ſtat in hoc. Quòd Beata Maria Virgo communi regulæ pro poſteris Adæ conditæ ſolùm ſubiecta, taliter infallibiliter peccatum originale contraheret, vt nullam haberet in ſe potentiam, niſi in Adamo, phyſicam, tale originale vitandi; at homo peccator communi prouidentia regulatus, licèt infallibiliter peccatum committeret; tamen non ita infallibiliter, vt pro priori ad illius commiſſionem non habuiſſet potentiam ſufficientem ad illud vitandum. Ergo liberare Beatam Mariam Virginem à peccato originali maius beneficium fuit, quàm liberare hominem peccatorem à peccato, quod infallibiliter eſſet commiſſurus, ſi præſeruationis non protegeretur indulto.

205. Per hæc manet reſoluta prima pars intenti ſuprà propoſiti. Nunc tamen collaturi ſumus aliam partem, quæ immediatiùs eſt ad examen vocata. An videlicet remiſſio peccati contracti ſit maius beneficium, quàm præſeruatio ab eodem: Huic facilem exitum dederunt, quæ ſuprà ex S.Thom. attuli, necnon ea, quæ pro natura beneficij, eiúſque maiori vel minori æſtimationis pondere ſcripſimus num. 14. iuxta quæ dicimus, beneficium bifariam bonitatem habere, per ordinem ad duo, quæ reſpicit: vnam abſolutam merè entitatiuam, quæ metienda eſt ad menſuram rei, quæ confertur. Alteram reſpectiuam, quæ creſcit, vel decreſcit eo gradu, quo diminutionem, vel augmentum habet ſubiecti conditio, cui confertur, vt ſuprà monuimus latè. Cohærere poteſt vnum & idem habere eamdem bonitatem; imo maiorem in eſſe entitatiuo, quàm aliud, & ſimul maiori bonitate reſpectiua vigere, quàm illud. Suppetebant exempla ſufficiant quæ diſpenſauit locus citatus, & potiſſimum quod collegimus ex doctrina D.Thom. ſuprà. Iuxta quæ reſpondeo, remiſſionem peccati habere æqualem, vel inferiorem bonitatem entitatiuam præſeruationis bonitate; tamen eadem peccati remiſſio in ratione bonitatis reſpectiuæ, fundatæ in indignitate ſubiecti, quod reſpicit, tanquam forma illi conferenda, excedit bonitatem præſeruationis. Et vnico verbo: in ratione beneficij eſt maior remiſſio peccati præſeruatione ab actuali, & hæc eſt illa maior in ratione doni materialiter ſolùm magis boni.

206. His iam explicatis Reſpondeo quæſito hypothetico, & ſimul Ripaldæ argumento. Dico ergo non bene ſequi ex hypotheſi, quòd homo poſſit alteri de condigno promereri præſeruationem à peccato actuali, quòd poſſit mereri alteri de condigno remiſſionem peccati actualis. Ratio; quia remiſſio eſt beneficium grandius. Ratio huius eſt tota doctrina antecedens. Vnde concedo maiorem, & nego conſequentiam. Ad ea quæ de virginis præſeruatione affert, iam eſt reſponſum. Ad illud quod de captiuo attulit, fateor gratis, quòd eſſet maius beneficium liberare aliquem, ne captiuitatem contrahat, quàm eumdem à captiuitate ſemel contracta liberare. Et nego maius beneficium eſſe præſeruationem à peccato actuali, quàm peccati contracti remiſsionem. Ratio diſpar eſt facilis. Quia præſeruatio à captiuitate ex vna parte eſt maius bonum entitatiuum, quàm ſit redemptio à captiuitate contracta, & ex alia redemptio hæc non habet maiorem bonitatem reſpectiuam per ordinem ad ſubiectum, quod redimendum eſt. Etenim qui captiuitatem patitur, ipſa captiuitate indignus non efficitur, qui redimatur.

At præſeruatio à peccato, licèt in eſſe entitatiuo, ſit magis bona, quàm remiſſio peccati, tamen hæc habet maiorem bonitatem reſpectiuam, per ordinem ad ſubiectum, cui remittendum eſt, qui enim peccatum committit, dignus efficitur, ne Deus, qui eſt offenſus, aliquod bonum conferat, atque adeo ne illi peccatum remittat. Ex quo conſurgit diſparitas, iuxta quam es argumento ſolutionem daturus.

Ad illud de impeccabilitate hæc hypotheſis reſpondebit.

Sectio X.

An in hypotheſi, qua concedatur hominem poſſe alteri de condigno promereri impeccabilitatem, quæ eſt annexa viſioni beatæ, ſequatur, poſſe promereri remiſſionem peccati?

207. Statum quæſtionis difficilem reddit ipſius hypotheſis ſuppoſitum. Supponi enim videtur, poſſibilem eſſe in via impeccabilitatem ita excelſam, vt ei ſit annexa viſio beata. Quod videtur difficile. Verùm Ripalda vbi ſuprà *n.* 53. aſſerit nullam in hoc præſenſiſſe difficultatem, quia in eius opinione poſſibilis eſt gratia, quæ adeo participet perfectè naturam diuinam, vt ei annexa ſit continuò viſio beata; itaque ſeotſim à viſione beata reddat voluntatem impeccabilem, ſibique ſemper ſint debita, & ſolùm auxilia efficacia ad bonum ſectandum. Ecce ſuppoſitum hypotheſis, in ſententia Authoris huius explicatum, cuius veritas hic non ſubibit examen, quia iam illud alibi *tractatu de Angelis, diſput.* 2. *dub.* 2. *num.* 1. enodaui, atque adeo hic iterum nihil de eius probabilitate ſumus ſcrutaturi. Sed ſuppoſita ea, talis, qualis fuerit, quæritur an hypotheſi data, quòd aliquis iuſtus poſſit alteri de condigno promereri impeccabilitatem dictam, cuj annexa ſit continuò beata viſio, ſequatur poſſe alteri de condigno promereri peccati remiſſionem.

208. In hac re ſolùm cum Ripalda erit contentio, quem affirmatiuam ſequi partem, certò colligitur ex argumento, quod loco citato in noſtram ſententiam propoſuit, & in cuius gratiam ſimilem hypotheſim mouemus, vt ſimul & ſemel, & veritas concluſionis maneat in omni euentu illibata, & Ripaldæ maiori claritate ſatisfiat. Arguit igitur Ripalda ſic: homo iuſtus media gratia illa impeccabili poterat alteri non peccatori ſimilem gratiam de condigno promereri, ac per conſequens adeo perfectè illum à peccato præſeruare, vt ei conferat impotentiam peccandi. Ergo poterit alteri peccatori puram remiſſionem peccati ſine gratia promereri de condigno. Conſequentiam probat. Nam maius beneficium eſt impeccabilitas priori homini de condigno promerita, quàm pura remiſſio peccati promerita poſteriori. Quis enim neget maiores actiones gratiarum debere merenti dare priorem hominem, quàm poſteriorem, etiam ſi poſterior ſuam indignitatem conſideret? Ergo meritum dignum maiori beneficio impeccabilitatis à fortiori erit dignum minori beneficio, quod eſt peccati remiſſio.

Hoc argumentum plura tentat in antecedenti, (quæ vt videtur ſunt falſa) vt poſſit conſequentiam infallibilem deducere, & conſequentis veritatem firmare. Verùm antecedens falſitate inficitur, vt latè diſcuſſi 1. 2. *tract. de merito, dubio de his qua cadere poſſunt ſub meritum condignum hominis iuſti*, ibi reſolui, neminem alteri poſſe de condigno impeccabilitatem ſimpliciter promereri, quia nemo dictam impeccabilitatem merito de condigno ſibi parare eſt compos, atque adeo nec aliis, quia ea tantùm aliis promereri valet, quæ ſibi. Sed de hoc ibi late, nec immorari debemus in antecedenti hoc reprobando, cùm ſola ſit intertexta diſputatio in hypotheſi, quòd illud concedatur. 209.

Reſpondeo ergo quæſito hypotheſis, negando adhuc in illa, eſſe concedendum hominem illum aliàs merentem alij dictam impeccabilitatem, poſſe remiſſionem peccati alteri peccatori de condigno promereri. Hæc reſolutio nec alteri fundamento fidit, quàm præcedens. Quare ea, quæ ibi citaui, ſunt videnda, vt poſſis illam munire. Interim tamen ex ibi aſſertis rationem diſparitatis accipe quia remiſſio peccati habet maiorem bonitatem reſpectiuam, quàm illa impeccabilitas homini iuſto promerita, licèt hæc ſit magis bona entitatiua bonitate, quàm peccati remiſſio: atque adeo eſt maius beneficium abſolutè hæc, quàm illa, quia minoritas aut maioritas beneficij non agnoſcit tanquam menſuram maiorem vel minorem entitatiuam bonitatem doni collati, vt diximus, ſed menſuranda eſt ex bonitate reſpectiua eiuſdem doni, quæ accreſcit ex circunſtantia indignitatis ſubiecti, cui eſt conferendum, atque adeo remiſſio peccati peccatori facta, quia confertur peccatori, datur inimico, & exinde ſumit bonitatem maiorem reſpectiuam, qua orbatur collatio impeccabilitatis, quæ iuſto daretur, quia confertur amico: atque adeo actus ex parte merentis ortus ab illa gratia impeccabilitatis, hoc eſt, à gratia, cui eſſet annexa viſio beata, non eſſet habiturus tantam bonitatem etiam ſecundùm proportionem geometricam, ac habet malitiam peccatum, & conſequenter vires non habebit ſufficientes ad promerendum remiſſionem peccati contra vehementem impetum peccati. 210.

Solùm in hoc puncto ſtupes fortaſſe, cùm audias poſſe hominem iuſtum mereri poſſe gratiam impeccabilitatis, cui ſcilicet ſit annexa viſio beata, & ex alia non poſſe hominem illum alteri peccati remiſſionem promereri. Verùm imprudenter huic ſtupori ſubiaces. Tum quia nos abſolutè dictam potentiam merendi non admittimus. Sed quòd illâ liberaliter conceſsâ, adhuc Ripalda non concludit potentiam in homine ad promerendum alteri peccatori ſui peccati remiſſionem. Tum etiam, quia nec in viro 211.

viro cordato gignendus eſt timor, in concedenda abſolutè potentia ad promerendum alteri gratiam, & viſionem beatam, negando ſimul potentiam ad promerendum alteri peccatori remiſſionem ſui peccati. Etenim de facto ex vi præſentis prouidentiæ, vtrumque experimur in nobis reſpectu noſtri. Etenim communiter iuxta SS. PP. & eccleſiæ decreta, homo iuſtus de condigno promeretur ſibi viſionem beatam, pro tempore, quo detur, & impeccabilitatem ſtatui beatitudinis adiectam, & ſimul DD. omnes negant, de facto poſſe eumdem hominem iuſtum, ſibi promereri de condigno remiſſionem peccati. Ergo non erit inſolens reſolutio illa, quæ abſolutè concederet, ex vi alterius prouidentiæ, in qua meritum vnius alteri de condigno prodeſſet, hominem vnum poſſe alteri de condigno promereri gratiam habitualem, cui tam viſio beata, quàm impeccabilitas annecterentur, & quòd non poſſet de condigno alteri promereri peccati à ſe contracti remiſſionem.

Sectio XI.

Alia argumenta.

212. ARguit item Ripalda *num.* 54. ſemper intendens principium noſtræ reſolutionis infirmare. Quamuis enim ex indignitate ſubiecti incrementum aliquod accipiat æſtimatio beneficij, nõ tamen eo gradu bonitatis & pretij; quo ipſa indignitas peccati vilis, & mala eſt; quia quodlibet beneficium ſeorſim non eſt adęquatum toti indignati peccati, cùm peccatum non ſolùm ſit indignum beneficio puræ remiſſionis, ſed etiam gratia habituali, viſione beata, auxiliis gratiæ &c. atque ita ſolùm beneficium puræ remiſſionis non exhaurit totam dignitatem peccati, ſicut nec vnum determinatum præmium exhaurit totam dignitatem meriti Chriſti. Siquidem vltra illud ſupereſt indignitas ad alia dona, ſicut in merito Chriſti dignitas vlterior ad alia. Ergo nec amor concedens vnum tantùm beneficium, demeritum per peccatum, adæquatur toti indignitati peccati; nam ſi ei adequaretur, omnia beneficia elargiretur; atque adeo nec ratione amoris largientis, eſt beneficium tantùm æſtimabile, quantùm peccatum eſt indignum, & vile.

213. Nec refert dicere, remiſſionem peccati eſſe totius indignitatis peccati deſtructionem. Non inquam refert, quia arguit Ripalda; etenim pura remiſſio quamuis ſit totius indignitatis deſtructio, non eſt deſtructio adæquata toti indignitati peccati; nam peccatum dignum eſt deſtrui; tum per condonationem extrinſecam. Tum per gratiam habitualem non ſolùm exiſtentem, ſed per alias etiam perfectiones poſſibiles. Tum per viſionem beatam &c. atque adeo pura remiſſio extrinſeca non eſt adæquata toti demerito & indignitati peccati.

214. Omitto veritatem opinionis, quam iuxta mentem D. Thom. omnes eius diſcipuli fatentur non eſſe dabile aliud remiſſionis genus, quàm quod per infuſionem gratiæ contingit. Iuxta quæ remiſſio peccati à fortiori eſſet adæquata toti demerito & indignitati peccati. Solùm inſiſto in vi inferendi conſequentiam contra noſtram concluſionem. Etenim quamuis concedatur peccatum & eius indignitatem, poſſe à ſubiecto peccatore variis modis depelli iam per remiſſionem puram, iam ſimul per gratiam, vel alia innumera dona, & alios infinitos modos. Vnde infertur. Ergo homo iuſtus poterit de condigno promereri alteri peccatori eius peccati remiſſionem. Etenim vt ipſe fatetur, remiſſio peccati, eſt peccati ablatio, & omnis indignitatis, ratione cuius indignum erat ſubiectum, vt ei aliquod beneficium ab offenſo daretur.

Pro quo nota, aliud eſſe, remiſſionem puram eſſe ablationem indignitatis & peccati, adæquatam ex parte modi illam auferẽdi, & aliud eſſe, adæquatam ex parte rei ablatæ. Primum eſt falſum, etenim alius eſt modus ex parte Dei omiſſa remiſſione pura, quo poſſit peccatum auferre, videlicet mediâ gratia & aliis donis. Secundum eſt verum: quia facit hunc ſenſum, remiſſio pura, qua Deus peccatum remittit, totum peccatum tollit, taliter quòd nihil illius, poſita remiſſione in ſubiecto, remaneat. Nunc aſſero iſtam remiſſionem, quia adæquatam totius peccati ablationem, eſſe maioris bonitatis, quàm ſit bonus quilibet actus hominis iuſti, non bonitate orta ex aliquo intrinſeco eiuſdem remiſſionis, ſed bonitate ſumpta ex circunſtantia peccati, maiori conatu reſiſtentis; quia cùm in fronte luctæ totam ſuam malitiam peccatum apponat, quam æquari ſit impos quodlibet iuſti meritum, fit, non poſſe in æſtimatione deuinci remiſſio à valore meritorio hominis iuſti. 215.

Nec contrarium deuincit doctrina quam inſerit Ripalda. Etenim licèt remiſſio non ſit adæquata indignitati peccati, quia vltra illam alia plura dona peccatum demeretur: tamen remiſſio pura totum peccatum deſtruit: atque adeo remiſſio pura ſecum eſſentialiter annectit in æſtimatione morali, tantam bonitatem reſpectiuam, quanti hîc & nunc æſtimatur, hominem aliàs indignum, cui aliquod beneficium detur, à maiori omnium malo liberari. Ergo mereri de condigno in peccatore talem remiſſionem inducere, arguit maiorem vim ex parte merentis, quàm ſit vis peccati tali inductioni reſiſtentis. Etenim peccatum ita afficit ſubiectum, vt hoc ratione illius contrahat dignitatem carendi auxilio, quo ab illo reſurgat, & omni eo, quod ſit talis peccati deſtructiuum. Quod autem hoc ſit pura remiſſio, vel remiſſio ſimul cum gratia, per accidens ſe habet ad peccati deſtructionem. Quolibet enim iſtorum dato, peccatum ex parte rei ablatæ prorſus euaneſcit, licèt non totaliter ex parte formæ, & modi illud deſtruentis, cum poſita vno modo alius ſuperſit ad tale peccatum auferendum. Ex quo fit, quòd cùm pura remiſſio peccatum deſtruat, & meritum iuſti conetur illam inducere in ſubiecto peccatore, etiam conabitur peccati deſtructionem & ſui non eſſe. Et cùm ex alia parte, peccatum petat ex ſe conſeruari in illo ſubiecto, quatenus eſt dignitas carendi omni eo, quod fuerit deſtructiuum ſui, fit, quòd in illo merito debeat relucere tanta vis ad 216.

inducendam remiſſionem, quæ eſt peccati deſtructio; quanta eſt vis in eius malitia conſeruationem ſui deſiderans, & contrario ſuæ conſeruationis obuians.

217. Vlterius arguit *loco citato* idem proſequens: quia peccati indignitas, & reſiſtentia non eſt in genere cauſæ formalis, ſed efficientis moralis, quia eius indignitas eſt in genere cauſæ demeritoriæ, ſicut cauſa meritoria reducitur ad genus cauſæ efficientis moralis. At cauſa efficiens & extrinſeca, & non formalis, & intrinſeca, non deriuat in effectum ſibi inadæquatum, totum valorem, ſeu totam qualitatem perfectionis, aut imperfectionis, quam continet. Ergo peccatum non reddit ſui remiſſionem æquè bonam, ac eſt malum peccatum ipſum.

218. Sed neſcio quorſum tendat hic author in commouendis totius Theologiæ principiis? fateor ingenuè cum ipſo reſiſtentiam peccati in remiſſionem, ad genus meritorium reduci, ſed aſſero eodem modo remiſſioni reſiſtere, ac calor ſuo contrario reſiſtit. Etenim tam phyſicæ formæ phyſicè cum ſuis contrariis pugnantes, quàm morales, ſuas cauſalitates exercent media voluntate Dei. Exemplum habe in phyſicis, frigiditas ex vi ſua petit, ne à Deo deſtruatur, quod eſt idem ac petere ne producatur calor, & ipſa frigiditas hos quaſi effectus negatiuos, nullo modo niſi media voluntate diuina lucratur, hoc ipſum in moralibus euenire videtur. Etenim malitia peccati in ratione demeriti à Deo poſtulat, mouendo Dei voluntatem, ne peccatum deſtruat, ſeu ne illud remittat, vel aliam formam cum illo incompoſſibilem producat. Iam ſicut Deus ſe gerit reſpectu talium formarum phyſicarum, ſic ſe gerere debet reſpectu iſtarum moralium; atque adeo, ſicut Deus, ſecundùm communem prouidentiam operans, quaſi annuit exigentiæ frigiditatis, illam non corrumpendo, nec producendo calorem, niſi caſu, quo agens fortius calidum approximetur, petens vehementiori conatu, caloris productionem, & corruptionem frigiditatis. Similiter in moralibus res tota exiſtimanda eſt. Quòd ſi Deus attendat ad meriti valorem, & demeriti grauitatem, nec peccatum deſtruet, ſeu remittet, nec aliam formam cum illo incompoſſibilem producet, niſi caſu, quo meritum ex ſe fortius moueat ad deſtructionem peccati, ſeu illius remiſſionem, & ad productionem formæ cum peccato incompoſſibilis, quam demeritum contrarium depoſcens. Ecce quomodo tam meritum per ſuum valorem, quàm demeritum per ſuam malitiam, diuinam voluntatem mouent ad ſuos effectus producendos; atque adeo non valebit meritum hîc & nunc diuinam voluntatem mouere, niſi tale meritum vigeat valore maiori, & bonitate malitiæ grauitatem in peccato repertam ſuperet. Per hæc explicatur genus cauſæ formalis, ad quod reduco reſiſtentiam, quam habet peccatum, reſpectu remiſſionis vel productionis formæ, cum illo incompoſſibilis.

219. Arguit Ripalda *ſect. 7. num. 68. v ſque ad 71.* impugnans doctrinam ſæpius allatam; intendit igitur probare carentiam peccati non eſſe ita bonam, ac malum eſt, peccatum. Etenim carentia vnionis hypoſtaticæ in natura lapſa, non eſt infinitæ malitiæ, quamuis exiſtentia ipſius, ſit bonitatis infinitæ.

Si reſpondeas, ſolam priuationem boni debiti eſſe malam ſubiecto, eo gradu malitiæ, quo forma oppoſita eſt bona, & quia vnio hypoſtatica nó eſt debita naturæ lapſæ, fit, quòd carentia talis vnionis in noſtra natura, non ſit ita mala, ac eſt vnio hypoſtatica bona. Contra hoc replicat Ripalda, quia etiam priuatio boni neceſſarij, quamuis indebiti, eſt mala ſubiecto, nam carentia pecuniarum, & honorum, aliorumque bonorum temporalium; quibus indigemus ad vitam, mala eſt homini, quem redigit ad ſtatum miſeriæ, quamuis ad ea bona ius non habeat, ſufficit enim ad miſeriam & malum naturæ, boni neceſſarij priuatio, ſeu ſolo debito indigentiæ debiti. At carentia vnionis hypoſtaticæ in natura lapſa, eſt priuatio boni neceſſarij & debito indigentiæ debiti, cùm abſque illa non poſſit redimi à captiuitate peccati, & liberari à miſeria, in quam deiecta eſt. 220.

Confirmat, quia vnio hypoſtatica poteſt à Deo promitti poſt hanc vitam iuſtis, qui gratiam ſemel ſuſceptam continuò conſeruauerint, abſque interruptione peccati vſque in finem vitæ: Aliis verò qui in gratia, interrupta per peccatum deceſſerint, ſolam viſionem beatam. Hoc in caſu, carentia vnionis hypoſtaticæ iniuſtis, qui gratiam ſemel ſuſceptam, per peccatum interruperunt, erit priuatio boni debiti ex promiſſione Dei, & tamen non patientur ea priuatione malum infinitum, quamuis cum vnione hypoſtatica bono infinito potirentur. Plura alia congregat author in probationem ſui intenti, videlicet, quòd carentia alicuius boni, quantumuis debiti, non ſit tam mala, quàm forma illi oppoſita ſit bona, verùm illa relinquo, quia quæ ſoluerint exempla, quæ ex illo adduximus, eadem reſpondebunt obiectionibus aliis, quas tacemus. 221.

Vt ſolutionem generalem adhibeas retro tacturus es ea, quæ ſuprà tradidimus, dum de bonitate carentiæ mali, collatæ cum malitia eiuſdem mali inſtitueremus ſermonem. Quæ enim ibi expoſui accomodaturi ſumus in præſenti. Vnde fateor carentiam alicuius boni non eſſe abſolutè dicendam tam malam, quàm bona eſt exiſtentia boni, quo priuat: atque adeo conferendo carentiam boni præcisè cum ipſo bono, cuius eſt carentia, numquam euadit eo gradu malitiæ carentia mala, quo eſt boni exiſtentia bona, vt compertum reddunt exempla in argumento allata, quæ nihil amplius probant. Nihilominus regulariter loquendo, quò magis bona eſt exiſtentia boni, eſt mala carentia illius. Si verò conferamus carentiam boni cum ſuo bono, cuius eſt carentia, & ſimul cum aliis circunſtantiis, quæ hîc & nunc occurrere poſſunt, ſtare poterit, quòd illa carentia, quæ eſt minoris boni, ſit magis mala huic ſubiecto, hîc & nunc conſiderato, quàm fuerit illi mala carentia maioris boni. Vnde incrementum vel diminutio malitiæ in carentia reſpectu ſubiecti, cui inducitur, non eſt taxanda abſolutè iuxta maius vel minus pondus excellentiæ, quæ eſt in bono, quo priuat, ſed inſpicienda eſt circunſtantia vtilitatis, hîc & nunc ſubiecto accreſcendæ 222.

ex

ex poſſeſſione huius, vel illius boni. Etenim poterit ſtare, quòd hic & nunc ſim valde famelicus, ingenti panis neceſſitate oppreſſus, qualiter gemmarum indigus non ſim. In tali caſu, carentia panis collata præcisè cum panis bonitate, eſt minùs mala, quàm carentia gemmarum, propter exceſſum, quo bonitas gemmarum ſecundùm ſe, panis bonitatem abſolutè ſuperat; tamen hîc & nunc Collatis carentiis iſtis mecum, valde panis & non gemmarum indigo, magis mala eſt carentia panis, quàm gemmarum carentia.

223. Vnde conſequenter notabis iniuriam mihi illatam ex eo, quòd ab alio aliquo bono priuer, non creſcere præcisè ex augmento excellentiæ boni, quo ab illo ſum priuatus. Etenim poterit ſtare, quòd vnum ſit maius bonum alio, & quòd mihi nullam inoget iniuriam homo ille, qui me maiori bono priuet, & quòd alius grauiſſimam iniuriam impingat, dum in me carentiam minoris boni inducat. Ratio, quia poteram ego habere ſtrictiſſimum ius ad minus bonum, & ad maius, nullum habere; me aliquem priuare ſine iuſto titulo minori bono, quod vel poſſidebam, vel in illud habebam ius ad rem, maxima iniuria à me æſtimabitur, qualiter ſic non recenſebitur carentia maioris boni caſu, quo, nec illud antea poſſederim, nec ad illud habendum aliquod ius in me reperiretur. Pone exemplum in eadem materia, qua Ripalda eſt vſus. Etenim ſi homo duos gradus gratiæ habens & ſimul vnionis hypoſtaticæ carentiam, illos duos gradus gratiæ perderet, ſi interrogaretur poſtea, qua de re magis doleret, de carentia illorum duorum graduum gratiæ, quam nunc pateretur, an de carētia vnionis, hypoſtaticæ, qua antecedenter afficiebatur? Quis dubitabit reſponſurum, ſe magis dolere de illorum duorum graduum gratiæ carentia, quàm de carentia hypoſtaticæ vnionis antecedenter doluiſſe. Ecce quomodo hîc datur carentia maioris boni, nempe vnionis hypoſtaticæ, magis mala, vt collata cum ſuo maiori bono, quàm ſit mala carentia minoris, vt collata cum duplici gratiæ gradu; & tamen hæc maiorem dolorem infert hîc & nunc homini quam illa, & hoc cur? Quia hîc & nunc magis indiget homo illo duplici gradu, quem amiſit, quàm antecedenter indiguiſſet hypoſtatica vnione, & quia carentia vnionis hypoſtaticæ eſt carentia habitus, quem nunquam poſſedit, & ad illum habendum nunquam fuit eleuatus, & quem habere non poterat, ſtando hîc & nunc decretorum exiſtentium diſpoſitioni. Ex his facilem exitum habebunt inſtantiæ quas Ripalda aſſignat in argumento.

224. Totam ſuam doctrinam eſſe edoctam à Diuo Auguſtino ſuſpicatur, ideo illam non ſemel, ſed millies *loco citato* repetit. D. Ergo Auguſtinum *tractatu* 8. *in Ioannem* inter principium & medium expreſsè docere, poſſe hominem iuſtum aliis de condigno promereri remiſſionem peccatorum profitetur ſpecialiter author hîc *ſectione* 2. *numero* 22. ſupponit enim hic author vim, poteſtatem, & cauſalitatem moralem Chriſti, in gratiam ſacramentalem Baptiſmi, fuiſſe meritoriam de condigno. Hoc monito loquitur ſic Sanctus Auguſtinus. *Dominus Ieſus Chriſtus baptiſmum ſuum voluit alicui dare, non vt nemo baptiſaret baptiſmo Domini, ſed vt ſemper ipſe Dominus baptiſaret. Id actum eſt, vt per miniſtros Dominus baptiſaret, non illi. Aliud enim eſt baptiſare per miniſterium, aliud baptiſare per poteſtatem.* Hæc Auguſtinus, quibus præmiſſis de facto, ſubiungit hæc de poſſibili: *Potuit Ieſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret baptiſmum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem, vt eam conſtitueret in ſeruo, & tantam vim daret baptiſmo tranſlato in ſeruum, quantam vim haberet baptiſmus datus à Domino. Hoc voluit, ideo vt in illo ſpes eſſet baptiſatorum, à quo ſe baptiſatos agnoſcerent.* Hæc Sanctus Doctor.

Quæ omnia ponderat Ripalda ſic. Baptiſare per miniſterium, eſt gratiam conferre nomine, & merito alterius; baptiſare verò per poteſtatem, eſt conferre gratiam nomine & merito proprio; ideoque iuſtos de facto baptiſare per miniſterium Chriſti, & Chriſtum per poteſtatem, ideo eſſe, quia gratia baptiſmalis confertur à iuſtis tanquam à miniſtris Chriſti, nomine & merito Chriſti. Tunc ſic, ſed Auguſtinus tradit diſertè, potuiſſe dari iuſtis poteſtatem baptiſandi à miniſterio diſtinctam, tantam, & talem, quantam & qualem Chriſtus habuit; Cæterùm de facto eam datam non eſſe, ne fideles baptiſati ſuam ſpem in alterius hominis puri, ſed in Dei hominis meritis tantummodo collocarent. Ergo cenſet Auguſtinus potuiſſe iuſtos ſuo merito de condigno, quale fuit meritum Chriſti, dare aliis gratiam ſacramentalem quæ eſt peccatorum remiſſiua. 225.

Hæc authoritas ſolùm in verbis acuit, quæ ſi tantiſper premantur, difficultatem in noſtram ſententiam non continent. Verùm non aliter res iſta maniſeſtior apparebit, quàm ſcruſcitando ſcopum, in quem hæc verba direxit Diuus Auguſtinus. Igitur Sanctus Doctor ſuprà citatus, totus eſt in explicando diſcrimine, quod interceſſerat inter baptiſmum à Ioanne celebratum, & illum, quem celebrauit Chriſtus. Primum appellat imperfectum. Secundum perfectiſſimum. Poſt hæc ait Sanctus Doctor illum baptiſmum minùs perfectum voluit Chriſtus, dici Baptiſmum Ioannis, & Ioannem tanquam proprium celebraſſe, & ei illum ex gratia ipſius Chriſti contulerit. Perfectiſſimum verò baptiſmum, quem nunc colimus, ait Auguſtinus, noluit Deus dici baptiſmum ſeruorum illum celebrantium, ſed voluit, quód ſerui profiterentur eſſe baptiſmum Chriſti, dum illum celebrant, etſi potuiſſet permittere, vt ſicut ille baptiſmus minùs perfectus, etſi ab ipſo Deo Ioanni conceſſus, intuitu meritorum Chriſti, baptiſmus Ioannis dictus eſt, ſic baptiſmus iſte perfectiſſimus, baptiſmus ſeruorum illum celebrantium diceretur, tametſi talis baptiſmus & eius fructus ex Chriſti meritis dimanaſſet, ſicut procedebat baptiſmus ille imperfectus dictus proprius Ioannis. Hoc tamen noluiſſe Chriſtum 226.

ſtum facere, ait Auguſtinus quia multùm oportebat, baptiſmum perfectiſſimum, dici Chriſti baptiſmum: & in illius celebratione, tam miniſtri quàm ipſum baptiſmum accipientes profitentur, baptiſmum illum eſſe Domini, à quo ſolo illius fructus procederet, & non ſerui, cuius meritis perfectiſſimi baptiſmi fructus nullo modo attribui poſſunt. Hanc interpretationem eſſe genuinam & textus commendat, & communis authorum acceptio plauſibilem reddit.

Sectio Vltima.

Vnicum conſectarium.

227. Colliges contra Ripaldam infrà citandum. Ex hypotheſi quòd homo promereretur de condigno remiſſionem peccati alteri homini peccatori, verè pro illo ſatisfactionem condignam exhiberet. Ratio quia id quod confertur, vt præmium meriti de condigno, datur propter aliquod, tali præmio ſecundùm moralem æſtimationem æquiualens, imo in ſententia communiori iuxta principia D. Th. 1. 2. *quæſtione* 114. datur vt debitum de iuſtitia; etenim meritum condignum eſt ſui præmij emptio. Ergo meretur ſatisfactio appellari, quia æquiualet ſatisfactioni ſtrictiſſimæ. Confirmo hoc, ſatisfactio & reſtitutio valde aſſimilantur, quia, licèt in materia diuerſa, eaſdem leges ſeruare videntur; Quod enim eſt, & dicitur reſtitutio in pecuniis, eſt & dicitur ſatisfactio in honore. Tunc ſic, ſed in caſu; quo quis mereretur remiſſionem pecuniæ debitæ, ſeu obligationis reſtituendi, perfectè ſatisfeciſſet. Ergo ſi quis condignè mereretur remiſſionem ſatisfactionis debitæ, etiam diceretur ſatisfeciſſe.

228. Verùm hæc doctrina, Ripaldæ diſplicuit, quamque eneruare conatur *ſect. 6. à num.* 58. *vſque ad* 62. *excluſiuè*. conſtituens quatuor diſcrimina inter meritum & ſatisfactionem, ſicque probare contendit non bene ſequi ex poſſibilitate actus meritorij hominis iuſti, remiſſionis peccati poſſibilem eſſe actum, qui ſit condigna illius ſatisfactio. Aſſeritque in multis ſatisfactionem à merito condigno differre. Verùm aliqua illorum, quia miſcent doctrinam non ſemel à nobis in hoc dubio impugnatam, non ſcribam. Diſcrimen aliud ab illo poſitum refellam. Dicebat ipſe *n.* 61. eo vel maximè differre, quòd ſatisfactio independenter à condonatione offenſi, extinguat offenſam, condignitatem verò meriti non eſſe eiuſmodi, ſed cum illa componi condonationem offenſi, nam vbi offeratur condigna ſatisfactio, ſiue ab ipſo offendente, ſiue à fideiuſſore offendentis, aufertur offenſo ius ad rationabilem indignationem cum offendente, atque adeo moralis etiam perſeuerantia offenſæ, quæ in dignitate rationabilis eius auerſionis, & carentia condignæ ſatisfactionis conſiſtit, quare ſuppoſita condigna ſatisfactione, nulla ex parte offenſi condonatio, ſeu voluntas requiritur ad extinctionem offenſæ, ſed velit nolit, euaneſcit offenſa. At verò exiſtente merito de condigno remiſſionis, adhuc ſupereſt, & deſideratur voluntas & condonatio offenſi ad extinguendam offenſam, imo tota vis meritoria in offenſi voluntatem mouendam & condonationem inducendam contendit, quia eius efficacia ad delendam offenſam eſt mediata, ſcilicet media voluntate & condonatione offenſi & non immediata ſeorſim ab illa, qualis eſt efficacia ſatisfactionis cōdignæ.

Nec refert, ſi dicas, quòd in vtroque actu, tam meritorio, quàm ſatisfactorio pro alio, præter dignitatem intrinſecam illorum, requiri acceptationem offenſi, qua talem actum acceptet, etenim voluntas, qua alius admittitur in fideiuſſorem peccati alieni, ſeu alius peccatoris, eſt acceptatio ſatisfactionis ab eo præſtādæ, quam acceptationem nec Deus tenetur exhibere, quia etiam oblata ſatisfactione à Chriſto Domino, poterat Deus illâ non eſſe contentus. 229.

Non inquam refert ſolutio, quia illam impugnat Ripalda *n.* 61. Nam ea acceptatio diuerſimodè ad meritum ac ad ſatisfactionem exigitur; in merito enim deſideratur ad efficaciam immediatam & in actu ſecundo extinguendæ offenſæ, & non ad ſufficientiam in actu primo condignam pro alio; in ſatisfactione verò ad ſolam ſufficientiam in actu primo condignam pro alio, & non ad efficaciam immediatam & in actu ſecundo; ponit exemplum; etenim opera Chriſti independenter à voluntate Patris, ſunt intrinſecè condigna præmio remiſſionis peccati, ſicut & alio quouis nobis conferendo. Cæterùm illud, ſicut & aliud inducere non poſſunt efficaciter, niſi accedat decretum Patris, volens illud intuitu eorum operum conferre. At verò ea opera non ſunt ex ſe intrinſecè ſatisfactoria pro noſtro peccato independenter à voluntate Patris acceptantis fideiuſſionem Chriſti, quia ſi velit, ius habet ad nolendam ſatisfactionem Chriſti, ſed noſtram, ſuppoſita tamen acceptatione fideiuſſionis, & facta Chriſto facultate ſatisfaciendi pro nobis, ſatisfactio condigna Chriſti ſeipſa immediatè, ſeorſim ab alia condonatione, ſeu voluntate Patris, poteſt offenſam extinguere, & dignitatem ad rationabilem Patris in homines indignationem delere, exiſtentibus conditionibus, quas Chriſtus & Pater voluerunt hominibus imponere, quas ſi imponere noluiſſet, & abſolutam & non conditionatam ſatisfaciendi pro nobis Chriſto Pater facultatem feciſſet, continuò & immediatè quoad efficaciam, extingueretur tota offenſa hominum, abſque vlla condonatione Patris. 230.

Plura in his inculcantur, quæ, etſi aliàs vera eſſent, minimè finem aſſequeretur author, in cuius gratiam hæc ita latè conſcripſit. Etenim adhuc datâ differentiâ iſtâ, nec leue fundamentum datur, vt ſuadeatur minorem bonitatem deſiderari in opere, vt ſit meritorium condignè pro remiſſione aliena, quàm vt ſatisfactio pro illa cenſeatur. Imo ſi dictis, quæ inſerit hic author, crediderim, contrarium facilè ſuſpicarer. Etenim, vt vidimus, dicebat Ripalda, meritum in actu primo habere rationem meriti independenter ab acceptatione extrinſeca, ſatisfactionem verò talem eſſe iudicandam dependenter 231.

ab

ab extrinſeca acceptatione. Ex hoc infero, ergo vt opus ſit meritorium de condigno, maiorem bonitatem deſiderat, quàm vt ſit ſatisfactorium. Probo conſequentiam, etenim meritum magis ex ſua natura habet, vt ſuum effectum lucretur, quàm habeat ſatisfactio, cùm meritum independenter ab aliquo extrinſeco, & ſecundùm ea, quæ illius actum primum complent, conſideretur potens, & valens ad ſuum effectum ſortiendum. Atque adeo valet meritum ex ſibi propriis, id quod ſatisfactio media acceptatione extrinſeca Dei tanquam ſuæ efficaciæ ſupplemento.

332. Præterea quia falſum aſſerit, acceptationem extrinſecam deſiderari, vt opus vim ſatisfaciendi obtineat, quia quod extrinſecum eſt operi, qualiter eſt diuina acceptatio, minimè poteſt conducere, vt operi accreſcat virtus ſatisfactoria, ſi illa ex natura ſua eſt deſtitutum. Fateor in opere requiri acceptationem Dei, vt in actu ſecundo ſit pro aliena offenſa ſatisfactio, verùm hoc naſcitur ex alio capite, videlicet quia Perſona offenſa habet ius ad exigendum à Perſona, quæ illam offendit, vt illi ſatisfaciat. Vnde ſi offenſus noluerit manere contentus ſatisfactione illa, quam fideiuſſor pro alio proponit, nulla æquitate ad eam acceptandam cogi poteſt, quamuis quando ad eam acceptandam determinatur nullam faciat condonationem gratuitam. Hoc mihi ſuadet doctrina, quam iuxta communem dedi *tractatu de vſuris ex tract. de empt. & venditione* §. 29. Etenim Petrus Mercator in ſua officina mercium plurium poſſeſſor, nullo modo poteſt ab alio cogi, vt ſibi vendat aliquam illarum, etiam oblato illi ſuperabundanti pretio; at verò caſu, quo ipſe mercator liberè ſe determinauerit ad illas vendendas, non liberaliter vendit, nec aliquid gratioſitatis venditioni intertexit, dum pretio æquali inter ſuas emptori tradat.

333. Aliquid aliud addit Ripalda, quod falſum, & verum ſenſum redolere poteſt; dicebat enim, opus quod ſemel acceptatum, poteſt eſſe pro peccato alieno ſatisfactio, non eſſe in actu primo ſatisfactorium, ſi non acceptetur. Hoc eſt falſum ad hunc ſenſum, quòd opus ex ſe non habeat dignitatem & valorem requiſitum ad ſatisfaciendum, quia acceptatio cùm ſit extrinſeca, nihil intrinſecum ponens in opere, iſtius condignitatem debet neceſſariò ſupponere, & ſi antecedenter ad acceptationem, dignitatem non habuerit, illam ab acceptatione extrinſeca mutuare non valebit. Eſt tamen verum in alio ſenſu, videlicet antecedenter ad acceptationem, operis dignitatem non eſſe hîc & nunc proximè expeditam ad ſatisfactionem, non ob defectum virtutis, ſed applicationis. De his autem longiorem dabo ſermonem infrà

DVBIVM VII.

An incarnatio neceſſaria fuerit, vt pro peccato fieret ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia?

CONcluſio affirmatiua eſt, ſed eius veritas pendet ex indagine quæſtionis illius, an Chriſtus potuerit ſatisfacere pro peccatis ex ſtricta & ſpeciali iuſtitiæ virtute? in cuius examine moroſus ero. Hęc inter alias diſceptatio maioris momenti eſt habita apud huius ſæculi ſcholaſticos Heroës. Huius ergo de ineundo bello eorum ita incalet animus, vt quot in anno dies, tot belligeri pro vtraque parte proſiliant rogati calami. Adeoque increbuit præliatorium turma, quòd acerbius, imo inſuperabilius, inuia deuiaque loca, quibus ſuas traiiciunt verborum & ſententiarum copias, numerare, quàm veritatem ipſam, de cuius obtentu tot ſunt procreata agmina, intelligere ſemper autumauerim. Igitur vt rem hanc, qua par eſt claritate, perſcruter, vnico dubio perſtringam, hocque variæ ſectiones reſecabunt. Pro quo.

SECTIO I.

Generalia Principia.

MOroſus in iaciendis principiis ero, quibus operam ſeriam dedi valde generalem, diuerſis materiis proficuam, potiſſimùm huic noſtræ inſeruientem & quæſtioni de iuſtitia Dei non ſuperfluam.

Nota igitur inter Deum & Chriſtum, verum interceſſiſſe pactum, quo Chriſtus fuit conſtitutus fideiuſſor, quoque Deus poſita tali ſatisfactione maneat obligatus, ad acceptandam illam, & remittendi intuitu illius iniuriam ab hominibus illatam. Vt hæc doctrina, cui tota noſtræ reſolutionis ſtructura fidit, maneat firma, eſt pluribus confirmanda. Aſſqui tam RR. quàm priſci, quorum aſſeclæ ſumus, probant ex quibuſdam ſacris locis Primò ex *Iſaia* 53. vbi ſic Deus ait, *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Secundò ex *D. Paulo ad Hebreos* 10. qui de Chriſto edisſerens aſſerit, *ingrediens mundum*, ait, *hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, tunc dixi, ecce venio in capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam Deus voluntatem tuam.* Ponderant ſic: in primo loco promittit Deus ſemen longæuum, ſub cõditione hac oneroſa, ponendi ſcilicet Chriſtum animam ſuam pro peccatis noſtris. Ecce pactum. In ſecundo autem loco ſancitur, Chriſtum exercuiſſe voluntatem Dei de ſubeunda morte.

Verùm in his locis, quantumcunque premantur, nihil inuenio, quod aut leuiter tale pactum commendet. Etenim licèt in primo loco contineatur promiſſio Dei ſub conditione oneroſa de ſubeunda morte, tamen ex illo non colligitur hîc & nunc illam eſſe ſpecialiter ad Chriſtum directam, ſed vt generaliter ad omnes ſe extendentem; & dato, quòd Chriſto prædicta promiſſio fuiſſet ſingulariter facta, in his verbis nullum datur, quod innuat pactum aliquod initum fuiſſe inter Patrem & Chriſtum, ſed ſolùm in illis indicari expreſſionem quamdam decreti, & determinationis Dei de ſemine longæuo conferendo Chriſto, ſi pro peccatis noſtris animam ſuam obtuliſſet. Secundus verò locus ſolùm ſubiectionem Chriſti ad voluntatem Patris commendat, & legem ſeu præceptum, quod de ſubeunda morte Chriſto indiderat Pater. Quid igitur pacti refert, Patrem mori Chriſto præcepiſſe, & Chriſtum in morte, quam lubens arripuit, obedientiam ad Patrem exercuiſſe nihil. Cùm tam præcepti exhibitio, quàm

quàm obedientia ſine pacto inito conſiſtere valeant. Ergo loca hæc intentum non probant.

3. Alia loca affero, quæ expreſſiùs rē hanc fulciant. Primū adſit illud *Ierem.* 31. vbi Deus ad litterā de incarnatione alloquens ex promiſſis ſic. *Fœmina circūdabit virū*, addit hæc, *ecce dies veniēt, dicit Dominus, & faciā domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactū, quod pepigi cum patribus eorū in die, qua apprehēdi manum eorū, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritū fecerūt, & ego dominatus ſum eorum dicit Dominus, ſed hoc erit pactū, quod faciā cum domo Iſrael, per dies illos dicit Dominus dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eā.* In quibus Hier. teſte, locutio eſt directa ad litterā de Chriſti aduētu. Tunc ſic. In illis ſancit Deus ſe pactum facturum, ſeu fœdus nouum cum domibus Iſraël, & Iuda, quod fœdus, ſeu pactum iniit cum Chriſto. Vbi notat Hieron. in Hebræo, loco pacti *teſtamentum* poni, & dicit Doctor Sanctus, teſtamentum rectè appellari pactum, quia voluntas in eo, & conteſtatio eorum, qui pactum celebrant continetur. Ergo iuxta ſententiam D. Hieron. ad hunc locum, inter Chriſtum, & Deū, verum pactum interueniſſe, vt pactum duas voluntates depoſcens, ex diuina & humana Chriſti volūtate vltimatè compleretur.

4. Secundus locus ſuccedit, hanc rem mirabiliter decernēs apud *Iſaiam* 42. vbi Deus ad litterā de Chriſto teſtans, & de eius aduentu in medelam noſtrā, hæc loquitur. *Ego Dominus vocaui te in iuſtitia & apprehēdi manum tuam, & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi mei in lucem gentium.* Quæ verba duo præclara apud nos decernunt, inter Deum & Chriſtum verā interceſſiſſe Iuſtitiam, iuxta illa, *vocaui te in iuſtitia*, quæ S. Th. ſuper hūc locum intelligit de Iuſtitia impletiua promiſſionis propriè Chriſto factæ. Secundum, hanc iuſtitiā inuoluere, fœdus, ſeu pactū, iuxta illa, *& dedi te in fœdus populi mei*, vt cuius pacti, ſeu fœderis manſit mediator Chriſtus inter nos fratres, & Patrē dilectū.

5. Nec declinabis vim, hæc loca exprimere pactū fuiſſe initum inter Deum & populū, non verò inter Deū & Chriſtum. Non inquam vim effugies, quia mire pactū cum populo, fuit illud cū Chriſto celebrare; etenim hoc ſufficit, vt vnus pro alio ſatisfaciat; ſiue enim creditor cum debitore ipſo, vel cū eius fideiuſſore paciſcatur de admittenda ſatisfactione à fideiuſſore offerēda, ex vi talis pacti cōſtituitur fideiuſſor potēs pro debitore ſatisfacere vt latè dedi tr. de contract. *diſp.* 2. *dub.* 1. *n.* 4. Rurſū præoccupo occurſū. Etenim cùm Chriſtus eſſet conſtitutū caput noſtratum, & potiſſimùm populorum Iſrael & Iuda, quibus fuit de Chriſto venturo facta promiſſio; pactū inter Deū & Chriſtum initum, poteſt affirmari eſſe celebratū inter Deū, & populū in ſuo capite. Hac enim de cauſa dixit Deus. *Dedi te in fœdus populi mei.* Hāc doctrinā ſumo ex D. Hier. ſuper hunc locum, qui interpretatur illū de fœdere Dei erga populū Iudæorū ſecundùm illos, qui ex illo populo crediderūt in Chriſtū. Hoc ipsū, robur ſumit ex illo Malachiæ, vbi loquens Deus cum Leui, aît, *pactū meum fuit cum eo vita, & pacis*, quæ verba S. Cirillus relatus à Ribera *in c.* 2. *Malach.* exponens illa verba: *a Deo Leui facta*, intelligēda eſſe de Chriſto, quem Leui tanquā typus & vmbra figurabat, quique, nempe Chriſtus, eſt vita & pax viuificati in ipſo, *per ipſū acceſſū habemus ad Patrē, pacemque habemus cum eo per obedientiā ad fidem.* En pactū ex Cyrillo initum inter Patrē & Chriſtum, de vita ſpirituali hominibus reſtituēda, & de pace inter maieſtatem diuinā offenſam & homines offendētes reſtauranda.

Cognito iam, pactū & promiſſionē in Deo reperiri, reſtat nūc aperire quid in illo obligationis reſultet, ex vi prædictæ promiſſionis, & quos actus cōſiderare in Deo debeamus, vt obligatio in ipſo percipiatur eſſe. Quod vt præſtē, declarare priùs, etſi celeriter, libuit, quid promiſſio, pactū, pollicitatio, & ſtipulatio indicent, nam hęc immaturo oculo proſpiciētes, pro eodē vſurpare ſint ſoliti, cùm inter ipſa nō exiguum reperiatur interuallū, vt latiùs dedi *tr. cit. de contractib.* Promiſſio enim eſt quædā fides data de re aliqua: in hoc à pollicitatione diſſidet, quia promiſſio inuoluit ad ſui perfectam rationem, acceptationē ex parte illius, cui fit promiſſio; pollicitatio verò, vt conſtat *ex l. 2. ff. de pollicitationibus*, eſt ſolius offerentis promiſſum, nondū acceptatione ſequuta, Ex quo fit, quòd omnis promiſſio pollicitationē includat, & inſuper acceptationem addat. Pactum verò eſt duorum conſenſus, & conuentio, vt cōſtat ex eadē lege. Vnde ad rationē pacti duorum, requiritur cōſenſus. Ad rationē vero pollicitationis, ſolùm vnius; tráſit verò pollicitatio in pactū, quādo is, cui facta eſt, eā acceptat: vnde pactū ferè idē eſt, atque promiſſio acceptata; niſi fortè aliquis velit, ad rationem ſtrictam pacti, non ſolùm requiri acceptationē eius, cui promiſſio fit, ſed etiā repromiſſionē alterius rei. Tandē ſtipulatio eſt forma cōtrahendi pactū, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & ſequuta debitoris reſpōſione. 6.

Nota rurſum, obligationē ex promiſſione promanantē, de illa varij varias perhibent ſententias ab illis me abſtineo, quia à me traditas *dict. loc.* leges, ſed non prætereo Leſſij dictum. *lib.* 2. *c.* 18. *dub.* 8. aſſerētis obligationem ex ſimplici promiſſione acceptata, profluere ex iuſtitia, & licèt communiter vociteretur ex fidelitate, tamen hanc non diſtingui à iuſtitia ſtricta, multis nō parum neruoſis exiſtimationibus profitetur. Verùm vt ſtrictam iuſtitiam in Deo collocem, in ordine ad Chriſti ſatisfactionem, & merita remuneranda, non egeo huic doctrinæ, vtpote cōmuniter non receptæ confidere. Vnde notata ſint tibi duo. Primum, promiſſionem non ſimplicem, ſed oneroſam, iuxta vniuerſale placitum, obligationem ex iuſtitia ſtricta inducere; & ſi cum forma ſtipulationis ſolemniter peragamus, nō ſolùm in conſcientia, verùm in foro contentioſo dat actionem contra promittentē, & eundem ſermonem ferunt authores de ſimplici promiſſione, ſi illi ſtipulationis forma annectatur, licèt hoc ſolum in iure ciuili digeſtorum veritatem redoleat, quia iuri canonico cōtrarium, vt probabilius putatur. 7.

Secundum, quod à re eſt, vt certó habendum, ex ſimplici promiſſione acceptata conferri ius aliquod promiſſario, & promittentē contrahere proprium debitum; illud verò ius, licèt non ſit in re, ad minùs eſt ad rem: imo, vt notatum habeo *tra. 7. de vſuris* ex communi aſſerto, tranſire poteſt ad hæredes, & ſimul debitum, gradum facere ad hæredes promittentis, & quamuis forma ſtipulationis non aſſeruetur iure canonico, conceditur actio in promittentem, vt pat. *c.* 1. *de pactis*, eſtque commune teſte Gomezio *t.* 2. *c.* 9. *n.* 2. Couarruuia *in* 3. *cap. quamuis pactum p.* 1. *§.* 4. *n.* 24. *&* 25. Nec refert, quòd ius canonicum petat, vt tale ius concedatur ex vi promiſſionis, 8.

expreſſio

expreſſionem cauſæ, qua ad promittendũ inducitur promittens, quia id ſolum forum externũ deposcit, vbi præſumitur error, dum promittens cauſam non deſignat, quæ illum ad promittendum induxit: non tamen id forum internum efflagitat, vt bene praenotat Siluester *verbo pactum num.* 3. Vnde ex iſta iuris Canonici diſpoſitione fit peruium, promiſſarium ex vi promiſſionis acceptatæ, contrahere ius ad rem, nam ius in re dat ipſum habenti actionem in ipſam rem, vt ad quamcunque deferatur partem, ipſam repetere valeat, necnon contra quemcunque, apud quem ſit repoſita: at verò ius ad rem non dat actionem in ipſam, ſed in perſonam, quæ illam tranſtulit, donauit, aut alienauit.

9. Deduc ex dictis, emiſſionem ipſam promiſſionis, frequenter actum liberalitatis eſſe. Frequenter dixi, quia fortè & non ſemel aliquis ex aliquo debito ad promittendum tenetur, verbi gratia, ſi fictè promiſiſti, te ducturum fœminam, & ipſa ſpe futuri matrimonij ſe deflorandam tradidit. O quot fefellit ſpes! ad verè promittendum teneberis. Aliqui tamen, quos ſequitur Soto *diſp.* 27. *quaſt.* 1. *art.* 3. §. *alia pracipua*. edocent, te eodem modo teneri ad promittendum verè, licèt nocumentum illud deflorationis non ſequatur. Contrarium tamen tenet Molina *de Iuſtitia & Iure diſp.* 352. Cum his tamen cohæret, promiſſionem ex liberalitate promittentis frequenter oriri; adimpletio verò promiſſionis, ſi ſit oneroſa, erit actus iuſtitiæ; ſi verò ſimplicis promiſſionis ad minimum actus fidelitatis cenſebitur, quomodocumque hoc à iuſtitia ſtricta diſcriminetur.

10. Quæ omnia, vt ad oculum referentur, proponam actus, qui interuenire debent, vt talis reſultet obligatio; ij enim ſunt diſtinguendi, quidam ex parte promittentis ſe tenent, ex parte promiſſarij alij. Ex parte promittentis requiritur internus actus voluntatis, quo promittere velit, & ſe obligare, vt latè tr. de voto *d. s. dub.* 2. dedi, nam promiſſio eſt lex priuata, quam à ſe ſeruandam ſibi præfigit homo: vnde ſicut lex non obligat, niſi in legiſlatoris intentione præextiterit; ita nec promiſſio, niſi adſit voluntas, & intentio promittentis, qua ſe ligatum liberè & voluntariè propoſuerit. Ita cum communi Sanchez *de Matrimonio*, *diſp.* 9. Suarez *tomo* 2. *de Religione*, *lib.* 1. *de voto*. Vnde ſi aliquis naturam promiſſionis neſciuerit, nempe obligationis cauſatiuam eſſe, licèt promitteret, obligatus non maneret, & multò minùs ſi eſſet conſcius obligationis inductiuam eſſe, & vellet promittere, & non ſe obligare; conuincebatur enim ſe ſolum inefficaciter promiſiſſe, ſiquidem obligationem ex promiſſione reſultare nōluit, cùm obligatio efficaci promiſſioni innectatur ſemper, de his latè *citato loco*. vbi hoc vltimum aliquas limitationes pati ſingulariter, & non vulgari calamo ſuaſi.

11. Præter hanc voluntatem internam adhuc inter homines promiſſio externa cupitur. Quòd ſi de facto, & ſtando poſitiuo iuri, hoc teneas pronunciatum, adeo certum debes complecti illud, vt contrarium nulla probabilitate perfundere valeas: etenim iure poſitiuo eſt decretum, promiſſionem externam, antequam acceptetur, minimè obligationem inducere, & eſſe reuocationi obnoxiam pro promittentis delectu, vt patet *ex l. pactum de pollicitationibus* ita Azorius *tom.* 2. *de Iuſt. tract.* 2. *diſput.* 163. Tunc ſic, ſi ergo promiſſio externa non acceptata reuocabilis extat, & obligationem, de qua eſt ſermo, non parturit, multò minùs illam inducet ſola interna promiſſio, quæ ex meritis ſuis inacceptabilis eſt, & licèt acceptari valeret, tamen iura ipſius naturæ, obligationem inter homines, nec leuem poſſet inferre. Ita diuus Thomas 2. 2. *quaſt.* 188. *art.* 4. quem communiter ſequuntur Sanchez *lib.* 1. *de Matrimonio*, *diſp.* 3. *num.* 6. Rebellus *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 12. & expreſſiùs idem ſanctus Doctor *in* 4. *diſt.* 38. *quaſt.* 1. *art.* 1. *queſtiunc.* 1. nam quantumcumque conaretur quis promiſſione intra ſe latente ſe alteri obligare, id nullo modo aſſequeretur, nam facultas ſe obligandi, eſt modo cuiuſque naturali affinis, modus autem naturalis ſuas actiones exercendi hominibus competens eſt, ſigna externa miſcens. Ergo præter internam, alia requiritur externa promiſſio, vt homines ſe viciſſim obligare queant; & hæc de actibus ex parte promittentis ſe tenentibus.

Ex parte verò promiſſarij exigitur, vt monui, acceptatio, ſed hæc, vt de promiſſione dixi, actum internum debet includere, quia inter actiones humanas collocatur, quæ ſine actu interno voluntatis conſiſtere nequeunt. 12.
Fulcio hoc, quia frequenter conſeruatio obligationis promittentis, dependet ex libera voluntate promiſſarij; poteſt enim liberè debitum remittere, & ſic ab obligatione ſoluendi promittentem liberare. Rurſum quia acceptatio non ſolùm exigitur, vt promittens irreuocabiliter ſibi promiſſionem annectat, ſed etiam vt promiſſario det illud ius ad rem expoſitam, quod illi poſt acceptam promiſſionem confertur. Sed ſine voluntate promiſſarij tale ius promiſſario communicari nequit. Ergo abſque eadem non poterit acceptatio conſtare. Patet maior, quia promiſſarius ex vi acceptationis, actionem in promittentem habet, vt ex iure ſuprà aperui, & poteſt ad ſuos hæredes ſine obice deſcendere. Ergo acceptatio dat illi facultatem prædictam. Nunc minorem probo, quia tale ius, cùm quid morale ſit, non poteſt non à cauſa morali & libera ortum habere. Ergo ſi media acceptatione confertur illud ius, quouis modo hæc communicatio iuris contingat, acceptatio inuoluere debet actionem liberam.

Vltra actum internum ad acceptationem externus actus exigitur. Hoc ex iactis patet, 13.
nam ſi acceptatio eſt humana actio, humano ſtylo elaborari debet, & conſequenter ſenſibiliter eſt à promittente præſentienda. Ex quo fit, quòd ſi externam hanc acceptationem ſubmoueas, nullam iniuriam inferet promittens, ſi promiſſionem à ſe factam reuocet; verùm aliqua ſe offerunt ſcitu digna, & ad noſtrum propoſitum non leuia in ſignandis actibus externis, quos ſibi cupit externa acceptatio. Sed breuitati ſtudens, aliqua hic nobis minimè vtilia omittens, quæ lato calamo *citatis* non

ſemel *locis* ſcripſi, breuiter dico. Si promiſſio ſit ſimplex, & non oneroſa, ſat eſt taciturnitas promiſſarij ad acceptationem præſentis. Ita cum Bartolo & aliis tenent Couarruuias *ad rubricam de teſtamentis, num.* 13. & Rebellus *lib.* 18.*quæſt.*2.*num.*2. Moueturque ex aſſerto *in regula iuris* 43. *de regulis iuris in* 6. vbi dicitur, *qui tacet conſentire videtur.* Nec obſtat ſequens regula quæ ait. *Qui tacet, nec fatetur, nec vtique negare videtur.* Hæc enim teſte Andrea *ad finem einſdem regulæ* in promiſſionibus oneroſis acceptandis procedit, in aliquo tamen caſu ſufficit acceptantis taciturnitas, etiam in oneroſa promiſſione, Verbi gratiâ ſi parentes pro filia præſentes ſponſalia contrahunt, & ipſa tacet, conſentire videtur, quia ſi acceptare noluiſſet, reclamare tenebatur, & cum non reclamauerit, acceptaſſe recenſetur.

Quando verò promiſſio fit abſenti, tunc de-
4. bet expectari acceptatio illius, vel alicuius, qui pro illo acceptare poſſit. Quis verò iſte ſit, optimè diſſeruit Rebellus *libro illo* 18.*q.*2.*num.*4. & breuiter decerno. Filius poteſt acceptare pro patre, quando ſub eius poteſtate extat, ſeruus pro Domino, Religioſus pro Prælato ſuo & monaſterio, perſona publica vt iudex, & Epiſcopus pro illis, qui ſibi ſunt commiſſi, tutor pro pupillo, curator pro minori, vt legibus cæſareis confirmat Azorius §. *ſi quis inſtituta de inutilis ſtipulationibus*; & quod magis eſt, eamdem acceptationem exoptat Rebellus ex multis *dicto lib.*28.*quæſt.*3. etiam ad cauſas pias, niſi promiſſio rationem voti ſortiatur; quia tunc non requiritur acceptatio humana ad hoc vt promittens obligationem contrahat, vt latè dedi *tract. de voto diſp.*1.*dub.*2. Ita Couarruuias 2.*reſolutionum cap.*24.*num.*23. *ex l. ſi quis operis ff. de operis liberorum.* Poſſe pro illis qui ratione carent ex officio acceptare notarios publicos; imo Molina teſte 4. *lib. de primogenitis cap.*2. *num.*75. donationem factam puero naſcituro eſſe irreuocabilem, licèt non acceptetur ab aliquo, quia per ipſum ius acceptatur, vt conſtat *ex lege iubemus, codice de emancipatione liberorum.*

15. Peracta iam hac promiſſionum humanarum ſtructura, ad diuinas promiſſiones faciamus aſcenſum. Igitur diuina promiſſio neceſſariò inuoluit actum internum, & liberum diuinæ voluntatis, quia obligatio ex promiſſione orta non eſt obligatio neceſſaria, cum ante promiſſionem non detur in Deo. Ergo eſt libera; atque adeo ex natura ſua ſupponens decretum liberum Dei, ſuppoſito tamen illo, protinus in Deo reſultat obligatio quædam, quæ dicitur conſtantiæ; etenim dum Deus aliquid decernit, tenetur ratione ſuæ perfectionis ſummæ, non mutare decretum, ſed eſſe conſtans in illo; hoc tamen debitum non eſt ſufficiens ad inducendam obligationem ex promiſſione profectam; etenim vt ſuprà diximus, talis obligatio ius in promiſſario reponit: internum autem decretum Dei, præcisè ratione ſui, nullum ius collocat in creatura. Rurſum nam obligatio ex promiſſione ſtricta promanans non datur, niſi prout talis promiſſio eſt acceptata, vt dixi; at verò actus purus Dei internus adhuc non manifeſtatus, acceptari à nemine poteſt. Ergo actus internus, vt talis, voluntatis Dei, ad cauſandam obligationem promiſſioni propriam non ſufficit.

Ex his deduces, præter actum internum Dei, 16.
neceſſariò promiſſionem expoſcere actum externum, manifeſtatiuum interni illius actus, quo ſtante manet promiſſio diuina interiùs & exteriùs irreuocabilis, interiùs, quia à propoſito ſemel à Deo habito nequit dimoueri ipſe, exteriùs, quia aliud nequit manifeſtare ab eo, quod expreſſit ſemel. Verùm his iam intellectis adhuc non intelligitur in Deo reſultare promiſſionis ſtricta obligatio; ſed ad ſummum in Deo ex poſitione illorum ſolùm pullulare videtur veracitatis obligatio, qua dicitur Deus adſtringi ſua dicta propriæ menti & rei quam exprimit, conformare; promiſſionis verò obligatio alia eſt ab obligatione veritatis; quod ſic breuiter oſtendo, quia Deus etiam peccata futura præexprimit, necnon ſupplicia peccatoribus infligenda; at ex vi dictæ reuelationis, ſolùm ſibi parit Deus obligationem veracitatis conformandi verba ſua rebus manifeſtatis, non verò obligationem fidelitatis, quam ex promiſſione reſultare contrarij non verentur admittere.

Verùm hoc ipſum illuſtro *Tridentino decreto, ſeſſione ſexta, capite decimo ſexto*, vbi ſic, 17.
bene operantibus vſque in finem, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum miſericorditer promiſſa & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis eorum operibus fideliter reddenda. Vbi concilium docet, vitam æternam & eſſe gratiam promiſſam, & mercedem etiam à Deo promiſſam. Quando ait, gratiam eſſe, non aſſerit à Deo dari fideliter, ſed ſolùm gratiosè, quando verò decernit eſſe mercedem, decernit, fideliter conferri. Ergo ex Tridentini mente, diſtincta eſt obligatio veracitatis à fidelitatis obligatione: illa ex ſimplici promiſſione oritur, hæc verò ex promiſſione ſtricta ortum ducit, quæ inquam promiſſio ius aliquod creaturæ confert, vi cuius vita æterna, non gratia, ſed merces à Tridentino nuncupatur.

Sed dices, obligationem promiſſionis ſtri- 18.
ctæ, diſtingui ab obligatione veracitatis, ſolum ratione materiæ, quia ſcilicet promiſſio ſtricta in materia commoda, & promiſſario vtili exercetur veracitas, tamen dictam materiam neceſſariò non connotat. Sed contra, promiſſio ſtricta communi ſenſu Doctorum à pollicitatione differt, quia hæc, vt ſuprà innuimus, eſt ſolius offerentis promiſſio, ; at verò ſtricta promiſſio acceptationem ex parte promiſſarij adauget, hæc tamen acceptatio nihilo inſeruiret, ſi promiſſio ex pondere ſuæ naturæ ſolùm haberet obligationem veracitatis in materia commoda promiſſario, imo teſte Rebello *libro decimo octauo, quæſtione prima, numero ſecundo*, promiſſio ideo talis, quia data fides, id eſt fidei datio; Ergo promiſſarius illius fidei manet Dominus, & vi illius, ius tenet ad rem promiſſam, ita vt ſi talis fides frangatur, iniuria promiſſario irrogatur; vnde in Deo hæc omnia ſeruauit.

Hæc

19. Hæc, quæ dixi, ſolùm inſeruiunt, promiſſionem ſimplicem eſſe Deo concedendam; huoc tameo decreturus ſum, in Deo etiam eſſe ſtatuendam promiſſionem onerοſam; hoc eſt, quæ inuoluat oous ex parte illius, cui à Deo eſt facta promiſſio. Hanc verò maiorem inducere obligationem in promittente diuino, quàm ſit obligatio fidelitatis, & veritatis, & ſpecialiter ponere in illo obligationem ex iuſtitia ſtricta, prætetquam quòd ex dictis colligere licèt, id edoctum eſſe expreſsè à Tridentino ſupià citato efficaciter ſuſpicor: etenim poſtquam dixerat, Deum promiſiſſe iuſtis pro bonis operibus vitam æternam, tamquam mercedem, addidit, *hac eſt etiam illa corona iuſtitia, qua poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi* aiebat Apoſtolus, *à iuſto iudice ſibi reddendam.*

20. Solùm nunc ſupereſt oſtendere, Chriſto Domino fuiſſe factam promiſſionem onerοſam, illamqne acceptaſſe, quod ſufficienter aſſequar, ſola præſentatione locorum ſcripturæ ſacræ, quæ expreſsè manifeſtant actus, quibus pactum perficitur, & completur; etenim vt conſtans eſt doctrina, quam ex Iuris peritis hauſerunt cuncti, pactum fideiuſſoris completur per obligationem onerοſam ex parte fideiuſſoris, & ex creditoris promiſſione de ſe pacando per ſatisfactionis exhibitionem. Vtrumque enim facilè ex ſacris litteris præſentabo. Teſtis omni exceptione maior veritatis huius ſit *Iſaias* 53. aſſerens. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum, oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Duo hìc arrident quæ noſtrum propoſitum commendant. Primum, quòd ex parte Dei ponitur in Chriſto iniquitas noſtra, vt pro illa ſatisfaciat. Hoc faciunt verba illa *poſuit Dominus in eo*; &c. ſecundum, quòd ex parte Chriſti ponitur voluntas mortem, & paſſionem acceptans, vt ſatisfactioni pro nobis incûbat, hùc veniunt vltima verba *& oblatus eſt.*

21. Ruſum in eodem capite non ſemel reſcribuntur actiones, quibus pactum iſtud perficitur. *Si poſuerit animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, quæ verba ab Authoribus iterato calamo ſcribuntur, verùm illis ſolùm fidendum non eſſe latè diximus ſuprà; ſed ſi illis alia annectantur verba, erunt vtilia, etenim illis adductis proſequitur textus, *& voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Quibus innuitur, hoc decretum de præmiando Chriſti merito, per verba adducta indicatum, contempetatum eſſe voluntati Chriſti, in quo conſiſtit pacti ratio. Vnde diuus Hieronymus ſuper hoc caput concludit dicens, *Ergo vt pateretur, non fuit neceſſitatis, ſed voluntatis Patris & ſua, ad quem dicebat, Deus vt facerem voluntatem tuam, volui.*

22. Ruſum hoc valde eleuatur ex quibuſdam verbis ab eodem Iſaia habitis *cap.* 50. vbi, *erigit mane, mane erigit mihi aurem vt audiam, quaſi Magiſtrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij, corpus meum dedi percutientibus &* vbi diuus Hieronymus ad literam ſermonem hunc intertextum de Chriſto eſſe prædictum, *cui Deus mane*, id eſt, *in primo ſua natiuitatis inſtanti*, teſte interlineali, *aperuit aurem, vt audiret ordinationem eius circa hoc quod erat ſuum corpus percuſſoribus ſubiicere.* Vuluntatem autem Chriſti & eius præparationem ad ſe ſummittendum laboribus, illa quæ ſuccedunt verba, deuincunt. *Ego autem non contradico, retrorſum non abij.* Et hæc omnia manifeſtè innuunt conuentionem, inter Deum & Chriſtum in primo inſtanti conceptionis ſuæ celebratam fuiſſe; atque adeo interueniſſe pactum circa hominum redemptionem, vi cuius ipſe Chriſtus conditus fuit omnium fideiuſſor ſibi imponens oous ſolueodi debita, quæ per peccatum contraximus, necnon Deum ex vi eiuſdem pacti innodatum obligatione manſiſſe ad remittendum peccata & debita, poſita ſeu adimpleta ex parte Chriſti, conditione onerοſa moriendi, & aliis laboribus ſe ſubiiciendi.

Prudenc. de Incarn. Tom. I.

Sectio II.

Sententias refero, & ſequendam.

ANtequam ſententias narrem, libuit præmittere varias iuſtitiæ acceptiones, & ſtatum controuerſiæ liquidate, vt aſſerta Authorum ſubeant conCertationem de re. Igitur communiter datur triplex huius vocis, *iuſtitia*, vſus. Primus eſt laxus nimis pro opere æqualitatem cum rationis dictamine conſtituente, ſic ſub iuſtitia cadunt opera à quacunque virtute elicita. Secundus ſtrictiori cingitur functione, ſcilicet pro virtute illa, quæ conſtituit æqualitatem cum regula rationis in ordine ad aliud. Sicque iuſtitia eſt virtus quæuis reſpectiua, nempe obedientia, gratitudo, & religio. Tertius eſt omnium maximè proprius, & eſt virtus conſtitueos æqualitatem alteri debitam ratiooe iuris, quod ad illam habet tamquam ad rem ſuam, de hac eſt diſceptatio de cuius natura & diuiſione latum applicui calamum *tract. de virtute morali dub.* 5. *n. unico.* Sed ne illarum ieiunus procedas, breuiter ex datis eius diuiſiones parabo. 23.

Iuſtitia igitur in tertio & magis proprio vſu accepta partitur. Primo in legalem & particularem, illa bonum commune procurat, eius ſubiectum proprium eſt princeps, quem dirigit ad condendas leges bono communi indulgentes. Particularis verò iuſtitia inter Cardinales enumeratur, cui incumbit prouidere bonis priuatis ciuium, ac Reipublicæ partium, conſtitueos æqualitatem cum priuato iure ciuium.

Particularis iuſtitia alia eſt commutatiua, diſtributiua alia, illa, quæ dirigit commutationes bonorum particularium, quæ in commerciis & contractibus fieri ſolent, attenta ſolùm æqualitate rei ad rem dati, & accepti, debiti & iuris independenter omnino à conditione & dignitate alterius perſonæ, quod ibi explicabimus; media proportione arithmetica; diſtributiuam explicat communis, quæ dirigit diſtributiones præmiorum iuxta aliarum perſonarum dignitatem, media proportione geometrica, ita vt ſit proportio in bonis à iudice adiudicatis, conferendo cuilibet perſonæ bona cum reſpectu & ordine ad alias perſonas. Itaque diſtributiua à commutatiua differt, quatenùs hæc cuſtodit æqualitatem inter rem & rem independenter ab aliis per- 24.

ſonis; diſtributiua verò inter propottionem & proportionem, vt ea ſit æqualitas inter res, quæ diſtribuuntur, quæ eſt inter conditionem perſonarum, quibus ſit largitio cum mutuo reſpectu vnius perſonæ ad aliam, taliter quòd vna perſona plus boaorum accipiat, quia alteri minùs debitum eſt, acceptura eadem perſona minùs, ſi alteri plus deberetur.

25. Nota, vt ſtatum controuerſiæ, in quo eruendo tot duces Theologiæ inſudarunt, percipias. Verba hæc dubij, *an videlicet Chriſtus ſatisfecerit de ſtricta iuſtitia*, triplicem ſenſum habere. Prunus eſt *an ex Chriſti operibus Deus potuerit manere obligatus ex iuſtitia ad remittendum peccata, ita vt iniuriam faceret Chriſto, ſi ea non remitteret?* Secundus; *an Chriſtus ſatisfecerit pro debito iuſtitia, quod homo habebat, ita vt illud debitum in omni rigore extinxerit?* Tertius; *an licèt non extinxerit aliquod debitum iuſtitiæ commutatiua, quod haberet homo, ſaltem debitum iuſtitia vindicatiua extinxerit, hoc eſt, ius, quod Deus habebat ad iuſtè puniendum hominem pro peccato?* & licèt de his omnibus totus ſit in hac quæſtione ſermo ineundus, primus eſt principalior. Qui vt aptius penetretur.

26. Notare tamdem debes, duplicitet poſſe intelligi, poſt Chriſti ſatisfactionem oon potuiſſe Deum ex iuſtitia exigere ab homine aliam ſatisfactionem. Primò ex eo quòd ius, quod Deus ex peccato habebat contra hominem ad illum puniendum, vel exigendum ab eo aliquid pro peccato toto, taliter fuerit abolitum per ſatisfactionem Chriſti, & in hoc ſenſu non eſt lis, quia ſuppoſito pacto, quo decreuit Deus ſatisfactionem Chriſti acceptare pro remiſſione peccati noſtri, hoc ipſo quòd illam exhibuerit Chriſtus, extinctum fuit ius, quod habebat Deus contra hominem.

Secundus ſenſus eſt, quòd ex Dei pacto & Chriſti ſatisfactione, maneat Deus obligatus ex iuſtitiâ ad non exigendam aliam ſatisfactionem pro peccatis ipſis, qui ſenſus valde diſcernitur à primo. Etenim in primo ſolùm dicitur, Deum non retinere ius ad puniendum hominem, & hunc non habere debitum, quod ante habebat. In ſecundo verò dicitur ipſe homo vel Chriſtus habere ius aduersùs Deum, vt non exigat aliam ſatisfactionem, qui eſt valde diuerſus; potuit enim Deus amittere ius, quod habebat, & tamen non per alterum ius, quod naſceretur in homine aduersùs Deum, ſed per carentiam tituli prioris; quem Deus habebat ratione peccati non condonati, & per carentiam debiti, quod habebat homo. Sicut contingit in remiſſione voti, etenim Deo vótum remittente tollitur ius, quod habebat Deus ex voto aduersùs hominem, ad exigendum opus emiſſum, non tamen neceſſe eſt, naſci ius in homine aduersùs Deum ex iuſtitia, ſed meram carentiam debiti prioris. Sic etiam ex eo præciſé, quòd extinguatur ius Dei aduersùs hominem & debitum, quod homo habebat, intelligitur Deus non poſſe ex iuſtitia exigere vlterius aliquid pro peccato, non quia homo habeat aliquod ius iuſtitiæ aduersùs Deum, ſed quia Deus non habet titulum iuſtitiæ aduersùs hominem. Vnde difficultas in hoc perdifficili puncto ſic proponitur; *an ex operibus Chriſti potuerit Deus obligari ex iuſtitia, ad condonandum peccatum, ita vt non condonando illud, faceret iniuriam Chriſto, vel nobis?* quod alijs verbis contenditur; *an Deus habeat virtutem iuſtitia inclinantem ipſum ad non violandum ius noſtrum.*

Prima ſententia negat. Hanc tuentur quotquot virtutem iuſtitiæ ſtrictæ negant Deo. 27.
Marſilius *in* 2.*q.*18.*art.*4. *Greg.* 1. *ſent.diſt.*17. *q.*1.*art.*2. Ma.*q.*17.*in* 2.*q.vnica.* Paludanus *in* 4. *diſt.*46.*quaſt.*1.*art.*1.*controu.*3. Scotus *in* 4.*diſt.* 46. *quaſt. vnica* §. *de primo videndum.* Baſolius 4. *diſt.*46.*quaſt.vnica* quos ſequuntur ex variis familiis innumeri. Peſantius 1. *p.quaſt.*21.*diſp.* 1. Stapletonius 10. *de iuſtificatione cap.*10. Lorca 1.2.*diſputat.*44. §.*his præmiſſis* & 3.*p.diſp.*8. Trigoſius *in* 1.*part.quaſt.*17. *art.*1. *dub.*1. Salon t.2. *quaſt.*57. *art.*2. Molina *tom.*1. *de iuſtificatione, diſputatione* 7.§.*obſerua,* Oſorius *lib.*6. *de iuſtificatione,* Nauarret. 1.*part.tom.* 1.*controu.* 28. Bañes 1.*part. quaſt.*21. *art.*1. Leſſius *lib.*2. *de iuſtificatione, cap.*18.*dub.*8.*num.*57. Puteanus Auguſtinianus *tom.* 2. *quaſt.*114. *art.*1. *dub.*8. Vaſquez ſæpius & 3.*p.tom.*1. *diſput.*7. Becanus *de incarnatione cap.*15. *concluſ.* 3. Hurtadus Complutenſis *tom. de incarnatione diſp.*1 *diff.*10. Torres 2.2 *tom.*2. *diſput.*5. *dub.*1.*num.*7. Meratius *tom.*2. *tract. de iuſtitia diſput.*14. Sanchez *lib.*4. *ſumma cap.*11. *num.*8. Coniu. 2. *de Sacramentis diſputatione* 1. *de pœnitentia, dub.*4. *numero* 13. Cardinalis Lugo *tom.*1. *in* 3.*part. diſputatione* 3. Bernalius *diſputatione* 7. *ſect.* 3. Ouiedus *prima ſecunda, tract.*9. *controuerſia* 8. *punct.*7.

28. Secundam ſententiam affirmatiuam. Reliqui theologiæ proceres amplectuntur S. Bonauent. *in* 2. *diſt.*27. *art.* 2. *quaſtione* 3. Gabriel *ibi quaſt. vnica, articul.*1. *notab.* 3. Carthuſianus *in* 4. *diſtinct.*46. *quaſt.*1. argentinas ibi *quaſt. vnica art.*1. Richardus *ibi art.*1. *q.*1. Ægidius *in* 2.*diſtinct.*17. *art.*2. *num.*3. Sanctus Thomas millies quem ſequuntur & citant innumeri eius diſcipuli Capreolus *in prim. diſt.*25.*quaſt.vnica art.*1. *conc.*4. Caietanus 2.2. *q.*61. *art.*4. *ad Primum.* Ferrara *contra g.* 1.*cap.* 9. 3.§. *ſed dubium.* Deca *in* 2.*diſt.*27.*quaſt.vnica art.*4. *ad primum.* Tapet *art.*11.*contra Lutherum* §. *tertia eſt difficultas.* Conradus 1.2. *quaſtione* 114. *art.*1. Hoſſius *in confeſſ.fidei, cap.*73. §. *caterum cum dixit.* Sotus *lib.*3. *de iuſtitia, quaſtione* 5. *art.*4. Vega *in trident.lib.*10. *cap.*1. Zumel 1.2. *quaſt.*114. *art.*1. Cabrera *in* 3.*part. quaſtione* 1. *art.*2.*diſput.*7. Aragon 2.2.*quaſtione* 61. *art.*4. Rubeus *in* 4. *diſt.*46. Siluius *hic art.*2. *dub.*3. Aluarez *in* 3. *part. diſputatione* 4. *numero* 35. Faber *in* 3.*diſput.*43. *num.*3. Ledeſma 2.*tom. p.*4. Albeda 1.*p.millies,* Suarez *in* 3.*part.diſp.*4. *ſect.*5. Valentia 1.*p.q.*21. *puncto* 1. Azor. *tom.*5. *lib.*1.*cap.*10.*quaſt.*3. Nazarius *hic.* Raguſa 3.*p. diſput.*3.§.6. Rebellus *lib.*1.*de iuſt.quaſtione* 4. *ſectione* 3. Albertinus *tom.* 1. *Corol. quaſt.*18. *theologia dub.*3. Bellarminus *libro* 5.*de iuſtificat. cap.*14. Tannerus *tom.*4. *diſp.*1.*quaſt.*2. Faſolus 1.*part.quaſtione* 21.*articulo* 1. Hurtadus Salmantinus *tomo* 1. *in* 3.*part.diſputatione* 1. 2. *ſectione* 13. Rainaudus *libro* 3. *de virtutibus numero* 59. Ruitz *de voluntate Dei diſputat.*58. Granadus 2.*part.tom.*2.*tract.*7.*diſputatione* 4. Araujo t.1.

in 3.

in 3. *part.* Ioannes à ſancto Thoma 1. *part. quaſt.* 21. Cornelius *tom. in* 3. *part. diſput.* 5. *dubio* 7.

29. Præter has ſententias aliam inuenio mediam apud Ripaldam *tom.* 2. *de ente ſupernaturali*, *lib.* 4. *diſputatione* 33. *ſectione.* 3. qui generaliter loquens de iuſtitia Dei in ordine ad remunerandum opera iuſtorum, aſſerit, Deum ex propria & ſtricta iuſtitia commutatiua ſuſcepiſſe iuſtorum merita remunerare; licèt non fore Deum iniuſtum, aut aliquid contra iuſtitiam commutatiuam facturum, ſi talia merita non retribueret, profitetur. Quæ vt iſta componeret, & ſententias adductas in concordiam vocaret, plura architectatus eſt; quæ poſtea examini tradam, verùm ibi conſpicies, dum pacem inter riaantes appoſuit, ſibi gladium, quo iugularetur, parauit.

30. Sententia ſecunda præ cæteris liber. Ratio ex notabilibus eſt præſtò. Sed priùs illam anthoritate diui Thomæ munire decreui. Cuius authoritas eo potiſſimùm inſeruiet, vt probet Chriſti ſatisfactionem recedere à ratione actus ſtrictæ iuſtitiæ, ex eo quòd Deus, qui erat offenſus, erat incapax huius virtutis, atque adeo eò tendit authoritas hæc, vt in Deo remunerante opera, ſiue Chriſti aliorumue iuſtorum, veram & ſtrictam iuſtitiam conſtituat. Sanctus igitur doctor 1. *part. quaſt.* 21. *art.* 4. quærit, *an in omni opere Dei ſit miſericordia & iuſtitia*, & ponit argumentum in contrarium ea diuo Paulo *ad Rom.* 15. vbi Apoſtolus tribuit conuerſionem Iudæorum, iuſtitiæ diuinæ; conuerſionem verò Gentilium, diuinæ miſericordiæ, & poſtquam aliqualem rationem iuſtitiæ, in vtraque conuerſione agnoſcit, ait, *ſed aliqua ratio iuſtitia apparet in conuerſione Iudaorum, qua non relucet, in conuerſione Gentilium, quia ſaluati ſunt propter promiſſiones Patribus factas.* Ecce diuus Thomas cognoſcit in conuerſione Iudæorum rationem diuinæ Iuſtitiæ, ea eo quòd ſalus eorum fuit promiſſa Patribus, nam in reliquis vtraque conuerſio Iudæi & gentilis eſt par. Expreſsè igitur diuus Thomas ſentit, quòd ea promiſſione diuina obligatio oritur ex iuſtitia

31. Sed occurres, diuus Thomas, loqui hîc de iuſtitia lâta, ſeu impropria. Sed contra, nam eodem tenore verborum vtitur dum de iuſtitia loquitur, ac vſus *eadem quaſt.* 21. *art.* 1. vbi quærens an in Deo ſit iuſtitia in reſponſione ad primum reſoluit, *virtutes morales qua verſantur circa paſſiones non reperiri in Deo propriè, ſed metaphoricè, virtutes verò morales, qua verſantur circa operationes, vt ſunt iuſtitia liberalitas*, &c. *reperiri in Deo propriè.* En verba diui Thomæ, cuius mentem expreſsè pandunt. Vnde occurſus authorum ſolùm poteſt ſuffragium, licèt apparens deſumere, diuum Thomam hac in parte intelligendum eſſe, de fidelitate ea promiſſionibus orta, taliter, quòd quia promiſit, obligatus ex fidelitate maneat; non verò ex obligatione iuſtitiæ, ita vt ex promiſſione intelligatur ius in creaturis, vel in Chriſto reſultare aduerſus Deum, qui ſi non retribueret, iniuriam illis inferret, non enim hoc illis poteſt eſſe ſuffragium; quia vt in notabilibus præpoſui, ea promiſſione optimum ſumitur argumentum, ad probandam iuſtitiam in Deo, & iterum hoc ſtatim proſequar. Deinde quia ex promiſſione onerosa obligationem ea iuſtitia pullulare eſt placitum diui Thomæ, vt vidimus ſuprà. Sed promiſſionem factam Chriſto, & ſanctis Patribus fuiſſe oneroſam, eſt SS. Th. & omnium. Ergo ſemel admittens, S. Th. conceſſiſſe, Deum Patribus & Chriſto promiſiſſe præmia ſub promiſſione oneroſa, tenetur admittere, D. Th. defendentem Deum ex promiſſione obligatum manſiſſe ad remunerandum, ipſum intelligendum fore de obligatione, non ſolùm ea fidelitate, ſed ea iuſtitia ſtricta.

Ex his à diuo Thoma edoctis hæc conficitur ratio. Deus promiſit Chriſto ſpiritualem hominum redemptionem onerosa promiſſione, vt teſtantur loca, quæ in notabilibus adduximus; ergo obligatio remunerandi Chriſti opera, fuit in Deo ex ſtricta iuſtitia, probo conſequentiam. Ex promiſſione ſimplici & non oneroſa reſultat in Deo obligatio fidelitatis, vt admittunt vtriuſque ſententiæ Patroni. Ergo ea oneroſa promiſſione reſultabit in Deo obligatio iuſtitiæ. Conſequentiam probo, nam in hominibus ea oneroſa promiſſione, obligatio ea iuſtitia reſultat. Ergo ex dicta oneroſa promiſſione à Deo Chriſto facta, reſultauit in ipſo obligatio ea iuſtitia. 32.

Sed reſpondebis, cum primæ ſententiæ authorum cumulo, eſſe diſparem rationem; nam nullum inconueniens ſequitur, homines oneroſè promittentes, quibus dominium defectibile comperit, manere obligatos ex inſtitia, præeunte in illis promiſſione oneroſa. At verò Deo repugnare obligatum hominibus manere, in quos dominatur ſupremo dominio, cum quo non componitur ad homines obligari, & eorumdem debitorem eſſe. Sed contra; ſi dominium ſupremum, quo viget in creatas Chriſti actiones Deus, impediret, ne ſuppoſita adhuc oneroſa promiſſione, ipſe obligatus ex iuſtitia maneret, etiam impediret, ne etiam ſuppoſita eadem promiſſione oneroſa, Deus maneret hominibus obligatus obligatione fidelitatis. Sed hoc negant Authores cuncti, cum quibus decerto. Ergo, ſuppoſita Dei promiſſione, dominium non impedit obligationem ex iuſtitia in Deo reſultare. Probo maiorem. Etenim eadem inconuenientia, quæ, ſuppoſito Dei dominio, ex obligatione iuſtitiæ inferunt in Deo, ſequuntur ea obligatione fidelitatis. Ergo ſi dominium non impedit ponere in Deo obligationem fidelitatis, nec obligationem ex iuſtitia impediet. Probo antecedens, quia per debitum fidelitatis, vt oſtendimus in notabilibus, ponitur in creatura aliquod ius ad rem promiſſam, de hoc etiam iure Deus pro libito diſponere nequit poſt acceptatam promiſſionem. Hacque de cauſa poſſemus inferre, Deum æqualiter manere creaturæ ſubiectum, & dependenter ab eius remiſſione, & tandem creaturam debere habere alteritatem à Deo, tam entitatiuā, quàm moralem, non minùs ad terminandum debitum fidelitatis, ac ad terminandum debitum iuſtitiæ, quod æquè difficile eſt reſpectu Dei, cùm ab illo eſſentialiter dependeat; & de qua, omnibuſque ſuis iuribus 33.

S 3 propter

propter ſupremam poteſtatem, qua in omni creaturæ pollet Deus, poſſit Deus pro libito diſponere. Sed hæc omnia optimè componunt Authores cum dominio ſupremo Dei: Ergo cum eodem poterunt componere debitum iuſtitiæ, à Deo ex vi promiſſionis oneroſæ contractum.

34. Sed occurres quamuis, poſita Dei promiſſione, non poſſit de re promiſſa Chriſto aliter diſponere, tamen hæc impoſſibilitas non prouenit Deo ex vinculo, quo ipſe iure creaturæ adſtringatur, ſed ex vinculo & decreto ſuæ voluntatis, cui reſiſtere non poteſt.

Sed contra, quia in omnibus ſimile eſt debitum vinculum & obligatio: quod oritur in Deo ex eius promiſſione, ac quod oritur in Deo ex iure creaturæ. Ergo ſi illud poteſt in Deo ſaluari ſine læſione ſui ſupremi dominij, ita & hoc. Antecedens probo, ideo debitum ortum in Deo ex promiſſione, componitur cum ſupremo dominij Dei, quia hoc, quod eſt Deum non poſſe non adimplere rem promiſſam, oritur ex libero decreto Dei, quo rem promiſſam adimplere decreuit. Sed debitum ortum in Deo ex iure Chriſti, oritur ex libero decreto ipſius Dei promittere volentis. Ergo in omnibus debitum vtrumque aſſimilatur. Minorem probo & explico, licèt obligatio ex iuſtitia in Deo, reſultet proximè ex iure, quod Chriſtus, vel creatura habet aduerſus Deum; remotè tamen ex ipſa libera voluntate Dei illud ius creaturæ aduerſus ipſum communicantis proficiſcitur. Ergo debitum, ſeu obligatio, qua Deus ex iuſtitia tenetur, oritur in Deo ex libera voluntate diuina id decernente. Antecedens probo. Sicut obligatio reſultat ex iuſtitia in Deo immediatè ex iure, quod habet Chriſtus aduerſus Deum, ita hoc ius oritur immediatè à diuina promiſſione, ſed diuina promiſſio oritur immediatè à diuina libera voluntate, vel eſt ipſa libera diuina voluntas promittens. Ergo illa obligatio iuſtitiæ orta in Deo de præmiando Chriſto, licèt immediatè oriatur ex iure, quod aduerſus ipſum Deum habet Chriſtus, tamen remotè oritur ex diuina voluntate, volentè liberè obligatum manere. Sed manere obligatum obligatione orta ex ipſa voluntate libera Dei, in ſententia contrariorum, & Ripaldæ ſequentis illos, non eſt contra dominium & diuinam perfectionem. Ergo hoc, quod eſt Deum obligatum ex iuſtitia manere ex iure, quod Chriſtus aduerſus Deum habeat, nullam dicit imperfectionem dominio Dei obuiantem.

35. Confirmo hoc, etenim tunc obligatio oritur ex iure alterius cum imperfectione, quando oritur illud ius independenter à libitu illius, in quo ex illo iure reſultat obligatio: quando autem illa obligatio oritur in me ex iure Petri, quod dependenter à mea voluntate Petrus aduerſus me habet, talis obligatio in me nullam imperfectionem notat. Pono vtriuſque aſſerti exemplum, Ioannes eſt Dominus Petri, hic obligatus eſt ex iuſtitia à iure Ioannis, quod habet in illum, & talis obligatio, cùm oriatur ex iure dominij independenter à voluntate ſerui, fit, quòd talis obligatio in ſeruo indiſpenſabilem in illo inducat imperfectionem. En alterius aſſerti exemplum. Ioannes promiſit ſeruo pecuniam certam, ſub onere exercendi operas, quas aliunde non tenebatur exercere ſeruus, acceptauit. Poſita tamen ex parte ſerui acceptatione, ſimul & ſemel ipſe ius aduerſus Dominum acquiſiuit, & hic obligatus manſit ex iuſtitia ſeruo: Verùm quia talis obligatio, quam contraxerat Dominus, ortum habebat ex iure, quod in illum habebat ſeruus, dependenter à ſuo libito, ſub onere aliquid illi promittendi, ideo talis obligatio ex iuſtitia, ſe tenens ex parte Domini, nullam imperfectionem Domino impingebat. Tunc ſic. Sed Deum obligatum ex iuſtitia manere, ad remunerandum Chriſti opera, naſcebatur ex iure, quod ex promiſſione oneroſa acquiſiuit Chriſtus, dependenter à diuina voluntate, liberè talem remunerationem promittente, & illud ius tanquam domina in Chriſto cauſante. Ergo talis obligatio ex iuſtitia nullam imperfectionem inuoluit in Deo.

Sed occurres: vel poſito illo iure in Chriſto, 36.
vt remuneretur à Deo, poteſt Deus ſine iniuria Chriſti illum non remunerare, vel non poteſt. Si poteſt. Ergo Chriſtus non habet ius aduerſus Deum, vt remuneretur. Patet, quia me habere ius aduerſus aliquem eſt in cauſa, vt ille alter nequeat ſine iniuria mihi irrogata diſponere de re illa, de qua proprio iure ſum Dominus. Si non poteſt ſine iniuria Chriſto illata illi retributionem negare. Ergo Deus non manet Dominus perfectus illius retributionis. Probatur conſequentia. Etenim dominium plenum eſt facultas moralis vtendi re ſua ſine iniuria alterius in omni caſu. Sed hanc facultatem Deus per nos non haberet, ſi obligaretur ex iuſtitia ad remunerandum opera Chriſti: non enim talem remunerationem Chriſto promiſſam poſſet negare Chriſto abſque iniuria illata illi. Ergo poſito illo iure in Chriſto, vt remuneretur, deſtruitur plenum dominium in Deo in ordine ad talem remunerationem.

Nec refert, ſi reſpondeas ex doctrina Ioan- 37.
nis à ſancto Thoma *tom. 2. primæ partis, q. 21. diſput. 6. art. 4. num. 13.* qui licet negauerit, Deum poſſe ſtricta & formali commutatiua iuſtitia, obligari ad remunerandum Chriſti vel iuſtorum opera, tamen iuſtitiâ diſtributiuâ manere obligatum defendit, vt infrà videbimus, & eius difficultates deuincemus. Compati poſſe Principem ſuis ſubditis largiri bona communia in feudum aut Emphiteuſim, aut ſolùm donando vſufructum; in quibus caſibus retinet dominium directum illorum bonorum, & communicat ſubditis feudale, de quo ſine iniuria ſubditorum nequit abſolutè & ad omnes vſus diſponere. Sic Deus promittens retributionem ſub onere operum, communicat ius creaturæ vel Chriſto, ſeu dominium infimum creaturæ, vel Chriſto vt homini competens, ſecum retinendo dominium ſupremum eiuſdem retributionis.

Non inquam refert, etenim vt legi *tractatu de vſuris diſput. 2. dub. 4.* ex doctrina, quam ex communi dictaueram *tractatu vnico de Contractibus diſput. 3. dub. 1.* dominium directum rei, cuius dominium vtile habet alius, non eſt

perfe

perfectum, ſed imperfectum dominium, nempe non ad omnes, ſed ad certos vſus, & ad aliquas prohibitiones. Item dominium, quo Princeps fungitur in res ſubditorum, quod altum dominium inſignitur, non eſt perfectum, ſed diminutum, & ad certos vſus, nempe ad publicas neceſſitates, quibus poteſt licitè Princeps ex bonis ſubditi ſubuenire: nec è contrà, dominium ſubditi eſt omnino perfectum, quia in aliquo caſu non poteſt ſua re vti, Principe inuito. In præſenti ergo contrariorum occurſus procedit de pleniſſimo dominio, quod Deus in omnia creata habere debet, de cuius ratione eſt poſſe moraliter illis vti in ordine ad omnem vſum. Ergo cùm dato iure in Chriſto ad remunerationem, non maneat facultas moralis in Deo, de eius omni vſu ſine iniuria Chriſti, quia, vt ſupponimus, ſi illam denegaret Deus, Chriſto iniuriam intuliſſet, fit, quòd incompatibile ſit omnino hoc ius Chriſti ad remunerationem cum pleniſſimo dominio Dei in illam.

38. Nec refert, ſi cum communi reſpondeas, optimè hæc duo eſſe compatibilia, quia cùm illud ius Chriſti in remunerationem, vt ſuprà diximus, deſcendat ex promiſſione diuina, fit, quòd dominium eiuſdem remunerationis apud Deum maneat, quia adhuc, illis ſuppoſitis, poſſet Deus illa remuneratione vti in omni vſu ipſi Deo poſſibili, quia licèt non poſſet Deus Angelum deſtruere v. g. poſt pactum de non deſtruendo illo, tamen quia talis vſus non eſt iam poſſibilis, ſed omnino impoſſibilis, fit, quòd Angelum non poſſe deſtruere, dominium Dei in Angelum non diminuat, quia non poſſe vti re per vſum impoſſibilem, non derogat perfectioni dominij. Vnde non eſt Deus minùs perfectus dominus equi, eo quòd non poſſit ex eo chimæram conſtruere; ille enim vſus eſt impoſſibilis, in ordine ad quem non ſumitur perfectio dominij. Sed non eſt minùs impoſſibilis & chimæricus vſus ille remunerationis negationis, poſito pacto de remunerando Chriſto. Ergo licèt Deus non poſſet negare remunerationem Chriſto, non ideo manebit Deus minùs dominus illius remunerationis.

39. Non inquam vim occurſus attemperat ſolutio hæc. Etenim licèt dominium non ſit facultas in ordine ad vſus ſimpliciter impoſſibiles & chimæricos, eſt tamen facultas in ordine ad vſum ſimpliciter poſſibilem, licèt hic & nunc ex aliqua ſuppoſitione impoſſibilis ſit, vt patet in dominio phyſico, quod eſt poteſtas phyſica in ordine ad vſus ſimpliciter poſſibiles. Quare licèt homo, qui nun poteſt ſuper ſuum equum volare, habeat dominium phyſicum illius, quatenus poſſet vti illo ad equitandum. Si tamen à Deo impediretur per decretum efficax ne, equitaret, non diceretur homo habere dominium phyſicum illius equi, quia licèt equitatio, ex ſuppoſitione illius decreti diuini, non eſſet poſſibilis, erat tamen ſimpliciter poſſibilis. Sic etiam dominium morale, eſt facultas moralis vtendi ſine iniuria re ſua in ordine ad vſus ſimpliciter poſſibiles: Deus autem in prædicto caſu non haberet hanc facultatem moralem in aliquo vſu ſimpliciter poſſibili. Ergo manet ſemper illibata difficultas, nempe ſi Chriſto concedatur ius vt remuneretur, vi cuius Deus ex iuſtitia obligaretur ad remunerandum, non maneret in ipſo perfectum & plenum dominium ipſius remunerationis.

Nec refert, ſi reſpondeas, Deum eſſe impotentem retinere remunerationem ſemel Chriſto promiſſam, non obuiare dominio Dei, quod illius habet, quia hæc impotentia non eſt antecedens, ſed conſequens, ſequitur enim exercitium ipſius dominij, ſcilicet promiſſionem factam Chriſto vel creaturæ à Deo, tanquam à domino præmij & remunerationis; impotentia autem retinendi illud idem præmium & remunerationem, conſequens exercitium dominij, non derogat dominio, ſicut non derogat libertati phyſicæ impotentia conſequens vſum ipſius libertatis: nec dominio morali impotentia retinendi præmium & remunerationem poſt ſimplex propoſitum Dei, aut promiſſionem ſolius fidelitatis, nullum Chriſto aut creaturæ parientem iuſtitiæ ius. 40.

Sed contra hanc inſurgit Ripalda, etiam impotentia retinendi bona promiſſa, aut donata ab homine & Angelo conſequitur exercitium dominij ipſorum; tamen ea impotentia derogat ipſorum dominio actu exiſtenti, arguitque defectum ipſius, nam ſi poſt factam promiſſionem, aut donationem remaneret in eis dominium plenum, quod antea inerat, poſſent iuſtè abſque iniuria donatarij, aut promiſſarij retinere illa eadem bona. Ergo ſi dominio deſtituti ſunt ipſo vſu dominij, quia poſt eum vſum manet iniuſta, & iniuria bonorum retentio, etiam Deus, exercitio conſequente ſuum dominium, manebit ſpoliatus dominio, quia retentio præmij & retributionis promiſſæ Chriſto aut creaturæ redditur iniuſta, & iniuria Chriſto vel alteri creaturæ. 41.

Nec refert ſi dicas, hominem poſt bona promiſſa, aut donata poſſe habere voluntatem contrariam retinendi bona; Deum autem id non poſſe. Non inquam refert, quia ſic replicat Ripalda. Etenim exercitium dominij, conſeruans indemne dominium, poteſt quidem reddere in ſenſu compoſito illius impoſſibile exercitium contradictorium, non verò reddere illud iniuſtum & iniurium; ſicut amor Dei reddit impoſſibile odium in ſenſu compoſito ipſius, non verò reddit odium neceſſarium, quare ſi per impoſſibile odium componeretur cum amore, tam liberum eſſet odium, quàm amor. Quia eſſe liberum in amore & odio, eſt denominatio extrinſeca procedens neceſſariò à voluntate in actu primo indifferenti, & libera; atque adeo amor liber poteſt impedire odium liberum quoad exiſtentiam cum ipſo compoſitam, non verò reddit illud neceſſarium. Sic ſimiliter ait Ripalda, ſi promiſſio eſſet cum dominio compoſita, dum voluntas in actu primo eſt indifferens, & libera poteſtas vtendi re conſeruans ipſum dominium antecedenter, reddit quidem impoſſibilem in ſenſu compoſito illius vſum contradictorium, non verò iniurium: vt ſi per impoſſibile contingeret retineri à Deo præmium Chriſto promiſſum, aut alteri creaturæ, ea retentio non 42.

eſſet iniutia, ſicut compoſitio odij cnm amore à voluntate libera, non eſſet neceſſaria, ſed libera, quia retentionem illius præmij eſſe iuſtam, aut iniuſtam, eſt denominatio proueniens à volnntate cum dominio morali, aut ſine illo operante. Ergo ſi talis retentio eſſet iniuſta, argumentum eſt, vſum & promiſſionem antecedentem deſtruxiſſe dominium.

42. Hæc eadem replica clatiùs inſtauratur. Tam impoſſibilis eſt phyſicè retentio præmij, poſt ſimplex propoſitum, aut promiſſionem fidelitatis, ac eſt poſt onerosam promiſſionem, ius iuſtitiæ patientem. Tamen poſt ſimplex propoſitum, & promiſſionem fidelitatis, non apprehenditur retentio præmij iniuria, & iniuſta, ſed tantùm infidelis, aut inconſtans, quamuis ſint actus dominij. Ergo ſi poſt onerosam promiſſionem, ius patientem iuſtitiæ, retentio præmij redditur iniuſta, ſignum eſt, euanuiſſe dominium, & poteſtatem antecedentem retinendi iuſtè præmium. Nam aliàs ſicut dominium antecedens, reddit ſemper iuſtam retentionem præmij, poſt ſimplex propoſitum, & promiſſionem fidelitatis, etiam redderet iuſtam poſt quamcumque aliam promiſſionem; cùm ſemper maneat dominium antecedens, à quo retentio & collatio præmij iuſta eſt.

43. Alio modo, & clatiùs hæc replica formatur, quia dominium non eſt facultas vtendi re ſua, ſine infidelitate, & inconſtantia, ſed ſolùm eſt facultas moralis vtendi ſine iniuria. Quare homo qui non poteſt die veneris comedere ſuam gallinam ſine peccato inobedientiæ, non eſt minùs Dominus gallinæ; poteſt enim illam cõmedere ſine iniuria alterius, in quo conſiſtit ratio dominij; ſi autem hæc facultas eſſet ligata, non eſſet perfectè dominus, nam qui conceſſit vſum rei ſuæ alteri, licèt voluntariè illum conceſſerit, & ligauerit ſuum dominium; non tamen manet plenè & perfectè Dominus, quia non poteſt iam vti re ſua ſine iniuria alterius. Quare licèt Deus ex ſuppoſitione ſuæ promiſſionis non poſſit phyſicè negare rem promiſſam, quia non poteſt phyſicè eſſe infidelis; manet tamen perfectè Dominus, quia moraliter poteſt negare illam rem ſine iniuria alterius.

44. Hucuſque venerunt RR. omnium replicæ, declinantes vim rationis, qua concluſionem deuincebamus. Verùm eiſdem principiis innixi, illam duplici via, prædictis, tametſi acutis lanceis, liberabimus. Prima ſit hypothetica, ſub hypotheſi, non contemnendis viris ſatis probabili exiſtimata, docent ergo poſſe Deum retinere dominium circa opera Chriſti, verbi gratiâ, licèt maneat ex iuſtitia obligatus. Hæc duo componere conantur, quibus compoſitis res tota manebit compoſita. Supponunt ergo duo. Primum, potuiſſe Deum cum Chriſto paciſci, non exigere ab eo vitam paſſibilem, ſi tamen eam eligeret, condonare ei hominum peccata, quo pacto poſito iam Chriſtus erat Dominus ſuorum operum, & ea poterat elicere, vel non elicere, & Deus ex iuſtitia tenebatur ea non exigere, & peccata etiam condonare, ſi Chriſtus pati vellet. Quod autem huiuſmodi optio, & pactum oblatum fuerit Chriſto à Patre ſuprà notauimus, & notabimus latiùs *tractatu vltimo de Chriſti impeccabilitate*. Vbi hanc doctrinam latiori diſcurſu protendemus. Et vt dominium Dei in eadem opera Chriſti Dominio coniungant. Supponunt poſſe compati dominium duplex apud duos homines pro vno inſtanti eiuſdem rei; nempe pro illo, in quo Petrus dat librum Paulo, tunc enim vterque eſt Dominus. Nam reuera pro illo inſtanti Petrus qui dat librum, eſt Dominus illius, aliter illum donare non poſſet; nemo enim dat, quod non habet, vt definitio dominij, quod eſt facultas plena vtendi re ſine iniuria alterius, ſatis commendat. Petrus autem tunc habet illam facultatem, quia tunc poteſt alienare librum, & non alienare. Ergo in actu primo habet facultatem vtendi libro. Ergo dominium habet. Deinde Paulus, qui accipit librum, eſt etiam Dominus pro illo inſtanti, taliter, quòd ſi poſſet inſtantaneè agere Angelico more, poſſet tunc Paulus dare librum alteri.

Verùm, vt duplex hoc dominium, pro vnico inſtanti apud duos homines conſtitutum, ea probabilitate, qua par eſt, perfundatur, vt ex illa non immodicè dominium Dei cum Chriſto in actiones illius coniungamus, decreui, ſcrupulum quemdam auellere, ex cuius ſolutione magis ac magis eius probabilitas collucebit. Dices, hæc duo dominia eiuſdem libri in ſolidum apud duos homines conſiſtere non valent; etenim donatio libri, & translatio dominij, quod habebat Petrus in Paulum, cui liber donatur, hæc tranſlatio dicit Petrum abdicare dominium, & illud apud Paulum conſtituere; in inſtanti autem, in quo Petrus dominium abdicat, deſinit eſſe Dominus libri, & dominium, quod in illo præceſſit, interimit. Ergo in inſtanti, in quo donat Petrus librum, non manet illius libri Dominus.

45. Huic ſcrupulo ſicut fas erat, non ita exactè Authores huius duplicis dominij ſatisfaciunt, ſed in illorum gratiam ſic illi occurrendum exiſtimo. Videtur enim repugnare, me in hoc inſtanti rem donare, & in eodem inſtanti me illius rei pro eodem inſtanti dominio abdicare, quia eam donare eſt vti meo dominio, & me tamquam rei Dominum gerere. Ergo implicat dominium in eodem inſtanti à me corrumpi dominium, & à me abdicari, vſus enim dominij ſupponit dominium in eo inſtanti exiſtens, in quo ipſe vſus eſt; Ergo implicat dominium in hoc inſtanti per hunc vſum corrumpi. Sicut vniuerſaliter repugnat actionem procedentem ab hoc principio eſſe deſtructionem eiuſdem principij, aliàs in eodem inſtanti principium illud exiſteret, quia ſupponitur ad actionem, & non exiſteret, quia corrumperetur, & actio procederet à principio non exiſtente, & exiſtens ſupponeret principium; quod in eo inſtanti non exiſteret, quia in eo corrumperetur, & eſſet illius corruptio, quæ eſt deſitio exiſtentiæ termini corrupti, & cum tali exiſtentia opponitur, ſicut priuatio cum ſuo habitu.

46. Nunc autem reſpondeo replicæ. Petrum in inſtanti, in quo librum donat, conſtituere donatarium, Dominum illius libri, quæ conſtitutio eſt actus mei dominij, & ita illud ſupponit

exi

exiſtens in inſtanti, in quo talis conſtitutio eſt, abdicationem verò dominij Petri non eſſe in illo inſtanti, ſed in ſequenti, quia in inſtanti ſequenti incompoſſibile eſt dominium Petri cum dominio Pauli donatarij circa eumdem librum donatum; hæc autem abdicatio non ſupponit dominium exiſtens in inſtanti, in quo ipſa eſt, quia non eſt actus dominij, ſed illius recuſatio. Sicut actus, quo nolo acceptare rem oblatam, vt illins Dominus conſtituar. Vnde talis actio tantùm reſpicit dominium, vt obiectum, non vt principium, à quo dependet, ſicut donatio libri dependet à dominio tanquam à principio. Contingit ergo abdicatio dominij Petri, in inſtanti immediatè ſequenti poſt donationem propter rationem prædictam; necnon quia voluntas donandi iu hoc inſtanti, eſt voluntas me abdicandi dominio non pro hoc inſtanti, ſed pro ſequenti, hoc eſt, eſt voluntas quam habeo in inſtanti donationis, carendi dominio non in illo inſtanti, ſed immediatè ſequenti.

47. Ad rem ergo deuenientes aſſero, me hîc non definire veritatem huius opinionis, hoc duplex dominium in ſolidum eiuſdem rei apud dnos homines reponentis. Imo fateor, me hoc duplex domininm renuiſſe ſemper, tamen non diffiteor, illam eſſe valde probabilem apud RR. iudicatam, atque adeo illam vt probabilem, tum ex principiis intrinſecis, quibus innititur; tunque ab extrinſeca tantorum, virorum authoritate, à qua protegitur, prædico. Vnde ſuppoſita eius probabilitate, talis qualis fuerit, & in hypotheſi, quòd apud duos homines dominium in ſolidum eiuſdem rei collocetur, teneo potiori titulo eſſe admittendum duplex dominium apud Deum & Chriſtum, reſpectu earumdem Chriſti actionum: ſicque omnia argumenta hucuſque facta faciliorem exitum obtinebunt. Dico ergo, quòd cùm voluntas Dei indiuiſibiliter permaneat, manere etiam dominium tempore ſequenti, non alio modo ac Petrus manet Dominus pro primo inſtanti, quo dat librum, quia ſicut in Petro, pro illo inſtanti reperitur facultas ſimpliciter vtendi libro, ſine iniuria alterius, quæ eſt eſſentia dominij; ſic in Deo, per æternitatem manet, hæc eadem facultas circa rem promiſſam, quia per æternitatem illa voluntaa Dei eſt libera, atque adeo hîc & nunc eſt verum dicere. Deus ſimpliciter & abſolutè poteſt velle promittere Chriſto tale opus. Ergo nonc poteſt Deus ſimpliciter negare illud opus Chriſto ſine eius iniuria, nam licèt ex ſuppoſitione, quòd Deus vult illud ius dare Chriſto, deberet illud ſeruare illæſum; tamen ſimpliciter & abſulutè poteſt nolle promittere, nolle obligari, nolle dare ſine iniuria Chriſto, quæ facultas ſimpliciter ſufficit ad rationem pleni dominij; licèt non detur poteſtas ex ſuppoſitione, vt ſuprà docuimus in humanis contingere. Vnde eo ipſo quòd admittatur poſſe duos homines eſſe in ſolidum dominos eiuſdem rei, optimè infetur, poſſe Deum & Chriſtum earumdem Chriſti operationum Dominos extare, cum hac tamen differentia, quòd apud hominem donantem ſolùm ſit pro vno, primo ſcilicet inſtanti donationis dominium rei donatæ, Deus tamen eo ipſo quòd in primo inſtanti promiſſionis ſit Dominus, pro toto tempore Dominus perſeuerauit, quia etiam pro reliquo tempore perſeueraret eadem libertas formalis, & potentia ſimpliciter ad non ſe obligandum, & negandum ſine iniuria, licèt hæc poteſtas non maneat in homine ſe obligante, niſi pro primo donationis inſtanti.

48. Ex his præcipua ratio, cui cæteræ, quæ contra rationem conlcuſionis noſtræ Authores formant, innituntur, corruit. Vt enim probent, Deum oon manere Dominum, hoc diſcurſu vtuntur, quia eo ipſo, quòd maneat Deus ex iuſtitia obligatus, ſequitur, eſſe veram hanc conditionalem, ſi Deus negaret, quod promiſit, faceret iniuriam. Ergo eo ipſo non eſt Dominus, quia Dominus eſt, qui poteſt plenè vti re ſua in omnes vſus ſine vllius iniuria. Antecedens enim eſt diſtinguendum. Si Deus negaret, quod promiſit in ſenſu diuiſo faceret iniuriam, nego; ſi negaret, quod promiſit io ſenſu compoſito, concedo: & nego conſequentiam. Quia ad perfectum dominium ſolùm requiritur facultas ſimpliciter vtendi ſine iniuria, quam quidem Deus haberet, etiã quando ſe obligaret, quia etiam quandò ſe obligauit, ſimpliciter poterat ooo ſe obligare, atque adeo negare illam rem ſine iniuria; non verò requiritur, quòd poſſit vti ſine iniuria etiam ex ſuppoſitione, quòd vult ſe obligare. Quod quidem eſt euidens in ſententia, quam vt probabilem ſupponimus, conſtituente apud homines duos dominium in ſolidum pro illo inſtanti Primo donationis; nam in tali caſu ille eo ipſo, quòd librum donat, faceret iniuriam, ſi illum retineret donatario inuito, & tamen in hac ſententia manet ipſe donans pro illo inſtanti eiuſdem libri Dominus. Ergo noo requiretur, vt Deus maneat Duminus præmij Chriſto promiſſi, quòd poſſit vti illo præmio ſine iniuria Chriſti, etiam ex ſuppoſitione, quòd Deus ſe obligauit ad illud conferendum, ſed quòd dum illud Chriſto promiſit, poſſet non promittere, & poſſet non ſe obligare, atque adeo negare Chriſto præmium ſine illius iniuria; & cùm de Deo pro quolibet inſtanti æternitatis verificetur, quòd poſſit non ſe obligare Chriſto, quia illud nunc, quo ſe obligauit, ſemper eſt præſens, atque adeo liberum decretum promiſſionis, de cuius ratione eſt, quòd dum elicitur, poſſit antecedenter noo elici, fit, quòd pro quolibet inſtanti æternitatis ſit verum dicere, quòd Deus maneat Domious illios præmij Chriſto promiſſi.

49. Verùm alia ſupereſt via replicis contra rationem conclnſionis factis occurrens. In qua nullum petitur ſuffragium à dominio illo, quod inter duos homines, vel Angelos inueniatur. Hoc enim etiam pro vnico inſtanti artiſit nunquam. Igitur aſſerimus duo. Primum; Deum promittentem Chriſto remunerationem ſub onere, manere obligatum ex iuſtitia ad illam remunerationem, atque adeo Chriſtum, onus illud adimplentem, acquiſiuiſſe ius aduer-

ſus

ſùs Deum, vt remuneraretur. Secundum, etiam ſuppoſita promiſſione illa, & obligatione remonerandi, manſiſſe Deum Dominum ſupremum illius remunerationis, taliter, quòd abſolutè poſſet talem remunerationem, ſeu præmium Chriſto denegare, ſine eo quòd illi iniuriam intuliſſet. Ex his primum latè dedimus in notabilibus ex toto diſcurſu rationis pro concluſione. Secundum verò, prima, vt aiunt, facie, videtur terminis ipſis repugnare; Verùm, hanc repugnantiam ſtatim obiiciendam liqua auotabilia præcludent.

Igitur ſtatim pulſat animum difficultas conciliandi hæc duo aſſerta. Si enim in primo Deum, ex vi promiſſionis Chriſto factæ, verè ex iuſtitia obligatum pronuntiamus, necnon Chriſtum, ex vi promiſſionis diuinæ, acquiſiiſſe verum ius aduersùs Deum defendimus. Quomodo in ſecundo aſſerto, tutamur Deum negantem remunerationem Chriſto promiſſam, illi iniuriam minimè illaturum? Hæc enim impoſſibilia ſunt. Etenim tota difficultas, in quam tota diſputatio contendit, eſt, *an Deus referens præmium Chriſto, reſpiciat ius aliquod ex parte Chriſti ſe tenens, quo ſic Deus obligetur, vt non referens præmium vim inferret ipſi Chriſto?* Ex iure enim, quod creatura vel Chriſtus habet in Deum, tota ratio propriæ iuſtitiæ eſt in Deo explicanda. Quod non poteſt meliùs colligi, quàm facta ea ſuppoſitione impoſſibili, an ſi Deus non tribueret præmium, vim merentibus inferret; ſi enim vim non inferret, planè ius non haberent, ſi verò ius haberent, negato præmio vis infertur. Ergo eo ipſo, quòd in primo aſſerto defendamus, Chriſtum acquiſiuiſſe ius aduersùs Deum, vt remuneretur remuneratione præmij, onerosè ſibi promiſſi, non poſſumus defendere in ſecundo aſſerto, Deum negantem Chriſto præmium promiſſum, ad quod habeat ius, illi nullam irrogaſſe
50. iniuriam.

Fateor hanc rem eſſe adeo compoſitu difficilem, vt vix inueniatur Author, qui illam attemperauerit ſufficienti vocum periodo; noſtra verò intereſt, hæc duo ita componere, vt difficultate deuicta, nullam aduersùs nos in Authoribus ſecundum aſſertum inuidiam conciliet. Dicimus ergo caſu, quo Deus negaret Chriſto præmium, ad quod ius habebat ipſe ex vi promiſſionis onerosæ, nullam illi iniuriam intuliſſet. Quod vt oſtendam, nota, certum eſſe Deum gerere poſſe formaliter eminenter munia, quæ ſibi viciſſim pugnant exerceri in naturis, & ſuppoſitis inferioribus; quod quia clarum, alia probationis luce non eget; æquè certum exiſtimo virtutes plures eſſe in Deo aliter, ac in creaturis rationalibus, in his formaliter deficientes, in Deo eminenter formaliter, & quia ſic in Deo inuentæ, pluribus imperfectionibus, quæ dictas virtutes in creatis comitantur, orbari dicuntur. De his ſuppetebant exempla, quorum aliqua dum ſermonem ſpecialiùs efferamus, ſubiiciam. Vnde quærentes 1. *part. quæſtione vigeſima prima*, cum diuo Thoma, Doctores, *an in Deo virtutes morales miſericordiæ & liberalitatis, inueniantur?* Reſpondent, illas inueniri formaliter eminenter, & per ly *eminenter*, nolunt intelligere, quòd minùs propriè ac in creatis prædictæ virtutes in Deo inueniantur, ſed abſolutè illas cum omnimoda proprietate inueniri profitentur; ly enim *eminenter* ſonat, ipſas virtutes morales eſſe ita propriè in Deo, vt ſecluſis imperfectionibus, quæ illarum in creatis ſunt comites, reperiantur in ipſo. Exemplum pono, in creatis; actus miſericordiæ, & liberalitatis à creatura minimè exerceri valet abſque priuatione, & tranſlatione dominij rerum, quæ eſt materia talium virtutum; & tamen plures actus miſericordiæ & liberalitatis propriæ exequitur Deus, licèt non transferat dominium illarum rerum cum abdicatione earumdem. Sic enim hæc omnia applica pro tutanda iuſtitia ſtricta & propriè in Deo, quæ licèt in creatis ſecum vendicet imperfectiones plures, tamen in Deo illis cum proprietate ſpoliabitur; in creatis transfertur dominium ab hoc in alium cum priuatione dominij; in Deo licèt detur tranſlatio dominij, abdicatio illius à Deo non datur. Vnde quando iuſtitia ex Vlpiano *in l. Iuſtitia, ff. de Iuſtitia, & Iure*, & Iuſtiniano *eodem titulo* definitur *conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens*, non eſt intelligenda, quòd de conceptu eſſentiali Iuſtitiæ propriæ à formali creata, & formaliter eminenti, quaſi abſtractæ, ſit, quòd illud ius neceſſariò alienetur à dominio donantis, vt ſic dicatur tranſire in dominium donatarij; vnde hæc alienatio dominij non eſt de intrinſeca ratione iuſtitiæ in communi, abſtractæ à creata, & increata; ſic n. accepta abſtrahit, & dum contrahitur ad eſſe creatæ iuſtitiæ priuatæ, dictam abdicationem & alienationem dominij importabit, dum exercetur apud duos homines priuatos; cùm verò ad eſſe increatæ iuſtitiæ contrahitur, petet communicationem dominij, hoc eſt, communicare Deum ſuum dominium alteri, atque adeo iuſtitia propria abſtrahens à creata, & increata ſolùm dicet dare ius alteri, abſtrahendo à donatione iuris, quæ fiat media communicatione, vel quæ fiat media alienatione dominij. Iam diu hanc rem hac exiſtimatione eleuabam; de ratione generationis eſt, vt producat ſimile in natura; quòd verò hæc ſimilitudo fundetur in diſtinctione reali naturæ productæ à producente, vel non, eſt extra rationem eſſentialem generationis à creata & increata abſtractæ. Vnde licèt in rebus creatis, generatio ſemper inuoluat diſtinctionem, ſeu quamdam alienationem naturæ, in diuinis datur vera, propria, & ſtricta generatio filij, ſine tali diſtinctione & alienatione naturæ, ſolùm per hoc, quod natura Patris communicetur filio ſine eo, quòd talis natura alienetur, ſeu diſtinguatur à Patre. Generatio verò propria in communi, quæ harum generationum eſt commune diuiſum, ſiſtit ſolùm in hoc, quòd eſt eſſe productionem ſimilis in natura, abſtrahendo ab hoc, quòd hæc ſimilitudo filij fundetur in diſtinctione naturæ, & eius alienatione à ſuppoſito Patris, & ab hoc

hoc quòd fundetur in communicatione eiuſdem naturæ Paternæ. Similiter ergo licèt in humana iuſtitia, quam quia ſolùm cognitam ab Vlpiano, ſolùm illam definiuit, illud quod datur, alienetur, & diſtrahatur à dominio, & poteſtare donantis; in iuſtitia autem, quam habet ſeu exercet Deus erga nos & Chriſtum, ſufficiet, quòd id ipſum, quod Deus dat, maneat ſub dominio accipientis, licèt non alienetur à dominio Dei donantis. Inſtantia hæc non malè viſa eſt apud ſapientes Complutenſes Reuerendos dum illa contrariam opinionem impugnaui.

51. Ex his inferes euidenter, Deum etiam, ſuppoſita promiſſione de Chriſto remunerando, manſiſſe Dominum ſupremum dictæ remunerationis promiſſæ; quia cùm ex vi promiſſionis diuinæ, Deus non abdicauerit dominium à ſe præmij, ſed ad ſummum communicauerit illud Chriſto, medio iure, quod virtute promiſſionis acquiſiuit, fit, Deum manſiſſe Dominum præmij, adhuc ſuppoſita promiſſione, & iure Chriſti in præmium. Ergo, adhuc ſuppoſita promiſſione Dei, & iure in præmium, quod acquiſiuit Chriſtus, potuit vti Deus illo ad omnes vſus ſibi poſſibiles, prout maluerit abſque iniuria Chriſti. Iſta conſequentia ex dictis infertur, & ex ſtatim dicendis non exiguum incrementum hauriet, quæ vt clariùs confirmetur, notare debes, quòd caſu, quo Deus facta promiſſione de remunerando Chriſto, non præmiaſſet, aliquid contra ius Chriſti faceret, ſed nullam iniuriam illi irrogaret: Primum, quia in tali negatione præmij non annueret Deus iuri, quod, vt præmiaretur à Deo, Chriſtus habebat, virtute enim iſtius iuris exigebat Chriſtus præmium. Ergo Deo denegante illud, aliquid Chriſto eueniebat contra ius, & exigentiam eius. Secundum patet, quia cùm in illud idem præmium Deus & Chriſtus extiterint Domini, vnicuique competere debet ius vtendi præmio, & cùm inter hæc dominia, quod ſupremum eſt, præualere debeat, fit, Dominium Dei in præmium, eſſe potentius dominio Chriſti in ipſum. Vnde ius quod habet Chriſtus, vt remuneretur, eſt ſubordinatum iuri ſupremo Dei reſpectu eiuſdem remunerationis; atque adeo caſu quo Deus denegaret Chriſto præmium, violentiam moralem non inferret, nec iniuriam; quia ius quod habet Chriſtus, vt remuneretur, licèt ſit ſtrictum & proprium, tamen in illo ſubordinario reſplendet, & latitat in eo conditionalis quædam exigentia, videlicet niſi aliter ſupremus Dominus diſpoſuerit.

52. Hæc omnia explico. Creaturam quamcumque rationalem (intellige Chriſtum etiam vt hominem) quamtumcumque enitatur operationes egregias, etiam ex gratia Dei, exercere, nullum ius habere in remunerationem earumdem, atque adeo ſolius Dei eſſe illis præmia conferre, & ordinare, quòd opera hæc ſint merita, pretium, & labor. Et quòd hoc vel illud præmium ipſorum præfigatur, necnon & quòd hoc propter illud detur. Vnde cùm Deus poſſet hominibus conferre ex mera liberalitate, & pura miſericordia, decreuit illam ex fine iuſtitiæ exhibere, & vt hoc exequeretur, diſpoſuit creaturæ rationali conferre, ſeu communicare ius in illam, & quia hoc ius ex ſe ad præmium non habebat, pactum & conuentionem cum ipſa ſub onere bonorum operum iniuit, quo poſito acquiſiuit creatura ius aduersùs Deum, vt illud bonum ex iuſtitia conferretur illi, hoc eſt; acquiſiuit ius creatura, vt ſuppoſita promiſſione, collationem illam præmij operaretur ex fine iuſtitiæ, vel clariùs, acquiſiuit ius, vt Deus conferens bonum illud; iuri priuato creaturæ proſpiciat. Verùm hoc non ſufficit ad inferendum iniuriam creaturæ caſu, quo illi ſuppoſita promiſſione præmium denegaret, quia ipſa non habuit ex promiſſione aliud ius aduersùs Deum, niſi quòd eo ipſo quòd Deus vellet præmium conferre, ſuam iuſtitiam diuinam exerceat, & ſuo priuato iuri conſulat, non tamen acquiſiuit ius vt caſu, quo præmium promiſſum denegaretur illi, aliqua iniuria inferretur, quia hoc eſſet contra naturam iuris, quod aduersùs Deum illi communicauit ipſe, & cuius creatura eſt capax. Hæc enim, quia eſſentialiter omni iure aduersùs Deum ex ſe vacua eſt non aliud ius in Deum habere valet, quàm quod ipſe communicare voluerit. Deus autem nec promiſſione, pactove, aut conuentione poteſt communicare creaturæ, ius tanti ponderis, vt ab ipſo abdicet poteſtatem vtendi re promiſſa ob alium finem ſibi probè cognitum. Ergo dum illam rem promiſſam Deus denegaret Chriſto, aut creaturæ, iniuriam illi minimè irrogaret, quia ſuo vniuerſaliſſimo iure vteretur.

Sed obiicies cum Ripalda. Hoc litem hanc 53.
non deſtruere. Hæc enim eo deuoluitur, vt quærat, an Deus ita ex iure creaturæ obligetur ad conferendum præmium, vt illud non referens, illi iniuriam irrogaret? Quòd autem iſte ſit litis ſenſus perſuadet ſibi. Etenim ſi vim Chriſto vel creaturæ non induceret, planè ius in illis non inueniretur. Ex alia parte ſi ius in illis inuenitur ad præmium. Ergo denegando præmium vis illis inferretur. Hoc enim modo & non alio ius iuſtitiæ vnius hominis in alium communiter colligitur. Ergo cùm nos defendamus, Deum denegantem Chriſto promiſſum præmium, illi nullam iniuriam illaturum fore, optimè infertur, Chriſtum nullum ius acquiſiuiſſe aduersùs Deum, nam ſi illud haberet, negato præmio, vis Chriſto neceſſariò inferretur. Ergo dicere ius Chriſtum habere in remunerationem, & quòd Deus non inferret iniuriam, caſu quo illi præmium denegaret, eſt difficultatem impropria reſolutione dirimere.

Iam

54. Iam enim oſtendi quomodo ſtent hæc duo, & Deum negantem præmium promiſſum, nullam inferre creaturæ vim, aut iniuriam, & creaturam, vel Chriſtum habere ius ad præmium à Deo ſibi promiſſum. Nec dubium aliter eſſe reſoluendum exiſtimo, etiam in ſententia Ripaldæ; etenim hic Author vbi ſuprà *ſectione ſecunda, numero octauo*, determinat controuerſiam hanc non eſſe, *an Deus ſic obligetur ex iuſtitia, vt à ſe abdicet dominium præmij quod confert?* Etenim in hoc ſenſu, ait Ripalda, omnes tenent Deo repugnare iuſtitiam, quia eſt certum apud Authores omnes, iuſtitiam in Deo defendentes, impoſſibile eſſe dominium abſolutum Dei eſſe ab ipſo abdicabile, quia eſt attributum ipſi neceſſarium, nulla ratione libero diuino ſubiectum, atque adeo ait hic author, difficultas iſta potiſſimùm contendit, *an hoc ſupremum dominium Deo neceſſarium, poſſit componi cum obligatione iuſtitiæ, quam ius meritorum Chriſti & creaturarum imponat Deo ad retribuenda præmia.* Ea his infero, quæſtionem non eſſe deuoluendam, *an ſcilicet Deus ſic obligetur ex iuſtitia ad remunerandum, vt caſu, quo non remuneraret, iniuriam inferret Chriſto vel creaturæ habentibus ius in præmium?* Quod ſic ex Ripalda & cunctis noſtram ſententiam defendentibus conficio. Etenim ideo iuxta illos non poteſt in primo ſenſu eacirari hæc quæſtio, qoia Deus ſic obligatus ex iuſtitia non abdicat dominium abſolutum illius præmij, quod confert. Ergo ſentiunt, quòd obligatus ſic ea iuſtitia, adhuc manet Dominus ſupremus illius præmij. Ergo ſentiunt quòd ſtante iure Chriſti vel creaturæ ad præmium, poteſt vti Deus præmio illo prout maluerit, ad vſus quoſlibet illi probè cognitos, ſine iniuria Chriſto vel creaturæ illata. Patet euidenter, Dominus ille alicuius rei in ſolidum eſt, qui illam poteſt dare, vel negare citra iniuriam alteri factam, vt patet ex definitione dominij in ſolidum, quam frequenter hi Authores adducunt, & admittunt. Ergo ſi Deum ex iuſtitia obligatum ad retribuendum intuitu iuris, quod habet creatura in præmium, Dominum abſolutum & in ſolidum illius præmij prædicant, etiam vt ſic obligatum ex iuſtitia, & non obſtante eodem iure, quod in illud Chriſtus vel creatura habet, verè potentem illud negare, ſine iniuria Chriſto illata vel creaturæ, prædicare tenentur. Ergo eo modo, quo cum obligatione ad retribuendum, componunt in Deo dominium abſolutum eius in idem præmium, eodem inquam modo, cum eadem obligatione ad retribuendum, componere debent in Deo poteſtatem in ſolidum abſolutam, qua poſſit negare præmium ſine iniuria Chriſto vel creaturæ inferenda, cùm idem ſit apud omnes, aliquem eſſe Dominum in ſolidum alicuius rei, ac potentem eſſe vtendi eadem re, prout maluerit ſine iniuria alterius. Ergo noſtra reſolutio non tam ſenſui quæſtionis correſpondet, ſed illam hos Authores, velint, nolint, debere tutari ſufficienter coniectatum relinquo, aliàs ſibi ipſis contrarios euaſuros eſt neceſſe.

55. Nec miremini Deum obligatum ex iuſtitia, adhuc potentem denegare præmium abſque iniuria Chriſto vel Creaturæ inferenda ore pleno euulgeious, cùm ipſum adhuc ſic obligatum ex iuſtitia verum ſupremum Dominum eiuſdem rei promiſſæ toto corde colamus; Nec huius myſterij deſunt in humanis veſtigia, quibus hanc veritatem amplius commendare poſſimus. Etenim Chriſtus, vt homo, poterat ea vi contractus hæreditatis, laboris vel induſtriæ, acquirere dominium priuatum alicuius rei, quam poſtea alteri promiſſione oneroſa promittere valebat, ea vi cuius promiſſionis certa ſunt duo, & ipſum ex iuſtitia obligatum manere ad rem illam promiſſario exhibendam, & promiſſarium ea vi promiſſionis acquiſiuiſſe ius aduersùs Chriſtum, vt hominem, vt illi talem rem præſtaret. At non obſtantibus obligatione à Chriſto contracta, & iure ab alio aduersùs Chriſtum acquiſito, poterat Chriſtus illam rem promiſſam abſolutè negare promiſſario, nullam illi iniuriam inferendo. Et hoc ideo, quia Chriſtus habebat dominium excellentiſſimum, non ſolùm iuriſdictionis, ſed proprietatis omnium rerum, vi cuius poſſet qualibet re, quamuis aliàs à ſe promiſſa, vti, prout ſibi maluiſſet abſque iniuria alterius hominis promiſſarij. Hoc enim dominium, quia excellentius omni alio puri hominis priuato, in cauſa erat, vt nullam iniuriam Chriſtus alteri homini irrogaret, quamuis rem promiſſam non conferret. Chriſtum Dominum hoc excellentiſſimo dominio frui, titulo proprio vnionis hipoſtaticæ cum Deo, docet Mendoza *primo Regum, capite ſecundo, numero octauo, annotatione decima quinta, ſectione tertia, numero vigeſimo ſecundo, & vigeſimo tertio.* Rurſum hoc ipſum in Regio dominio experimur. Rex enim ſi ex vi contractus, aut ex alio debito, alicui conferat ingentem pecuniæ ſummam, & facta pecuniæ collatione, eamdem dempſerit ab ipſo homine, nullam iniuriam inferet illi, ſi dicta pecuniæ ablatio communi bono deſtinetur. Et hoc cur? quia dum Rex ſummam pecuniæ per contractum donauit, à ſe altum & excellens dominium non alienauit, & quia ſuperſtes Dominus manebat donatione ſuppoſita, poterat adhuc ſuppoſita vti pecunia prout ſuo delectui liberet, dummodo communi bono proſpiceret.

56. Ex bis deprehendes rationem, cur homo cum alio contrahens, non poſſit de re contracta vti ſine iniuria alterius, vt Deus de re promiſſa poſſit vti, prout illi bene viſum fuerit, abſque iniuria Chriſto vel alij creaturæ irrogata, ratio ergo eſt in promptu, quia quilibet priuatus homo promiſſione emiſſa, maximè oneroſa, transfert dominium ſuum in promiſſarium, abdicando à ſe dominium; ita vt eo inſtanti, qoo incipit promiſſarius Dominus eſſe, promittentis dominium totaliter ſpirat. Cùm ergo eius dominium, facta promiſſione

eua

euaneſcat, rei promiſſæ non manet Dominus, bene tamen promiſſarius, atque adeo non poterit de re ſemel ſub onere promiſſa diſponere, prout maluerit, citra promiſſarij iniuriam; Contrarium euenit in Deo potiori titulo, quàm in Chriſto vt homine, & Rege diximus contingere, cùm Altiſſimo & eminentiſſimo dominio in res omnes creatas perfungatur, à quo minimè abdicari prædiximus latè ſuprà. Ergo quantumuis rem ſemel Chriſto promiſſam denegaret, illi nullam iniuriam inferret, quia id faceret ob altiſſimos fines nobis ignotos ſibi tamen probè cognitos, vel eo fine motus vt ſua potentiſſima dominatio in creaturas eluceſcerét, quia ſi Rex ob dominium altum; retentionem rei promiſſæ Petro, ab iniuſtitia purgat, ſtrictiori iure dominium altiſſimum Dei Regum Regis, retentionem præmij Chriſto, vel creaturæ promiſſi, ab iniuſtitia liberabit.

57. In hanc ſententiam ſic à nobis expoſitam, voco Ripaldam ſuprà citatum, qui licèt mediam viam arripuiſſe præſumat, tamen illum in re non nouam, ſed vetuſtam, à pluribus antiquioribus Thomiſtis edoctam (quos legere quiuis poterit, illos nunc examinare non vacat) nouis verborum formulis, tametſi ingenioſis, veſtitam in medium edidiſſe ſuſpicor. Sententiam eius ſic ex illo fideliter referam; aſſerit, *ſect.* 3. *num.* 14. Deum non poſſe obligare ex ſtricta iuſtitia, ſuam potentiam moralem abſolutam, & ſupremam, conſulentem bono excellentiæ diuinæ. Rurſum obligare poſſe poteſtatem moralem ordinariam, & rebus creatis connaturalem, conſulentem bono creaturarum, tam communi, quàm priuato. Prior poteſtas eſt, qua Deus nullis adſtrictus legibus & exigentiis creaturarum, operatur ſupra earum exigentias pro arbitrio & bono ſupremæ excellentiæ. Poſterior verò poteſtas eſt, qua iuxta creaturarum exigentiam operatur, conſulens ipſarum bono. Plura hic author miſcet quæ lato examini traderem, ſi non accuſaret prolixitas. Satſit ſcire, id, in quo ſibi arrogat Authoris nomenclaturam, iamdiu exaratum apud Authores noſtræ ſententiæ Patronos conſpicies, etenim hi toti ſunt in concedendis duobus, & Deum manſiſſe ex vi promiſſionis oneroſæ Chriſto factæ ex iuſtitia obligatum ad præmium, & Deum ex vi promiſſionis non abdicaſſe dominium abſolutum eiuſdem præmij. In hoc ipſum recidit modus dicendi Ripaldæ, dum ex vna parte ſolam poteſtatem ordinariam Dei ex vi promiſſionis edocet obligatam, & poteſtatem abſolutam, ab obligatione prædicta liberam pronuntiat. Etenim quæſitus hic Author. *Cur Deus ſuam poteſtatem abſolutam ex vi promiſſionis ex iuſtitia non obliget?* Reſpondet, *Quia cum Deus ſupremum dominium abdicare nequeat, etiam ſuppoſita promiſſione, ſupremus Dominus manere debet, quod nequit componi, ſi ex vi promiſſionis, ſuam poteſtatem & ſupremum dominium, obligaret.* Ecce noſtra ſententia in re vna, licèt vocibus ab eius placito diſcordet. Fateor hanc rem penitius præ omnibus antiquioribus illuſtraſſe, & quæ à noſtra ſententia diſſita conſcripſit, alibi enodanda ſuſcipiam.

Sectio III.

Argumentum deſumptum ex impoſſibilitate Iuſtitiæ in Deo.

TAmetſi plura quæ in ſententiam noſtram obiici poſſunt, maneant ex prædictis denicta, tamen aliqua ex illis reiterabo, vt plenius reſpondendi forma illis applicari poſſit. 58. Argues ergo cum Lugo & Ripalda citatis ſuprà, vel poſito illo iure (quod diximus Chriſtum acquiſiuiſſe ex vi promiſſionis) in Chriſto vt remuneretur à Deo, poteſt Deus ſine iniuria Chriſti illum non remunerare. Vel non poteſt. Si poteſt. Ergo Chriſtus non habet ius aduerſus Deum, vt remuneretur, patet, quia me habere ius aduerſus aliquem, eſt in cauſa, vt ille alter nequeat ſine iniuria mihi irrogata diſponere de re illa, de qua proprio iure ſum Dominus. Si non poteſt ſine iniuria Christo illata illi præmium negare. Ergo Deus non manet Dominus perſectus illius præmij. Probant conſequentiam. Etenim dominium plenum, eſt facultas moralis vtendi re ſine iniuria alterius in omni caſu poſſibili. Sed hanc facultatem in noſtra ſententia Deus non haberet, ſi obligaretur ex iuſtitia ad remunerandum opera Chriſti; non enim talem remunerationem Chriſto promiſſam, poſſet Chriſto negare abſque iniuria irrogata illi. Ergo poſito illo iure in Chriſto, vt à Deo remuneretur, deſtruitur plenum dominium in Deo reſpectu prædictæ remunerationis.

59. Hæc obiectio adeo Authores noſtræ ſententiæ tam RR. quàm antiquos contorſit, vt in eius enodationem in varias vias diſperſos conſpexerim, ſed illas inaquoſas eſſe ſcopulis armatas comperies, ſi *dicta ſect.* 2. retro ſed ſerio animo legas, ibi ſolutiones omnes, quas Thomiſtæ cuncti huic obiectioni adhibent, fideliter retuli, quas acriter impugnatas dictaui. Verùm ex dictis aliam viam arripuiſſe licuit, cuius ope facilè huius obiectionis neruos præcidam. Reſpondeo ergo in forma, concedens illam partem dilemmatis, videlicet poſſe Deum ſuppoſito illo iure Chriſti in remunerationem, negare illam abſque iniuria irrogata Chriſto. Ad probationem nego conſequentiam. Ad probationem ex hominibus deſumptam, patet ex dictis latè *ſectione ſecunda*, vbi aſſignaui ingentem diſparitatem eſſe in iure, quod quis in alium habet ex vi promiſſionis, à iure quod nos vel Chriſtus aduerſus Deum acquirimus ex vi promiſſionis diuinæ. Lege illa, & ſatisfies.

Sed occurres, vel ſuppoſito iure in Chriſto, vt remuneretur, poſſet Deus denegare præmium contra ius Chriſti, vel non. Hoc vltimum eſt impoſſibile, quia implicat ius in aliquam rem, & quod eius negatio non ſit contra prædictum ius, ſicut in phyſicis, quia vna forma naturaliter exigit alterius oppoſitæ expulſionem, implicat illas in vnum conuenire, & quòd talis conuentus non ſit contra illarum exigentiam. Ergò ſi Chriſtus habet ius vt remu-

neretur, implicabit, Deum talem remunerationem negare, &, quòd dicta præmij negatio non ſit contra prætactum ius Chriſti. Ergo debemus concedere primum, nempe caſu quo Deus denegaret præmium Chriſto, ad quod ius haberet ipſe, faceret Deus contra ius Chriſti. Tunc ſic, ſed non poteſt fieri aliquid contra ius alterius, quin fiat iniuria illi tale ius habenti. Ergo ſi ſemel concedamus Deum denegantem Chriſto præmium, ad quod ius habebat ipſe, facere contra illius ius, debemus admittere talem præmij negationem inuoluere eſſentialiter iniuriam Chriſto illatam. Probatur minor ſubiuncta. Ideo, dum homo negat rem alteri habenti ius ad illam, infert iniuriam illi, quia negatio talis rei fit contra ius, illud habentis. Ergo non poteſt fieri aliquid contra ius alterius, quin fiat iniuria illi, tale ius habenti.

60. Hanc replicam lato diſcurſu *ſect.* 2. præoccupauit. Ex ibi dictis concedo primam partem dilemmatis, nempe ſuppoſito iure in Chriſto ad præmium, negatio illius eſſet contra ius illius. Et ſubſumptam diſtinguo. Si inferens aliquid contra ius, ſit creatura, concedo. Si ſit Deus, nego. Et nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo ideo, dum homo negat rem alteri habenti ius ad illam, infert iniuriam illi, quia negatiò talis rei eſt contra ius alterius, præcisè, nego, quia negatio talis rei fit à non habente dominium illius rei, concedo. Et diſtinguo conſequens Ergo non poteſt fieri aliquid contra ius alterius, quin fiat iniuria illi, tale ius habenti, ſi inferens ſit creatura, omni dominio illius rei deſtituta, concedo, ſi inferens ſit Deus ſupremo dominio eiuſdem rei vigens, nego conſequentiam Vide ſectionem elapſam, quæ materiam huic formæ conſonam prælibauit.

61. Arguit Lugo vbi ſuprà *diſp.* 3. *ſect.* 1 *à n.* 24. Si enim Deus poſſit obligari ex iuſtitia, media promiſſione, ſequeretur, Deum etiam ex pacto, & promiſſione, poſſe fieri ſeruum creaturæ. Sed cum hoc non compatitur Deum eſſe Dominum ſupremum, non enim eſt eſſentialiter Dominus ille, qui fieri poteſt ſeruus eius, cuius eſt Dominus, ideo enim omnes negant in Deo virtutem obedientiæ, quia non poteſt vnquam habere ſuperiorem, cui debeat obedire. Ergo ſi Deus poſſet obligari ex iuſtitia, non eſſet perfectiſſimè Dominus. Sequelam probat, quia ſicut in noſtra ſententia, Deus poteſt obligari ex iuſtitia ad vnum opus faciendum volente Petro, ita poterit obligari ad duo vel centum, vel mille, eadem enim eſt ratio; poterit item obligari ad ſternendum ei lectum, ad condiendos ei cibos, ad miniſtrandum in menſa, ad alia omnia præſtanda, quæ Petrus voluerit. Quid tunc deerit Deo ad veram ſeruitutem? cùm hæc, vt dicimus, conſtituatur eſſentialiter per debitum iuſtitiæ, quo ſeruus ex iuſtitia debet ſuam operam exigente Domino.

Reſpondeo in forma, negando ſequelam. Ad probationem reſpondeo, noſtrã ſententiam defendere, Deum poſſe obligari ex iuſtitia ad vnum opus faciendum volente Petro, & volente Deo tanquam Domino operis illud exequi, concedo. Volente Petro ablato dominio à Deo ad illud opus exequendum, vel non exequendum citra iniuriam Petri. Nego. Illud quod in probationem huius adducitur, petit ſeruitutis eſſentiam definire, qua data conſpicuum erit, quantùm diſtet ſeruitus propria à Deo, quantumuis ex iuſtitia obligetur ipſe, ad faciendum opus volente Petro. Etenim ſeruitus ſtricta poſtulat, vt ita ſit iuris alieni propria, vt minimè perſona ſui iuris recenſeatur, atque adeo talis conditionis, vt nulla poteſtate valeat citra alterius iniuriam ſuas operas negare. Hoc enim, vt ex dictis latè conſtat, competere Deo nequit, quia Deus ita obligatur ex vi promiſſionis iuri alieno Chriſti, vel alterius creaturæ, vt maneat ſemper ſui iuris ſupremi, vi cuius valeat cohibere, & ſua opera negare Chriſto, vel creaturæ, citra iniuriam illorum. Vnde cùm obligatio hæc ſecum admittat hanc pleniſſimam poteſtatem in Deo, qualem ſeruitus totaliter depellit, fit compati bene Deum ex iuſtitia obligatum manere Chriſto, vel alteri creaturæ, & eſſe illius ſeruum repugnare ipſi.

Argues ſecundò de ratione ſtrictæ iuſtitiæ 62.
eſt, propriè reddere alteri, quod ſuum eſt, quia inintelligibile eſt redditio verè & propriè dicta, niſi redditor debens abdicet ſe dominio rei, & illud transferat in creditorem. Sed impoſſibilis eſt abdicatio hæc dominij in Deo, & illud in hominem transferre, tanquam in creditorem. Ergo impoſſibilis eſt Deo ſtricta iuſtitia. Hoc argumentum exactè ſoluitur recenſita *ſect.* 2. Ecce formam. Diſtingue antecedens. De ratione iuſtitiæ in communi eſt, propriè reddere alteri quod ſuum eſt, hoc eſt, conferre creditori dominium rei, quæ redditur, & æqualitatem cum iure ipſius ſeruare, abſtrahendo ab abdicatione, & non abdicatione dominij debitoris, concedo, abdicationem, vel non abdicationem dominij determinatè inuoluendo, nego antecedens, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Vide quæ latè dedi *citata ſectione.*

SECTIO IV.

Argumentum deſumptum ex prima conditione iuſtitiæ, contra noſtram concluſionem.

NOta, quatuor conſideranda veniunt in ſa- 63.
tisfactione exhibita. Primum, eſt res illa, pro qua ſatisfactio offertur, quam iam iniuria, iam damnum recenſetur, quod eſt in cauſa, vt ſatisfactio genus quoddã reſtitutionis iudicetur. Secundũ, perſona, quæ ſatisfacit. Tertium, res, per quam ſatisfactio quis exequitur. Quartum perſona, cui ſatisfactio perhibetur. Vt iſta omnia congruenter ſatisfactionem ex iuſtitia ingrediantur, aliquas conditiones aſſignant diſcipuli D. Th. *hic citati ſect.* 2. necnõ Scot. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *a.* 1. de quibus eſt acris inter Authores concertatio circa modum, quo ſatisfactioni Chriſti cõuenire debeãt. Quare non aliter congruentiùs res hæc manebit abſoluta, & concluſionem *anteced ſect.* 2. præfixam, firmiorẽ ſtabiliemus, quam numerando conditiones has, illaſque examini ſubiiciendo, ſicque argumẽta, quæ contra Chriſti ex iuſtitia ſatisfactionem RR. cum Vaſquio proponũt, reſponſum accipiant.

D.Th.

64. Diuus Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſtione 58. articulo ſecundo.* Primam conditionem ſtrictæ iuſtitiæ ſatisfactioni indidit, vt ſcilicet ſit ad alterum, & ſeriò hanc aſſignauit, etenim nemo aliquid ſibi debet, nec ſui creditor eſſe poteſt, latè hoc dedimus *tract. de vſuris,* §. 6. vbi tanquam firmam regulam iuris attulimus, neminem licere ſuipſius fideiuſſorem & aſſecuratorem eſſe. Secundam, ne ſatisfactio exerceatur inter patrem & filium, ſeruum & dominum, teſte Ariſtotele *in ethicis* 8. *cap.* 5. quam aliis verbis RR. proponunt, vt ſcilicet ſatisfactio ſit ad alterum iure. Tertiam, vt nulla interueniat gratia creditoris facta debitori in ipſa ſatisfactione, quidquid enim gratiæ fieret, minueret rigorē ſatisfactionis, quæ eò tendit, vt debitum penitus extinguat. Quartam conditionem, vt fiat ab ipſo debitore. Quintam, vt fiat ex propriis bonis, & non ex Creditoris bonis. Sextam conditionem, vt fiat ex indebitis. Septimam, vt Creditor teneatur eam admittere. Ex his redditur noſtra reſolutio valdè difficilis, & quia vnaquæque harum conditionum, eſt contrariorum ſingulare argumentum, ideo vt reſoluantur, ſingulis totidem ſectiones apponam, vt veritas hæc validiùs commendetur.

65. Nota, ſatisfactionem eſſe duplicem, aliam realem, & perſonalem alteram. Realem voco, quæ fit pro re aliqua debita, & dicitur res prout ab actione iniurioſa diſtinguitur. Perſonalis ſatisfactio dicitur, quæ fit pro iniuria, vel actione offenſiua alicuius. Sicut enim in reſtitutione dicitur fieri reſtitutio, vel pro re ablata; vel pro ablatione iniqua, & hæc ſecunda appellatur reſtitutio pro iniuria, reſultante ex re ablata; ita ſatisfactio poteſt eſſe pro re aliqua, vel pro iniuria facta alicui; in præſenti enim dubio & in eius reſolutione *ſect.* 2. adducta, ſolùm de ſatisfactione Chriſti pro iniuria processimus.

66. Igitur incipiens à prima, neminem vidi, qui ob illius defectum negauerit, actionem Chriſti eſſe de rigore iuſtitiæ, & ductus communi locutione, quam ex Sancto Thoma *citatis locis,* didicerunt diſcipuli eius. Sic rem explico. Ad perfectam ſatisfactionem ex ſtricta iuſtitia, ſufficere diſtinctionem naturarum, cum identitate ſuppoſiti, & ratione diſtinctionis naturarum, poſſe dici ſuppoſitum diuinum ratione humanæ naturæ, ſatisfacere, eidem ſuppoſito diuino, vt habenti naturam diuinam, videlicet Verbo diuino, huius rationem ex principiis Diui Thomæ dabam. Etenim prima alietas requiſita ad iuſtitiam, eſt alietas voluntatis liberæ, nam ſolùm ille, qui tali voluntate pollet dicitur ſimpliciter, & abſolutè ſui iuris, per illam enim eſt homo Dominus ſuarum actionum & iurium; ſed cùm hoc genus iurium non innoteſcat inter homines, niſi per externas actiones, quarum alietas ſuppoſitorum, alietatem inuoluit in illis, & non ſolùm naturarum, ideo frequenter hanc conditionem explicamus per ſuppoſitorum alietatem, non ad hunc ſenſum, quòd talis alietas ſit eſſentialiter petita à ſatisfactione, hæc enim ſolùm petit, quòd fiat ab habente ius in id, per quod fit ſatisfactio, & cùm, ſtante identitate ſuppoſiti, compatiatur in Chriſto diſtinctum principium iuris in id, per quod fit ſatisfactio, fit, illum habere ſufficientem alietatem, vt ſatisfacientem à ſeipſo, cui eſt facta ſatisfactio.

67. Tametſi hæc doctrina communiter ab Authoribus ſit recepta, contra illam non inutiliter non ſemel hanc obiectionem propoſui. Per hæc licèt ſaluetur exercitiū operum Chriſti fuiſſe ad alterum phyſicè, non tamen ad alterum moraliter. Sed vtraque alietas requiritur ab hac prima conditione iuſtitiæ ſtrictæ. Ergo ineptè iſta prima conditio explicatur. Maior probatur, opus Chriſti eſſe ad alterum, eſt actionem exercitam, ab ipſo, vt homine, offerri in recompenſationem ipſi Chriſto, vt Deo. Sed hoc non ſufficit, vt ſatisfactio Chriſti ſit ad alterum moraliter, licèt concludat eſſe ad alterum phyſicè. Ergo doctrina allata, licèt ſaluet opera Chriſti fuiſſe ad alterum phyſicè, non tamen ad alterum moraliter. Probo minorem, actionem exercitam à Chriſto, vt homine, offerri in recompenſationem ipſi Chriſto, vt Deo, inuoluit ſolùm actionem illam eſſe elicitam à voluntate creata proximè, & remotè à natura humana, vnita immediatè ſuppoſito Verbi, & mediatè naturæ diuinæ. Sed hoc impedit, vt actio Chriſti ſit ad alterum moraliter, licèt non impediat eſſe ad alterum phyſicè. Ergo hoc, quod eſt actionem exercitam à Chriſto, vt homine, offerri in recompenſationem Chriſto, vt Deo, non ſufficit, vt ſit exercitium ad alterum phyſicè. Probo minorem. Actionem eſſe elicitam à voluntate creata proximè, & remotè à natura vnita ſuppoſito Verbi, impedit, ne ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris. Ergo impedit, ne ſit ad alterum moraliter. Conſequentia ex terminis patet, antecedens probo. Per nos actionem ſic eſſe elicitam, petit fieri à natura, & offerri alteri in recompenſationem ambabus vnitis eidem ſuppoſito. Sed hoc impedit, ne actio illa ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris. Ergo actio illa modo explicato elicita, impedit ne ſit ad alterum quod ſit ſui iuris. Probatur minor. Actio, modo explicato, elicita, impedit, ne ſit ad alterum cum negatione eiuſdem ſuppoſitalitatis. Sed hoc requiritur, vt ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris. Probatur minor, actionem eſſe elicitam ab vna voluntate illam dirigente in aliam, vt ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris, eſſentialiter petit negationem eiuſdem naturæ. Ergo actio eo modo elicita vt ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris, petit eſſentialiter eſſe ad alterum cum negatione eiuſdem ſuppoſitalitatis. Antecedens explico. Finge tibi caſum, ſi per poſſibile, vel impoſſibile Deus poneret in eadem natura duplicem voluntatem, adhuc inter iſtas duas voluntates non poſſet dari iuſtitia, quia æqualitas, quàm iuſtitia reſpicit, debet eſſe talis, vt inter eadem extrema, inter quæ verſatur, poſſet fieri iniuſtitia ſibi oppoſita, ſi aliquod illorum extremorum eſſet peccandi capax. At licèt in vna & eadem natura, duplex voluntas daretur, tametſi vtraque cenſeretur peccabilis, nunquam vna poſſet iniuſtitiam committere in aliam, vt de ſe conſtat, ob defectum alietatis naturarum, ideo nulla in aliam exequi iuſtitiam valeret. Nunc probo conſe-

quentiam illam, videlicet. Ergo neque vnam voluntatem in aliam eadem ſuppoſitalitate terminatas. Probo conſequentiam. Ideo in primo caſu vna voluntas non ageret in aliam, quæ ſit ſui iuris, quia actio illa in primo ſui eſſe, eſſet ſaltem mediatè ab altera voluntate, ad quam dirigitur. Sed actio quæuis humanitatis Chriſti in primo ſui eſſe, in ratione infinitè meritoriæ, nedùm mediatè, ſed immediatè eſt à ſuppoſitalitate diuina. Ergo ſi actionem eſſe ab vna voluntate directam in aliam in eadem natura impedit, ne ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris, etiam eamdem actionem eſſe ab vna voluntate in aliam directam quæ ſunt ab eadem vna ſuppoſitalitate terminatæ, impediet, ne ſit ad alterum, quod ſit ſui iuris.

68. Huic argumento reſponde in forma. Nega maiorem. Ad probationem nega minorem. Ad probationem nega minorem. Ad probationem nega antecedens. Ad probationem nega minorem. Ad probationem nega minorem. Ad probationem conceſſo antecedenti, nega conſequentiam, & admiſſo caſu hypotheſis, nega conſequentiam. Diſparitas eſt. Etenim ſi Deus poneret duas voluntates in vna, & eadem natura, certum eſt, vnam non poſſe in aliam iuſtitiæ actum exercere, propter rationem in argumento aſſignatam, quia videlicet æqualitas, quam depoſcit iuſtitia debet eſſe talis, vt inter ipſamet extrema, inter quæ verſatur, poſſet ſimiliter inæqualitas exerceri, caſu quo illorum aliquod peccandi eſſet capax, at in tali caſu, nulla in aliam poſſet inæqualitatem inducere, ex defectu alietatis naturarum. Rationem huius do, nam eo ipſo, quòd vna eſſet natura ſolùm per vtramque voluntatem operans, talis natura conſentiret in operatione cuiuſlibet voluntatis, quod eſſet in cauſa; vt neutra in aliam, iniuriam poſſet committere, nam volenti & conſentienti nulla fit offenſa, cedit enim qui vult iuri ſuo, & quando aliquis vult, non fit aliquid reſpectu illius ipſo inuito, quódque vera iniuſtitia eſſentialiter efflagitat. Actiones autem voluntatis humanæ formaliter elicitiuè ab ipſa immediatè ſolùm proficiſcebantur, ſuppoſitalitas nullum influxum in eas præſtabat, tametſi valor infinitatis, modo quo controuerſia de valore operum Chriſti explicat, ab illa ortum immediatè habebat in genere quaſi cauſæ formalis. Vnde licèt exercitium iuſtitiæ, diſtinctionem ſuppoſitorum non petat, tamen diſtinctionem naturarum eſſentialiter depoſcit. Sicque intelligendam ſuſcipimus hanc primam conditionem.

69. Verùm alia pulſat dubitandi ratio, contrariâ viâ à præcedenti procedens. Conatur enim probare, nec ad ſtrictam iuſtitiam diſtinctionem naturarum, & voluntatum exoptari debere. Quòd ſic probo, etenim in illa diſtinctio ſufficit ad iuſtitiam, quæ ſat eſt veræ amicitiæ, teſte Philoſopho 8. *ethic. cap.* 11. Sed vt vera amicitia conſiſtat, ſimilis naturarum, aut voluntatum non cupitur diſtinctio. Ergo neque ad veram iuſtitiam. Probo minorem, ſententia communis defendit veram amicitiam inter diuinas Perſonas, vt latè *tractatu* 5. *in primam partem* decreui, at licèt inter diuinas Perſonas realis detur ſuppoſitorum diſtinctio, tamen natura vna, & indiuiſa voluntas reperitur. Nam teſte Diuo Thoma, Spiritus procedit à duabus perſonis non vt vnum, ſed vt plures perſonæ ſunt. Vnde *prima parte, quæſtione* 36. *articulo* 4. *in ſolutione ad ſecundum*, rationem præſtat, quare creatio ſit à tribus Perſonis, non vt ſunt diſtinctæ, ſed ſecundùm quod vniuntur in eſſentia, quia videlicet, tametſi per intellectum præcidamus diſtinctionem à Perſonis, adhuc conſiſteret creatio. Sed ſpiratio eſt actio conueniens pluribus ſuppoſitis quodammodo ſecundùm quod diſtinguuntur. Idem docet Sanctus Thomas *in primum, diſtinctione* 20. *articulo vltimo ad ſecundum*, his verbis, *de creatione non eſt ſimilis ratio, ac de ſpiratione, quia hac praexigit diſtinctionem in ſuppoſitis. Vnde eſt aliquo modo a pluribus ſuppoſitis, in quantum diſtincta ſunt, cùm ſit diſtincta operatio perſonalis.* Sed creatio eſt opus eſſentiæ diuinæ. Vnde eſt opus ſuppoſiti indiſtincti, prout eſſentia ſignificatur, id quod eſt hoc nomine, Deus; Ex quibus infères, Spiritum ſanctum, ex vi ſuæ proceſſionis, petere plures perſonas. Sed non poſſet plures, vt plures, perſonas petere, niſi amicitia eſſet inter illas, nam ad amorem beneuolentiæ hæc pluralitas in ſuo principio non depoſcitur, vt de ſe patet. Ergo ſtante voluntatum, & naturarum identitate, cum ſola ſuppoſitorum diſtinctione, ſtabit vera amicitia. Ergo & iuſtitia, cùm hæc maiorem diſtinctionem inter extrema non petat, quàm illa.

Confirmo, Etenim ad veram & formalem æqualitatem, multiplicitas naturæ non requiritur, ſed ſufficit ſuppoſitorum diſtinctio. At alietas deſiderata à ſatisfactione ex iuſtitia, ſolùm ratione æqualitatis, ab omnibus, teſte Diuo Thoma petitur. Ergo ad hanc diſtinctio naturarum non deſideratur. Maiorem probo ex Diuo Thoma 1. *parte, quæſtione* 42. *artic.* 1. vbi decernit inter diuinas Perſonas veram & propriam interueniſſe æqualitatem, & tamen ſola diſtinctio ſuppoſitorum, & non naturarum, inuenitur. Ergo illa, & non hæc, ad iuſtitiam requiſita eſt. Nec refert, ſi reſpondeas hanc æqualitatem à D. Th. inter perſonas edoctam non eſſe eam, quæ hîc ad iuſtitiam ſtrictam vocatur, etenim illa eſt ſubſtantialis, & ex vi ſuarum proceſſionum neceſſariò in ipſis promanans. Non inquam refert, etenim caſu, quo Perſonæ Diuinæ, ex vi ſuarum proceſſionum neceſſariarum, hanc æqualitatem non participarent, ſed per actum liberum communicatam haberent, adhuc in hypotheſi, hac ſaluaretur æqualitas iuſtitiæ propriæ, & tamen adhuc in dicta hypotheſi, eſſet in illis naturarum, & voluntatum identitas, ſola interueniente ſuppoſitorum diſtinctione. Ergo cum hac, illa non deſiderata ſaluaretur valeret iuſtitia ſtricta inter Diuinas Perſonas. 70.

Reſpondeo ergo ad rationem dubitandi. Ex Ariſtotele leue ſumi argumentum contra communem reſolutionem, etenim ipſe, cùm ſolùm amicitiam creatam percepiſſet, ſanciuit diſtinctionem inter extrema, in quibus inuenitur, 71.

nitur, nedum naturarum, ſed etiam ſuppoſitorum; Etenim cùm ſolùm creatæ Perſonæ paterent illi, quæ nedum ſuppoſitorum, ſed & naturarum diſtinctionem vendicant, fit, quòd vt inter illas amicitiam interponeret, vtramque diſtinctionem depoſtularet: verùm, cùm aliæ extiterint Perſonæ, quas fide colimus, quæque in eadem natura, & voluntate diſtinctionem ſuppoſitorum admittant, ſequitur ſimilem diſtinctionem ab Ariſtotele edoctam, non eſſe petitam à ratione communi amicitiæ à creata, & increata abſtractæ. Vnde conſonum iudico amicitiam veram inter diuinas Perſonas admittere, & abſonum, iuſtitiam ſtrictam inter illas concedere. Diſparitas eſt, quia ſi amicitiæ formalem conceptum inueſtigemus, eum ſolùm inueniemus diuinis Perſonis maximè congruum; Etenim vt latè deduxímus *tract. de charitate, dub. 1. num. 2.* formalis amicitiæ conceptus præcisè fert ſecum mutuum, & reciprocũ duorum amorem, hic enim ſufficienter diſtinctione Perſonalitatum ſaluari dicitur; imò hanc requiri neceſſariò exiſtimo, quia in hypotheſi, quod in diuinis plures perſonæ non adeſſent, reciprocus, & mutuus amor redderetur impoſſibilis: hic enim non amorum multiplicationem annotat præcisè, ſed diuerſitatem amantium notat, quantumcunque amoris actus erga te repetas reciprocè, qualiter ad amicitiam depoſcitur, minimè diligeris; vnde cùm hîc & nunc, annuente fide, plures in Deo dentur Perſonæ amantes, reciprocus hic amor, qui formaliter amicitia eſt, inuenietur; Verùm ſi iuſtitiæ conceptum ſcruteris, inuenies illam iurium diuerſitatem prærequirere, hæc tamen ſine voluntatum diuerſitate minimè reperitur, vt aduertit ſolutio ad primam dubitandi rationem, quodque incrementum ſumit, exemplo parentis & filij creatorum, hi enim bene poſſunt mutuo amicitiæ amore deuinciri, & tamen nequit inter illos iuſtitia ſtricta verſari quoad ea, quæ filius poſſidet, & ſub poteſtate patria cadunt, & hæc differentia naſcitur ex eo, quòd Pater & Filius amore reciproco ſe poſſunt proſequi, at quia in illis non eſt diuerſum ius reſpectu bonorum, quæ filius habet, & ſub parentis iure manent, ideo ab illis iuſtitia ſtricta reſpectu talium bonorum abeſt. Vnde informa, nego antecedens, cui hanc doctrinam pro diſparitate applicabis.

72. Ad confirmationem, nota breuiter. Duplicem eſſe æqualitatem, perfectionis vnam, iurium alteram. Illam non reſpicit iuſtitia, hanc neceſſariò præintendit. Primum concedimus Perſonis diuinis, vtpote illam habere cum identitate naturæ, & omnium eorum, quæ perfectionem notant compatitur. Secundam negamus, quia diuerſitas iurium vnitati dominij in Diuinis inuentæ repugnat; ſi enim diuerſa eſſent iura in Perſonis, diuerſi cenſerentur Domini. Hac de cauſa in Perſonis non eſt concedenda æqualitas iurium, cùm hæc neceſſariò iurium diuerſitatem ſecum trahat, quod valdè vnitati dominij obuiat; etenim ſurſum non ſunt tria iura, ſed vnum ius, virtuti omnium productiuæ & Perſonis communi innixum. Nunc in forma reſponde, diſtinguens maiorem, ad veram & formalem æqualitatem non requiritur naturarum, & voluntatum diuerſitas, eſt verum de æqualitate perfectionis, eſt falſum de æqualitate iurium. Ad probationem vtere eiſdem terminis diſtinctionis, & notabile dictum præſtabit æqualitatem, quam concedere Perſonis Diuinis intereſt.

73. Sed inſtabis, cum vnitate iuris compatitur iuſtitiæ actus. Ergo ruit doctrina hæc; Antecedens triplex caſus comprobat. Primus, quando quis propria authoritate rem ſuam ab iniuſto detentore, à quo alio modo recuperare nequit, licitè & iuſto titulo accipit, vt legimus *tractatu de contractibus, diſput. 6. num. 1.* ex communiori. Secundus, quando tutor vices pupilli gerens reſtituit ſibi, quod in conſeruanda hæreditate, vel in negotiis agendis pupilli conſumpſerat. Tertius, quando Prælatus, vt perſona particularis ſuam famam violauit, & poſtea ſibi vt Perſonæ publicæ eamdem bonam exiſtimationem comparat. En caſus, in quibus idem ſuppoſitum reſpectu ſui, ſolùm moraliter diſtincti, actum iuſtitiæ exercet. Ergo vt iſte fiat nullo modo diuerſitatem naturarum, aut voluntatum exoptat. Reſpondeo breuiter cum communi. Primò actum illum in iis caſibus executum inter actus charitatis recenſendum eſſe, & non iuſtitiæ. Per hæc enim, ſe & ſua magis & iuſtè hominem diligere, aperitur ſatis. Secundò fatens cum aliis actum illum eſſe veræ iuſtitiæ, verùm nullo modo exercitum ab homine erga ſeipſum. Etenim in primo, qui rem à iuſto detentore propria manu rem ſuam reaſſumit, iſtam reaſſumptionem minimè erga ſe exercet, ſed erga detentorem iniuſtum, quia iuſtè ab illo aufert, quod non eſt ſuum, qui actus honeſtus eſt, etenim tam actus cenſetur iuſtitiæ, auferre ab aliquo, quod ſuum non eſt, quàm reddere vnicuique quod ſuum eſt. Secundus caſus, tutorem illa exequentem, non facit illum erga ſe actum iuſtitiæ exercere, ſed erga pupillum, cùm iſtum (aliàs illorum, quæ ex propriis tutor conſumpſerat, debitorem) ad æqualitatem reducat. Tertius caſus de ſuperiori eſt facilior, cùm ipſe illa exerceat erga ſubditos & communitatem ipſam.

74. Vltimò obiicies. Plura peccata fuiſſe facta immediatè contra humanitatem Chriſti, cui ſatisfactio debebatur. Ergo ſaltem pro his Chriſtus non valebat ex iuſtitia ſatisfacere. Etenim tunc deficeret illi conditio à nobis *hac ſectione* aſſignata, quia non eſſet ad alterum, non ſolùm in ſuppoſito, ſed nec in natura. Reſpondeo primò cum communi ſententia, quam ſequitur Suarez *diſp. 4. ſect. 5.* Chriſtum non ſatisfeciſſe omnibus iis, contra quos peccata ſunt commiſſa, ſed tantùm ipſi Deo. Quodque admittit Lugo *diſp. 4. num. 6.* dicens, Chriſtus non ſatisfecit Ioanni Baptiſtæ pro morte ab Herode iniuſtè incuſſa.

Verùm Pater Granados *tomo de incarnatione, tractatu 2. diſp. 4. ſect. 3. num. 16.* pietate potiùs quàm Metaphyſica impulſu motus, inuenit modum, quo humanitas Chriſti ſatisfaceret pro omnibus iniuriis, non ſolùm vt factis Deo, ſed vt factis ipſi humanitati, & aliis hominibus.

Quod vt aſſequatur, notat, Deum dominio omnium bonorum vniuerſaliſſimo, & ſupremo vigere, atque adeo virtute huius dominij, poſſe ſibi aſſumere ius, quod creatura aliqua, vel ſanctiſſima humanitate Chriſti habebat ad ſatisfactionem, taliter, quòd iam ſatisfactio humanitati, vel alteri creaturæ debita non eſſet, ſed loco illarum, ſoli Deo deberetur, cuique poſtea humanitas poſſet ſatisfacere; ſic enim iam Chriſtus ſatisfacere valeret pro eademmet iniuria, vt illata ipſi Deo, & prout illata humanitati ipſi, quia Deus acceptat ſibi ius, quod habebat humanitas, ac proinde iam non humanitati, ſed Deo ſolùm ſatisfactio debebatur.

75. Verùm, in hunc modum dicendi ſolùm agere poteſt doctrina ſuperiùs allatæ conſequentiæ, etenim ſuprà dedimus, quòd licèt Deus ratione Dominij ſupremi poſſet ius vnius creaturæ transferre in aliam, tamen difficile captu eſt, quòd idem ius in ſeipſum transferre valeat; etenim cùm ſuprà docuiſſemus, Deum, non obſtante iure creaturæ, habere etiam ius ad eamdem rem, ad quam creatura habeat, non poterit dari tranſlatio aliqua iuris in Deum, atque adeo illa tranſlatio iuris, à Granados edocta, nihil poterit erga Deum operari, imò ſi credidens pluribus *ſuprà citatis*, ius ſupremum Dei impediturum foret ius creaturæ, atque adeo cùm ipſe ſit Dominus omnium, non poterit de nouo Dominium de aliqua re nanciſci.

76. Sed ſcrupulus iſte facilè deuinci poteſt ex doctrina ſuperiùs allata, & inferiùs magis extendenda. Ex illis tamen breuiter dico. Deum poſſe in ordine ad plura pro ſuo delectu gerere munia Perſonæ priuatæ. Vnde licèt Deo, vt vniuerſaliſſimo agenti, aliquod ius ſimpliciter accreſcere nequeat in ordine ad aliquid, tamen titulus nouus iuris poteſt aduenire illi vt munia Perſonæ priuatæ gerenti. Itaque ex vi huius tranſlationis Deus habet nouum titulum iuris ad illam ſatisfactionem, non ſolùm ratione vniuerſalis Dominij, ſed quia in ipſum Deum, inſtar Perſonæ priuatæ ſe habentem, tranſlatum erat ius creaturæ. Sed de his vberiorem ſermonem in examine tertiæ conditionis polliceor.

S E C T I O V.

Argumentum ex ſecunda conditione petitum.

77. SEcundam conditionem, ab omni iuſtitiæ ſtrictæ ſatisfactione obſeruatam aſſignat communis, fieri debere ex indebitis. Ob cuius defectum Richardus, Guillielmus, Durandus, & innumeri antiqui, quos ſequitur Vaſquez *hic*, & plures Reuerendiſſimi cui ipſi adhærent, negatiuam partem tenent. Sed quia inter Authores maximam contentionem viderim verſari, in explicanda conditione allata, decreui ſtatum controuerſiæ præfigere priùs, & poſtea modos dicendi referre, & tandem æquiorem eligere. Litem ergo expendo ſic, cùm dicitur ſolutionem debere fieri ex re aliàs debita, ſupponitur, rem illam debitam eſſe, aliter enim non cenſetur ſolutio propria, quæ debet eſſentialiter eſſe redditio, ſed gratuita & liberalis nuncuparetur donatio. Dicitur etiam ſolutio extinguens debitum, vt non ſit debita ex alio capite, vel titulo. Pono exemplum. Læſi te in fortunæ bonis, cuius ſatisfactio eſt facienda centum aureis, hi enim non debent eſſe debiti ex alia emptione, aut venditione; & ſi debiti fuerint ex anteriori contractu emptionis, & venditionis, illis centum aureis vtrique debito ſatisfacere non poteris tametſi alteri eorum, quod eligere maluero, centum aureis ſatisfaciam, & in hoc ſenſu non accipitur conditio illa, quia ſic nihil impedit, ſatisfactionem eſſe ex aliàs debitis, ſenſus enim conditionis aſſignatæ eſt, me non poſſe te, aliàs debita, ſatisfacere debito antea contracto, & alteri, cui ſatisfacere prætendo, vt in hoc exemplo debentia centum ex contractu, & centum ex iniuſta læſione compertum relinquo.

78. Reſolutio noſtra, conditionem in limine aſſignatam ſic explicat, quòd ſcilicet ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia debeat fieri ex aliàs indebitis, alio titulo multiplicante materiam debitam; ſi verò alij tituli materiam debitam non multiplicant, veræ iuſtitiæ non oberit, quòd fiat ex debitis alio titulo. Iſtam reſolutionem admittunt Authores *citati ſuprà*, ſed quia hoc nequit intelligi, niſi prius notatum præcedat, quid intelligamus per hoc, quod alij tituli materiam debitam multiplicent, vel quinam ſuper eamdem materiam cadant, libuit hoc priùs aduertere, quod non aliter aſſequemur, quàm diſſenſionem acrem inter Suarium & Vaſquez inuentam aperientes.

79. Suarez *diſp.8.ſect.6.§.Reſpondeo primum.* hanc conditionem limitat, vt intelligatur ex aliàs indebitis ex iuſtitia, non verò ex debitis alio titulo gratitudinis, obedientiæ, aut miſericordiæ, tunc enim ait, eadem ſolutione poſſe extingui duplex debitum, quaſi heterogeneum, ſeu diuerſæ rationis, atque adeo ſolùm in debitis ex iuſtitia materiam debitam multiplicari. Vt ſi debes centum, quia illa ex mutuo accepiſti à Petro, & totidem illi, quia ab ipſo alia centum ſurripuiſti, in tali caſu quia ambo tituli ex iuſtitia ſunt, verè materiam debitam ex iuſtitia multiplicant, quod eſt in cauſa, vt per centum nequeas vtrique debito ſatisfacere. Limitat duo Suarius, quando id, quod debitum eſt, eſt finitum, quia cùm creſcat res debita non poteſt finita ſolutione adæquari tota, ſi enim ſolutio debita erat priori debito, cum illo adæquabatur. Vnde ſi debitum creſcat, non poterit eadem ſolutio adæquari illi. Quando verò id, quod debitum eſt, eſt infinitum, æquiualens actionibus infinitis, ſicut infinitis actionibus fieret ſatis multiplici titulo debiti ſeu multiplici rei debitæ; ita vna actione infinita, infinitis æquiualente, plura debita adæquatè ſolui poſſe. Hanc eamdem doctrinam ſuſcepit defendendam Tannerus *diſp.1.q.2.n.238.* & Raguſ. *diſp.26.§.2.*

80. Primum ergo, limitationem Suarij impugno. Etenim ſæpe eadem ſolutione ſatisfit duplici titulo iuſtitiæ, & non ſatisfit duplici debito, cuidam ex iuſtitia, & alteri ex gratitudine.

Ergo

Ergo limitatio hæc tenenda non eſt. Probo antecedés, & pone caſum. Si enim homini de me bene merito quinquaginta ſoluam, quæ illi ex iuſtitia debeo, non ideo ſatisfaciam debito gratitudinis, nec dicar beneficij vices rependiſſe, ſed tamen ero iuſtus. Similiter mihi debenti centum ex iuſtitia ſuperior præcipiat intuitu liberalitatis erogare centum, non eiſdem centum ſatisfaciam debito, ex iuſtitia contracto, & debito liberalitatis conſurgentis ex præcepto ſuperioris. E contrà verò ſæpè duplici debito ex iuſtitia, eadẽ ſolutione fieri ſatis viſum eſt; Etenim hoc patet in habente beneficium Eccleſiaſticum, quod inducit obligationem ex iuſtitia recitandi ſeptem horas Canonicas, qui inquam beneficiarius aliud beneficium aſſumit, quo etiam contrahit debitum ex iuſtitia recitandi eaſdem horas, & tamen vnica recitatione duplici illi debito ſatisfacit. Aliud appono exemplum. Qui defloratuit virginem ſpe matrimonij, ex hac actione contrahit debitum ex iuſtitia contrahendi matrimonium, qui ſi cum Patre antea contractum celebrauerat, quo ſe obligauerat ex iuſtitia cum eadem fœmina contrahere: huic duplici debito ſatisfacit eodem matrimonio contracto, ſeu eadem actione contrahendi. Rurſum hoc ipſum aliud exemplum inſtat. Magiſter, ex contractu facto cum Petro diſcipulo, tenetur ex Iuſtitia lectionem explicare, & ſimilem contractum celebrat cum Ioanne, & vtrique ſatisfacit eadem lectionis explicatione, cui vterque diſcipulus eſt præſens.

81. Sed occurres ex Suarij doctrina, videlicet poſſe duplex debitũ, ſiue vtrumque iuſtitiæ, vel alterum iuſtitiæ, & alterum gratitudinis, obediẽtiæ, alteriuſve virtutis, cadere ſupra eamdem rem, vel ſupra diuerſas. Quando ſupra diuerſas cadit, non poteſt eadem ſolutione vtrique debito ſatisfieri, etiamſi debitum ad diuerſas virtutes ſpectet. Vt ſi ex iuſtitia debeo erogare centum homini pauperi, à quo illa centum ſurripui, & ex præcepto ſuperioris præcipientis erogare intuitu miſericordiæ centum Pauperibus, non eiſdem centum vtrique debito ſatisfaciam. Quod etiam contingit, tametſi neutrum debitum ſit ex iuſtitia, vt cùm ex præcepto Eccleſiæ teneor Miſſam audire, & Confeſſarius in pœnitentiam peccatorum præcipit vnius Miſſæ auditionem; non enim vtrique debito vnica Miſſæ auditione ſatisfaciam. Aliter aiunt diſcurri debet, ſi vtraque obligatio ſupra eamdem rem cadat, ſiue obligationes ſint in materia eiuſdem virtutis, aut diuerſæ, tunc enim vtrique debito eadem ſolutione ſatisfacere poſſum. Sit exemplum, vt ſi quis voueret ſoluere centum creditori, cui ex iuſtitia illa centum debebat, tunc enim vnica ſolutione vtrumque debitum extingueretur; necnon qui vouit ſoluere centum. Et cui ſuperior præcipit eadem centum ſoluere. Vtrumque debitum Religionis ſcilicet, & obedientiæ vnica ſolutione exæquabit. Hoc ipſum contingit in eadem materia iuſtitiæ, cùm beneficiarius habet duplex beneficium, & illorum quodlibet habet redditus ſufficientes ad congruam ſuſtentationem.

82. Ex hac ergo doctrina RR. colligunt ſolutionem communi argumento Vaſquij, priùs à Richardo formato, ad probandum Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ex iuſtitia, quia illi deficiebat conditio hæc à nobis in limine adducta, & de qua nunc eſt contentio; Etenim quævis Chriſti actio erat debita Deo, titulo creationis, religionis, obedientiæ, &c. Ergo nulla Chriſti actio poterat eſſe apta, vt per illam poſſet Chriſtus ex iuſtitia pro noſtris peccatis ſatisfacere. Huic inquam obiectioni ſic ex doctrina allata occurrunt, quòd debitum omnium actionum, quod habet Chriſtus, & omnis creatura reſpectu Dei, & debitum ſatisfaciendi cadunt ſupra eaſdem actiones; & ita vtrique debito, eiſdem actionibus poſſe vtrique debito ſatisfieri. Quòd hæc debita non cadant ſupra diuerſas actiones, oſtendunt, quia impoſſibilis eſt actio; ſiue Chriſti, ſiue alterius, quæ Deo non ſit debita Sed debitum ſatisfactionis tantùm poteſt cadere ſupra actionem poſſibilem. Ergo tantùm poteſt cadere ſupra actionem debitam ex alio tituloErgo per actionem ex alio titulo debitam, ſatisfit obligationis ſatisfaciendi.

Ecce modum hunc omni, qua poteſt, explicatione ſcriptum, verùm firmam doctrinam affert nullam, qua poſſit oſtendi hanc conditionem iuſtitiæ Chriſti ſatisfactioni competiiſſe. Etenim tametſi debitum ſatisfaciendi, ex impoſſibilitate actionis indebitæ, non poſſit ſupra actionem indebitam cadere; hoc non probat, actionem debitam ſufficientem eſſe ad ſatisfaciendum, ſed ſatisfactionem ex iuſtitia impoſſibilem euadere, ſicut eſt impoſſibilis ſatisfactio reſpectu puræ creaturæ, quod vnicè prætendit Vaſquez, & eius aſſeclæ, qui ob defectum iſtius conditionis negant Chriſtum ex iuſtitia ſatisfeciſſe. 83.

Rurſum hæc doctrina quaſi à priori ruit; etenim diuerſæ obligationes ſemper cadunt ſuper diuerſas res, quando vna obligatio aliam non reſpicit vt obiectum, vt in exemplo à Suario adducto, quando quis vouit adimplere obligationem ex iuſtitia, vel eamdem ex præcepto ſuperioris adimplet. Vel quãdo obligatio non oritur ex voluntate ſuperioris, volentis ad eamdem rem, & non ad aliam iterum obligare, vt contingit in eo, qui duplex habet beneficium, quem Eccleſia non vult obligare ad duplicem recitationem horarum in eadem die; præceptum enim Eccleſiæ, aut naturale, aut diuinum modificatum ab Eccleſia beneficiis impoſitum, tantùm eſt recitandi ſemel in die ſeptem horas Canonicas omnes, qui habent ſuſtentationem ex Eccleſiæ redditibus, ſiue redditus tantùm ſint ſufficientes ad ſuſtentationem congruam, ſiue eam longè exceſſerint, ſiue ex vno, ſiue ex multiplici beneficio procedant. 84.

Quando verò Magiſter eadem actione ſatisfacit pluribus debitis contractis, ideo eſt, quia actio exhibita, lectio videlicet explicata coram omnibus diſcipulis, eodem modo eſt vtilis cuilibet illorum, acſi cuilibet in particulari explicaretur. Vnde ex diuerſis poteſt Magiſter diuerſa accipere ſtipendia, non tamen duplex ab eodem, quia diſcipulus vnus tantùm ſentit commodum reſpondens vni ſtipendio, ſeu vni obligationi. Hoc ipſum euenit in exem- 85.

plo adducto à Suario, de curſore conducto à pluribus per diuerſa ſtipendia, vt Romam petat, non dubium eſt, quin eadem profectione omnibus, à quibus ſtipendium accepit, plenè ſatisfaciat, verùm à neutro ſingulatim integrũ ſtipendium, vel duplex accipere valet. Quę omnia vim adaugent rationi Vaſquij contra noſtram reſolutionem. Etenim in Deo hoc ipſum contemplari poſſumus, quòd ſcilicet actione Chriſti recipiat (liceat ſic loqui) commodum ſibi, debitum ſecundùm ſe totum iure Creatoris & Domini. Ergo non poterit illi eadẽ actione ſatisfieri pro alio debito. Cùm ergo obligatio ſatisfaciendi ſit naturalis, & tantùm cõnexa cum obligatione, quam habet creatura reddendi Deo omnes ſuas actiones, quaſi materialiter, & ratione ſubiecti, & præciſè ſit formaliter ab illa diſparata, quia oritur ex principiis longè diuerſis, videtur per ſe exigere ad ſui ſatisfactionem, actionem aliàs indebitam Deo, quòd ſi hæc implicet, vt certum eſt implicare, licebit cum Vaſquio inferre, implicare etiam ſatisfactionem ex rigore iuſtitiæ pro peccatis, ſiue à Chriſto, ſiue ab alio elicitam.

86. Hoc ipſum ponderò, oſtendens etiam in debitis aliarum virtutũ, poſſe multiplicari materiam debitam, quia qui accipit centum aureos ſibi debitos, titulo gratitudinis, adhuc poſſet exigere totidem centum aureos, qui ab eodem ſibi deberẽtur, titulo iuſtitiæ. Ergo titulus gratitudinis diuerſam habet materiã, ac titulus iuſtitiæ. Quorum hæc eſt à priori ratio, quia in ſoluendo debito ex iuſtitia, nulla cernitur gratitudo, quia hæc non verſatur in ſoluendo debitum ex iuſtitia, cùm ſolùm remunerationem accepti beneficij contueatur. Ergo impoſſibile eſt, quòd ſolutione debiti ex iuſtitia, debitũ gratitudinis compẽſetur. Id ipſum inſtatur, etenim ſi quis plura beneficia ab alio ſibi familiari acceperit, nõ ſatisfaceret dando gratias, vel retribuendo pro vno, & nõ pro alio, & minùs dando rem illi aliàs ex iuſtitia debitã benefactori. Ergo in aliis virtutibus poſſunt debita multiplicari. Hanc eandem veritatem exemplo, quo vſus eſt Vaſq. fulcio. Etenim ſi aliquis vouiſſet loco ſacro rẽ precioſam valdè, deinde verò ex delicto aut contractu, tantumdem pretij eidem loco deberet, in tali caſu vtrique debito non ſatisfaceret, per traditionẽ rei pretioſæ ex voto debitæ. Ergo ex debitis antea etiam ex titulo ſolo Religionis, non poteſt fieri ſatis ex iuſtitia.

87. Nec refert ſi reſpondeas. Primò ex voto illo acquiri ius loco pio, & ratione huius iuris illi deberi rem illam titulo iuſtitiæ. Non inquã refert, quia debitũ illud reſultans ex voto, exiſtit antequam tale votum innoteſcat loco pio, vel illi, qui illius loci curam habet, at verò ius ad exigendum illud, quod ex voto debebatur, non potuit reſultare, niſi poſtquam tale votum notum fuit habenti curam de loco illo, & illud acceptauit. Ergo argumentum ſubſiſtit ſemper.

88. Nec refert ſi ſecundo huic exemplo occurras cum Suario *diſp. 4. ſect. 6. §. dices*, in eo caſu, ex formali, aut virtuali intentione vouentis cadere obligationem voti in materiam liberam ab alia obligatione. Sed cõtra, nam hac ſolutione conuincitur, quòd ex intentione vouentis pendeat, obligationem voti cadere ſupra eandem materiam debitam ex iuſtitia, vel non cadere in eandem. Ergo ſi ex intentione vouentis non cadat in eandem materiam, iam noua conſurget obligatio, ſicque fiet, quòd non ſolũ in materia iuſtitiæ multiplicatur materia debita, ſed etiam in aliis virtutibus. Per hæc manet ſufficiẽter impugnata limitatio prima à Suario adducta, qua conditionem ſatisfactionis ex iuſtitia, videlicet eſſe ex aliàs indebitis, reſtrinxit ad actionem aliàs indebitam titulo iuſtitiæ quamuis aliàs debita titulo alio extiterit.

Reſtat ſecundam limitationem deiicere. In ea enim afferebatur diſtinctio rei debitæ finitæ, & infinitæ. Hanc ſic impugno, nam ſi tota res, etiam infinita, vt talis, eſt debita ex hoc titulo, neceſſe erit, quòd in illo extinguendo abſorbeatur, cùm non illi ſit ſuperabundans. Ergo per illam non poterit alij debito ſatisfieri. Sed occurres, actionem illam æquiualere infinitis actionibus; non ſatisfaciet, quia illa actio cum illa æquiualentia debita eſt. Rurſum quia illæ infinitæ actiones quibus æquiualet, debitæ eſſent ex hoc titulo, omnes illæ neceſſariæ eſſent ad ſatisfaciendum illi titulo, ſi eas omnes exigeret creditor, quapropter nulla illarum ſupereſſet, quæ poſſet alij debito ſatisfacere; ſi tamen creditor vnam vel alteram exigeret, ſeu vna vel altera debita eſſet, alia numero diſtincta poſſet aliud debitum ſolui, ac proinde eodem modo ſe haberet in ordine ad aliud debitum, ac ſi eſſet finita. 89.

RR. quidam cum Tannero *fol. 238.* reſpondent, opera Chriſti eſſe infinita ex parte principij, ex parte ſubiecti nec non ex parte ſatisfactionis exhibitæ; beneficia autem facta Chriſto, tantùm eſſe infinita ex parte rei datæ, videlicet vnionis, & ex parte dantis; non verò ex parte ſubiecti, quia beneficium Chriſto factum ſicut non fuit à Perſona Verbi adhuc vt naturam humanam ſuſtentante; aliàs non eodem modo fieret ab aliis perſonis, ſic nec Verbo fuit factum per modum recipientis. 90.

Sed contra, & conceſſa hac triplici infinitate actionibus Chriſti, adhuc perſeuerat eadem vis argumenti; etenim actiones Chriſti ſecundùm omnem illam triplicem infinitatem, quam habebant erant debitæ. Ergo per illas non poterat ſatisfieri alteri debito.

Nec declinat vim Granados *tr. 1. diſp. 4. n. 9* ex Ferrar. & Soto. Verbũ nihil debere Patri, cum illi ſit omnino æquale, ac proinde potuiſſe ſatisfacere per opera, quæ mediante humanitate offerebat, cùm Verbum mediis iis operibus ſatisfaceret, & ipſum Verbum nihil deberet. Sed hæc ſolutio non ſufficit; Etenim hi Authores profitentur, & bene, principium *quo* ſatisfactionis eſſe naturam humanam, & Verbum dici ſatisfaciens, vt *quod*, quia terminat naturam à qua ſatisfactio ortum habet, ex hac ratione poteſt ſibiipſi ſatisfacere, quod non poſſet, aiunt, ſi eſſet principium, vt *quo*, cùm ergo natura humana, à qua procedit ſatisfactio, ſit inferior Deo, cui ſatisfactio offertur, poteſt debere illi ſuas actiones, ac proinde eſſe incapax ſatisfaciendi, vtpotè per actiones iam debitas, ſi actionem eſſe debitam impedit rationem ſatisfactionis. Hac explicata conditione, paraturi ſumus rationem dubitandi, qua motus Vaſquez 91.

&

& Reuerendiſſimi aſſeclæ, prætendunt actionibus Chriſti negare illam, vt negent Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ex ſtricta iuſtitia. Formatur breuiter Vaſquij argumentum. Vna ex conditionibus ad ſatisfactionem ex iuſtitia, eſt quòd fiat ex aliàs indebitis creditori, non ad hunc ſenſum, quòd ex indebitis fiat abſolutè, quia eo ipſo, quòd fiat ſatisfactio ex iuſtitia, verſari debet circa materiam debitam, ſed ad hunc ſenſum, quòd fiat ex indebitis aliunde, id eſt quòd non fiat, niſi ex titulo, pro quo ſatisfit: nam ſi illud ipſum aliunde debebatur, non poſſet duplex debitum vnica ſolutione diſſolui. Verbi gratià, ſi debes Petro ex promiſſione centum, & poſtea ex emptione libri centum, non ſatisfacis vtrique debito per collationem eorum. Cùm ergo Chriſtus ex innumeris titulis deberet Deo ſua opera, non potuit eorum oblatione ſatisfacere ex iuſtitia ſtricta pro debito peccati, quia illa opera aliunde debita erant.

92. Hæc eſt ratio dubitandi Vaſquij, à qua quomodo Authores ſe expediant, in antecedentibus dedi; reliquum tamen eſt, vt illi iuxta principia probabilia, diſtinguentia in Deo dominium proprietatis, & iuriſdictionis, occurramus. Aſſero ergo primò. Quòd licèt opera Chriſti Domini poſſint à Deo exigi vt ſibi debita, & ex hoc capite inepta fieri, vt illis ſatisfaceret alij debito; tamen dum non exiguntur, Deo debita non ſunt, atque adeo apta ſunt, vt illis poſſet Chriſtus ſatisfacere pro peccatis generis humani. Pono exemplum. Etenim ſicut ſeruus, à quo Dominus exigere poteſt omnes eius operas dum illas Dominus non petit, ſed illi liberè operari permittit, aut non operari, verè liberè operatur, eo ſimili modo ac ſi ſeruus non eſſet. Applica hæc ad intentum; actiones Chriſti quia non eas titulo Domini, & Creatoris Deus exigebat, aptæ & vtiles erant, vt illis fieret Deo cõdigna ſatisfactio ex iuſtitia. Quòd autem poſſent à Deo exigi, dum non petuntur, non reddidit actiones formaliter, & remotè, illaſque formaliter & proximè indebitas relinquit, ac proinde aptas ex hoc capite, vt illis fieret ſatisfactio. Hoc ipſum illuſtrat Lugo exemplo hoc; ſi quis ex contractu iuſtitiæ mihi debebat ſcribere libros, quoties ab eo peram, & ille furetur à me codicem, qui apud illum peribit, & me inſcio, cùm nihil ab eo ſcribendum petam, tranſcribat iterum ſimilem codicem illi, quem furto ſubripuit, & loco illius ſupponat, profectò in omnium ſententia diceretur ex iuſtitia ſatisfeciſſe. Ergo quòd actio ſit debita ſub conditione non purificata, quòd eſt tantùm eſſe debitam radicaliter & remotè, non eam reddit ineptam ad aliud debitum perſoluendum.

93. Sed replicabis, opera Chriſti hic & nunc ſunt ſemper debita Deo titulo Domini, & Creatoris. Ergo inepta vt illis valeat pro peccatis ſatisfacere. Antecedens probo. Opera Chriſti ſemper & pro ſemper poſſunt exigi à Deo titulo Domini & creatoris. Ergo opera Chriſti ſemper & pro ſemper ſunt debito Deo. Conſequentiam probo. Poſſe exigi à Domino rem titulo Domini, facit illam debitam ipſi. Ergo ſi Deus poteſt exigere opera Chriſti titulo Domini ſemper & pro ſemper, opera Chriſti erunt debita Deo titulo Domini ſemper & pro ſemper. Antecedens probo; id quod creditor poteſt exigere, nunc eſt debitum, etſi non ſit debitum pro nunc. Pono exemplum. Ego debeo centum ex contractu poſt annum ſoluenda, nunc ea propriè debeo, tametſi pro nunc non debeam; quare ſi ſolutione anticipata perſoluam, non do rem indebitam, Sed ad ſummum ſolutionis modum, hoc eſt, illa anticipatio indebita eſt. Vnde ſi hac ratione ſoluerem creditori extremè indigenti, ſolutio illius eſſet ex iuſtitia, & illius tantum anticipatio eſſet ex miſericordia teſte Vaſquio *diſp.* 8 *n.* 72.

Reſpondeo in forma, diſtinguens antecedẽs, opera Chriſti ſunt ſemper debita Deo actualiter titulo Domini, nego antecedens, remotè, ſeu radicaliter, concedo. Et conſequentiam nego. Ad probationem, concedo antecedens. Et conſequens diſtinguo. Ergo opera Chriſti, & ſunt debita Deo, titulo Domini actualiter, & proximè, nego, radicaliter, concedo. Ad probationem diſtinguo antecedens, poſſe exigi rem à Domino, facit illam debitã acto & proximè, nego antecedens, radicaliter & remotè, concedo: Et eadem diſtinctione conſequens diſtingue. Ad probationem admitto caſum antecedentis, & conſequentiam, quæ poteſt inferri, nego. Diſparitas eſt. Nam in caſu adducto, id, per quod ego formaliter conſtituor debitor proximè, iam eſt formaliter & actualiter exercitum, nempe contractus celebratus de re poſt annum à me ſoluenda. Vnde ea quæ ex contractu iam conſummato, craſtina die mihi ſunt ſoluenda, hîc & nunc debeo, etſi non pro nunc, ſed nũc pro tunc. Idem eſt ſi ſuperior præciperet mihi opus aliquod die Dominica peragendum; tametſi præceptũ ſit feria ſecunda latum, exinde obligatus maneo, non pro ſecunda feria, ſed pro Dominica die ad illud opus exequendum. Et hoc ideò eſt, quia id, quod in me dictam obligationem hîc & nunc pro alio tunc inducit, eſt iam in actu ſecundo extra cauſas actu productum, nempe vel contractus, vel ſuperioris præceptum, contrarium tamen inuenitur in noſtra lite, etenim cùm ſupponamus Deum à Chriſto, opera quæ facit, non exigere titulo Domini & Creatoris, licèt poſſit eas exigere, vel præcipere, fit, quòd nullum ſit debitum proximum illas eliciendi titulo Domini, & Creatoris, licèt poſſit eas exigere, vel præcipere, fit, quòd nullum ſit debitum proximum illas eliciendi titulo Domini, & Creatoris, nec pro nunc, neque pro alio tunc. Si autem dicas deberi illas actiones pro tempore, quo exiguntur, aut præcipiuntur, dices bene, ſi dicere velis actiones Chriſti poſſe deberi, ſeu quòd deberentur, caſu quo præciperentur, aut exigerẽtur, quod eſt purum debitum conditionatum, cuius conditio, cùm non ſit purificata, perinde ſe habebit, ac ſi appoſita non eſſet. Si autem velis dicere, hîc & nunc eſſe actualiter debita opera Chriſti titulo Domini, quia poſſunt à Deo exigi, quòd titulo Domini fierent. Inſciè loqueris. Eodemque modo poteris dicere, hîc & nunc Iudam eſſe ſaluatum, quia poterat in gratia finali decedere è vita, ſed de his me iterum videbo *ſect.* 14. *vbi ſolutionem huic difficultati veriorem ſubiiciam.* 94.

Sed

95. Sed quæres, vnde conſtet, Deum non exegiſſe de facto opera à Chriſto, titulo Domini, & Creatoris? facilè ex principio, cui hæc doctrina fidit, reſpondebo: Etenim cùm ſupponamus Deum iniiſſe pactum cum Chriſto, vt eliceret opera ſua intuitu remiſſionis peccatorum, fit, ipſum promiſiſſe ſe non petiturum illa, titulo Domini & Creatoris, ſed titulo offenſi iniuſtè. Non me latet Lugum, hanc doctrinam deſpecturum, alios negantes pactum, iuſtitiam in Deo inducens, ſequutum; verùm iam illis occurrimus ſuprà. Vnde pactum inter Deum & Chriſtum, de ſatisfaciendo pro genere humano, ſuppoſita æqualitate ſatisfactionis cum iniuria, obligauit Deum ad non exigendum illam aliis titulis, etiamſi poſſet illam aliis titulis exigere.

96. Sed rurſum inſtabis Chriſtum ſatisfeciſſe Deo pro omnibus aliis titulis & debitis, tam gratitudinis, quàm ſubiectionis ex parte ſua, & dominij ex parte Dei. Ergo ex vi pacti non manſit Chriſtus Deo obligatus ad ſatisfaciendum pro aliis titulis. Reſpondeo facilem exitum habere in hac adducta doctrina replicam hanc, etenim cùm ſuſtinuerimus opera Chriſti formaliter non eſſe actu debita Deo aliis titulis, ea videlicet ratione, quia aliis titulis à Deo non exigebantur, fit, Chriſtum hìc & nunc ad illis ſatisfaciendum, obligationem non incurriſſe, atque adeo hìc & nunc, non poteſt affirmari, Chriſtum ſatisfeciſſe Deo pro omnibus aliis titulis, ſeu debitis, quia hìc & nunc formaliter & proximè non erant debita.

97. Sed quæres, in hypotheſi, quòd opera Chriſti eſſent debita Deo formaliter & proximè, quia videlicet exigerentur à Deo titulo Domini, & gratitudinis, poſſet-ne aliquomodo defendi, Chriſtum per eadem opera ex iuſtitia pro peccatis ſatisfeciſſe? Reſpondeo rem eſſe valdè difficilem propter rationes ſuprà datas, quas pro defendenda hac ſecunda conditione ſuprà probabiliter adduximus, & *ſectione* 14. confirmabimus. Verùm liceat in re difficili, aliquam probabilitatis vmbram breuiter pro nunc perſcrutari, Dico ergo, in ſatisfactione ſimpliciter infinita, latam reperiri viam ad ſatisfaciendum pro omnibus titulis, etſi fortè debitum alicuius tituli fuerit debitum infinitum, verbi gratiâ, debitum gratitudinis, quo debebat Chriſtus gratias rependere Deo pro beneficiis acceptis, inter quæ numerabatur incarnatio Verbi, & dignificatio operum Chriſti, proueniens, vt ſuprà monui à diuina Perſonalitate. Dico; Chriſtus per alias actiones, ante paſſionem factas, ſatisfeciſſe Deo pro titulo dominij & gratitudinis, & ſimul inchoaſſe ſatisfactionem pro peccatis, quæ ſatisfactio completa fuit per eius paſſionem, & mortem; cùm verò illæ actiones antecedentes, fuiſſent infiniti valoris, ſatisfactoriæ fuerunt pro omnibus illis titulis & debitis ad æqualitatem; & licèt debitum eſſet aliquid infinitum, nempe ipſa incarnatio & dignificatio operum Chriſti, cùm quælibet eius actio eſſet infiniti valoris, quælibet adæquaret illud debitum, & licèt non excederet, quod requiritur ad rationem gratitudinis, vt docet Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 106. *art.* 6. tamen id naſcebatur ex impoſſibilitate materiæ, quæ erat ſimpliciter infinita, & non poterat excedi. Vnde in gratitudine pro re finita, ille exceſſus requireretur; at verò pro debito infinito, talis exceſſus non requiritur, ſed æqualitas inter gratias, & debitum, & cum hac æqualitate reperta in gratiarum actione à Chriſto facta, ſtabat, quòd talis actio eſſet inchoatio ſatisfactionis pro peccatis, quia cùm eſſet infinita potuit à Chriſto effici & offerri, cum intentione ordinandi illam ad ſatisfaciendum pro nobis, ex pacto inito inter Deum & ipſum, nam ſatisfactio pro gratitudine poteſt eſſe inchoatio ſatisfactionis ex iuſtitia; & in his actionibus antecedentibus paſſionem Chriſti, non eſt cur amplius immorandum ſit.

Loquentes verò de ipſa paſſione & morte Chriſti in qua conſiſtit formaliter ſatisfactio pro offenſa peccati, aſſerimus, illam non deberi à Chriſto, alio titulo. Hoc exiſtimo verum, vel quia omnibus aliis titulis ſatisfecit per actiones antecedentes, vt nunc explicabamus, vel quia ex pacto Dei illa paſſio, & mors non exigebatur alio titulo, quod ſufficiebat ad hoc, vt eſſet vera ſatisfactio pro peccatis Chriſtiani populi, vt ſuprà probabiliter expendebamus: imò licèt Chriſtus per paſſionem & mortem ſatisfeciſſet, & debito gratitudinis pro dignificatione ipſius paſſionis, & debito obedientiæ, quia de ipſa habuit præceptum, cùm tamen huiuſmodi tituli caderent ſupra eamdem materiam, non impediebatur, quòd per eamdem actionem & mortem, omnibus illis ſatisfaceret, vt ex Suario probabiliter poteſt dici. Et hæc de hac ſecunda conditione, & argumento eius 98.

Sectio VI.

Argumentum ex tertia conditione petitum.

ALiam conditionem ſatisfactio ex iuſtitia depoſcit, nempe non debere eſſe ex bonis à creditore miſericorditer, aut liberaliter collatis. Ob cuius defectum plures RR. cum Vaſquio docent; ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ex ſtricta iuſtitia. Sic enim argumentum iſti DD. efformant. Etenim ſi ego debeam Petro centum, & ipſe mihi centum donauerit, vt illi ſatisfacerem, hoc idem eſſet, ac ſi ea centum mihi condonaret. Tunc ſic, ſed actus humanitatis, quibus Chriſtus ſatisfaciebat, erant dona Creditoris. Rurſum, illorum valor ab vnione, ſeu à deitate ſanctificante, media vnione ad perſonalitatem ortum habebat. Ergo actus iſtius humanitatis, non poterant eſſe ſatisfactio ex iuſtitia. 99.

Diuerſas vias aggreſſi ſunt Thomiſtæ antiqui, vt argumentum hoc declinarent, ſed omiſſis aliis vnam afferam, cui concrediti ſunt plures Reuerendiſſimi vtriuſque claſſis. Granados *tomo de incarnatione, tractatu* 2. *diſputat.* 2. *num.* 18. Raguſa *diſputat.* 14. *verſu* dicendum eſt ergo, & Complutenſes plures huic modo conquieſcunt. Solutio igitur illorum eſt. Quòd in collatione auxiliorum ad actus meritorios 100.

torios Chriſti, & in collatione valoris ipſorum, nempe vnionis hypoſtaticæ, gratiam ſoli humanitati fieri, quia hæc & ſimilia dona ea liberalitate purè gratuita accipiebat. At nullo modo gratiam fieri ipſi verbo, quia omnia ſupernaturalia dona erant valdè propria illi. Atque adeo cùm verbum ſatisfeciſſet, & non humanitas, fit, quòd ſatisfactio illa ea propriis ſatisfacientis euadat, & conſequēter ex iuſtitia; ſi vera ſatisfaceret humanitas, cùm hæc mediis donis, liberaliter illi conceſſis à Creditore ſatisfaceret, iam non ex propriis ſatisfactionem offerret, nec ex iuſtitia ſatisfactionem eliceret.

101. Sed hæc doctrina prorſus euaneſcit, & aliis obiectionibus prætermiſſis, breui diſcurſu efficaci in illam ago. Hæc ſolutio admittit, gratiam omnem inuentam in ſatisfactione Chriſti, eſſe humanitati eius factam. Ergo in te admittit Chriſtum ex gratis, & liberaliter à Creditore acceptis ſatisfeciſſe. Probo conſequentiam. Verbo diuino per ſe ſatisfacere non conuenit, ſed humanitati, & ratione huius, ipſi. Ergo ſi per te humanitati competit ſatisfacere ea liberaliter acceptis à Creditore, iam admittis Chriſtum ſatisfeciſſe abſolutè ex donis liberaliter conceſſis à Creditore. Antecedens declaro. Illi per ſe competit ſatisfacere, cui per ſe competit libertas, id enim quod per ſe & formaliter non eſt principium intellectuale & liberum, ſatisfaciendi eſt incapax. Ergo è contra illi ſolum denominatiuè, hoc eſt, ratione alterius conueniet ſatisfacere, cui ratione alterius conuenit libertas intellectualis, & dominium actionum liberarum. Sed libertas conuenit Chriſto ratione naturæ humanæ, & non ratione ſubſiſtentiæ. Ergo virtute humanitatis, quæ ſola erat principium formale intellectuale liberum actionū, quibus ſatisfactio peragebatur, ſatisfeciſſe diceretur verbum. Ergo humanitas ſatisfecit verè & propriè, & verbum ratione humanitatis, non ratione ſubſiſtentiæ, quia hæc non eſt principium liberum actionum Chriſti. Hoc ſic explico, demus caſum, Subſiſtentiam Verbi actiuè in opera Chriſti influxiſſe, adhuc Verbo diuino non competeret ſatisfactio, ratione ſubſiſtentiæ. Etenim in hypotheſi, quòd actiuè influeret, morem gereret habitus, & auxiliorum ſupernaturalium, actiuè in actus ſupernaturales influentium; atque adeo ſicut homini non conuenit mereri, ſeu ſatisfacere ratione habitus, aut auxilij, tametſi in eius actus ſupernaturales influerent, ita dato caſu, quòd ſubſiſtentiæ diuinæ concedatur vis influxiua in actus Chriſti ſatisfactorios, non diceretur Verbum ſatisfacere, ratione ſubſiſtentiæ diuinæ. Paritas eſt eadem. Habitui & auxilio hoc negatur, quia licèt influant in actus, nō influunt, vt natura intellectualis formaliter libera, quod requirebatur, vt ratione illorum influxus, totum compoſitum diceretur promerens. Sed ſimiliter ſubſiſtentia Verbi formaliter ſumpta, non eſt natura intellectualis libera. Ergo quamuis gratis daremus illam actiuè in actiones Chriſti influere, tamen talis influxus non ſufficeret, vt ipſa ſubſiſtentia eſſet id, ratione cuius diceretur ſuppoſitum diuinum ſatisfacere. Nec recurrere licet ad libertatem voluntatis diuinæ naturæ. Non inquam ſecurè recurres. Etenim de fide eſt, ſatisfactionem fuiſſe operibus voluntatis humanæ, & non diuinis actibus increatæ voluntatis conſtructam, aliàs ipſe Deus ſibimet ſatisfacere diceretur.

Vt autem conditionem hanc penitius ex- 102.
plicem, & Chriſti ſatisfactioni accommodem, ſuppone breuiter, humanitatem Chriſti duo genera bonorum accepiſſe gratis ea liberalitate Dei Creditoris. Ex primo fuit valor ipſius ſatisfactionis, ex vi vnionis liberaliter à Patre collatæ. Ex ſecundo fuerunt ipſa Chriſti opera ſatisfactoria libera, quibus fiebat ſatisfactio, media collatione auxiliorum efficacium, per quæ, prædicta opera fiebant. Nihil aliud Chriſti humanitas liberaliter à Deo ſuſcepit, quod ad vnum horum genus non reducatur. Hoc notato; prima reſolutio, pro quacumque ſatisfactione ex iuſtitia eſt: omnis ex iuſtitia ſatisfactio debet excludere omnem gratiam actualem, & concomitantem Creditoris. Hæc reſolutio explicatione ipſa probabitur. Gratiam concomitantem appello eam, quæ fieret in ipſa ſatisfactione, vi cuius defectus ſatisfactionis ſuppleatur. Exemplum. Si enim deberes centum Petro, quinquaginta dares, & illa pro centum acceptaret Petrus, vi cuius acceptationis, quis dubitabit gratiam tibi feciſſe Petrum, qua tuam ſatisfactionem comitaretur. Sic enim iſtam conditionem ad ſatisfactionem ex iuſtitia deſidero, illam ſic intellectam admittunt Caiet. *3. p. q. 1. art. 2.* Sotus *de natura & gratia, lib. 3. c. 6. & in 4. diſt. 10. q. 2. a. 2.* Durand. *in 3. diſt. 20. q. 2. & in 4. diſt. 15. q. 1.* & *ibi* Scot. & Capreol. & nouiter Araujo *3. p. ſ. 1. q. 1. dub. 4. num. 36.* Et fundamentum agnoſcit in Paulo *ad Rom. 11. Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſſet gratia.* At ſatisfactio ex operibus ſatisfacientis fieri debet. Ergo ſi in ipſis operibus gratia inuenitur, vel talis gratia non eſt gratia, vel ſatisfactio non ex operibus, ſed ex gratia Creditoris. Huc D. Bernard. voco *ſerm. 67. in Cantica,* vbi ait: *Non eſt quò gratia intret, vbi iam meritum occupauit.* Ergo ſi ſatisfactio debet eſſe meritoria ſolutionis debiti, nequit permittere locum gratiæ, aliàs meritum non erit tale reſpectu ſolutionis prædictæ. Rurſum, quia vt ſatisfactio debeat eſſe debito æqualis, gratiam Creditoris ſapere non valet, neque ſuam æqualitatem cum debito, ea creditoris gratia poteſt mutuari, nam hoc potius eſſet Creditorem ipſum gratis debitum condonare, quàm debitorem Creditori ſolutionem debiti exhibere; ſicque ex mutuatis à Creditore ipſi creditori ſatisfaceret, atque adeo iam non ex propriis bonis debitor ſatisfactionem elaboraret. Quod obuiat alteri conditioni *ſectione ſequenti* enodandæ ab omni ſatisfactione ex iuſtitia deſideratæ.

Secunda reſolutio; ſatisfactio ex iuſtitia 103.
non excludit gratiam antecedentem. Hanc admittunt *citati ſuprà*, & præter illos Vega *lib. 7. in Concil. c. 4.* Valentia *3. p. diſp. 1. q. 1. p. 5.* Suarez *diſp. 4. ſect. 6.* Vaſquez *diſp. 8. c. 1. & 2.* Sed ante probationem nota; gratiam antecedentem creditoris appello eam, quæ antecedenter ad ſolutionem à Creditore fieret debitori. Exemplum pono. Vt ſi aliquis vineam mihi conferret, cùmque aliunde illius debitorem

centum

centum agnouiſſem, poſtea ex fructibus eiuſdem vineæ illa centum, quæ illi debebam, perſoluerem. Tunc illa collatio vineæ à creditore mihi præſtita, antecedens gratia nominatur. Hoc notato; reſolutionem breuiter oſtendo, quia gratia facta antecedenter ad ſatisfactionem, propriè transfert dominium rei aliàs liberaliter datæ in donatarium, quique poſt acceptam gratiam ſerius recenſetur illius Dominus, atque adeo optimè valebit illam in numero bonorum ſuorum computare. Ergo dum poſtea ſatisfacit ex dono illo gratioſè collato illi, verè ex propriis ſatisfacere dicetur. Ergo illa gratia antecedens nullo modo ſatisfactionis proprietatem dirimit.

104. Suarez, Vaſquez, Araujo *eodem loco ſuprà citati*, vt veritatem doctrinæ allatæ vniuerſaliter veram fateantur, quadam limitatione reſtringunt. Aiunt enim, vt gratia antecedenter collata à Creditore, debitoris ſatisfactionem non impediat ex iuſtitia, aiunt requiri, quòd creditor illam gratiam non conferat debitori ea intentione, vt per illam ſibi ſatisfiat, aliàs collatio gratiæ à creditore impediret rationem ſtrictæ ſatisfactionis ex iuſtitia; verùm hæc limitatio abſonat, tum quia creditorem dare liberaliter aliquid debitori, ea ſcilicet intentione & animo, vt intercedente debitoris induſtria compararet ſibi, vnde ſolueret debitum; quis dubitauit vnquam, debitorem poſtea, ex bonis ſibi per induſtriam partis, poſſe creditori ſuo ex iuſtitia ſatisfacere, mihi verum apparet hac ſuaſus ratione; Etenim ſi aliquid obeſſet, maximè intentio illa creditoris aſſignata. Sed hæc non. Ergo, &c. Minorem probo, nam hæc non impedit dominium earumdem rerum ex vi proprij laboris, & induſtriæ in debitore ſubortum. Ergo nec talis intentio obeſſet, ne debitor per illa bona, quæ potiùs ſuæ induſtriæ fructus, quàm doni à Creditore antecedenter accepti, poſſit eidem Creditori ex iuſtitia ſatisfacere: eò vel maximè quòd illa intentio Creditoris, formaliter non eſt datio illius rei, quam ſibi debitor per induſtriam comparauit. Quid ergo in tali caſu Creditoris intentio impediet, ne per illam debitor valeat ex iuſtitia ſatisfacere?

105. Verùm hanc rem ſtrictiùs premo, & aſſero, quòd licèt ſolutio debiti fieret ex eadem numerata pecunia, quam debitor à Creditore accepiſſet, ea ſcilicet intentione, vt ſibi per illam ſatisfieret, adhuc, in hac hypotheſi, veram ex iuſtitia exerceret ſatisfactionem debitor, dum illam eamdem pecuniam Creditori præſentaret. Hanc doctrinam multis commendatam relinquo *tractatu de vſuris, dub.* 1. §. 3. Ratio breuis, quia adhuc, in hac hypotheſi, donatarius ſerius & in ſolidum Dominus illius pecuniæ conſtitueretur. Ergo dum illam creditori in ſolutionem offerret, ſatisfactionem pro debito ex iuſtitia exerceret. Antecedens contractus donationis, dominium transferens rei donatæ in donatarium firmat. Conſequentiam veritas antecedentis, & vtrumque hæc ratio. Etenim ſi aliquid impediret, maximè intentio Creditoris aſſignata. Sed hæc non impedit. Ergo tam antecedens, quàm conſequens tenent. Probo minorem, etenim ſtante hac creditoris intentione, poſſet donatarius illâ pecuniâ non ſoluere debitum, nec ſi non ſolueret per illam, aliquam iniuſtitiam de nouo irrogaret Creditori; Etenim intentio puta donantis, non obligat ex iuſtitia donatarium, vt per pecuniam datam debitum ſoluat, vt patet ex notabilibus adductis *ſectione* iuxta doctrinam, quam latè dedimus *tractatu de contractibus*. Etenim intentio intrà manens, vel ſi exteriùs promatur, non tamen acceptetur, nullam inducit obligationem ex iuſtitia, ad ſummum obligabit ex gratitudine, dum cognoſcens intentionem Creditoris donantis pecuniam, vt ſibi ex illa ſatisfiat, ad ſic ex illa ſatisfaciendum debitor moueatur.

Non obſtantibus his aſſerimus, obſtare veræ ſatisfactioni ex iuſtitia, ſi Creditor daret pecuniam debitori, non ſolùm cum intentione intus apud ipſum latente, quòd ex illa ipſi ſatisfaceret, ſed exteriùs illam manifeſtans debitori, deducendo in pactum, vt per illam ſibi ſatisfieret, ratio, nam in tali caſu donatio pecuniæ eſſet palliata, & veluti ficta, & propriè cenſeretur remiſſio debiti; ratio; nam ex vi illius donationis, nullum dominium transferretur illius pecuniæ in donatarium. Ratio; quia iſte illa pecunia non poſſet vti quoad omnes vſus poſſibiles ſine iniuria donantis: ratio; quia donans iniuit pactum, dum pecuniam donauit debitori, vt iſte illam redonaret. Ergo habebat ius ad illam repetendam. Ergo debitor illam recipiens non poterat, nec illam retinere ſibi, nec ad alios vſus pecuniam conſumere, ſine iniuria irrogata donanti: Ergo dum res eo pacto donatur, vt ex illa fiat ſolutio ipſi conferenti, tunc debitor rem illam accipiens, non habet liberum vſum illius rei, ac proinde non poſſet tanquam propriam reddere conferenti, nec per illam ſatisfaceret. Vt contingeret caſu, quo ego Petro centum mihi debenti totidem traderem deducendo in pactum, vt per illa centum mihi debitum ſolueret; tunc enim, vt ſuprà dixi, tantùm reperiretur remiſſio antiqui debiti, ea conditione, vt debitor materialiter acciperet ea centum, & mihi eorumdem vero Domino redderet, abſque eo, quòd illud, quod debitor redderet, ſub eius eſſet dominio, & facultate. 106.

Ex his reſolutionibus in communi, pro omni ſatisfactione ex iuſtitia adhibitis, inferes primò pro Chriſti ſatisfactione. Fatemur enim vnionem datam fuiſſe à Deo creditore ipſi humanitati Chriſti, atque adeo, licèt valor in operibus Chriſti relucens, procedat ex vnione, quæ eſt gratia Dei Creditoris, ſatisfactio poterit eſſe ex iuſtitia, cùm gratia illa facta fuerit per veram largitionem rei, qua ipſe Chriſtus ſatisfecit, ita vt illa res verè facta fuerit ipſius Chriſti debitoris, taliter quòd poſſet dicere illam habere in ſuis bonis. Exemplum in humanis potiſſimùm do. Si Rex alicui facultatem cudendi monetam conferret; illa moneta, Regia facultate excuſſa, quæ ex gratia Regis valorem haberet, poſſet homo ille Regi ſoluere debitum, quod communi phraſi Hiſpanè *alcabalas* appellatur. Sic in noſtro caſu, in Chriſti operibus valorem in illis inuentum ab vnione, quæ fuit gratia ſupremi Regis, 107.

deſcen

deſcendentem, oon ſummouiſſe ab illis rationem ſatisfxctionis ex iuſtitia. Addiderim ad hæc quòd licèt valor abſtractè ſumptus, fuerit gratia Creditoris Dei, cooſideratus præcisè abſque vlla cooperatione Chriſti humanitatis, tameo quòd valor ille iofotmaret actum bumanitatis, fuit etiam opus humanitatis liberè eliciedtis actum, qui prædictum valorem contraxit, atque adeo complexum hoc, *opus valoroſum*. Tametſi fuerit opus Dei tanquam principalis agentis, fuit etiam voluntatis liberè eliciedtis xctum, valorem contrahentem, quem ſi noo eliceret, valor ſolùm io abſtracto permaneret.

108. Verùm ſtatim pulſat animum replica. Hæc doctrina oon ſufficit, ad ſaluandum Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ex iuſtitia. Eteoim hæc doctrina non ſufficit ad ſaluandnm, qnòd gratia voionis noc fuerit data à Deo Creditore humaoitati cum pacto, vt per illxm ſatisfaceret ipſi. Sed gratia à creditore debitori collata cum pacto, vt per illam ipſi Creditori ſatisfiat, impedit ſatisfactionem eſſe ex iuſtitix. Ergo hæc doctrina non ſufficit, xd ſaluandum Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ex iuſtitia. Nec declinabis vim, ſi inficiaberis pactum, goia nos ingeouè illud in ootabilibus admiſimus. Reſpondeo. Aliud eſſe, Deum vniooem humanitati dediſſe, ex intentione ſatisfactionis poſtea à Chriſto exhibendæ. Aliud verò, illam dediſſe ex pacto, vt mediâ illâ ipſi Deo fieret ſatisfactio. Primum eſt verum, vt de ſe patet. Secundum eſt falſum, vt iam oſteodo. Etenim pactum, quod inivit Deus de ſatisfactione exhibenda pro delictis populi, oullo modo poterat cadere ſupra gratiam vnionis. Ratio; nam antecedenter ad ipſum pactum fuit vnio pro priori producta. Ratio; quia ad celebrandum pactum, vt ſuprà vidimus, requiritur actus liber elicitus ex parte vtriuſque paciſcentis. Ergo vt Deus celebraret pactum cum Chriſto, requirebatur actos liber voluntatis Chriſti illud pactum acceptantis. Sed antecedenter ad omnem actum liberum Cbriſti, præceſſit voio bumanitati collata. Ratio; quia ad omoe exercitium liberum Chriſti, præcedere debet Chriſtus, ſed ſine vnione collata antecedenter humanitati, non datur Chriſtus. Ergo xntecedenter ad celebrationem pacti præceſſit vnio humanitati collata. Ergo pactum non cecidit ſupra gratiam vnionis, atque adeo licèt vnio ſit gratia à Creditore ipſi humanitati collata, cùm non fuiſſet illi data ex pacto, vt per illam Chriſtus ſatisfaceret, non impediuit Chriſti ſxtisfactionem ex ioſtitia fuiſſe.

109. Inferes ſecondò; nec impediuit ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitix gratiam Dei in eius operibus reſplendeotem. Quod non aliter apparebit clariùs, quàm ſi in limine rationem dubitandi pro parte negante appoſuerimus. Ratio ergo vnica, ſed difficilis valde, ſic ex Vaſquio eiuſque aſſeclis conficitur. Deus enim cootulit voluntati Chriſti auxilia antecedentia, & concomitantia ex pacto, vt mediis actibus à prædictis auxiliis factis illi ſatisfieret. Ergo illis ex iuſtitia noo ſatisfecit. Aotecedens explico. Etenim ea intentione illi gratiam cooperantem voluntati præſtitit, vt voluntas Chriſti non poſſit ſibi talem actum collatum per gratiam cooperantem retioere, xbſque eo, quòd tali actu ſatisfaceret, per ipſum enim eumdem xctum collatum, ita voluntas humanx Cbriſti ſatisfecit, vt oon potuerit oon ſatisfacere, quia formaliter per talem actum redditur ſatisfaciens. Ergo mediis ſuis operibus non potuit Deo ex iuſtitix ſatisfacere. Probo conſequentiam, ex dictis pro conditione hac tertia explicanda; ibi dixi, gratiam à creditore debitori datam ex pacto, vt per illam debito ſatisfaciat, impedire ſatisfactionem debitoris ex iuſtitia; hac enim de cauſa dicitur communiter, hominem cui centum cooferret Creditor ex pacto, vt per illa centum ſatisfaceret, nullo modo per illorum retributionem ſatisfacturum. Sed idemmet actus Chriſti eſt gratia Dei coopetans, & fit ex gratia Dei antecedeoti, ita vt ſine illis non eliceretur, & alia xuxilia data fuerunt voluntati Chriſti ex pacto, vt mediis illis hos & illos xctus meritorios eliceret. Ergo dum illa Chriſtus, qui erat debitnr, Deo Creditori io ſatisfactiooem exhibuit, ſatisfactionem ex iuſtitia ooo elicuit.

Huic obiectioni quam in hac parte maximam eſſe xuthores cuncti perhibent. Reſpondet Lugo *diſputatione 4. numero 36.* poſſe probabiliter defendi, ſatisfactionem Chriſti, ex hoc capite, oullo modo defeciſſe à verx ratione ſtrictæ & propriæ iuſtitiæ, aſſeritque conditionem hanc non requiri ad omnem ioſtitiæ ſatisfactionem, neque eius defectum obſtare ſemper perfectæ ſatisfactiòni: ſed tunc ſolùm, quando ex defectu huius cooditionis aliqua pars debiti condooatur, vel non ſoluitur totum, quod iuſtitia poſſet à debitore exigere. Quod contiogere, ait, in caſu debitoris accipientis ceotum à Creditore eo pacto, vt illi ſoluat, quix tunc tantùm intercedit condonatio, & oon alia elargitio diſtiocta, vt ſuprà explicuimus; in caſu autem obiectionis, Deus tribuens actum non condonat aliquid, quod debitor ſoluere debet, noo enim debet ſoluere per actus à Deo non acceptos, neque ab illo poſſunt exigi, quia tales actus ſunt impoſſibiles, atque adeo quando Deus Creditor exigit à Chriſto debitore actus ex gratia factos, exigit totum, quod poteſt exigere; ac proinde nihil condonare videtur. 110.

Sed author hic minimè vſque ad medullas xrgumenti Vaſquez ſe inſinuaſſe videtur. Ratio eius nuper præiacta eò intendit, vt probet impoſſibilem fuiſſe Chriſto ſatisfactionem ex iuſtitia, & vt aſſequatur votum, boc medio vtitor; ſi Chriſto eſſet poſſibilis pro peccatis ſatisfactio, maximè ea, quæ fieret per actus, qui non eſſent ab ipſomet Deo. Sed iſti ſunt impoſſibiles. Ergo Cbriſto oon eſt poſſibilis ſatisfactio ex iuſtitia. Et ex his rectè infert vlterios, Deom Creditorẽ ſimiles actus (ſcilicet qui non ſint à Deo) nullo modo à Chriſto exigere poſſe. Nõ tamen infert, 111.

nec inferri poteſt ex vi ſui diſcurſus, quòd ſine talibus actibus poſſit conſiſtere ſatisfactio ex iuſtitia; Quod tamen infertur, eſt repugnantia ſatisfactionis ex repugnantia taliũ actuum; quia, vt non ſemel reperiui, de conceptu formali ſatisfactionis ex iuſtitia eſt, quòd non fiat ex bonis acceptis à Creditore. Ergo ſi ex vi ſolutionis Lugi, impoſſibiles ſunt Chriſto actus, qui non dependeant, & ſint ex gratia & bonis Dei Creditoris, optimè infertur, Chriſto impoſſibilem fuiſſe ſatisfactionem ex iuſtitia. Vode non poſſe Deum creditorem exigere à Chriſto debitore actus, qui non ſine ex gratia ipſius Dei Creditoris, prouenit ex impoſſibilitate talium actuum, non verò ex eo quòd ſimiles actos neceſſarij noo eſſent, vt illis fieret ſatisfactio ex iuſtitia: ex quo deduces, quòd dum per actus procedentes ex gratia creditoris ſoluitur debitum, nulla condonatio fit debitori de non eliciendo ſcilicet actus nollo modo dependentes ex gratia Dei Creditoris, quia non eſt poſſibilis condonatio obligationis impoſſibilis, cùm igitur impoſſibiles ſint omnino actus independentes à Dei gratia, fit, quòd obligatio eliciendi ſimiles actus ſit impoſſibilis, necnon eius condonatio, hæc enim non datur, dum impoſſibile eſt debitum & obligatio, quæ condonetur. Quid igitur condonabitur? Reſpondet Vaſquius condonari maculam peccati proprij vel alieni, cùm impoſſibilis ſit ſatisfactio ax iuſtitia pro illis ſiue à pora creatura, ſiue à Chriſto elicienda; ex hac enim impoſſibilitate ex iuſtitia ſatisfaciendi, liberatur ab obligatione ſatisfaciendi ex iuſtitia; atque adeo eximitur ab obligatione ſatisfaciendi per actus, qui non ſint ex gratia Dei Creditoris profecti, non quia (vt exiſtimabat Lugus) tales actus ſi eſſent poſſibiles fieri independenter à Deo non ſufficerent ad inducendam obligationem ſatisfaciendi per illos.

112. Alij aliter rationem dubitandi ſoluere prætendunt; docentes, Chriſtum non totaliter accepiſſe à Deo actus, quibus pro peccatis ſatisfecit, ſed partialiter; etenim etiam ipſe Chriſtus cooperatus fuit in eorum exercitio, gratiæ Dei cooperanti, quæ inquam Chriſti cooperatio moraliter æſtimatur multùm valere ad ſatisfaciendum Vnde opus liberum Chriſti dupliciter conſiderari dicunt. Vel prout à Deo, vel proot à Chriſti humanitate, ſi primo modo accipiatur negant ſatisfactorium fuiſſe. Si verò ſecundo modo conſideretur, ſatisfactorium eſſe profitentur.

113. Verùm hæc ſolutio, licèt aliquid verum miſceat, tamen nou plenè ſatisfacit. Etenim nihil conſiderabile eſt in hominis actione, quòdque etiam provt eſt ab homine, à Deo quoque non ſit, & donum ſpeciale; etenim ideo prædeterminationem conſtituimus neceſſariam ad omnem operationem, vt hæc non ſolùm ſit quomodocumque à Deo ſecundùm ſuam entitatem, ſed etiam, vt ſecundùm illam formalitatem, qua ab homine dependet, à Deo dependeat, vt latè dedimus *tractatu de auxiliis diſp. 1. dub. 2. n. 3.* iuxta quæ idem cenſebitur moraliter dare phyſicam prædeterminationem ad actum, ac dare ipſum actum. Ergo ſi vt Chriſtus ſuas operationes eliceret, eguit prædeterminationibus pro ſingulis eliciendis, illas elicuit dependenter à dono Dei taliter, quòd totæ operationes & totaliter eſſent operationes Dei. Conſequentia patet ex dictis. Ergo Deo conferente prædeterminationes illas moraliter diceretur illas operationes etiam Chriſto conferre. Ergo illæ operationes Chriſti eſſent operationes Dei totæ & totaliter. Ergo Chriſtus, qui erat debitor, ſatisfaceret per illas, tamquam per donum & gratiam Dei Creditoris. Ergo non ſatisfaceret ex iuſtitia, ob defectum conditionis, de qua hîc huc vſque eſt concertatio.

Reſpondendum igitur exiſtimo notans. Aliud eſſe, opus procedere ex gratia Creditoris taliter, quòd nihil habeat debitoris. Et aliud, procedere ex gratia creditoris taliter, quòd etiam ſit proprium debitoris opus. Hoc inter ſe differre, verba ipſa dant. Hoc notato, dico. Conditionem ſatisfactionis ex iuſtitia excludere primum genus operum, non ſecundum, vnde ſtabit bene, quòd opus ſit ex gratia Creditoris, & quòd medio illo debitor ſatisfaciat ex iuſtitia Creditori, quia cum hoc quod eſt opus eſſe ex gratia Creditoris, compatitur bene illud idem opus eſſe proprium ipſius debitoris. Vnde licèt opera Chriſti ſint ex gratia ipſius Dei creditoris, etiam prout ſunt à Chriſto, nihilominus ſunt etiam opera Chriſti, qui eſt debitor. Ratio; quia licèt voluntas à Deo prædeterminetur, vt opera eliciat, tamen cum media illa libertatem à voluntate non ſummoueat, libera plenè manet, & domina ſuorum operum, vi cuius extat indifferens abſolutè ad illa elicienda vel omittenda, atque adeo dum hîc & nunc tametſi prædeterminata opus cauſat, aliquid, quod ſuum eſt, in lucem edit, cùm præ ſua indifferentia ab eius productione arceri valeat. Etenim teſte *Tridentino* voluntas à Deo excitata & mota non ſe habet ad conſenſum, tamquam inſtrumentum emortuum & inanime. Ergo vt viuum. Eius tamen ad conſentiendum vita, quid ni aliud quàm dominatrix libertas in opera, quæ pro ſuo delectu eligit facienda? Ergo ſtabit bene cum hoc, quod eſt voluntatem Chriſti elicere opus ex gratia operante & cooperante Dei Creditoris, & quòd tale opus ſit etiam ſub dominio Chriſti illud liberè elicientis. Ergo etiam ſtabit bene Chriſtum per tale opus ſatisfactionem Deo præſtare ex iuſtitia. Quia hæc nihil aliud exoptat, quàm quod fiat ex bonis propriis ipſius debitoris. 114.

Ex his applica formam rationi dubitandi, non ſemel ſed millies repetitæ, & potiſſimùm in ſecundo corollario appoſitæ. Deus contulit Chriſti voluntati auxilia antecedentia, & concomitantia, ex pacto, vt mediis actibus à prædictis auxiliis factis, & ſimul à voluntate, tamquam eorum domina productis concedo antecedens, vt mediis actibus à prædictis auxiliis factis, nullo modo à voluntate Chriſti, tamquam domina illorum concurrente, nego antecedens, & nega abſolutè conſequentiam. Ad probationem reſponde explicans modum, quo nos intelligimus conditionem hanc ad ſatisfactionem requiſitam, quem in nuper dictis io veches. 115.

Ex

Ex quo diſparitatem dabis exemplo, cui totus Vaſquez confidit. Etenim ille, qui ſoluit ceotum, totidem à creditore acceptis, ex pacto, vt illis ſatisfaceret ipſi Creditori, non ſoluit per aliquid ſibi proprium, cùm illorum centum non conſtituatur Dominus, vt ſuprà explicuimus in fine reſolutionis ſecundæ. At verò voluntas humana Chriſti, licèt ſatisfaciat per actum à Deo Creditore procedentem, tamen ille actus proprius cenſebatur eiuſdem voluntatis humanæ Chriſti propter rationem datam.

Sectio VII.

Argumenta ex quarta conditione petita.

116. Aliam conditionem examini ſubiicio, cuius enodatio dictis ſuprà adauget lucem, & quæ dicta ſunt *ſectione* elapſa, amplius irradiabuntur. Conditio quarta ab authoribus petita, vt ſatisfactio ex iuſtitia cenſeatur, eſt, quòd fiat ex bonis debitoris, quæ Creditoris non ſint. Verùm cùm Pater Vaſquez continuus extiterit, in neganda Chriſto ſatisfactione ex iuſtitia, hanc conditionem aſſignatam eius ſatisfactioni defeciſſe, acriter profitetur. Rationem dubitandi proponam, eius ſolutiones ab authoribus inuentas efferam, quas video parum conſonas, refellam, & aptiorem amplectar.

117. Explico ſenſum huius conditionis, & rationem dubitandi ſcribo. Quando enim authores dicunt, ſatisfactionem oon debere fieri ex bonis Creditoris, non volunt dicere, quòd fiat ſatisfactio ex rebus, quæ non ſint ſub dominio etiam morali Creditoris, hoc enim falſitate notatur. Etenim ille, cui furtiuè ſubreptum eſt pallium, adhuc perſeuerat Dominus ſerius pallij, & tamen præſtito pallio ex iuſtitia, ſatisfit quoad poteſtatem phyſicam. Verùm ſi Petro verbi gratiâ debeantur 100. & dentur ipſi totidem 100. quæ antea erant ſub dominio tam phyſico, quàm morali ipſius, minimè ſatisfit priori debito. Ratio; quia nihil prorſus acipit Petrus pro tali debito, cùm ſuppoonamus illa 100. in ſua plena poteſtate reſidere. Nunc intrat ratio dubitandi Vaſquez, qua motus eſt hanc conditionem ſatisfactioni Chriſti inficiari. Etenim Chriſtus non aliter ſatisfacere poterat Deo, quàm per actus, quos reipſa exercuit, vel exercere potuit. Sed actus, quos exercuit, vel exercere potuit, erant ſub dominio Dei. Ergo ſatisfaciebat per actus, qui ſunt ſub dominio Creditoris. Ergo per actus, qui erant bona Dei Creditoris. Ergo tali Chriſti ſatisfactioni deficiebat hæc conditio ſatisfactionis ex iuſtitia, petentis neceſſariò eſſe ex bonis debitoris, taliter, quòd non ſint bona Creditoris.

118. Huic rationi dubitandi acriter authores torquenti reſpondent, in varios modos dicendi diuiſi vtriuſque Claſſis Patroni. Pater Vincentius in relectione *de gratia Chriſti pag. 385.* in hanc ſolutionem deuenit, vt aſſignet actionibus, quibus Chriſtus ſatisfecit, duplicem ſtatum; vnum, in quo dicantur actiones verbi in facto eſſe, alium, in quo accipiantur, vt ſunt actiones verbi in fieri. Conſideratæ Primo modo, aſſerit, quòd ſunt ſub dominio Dei, ſicque per illas non poterat fieri ſatisfactio ex iuſtitia Deo Creditori. Quatenus verò conſiderabantur in fieri, aſſerit, non eſſe ſub dominio Dei, ſicque per illas hoc modo conſideratas poterat Deo Creditori fieri ſatisfactio ex iuſtitia.

Sed hunc modum dicendi deſpicit communis. Etenim quocumque modo diſtinguas, fieri & factum eſſe actionum verbi, vim rationis dubitandi non fugies; vel enim hos ſtatus diſtinguis tamquam actionem à termino & ſic vtrumque eſt ſub Dominio Dei. Si tamen diſtinguantur ratione increati, ſic adhuc à Vaſquio premeris, etenim licèt illud increatum non ſit ſub dominio Dei, tameo eſt ipſe Deus, cui repugnat materiam eſſe ſatisfactionis ad ſeipſum. Et ſic dum fugere intendis argumentum, in aliud impoſſibile recidis.

Pater Suarez citatus *ſuprà verſu, vera igitur reſponſio*, quem ſequuntur Peſantius & alij, quos citat & quibus adhæret Araujo 3. *part. tomo 1. quæſtione 1. articulo 2. dub. 4.* conſtituit diſcrimen inter ſatisfactionem, & reſtitutionem, ſeu vt alij inter ſatisfactionem realem, quam reſtitutionem vocant, & perſonalem, quam nomine ſatisfactionis appellant. Quòd ſi ſatisfactio ſit pro debito reali, qualiter eſt reſtitutio, transfert dominium rei in Creditorem, quia reſtitutio verſatur in datis & acceptis, quatenus per illam reparatur damnum illatum in bonis ſuis, atque adeo neceſſe eſt, quòd res, per quam ſatisfit, ſit taliter ſub dominio ſatisfacientis, vt non ſit ſub dominio Creditoris; etenim ſi ſub illo ſit, nihil per ſatisfactionem illi conferretur. Si verò ſatisfactio ſit perſonalis & pro iniuria, de qua hic ſolùm eſt ſermo, nullum dominium transfert in Creditorem: atque adeo poterit fieri per aliquid, in quod ipſe Creditor habeat aliquod dominium, dummodo ſub illa ratione, ſub qua eſt ſub dominio ſatisfacientis, non poſſit eſſe ſub dominio Creditoris, quod pluribus confirmare prætendunt RR. Suarium ſequuti. Tum, quia, vt eſt communis authorum ſententia, ad hanc ſatisfactionem debet dari æqualitas, quam iuſtitia reſpicit. Rurſum apud Iuriſperitos eſt certum, quòd æqualitas hæc neceſſariò petit diſtincta iura, & quòd aliud ſit ius ſatisfacientis, & aliud ius Creditoris. Ergo impoſſibile eſt quòd actio ſatisfactoria aliquo modo non ſit ſub dominio ſatisfacientis, ac eſt ſub dominio Creditoris. 119.

120. Tum vlteriùs, quia fert communis vox, iuſtū, quod reſpicit iuſtitia, habet rationem, contrapaſſi, ad hanc autem rationem requiritur ſaltem ſecundùm aliquem modum, quòd actio ſatisfaciens non ſit ſub dominio Creditoris, etenim ſi omnibus modis eſſet ſub illius poteſtate, ſatisfaciens nihil in ſatisfactione contraparetur, ſicque non ſeruaret æqualitatem iuſtitiæ.

121. Incrementō ſumitur ex eo quòd actio, per quā fit ſatisfactio debet eſſe libera; ſed de ratione libertatis eſt, vt actio ſit ſub dominio ſatisfaciētis &

& illo modo, quo eſt ſub eius dominio, non ſit ſub dominio Creditoris. Ergo hoc dominium neceſſariò petitur ad ſatisfactionem ex iuſtitia. Minorem probo, quia de ratione libertatis eſt, vt actio libera ſit quodammodo libera à dominio alterius, ſaltē ſecundùm modum quo à principio libero procedit; nam ſicut nemo per vitam alterius viuit, ita per alius libertatem eſt liber nemo. Vnde licèt Deus habeat dominium in meam liberam actionem, non tamen conſtituitur Deus formaliter liber per illam, & ſic reſpectu illius ſolùm habet dominium ſicut reſpectu cuiuſque alterius creaturæ: non verò illud ſpeciale, quod habet agens liberum in illam actionem, quia illa actio reſpectu Dei ſolùm erit imperatiuè libera, non verò eliciriuè. Hac enim de cauſa *tractatu de auxilijs diſput.1.dub.2.& 3.* diximus ex communi, quòd ſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ, vt voluit Ariſtoteles, & eodem concurſu concurreret cum cauſa ſecunda ſicut concurrit modò, actio eodem modo eſſet libera reſpectu cauſæ ſecundæ, ac modò eſt, & tamen Deus in eius productione non eſſet liber.

122. Iam quòd dominium hoc ſufficiat ad ſatisfactionem perſonalem, & non requiratur aliud negatiuum, excludens dominium Creditoris in eamdem actionem oſtendi poteſt, quia per hanc ſatisfactionem non transfert ſatisfaciens dominium aliquod in Creditorem; ſed ſolùm intenditur deſtructio iniuriæ illatæ. Ad hanc verò iniuriam deſtruendam non requiritur excluſio dominij Creditoris in talem actionem, ſed ſolùm obſequium ſatisfacientis. Ergo talis excluſio dominij non eſt neceſſaria ad ſatisfactionem. Probari poteſt minor exemplo humanæ ſatisfactionis. Quia ſi Petrus verbi gratia, fecit iniuriam Paulo, & poſtea Pater Pauli conſtitutus eſſet in arctiſſimo carcere, & Paulus non poſſet illum à carcere præripere niſi accedente Petri iuuamine, hæc actio Petri, adiuuantis Paulum ad liberandum patrem eius, poterat eſſe ſufficiens ſatisfactio pro illa iniuria, licèt in talem actionem ſimul concurreret cum Paulo, & Paulus concomitanter haberet dominium in illam, quia adiutorium illud ex parte Petri, quamuis non excludat conſortium Pauli, prout verò eſt à Petro eſſe poterat ſufficiens remotio iniuriæ Paulo ab ipſo illatæ. Ergo ad hanc ſatisfactionem non requiritur excluſio conſortij dominij Creditoris.

123. Nec aptè replicabis dicens ex hac doctrina ſequi, quòd in hoc genere ſatisfactionis non excludatur gratia concomitans Creditoris, contra illud quod ſuprà *ſectione* elapſa diximus; ſequelam probo; quia quando Creditor habet concomitans dominium in actionem meam, facit gratiam concomitantem, concurrendo mecum ad talem actionem, per quam ſibi ſatisfit. Ergo non ſtat excluſio cuiuſcumque gratiæ concomitantis cum admiſſione concomitantis dominij. Non inquam aptè replicabis, etenim illatio bona non eſt, ſiquidem admittere dominium Creditoris, non eſt idem, quod admittere gratiam concomitantem in ſatisfactione, quia illud dominium Creditoris non habet ſe ex parte ſatisfacientis, etenim hic non ſatisfacit ratione illius dominij, ſed præcisè ratione dominij proprij & per illam actionem præcisè, vt eſt à ſatisfaciente, adæquatè tollitur iniuria; gratia verò concomitans ideo impedit ſtrictam iuſtitiam ſatisfactionis, quia abſque illa non adæquaretur iniuria per dictam ſatisfactionem.

Diffuſum hunc ſermonem iſti modo dicendi indidi, quia probabiliorem omnibus iam diu exiſtimaui, illumque ex prædictis amplius ponderatis muniui. Verùm re ſeria lance appenſa, ex ipſo quædam ſubſilit difficultas, quæ ſolùm incumbit in diſcrimen illud poſitum, inter ſatisfactionem honoris, & famæ, quæ perſonalis dicitur, & ſatisfactionem realem, quæ reſtitutio ab his authoribus appellatur. Etenim ſatisfactio honoris & famæ, quæ ex iuſtitia fit, eſt vera honoris ablati reſtitutio, & ſolùm differt à reſtitutione reali, quòd hæc pecuniam reddat, vel damnum corporis compenſet; Perſonalis verò honorem & famam recuperet. Vnde quod in pecunijs dicitur reſtitutio realis, in honore & fama appellari debet perſonalis reſtitutio, atque adeo ex diuerſitate materiæ, circa quam verſantur, diuerſis nominibus afficiuntur. Ergo ſicut in reſtitutione pecuniarum datur pecuniæ traditio, quæ ſub dominio Creditoris non ſit, ita in reſtitutione honoris & famæ, exerceri debet traditio honoris & famæ, quæ non ſit ſub dominio Creditoris. Confirmo hoc ipſum, & explico. Pone caſum, te quinquaginta poſſidere, & ex illis à te inuito viginti quinque Petrum ſubripuiſſe; quis confitebitur, Petrum poſſe tibi ex iuſtitia reſtituere per alios viginti quinque aureos quos apud te intactos reliquit? nemo. Ergo nec rectè quis annuet in caſu, quo quatuor gradibus honoris afficiaris, & Petrus illorum duos abſtulerit, poſſe ex iuſtitia tibi ablatos gradus reſtituere per alios duos, quos apud te illibatos reliquit. Ergo non magis perit reſtitutio realis pecuniarum, quòd fiat per pecuniam, quæ ſub dominio Creditoris non ſit, quàm reſtitutio honoris & famæ quæ perſonalis nuncupatur, atque adeo hæc petet eſſentialiter traditionem veram honoris, & famæ, quæ non ſit ſub dominio Creditoris. 124.

Sed occurres; optimè comparì poſſe per actiones alias debitas ex iuſtitia, honorem & famam aliquando reſtitui, vt contingit in ſeruo. Et rurſum, poteſt Creditor per actionem ſibi propriam, famam deperditam nanciſci, & ſe in priſtinam æſtimationem redigere. Ergo in ſatisfactione honoris, & famæ, non requiritur, quòd fiat per id, quod totaliter non ſit ſub dominio Creditoris. Sed contra quia id in ſeruo euenit, quia vtrumque debitum cadit per eamdem actionem. Ad illud quod addebatur de Creditore, qui per ſuam actionem ſe in priſtinam famam redigebat, fateor id verum eſſe, ſed ſolùm conuincere damnum illud actione creditoris poſſe compenſari non autem debitorem pro illo ex iuſtitia ſatisfeciſſe: Quis enim dubitare poteſt, poſſe me 125.

compa

comparare famam, quam Petrus iniuſte detraxerat, etiam ipſo Petro renuente, imo & contrarias partes agente? nemo; & tamen in tali caſu, licèt damnum, quod mihi intulit Petrus, reſarciam, non tamen pro recenſita famæ detractione ſatisfeciſſe Petrum verificabitur.

126. Sed occurres aliter, ſed fortiter, non requiritur ad actionem offenſiuam, quòd non ſit ſub dominio Creditoris offenſi. Ergo nec requiretur ad ſatisfactionem, quòd actio, per quam fit, non ſit ſub dominio Creditoris. Conſequentia infertur bene, quia magis aliena debet eſſe à Creditore offenſo actio illius offenſiua, quàm actio ſibi ſatisfaciens. Nunc antecedens probo, quia quolibet peccato mortali Deum verè offendimus, & tamen Deus ad minùs concurrit ad materiale peccati, vt latè ſcripſimus ex communi *tractatu de voluntate Dei diſputatione 3. dubio vltimo*, nec non *tractatu de auxiliis diſput. 1. dub. 2.* tamquam cauſa vniuerſalis, & vniuerſalis Dominus illius actionis in eſſe Phyſico conſideratæ. Ergo non requiritur ad actionem offenſiuam, quòd non ſit ſub dominio Creditoris offenſi. Ergo ſicut poteſt offenſus manere per actionem, quæ aliàs ſit ſub dominio illius, ita poterit manere ſatisfactus per actionem, quæ ſit ſub dominio eius.

127. Nec reſpondebis exactè, negando paritatem, dicens, per peccatum mortale non inferri Deo iniuriam ſtrictam, quæ ſit iniuſtitia propria, & ſic mirum non eſt, quòd, vt ſit Deo offenſa quomodolibet in Deum illata, non deſideretur, quòd actio quæ exercetur, non ſit ſub dominio Creditoris qui eſt Deus offenſus. At verò in præſenti eſt ſermo de ſatisfactione, ex ſtricta iuſtitia promanante, quæ cùm eſſentialiter requirat diuerſa iura ex parte Creditoris & debitoris, & hæc conſiſtere nequeant, ſi res per quam ſatisfactio fit, ſit ſub dominio Creditoris, vt ſuprà declarauimus, fit, ſatisfactionem hanc neceſſariò expoſtulare, vt id, per quod exercetur, non ſit ſub dominio Dei Creditoris. Non inquam rectè inſtabis, etenim quodlibet lethale peccatum inuoluere ſecum rationem propriæ iniuriæ Deo illatæ, quæ ſit propria iniuſtitia *ſectione vltima* manifeſtè reſerabimus. Sed dato hoc, minimè cuilibet peccato mortali competere, tamen in ſententia adhuc eorum, qui peccato mortali communiter rationem iniuriæ denegant, peccatum blaſphemiæ ſtricta iniuria & iniuſtitia contra Deum facta recenſetur. Sed materiale iſtius peccati eſt ſub dominio vniuerſali Dei, cùm ad illud, tamquam vniuerſalis cauſa, ad minùs concomitanter concurrat. Ergo offenſa Dei, quæ ſtricta eſt iniuſtitia, & iniuria in Deum illata compatitur cum hoc, quod eſt ſub dominio Dei Creditoris collocari. Ergo diſparitas hæc non ſubſiſtit.

128. Sed adhuc inſtabis aliam diſparitatem adumbrans. Peccatum quia malum ſubterfugere dominium Dei, quia malum eſt, quia ſic eius cauſa non eſt ita eius dominio non ſubditur, vt pote cùm illud operatur, ſortitur nomen cauſæ deficientis, & in genere deficientis tam æquè primatum independentiæ obtinet, ac Deus in genere efficientia illum obtineat, quare ſicut Deus alterius dominio non ſubiacet, ſic creatura in deficiendo, alterius dominio etiam diuino non ſummittitur. Quod eſt in cauſa, vt eius actiones, quatenus defectuoſæ & prauæ, procul ſint à poteſtate diuina; & rurſum hoc ipſum erit in cauſa, quare offenſa Dei ſit vera iniuſtitia, & iniuria illata Deo, cùm talis offenſa exerceatur per id, quod non eſt ſub poteſtate & dominio Creditoris offenſi. Contrarium tamen inuenitur in ſatisfactione, quæ quia bona eſt tota & totaliter, nihil imbibit, quod non ſit ſub dominio Dei, quia cùm nihil ſit in ea, quod bonum non ſit, & omne bonum ſurſum, hoc eſt, à Deo deſcendat, fit nihil eſſe in ea inuentum, quod eſſentialiter non terminat diuinam cauſalitatem, & in quo dominium diuinum intromiſſum non ſit. Ergo cùm ſatisfactio nedum pro materiali, verùm pro omni formali eius ſit ſub dominio creditoris Dei, non poterit ex iuſtitia ſtricta procedere. Ergo peccatum poterit eſſe offenſa, iniuria & iniuſtitia Dei, quia licèt materiale eius ſub dominio Dei ſit, tamen formale eius, in quo eſſentialiter conſtituitur offenſa & iniuria, dominium diuinum ſubterfugit, & ſic mirum non eſt, quòd ex qua parte non eſt ſub dominio Dei, illum iniuſtè lædat, non tamen ſic licebit diſcurrere de actione bona, per quam ſatisfactio exercetur ob rationem datam.

His conuictus hunc modum dicendi deſerui, & alium defendendum, vltimo loco ponendum, ſuſcepi. Interim tamen aliorum dicta examinabo. Authores alij ſic rationi dubitandi occurrunt, dicentes, actiones Chriſti non fuiſſe ſub dominio Dei; quia poterat Deus illas non exigere, & cedere iuri, quod in illas habebat. Verùm iſti magis à vero abſunt, cùm ſit apud veritatem certum, Deum minimè poſſe abdicare dominium, quod habet actionum Chriſti, vel alterius creaturæ; etenim quamuis Deus poſſet actiones illas non exigere; & hoc ſimul promittere; tamen ſecluſo præcepto, ſupererat Deo modus quo poſſet illaſmet actiones producere; etenim quotieſcunque illæ poſſunt à Chriſto liberè fieri, poteſt Deus illas etiam liberè cauſare; imo nunquam illas cauſabit Chriſtus, ſi diuinis auxiliis non affluxerit. Ergo nullo in caſu actiones elicere poſſet, in quo ſub dominio Dei non reponantur. 129.

Nazarius hic, quem ſequuntur RR. Complutenſes Thomiſtæ, necnon & Raguſa *diſputatione* 25. §. 3. qui omnes citant Vincentium ſuprà allatum, ſed hic aliud effugium meditatus fuit; aſſerunt ergo, in Chriſto, virtute duplicis naturæ, conſiderari poſſe duplex actionum dominium; atque adeo aliqua eſſe ſuppoſiti propria, quæ minimè ſunt Dei; ponit exemplum, hoc quod eſt eſſe operans in natura, hoc enim conuenit verbo ratione vnionis in natura, qua quidem vnione non afficiuntur Pater & Spiritus S. Rurſum opera Chriſti, vt ſunt propria ſuppoſiti, non ſunt opera Dei, ſeu non ſunt ſub dominio Dei, 130.

quia ſuppoſitum diuinum non eſt ſub dominio Dei, quia cùm ſit ſuppoſitum increatum ſubſiſtentiam ipſius verbi includit, atque adeo ipſum verbum, quod, quia æquale Deo, ipſius dominio non ſubiacet; ex quo aſſignat diſcrimen inter opera ab aliis ſuppoſitis procedentia, & inter ea, quæ ortum habent à ſuppoſito verbi, quòd opera aliorum ſuppoſitorum, ſunt opera aliorum ſuppoſitorum quæ ſub dominio Dei ſunt, opera verò Chriſti non ſunt opera ſuppoſiti, quod ſit ſub dominio Dei, quia quod increatum eſt, ſub dominio Dei non eſt; & ita eo ſpeciali titulo, quo ſunt opera ſuppoſiti, non ſunt opera Dei, & hac ratione ſubire poterunt rationem perfectæ ſatisfactionis ex iuſtitia, cùm prædictis operationibus minimè obſit conditio iuſtitiæ, ob cuius defectum aſſerebat Vaſquius, ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia non fuiſſe.

131. Sed modus hic plura tenet, quæ deſiderant examen quibus datis etiam, minus præ cæteria placet. Singula percurram. Imprimis illud, quod aſſerit, aliqua eſſe ſuppoſiti propria, quæ non ſunt propria Dei, duplicem ſenſum inuoluit. Vnum verum, alium falſum. Verum, ſi velit dicere, quòd ea, quæ conueniunt verbo in genere quaſi cauſæ formalis, ratione hypoſtaticæ vnionis, ſint propriè ſuppoſiti, & non Dei, quia verum eſt, vnionem hanc ſoli verbo & non ſuppoſitis diuinis competere. Falſum ſi intelligatur de his, quæ illi conueniunt in ratione principij puri actiui; etenim in hoc genere nihil ab vno eſt ad extra productum, quod ab aliis diuinis ſuppoſitis productum non ſit. Vnde poteſt dici verbum ſpecialiter operans in natura, quia verbum ſpecialiter eſt tali naturæ vnitum, ita vt reddat hunc ſenſum, verbum ſpecialiter, imo & vnicè terminans naturam eſt actiuum principium actionum naturæ per influxum æqualiter, & indiuiſibili exitu à tota trinitate procedentem; Et conſequenter illæ propoſitiones, quas recenſet Nazarius, verbum tantùm vt exiſtens in natura humiliatur, obedit Patri, & patitur, &c. Si illa dictio, *tantùm*, excludat Patrem & Spiritum ſanctum ab vnione in eadem natura, ſunt veræ; ſi tamen *ly tantùm* excludat dictas perſonas ab influxu actiuo à verbo in illas actiones præſtito, ſunt falſæ, quia obuiat decretis fidei ſancientibus omnia opera ad extra eſſe æqualiter à tota trinitate producta.

132. Aliud quod addidit Nazarius, nempe operationes verbi non eſſe ſub Dei dominio, & verbi ſuppoſitum ſub Dei dominio non eſſe, eſt falſum. Etenim ſi ſcrutemur quæ inuenta ſint in actionibus verbi, inueniemus, illa aut eſſe quid increatum, aut creatum. Si loquamur de eo, quod creatum eſt, de fide eſt ſub Dei dominio eſſe. Si verò loquamur de eo, quod increatum eſt, illud eſſe cum Deo identificatum, fides docet & ratio. Ergo per illud non poterit ſatisfactio fieri ex iuſtitia. Patet hoc efficaciter, quia non minùs obeſt ſatisfactioni Deo creditori offerendæ illius materiam eſſe cum ipſo Deo identificatam, quàm eſſe alio modo ſub dominio Dei; etenim ideo nequit ſatisfactio fieri, per id, quod eſt ſub dominio creditoris, quia quod ſub tali dominio eſt, proprium creditoris eſt, ſed quod eſt cum Deo identificatum, eſt proprium Dei creditoris. Ergo id, quod eſt identificatum Deo, non poteſt eſſe materia, qua ſatisfiat Deo. Imo ſi rem penitius expenderim, comperiam. Illud increatum, in actionibus Chriſti inuentum, magis obeſſe ſatisfactioni Deo Creditori dandæ, quàm ſi alio modo ſub dominio Dei diceretur. Ratio; quia magis eſt proprium Dei, quod eſſentialiter eſt Deus ipſe, quàm id, quod cum illo non identificatum, ſit ſub dominio Dei: ergo magis impedit ſatisfactionem id, quod cum Deo identificatur, quàm id, quod ſub dominio eſt, dummodo cum Deo identitatem non vendicet. Quis enim non conſpiciet magis elongati à ſatisfactione ex iuſtitia, Creditori ſatisfacere per propriam ſuam entitatem, quàm ille per ea, quæ ſub dominio ſunt, ſatisfactionem præbere?

Pater Tannerus *diſp.* 1.*quaſt.* 1.*dub.*6.*n.*235. Granadus *tomo de incarnatione tract.*2. *diſp* 4. *num.*21. Puente *tomo de incarnatione diſput.*12. *ſect.*4.*num.*124. aliam viam faciliorem aggrediuntur, vt vim rationis dubitandi declinent. Decernunt ergo tria. Primum; Chriſtum habuiſſe verum & reale dominium ſuarum actionum. Secundum; Deum earumdem actionum eſſe vniuerſaliſſimum Dominum. Tertium; & cum his compati bene Chriſtum ſatisfeciſſe actionibus ſuis de iuſtitia. Et vt huic doctrinæ conditio præſens non obuiaret, aſſerunt, Doctores omnes docentes ad ſatisfactionem ex iuſtitia requiri, quòd non fiat ex bonis Creditoris, vel loquuntur de ſatisfactione ab vna creatura alteri facta, vel de ſatisfactione, quam creatura, vel Chriſtus Deo offerre poteſt. Si de prima, conditio illa ſic intelligenda venit, quòd ſatisfactio fiat ex bonis, quæ non ſint ſub dominio Creditoris; ratio eſt clara, quia cùm in creatis non poſſit eſſe dominium in ſolidum apud duos, eo ipſo quòd vnaquæque creatura ſatisfaciens debeat ex propriis ſatisfacere, materia ſatisfactionis eius non poteſt eſſe ſub dominio Creditoris, aliàs einſdem rei dominium extaret apud duos homines. At verò ſi loquantur de ſatisfactione à Chriſto vel creatura alia Deo facienda, intelligenda eſt illa conditio, quòd ſatisfactio debeat fieri ex bonis, quæ ſint propria ipſius debitoris. Ita vt ſit idem in ſatisfactione Deo danda, debere fieri ex bonis, quæ non ſint ſub dominio Creditoris, ac debere fieri ex bonis, quæ ſint ſub dominio debitoris, & illi propria. 133.

Verùm licèt doctrina hæc maximè affinis ſit noſtræ adductæ *ſect.* 2. 3. adhuc tamen patitur ſcrupulum hunc, qui ex ratione dubitandi ſuboriri poteſt; etenim ſi id, quo ſatisfactio exercetur, ſub dominio Creditoris eſt, licèt ſit etiam ſub dominio debitoris, nihil apparet, quod poſſet debitor Creditori conferre, quod ipſe Creditor in ſe non habeat. Ergo non ſatisfaciet Creditori. Conſequentia patet, quia ſi illud quo debitor ſatisfacit, habet Creditor à ſe. Ergo nihil illi reddet, vi cuius, inæqualitatem antecedenter factam ad æqualitatem reducere valeat. Hoc patet in exemplo ſæpius adducto, ſi enim mihi debitor eras quinquaginta, inæqualitatē ex iuſtitia patiar, quouſque 134.

à

à te ſatisfiam. Rurſum hæc inæqualitas perſeuerabit in me, ſi mihi nihil de nouo præſtiteris, quod antea non haberem. Ergo ſi homo, Chriſtuſue, nihil de nouo reddere Deo poteſt, quod non ſit ſub dominio Dei, nunquam dicentur Deo perfectè ſatisfacere.

135. Ex dictis, hoc toto dubio diſperſis, colligam modum dicendi, qui ſuauius liniat robur rationis dubitandi, iuxta principia probabilia ſuprà allata *ſect*. 5. in ſolutione rationis dubitandi. Nota *ex tractatu de prædeſtinatione diſp*. 2. *dub*. 3. *num*. 5. diuerſimodè Deum creaturis poſſibilibus, & exiſtentibus dominari, reſpectu illarum in actu ſecundo dominium aliquod non exercet, quapropter ad illas aliqua prouidentia Dei exercita hîc & nunc non terminatur, atque adeo minimè à prouidentia actuali dependere cenſentur, potiſſimùm ſi crediderim Thomiſtarum aſſerto docenti, poſſibilia, vt alia, ſubterfugere omnem actum diuinæ voluntatis, etiam inefficacis complacentiæ. Cum hoc ſtat bene, quòd poſſibilium cenſeatur Deus quaſi in actu ſignato, & in actu primo ſerius & proprius Dominus, quatenus vt exiſtentiam habeant, egent diuina virtute, cui Dominium Dei vnicè innititur. Reſpectu verò exiſtentium eſt Dominus Deus quaſi exercitus, & in actu ſecundo prouiſor, quatenus iamiam à ſe poſſeſſas in actu exercito obtinet. Ex quo fit quòd exiſtentes creaturæ ſint in actu ſecundo ſub Dei dominio: poſſibiles verò ſolùm in actu primo, vel in actu ſignato.

136. Hoc notabile applica ad Chriſtum ſua opera liberè exercentem. Actus enim Chriſti antequam liberè elicerentur ab illo, erant ſub dominio Dei quaſi in potentia, & in actu primo, vel in actu ſignato, dum verò elicerentur, conſtituebantur in actu ſecundo exercito ſub dominio ipſius Dei. Ex quo inferes, quòd cùm exiſtentia in actibus deſideretur, vt ſub dominio Dei in actu exercito ſint, ſequitur, quòd ille idem, qui extiterit illorum exiſtentiæ cauſa, erit ſimiliter cauſa ponendi ſimiles actus in actu exercito ſub ipſo dominio Dei. Ex quo iam apparet via, quomodo Chriſtus dominus potuit perfectè ſatisfacere Deo mediis ſuis actibus, etenim cùm Deus, dum tales actus eliciebat Chriſtus, illos non exigeret, fiebat, quòd Chriſtus hîc & nunc non teneretur illos producere. Ergo cùm illos producebat, poterat illos omittere, & cùm poſſet omittere, poterat illos non conſtituere ſub dominio Dei in actu ſecundo. Ergo cùm illos eliceret, aliquid ponebat in actu ſecundo ſub dominio Dei, quod ante illorum elicientiam non ſubdebatur dominio Dei in actu ſecundo. Ergo cùm tales actus ſint proprij Chriſti, & aliàs antequam ipſe produceret illos, non erant vllo modo in actu ſecundo ſub dominio Dei, fit, prædictæ ſatisfactioni competiuiſſe conditionem ſatisfactionis ex iuſtitia, videlicet quòd fiat ex bonis proprius debitoris, quæ non ſint ſub dominio Creditoris.

137. Hoc notato reſponde in forma rationi dubitandi Vaſquij initio appoſitæ. Concede maiorem, & diſtingue minorem, ſed actus, quos Chriſtus exercuit, vel exercere potuit, erant ſub dominio Dei Creditoris in actu primo, vel in actu ſignato, concedo minorem, in actu exercito, ſeu in actu ſecundo nego minorem, vel ſubdiſtingue in actu ſecundo, quæ ſunt ſub dominio Dei Creditoris antecedenter ad ipſos actus poſitos liberè, nego minorem. Conſequenter ad ipſorum actuum poſitionem, & aliàs indebitam proximè & formaliter alio titulo, & ſolùm proximè debitam ad ſoluendum pro debito, pro quo ſatisfactio offertur, concedo, & nego conſequentiam. Etenim ſatisfacere ex bonis, quæ ſolùm in actu primo, & actu ſignato ſunt ſub dominio Creditoris, non obeſt perfectæ ſatisfactioni ex iuſtitia. Quodque hac inſtantia, ſuprà ad aliud propoſitum adducta, amplius commendatur. Certum eſt ex dicendis *ſectione vltima* ex communiori placito. Peccatum lethale eſſe iniuriam Deo illatam iniuſtè, atque adeo per peccatum auferri à Deo honorem cultũ, & famam, ex iuſtitia Deo debita. Rurſum eſt certum, quòd iſta omnia per peccatum à Deo ſubrepta perſeuerarunt apud Deum quaſi in actu primo ſub eius dominio, & poteſtate: rationem huius frequenter dant, quia ea omnia, etiam poſt eorum ablationem, compenſare poterat Deus variis modis probè Deo cognitis Hoc iacto, ſic inſto, omnes RR. aſſerũt ſatis probabile eſſe, dictam ablationẽ honoris eſſe iniuſtitiã Deo illatam, ea ſola ratione, quòd per dictam ablationem extrahitur honor in actu ſecundo à dominio Dei, quamuis apud Deum manſerit ſub eius dominio in actu primo. Ergo licebit dicere Chriſtum prædictam inæqualitatem, ex vi peccati in Deum inductam, ad æqualitatem reduxiſſe, & damnum illatum, ex vi iniuriæ illatum, compenſaſſe, ex eo quòd Chriſtus mediis ſuis actibus liberè reduxerit ad actum ſecundum dominij Dei, bonum illud honoris, & famæ, quod tantùm erat ſub dominio Dei in actu primo.

Hanc eamdem doctrinam aliis verbis ſcribere libet, vt cuique detur optio eligendi verba, quæ ad ſuos conceptus exponendos aptiora iudicauerit. Pono ſimiliter eamdem rationem dubitandi Vaſquij ſub alia forma. De ratione cuiuſque actum iuſtitiæ apud creditorem exercentis eſt transferre dominium rei in ipſum Creditorem. Ergo id debebat exequi Chriſtus, vt homo, ſi apud Deum creditorem aliquam ſatisfactionem ex iuſtitia exercuit. Sed hoc implicat, cùm iam ſupponatur Deus Dominus illius actionis in eodem inſtanti, quo illam Chriſtus eliciebat. Ergo non potuit Deo Creditori ex iuſtitia ſatisfacere. Huic obiectioni quæ in re eſt cum præcedenti vna, eadem ſolutio eodem modo ſcripta applicari poteſt; verùm ne lateat veritas, ſub quauis verborum ſerie proferatur, eamdem ſolutionem aliter commendabo ex familiaribus vocibus. 138.

Nota ergo, duo poſſe debitorem in Creditorem transferre, vel Dominium quoad ſubſtantiam rei, quam perhibet, vel extenſionem paſſiuam dominij præexiſtentis (quod radicale, remotum, in actu primo, ſeu in actu ſignato appellaui nuper) ad materiam nouam de nouo oblatam. Hæc eſt doctrina communis, qua notata dico. Creatum debitorem in ſuum Creditorem, creatum transferre dominium quoad ſubſtantiam, quia cùm nequeant eiuſdem rei 139.

eſſe inſolidum condomini, fit, quòd in Creditore ſupponi debebat carentia, & priuatio iuris ad ipſam rem; at verò cùm Creditor eſt Deus, & creatura debitor, hæc nequit in Deum Creditorem dominium quoad ſubſtantiam transferre (quod in actu primo radicaliter diximus ſupponi in Deo) quia hoc præexiſtit in Deo in priori naturæ, vtpote concurrente cum Chriſto ad illas actiones Chriſti. Sed ad ſummum creatura vel Chriſtus, vt homo, dat Deo nouam extenſionem paſſiuam dominij, ad nouam materiam libertatis exercitæ; ad quam dominium Dei, præexiſtens ante determinationem liberam Chriſti, non terminabatur: atque adeo ratione ipſius Chriſti, liberè ſe determinantis, & ſuas actiones liberas producẽtis, Deus extendit ſuum dominium ad materiam nouam, quam obtulit Chriſtus humanus debitor, cùm poſſet liberè eam omittere. Incrementum ſumit doctrina hæc ex alia cõmuniter data apud Theologos *tract. de ſcientia Dei* vbi dicitur, nos facere, quòd Deus aliquid de nouo cognoſcat, non ad hunc ſenſum, quòd de nouo conferamus Deo nouum actum cognitionis quoad ſubſtantiam, ſed nouam extenſionem cognitionis præexiſtentis, hoc eſt, ponimus nouum terminum, qui, vtpote liber, poterat à nobis non poni, ideo dicitur abſolutè nos poſſe facere, quòd Deus aliquid de nouo cognoſcat. Hoc totum eſt rationi dubitandi applicandum.

140. Supereſt ſolùm, vt finem exactè huic ſectioni demus, vnum ſcrupulum diuellere. Inſurgit enim ex his, quæ in noſtro modo dicendi decreuimus, nempe ſatisfactionem ex iuſtitia Chriſti ad Deum, petere fieri ex propriis bonis ipſius Chriſti, licèt aliàs extiterint in actu primo ſub dominio Dei. Ergo ſi actus Chriſti, vt ſatisfactorius, non eſſet ſub dominio Chriſti, impoſſibilis erat per illum ſatisfactio. Hoc bene infertur. Tunc ſic, ſed actus Chriſti, vt ſatisfactorius, non erat ſub dominio Chriſti. Ergo intentum. Antecedens probo. Actus Chriſti, vt valoroſus, non erat ſub dominio illius, ſed actus Chriſti, vt ſatisfactorius eſt vt valoroſus. Ergo actus Chriſti vt ſatisfactorius, non eſt ſub dominio Chriſti. Maiorem probo & explico ex doctrinæ communi, quòd valor meritorius operum Chriſti, ſiue conſideretur ex parte formæ, ſiue ex parte vnionis moralis ipſius ad prædicta opera, non ſubordinabatur voluntati Chriſti, neque erat ſub eius libera poteſtate, & ex hoc conſtituebamus diſcrimen, inter valorem ortum à perſona verbi, & valorem ex gratia habituali in nobis profectum. Ex hac doctrina infero, ergo Chriſtus non habebat ſpeciale dominium in valorem, per quem ſatisfaciebat. Ergo neque in actum vt valoroſum. Ergo non poterat ſatisfacere per id, quod eſſet illius proprium bonum. Ergo deficiebat illi ex hac parte conditio à ſatisfactione iuſtitiæ deſiderata.

141. Reſpondeo. Dominium ſatisfacientis, requiſitum ad ſatisfaciendum, non cadere ſupra formalitatem actionis ſatiſfactoriæ, ſed ſupra eius realitatem, taliter, quod ſatisfaciens verè ſit Dominus illius actionis ſecundùm eius realitatem entitatiuam, ad hoc vt per illam propriè ſatisfacere queat. Aliud enim eſt, ratio dominij, aliud, verò res ipſa, ſupra quam dominium habetur; ad rationem dominij ſufficit quòd ſit aliqua ratio libera, reperta in tali actione, ratione cuius ſatisfaciens dicitur verè dominus illius actionis, licèt detur in illa aliqua formalitas, quæ vt talis reſultet in actionem dependenter à libertate ſatisfacientis, ex quo fit, quòd Chriſtus erat verus Dominus illius valoris, per quem ſatisfaciebat, realiter, non verò formaliter, vel ſecundùm formam, quæ illum tribuebat, quæ cùm eſſet diuinitas ipſa, non poterat eſſe ſub dominio alicuius, vel ſecundùm modum vnionis perſonalitatis ad operationes Chriſti, admiſſum ab aliis, qui reſultabat independenter ab influxu immediato ipſius humanitatis liberè operantis, & ratione talis dominij ſatisfaciebat Chriſtus ex propriis realiter, quod ſufficit ad veram ſatisfactionem; ſicut ſufficit ad rationem offenſæ, dominium reale in actionem, licèt non habeat dominium in ipſam offenſam per immediatum influxum, in illam reſultantem neceſſariò ex poſitione liberæ actionis. Et hæc ſufficiant pro quarto argumento, ex quarta conditione poſtulato.

Sectio VIII.

Argumentum ex quinta conditione petitum.

QVintam conditionem pro ſatisfactione ex iuſtitia communiter RR. aſſignant, & eſt, ſatisfactionem ex iuſtitia debere eſſe talem, vt non poſſet à Creditore non acceptari. Hanc deficere Chriſto tuetur Vaſquez. Verùm vt eius mentem aperiam, & faciliorem viam occurrendi eius argumentis ſcribam, anteire debet duplex ſenſus, quem ſubire poteſt conditio allegata. Primus eſt, *an ſatisfactio facta à Chriſto, potuerit non acceptari à Deo, ſecluſo pacto, taliter, quòd, ſola ipſius Chriſti ſatisfactione oblata, poſſet Deus iniuriam ab hominibus illatam, pro qua extinguenda exhibebatur, non remittere, vel an Deus neceſſariò eam acceptare eſſet obligatus?* Secundus eſt, *an caſu quo Deus, ſecluſo pacto poſſet illam non acceptare, & offenſam non remittere, hoc ſufficeret, vt Chriſti ſatisfactio non eſſet de ſtricta iuſtitia.* Iſte eſt duplex ſenſus, in quo hæc conditio examinanda venit, ſed ne confuſo ſtylo rem decidam, diuidam eam in duas ſectiones, hęc præſens primo ſenſui correſpondebit, & ſequentem poſteriori ſenſui deſtinabo. Igitur quod enodaturi ſumus nunc, eſt, *an Chriſti ſatisfactio talis conditionis fuerit, vt ſecluſo pacto, teneretur Deus illam acceptare & offenſam hominum, pro qua ſoluenda offerebatur, remittere?* Ante reſolutionem notaturi eſtis, ex variis materiis moralibus. Primò, ſatisfactionem, aliã eſſe perſonalem, & realem aliam. Harum eſtis ex ſuprà allatis ſufficienter conſcij. Rurſum ſatisfactionem perſonalem, & pro iniuria aliqua oblatam aliquando fieri per aliquam actionem ſatisfactoriam, & oneroſam reſpectu perſonæ offenſæ, & aliquando fieri per rem æquiualentem actioni iniurioſæ. Hoc vltimum patet, quando Petrus pro defloratione 142.

virginis

virginis iniurioſa conſtituit illi dotem, quæ, iuxta æſtimationem prudentum, actioni illi iniurioſæ æquiualet. Quando verò ſatisfactio perſonalis primo modo fit pro iniuria, ſcilicet media actione moroſa perſonæ offenſæ, debes notare, illam actionem vel poſſe fieri ab eadem perſona, quæ iniuriam intulit, vel ab alia perſona diſtincta. Si fiat ab eadem perſona offendente, & eſt æqualis offenſæ, eſt certum apud omnes, quòd, ſecluſo pacto, talis ſatisfactio eſt ex iuſtitia, & ſeipſa iniuriam & offenſam extinguit. Quomodo verò ſatisfactio ab alia perſona fit, eſt notandum, an perſona illa, quæ per talem actionem ſatisfacit, ſit aliquid offendentis, illique ſit annexa aliqua naturali coniunctione, vt Pater cum Filio, & è contrà, vel aliqua coniunctione morali, vt fideiuſſor cum illo, cuius vices gerit, & tutor cum pupillo, &c. vel omni coniunctione ex aſſignatia deſtituitur reſpectu illius, qui obligatus eſt ſatisfacere.

143. Notare inſuper debes, pro ſatisfactione reali generaliter accepta, eſſe commune apud moraliſtas aſſertum, quòd quando eſt æqualis debito, ſiue fiat ab eodem debitore, ſiue ab alio, eſt ſtricta, & tenetur illam acceptare Creditor, omni pacto & ordinatione ſecluſa. Ratio facilis, quia in tali ſatisfactione non attenditur, niſi æqualitas rei ad rem, quæ datur, licèt à quocumque detur. Pono exemplum, ſi enim tibi ſum debitor centum, à quocumque, ſiue à me, ſiue ab alio pro me, 100. illa ſoluantur, meum debitum extinguo, & ab omni obligatione erga te libero. Hoc fundamento Moraliſtæ innixi, *tractatu de reſtitutione*, decernunt, quòd ſi egomet ſurripuiſſem vas aureum à Ioanne, & me inſcio iterum vas, Angelorum miniſterio, reponeretur apud Ioannem, poſtquam illud haberet inter ſua bona, non poſſet exigere reſtitutionem vaſis furto ablati, nec me ad reſtituendum cogere.

144. Vt verò diſtinctiùs agamus de ſatisfactione perſonali, quæ talis appellatur, quia eſt in ordine ad iniuriam abolendam, & de qua hîc ſermo inſtituatur, notare debea ex his, quæ diximus, ſatiafactionem hanc aliquando fieri, vel media re, æquiualente iniuriæ illatæ, vel media actione, oneroſa ipſi Perſonæ offenſæ. Si loquamur de ſatisfactione perſonali primo modo pro iniuria facta, aſſero, Creditorem teneri illam acceptare à quocumque fiat, atque adeo ſi res per quam fit ſatisfactio, ſit æquiualens offenſæ, eſt ex iuſtitia, etiamſi à fideiuſſore debitoria, talia ſatisfactio peragatur. Ratio facilis, quia ſatisfactio perſonalis pro iniuria, quæ fit mediante re, ſequitur naturam ſatisfactionis realis, atque adeo in vtraque ſolum attenditur æqualitas inter rem, quæ datur, & aliam pro qua datur. Res verò, quæ offertur, à quocumque offeratur, eiuſdem eſt valoris. Ergo, ſicut dum datur ab ipſo debitore, eſt æqualis, & ideo ex iuſtitia ſatisfacit, ita dum eadem res à fideiuſſore illius debitoris offertur, erit æqualis, & ideo ex iuſtitia pro iniuria ſatisfaciet.

145. Si verò loquamur de ſatisfactione perſonali pro iniuria, quæ fit à perſona, media actione oneroſa ipſi perſonæ offenſæ, maior eſt difficultas, imo & quæ noſtram litem redolet, *an actio iſta ab alia perſona diſtincta à debitore facta, poſſit eſſe ſatisfactio, quantumuis æqualis iniuriæ, & illi ſuperabundans ſit, ex iuſtitia, ita vt, ſecluſo pacto, perſona offenſa teneatur acceptare?* In hoc puncto, duplici reſolutione me geram.

Prima reſolutio ſit, in læſione bonorum famæ, ſatisfactio vnius pro alio, adeo poteſt eſſe efficax, vt etiam inuito Creditore extinguat omnem obligationem debitoris, quare poterit eſſe ex ſtrictiſſima iuſtitia, ſecluſo omni pacto. 146.
Hæc reſolutio optimè intelligetur, ſi animaduertas primo, famam & honorem realiter diuerſificari, quod eſt in cauſa, vt damna, quæ in his bonis fiunt, ſint etiam inter ſe valde diſſita, atque adeo diuerſo modo debere compenſari, & ſemel ablata reſarciri. Fama ergo eſt exiſtimatio, & opinio alienæ probitatis: honor eſt teſtificatio quædam noſtræ opinionis de aliena excellentia. Honor læditur per contumeliam, & conuitium, quæ tollunt teſtificationem exteriorem meæ opinionis. Fama vero læditur per detractionem, qua ego tollo apud audientes, opinionem de bonitate & honeſtate illius, cui detraho. Verùm vtraque damnificatio in eamdem actionem veniunt.

Ex quo communiter Moraliſtæ colligunt *tractatu de reſtitutione*; quòd ſi ex mea detractione, opinio audientium mutata non fuit, quia mihi fidem non dederunt, nulla obligari reſtitutione, quia re ipſa nocumentum non intuli. Ruſum colligunt, quòd, hypotheſi data, quòd audientes mihi fidem adhibuiſſent, ſi tamen ad priſtinam opinionem ſunt redacti, quia poſtea efficaciter vel aliorum ſuaſione, vel ex aliis principiis cognouerunt me mentitum fuiſſe, nulla reſtitutionis obligatione adſtringor; rationem dant, quia illudmet damnum, quod intuleram, compenſatum eſt, & ſic eadem inæqualitas, quam antecedenter mea detractione induxeram, ad æqualitatem eſt vniformiter redacta. 147.

Nunc reſolutionem probo. Etenim ſatisfactio hæc perſonalis pro iniuria, in bonis famæ illata, morem gerit ſatisfactionis realis, atque adeo ſicut hæc ſolùm attendit ad æqualitatem rei, quæ datur, & rem pro qua datur, ita ſatisfactio pro iniuria, in bonis famæ alteri facta, ſolùm attendit ad æqualitatem recompenſationis damni illati, & bonum, quod detraxeram, ſic enim contingit inæqualitatem inductam, reduci ad priſtinam æqualitatem. Tunc ſic, ſed poſſum ego idemmet damnum numero, quod Petrus ſua detractione intulit Ioanni, omnino auferre, & compenſare; & eamdem inæqualitatem numero, ad æqualitatem reuocare. Ergo hoc à me oblato, Ioannes, qui erat offenſus, nihil amplius poterit iuſtè exigere à Petro, ratione damnificationis, quam in ipſo cauſauit. Antecedens explicuit, & probauit notabile. conſequentiam probo. Etenim Ioannes ſolùm poterat petere iuſtè, vt inæqualitas ad æqualitatem reduceretur. Sed hoc iam ego peregi. Ergo nihil habet, quod iuſtè à Ioanne poſſit exigere Petrus. Si autem dicas, poſſe petere amplius, cum talis compenſatio non fuerit facta ab ipſo debitore, qui erat Petrus: ſed contra, nam cùm ipſe Ioannes iam apud ſe 148.

retineat

retineat omnia ſua bona in integrum, nempe totam ſuam famam, nullam patitur inæqualitatem, ac proinde nullam iuſtam aduersùs Petrum poterit habere querelam, cùm iſte iuſtè & verè reſpondere poſſit, Ioannem nullam pati inæqualitatem, quam ipſe ſua ſatisfactione, valeat ad æqualitatem reducere.

149. Secunda reſolutio. In bonis honoris, nunquam aliena ſatisfactio pro honore detracto, poteſt adeo efficax eſſe, vt nolente Creditore extinguat ex iuſtitia obligationem, quam habet debitor ſatisfaciendi, ſed, quacumque ſatisfactione ab altero oblata poterit Creditor illam reſpuere. Vt hanc concluſionem probes, notare debes. Apud Moraliſtas eſſe commune placitum *in tractatu de reſtitutione*. Quòd ſi alium in honore læſi per conuicium, & contumeliam, etiamſi qui me audierunt, ſententiam non mutauerint, imo ſi prædictam contumeliam coram aliis non fecerim, ſum ad reſtituendum obligatus. Rationem dant, quia dum conuicio & contumelia alium peto, efficaciter & quoad effectum, ſubmoueo teſtificationem debitam meæ opinionis circa proximi dignitatem, & excellentiam. Vnde dato caſu, quòd, me actualiter in proximum conuicia & ignominias euomente, exiſterent plures laudibus, & encomiis eumdem efferentes, & ingenti honorum copia illum encomiantes, ſemper manet perſeuerans illa inæqualitas, quam irrogaui, ex defectu ſcilicet meæ opinionis circa talis proximi excellentiam, aut dignitatem. Ratio eſt clara, quia quantumcumque alij præſtiterint de illa, mea teſtificatio eadem ſemper manet, ſicut enim illa non ſufficit, vt teſtificationes aliorum non ſint; ita eorumdem teſtimonia non ſufficient, vt mea teſtificatio non ſit, quia ſicut hæc à me ortum ſolùm habere poteſt, etiam à me ſolùm media retractatione deſinere eſſe poteſt.

150. Ratio ergo reſolutionis. Data quacunque actione aliena, manet inæqualitas apud Creditorem, exigens ad æqualitatem reduci. Ergo nunquam aliena ſatisfactio pro honore ablato eſt talis, vt ipſa oblata eam non poſſit iuſtè deſpicere Creditor. Antecedens probo, actio aliena non ſufficit compenſare idem numero damnum, quod Creditor paſſus eſt. Ergo data aliena ſatisfactione, manet inæqualitas apud Creditorem, in honore læſum, exigens ad æqualitatem reduci. Antecedens probo. Creditor dum eum in honore læſi conuiciis, & contumeliis, patitur defectum meæ bonæ teſtificationis. Sed hunc defectum ſupplere nequit aliena actio. Ergo adhuc poſita actione aliena, manet inæqualitas apud Creditorem læſum in honore, exigens ad æqualitatem reduci. Minorem oſtendit notabile ex Moraliſtis commendatum. Conſequentia patet. Tunc ſic, ſed ille iure exigere poteſt ſibi reſarciri idem numero damnum, quod paſſus eſt, & nolle manere contentus quauis alia re, bono amiſſo pretioſiori. Ergo quantumuis alius pro me, qui Petrum in honore læſi, Petro conetur ſatisfacere, nunquam ab obligatione ſatisfaciendi liberabor.

151. Ex hac concluſione inferes, quòd ſi perſona ſit omnino extranea, omnino eſt incapax ſatisfaciendi ex iuſtitia pro iniuria in honore illata, quòd ſi aliqua vnione cum offendente coniungatur, ſaltem per charitatem, vt ait Diuus Thomas *in 4. diſtinct. 20. quæſt. vnica artic. 1. quæſtiunc. 1.* poterit ſatisfacere pro alio ſaltem pro pœna debita peccato. Verùm hæc Diui Thomæ doctrina ad propoſitum non adducitur. Etenim Sanctus Doctor loquitur non de ſatisfactione pro iniuria, ſed de pœna iniuriæ debita; in præſenti verò agimus de ſatisfactione pro iniuria Deo in honore illata.

Tertia reſolutio. Siue Creditor ſit perſona publica, vel remunerator vniuerſalis, ſiue non, vt aliquis pro alio ſatisfaciat tanquam fideiuſſor, obligans Creditorem ad acceptandam talem ſatisfactionem pro iniuria irrogata ab altero, debet præcedere pactum, & promiſſio acceptandi illam, taliter quòd ſi hoc non præceſſerit pactum, illam admittere minimè teneatur Creditor. Sed antequam huius probationis concluſionem adhibeam, es notaturus variè à variis RR. hoc pactum intelligi. Pater Lorca *tomo de incarnatione diſputatione* 8. Monteſinos *tom. 2. in 1. 2.* Suarez *tom. 1. de incarnatione 3. part. diſputatione 4. ſect. 5. & alibi, necnon in relectione de iuſt. Dei ſect. 1 numero 51.* & nominet Bernal *tomo de incarnatione diſputatione 5. ſect. 2.* Pactum hoc de acceptanda ſatisfactione fideiuſſoris non ponunt ſubſequenter ad ad conſtitutionem fideiuſſoris, ſed in eodem ſigno, quo fideiuſſor conſtituitur. P. Tamen Araujo non poteſt non inconſequentiæ notari, qui poſtquam *hic quæſt. 1. artic. 2. dub. 5.* diceret; ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ad æqualitatem & ſuperabundantem, taliter, quòd obligaſſet Deum ad remiſſionem offenſæ abſque omni pacto, & promiſſione ex parte Dei, ſtatim breui foliorum interſtitio *dub. 4. numero 4. §. ad obiectionem principalem*, decernit, quòd Chriſtus ſatisfecit vt fideiuſſor, & ruſum hæc habet; in omni fideiuſſione interuenit pactum, ſiue conſenſus inter Creditorem, & fideiuſſorem, quo ille acceptat fideiuſſionem. Videte conſequentiam. Hoc notato. 152.

Ratio concluſionis, quia quando vnus pro alio ſatisfacit, vt fideiuſſor ſatisfacit, cui proprium eſt alienam obligationem ad ſatisfaciendum ſibi imponere, vt latè dedimus *tract. de contractibus diſput. 2. dub. 1. num. 1.* Sed fideiuſſoria obligatio ſecum eſſentialiter vendicat pactum, & promiſſionem, inter ſatisfacientem, & illum, apud quem ſatisfactio eſt offerenda. Ergo quando vnus pro alio ſatisfacit, taliter vt Creditor ex iuſtitia obligetur ad illam ſatisfactionem acceptandam, præcedere neceſſariò debet pactum de illa ſatisfactione admittenda. Maiorem & minorem docent communiter doctores *tractatu illo de contractibus*. Conſequentia legitimè infertur. 153.

Sed occurres, ſi aliquis ſatisfaceret pro alio, & Creditor illa ſatisfactione allectus iniuriam condonaret, talis actus eſſet ex iuſtitia. Ergo vt Creditor & ſatisfaciens actum iuſtitiæ exerceant, non requiritur pactum intercedere inter Creditorem & ſatisfacientem. Probo antecedens. Talis actus non eſſet merè virtutis liberalitatis, quia hæc beneficium non præſtat 154.

bonitate

bonitate obſequij donatarij motus. Ergo iuſtitiæ. Tum ex parte ſatisfacientis, quia vt ſupponamus debitum ſua ſatisfactione adæquabat. Tum ex parte Creditoris, potiſſimùm, ſi hic publici iudicis & remuneratoris gerebat munus, vi cuius eſſet obligatus illud opus remunerare. Reſpondeo ſatisfactionem illam ea parte neutrius ex iuſtitia euaſuram. Singulos apponam, non ea parte Creditoris, quia ſemoto pacto nulla illi incumbebat obligatio, ad remittendam iniuriam propter talem ſatisfactionem ab alio adhibitam: eſſet tamen remiſſio illa, actus liberalitatis ex ea parte, qua cùm non teneretur remittere adhuc ſuppoſita ſatisfactione, condonauit. Nec ex parte ſatisfacientis illud obſequium pro alio adhibitum à ſe, cenſendum eſſet iuſtitiæ exercitium; quia illud ſine obligatione exequeretur.

155. Occurres ſecundò, poteſt quis ſecluſo pacto ſatisfacere pro alio, quantùm ad pœnam, ita vt extinguat debitum, quod ad illam luendam contraxerat alter. Ergo poterit quis, ſecluſo pacto ſatisfacere pro alio, quantùm ad iniuriam alteri ab ipſo illatam, ita vt extinguat ab ipſo obligationem ſatisfaciendi pro illa. Conſequentiam probat paritas. Antecedens probo ex doctrina D. Thom. *vbi ſuprà in 4. citato.* Etenim ſatisfactio pro alterius pœna charitati innititur. Ergo eo in caſu, quo quis charitate ſit affectus, eius ſatisfactio pro alio exæquabit debitum ſolutionis ab ipſo præſtandæ Probo conſequentiam, quia quando vnus alteri coniungitur moraliter, fit vnum moraliter cum illo. Sed mediante charitate quilibet cum altero fit vnus cum Chriſto, vt aciunt SS. PP. ex Paulo. Ergo actio vnius, fiet alterius, media ipſa charitate. Tunc ſic. Ergo ſatisfactio vnius pro alio, quantùm ad pœnam, extinguet debitum ſoluendi eam, ac ſi ipſe debitor talem ſatisfactionem peragerer; ſed hæc vnio, quæ media charitate in Chriſto non fit medio pacto, ſed ex prædicatis eſſentialibus charitatis elaboratur. Ergo vt quis pro alio, quantùm ad pœnam ex iuſtitia ſatisfaciat, pactum nullo modo exoptatur.

156. Reſpondeo ergo, concedens ad ſatisfaciendum pro alio, quantùm ad pœnam, non requiri pactum; nego tamen id aſſerendum fore de ſatisfactione ex iuſtitia, pro iniuria ab alio alteri illata. Diſparitas eſt. Etenim ſatisfactio pro iniuria ſemper manet creditori, qui paſſus eſt illam. At verò ſatisfactio pro pœna ſecundùm ſe ſumpta proprium Creditorem non habet, hoc patet, quia per ſatisfactionem iniuriæ remouetur iniuria Creditoris; in pœna verò per ſe iniuria non amouetur, ſed punitur culpa, vel reatui culpæ ſatisfit, qui reatus adhuc remiſsâ culpâ perſeuerat. Ex hoc naſcitur, quòd cùm quidam pro iniuria ab altero illata ſatisfacit, aliquam vtilitatem iniuriati ſaltem negatiuam, remotionem ſcilicet iniuriæ, quam patitur, intendit, at verò in pœna per ſe ſumpta, talis finis non habetur, ſed ſolùm remotio reatus pœnæ diuelli deſideratur; dixi ſumpta pœna per ſe. Quia quando quis punitur pro iniuria ab ipſo illata, taliter, vt per punitionem tollatur modo poſſibili iniuria à Creditore, tunc per accidens idem ſermo eſt dandus de ſatisfactione pro tali pœna, ac datus eſt de ſatisfactione pro iniuria, vtrobique actio aliena eſt inſufficiens ſecluſo pacto, ſatisfactionem ex iuſtitia exhibere.

157. Verùm aliter & faciliùs poteris reſpondere. Negando actionem alienam ſufficientem eſſe, ad ſatisfactionem ex iuſtitia pro pœna alterius, ſecluſo pacto. Ad probationem. Reſpondeo: quòd licèt tali in loco Diuus Thomas pacti non meminiſſet, illud neceſſariò ſupponere dum dixit, vnum ſatisfacere pro pœna alterius, quatenus per charitatem omnes ſumus vnum in Chriſto. Etenim hæc vnitas fuit ex vi pacti, quia eſt vnitas membrorum cum capite, nos membra, Chriſtus caput iſtius myſtici corporis recenſemus. Sed Chriſtum eſſe caput, nos verò membra ea vi pacti, quo Chriſtus eſt caput noſtrarum conſtitutum fuit elaboratum. Ergo dum dixit Diuus Thomas vnum pro alio per charitatem illi vnitum potuiſſe, quantùm ad pœnam, ſatisfacere, inuoluit neceſſariò pactum, quia hæc vnio cum Chriſto vt capite eſt fundamentum, quo poteſt vnus pro alio ſatisfacere pro pœna. Sed hæc vnio in ſententia D. Thom. fuit medio pacto dependens. Ergo in ipſo aſſerto inuoluit Diuus Thomas pactum.

158. Sed interrogabis. An in Creditore, qui ex vi pacti fideiuſſoris, tenetur eius ſatisfactionem acceptare pro iniuria, quam ab alio paſſus eſt. Et offenſam remittere, ſit diuerſa obligatio remittendi iniuriam, ab obligatione acceptandi ſatisfactionem? Fateor rem hanc communiter authores prætermiſſe, vtpote nullo modo diſtinguentes inter acceptationem ſatisfactionis, & iniuriæ remiſſionem, atque adeo vniformiter iudicant idem omnino eſſe Creditorem, qui paſſus eſt iniuriam ſatisfactionem pro illa acceptare & iniuriam remittere. Verùm non poſſum non hîc aliquantulùm immorari, in declaranda obligatione duplici, vna, ad remiſſionem iniuriæ, & alia, ad ſatisfactionem acceptandam, terminata; huius ergo duplicis obligationis diſtinctionem miniſtrat ſimilis diſtinctio, quam in iuſtitia commutatiua; imo & diſtributiua realibus, inuenio communiter ab authoribus agnitam; etenim in his duabus iuſtitiis diuerſus actus eſt ille, quo meritum acceptatur, & pretium à premiante, & diſtribuente, ab eo, qui eſt datio præmij, & datio, ſeu traditio rei quæ pretio emitur, Hoc enim ex communi legimus *tractat. de vſuris diſputatione vnica dub.* 3. Ergo idipſum licebit diſcurrere in ſatisfactione perſonali, quòd ſcilicet in Creditore diuerſus actus ſit, acceptare ſatisfactionem, ab eo, quo remittit iniuriam; taliter quòd ipſa iniuriæ remiſſio, ſit quaſi præmium illius ſatisfactionis, ab alio actu antecedenti acceptatæ.

159. Sed hoc quaſi à priori poteſt oſtendi, quia cùm multiplicatur æqualitas in materia iuſtitiæ, multiplicari actus iuſtitiæ eſt neceſſe, quia cùm æqualitas ſit obiectum huius virtutis iuſtitiæ, & actus multiplicentur ad obiectorum multiplicationem, fit, quòd ſi duplex extat iuſtitiæ æqualitas, duplex eſſe debeat iuſtitiæ actus illi correſpondens. Sed in acceptanda

ceptanda ſatisfactione, & iniuria remittenda, datur duplex æqualitas iuſtitiæ; etenim vna æqualitas exercetur inter ſatisfactionem & pactum, vi cuius obligatur Creditor ad illam acceptandam. Alia exercetur inter remiſſionem & iniuriam, hæc enim diuerſas eſſe æqualitates tam certum eſt, ac extrema, inter quæ verſantur, eſſe inter ſe diuerſa. Ergo actus iſti, has æqualitates reſpicientes, diuerſi debent cenſeri.

160. Rurſum quia ſtando doctrinæ Diui Thom. prædicta doctrina ſubſiſtere debet, quia S. D. *in 4. diſtinct. 15. quæſtione 1. articulo 3. quæſtiuncula* 1. aſſerit, ablationem offenſæ eſſe amicitiæ reſtitutionem. Tunc ſic, ſed reſtitutio amicitiæ eſt diſtinctus actus ab eo, quo ſatisfactio acceptatur. Ergo diſtinctus actus eſt ſatisfactionis acceptatio, ab actu, quo iniuria remittitur. Minorem probo. Quia compatitur bene actualis ſatisfactionis acceptatio ſine actuali reſtitutione ad amicitiam, quia acceptatio ſatisfactionis reſpicit ſatisfacientem, cuius eſt ſatisfactio, quæ acceptatur: at verò reſtitutio amicitiæ reſpicit offendentem, cuius ab ipſo facta offenſa remittitur. Ob hanc enim cauſam compatiebatur bene, ſtetiſſe ſatisfactionem Chriſti Domini tempore, quo vitam vltimo dedit Patri, & tamen non ſtetit illico eodem inſtanti reſtitutio amicitiæ omnium peccatorum, qui Deum offenderant. Hæc enim ſolùm adeſt, quando actualiter eorum remittuntur peccata Ex quibus infero, hos actus recenſitos eſſe realiter diſtinctos cum iſtius diſtinctionis ſit eorum ſeparabilitas aptiſſimum indicium.

161.

Sed replicabis, poſita acceptatione ſatisfactionis, non eſt integrum Creditori non remittere iniuriam; imo illam acceptare Creditorem formaliter eſt id, per quod reſarcitur ei honor, per iniuriam ablatus. Sed non compatitur reſtitutio honoris ablati cum iniuriæ perſeuerantia. Ergo actus acceptandi ſatisfactionem, non eſt diſtinctus actus ab actu, quo iniuria remittitur. Reſpondeo dupliciter poſſe Creditorem ſatisfactionem acceptare. Primò, ita vt ex vi pacti taliter initi, vt conuentum ſit, quòd quando fit ſatisfactio, & ſtatim ac offertur, acceptetur à Creditore, & quòd tranſacto tempore iniuriam remittat. In hoc enim caſu perſpicuum eſt, Creditorem teneri ſatisfactionem acceptare, & non tenebitur ſtatim iniuriam remittere, ſed ſolùm illo tempore, quod ex vi pacti, ad remittendam iniuriam fuerit præfixum. Ecce in hoc caſu datur actus ſatisfactionem acceptans, non tamen actus iniuriam remittens. Secundo verò modo poteſt fieri pactum taliter, quòd non poſſit Creditor differre iniuriæ remiſſionem, ſemel ab ipſo ſatisfactione acceptata. Hic eſt caſus, in quo magis vrgere poteſt replica antecacta; verùm, in illo etiam eſſe prædictos actus diſtinguendos, abſolutè fatemur. Ad impugnationem. Reſpondeo, illam ſolùm probare actum ſatisfaciendi à Creditore elicitum, caſu, quo remiſſionem iniuriæ non valeat ipſe differre, eſſe connexum cum actu iniuriam remittente, non verò eſſe ab illo indiſtinctum. Sicut in ſententia Reuerendiſſimorum probabiliter ſentientium, ad expulſionem peccati deſiderari, præter gratiæ infuſionem, liberam Dei condonationem. Ex hoc enim quòd præcedente illa non ſtet, hanc non poni ſaltem ſecundùm ordinariam ſanctionem, non arguitur in iſtorum opinione identitas actus infundendi cum actu condonandi, ſed tantùm connexio. Rurſum in ſententia Diui Thomæ & eius diſcipulorum, licèt ſtante intentione efficaci non ſtet, electionem medij non poni, ſolùm connexio intentionis efficacis cum electione arguitur, non tamen illarum identitas, tametſi vnicum extiterit medium. Ita docui *tractatu de prædeſtinatione dubio ſecundo numero decimo*, ex doctrina communi, tractatu de actibus humanis adhibita. Vnde nego reſtitutionem honoris ablati formaliter eſſe iniuriæ extinctionem, ſed cauſaliter, & illatiuè, quatenus reſtitutio honoris ablati exigit alium actum à Creditore exercendum, quo iniuriam remittat. Quod ſic inſto. Tum in caſu, quo Creditor eſt peccato obnoxius, iſte poteſtatem habet, adhuc acceptata ſatisfactione, non remittere iniuriam ſibi illatam; tametſi caſu, quo noluerit remittere, contra iuſtitiam peccaret in debitorem. Tum etiam in caſu, quo remiſſio iniuriæ comitem ſibi habeat amicitiæ reſtitutionem; hoc in caſu quem inter homines poſſe contingere teſtis eſt Diuus Thomas vbi ſuprà. Ex cuius doctrina licet colligere, quòd caſu, quo Creditor non vult reſtituere ad amicitiam eum qui ſe offendit, ablatio offenſæ manebit, tametſi iniuſtè, eodem modo, ac ſi ſatisfactionem antecedenter non acceptaſſet. Per hæc patet ad replicam.

Sed rurſum replicabis, doctrina eſt com- 162.
munis apud Moraliſtas vt docuimus *tractatu de contractibus*, quòd ſi Fideiuſſor, & Creditor pactum ineant de acceptanda ſatisfactione à Fideiuſſore oblata, & poſtea hic exhibeat prædictam ſatisfactionem Creditori, & iſte negatiuè ſe habeat, aliam ſatisfactionem non exigens, dicitur ſatisfactionem acceptaſſe. Ergo ſi ipſe Creditor poſt acceptatam ſatisfactionem merè negatiuè ſe habeat, aliam ſatisfactionem non exigens, remittere iniuriam dicetur. Ergo vt verificetur de Creditore formaliter remittere iniuriam, præter actum, quo ſatisfactionem acceptauit, non eſt neceſſarius alius actus poſitiuus, quo Creditor dicat, volo remittere iniuriam. Reſpondeo antecedens eſſe commune & abſolutè concedendum, ſed diſtinguendum eſt conſequens, Ergo ſi Creditor poſt acceptatam ſatisfactionem merè negatiuè ſe habeat, hoc eſt, non exigens aliam ſatisfactionem, remittet iniuriam, nego conſequentiam. Si poſt acceptatam ſatisfactionem merè negatiuè ſe habeat, aliam ſatisfactionem non petens, & gerat modum illius, qui offenſus non eſt, concedo cõſequentiam. Vnde eo modo explicandus venit actus, quo iniuria remittitur, & actus quo ſatisfactio acceptari dicitur. Sicut enim ſatisfactio poteſt verè & propriè dupliciter acceptari à Creditore. Vno per actũ formalem, quo directè tendat in ipsã ſatisfactionẽ oblatã,

quoque

quoque dicat creditor, admitto ſatisfactionem hanc, alio per actum interpretatiuum, actui formali, iuxta prudentes, æquiualentem quando ſcilicet creditor, oblata ſibi à debitore ſatisfactione, merè negatiuè ſe habet, & aliam ſatisfactionem non exigit; ita dum ſemel à creditore, admiſſa ſatisfactione exhibita, poterit ipſe dupliciter iniuriam remittere. Vno, medio actu formali, tendente in illius deſtructionem, quoque actu dicat creditor, volo remittere offenſam. Alio modo, interpretatiuo actu, apud prudentes, actui formali equiualente, qui optimè explicatur per hæc duo, & quòd, oblata ſatisfactione, aliam non exigat creditor, & in conſpectu offendentis tamquam non offenſus ſe gerat, hoc enim fundamentum ratum extat cordatis, vt iudicent, creditorem verè & propriè habere voluntatem iniuriam remittendi debitori.

163. Hæc, quæ dicta hucuſque ſunt, de ſatisfactione reali & perſonali in communi eſſe dicta præſume, quibus datis, via tibi ſine ſcopulis erit, vt recto tramite, & ſine obice, de ſatisfactione Chriſti poſſis ſermonem firmiorem inſerere. Pro cuius veritate eſt reſolutio vltima. Chriſtus Dominus tametſi antecedenter ad pactum, poſſet pro iniuria hominum ſatisfactionem condignam exhibere Deo creditori, tamen talis ſatisfactio, cùm eſſet pro iniuria aliena, & ab alio maieſtati diuinæ irrogata, eguit pacto, vt poſſet Deum obligare ad acceptandam eius ſatisfactionem pro aliis. Hæc reſolutio, quoad vtramque partem, conſtat ex his, quæ tota hæc ſectio dedit, quæque ſunt huic reſolutioni applicanda. Iam quòd inter Deum Creditorem, & Chriſtum, interceſſiſſet pactum, quo ipſe hominum debitorum conderetur fideiuſſor & caput, firmum reliquerunt notabilia, ſectione prima ſcripta & non curtè. Quæ autem occurrerint partibus huius reſolutionis dictare incipio.

164. Occurres primò, eſt certum iuxta aſſerta *diſp.* 1. Creaturam puram pro peccatis alienis eſſe inſufficientem ad condignam ſatisfactionem præſtandam. Ergo Deus, cùm conſcius ſit huius inſufficientiæ, non poterit illam à creatura pura exigere. Ergo ſi vult ſatisfieri, debet eſſe aliena ſatisfactione contentus. Ergo oblata à Chriſto ſatisfactione, quam ſecluſo pacto condignam eſſe dicimus, non poteſt non illam admittere, & conſequenter ad illam acceptandam, ſecluſo pacto, tenebitur. Reſpondeo, conceſſis antecedenti & prima conſequentia, nego ſecundam. Ratio, quia Deum non poſſe exigere à pura creatura condignam ſatisfactionem, naſcitur ex eo, quòd creatura illam reddere eſt impos, non ex defectu capitis, ex quo ius haberet Deus ad illam exigendam, in hypotheſi, quòd creaturæ adeſſent vires ad illam offerendam. Ex hoc autem ineptè colligit arguens, quòd Deus debeat manere contentus ſatisfactione, quam ex nullo capite acceptare tenetur. Vnde poteſt alienam ſatisfactionem, quantumuis ſuperabundantem non acceptare, quia ad id non tenetur, & permanere cum iure, non ad exigendam propriam ſatisfactionem condignam, quia videbat creaturam eſſe impotem illam dare, qua de cauſa ab illius exhibitione excuſatam contuebatur, ſed cum iure ad illam puniendam propter iniuriam in Dei honorem patratam, & ad non condonandam prædictam iniuriam, ſi voluntariè & ex mera liberalitate eam condonare noluerit, aut ſpontaneè admittere ſatisfactionem aliàs condignam, quam non acceptare valeret, quia totum hoc, ſecluſo pacto, integrum & iuſtè erat Deo Creditori offenſo; potiſſimùm, cùm poſſet Deus opera humanitatis aliis titulis exigere. Ergo intuitu illorum poſſet ſibi prædicta opera aſſumere, & illa non acceptata relinquere pro hominum ſatisfactione.

165. Sed contra hæc immediatè prolata replicabis, quòd licèt poſſet Deus exigere ea opera ab humanitate non vnita verbo, non tamen à verbo, hoc enim nullius debitum contraxit. Addes rurſum, actiones Chriſti, vt diximus *tractatu de pertinentibus ad animam, diſputatione prima per totam*, infiniti valoris erant, ac proinde quælibet illarum ſufficeret cuicumque debito ſatiſfacere, & mediis aliis actionibus ſatiſfacere pro hominum iniuriis, vt probabiliter tenuimus ſuprà.

166. Hæc replica præoccupata manet *loco* in argumento *citato* & ex *ibi* dictis argumentor breuiter ſic; eſſe humanitatem verbo vnitam, non impedit, ne Deus omnes eius actiones titulo Domini & creatoris, aut gratitudinis exigere poſſet, ſi vellet. Ergo ruit doctrina, antecedens probo, eſſe humanitatem verbo vnitam, non impedit, vt ipſa ſit ſub dominio abſoluto & ſupremo Dei. Ergo eſſe vnitam, non impedit, quominus Deus poſſet omnes eius actiones titulo Domini ſupremi exigere, ſi vellet. Ergo actiones omnes, ab humanitate ſic verbo vnita profectas, poterat Deus ſibi aſſumere, intuitu prædictorum titulorum, nullo veſtigio relicto, vt intuitu illarum hominum iniuriam remitteret. Nec recurſus ad earum infinitatem iuuari poteſt allata RR. doctrina; etenim eſſe actiones humanitatis infinitas, vt meritorias, magis impedit, vt illarum intuitu (caſu quo Deus vellet aliis titulis eas exigere (remiſſio fieret de peccatis. Conſidera enim eas vt infinitas in valore, & in eis inuenies nouum titulum, vt exegi a Deo poſſint, patet hoc ex aſſertis *ſect.* 7. & exinde peto, à quo has actiones, vt meritorias, prædicas infinitas? reſpondebis, & bene, iuxta dicta *tractatu citato*, ratione perſonalitatis illas quaſi per modum formæ dignificantis. En quomodo ſunt Dei alio titulo, quo aliæ creatæ actiones non ſunt. Etenim vt meritoriæ ſunt Dei, imo & Deus ipſe per identitatem, & ex alia parte in eſſe phyſico earum ſunt Dei titulo dominij. Ergo recurſus ad infinitatem magis multiplicat titulos debiti, quàm illos vitet.

167. Sed replicabis, actiones Chriſti eſſe ſuperabundantes. Ergo ſufficientes ad ſatiſfaciendum pro delictis hominum. Ergo tenebitur Deus illorum intuitu offenſas remittere. Nega vltimam conſequentiam, quia actio aliena nequit inducere obligationem ex iuſtitia, vt creditor teneatur illam acceptare, pro iniuria, ab altero, creditori illata. Vide quæ ſæpe ſæpius docuimus.

168. Sed adhuc inſtabis, etiam, ſecluſo pacto, illis operibus honor Dei non poteſt non eſſe

compenſatus. Ergo Deus non poteſt velle non eſſe compenſatus. Reſpondeo antecedens eſſe falſum, quia licèt actionibus Chriſti longè excellentior honor accreuerit ex verbo quàm ille, qui ex actionibus creaturæ puræ reſultare poteſt, tamen ſtrictè compenſatus manere non poſſet, ſi actum liberum diuinæ voluntatis paciſcentis ſummoueas; ratio eſt non ſemel data, quia tales actiones ſecundùm ſe totas, & totaliter acceptas, poterat Deus aliis titulis exigere, vt dedimus non abhinc mille periodis. Recurre ad ea, quæ ſuprà dedimus de reſtitutione honoris, quæ eſſentialiter depoſcit fieri ab eo qui eumdem abſtulit à creditore, lege diſtinctionem adhibitam à ſatisfactione perſonali, pro honore ablato, & ſatisfactione perſonali, ablatione famæ alteri inducta.

Ex tota hac ſectione manet difficultas in limine, quoad primum eius ſenſum, abſoluta, videlicet, *an ſatisfactio Chriſti talis fuerit, vt ſecluſo pacto teneretur Deus illam acceptare, & offenſam hominum, pro qua ſoluenda offerebatur, remittere.* Nunc ipſam in ſecundo ſenſu ſectio hæc immediata examinabit.

Sectio IX.

Solutio argumenti ex ſexta conditione petiti.

169. Ex elapſis *ſect. immediata* ſatis ſuperque conſtat, Chriſti ſatisfactionem potuiſſe non acceptari à Deo, necnon eamdem ex iuſtitia acceptari, ſuppoſito pacto, & diuina promiſſione, quod enim hic quæſtioni datur, eſt, *an ſemel ex vi pacti acceptata ſatisfactio, illi repugnet ratio ſtrictæ ſatisfactionis ex iuſtitia, ex eo præcisè, quòd ex ſua natura, ſecluſo pacto, potuerit non acceptari?* Hac in re Pater Vaſquez *vbi ſuprà*, quem præter alios, ſequitur Medina toto animo defendit ex hoc capite ſolùm (etſi aliunde non repugnaret) amouendam fore ſatisfactionem Chriſti à perfecta ratione iuſtitiæ, ſiquidem, vt certum ſibi ſuadet, ſatisfactionem ex iuſtitia talem debere eſſe, vt ſecluſo pacto, conſideratam, teneatur creditor acceptare. Fundamentum eius adducam infrà.

170. Noſtra deciſio eſt, contrarium toto conatu amplecti defendentes, ſtare poſſe ſatisfactionem perſonalem pro iniuria aliena, poſſe cenſeri ex iuſtitia, quamuis creditor illam, ſecluſo pacto, non acceptare valeret. Hanc reſolutionem non aliter probabo, quàm exemplis ſatiſfactionis realis inductus, quę in diuerſis tractatibus ex communi Moraliſtarum decreui. Etenim *tr. de contractibus* eſt aſſertum vniuerſaliter conſtans, quòd ſatisfactio, ex beneplacito partium viciſſim conuenientium, poteſt fieri, non in eadem re, quæ debetur, ſed in alia æqualis æſtimationis cum illa; quam inquam conuentionem appellare ſolent Authores per mutationem. In cuius explicationem caſus tibi proponam. Debeo tibi ingentem vel exiguam tritici copiam. Dupliciter potero ex iuſtitia tibi ſatiſfacere. Primò ſi eamdem in ſpecie tibi reddidero, tunc enim ex iuſtitia illam acceptare teneberis, taliter, quòd nequeas amplius debitum exigere. Quam obligationem in te ortam, negatiuè magis, quàm poſitiuè, Authores exponunt. Vnde dum tibi totidem do in ſpecie, non manes obligatus dicere actu poſitiuo, accepto ſatisfactionem *vt ſup. ſect. 8.* annotaui. Sed obligatio hæc tibi ſolùm eſt, ad non exigendum debitum: ſic enim negatiuè iſta obligatio communiter declaratur. Secundo verò modo, poſſum tibi pro debito tritico ſatisfacere, nempe, ſi aliam mercem, oleum ſcilicet, loco tritici, ſed æqualis valoris, offerrem: hoc in caſu, hæc olei oblatio, debitum meum ex ſe non extinguit. Ratio, quia te non ligat ex iuſtitia ad illam acceptandam; ratio, quia adhuc, propoſita tibi hac olei oblatione, regnat in te poteſtas iuſtè à me petendi & exigendi triticum in ſpecie, quod mutuum mihi dediſti, verùm licèt hoc apud omnes ſit conſpicuum, æqualiter eſt certum dabilem eſſe caſum, quem quotidie experimur, in quo hæc vltima ſatisfactio meum debitum ſoluat, & in te obligationem illam acceptandi ex iuſtitia gignat. Caſus eſt hic, ſi enim me oleum eiuſdem valoris loco tritici offerente illud pro tritico acceptaueris, tibi ex iuſtitia ſatisfeciſſe nullus dubitat; ratio, quia verè ſolui tantùm, quanti debitor eram. Nec tu diceris, dum liberè ſolutionem meam admiſiſti, liberè debitum condonaſſe; ratio, quia pro eo hic & nunc, rem æqualis valoris cum ea, quam tibi debebam, accepiſti, atque adeo tibi non ſupereſt locus à me amplius debitum exigendi. Rurſum hoc ipſum comperies verum in ſatiſfactione reali. Etenim, iuxta communem iuriſperitorum conuentum, legi *tr. de contractibus*, necnon *tr. de emptione, & venditione.* vbi ex Iuſtiniano *§. ius autem inſtituta de iure naturali dedi*, quòd iure gentium homo captus in bello conſtituitur ſeruus alterius, qui iure dominij poſſit illi præcipere obſequia ſibi vtilia rationi conſentanea, quia poterat capiens captum, beneficio vitæ priuare, & ſeruatur captus incolumis gratiâ capientis, ideoque ſeruus, ſeu à morte ſeruatus, teſte Iuſtiniano *citato loco* appellatur. Ex quo inferunt communiter DD. dominum non teneri ſeruum, quem iuſto bello comparauit, manumittere, tametſi domino offeratur ingens pretium pro ipſius ſerui redemptione. Verùm idem Authores vnanimi calamo ſcribunt. Quòd ſi oblato digno pretio pro redemptione ſerui illud admiſerit dominus, tenebitur ex iuſtitia manumittere ipſum, nec de domino verificaretur, in dicta hypotheſi, aliquam remiſſionem, ſeu condonationem exercuiſſe, ſed de condigno ſatisfactua manebit.

Tametſi hæc omnia apud Authores ſtabilita 171.
ſint. Reſponderi poteſt ex doctrina Vaſquij. In his caſibus nullam inueniri ſatisfactionem ex iuſtitia, ea ſemper motus ratione, quia quando res in hac ſpecie debetur, & in eadem ſpecie non fit redditio, ſed in alia, ſemper manet apud creditorem illa inæqualitas, quam in illa ſpecie, antecedenter ad ſatisfactionem patiebatur; etenim ipſe triticum dedit. Ergo quandiu totidem tritici non rependatur illi, tandiu inæqualitatem in tritico patietur. Ergo quæcunque olei copia offeratur illi, adhuc ſupereſt

illi

illi inæqualitas exſoluenda in tritici ſpecie. Ergo ſemper aditus iuſtus patet Creditori ad exigendum, vt prædictam inæqualitatem, quam patitur, ad æqualitatem reducat debitor. Ergo nulla inuenitur ſatisfactio ex iuſtitia in aliquo ex his caſibus. Idem de domino manumittente ſeruum ex eadem doctrina poteſt diſcurri.

172. Verùm hæc doctrina ſubſiſtere nequit in ſenſu Vaſquij. Etenim totum argumentum eius ſolùm conuincit, ſumpta ſatisfactione in ſpecie aliena ſecundùm ſe: ſic enim nobis non contrariatur, quia ingenuè fatemur dictam ſatisfactionem, quantumuis in re longè nobiliori peractam, non eſſe efficacem ad obligandum creditorem, vt ex iuſtitia illam accepiet. Tamen ex hoc ſolùm infertur, neceſſariam eſſe liberam voluntatem creditoris, vt ſatisfactio in alia materia, efficaciam habeat ad ſimilem obligationem creditori inferendam; ſine hac autem voluntate, creditor poterit eam rem in ſpecie iuſtè à debitore exigere. Sed notare debes, quòd hæc creditoris voluntas non requiritur, vt creditor cedat iuri ſuo, ſed vt velit ius illud, quod habebat ad hanc rem, commutare pro iure, quod acquirit pro re, in qua ſatisfactio exercetur. Hoc enim eſt compertum in tractatu de emptione & venditione, diximus ex communi; quòd venditionis contractus voluntatem vendentis exoptat, qui rem ſuam poterat retinere, quamuis pretium iuſtum offeratur illi, at ex vi voluntatis, quam habeat de re tradenda pro pretio, non dicitur iuri ſuo cedere, ſed ſolùm permutare dicitur ius, quod habebat in re, pro alio iure, quod ſibi comparat in rei pretium. Si autem venditor rem illam gratis donaret, aut minori pretio, quod res meretur venderet, traderet, cederet iuri ſuo. Hoc ipſum reperio in eo, qui pœnæ deſtinatus iuſtà ſententià, vt ab illius incuſſione ſe liberet, Reipublicæ vel Principi ingentem pecuniarum copiam exhibet, & reſpublica dictam ſatisfactionem pœnæ admittit, tunc enim Princeps non remittit homini illi obligationem liberaliter, nec condonat ius, quod in reum habebat, ſed illud ius, quod ad eum puniendum in ipſo reperiebatur, commutat pro iure, quod in illud pecuniarum pretium ſibi comparat Princeps.

173. Sed replicabis ex Vaſquio. Hæc voluntas, quam ex parte perſonæ læſæ deſideramus, ſuperflua eſt ad ſatisfactionem ex iuſtitia. Ergo falſa eſt doctrina, antecedens patet, quia ſine tali voluntate intelligi debet totum id, quod ad ſatisfaciendum illi deſideratur. Ergo eſt ſuperflua. Antecedens patet, quia ſine tali voluntate concipi debet quidquid requiritur ex parte ſatisfactionis vt ſit ex iuſtitia. Sed ſine voluntate hac poſita ex parte perſonæ læſæ, concipitur quidquid requiritur ex parte ſatisfactionis, vt ſit ex iuſtitia. Ergo ſine tali voluntate concipitur quidquid requiritur ad ſatisfaciendum perſonæ læſæ. Probo minorem, etenim in ſatisfactione pars læſa, cui ſatisfactio exhibetur, non ſeruat iuſtitiam, ſed tantùm ille, qui ſatisfactionem operatur, etenim de hoc ſolùm verificatur, quòd dat, quod debet, & ad æqualitatem reducit inæqualitatem, quam paſſa eſt pars læſa. Sed hoc totum poteſt perfici abſque voluntate creditoris læſi. Ergo ſine voluntate partis læſæ concipitur quidquid requiritur ex parte ſatisfactionis, vt ſit ex iuſtitia. Nec ſatisfacit id, quod in emptione & venditione adducimus; quia emptio & venditio eſt contractus, cui eſſentialiter eſt annexa vtraque contrahentium voluntas, quia vterque contrahens iuſtitiam exercet, & ſic vtriuſque requiritur voluntas; at in præſenti ſolus debitor, de quo ſatisfacere eſt proprium, iuſtitiam ſatisfaciendo exequitur. Ergo ſuperflua eſt voluntas, cui ſatisfit, vt ſit actio debitoris ſatisfactoria ex iuſtitia, ſicut ſuperfluere videtur, vt talis actio abſolutè ſatisfactio nominetur, & ſit.

Reſpondeo ex præiactis ſuprà in limine *ſectionis*, vbi geminum modum ſatisfaciendi annotaui, ſcilicet vel reddendo rem eamdem in ſpecie debitori, vel aliam æquiualentem illi dando. Si primo modo fiat ſatisfactio, cùm ſeipſa debitum exhauriat, quia eamdem in ſpecie inæqualitatem ad æqualitatem reducit, non eget creditoris voluntate, vt ſuum effectum ex iuſtitia lucretur, atque adeo in tali caſu ſolùm de debitore exercere iuſtitiam verificatur, taliter, quòd etiam renuente creditore, totum ſuum debitum ſoluit. At verò ſi fiat ſecundo modo ſatisfactio, nempe non in eadem, ſed in diuerſa ſpecie, licèt æquiualenti, requiritur creditoris voluntas, quia talis modus ſatisfaciendi, morem contractus gerit, & ſic vtriuſque petitur voluntas. Vide quæ hucuſque diximus. His omnibus explicatis. 174.

Pater Vaſquez hac ratione dubitandi mouetur, ad denegandum Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ex iuſtitia. Peccata hominum in Deum ſubmouerunt ab ipſo honorem illi debitum. Ergo obligatio reſtituendi Deo honorem ablatum fuit perſonalis. Ergo ſolùm homines ipſi, qui honorem abſtulerunt, ſatisfactionem exhibere potuerunt. Ergo aliena actio non poterat eſſe ſatisfactio talis, vt Deum ex iuſtitia obligaret ad remittendum peccata, quibus ablatus fuit Dei honor. Sed Chriſtus dictum honorem non abſtulit. Ergo eius actiones, vtpote alienæ, non fuerunt ſatisfactoriæ efficaciter, vt obligarent Deum ad remittendum iniuriam in honore irrogatam illi. 175.

Ex dictis latus tibi adeſt aditus, quo poſſis huic rationi ſatisfacere vſque ad ſatietatem. Concede antecedens & primam conſequentiam, & nega ſecundam. Ad probationem quæ ibi tacetur; & cui innititur. Hac vtere diſtinctione; obligatio perſonalis non poteſt ſatisfieri aliena actione, & inuito creditore, concedo; aliena actione & voluntate creditoris, paciſcentis ſe manſurum contentum aliena ſatisfactione, æquiualenti iniuriæ ab altero illatæ, nego. Recole dicta in his duabus ſectionibus allata, quæ materiam huic formæ miniſtrabunt vberrimam. Vnde ex ibi, quæ dedimus, deduces, impoſſibile eſſe ſatisfactionem Deo exhibere ex iuſtitia, pro honore iniquè per peccata hominum ab ipſo ablato, ſi voluntatem Dei ſæpe explicatam expun- 176.

gas. Etenim quæuis ſatisfactio Deo oblata, vel eſt pro peccato ab ipſo ſatisfaciente commiſſo, vel pro peccato alieno. Si ſatisfactio ſit pro peccato proprio, cùm ſemper ſit inæqualis debito, vt latiſſimè reſoluit diſputatio de ſatisfactione puri hominis, fit, poſſe Deum illam reſpuere. Et caſu, quo admiſerit illam, adhuc ex iuſtitia non eſſet, quia voluntas illam liberè acceptans, æqualem debito nunquam formaret, & ſic potiùs voluntas illa eius defectum liberaliter ſuppleuit, illam partem, quæ ſatisfactioni deeſt, gratioſè remittens. Si verò ſit pro alieno peccato, licèt poſſet eſſe æqualis debito, qualis cenſeretur ea, quam Chriſtus offerret, tamen poſſet Deus illam reſpuere, & nolle illa contentus manere propter rationes ſuprà datas. Ex his vna vice concluditur hæc conditio, & ratio, cui innititur, necnon quarta conditio, ſcilicet quòd ſatisfactio fiat à proprio debitore.

Sectio X.

Argumenta ex ſeptima conditione petita.

177. Aliam conditionem ex iuſtitia dant Authores, videlicet, quòd inter patrem, & filium, dominum, & ſeruum non exequatur, quam aliis verbis alij recentiores tradunt, nempe, quòd ſatisfactio ſit ad alterum iure. Verùm iſtæ conditiones voce tenus diſſidentes, concluſæ manent. Tum ex datis ſectionibus ſecunda & tertia pro ratione concluſionis noſtræ, tum etiam ex his, quæ ſcripſimus ſectione ſeptima pro conditione illa, nempe, quòd ſatisfactio ſit ex bonis debitoris, quæ creditoris non ſint. Verùm ne lapis contra nos motus nos lateat, qui petat, iterum redibit ſermo ad idem, vt argumenta quæ nouiter congeſſit, & ponderauit Bernal ex omni parte maneant deciſa.

178. Pater Bernal *diſputatione* 7. *ſectione* 3. §. 1. Vaſquium ſequutus intendit probare, Chriſtum Dominum non ſatisfeciſſe ex iuſtitia Deo creditori, quia non fuit eius ſatisfactio ad alterum iure & dominio, quia ſcilicet exiſtimat hæc duo incohæribilia eſſe, actiones quaſque à Chriſto eliciendas eſſe ſub dominio Dei, & per eaſdem poſſe Chriſtum ipſi Deo ſatisfacere. Sed incompoſſibilitatem hanc in notabilibus depulimus, & omnibus locis *ſuprà citatis* potiſſimùm *ſectione ſeptima* in calce. Nunc intereſt argumenta, quæ ponderat Bernalius afferre, quæ quia aliqualiter eleuant rationem dubitandi Vaſquij, *ſectione ſeptima* adductam, ibique ſufficienter deciſam, iuſtùm duxi hîc illa recenſere, & reſponſum illis ex aſſertis mutuare.

179. Arguit ergo Bernal. Actiones Chriſti eſſe ſub dominio Dei, tollit inter Deum & Chriſtum dari ſufficientem alietatem, iure & dominio ab exercitio iuſtitiæ poſtulato. Ergo Chriſti ſatisfactioni defecit conditio neceſſaria, vt ex iuſtitia cenſeretur. Antecedens ſupponit vt verum, & mouetur, quia per contractum iuſtitiæ transfertur dominium ab vno in alterum; transferri autem non poteſt, ſi non ſit modo dicto in antecedenti diſtinctum dominium in vno ac altero, & ab eo independens. Ergo illud, quod antecedens ſupponit, eſt verum. Tunc ſic, ſed hoc nequit inueniri in actionibus Chriſti reſpectu Dei. Hoc probat ratione communi Vaſquij *ſuprà* allata *ſectione ſeptima*, videlicet quia quælibet actio Chriſti eſt quid creatum. Ergo dependens à Deo. Ergo eſt ſub dominio Dei. Ergo hæc alietas iuris & dominij nequit inter actiones Chriſti & Deum inueniri. Hoc ipſum expendit exemplis ſatis repetitis filij, & ſerui, Domini & Patris, quibus denegatur hæc alietas, quia illi ſunt aliquid iſtorum moraliter. Sed actio Chriſti magis eſt ſub dominio Dei, quàm bona filij non emancipati, nec habentis bona caſtrenſia, ſint ſub patria poteſtate. Dat rationem hujus, quia filius poteſt emancipari, & alio modo nanciſci dominium plenum, & à patre independens, vt experientia eſt notum, & ex legibus ſancitum, vt vidimus *tractatu de contractibus*, at Chriſti humanitas nec à Deo poteſt emancipari, nec aliquam elicere actionem, quæ non ſit ſub dominio Dei, & ſtrictè ſit actio Dei. Ergo non poteſt Chriſtus per illam ſatisfacere ex iuſtitia, cùm nemo poſſit alteri ſatisfacere per illius ipſiſſimam actionem.

Nec vim attempetabis, dicens cum communi doctrina, quam *ſectione ſeptima*, non ignobiliter eleuauimus, quòd Chriſti humanitas, cùm liberè ſuas actiones elicuerit, mediis quibus ſatisfecit, poterat eas elicere, & non elicere; hoc autem ipſo, quòd illas liberè eliciebat, eaſdem poſuit ſub dominio Dei, cùm poſſet eas non imponere. Non inquam hæc minuunt argumenti vires, etenim arguit ſic contra illa Bernal §. 2. *numero* 34. Tum, nam etſi humanitas Chriſti poterat eas actiones elicere, & non elicere, tamen illas elicere non poterat niſi dependenter à Deo excitante, & apud nos etiam prædeterminante, & apud omnes cooperante, tam moraliter, quàm phyſicè, proximè & remotè. Quis autem non videat, neminem alteri de iuſtitia ſoluere poſſe, per illiuſmet ipſiſſimam actionem, tot titulis illi debitam? Rurſum hoc ipſum inſtat, *numero* 35. etenim licèt liberè Chriſtus ſuas actiones eliceret, non tamen poterat ipſe, quòd ſemel productæ, non eſſent ſub dominio Dei, eiuſque mancipia, & ſeruæ. Siquidem Chriſtus vt *homo* ſeruus extat vt *quod*, & eius actio, *vt quo*; Ergo quod liberè potuiſſet Chriſtus, vel eius humanitas ſuas actiones elicere, vel non elicere, nihil hoc iuuabat ad finem illum, vt poſſet ex iuſtitia Deo creditori ſatisfacere per illas. 180.

Confirmat hoc totum exemplo, quod vocat Author clariſſimum ex viſceribus vtriuſque iuris accerſitum. Dicitur enim *lege partum capite de rei vindicatione*, exploratì iuris eſſe, partum ancillæ matris ſequi conditionem. Idem conſtat *lege placuit capite de libertate cauſarum*, & *lege idem Pompon*. §. *ſi aquam ff. de rei vindicatione*, & ſupponitur *in capite dilectus de ſeruis non ordinandis*; vbi fuſè Gloſſa, ibique in- 181.

ſtar

ſtar prouerbij habetur *partus ſequitur ventrem.* Itaque Cæſareum ius diſponit, eum, qui ex ancilla naſcitur, naſci ſeruum illius, ſub cuius dominio eſt mater, licèt hæc regula aliquas patiatur exceptiones, quas eleganter dedit D. Alphonſus Benitez in relectione ad cathedram Clementinarum, quam typis dedit Compluti. Nunc arguit Bernal; liberè ſuſcipit talis ancilla filium, cùm non teneatur proli ſuſcipiendæ operam dare, poſſitque ſi velit, ſeruare continentiam; tamen quia filius ancillæ diſpoſitione iuris ſeruus naſcitur, & mater efficere non poteſt, vt ſeruus non naſcatur, ideo nequit mater ab hero ſuo quidpiam ex iuſtitia petere, vel quia ſeruum ei peperit, vel propter opera eiuſdem filij, atqui pari, vel maiori ratione, licèt Chriſtus poſſet elicere, vel non elicere actionem, tamen ea actio non humano vel poſitiuo, ſed diuino, & naturali iure naſcebatur ancilla, & ipſius Dei ſerua; imo eſſentialiter, & vt *quo* ſerua. Ergo non poterat Chriſtus per illam actionem aliquid ex iuſtitia à Deo petere.

182. Nec facies ſatis, negans Chriſtum, vt hominem, ſeruum Dei eſſe. Non inquam ſatiſfacies, quia vt ait *numero trigeſimo octauo* adhuc argumentum ſiſtit in ſua vi. Etenim hoc ſic procedebat, quòd filius ancillæ ſemel ſuſceptus, propriè ſit iſtius heri, & ſub eius poteſtate, ita vt vendere illum dominus poſſit; qui non minùs, ſed multò magis, actio Chriſti erat actio Dei, ita ſcilicet vt citra illius iniuriam Deus poſſet actionem illam deſtruere, idque ſiue Chriſtus ſit vel non ſit Dei ſeruus. Ergo hæc ſolutio vim argumenti non minuit.

183. Nec reſpondebis, ſi ſecundo dicas, hoc ipſo, quòd ancilla non teneatur ſobolem procreare, & eum fructum afferre domino, poterit dominus, ſi fructum eius exoptet, hortari ancillam ad eum procurandum, & pro ea cura, quam illa non tenetur adhibere, aliquid ancillæ promittere, & ex iuſtitia conferre, ſicut poteſt dominus idipſum exequi cum ſeruo propter operas, ad quas non tenetur ille. Ergo cùm Chriſti humanitas liberè poſſet illos actus elicere & non elicere, propter ipſos poterit Chriſtus ſemel elicitos aliquid à Deo iuſtè exigere, & ei ex iuſtitia Deum illud rependere. Non inquam ſatisfacis, quia contra hoc arguit Bernal. Etenim actiones ancillæ in procuranda ſobole non ſunt actiones domini, ſed ancillæ, vt fert diſpoſitio iuris, ideo poteſt ille pro iſtis aliquid ancillæ promittere, & ſoluere cum proprietate iuſtitiæ. At actiones Chriſti erant eſſentialiter actiones Dei, quare non poterat Deus ex iuſtitia obligari.

184. Huc vſque deuenit feliciter ſatis Bernalius, cuius argumentum ita latè adducere libuit, nullo verbo parcens, ne guttam roboris eius perderem. Vt reſpondeas, memento doctrinæ *ſectione ſecunda* adductæ. Ex qua iterum redderis conſcius, quòd, vt quis cenſeatur ſerius dominus alicuius rei, tantùm petitur, quod apud illum ſit poteſtas diſponendi illam, prout maluerit, abſtrahendo ab hoc, quòd pendeat, vel non pendeat ab alio, dummodo ille, qui pendet, rem illam liberè poſſideat, taliter, quòd, interueniente pacto, poſſit iuſtè peti aliquid ab eo, à quo aliàs pendere dicitur. Vnde inter patrem, & filium, ſeruum & dominum, iſta ſunt Bernalij exempla, poſſet dari vera iuſtitia, etiamſi filius & ſeruus in eſſe, fieri, & conſeruari dependerent à patre, & domino. Ratio, quia inter perſonas ipſas poteſt dari contractus de illis bonis, quæ cuique ſunt propria. Vnde ſeruus poteſt paciſci cum domino, vt certam quantitatem pecuniæ pro ſuis operis domino quotidie ſoluat, & ſi quid plus lucratur, ſibi comparet, & ſuum faciat, & pecuniâ lucratâ poſſit ſeipſum redimere. Hanc doctrinam dedimus *tractatu de contractibus* ex Soto *de iuſtitia & iure, quæſtione prima, articulo quarto*, Aragonius *articulo quarto, concluſione ſecunda*, quos ſequuntur RR. Molina *tractatu primo, diſputatione ſeptima*, Rebellus *quæſtione ſecunda, numero vigeſimo quinto.* Hoc notato refricare debes ea, quæ tibi præfixit *ſectio, in fine, ſeptima* pro ſolutione rationis dubitandi Vaſquij. Quibus notatis.

Reſponde in forma argumento Bernal, & replicis eius nega maiorem, Ad probationem, quæ ſimul erat probatio minoris ſubintellectæ, & tibi omiſſæ. Illud, de tranſlatione dominij, ſatis ex dictis *ſectione ſeptima* manet explicatum, nempe requiri in iuſtitia exercita inter duas creaturas, tranſlationem dominij, quoad ſubſtantiam, in alterum, & in actu primo radicalem; at verò in actu iuſtitiæ, exercito à Chriſto reſpectu Dei, ſufficit tranſlatio dominij in actu ſecundo, & quoad paſſiuam terminationem dominij apud Deum præexiſtentis. Sic diſtingues minorem. Sed hæc tranſlatio dominij non poteſt reperiri in actu iuſtitiæ à Chriſto exercito, de prima tranſlatione, eſt vera, de ſecunda eſt falſa. Ad probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, dependet à Deo, ita vt non dependeat à Chriſti voluntate, tamquam vera domina illius, nego conſequentiam, eſt dependens à Deo & dependens à voluntate Chriſti tamquam domina illius, concedo conſequentiam, & diſtinguo ſecundum conſequens. Ergo actio Chriſti erat ſub dominio Dei in actu primo, ſeu in actu ſignato, concedo, erat ſub dominio Dei in actu ſecundo exercito, ſubdiſtinguo, in actu ſecundo, quæ eſt ſub dominio Dei antecedenter ad ipſos actus poſitos liberè, nego conſequentiam, conſequenter ad ipſorum actuum poſitionem, & aliàs indebitam proximè & formaliter alio titulo, & ſolùm proximè debitam ad ſoluendum pro debito, pro quo ſatisfacit, concedo. Sic debes procedere in impugnationibus, & exemplis patris & filij, domini & ſerui, admittens exempla, & diſtinguens hanc propoſitionem vbicunque datam. Sed actiones Chriſti ſunt magis, vel æquè ſub dominio Dei eadem diſtinctione propoſita & latiùs *ſect. 7.* explicata. 185.

186. Nunc reſponde ad primam replicam, admittens Chriſtum non poſſe independenter à Deo elicere ſuas actiones, verùm hæc dependentia in operando non tollit à Chriſto, ipſum verè & propriè illas actiones producere tamquam ſerius earum dominus. Vnde ſicut non benè diceres, Deus nequit concurrere concurſu ſimultaneo ſine nobis, quia vt fert communis

 X 3 vox,

vox, concurſus ſimulraneus Dei eſt noſtra actio, prout à Deo. Ergo Deus cùm operatur ſimultaneè non eſt dominus illius concurſns; idem applica ad actum vitalem, iu ſententia defendenre Deum ſine nobis eſſe imporem illum producere. Similiter non licebit inferre Chriſtum non poſſe ſuas actiones iodependenrer à Deo producere. Ergo Chriſtus, dum illas operatur, non eas, vt dominus, efficit. Ergo, etſi dependenter à Deo, ſetins dominus extat operarionum, quas elicir. Hoc ſufficit, vt per illas, poſiro pacto de remirtendis peccatis propter ipſas, ſatisfaciat Deo creditori.

187. Ad replicam, exemplo illo clatiſſimo de partu ſeruæ. Reſpondeo, diſtinguens, vel inter ſeruam & dominnm interceſſit pactum de retribnendo illi, ſi ſe parauerit ad concipiendum, vel tale pactum non datur. Si ptimum, bene poterat poſt partum ſetua exigere à domino, quòd ſub dicta conditione promiſerat illi. Si non interceſſit pactum, non poterat aliquid ab eo ex iuſtitia depoſcere, non ob defectum iuris, liberratis, & dominij repertum in ſetua, reſpectu prædictæ actionis, qua partui inſudauit, ſed ex defectu pacti requiſiti ab exercitio ex iuſtitia, vt latè *ſectione prima* in notabilibus, & ſectionibus immediatè antecedentibus. Simili diſtinctione vtere in ſolutione argumenti huic exemplo innixi, ideo nequit mater ſerua ab hero quidpiam petere ex iuſtitia, vel quia ei filium peperit, vel quia operas in educatione, & conceptione filij dederar, ſi non extitit ex parte heri voluntas paciſcentis de aliquo rertibuendo ſub conditione, quòd ſe ad concipiendum parauerit concedo, ſi extitit ex parte heri ſimile pactum, nego. Ad replicam huins reſpondeo, non ideo formaliter dominus potuit ancillæ promittere, ſi tales operas dederit, quia videlicet tales actiones ancillæ non erant domini ſui, ſed quia tales actiones erant verè & propriè illius ancillæ. Dixi formaliter, quia in re idem eſt apnd nos illas actiones eſſe proprias ancillæ, ac non eſſe proprias domini ſui, quia vt ſuprà dixi, & ſtatim proſeqnar, in humanis non poteſt dominium eſſe in ſolidum apud dnos, vt in ſolutione replicarum proximarum diſcurram. Sic abſolutum manet Bernalij argumentum.

188. Sed replicabis. Per nos, vt vidimns ſuprà, repugnat in creatis ſimul reperiri eiuſdem rei duos dominos in ſolidum, raliter quòd poſſint viciſſim erga ſe actus iuſtitiæ exercere. Ergo Chriſtus & Dens non poterunt eſſe domini einſdem actionis cum conditionibus requiſitis, vt apud ſe valeant viciſſim actus iuſtitiæ exercere. Reſponde conceſſo anrecedenti, negando conſequentiam, de qua latè *ſectione ſecunda* animaduerſum.

Sed dic, cur duæ creatnræ nequeant eſſe condominæ eiuſdem rei? petebat hoc ſingularem controuerſiam, quàm excitare RR. ſolent, & bene, cùm exinde ſumant argumentum ad probandum inter Deum & Chriſtum veram iuſtitiam exerceri poſſe, quamnis earumdem actionum extiterint Chriſtns & Deus veri, ſerij, & in ſolidum domini. Verùm cùm nobis ſuperſit via, ad defendendam iuſtitiam in ſatisfactione Chriſti, quamuis creatis negetur eiuſdem rei poſſibiles eſſe duos condominos in ſolidum, ideo poſſibilitas ſimultanei huius dominij, apud nos non ſubibit nimis operoſum examen; verùm quod noſtræ reſolutioni ſuffecerit, breuiter miniſtrabimus. Reſpondeo ergo, ideo iu creatis hi condomini eiuſdem rei in ſolidum repugnant, quia donator, dum promitiit, ſtatim transſert dominium donatatio acceptanti, abdicando à ſe dominium illius rei pro inſtanti venturo ad inſtans, iu quo celebratur contractus.

189. Sed inſtabis, cur donator abdicet dominium in inſtanti, quo donat, pro inſtanti immediatè venturo? Reſpondeo, id eſſe, qnia donator tantùm requiritur, vt transferar dominium in alterum, ad quod impertinens eſt, quòd donator ſit dominus, vel non, illius rei, quam donauit, imo petit neceſſariò non manere dominum, poſtquam dominium in alium tranſtulit perfectè; ratio, quia vna ex condirionibus creatæ iuſtitiæ, vt patet *ex lege vt certo §. ſi duobus & commodati*, & ex his qoæ latè effudimus *ſectione ſecunda* eſt, quòd, qui dat ex iuſtitia, patiatur priuationem dati. Sed ſi donator in inſtanti, quo dat, non abdicaret dominium illius rei pro inſtanti ventnro, maneret donator dominus in ſecundo inſtanti eiuſdem rei, quam in primo dedit. Ergo iam non pareretur priuationem dati, quod eſſe contra PP. iuris vidimus.

190. Sed inſtabis. Cur creatura, dum ex iuſtitia dat, patiatur priuationem dati? Reſpondeo id naſci ex dominio, cuius eſſentialiter eſt ipſa capax, quod quia, cùm non requiratur, vt donator maneat dominus rei, quam ex iuſtiria donatio dedit, exinde protinus ſpirat eius dominium, atque adeo patitur priuationem dati.

Sed adhuc inſtabis. Cur in donatore creato, protinus ac dat, ſuum dominium ſpirate dicitur? Reſpondeo quia non eſt ſupremum dominium, de cuius ratione ſola, eſt conſernare quoduis dominium creatum productum. Er quidem cùm vice verſa dominium Dei ſit ſupremum, exinde poſtquam primò dedit rem creato donatario, adhuc manet dominus illius eiuſdem dominij, ipſi creaturæ communicati. Sit tibi exemplum non contemnendum. Creatum agens, quia non ſupremum, poſt productum effectum, eius cauſalitas protinus ſpirat: increatum autem agens poſtquam primum eſſe dedit rei, quia ſupremum, ab influxu non ceſſat in illud. Perge nunc, & cùm Deus non aliter ſit dominus rei, & ſui dominij, niſi per virtutem ſupremam cauſatiuam, cùm hæc inquam petat, quia ſuprema, manere poſt effectum à ſe editum, etiam eius dominium in illum perſeuerare dicetur. Cúmque contrarium inueniatur in creato donatore, contrarium de illo euulgate, neceſſarium exiſtimaui. Recurre *ad ſectionem ſecundam*, & inſtantiis afflues.

191. Cardinalis Lugo *tomo de incarnatione, diſputatione tertia, ſectione prima, numero vigeſimo tertio*, hoc argumentum, eidem doctrinæ innixus, quodam exemplo, valde noſtris temporibus à RR. Complut. in ſuis manuſcriptis familiari, contra aſſerta huc vſque & noſtram concluſionem *ſectione prima* allatam commendat, ſic ſuis eiſdem verbis tranſcribam. Reli-

gio

gioſus, qui per ſolemne votum paupertatis ità transfert omnia ſua in religionem, vt non poſſit poſtea ex aliquo contractu ciuiliter obligare ſibi eamdem religionem; atque ideo quantuncunque religio promittat illi aliquid ſub conditione operis oneroſi, & ipſe acceptet promiſſionem, non manebit religio ciuiliter obligata, , quidquid ſit, an maneat naturaliter, ſaltem obligat ad ſtandum promiſſis, quod negant etiam alij, quos refert Thomas Sanchez *libro ſeptimo de ſtatu Religioſ. capite octauo, numero decimo quinto*, ipſe autem cum aliis concedit *numero primo*, dum tamen non promittat religioſo aliquid quoad eius vſum, tunc enim nec naturaliter obligatur prælatus, ſed poteſt poſtea illud reuocare; pugnat enim cum paupertatis voto, quòd habeat aliquid irreuocabiliter à prælatis. Sic ergo, ait Lugo. Creatura, quæ eſſentialiter includit votum quoddam ſeruitutis in ordine ad Deum, non poteſt ex promiſſione Dei etiam acceptata obligare ipſum Deum vllo modo ex iuſtitia, quia non poteſt abſolui ab illo eſſentialiſſimo ſtatu, & licèt religioſus poſſit naturaliter ſaltem obligare Prælatum in aliquibus contractibus, hoc tamen eſt, quia religioſus non eſt eſſentialiter religioſus, & adhuc poteſt conſiderari vt homo, & vt ſic contrahere, & paciſci cum Prælato; creatura verò nullo modo poteſt præſcindere à ſtatu creaturæ & ſeruitutis. Ergo non poterit obligare Deum quocunque actu à ſe elicito.

192. Sed hoc argumentum, eodem impetu corruit, quo ſe in noſtram ſententiam erigit. Eſt abſimilis ratio in noſtro caſu, conuenit enim religioſus cum Chriſto in muneribus ad diſtinctas lineas pertinentibus, etenim ſicut Chriſtus nequit operationem aliquam elicere, niſi dependenter à Dei concurſu, qui ad lineam phyſicam conducit, ita religioſus nihil ſibi acquirere poteſt, quod religioni non comparet, quodque ad lineam moralem ſpectare videtur. Sed quid inde? Chriſtus dum dependenter à Deo operationes efficit, eas operatur tamquam illarum dominus: quia eſt ſui iuris. Religioſus nullius eſt iuris, ideo ſibi nihil comparare poteſt. Ius enim iſtius & religionis ſuæ, non ponunt in numero moraliter, ſed in vnum coeunt morale ius, per votum ſolemne tradidit ſe, omnia bona, & ius radicale ad illa, nempe voluntatem, atque adeo ſicut religioſus voluntatem propriam dicitur non habere, ita omni iure ſpoliatus eſt prædicandus. Quid mirandum, quem omni particulari iure & dominio vidimus nudum, non poſſe ciuiliter religionem obligare ex iuſtitia, vt illi rependat bona, quorum ipſe dominium acquirat proprium, & particulare. Chriſtus autem quantumcunque in ſuis operibus dependens ſit, ſui iuris eſt, dominio in ea viget: atque adeo poterit Deum obligare.

193. Incrementum ſumit hæc diſparitas ex doctrina, quam argumentum ſtatuit. Dicebatur in ea, Prælatum promittentem aliquid religioſo adhuc naturaliter non manere obligatum, atque adeo promiſſio illa ſuperioris vana eſſet, & otioſa, & perinde daretur, ac ſi non poneretur. Ita probabiliter diſcurrunt teſte Sanchez, qui cum pluribus valde probabilius ſtatuit, eſſe inutilem promiſſionem Prælati ſubdito factam, ſi ex vi promiſſionis aliquid religioſo irreuocabile ſponderet. Atqui vanitas, & otioſitas promiſſionum harum aliundè non poteſt prouenire, niſi quia cùm genium promiſſionis ſaltem oneroſæ ſit ponere ius in promiſſario ad rem promiſſam, quodque ſubditus habere eſt incapax, optimè colligitur, promiſſionem à Prælato, ſubdito factam, de aliquo irreuocabili, eſſe vanam, inutilem, & ſuperfluam. Quis enim hæc diuinis promiſſionibus Chriſto Domino factis, quamtúmque procax extiterit, euulgare poterit? Eas enim vtiles, & ratas fuiſſe Lugus, cæterique fideles conſtanter defendunt. Ergo ideo eſt, quia in Chriſto finem, quem ipſæ ſibi præfigunt, lucrantur, quem promiſſiones Prælatorum reſpectu ſubditi, habere non poſſunt. Ergo ſupponunt diuinæ promiſſiones oneroſæ, Chriſti capacitatem ad habendum ius ad ea, quæ ſibi à Deo ſub onere ſunt promiſſa. Conſequentia patet, ideo promiſſio facta ſubdito religioſo inutilis eſt & vana, quia fit ſubiecto, in quo non ſupponitur capacitas habendi ius ad ea, quæ ſunt ſibi à Prælato irreuocabiliter promiſſa. Lege Sanchez, & comperies. Ergo è contrà, illa promiſſio à Deo Chriſto ſub onere facta, vana, & inutilis non erit, quia ſupponit in Chriſto capacitatem habendi ius ad ea, quæ ab ipſo Deo ſunt ſibi promiſſa. Tunc vltra, ergo ſi Lugus & alij, quos ſequitur, docent, ideo Prælatum, ex vi promiſſionis religioſo factæ, nulla obligatione eſſe obnoxium, quia ex vi promiſſionis nullum acquirit ius religioſus, ob incapacitatem dictam, neceſſariò concedere debet, Deum ex vi promiſſionis oneroſæ Chriſto factæ, manſiſſe obligatum, quia ex vi talis promiſſionis acquirit ius Chriſtus ad illa, quæ adeo ſunt ſibi ſub onere promiſſa propter capacitatem, quam dicta promiſſio ſupponit in Chriſto acquirendi ius, & dominium ad omnia ſibi promiſſa. Vnde ex qua parte promiſſiones Dei non ſunt vanæ, quia Chriſto factæ, ſicut promiſſiones Prælatorum religioſis datæ, colligitur in Chriſto capacitas habendi ius in promiſſa, ſicut ex incapacitate religioſorum ad acquirendum ius ad ea, quæ ſibi Prælati promittunt, colligunt contrarij vanitatem promiſſionis religioſis factæ; & ex qua parte datur capacitas in Chriſto acquirendi ius, reſpectu rei à Deo ſibi promiſſæ, colligo in ipſo ius de facto ad rem, ſupra quam hîc & nunc de facto cadit promiſſio, quia non ſtat promiſſio exercita de re aliqua habenti capacitatem acquirendi ius ad illam, & quòd illâ ſuppoſitâ iſtud ius de facto in promiſſario non reſultet. Rurſum & ex qua parte intelligo ius hoc in Chriſto manaſſe, colligo in Deo obligationem eſſe ortam dandi rem, quam promiſerat, quia impoſſibile eſt ius ſerium ex vi promiſſionis acquiſiuiſſe promiſſarium, & quòd obligationis ſit expers promittens, ex his enim paritatem negabis argumenti.

Sectio XI.

Argumentum ex impoſſibilitate iniuſtitiæ creaturæ in Deum petitum.

194. Aliud argumentum ſolet contra noſtram concluſionem fieri, quod hic proponam, cuius examen erit longius, quàm eius difficultas promereatur, ſolùm eo fine, vt materia, quam inuoluit, valde noſtra ætate controuerſam, ſeriæ concertationi ſubiaceat. Argumentum ergo ſic formatur, creaturæ nullam poſſunt facere contra Deum iniuſtitiam. Ergo nec poteſt eſſe iuſtitia Dei ad creaturam, nec iniuſtitia. Etenim eadem eſt ratio Dei ad homines, ac hominum ad Deum. Hæc obiectio facilè euaneſcet, ſi daremus antecedens negando conſequentiam, quia Deus poteſt hominibus conferre plura bona, & commoda, quamuis creatura non poſſit Deo aliquid incommodum præſtare, vel aliquod malum, quod in ſententia contraria requiritur ad veram iniuſtitiam. Sic enim facili greſſu ab argumento expediremur; at in antecedenti latitat difficultas, quæ inter graues tractatus huius computari ſolet, ideo illud omiſſuri non ſumus, ſed negaturi, cuius rationem tota hæc ſectio dabit, reſoluens quæſtionem percelebrem, an in quouis peccato mortali ratio iniuſtitiæ, iniuriæ, & offenſæ contra Deum inueniatur.

195. In hac re negatiuam partem defendunt Vaſquez *tom. 1. in p. p. diſp. 85. num. 24. & hic diſp. 7. per totam.* Nauarretus *tom. 2. in p. p. controu. 28.* Vincentius *relect. de gratia quæſt. 5. art. 2.* Lorca *hic quæſt. 1. art. 2. diſp. 8. num. 7. & 8.* Gaſp. Hurtadus *hic diſp. 1. difficul. 20.* Thomas Sanchez *lib. 4. in decalog. cap. 11. num. 8.* Meratius *tom. 2. tract. de iuſt. diſp. 14. ſect. 3.* Affirmatiuam tuentur cum diuo Thoma eius diſcipuli Zumel *1. 2. quæſt. 114. art. 3. d. 2. concl. 3.* Bañez *2. 2. quæſt. 57. art. 4.* Aluarez *in 3. p. diſp. 4. concl. 4.* Cabrera *hic diſp. 8. §. 3.* Medina *in 3. part. quæſt. 1. art. 2. pag. 63. ad 2.* & ex alienis Suarez *tom. 1. in 3. part. diſput. 4. ſectione 5.* Granadus *tom. 1. in 3. p. controu. 1. tract. 2. diſput. 4. ſectione vltima.* Rebellus *de iuſtitia 1. part. lib. 1. quæſt. 1. ſectione 2. numero 21.* Raguſa *hic tom. 1. diſput. 3. §. 6.* Tannerus *in 3. part. diſputatione 1. quæſtione 2.* Rainaudus *libro 3. de virtutibus, numero 59.* & Durandus *in 4. diſtinct. 14. quæſtione 2.* Inter has mediam ſententiam meditatus eſt Lugus *t. 1. in 3. part. diſputatione 3. ſectione 3. & ſequent.* aſſeritque poſſe dari iuſtitiam, & iniuſtitiam ſtrictam Dei ad creaturam, verùm reipſa eam niſi raró non exerceri, quia Deus non exigit tamquam dominus proprietatis obſequia creaturæ, & domino non exigente opera, ſibi tamquam domino; ſed tamquam legiſlatori debita, non exercetur vera iuſtitia, & iniuſtitia.

196. Vt enim ſententiam ſequendam aptiùs percipias, & aliàs faciliùs poſſis confutare; aduertere debes rem ipſam, quæ proprium eſt huius difficultatis ſubiectum; notare igitur debes, iniuſtitiam, aliam eſſe materialem, & formalem aliam, formalis iniuſtitia, eſt violatio diuini iuris ex cognitione & affectu ſaltem indirecto prædictæ violationis orta: materialis verò iniuſtitia, eſt violatio iuris alterius practicè, abſque cognitione, an per illam ius alterius lædatur. Eſſe autem has duas iniuſtitias diſtinctas, experientia conſtat, quia poteſt contingere aliquem lædere ius alterius, & tamen malitiam iniuſtitiæ formalis non contrahere, quia talis læſio latuit operantem; exemplum eſt frequens in eo, qui ad alienam vxorem accedit, iudicans eſſe ſuam, iſte malitiam adulterij iniuſti formaliter non committit, necnon in eo, qui rem alterius conſumit, exiſtimans eſſe propriam. Tum & iam in ſcholis eſt vulgaris diſtinctio iuſtitiæ formalis & materialis; formalis appellatur, quæ non ſolùm æqualitatem ponit in iure, ſed illam ponit ex formali motiuo æqualitas cum iure ipſo. Materialis autem iuſtitia dicitur, quæ verè inæqualitatem iuris ad æqualitatem reducit, quamuis talis recompenſatio non procedat ex formali motiuo iuris redintegrandi, vel compenſandi. Ergo licebit ſic iniuſtitiam, iuſtitiæ oppoſitam, iniuſtitiam materialem, & formalem diuidere. Res igitur quæ præſens ſubit examen in præſenti, eſt, *an homo dum peccat, reipſa aliquod ius diuinum ex iuſtitia lædat, quamuis talis iuris læſio non contingat ex ſcientia prædicti iuris contrauentionis?* Etenim ſi ſimilem iuris læſionem, in quo materialis iniuſtitia conſiſtit, poſſibilem in peccato admittas de facto, facilè conuinceris admittere poſſibilem eſſe læſionem talis iuris ex ſcientia illi contraueniendi, quod eſt de conceptu formalis iniuſtitiæ, ſiquidem vbi poſſibilis eſt materialis iniuſtitia, poſſibilis eſt iniuſtitia formalis, eo ſcilicet in caſu, quo homo cognouerit per illam actionem ius alterius læſurum fore, & non obſtante cognitione hac operatur illam. Hoc notato.

Priùs à ſententia media Lugi receſſum 197.
apponam, vt in extremam vnam eodem impetu labar. Lugus tria pronunciat. Primum, poſſe hominem peccare contra Deum in materia iuſtitiæ, & violare iniuſtè ius Dei. Secundum, non omne peccatum; imo raró habere rationem iniuriæ ſtrictè ſumptæ. Tertium, neque ex peccato manere, niſi fortè rariſſimè, in homine aliquam obligationem iuſtitiæ ad ſatisfaciendum. Omiſſo primo aſſerto, in quo nobiſcum conuenit, explicat ſecundum, quia ad inducendam circunſtantiam iniuriæ, deberet hæc circunſtantia à peccatore recognoſci, nulla enim circunſtantia obiectiua refundit malitiam in actum, niſi cognoſcatur. Sed hæc circunſtantia à pluribus ignoratur, & ab aliis multis probabiliter negatur, cum quibus poſſunt ſe aliis practicè conformare. Ergo in illis ſaltem peccata non habebunt malitiam illam iniuſtitiæ. Hoc ipſum & vt ſibi videtur validiùs confirmat *num. 57.* Etenim vt homo ſit iniurius Deo, non ſufficit elicere actum contra Dei præceptum, ſed petitur, quòd ille actus ſit contra Deum exigentem, vel prohibentem tale opus formaliter, vt dominum proprietatis. Exemplum ponit in prætore præcipiente ſubditis mundare viam,

ſanè

ſanè ſi aliquis eius ſeruus præcepto ſtatuto non obtemperet, dicetur inobediens, non tamen iniuſtus, aut iniurius, quia prætor non vtitur dominio proprietatis circa ſeruum in illo præcepto, ſed ſolùm dominio iuriſdictionis, quod habet vt ſuperior, quòd ſi vellet ſeruum ex iuſtitia obligare, deberet expreſsè exigere ratione dominij proprietatis; ita ſanè Deus habet hanc duplicem poteſtatem in homines, ſcilicet proprietatis & iuriſdictionis. Ex poteſtate iuriſdictionis habet munus ſupremi legiſlatoris, & gubernatoris, ad quem pertinet condere & proponere præcepta, quibus ſubditi optimè regantur in ſuum finem: & licèt Deus independenter à noſtra vtilitate, & regimine, poſſet eadem opera exigere ratione dominij proprietatis, de facto tamen id non facit, neque nobis exprimit, nec in dubio debemus id præſumere, quia omnia præcepta ſunt nobis poſita, tanquam lex naturalis vel poſitiua: lex verò, vt lex, à poteſtate iuriſdictionis procedit.

198. Inſuper addebat, aliquando tamen, ſed rariſſimè, contingere poſſe hominem ſuo peccato iniuſtitiam contra Deum committere, quam poſſibilitatem ad duos ſolùm caſus reducit. Primus quando homo indignam de Deo opinionem concipit, aut eam in aliis gignit, tunc obligat Deus illum ex iuſtitia ad eam opinionem retractandam, & eam in aliis totaliter extinguendam. Ita Lugus *ſuprà numero ſexageſimo ſecundo in calce*.

199. Secundus caſus eſt, quando Deus titulo dominij proprietatis exigeret actum pro inſtanti determinato, & cum auxilio determinato eliciendum; etenim ſi hominem cum auxilio determinato ad producendum actum amoris non obliget, aſſerit Lugo *numero ſexageſimo* non poſſe aliter ex iuſtitia obligari, quia alio modo non poteſt lædi & impediri dominium Dei, cùm per alia auxilia ſemper actus maneat in libera Dei poteſtate, quin talis amoris actus extrahatur ex cumulo ſuorum bonorum, & diſpoſitione libera dominij abſoluti Dei.

200. Ex his, tertium aſſertum explicans deducit eſſe negandum, poſſe hominem ex iniuria ſtricta obligari ad ſatisfaciendum pro peccato; quia hæc, vel deberet eſſe per actum indiuiduo præceptum pro inſtanti determinato, eo modo, quo in caſu dicto eſſet homo ex iuſtitia obligatus, & ſic eſt impoſſibilis ſatisfactio ob rationem à Lugo datam, & dandam à nobis infrà, in ſolutione argumentorum, vel ſatisfactio hæc deberet fieri per actum æquiualentem, & ad hunc non teneretur homo ex iuſtitia, quia ex iniuſta acceptione præterita ſolùm obligat iuſtitia, ait Lugus *num. quinquageſimo nono* ad reſtituendum æquiualens; quando creditor habet minus in bonis, quàm deberet habere. Deus autem ex omiſſione mei actus amoris verbi gratia, quem exigebat pro illo inſtanti determinato ſolùm habet minùs aliquam gloriam extrinſecam, quæ ex actu amoris præcepti, ſi illum antea elicuiſſem, reſultaret. Ad hanc verò gloriam reſtituendam non obligat iuſtitia, quia illam poteſt ſibi Deus comparare, & recompenſare quoties ipſe voluerit per innumeras vias, mouendo me efficaciter ad actus egregios; ex quibus æqualis, vel maior gloria extrinſeca ipſi Deo accreſcat.

Hæc ſententia eſt Lugi ex ſuo proprio penu dictata; & ferè eiſdem eius verbis fideliter tranſcripta, ſed vt ea claritate, qua par eſt, impugnandus veniat, totidem impugnationes eius aſſertis correſpondentes proponam; in ſecundum eius aſſertum, argumentor ſic: etenim ex eo quòd frequenter contingere poſſit, hominem contra Deum peccantem non ſemel ſed millies ignorare, an ſuo peccato ius diuinum lædat, non exinde difficultatem in re euacuat, res enim huius puncti non incumbit, in oſtendenda in homine poſſibilitate iniuſtitiæ ſtrictæ formalis in omnibus ſuis peccatis inueniendam eſſe, quia certum exiſtimo non ſemper peccata ſecum trahere antecedentem cognitionem obligationis, vel quòd per ſimilia peccata ius aliquod diuinum ex iuſtitia obligans violatur: atque adeo ſæpe ſæpius in peccatis, ob defectum prædictæ cognitionis, non inuenitur malitia iniuſtitiæ formalis ſtrictæ contra Deum. Verùm contentio, vt ſuprà notaui, ſolùm Authoribus ineſt, an quodlibet peccatum, eo ipſo quòd perpetretur, reipſa violet aliquod ius diuinum, ſiue ad illius eliciendam præcedat certa ſcientia, quòd tale ius diuinum media illa actione lædatur, vel non? Etenim ſi ex prædicta ſcientia patratur actio, hæc contrahet malitiam formalem iniuſtitiæ formalis ſtrictæ, quam minimè ebiberet ſi dicta violationis iuris cognitio non præcederet: ſi tamen peccatum elicitur, non præcedente notitia de tali violatione, licèt formalis iniuſtitia non euadat, dummodo reipſa ius aliquod diuinum per illud lædatur, vera iniuſtitia materialis ſtricta erit. Et in hoc ſenſu quæſtio ab Authoribus in præſenti ſubit examen: non alio modo, ac dum quæritur de eodem homine, *an actus miſericordiæ elicere valeat?* ibi ſcopus difficultatis eſt, *an poſſit actus exercere homo qui reipſa ſufficientes ſint miſeriam veram alienam ſubleuare?* Si enim hoc conceditur, quamuis illos non eliciat ex certa ſcientia miſeriæ ſubleuandæ, ſi tamen reipſa illam ſubleuent, dicuntur actus ſtrictæ miſericordiæ materialis. Sic ſimiliter in præſenti. Ergo dicere Lugum plures ignorare, an in peccato ſit circunſtantia iniuſtitiæ, licèt conuincat peccata illa ex ignorantia circunſtantiæ futura non eſſe iniuſtitiam formalem; tamen non reſpondet quæſtioni, *an ſcilicet adhuc præcedente ignorantia illa, ſaltem dicta peccata ſint dicenda iniuſtitia materialis ſtricta*. Ergo litem non intrat hoc ſecundum aſſertum. 201.

Secundò impugno confirmationem euſdem dicti *numero* 57. adductam. Plura offert impugnanda. Agam aliqua, ne multus ſim. Imprimis difficile agnoſco Deum aliqua nobis præcipientem, ea opera ſolùm dominio iuriſdictionis à nobis exigere, non verò dominio proprietatis; ratio dubitandi eſt hæc, etenim hæc ſunt certa. Deum eſſe omnium actionum creaturæ dominum. Secundum, Deum habere ius, ex vi talis dominij, ad illas exigendas. Sed re ipſa dum illas præcipit à nobis fieri, eaſdem exigit tamquam dominus proprietatis. Ergo impoſſibile eſt hîc & nunc Deum ex 202.

vi

vi præcepti actiones exigere titulo iuriſdictionis, & non titulo proprietatis, minorem probo, dum Deus creaturis præcipit aliqua, ſimile præceptum creaturis iniungit tanquam ſeruis, & titulo ſeruitutis datum. Ergo dum Deus nobis aliquam actionem præcipit, eam exigit vt dominus proprietatis, antecedens probo primò. Tum authoritatibus, quæ mihi ſemper momentum ingeſſerunt. Imprimis nobis Deum præcipientem, iniungere præceptum vt ſeruis illud Lucæ confirmat *capite decimo ſeptimo: cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Hæc verba ſatis indicant, nos Deum in iniungendis præceptis tamquam ſeruos conſpicere, ideo Euangeliſta monuit nos, vt diceremur ſerui, conſultò autem non dixit, dicite, ſubditi inutiles ſumus, ſed ſerui inutiles, vt per hæc inneret, Deo obedientiam præſtantes non aliter ac ſeruos ſuis dominis comparentes, veſtigia & muneris proprietatem ſeruorum imitari. Rurſum ſubditus parens non tamquam ſeruus, dominum reſpicit, ſed ſuperiorem proſpicit, ſeruus confertur cum domino, ſicut cum dominio ſeruitus. Vnde ſanctus Lucas dum docet nos præceptis Dei obedientes, debere appellari ſeruos inutiles, ſentit ipſum Deum, legem nobis & præcepta ferentem, tanquam dominum ſuis ſeruis nôſmetipſos vt ſeruos meditari.

203. Iam quòd ea opera, quæ præcipit fieri, titulo ſeruitutis à nobis exigat Deus, patet ex ſancto Cirillo *à diuo Thoma in Catena ſuper illud deuteronomij 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Vbi proſequitur Cirillus: *Deus petit à nobis famulatum iure ſeruitutis.* Quid clarius? ergo dum Deus nobis præcipit, præceptum iniungit nobis tanquam ſeruis, & titulo ſeruitutis eaſdem actiones exigit. Sed idem eſt præceptum iniungi alicui vt ſeruo, & titulo ſeruitutis eamdem rem præceptam exigere, ac præcipientem illam exigere tanquam Dominum proprietatis. Ergo cùm Deus, dum præcipit nobis opera, tanquam à ſeruis & titulo ſeruitutis exigat, fit, quòd dum præcipit, tamquam dominus proprietatis eadem opera præcepta exigere videatur.

204. Nec vim extenuat Ripalda *diſputatione 84. numero 26.* aſſerens hoc argumentum ſolùm conuincere, de facto omnia peccata eſſe ſtrictam iniuſtitiam, non verò id neceſſariò eis conuenire, quia licèt de facto Deus tanquam dominus proprietatis exigat obſequia ab homine, non probat argumentum, non potuiſſe non exigere tanquam dominium proprietatis, ex ſolo dominio iuriſdictionis.

Verùm hæc ſolutio dat id, quod nos prætendimus contra Lugum. Hic enim de facto aſſerit Deum non exigere opera præcepta tanquam dominum proprietatis, atque adeo de facto peccata omnium regolariter patrata non eſſe iniuſtitiam ſtrictam: Contrarium conabamur probare, id concedit Ripalda. Ergo argumento in Lugum facto non occurrit, imo in Lugum occurrit, & argumento fauet.

Secundò reſpondet Ripalda *ibi.* Seruos appellari homines obedientes præceptis Dei, & eorum obſequium ſeruitium, quia ſeruire Deo conuenit homini, quæcumque obſequia etiam non obligata ex iuſtitia præſtanti; ſeruire enim Deo dicitur, qui opera conſilij, & ſupererogationis in Dei cultum exequitur.

Verùm hæc ſolutio non eſt ad mentem locorum, quæ dedimus nec intentum argumenti redolet. Fateor enim, quòd vox, ſeruiendi, in ſacra pagina aptatur etiam illis, qui ligati non ſunt ex iuſtitia ad obſequia præſtanda, dicuntur enim ſeruire, qui alienas venerantur deitates, vt apud Deuteronomium: *nec ſerues Diis alienis* & in Prouerbiis 11. *qui ſtultus eſt ſeruiat & ſapienti.* Verùm hæc de metaphorica ſeruitute omnes interpretantur, cùm illi, quibus talia obſequia offerunt alij, metaphoricè ſolùm eorum cenſeantur domini. Sapiens ſtultum virtute præcellit, ſed in illum dominio orbatur, at Deus, quem verum colimus fide, eſt Dominus ſerius & proprius omnium creaturarum. Ergo nos ſtrictiſſimi ſumus eius ſerui cenſendi. Rurſum fateor, opera in cultum Dei ſub conſilio ab homine facta, ſeruitium appellari, licèt ad illa elicienda nulla præceſſerit in illis obligatio ex iuſtitia; tamen hoc non tollit, quòd ſi præciperentur, obligatio ad exequenda ex iuſtitia reſultaret in illis, quia Deus non aliter præcipit nobis, niſi exigendo à nobis opera præcepta titulo & iure ſeruitutis, vt ex Cirillo expreſsè vidimus. 205.

Reſpondet tertiò Lugus *vbi ſuprà, numero quinquageſimo octauo*, ſe non negare Deum præcipientem attendere ad ſuum dominium, ad illud enim attendit, tanquam ad id, ex quo oritur poteſtas iuriſdictionis, nam ex dominio ſupremo, quod habet, habet etiam iuriſdictionem ſupremam ad præcepta, & leges ferendas, aliud tamen eſt attendere ad dominium proprietatis, tanquam ad radicem, ex qua oritur poteſtas gubernatiua, aliud verò exigere illud opus ex iure proprietatis, quod habet in homines, tanquam in ſeruos, & hoc quidem nunquam exprimit. 206.

Hæc eſt vnica ratio cui innititur tota ſtructura ſententiæ Lugi, quam architectatus eſt, ideo in ea euertenda eſt figendus pes. Nunquam percipere potui, quid addat in Deo ſupra dominium proprietatis, ad quod attendit, dum præcipit opus, illud exigere ex iure proprietatis, quod habet in homines, tanquam in ſeruos? necnon quid requiratur, dum præcipit Deus, ad exprimendum ſe illud ex iure dominij proprietatis ab homine exigere? ex deciſione huius aperietur via ad ſatisfaciendum. Primo, vel enim eſt neceſſarium, quòd dum præcipit Deus, habeat actum, quo dicat. *Ego vobis præcipio hoc opus, & illud exigo iure dominij proprietatis quod in vos habeo.* hoc enim vanum eſt dicere, tum cùm alius modus magis decens ſuperſit, quo exprimat Deus, ſe opera præcipientem ex iure dominij proprietatis exigere. Tum etiam, quia iſte actus adhuc in dominis creatis ſuperfluus iudicatur. Vt enim ſeruus percipiat quòd dominus ex iure dominij proprie- 207.

prie

prietatis, quod habet in illum, exigit ab illo opus præceptum, non eſt neceſſarium ex parte domini præcipientis ponere actum, quo dicat *hoc opus quod tibi præcipio, ex iure proprietatis exigo.* Aliàs ſemper lateret ſeruum eius opera exigi à domino iure proprietatis, atque adeo iniuſtitiam ſtrictam vix vnquam committeret aduersùs dominum, quia hæc ſupponit cognitionem iuris obligantis, quod violat, & cùm ſeruus non aliter obligetur ex iuſtitia exequendo à domino præceptum, niſi cognoſcendo illud opus exigi à domino ex iure proprietatis, fit, quòd ſi vt cognoſcat ſeruus dominum ſic illud opus ab ipſo exigere, requiritur ex parte domini actus, quo dicat. *Ego tale opus iure dominij proprietatis exigo.* cùm nunquam, vel rariſſimè talem actum eliciat dominus, dum præcipit, nunquam vel rarò cognoſceret ſeruus ſe ex iuſtitia obligatum eſſe, illud opus exequi, atque adeo dum illud omittit, rariſſimè iniuſtitiam formalem ſtrictam committeret ſeruus aduersùs dominum; quod quantùm rationi diſſonet, compertum eſt.

208. Vel enim eſt neceſſarium, vt Deus exprimat, opera, quæ præcipit, ſe ex iure dominij proprietatis exigere; quòd in ipſo præcepto dicat. *Ego Dominus præcipio vobis.* Sed hoc millies ex ſacra pagina conſtat, eſſe à Deo pronuntiatum. Ergo Deus dum præcipit, exprimit, ſe iure dominij proprietatis opus præceptum exigere. Minor patet, non ſemel Deus præcepta imponens incipit proceſſum ſic. *Ego Dominus* & quaſi inſinuans ſe vti dominio ſupremo ad illud præceptum.

309. Si autem recurras cum Lugo, & Ripalda ſuprà, Deum incipientem, dum præcipit, per hæc verba *ego Dominus* & non manifeſtare niſi dominium iuriſdictionis, quod verum dominium eſt. Verum recurſus hic plicas parat, & diſcurſum angit ad gyrum, Peto iterum, atque iterum peto, quid deſideretur ponere ex parte Dei præcipientis vt cognoſcamus ipſum, dum præcipit, exigere iure dominij proprietatis opera præcepta? dices, nihil, quia nunquam niſi in duobus caſibus à Lugo aſſignatis, iure dominij proprietatis opera præcepta exigit Deus, Sed contra, & intendo probare, vel in omnibus, vel in nullo caſu Deum exigere opus præceptum ex iure dominij proprietatis. In Deo non differt dominium proprietatis à dominio iuriſdictionis. Ergo ſi dum præcipit, exigit opus ex iure dominij iuriſdictionis, illud exigere debet ex iure dominij proprietatis. Antecedens eſt verum, ad minùs realiter, verùm & formaliter ex parte rei conceptæ, probare intendam talia dominia in Deo minimè differre; nihil eſt in dominio iuriſdictionis Dei in nos, in quo formaliter non inuoluatur dominium proprietatis. Ergo nec formaliter diſtinguntur. Antecedens patet, dominium iuriſdictionis Dei in nos, eſt via præceptiua operum, quæ ſaluti noſtræ beatæ ſunt proficua. Sed in hoc formaliter inuoluitur dominium proprietatis Dei in nos. Ergo nihil eſt in dominio iuriſdictionis Dei, in quo formaliter non inuoluatur dominium proprietatis.

210. Diſcurſus hic ipſa explicatione probabitur. Et quia de diuinis, quæ non videntur, à priori ratio dari non poteſt, niſi ex his, quæ conſpicimus imperfectione ſemota, duxi æquum perſcrutari, quid dominium proprietatis & iuriſdictionis in creatis importet, vt deinde gradū faciamus ad diſcurſum de ſimilib. dominiis apud Deum adhibendis. In creatis, dominium proprietatis perpetuum explicatur in ordine ad omnes operas ſerui, ſicut dominium diarium in domino vineæ exprimitur per ius, quod habet ad operas diurnas operarij, qui ſe ad laborandum in vineæ pro vnó die locauit, atque adeo dominium hoc potiſſimùm, & ex pondere proprio, inclinat habentem illud ad imperandum in domini vtilitatem; & ideo deſpoticum nomen accepit. Sic enim dictum Petri *capite quinto* interpretantur ſcriptores, dum ibi Epiſcopos admonet, ne dominentur in Clericis; id eſt, ne authoritatem Epiſcopalem in proprium commodum vertant. Iuriſdictionis verò dominium explicari ſolet, per ius præcipiendi ſubdito in ipſius vtilitatem, quod eſt in cauſa, vt politicum nominetur, quia ex genio ſuo videtur eſſe magis inſtitutum, vt dominus ſeruiat ſubdito, quam hic illi. Hæc enim communiter admittunt Politici, & Philoſophi morales cum Ariſtotele *libro quinto, politic. textu ſecundo.* Verùm hæc, vtpote creata dominia, imperfectionem notant, vt videre licet in dominio proprietatis; cuius proprium eſt ſeruum compellere ad operas, quatenus ſibi ſolùm commodas, licèt ex illis nulla ſeruo acquiratur commoditas, niſi ſudor, & labor, ſicque dominum ſeruo imperantem, deſpoticè ſe gerere dicimus, & taliter quòd politicè agere negemus, cùm ex intentione imperantis nulla vtilitas alteri, quam ipſi prætendatur. Hac enim de cauſa, dominia hæc eſſe diſtincta in creatis profitentur cuncti.

Hoc ſuppoſito, dominium proprietatis in Deo explicabimus, per vim imperandi hominibus eius ſeruis opera, quæ ad ipſius vtilitatem, nempe extrinſecam gloriam conferunt, & iuriſdictionis dominium per vim imperandi hominibus opera, quæ in vtilitatem eorum cadunt. Aliter hæc dominia in mentem venire non poſſunt, niſi à reuelatione edoceamur, cùm dominia creata, ex quibus diuina percipimus, aliam explicationem æquè conſonam non ſubeant. Tunc ſic, ſed Deus dum præcipit opera, quæ nobis ſunt proficua, ea imperat ex intentione aſſequendi ſuam vtilitatem. Ergo in vi imperandi opera nobis proficua, inuoluitur formaliter dominium proprietatis Dei in nos. 211. Minor probatur clarè, quia cùm Deus præcipit opera, quæ nobis ſunt proficua, non ſiſtit, tanquam in fine vltimo, in noſtra vtilitate creata, ſed vlteriùs ſeipſum quærit, tanquam vltimum terminum talis intentionis ſpecificatiuum, iuxta illud vulgare *omnia propter ipſum operatus eſt Deus.* Ergo dum Deus præcipit opera, quæ ſunt nobis proficua, inuoluitur formaliter dominium proprietatis Dei in nos, conſiſtens in vi imperandi opera, quæ vtilitati imperantis, quouis modo conferant. Præterea vt de Deo ſic in ſuis præceptis gloriam ſuam comparante non verificetur, ſe ſolùm deſpotica

imperfectione, iſta præcepta ſeruis iniungere, qualiter Domini creari ſe gerere dicuntur, adhuc in ipſa vtilitate, quam Deus capit, vtilitatem ſeruis præſtat, quia idem eſt in Deo intendere gloriam ſuam extrinſecam mediis noſtris operibus, ac nos & opera noſtra ad ſe ipſum, tanquam ad vltimum finem noſtrum ordinare. Quod valde vtile nobis eſſe dubitabit nemo? minimè, vt latè omnes Authores 2. 2. *quæſt.23. art.1. de charitate* cum ſancto Thoma edocent. Ergo cùm Deus nequeat, dum præcipit nobis opera vtilia, vtilitatem ſuam & noſtram formaliter non intendere, fit, dominium eius proprietatis & iuriſdictionis formaliſſimè eſſe idem. Ergo nequit dum præcipit nobis vno dominio, ex alio idipſum non præcipere. Ergo dum præcipit dominio iuriſdictionis, illud idem opus ex iure dominij proprietatis in nos à nobis exigit. Ergo vel in nullo vel in omnibus caſibus ſemper exigit iure dominij proprietatis opus illud, quod præcipit.

212. Ruſum impugno; homo tenetur ex iuſtitia cauere peccata contra legem naturalem. Ergo homo talem obligationem violans iniuſtitiam committit. Antecedens probo, quia Deus habet ius ex dominio proprietatis, ne prædictis peccatis offendatur. Ergo homo tenetur ex iuſtitia cauere peccata contra legem naturalem vitare. Antecedens probo. Deus habet ius dominij proprietatis, ne ſiniſtrè concipiatur de ipſo, teſte Lugo *vbi ſuprà, num. ſexageſimo ſecundo in fine*. Ergo habet ius dominij proprietatis; ne prædictis peccatis, quæ contra legem naturalem ſunt, offendatur. Probo conſequentiam, ideo habet ius dominij proprietatis circa ſiniſtram exiſtimationem de ipſo, quia Deus nullo arbitrio poteſt facere, ne talis ſiniſtra de ipſo exiſtimatio iniuſta non ſit. Etenim in hoc differt inter alia, dominus iuriſdictionis à domino proprietatis, quòd ille non poteſt lege ſua impedire domino proprietatis vſum rei ſuæ mero arbitrio ſolo, niſi honeſtum & legitimum aliquod motiuum, diſtinctum ab ipſo arbitrio, prohibitionem honeſtet; dominus autem proprietatis poteſt mero ſuo arbitrio honeſtare prohibitionem, quin alia ratio ad eius æquitatem, & honeſtatem ſit neceſſaria, quàm quia domino proprietatis ita placuit decernere. Vnde cùm Deus ſuo arbitrio non poſſit facere, quòd ſiniſtra de ipſo exiſtimatio ſit aliquo modo iuſta, ideo dum præcipit, ne de ipſo malè ſuſpicemur, aut coram aliis notabiliter eius exiſtimationem lædamus, aut ex contemptu eumdem habeamus, dictam prohibitionem ſtatuat, tanquam dominus proprietatis, cui iuri de potentia abſoluta impoſſibile eſt Deum cedere. Tunc ſic, ſed actiones eſſentialiter turpes nequit Deus pro arbitrio ſuo velle, quantùm eſt ex ſe, fieri honeſtas, & iuſtas, cùm ſupponamus Deum illas, vt malas, ab intrinſeco cognoſcere; ergo Deus habet ius dominij proprietatis, ne prædictis peccatis, quæ contra legem naturalem ſunt, offendatur.

213. Nec refert ſi dicas, Deum cognoſcentem illis actionibus ineſſe turpitudinem, poſſe velle quantùm eſt de ſe, vt aliam malitiam non habeant, niſi eam, quam deſumunt ex ſuis obiectis, & quòd fiant eo modo tantùm inhoneſtæ, quo cæteræ actiones fiunt, quæ licèt malæ, iniuriæ tamen non ſunt.

Non inquam refert. Primò, quia hæc ſolutio ſupponit, dabilem eſſe actionem lethaliter prauam, quæ iniuria ſtricta non ſit, quod eſt principium pro ſolutione dare. Secundò, quia, in ſententia Lugi, non poteſt Deus cohibere dominium iuriſdictionis, ne probibeat ſimilia peccata, quæ contra legem naturalem ſunt, nec poteſt pro arbitrio velle, ne dicta peccata contrahant malitiam ſtrictæ inobedientiæ, contra arbitrium legiſlatoris. Ergo nec poterit Deus dominium proprietatis cohibere, ne illa peccata prohibeat. Conſequentiam probo, eatenus tanquam dominus iuriſdictionis non poteſt cohibere arbitrium prohibens illa peccata, quia neceſſariò in eorum malitia diſplicet, & quantùm eſt ex ſe earum exiſtentiam reſpuit. At eodem modo tanquam Dominus proprietatis, diſplicet neceſſariò in eorum exiſtentia, & quantùm eſt ex ſe, earum exiſtentiam renuit. Ergo neque tanquam dominus proprietatis, poterit cohibere arbitrium talia peccata prohibens. Ergo non poterit Deus pro ſuo arbitrio facere, quòd illa peccata non habeant malitiam iniuriæ, contrauenientis iuri dominij proprietatis, quod habet Deus, vt non fiant. Ergo dum illa præcipit, ex iure vtriuſque dominij illa opera prohibet. Ergo ſicut quando fiunt, contrahunt malitiam ſtrictæ inobedientiæ, quia fiunt contra arbitrium Dei, vt domini iuriſdictionis, & legiſlatoris, ita contrahere debent malitiam ſtrictam iniuriæ, quia fiunt contra arbitrium Dei vt domini proprietatis. Hoc ipſum confirmo ad hominem. Etenim ingenuè admittit Lugus, aliqua peccata eſſe, quæ ſtrictam rationem iniuſtitiæ inuoluunt, videlicet peccatum ex contemptu Dei, eius irreuerentiam impudenter intendendo, necnon mala & ſiniſtra de Deo exiſtimatio, & conceptio. Et rationem huius dat, quia peccata hæc ſunt prohibita à Deo, tanquam domino proprietatis. Ergo nec alia peccata, ſaltem ea, quæ intrinſecè & eſſentialiter mala ſunt, contra præcepta naturalia poterunt eſſe, quin ſint ſtricta iniuſtitia contra Deum, vtpote tantum ius habeat Deus ad hoc, vt iſta peccata non fiant, quantum vt non exiſtat in rerum natura, mala de Deo opinio, vt ſuprà diximus.

Ex his non intorta apparet via, ad impugnandam aliam partem huius dicti Lugi. Aiebat enim duos ſolùm eſſe caſus, in quibus peccata in Deum commiſſa propria iniuſtitia ſint. Primus eſt, quando homo indignam de Deo opinionem concipit, aut eam in aliis gignit, iſta peccata eſſe propriam iniuſtitiam profitetur. In hoc aſſerto falſa conſequentia & contradictione efficaciter eſt notandus hic Author, ideo ipſe negat cætera peccata eſſe ſtrictam iniuſtitiam, quia iniuſtitia committi non poteſt, quin contraueniatur domini voluntati, quatenus dominus eſt, & cùm ipſe admittat Deum cætera peccata non prohibere, quia dominus proprietatis, ideo peccatis illis non contrauenitur voluntati Dei, quia dominus eſt, atque adeo non ſunt propria iniuſtitia. Ergo obligatio quæ nobis ineſt de vitanda mala exiſtimatione de Deo, & de illa recompenſanda, non erit ex 215.

ſtricta

ſtricta iuſtitia, atque adeo malè concipiens de Deo, iniuſtitiam ſtriſtam non patrabit. Conſequentia patet. Etenim non adeſt maius fundamentum, ad præſumendum de Deo prohibente indignam de ipſo exiſtimationem illam prohibere tamquam Dominum proprietatis, quàm ad præſumendum Deum alia mala in cæteris materiis prohibere vt Dominum proprietatis. Ergo obligatio, quæ nobis ineſt de vitanda mala exiſtimatione de Deo, & de illa recuperanda, non erit magis ex ſtricta iuſtitia, quàm obligatio vitandi alia peccata recenſita. Ergo ſicut hæc, in ſententia Lugi, non eſt ex iuſtitia ſtricta, ita nec iſta. Vel ſi illa, ita & hæc: per hæc impugnatur primus caſus.

216. Secundus caſus, in quo peccatum poteſt eſſe iniuſtitia aduersùs Deum, ſic formatur à Lugo, videlicet quando Deus dominio ſuo proprietatis exigeret actum pro inſtanti determinato, & cum auxilio determinato eliciendum, & quia hi duo caſus rariſſimè contingunt, ideo rariſſimè contingere docet, peccatum eſſe iniuſtitiam ſtrictam. Sed argumentor ſic, ideo in ſententia Lugi, in aliis caſibus, præter hunc, homo non committit iniuſtitiã aduersùs Deum, quia dum præcipit frequenter, cùm non determinet auxilium & inſtans operis præcepti, fit, quòd idem opus, quod omittit homo per hoc auxilium, poſſit à Deo cauſari per aliud auxilium, atque adeo dum homo omittit præceptum, non lædit dominium Dei, quod habet in illud opus, quod omittit. Sed hæc ratio non impedit, vt frequenter homo dum peccata committit, iniuſtitiam Deo irroget. Ergo falſum aſſerit Lugus. Minorem Probo. Cum hoc quod eſt, Deum nolle determinatè actum fieri cum hoc determinato auxilio, ita vt maneat in Deo poteſtas phyſica, vt per aliud auxilium præceptum poſſit impleri, compatitur, hominem actum illum omittentem, veram iniuſtitiam committere. Ergo ratio Lugi non impedit, vt frequenter homo dum peccat, iniuſtitiam Deo irroget. Antecedens probo, cum hoc, quod eſt Deum, vt Dominum iuriſdictionis, præcipientem hunc actum, & nolle ipſum per hoc determinatum auxilium fieri, ita vt maneat in Deo poteſtas phyſica, vt per aliud auxilium poſſit ſuum præceptum adimpleri, compatitur hominem illum actum omittentem, veram & ſtriſtam inobedientiam exercere in ſententia Lugi. Ergo cum hoc, quod eſt Deum determinatè nolle actum fieri cum hoc determinato auxilio, ita vt maneat in ipſo poteſtas phyſica, vt per aliud auxilium præceptum impleri poſſit, compatietur, hominem actum illum omittentem, veram & ſtrictam iniuſtitiam irrogare Deo.

217. Hunc diſcurſum explico. Pone caſum, Deum hîc & nunc præcipere, tam vt Dominum iuriſdictionis, quàm vt proprietatis Dominum, vt Petrus faciat actum amoris, medio quouis auxilio ſufficienti illi collato, hoc ſcilicet, aut illo. Pone rurſum, Petrum pro libito hunc amoris actum omittere, atque adeo hoc auxilio ſufficienti dato illi, miſerabiliter abuti, inquiro à Lugo, iſte homo, qui per hoc auxilium amoris actum omittit, contrahet malitiam ſtrictam inobedientiæ? Affirmat & bene, & dat rationem, quia verè præceptum iuriſdictionis violabit. Ergo tenetur etiam concedere hominem hunc contraxiſſe ſimul malitiam ſtrictæ iniuſtitiæ. Patet, quia ſimul verè violauit præceptum dominij proprietatis, quia vt ſupponit caſus, Deus vt Dominus vtroque dominio, proprietatis ſcilicet & iuriſdictionis actum illum amoris præceperat Petro.

218. Sed nec adeſt tibi recurſus, negando caſum. Videlicet Deum non poſſe, vt Dominum proprietatis, Petro actum amoris imperare, medio hoc vel illo auxilio ſufficienti. Non inquam bene recurris, quia vel hoc repugnat ex eo, quòd talis actus eſt materia præcepti iuriſdictionis, ſed hoc nõ, quia illud idem obiectum eſt vtrique præcepto commune; vel repugnat ex eo, quòd ſic imperare actum cum indeterminato auxilio eliciendum, impedit, quòd omiſſio illius lædat dominium Dei circa ipſum, cùm talis modus relinquat poteſtatem in Deo, ad habendum illum actum per alia auxilia. Sed hoc non, ſiquidem argumentum hucuſque factum, hanc rationem impugnat ex paritate præcepti dominij iuriſdictionis, quo Deus noſtra opera de facto imperat, per indeterminata auxilia elicienda, quorum omiſſio ſtricta inobedientia cenſetur.

219. Sed occurres, hoc permitti inobediẽtiæ, cùm hæc contenta ſit præcisè per hoc, quòd violet præceptum iuriſdictionis, ſiue apud ſuperiorem maneat, vel non maneat poteſtas phyſica vt per alia media actum, quem omiſit ſubditus, acquirat. Verùm hæc ſolutio principium petit. Et rurſum inſto, nam eadem ratione, imò non eſt alia, dicam ego hominem omittentem actum præceptum dominio proprietatis, medio auxilio indeterminato eliciendum, iniuſtitiam contra Dominum proprietatis exercere ea præciſa ratione, quia violauit præceptum dominij proprietatis. Semper enim reſtat diſparitas danda. Ergo ſicut non obſtante quòd Deo inſit poteſtas, vt per alia auxilia homo non omittat actum amoris, præceptum dominio iuriſdictionis per indeterminata auxilia eliciendum, cùm tamen illum omittit, veram inobedientiam ſtrictam contrahit, quia verè præceptum iuriſdictionis violauit, ita non obſtante eadem poteſtate apud Deum relicta, ſi homo omittit actum præceptum dominio proprietatis, per indeterminata auxilia eliciendum, propriam & ſtrictam iniuſtitiam Deo irrogabit, quia verè præceptum dominij proprietatis fregit. Etenim ſicut eſſentialis eſt omiſſioni actus præcepti dominio iuriſdictionis inobedientia ſtricta, ita eſſentialiter annectitur ratio ſtrictæ iniuſtitiæ omiſſioni actus præcepti dominio proprietatis. Ergo de primo ad vltimum, cum hoc, quod eſt nolle Deum determinatè actum fieri cum hoc determinato auxilio; ita vt in Deo maneat poteſtas, vt per aliud auxilium præceptum poſſit impleri, compatitur optimè hominem actum illum aliàs dominio proprietatis præceptum, omittentem, veram iniuſtitiam Deo irrogare. Ergo non ſolùm in caſu illo rariſſimo Lugi datur iniuſtitia verùm frequenter in omnibus peccatis inuenitur.

220. Colliges hæc omnia incrementum ſumere

ea prima noſtra ratione, hæc duo dominia Dei formaliter identificante, vi cuius diximus, Deum hîc & nunc nihil præcipere, quod non exigat iure dominij proprietaris, atque nihil fieri contra tale præceptum, quod ſimul non ſit contra illud diuinum ius, atque adeo quælibet omiſſio actus præcepti, vtramque malitiam, inobedientiæ ſcilicet, quatenus præceptum dominij iuriſdictionis violat, & ſtrictæ iniuſtitiæ, quatenus lædit diuinum ius proprietatis, contrahit.

221. Iam quòd tertium & vltimum Lugi aſſertum à veritate abſit, ex dictis non immodicè inferes. Aiebat enim, licèt conſequenter ad ſuam doctrinam, hominem illum, actum amoris à Deo præceptum omittentem, nullo modo teneri ad reſtitutionem; ſeu recompenſationem ex iuſtitia, quia non poteſt illam facere per eumdem actum, quem omiſit in inſtanti ſibi iniuncto, & ſi illam poſſet facere per alium actum æquiualentem ei, quem omiſerat, tamen illum non tenetur ex iuſtitia exhibere: quia id poteſt Deus quoties voluerit ſine iactura recuperare, eliciens ex noſtra voluntate actum, quem voluerit, quod iuxta æſtimationem moralem idem eſt, ac illum inter propria bona Deum habere. Quod explicat Lugus *vbi ſuprà num.* 59. quòd ſicut non tenebor ex iuſtitia recompenſare damnum, quod Petro intuli aliqua iniuſta actione, ſi ipſe Petrus curam habeat totius ſubſtantiæ, & pecuniarum mearum, & poſſit pro libito meis ſumptibus rem ſuam recuperare; ſic etiam non teneor ex iuſtitia ad reſarciendum damnum, gloriæ extrinſecæ Dei iniuſtè illatum, quia ipſe Deus habet in ſua poteſtate melius, quàm ego ipſe, meam voluntatem, & poteſt facilè ab ipſa, & eius actibus elicere tantam, vel etiam maiorem gloriam ſuam, & ſic reſarcire damnum præteritum.

222. Sed contra. Etenim hæc eſt regula moralis generaliter vera, quotieſcumque res in indiuiduo debetur, & debitor illam reſtituere poteſt, non eſt obligandus creditor ad aliud æquiualens accipiendum. Sed eo ipſo ex iniuſta acceptione contraxit debitor obligationem ex iuſtitia, ad eamdem rem in indiuiduo Domino ſuo reddendam, ſi aliàs debitor ipſe eandem numero rem reſtituere valuerit; Nunc autem vt hæc regula currat eadem vi in nobis apud Deũ. Suppone Deum ceſſiſſe iuri ſuo ordinario ad omnes actus Petri, præter actũ amoris pendentem eſſentialiter ab hoc determinato auxilio, quod Petro de facto contulit ad illum eliciendum, atque adeo de ſolo iſto actu amoris verificaretur, & non de aliis, eum inter bona ſua Deum habere. In hac hypotheſi, præcipiat Deus Petro hunc actum amoris in hoc inſtanti, *A*, præſtandum, ſi Petrus illum tunc non elicit, irrogat Deo iniuriam, etiam in ſententia Lugi. Pone etiam illud auxilium in aliis inſtantibus perſeuerare, tunc Petrus eumdem actum amoris poterit elicere, quamuis non pro eodem inſtanti. Ergo tenebitur illum exhibere. Probo conſequentiam, in iſto actu, quem in tali hypotheſi præciperet Deus, datur hoc complexum, videlicet, hic amor hoc auxilio eliciendus pro hoc inſtanti, *A*. (Præcipua enim huius complexi pars, eſt amoris huius ſubſtantia) hanc enim exigit Deus elici à Petro in inſtanti, *A*, Ergo licèt ſemel omiſſo amore in inſtanti, *A*, non maneat Petrus obligatus ad illum eliciendum in inſtanti, *A*, cùm hoc iam præterierit, & ad præteritum non detur potentia; tamen manebit obligatus ad illum numero amorem eliciendum in alio inſtanti; cùm ſupponamus adhuc perſeuerare auxilium idem, quod in primo inſtanti præceſſerat, cum quo redditur potens elicere eumdem actum amoris, quem exegerat Deus pro inſtanti, *A*, Ergo cùm in reliquum maneat potens eumdem actum exhibere Deo, tenebitur Petrus illum elicere. Ergo pro iniuria, quam Deo irrogauerat Petrus, omittens amorem pro inſtanti, *A*, manet in Petro obligatio ad ſatisfaciendum per eumdem actum in indiuiduo.

Hoc iterum pondero, quia in quocumque euentu, præcipiente Deo tamquam Domino proprietatis aliquam actionem, à nobis indeterminatè ab hoc, vel illo auxilio eliciendam, intendo probare teneri hominem, illum actum omittentem, poſtea in aliis inſtantibus per eumdem actum ſatisfactionem præſtare, atque adeo non eſſe obligandum Deum, vt ſumat ſatisfactionem per alium actum æquiualentem. Hoc probo. Quia actus amoris, hîc & nunc, à Deo dominio proprietatis imperatus, elici ab homine per hoc auxilium determinatè, & in hoc inſtanti, idem numero poteſt fieri in alio inſtanti per alia auxilia, quæ Deus vt vniuerſalis, & non deficiens prouiſor, omni creaturæ ad quælibet opera virtutum patranda liberaliter diſpenſat. Ergo tranſacto illo inſtanti, & pereunte illo auxilio, medio quo determinatè præceptus eſſet actus amoris, teneretur homo illum elicere. Conſequentia bene infertur, iuxta regulam inconcuſſam à Moraliſtis traditam ſuprà. Antecedens patet, quia apud Lugum, & Communem, amor cùm ſit actus voluntaris non pendet ſeipſo ab auxiliis, quæ in eorum ſententia, ſunt actus intellectus, nec circunſtantia extrinſeca inſtantium, intrinſecam mutationem inducere poſſunt in actum. Ergo idem numero actus amoris, poteſt elici tranſacto auxilio & inſtanti, quibus medius præceptus fuit amor ab homine elici. 223.

Rurſum amplius hoc ipſum confirmo argumento, quo ſibi hoc aſſertum ſuadet Lugus. Etenim Deus, ait, poteſt tamquam Dominus proprietatis exigere hunc numero actum amoris, per hæc determinata auxilia, & in hoc inſtanti. Ergo ſi homo non reddat Deo actum amoris, violabit ius proprietatis Dei, ipſo Deo inuito. Conſequentiam probat, quia ſi Deus non eſſet in tali caſu inuitus, maximè quia poſſet pro ſuo libito, ſibi hunc actum amoris de facto parare ab hoc homine cum iſtis circunſtantiis. Atqui non poteſt cum dictis circunſtantiis, quia ſupponit caſus, hominem de facto hîc & nunc actum amoris omittere. Ergo violaret homo tale præceptum ipſo inuito. 224.

Hoc eſt Lugi fundamentum, ſed nullius eſt roboris, & Deum in tali caſu adhuc non 225.

manere

manere inuitum, ex ipſius ratione aperiam. Quia actus amoris per hæc determinata auxilia, & in hoc inſtanti elicitus, vel euaderet æquè vtilis Deo, ac ſi per alia auxilia & in alio inſtanti produceretur, vel eſſet magis vtilis Deo, (loquor de vtilitate extrinſeca Dei.) Magis vtilis non poſſet eſſe, cùm, vt ſuprà oſtendimus, idem extrinſecè naſceretur, ſiue per illa determinata auxilia, & in hoc inſtanti, ſiue per alia, & in aliis inſtantibus, produceretur. Ergo non eſſet magis vtilis. Ergo ad ſummum eſſet æquè vtilis, quomodocumque fieret. Ergo cùm Deus pro ſua voluntate poſſit hunc eumdem actum obtinere à me, exhibendo alia auxilia, cum quibus præuidit poſſe me eumdem amorem elicere, fiet, quòd omiſſio illius actus amoris non committeretur à me, ipſo Deo inuito. Hoc ad hominem probo. Quia ideo Lugus docet, tranſacto peccato in homine, nullam manere obligationem ex iuſtitia, ad ſatisfaciendum Deo pro peccato commiſſo, quia tametſi homo non recompenſet, tamen Deus facilè poteſt talem recompenſationem ab homine conſequi, & hoc eſſe in cauſa, vt non præſumatur inuitus in negatione illius recompenſationis, iuxta illud, qui facilè poteſt rem ſibi obtinere, & eam non aſſequitur, iudicatur iuri ſuo cedere libenter. Atqui, quando homo, in caſu Lugi, non elicit actum, à Deo tamquam Domino proprietaris præceptum, per hæc determinata auxilia, poteſt Deus facilè & ſine maioribus expenſis, illum actum ab homine conſequi per alia auxilia, & cum vtilitate æquali. Ergo Deus, etiam in tali caſu, non pateretur inuitus carentiam illius obſequij. Ergo homo ille iniuriam non irrogaret. Ergo caſus hic pro aſſignanda iniuria ab homine Deo inferenda, inutilis eſt, & doctrina firma non ſubſiſtit.

226. Vnde reſpondeo fundamento Lugi, quòd dum quis actum amoris omittit, pro priori negauit Deus auxilium efficax, ex decreto dandi illi ſolùm ſufficientia. Pone Deum decreuiſſe illi ſolùm ſufficientia ad amandum dare, etiam pro aliis inſtantibus. Quis affirmabit Deum obligatum eſſe, vt amorem ab homine eliciat, ad dandum illi ea auxilia extraordinaria, quæ maioris æſtimationis ſunt & pretij, vnde illum adigere ad talem auxiliorum collationem, eſſet quoddam iniuriæ genus, vt eſſet, ſi euentu ſolutionis non poſſet Petrus compenſare rem à me ablatam etiam ex bonis meis in ſua poteſtate conſtitutis, abſque expenſis extraordinariis, & pretioſioribus, quàm fieri debebant in conſeruatione ſuæ rei.

227. His igitur in ſententiam mediam datis, ſolùm nobis datur optio vnius extremarum eligere. Defendimus ergo ſecundam tenentem, quolibet peccato mortali, fieri Deo ſtrictam iniuſtitiam. Expreſsè eam docet Diuus Thomas. Tum *hic ad ſecund*, Tum *q. 2. de veritate, art. 2.* Tum etiam *in 3. diſtinct. 1. quaſt. 1.* Tum *1. 2. quaſt. 87. art. 6.* Et rurſum *de veritate, q. 28. art. 2.* Vbi expreſsè hoc defendens, ait: *Tria in peccato ſunt, macula, iniuria, & reatus pœna*: Et explicans ſecundum, nempe iniuriam, docet: *Quicumque enim rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, iniuriam ei facit, & tantò amplius, quantò res illa eſt dignior.* Hanc concluſionem probant rationes, quas in impugnando Lugo conſtruximus; ab aliis communiter, ab Authoribus adductis, abſtineo, potiſſimùm cùm eas inter reſpondendum obiectionibus contrariis intericere ſit neceſſe.

Arguitur primò contra concluſionem à Vaſquio. Si cuilibet peccato mortali ineſſet ratio iniuriæ, & ſtrictæ iniuſtitiæ, cuilibet peccato adeſſet duplex malitia, vna ex ſuo obiecto, verbi gratia, temperantiæ, aut caſtitatis, & alia contra iuſtitiam ſtrictam. Sed admittere hoc, eſt apud Theologos inauditum. Ergo talis ratio iniuſtitiæ ſtrictæ minimè in peccato inuenitur. 228.

Nec reſpondent exactè, qui dicunt, dictam rationem iniuriæ ſæpius non inueniri in peccatis, quia non ſemel à peccatoribus ignoratur, & à pluribus exiſtimatur talem rationem iniuriæ non reperiri in illis, atque adeo peccata plura committi, abſque eo quòd contrahant maculam iniuriæ, cùm nihil, quòd cognitum non eſt, vertatur in culpam operantis. Non inquam reſponſio dicta eſt exacta, quia ſolùm ſatisfacit caſui fortuito, & per accidens, per ſe enim peccatum ſemper malitiam formalem contraheret iniuſtitiæ, ſi ſemel eſt verum, quòd peccatum per ſe rationem iniuſtitiæ ſtrictæ contra Deum participat. Rurſum argumenti vis eò incumbit, vt à peccato mortali etiam iniuriam materialem expungat. At licèt per hoc, quòd talis ratio iniuriæ à peccatore ignoretur, impediatur contrahere peccatum rationem formalis iniuriæ, non tamen materialem ſtrictam, vt ſuprà in limine ſectionis notauimus, & roborauimus exemplis. Ergo hæc ſolutio non ſubſiſtit. 229.

Nec reſpondebis admittendo ſequelam. Quia contra hoc inſtari poterit. Ergo quilibet teneri deberet eam malitiam in confeſſione deferre, etenim vt dedi *tractatu de confeſſione, dubio tertio, numero ſecundo*, integritas confeſſionis, iuxta Tridentinum, ſingula peccata formaliter talia declarare Confeſſori depoſcit: quin imò ſtrictiores Theologi, quos dedi, & ſequutus fui *dicto loco*, nedum tenemur circumſtantias mutantes ſpeciem ſingulatim exprimere, verùm etiam aggrauantes intra eiuſdem ſpeciei metas obligamur narrare. Ergo ſi in quolibet peccato mortali reperitur duplex malitia ſpecie diſtincta, vna iuſtitiæ, alia alterius virtutis ex obiecto, fiet, nos in conſcientia teneri talem malitiam, dum confitemur, exprimere. Hoc dixit nemo. Ergo nec primum ſumus dicturi. 230.

Reſpondeo ergo. Admittens hanc duplicem malitiam ſpecie diſtinctam in quolibet peccato, & hoc, neſcio, ſufficere admirationem inducere in Reuerendiſſimis Vaſquij aſſeclis, cùm tot ſint, admittentes hanc ſequelam, quot extiterint defenſores iniuriam ſtrictam in quolibet peccato; & iſti illos, qui negant, in numero excedere videantur. Admiſſa ergo ſequela hac, reſpondeò ad replicam, & eius ſequelam nego. Ad probationem reſpondeo, notans, hanc malitiam iniuſtitiæ eſſe omnibus peccatis tranſcenden- 231.

ter commotionem,& eo modo quodcumque illorum comitari, ac inobedientiæ malitiam contra Legem Dei, malitiam inimicitiæ contra charitatem, necnon irreligionis contra Dei cultum. Ex quo fit, quòd integritas confeſſionis ſufficienter ſaluetur, quantumuis quis non expreſſerit, ſe dum corpus corrupit, peccatum iniuſtitiæ contra Deum exercuiſſe; quia eo ipſo quòd ſuam corruptionem teſtatus eſſet, ſufficienter confeſſori dictam iniuſtitiam propalauit.

232. Arguitur ſecundò. Si peccando mortaliter peccatum iniuſtitiæ committeremus, ſequeretur, quemcumque peccatorem ſtatim, ac peccatum perpetrat, teneri ex iuſtitia ſatisfacere Deo pro iniuria illata. Sequelam admiſit nemo. Ergo nec ſententia noſtra eſt admittenda. Sequelam probo, etenim eſt dogma apud Moraliſtas, quòd homo, qui alteri iniuriam intulit, ſtatim, ac illam irrogauit, tenetur ſatisfacere illi. Ergo multò meliùs, ſemel à nobis commiſſa in Deum iniuſtitia, tenebimur ſtatim illi ſatisfactionem exhibere.

233. Nec refert ſi cum Reuerendiſſimis reſpondeas, negando in parte ſequelam; Etenim ideo homo ad compenſationem etiam in humanis non tenetur, quia talis compenſatio etiam apud homines non eſt debita, niſi quando factâ iniuriâ relinquitur aliquod damnum in bonis Domini. Vnde colligunt, diſcrimen inter læſionem in bonis honoris, & in bonis famæ factam, quòd qui detrahit de alio per conuicium, & contumeliam, non tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem honoris, niſi ſua detractione famam alterius læſerit, & malam de illo exiſtimationem aliis indiderit. Sic diſcurrunt contingere in peccatis hominum. Hæc enim licèt ſint vniuerſaliter detractiones honoris Dei, non tamen omnia relinquunt in Deo nocumentum prædicti honoris, peccata autem quæ ſimul ſunt detractio honoris diuini, & eius damnum relinquunt, ſunt blaſphemia, & contumelia in ipſum Deum; hæc enim non ſemel generant malam exiſtimationem de Deo: Vnde licèt iſti peccatorum generi annectatur obligatio compenſationis, non tamen aliis peccatorum generibus, quibus licèt competat eſſe læſionem diuini honoris, non tamen relinquunt damnum illius in Deo.

234. Non inquam refert, quia iuxta communem Moraliſtarum cœtum, diuidentium iacturam, quam in bonis honoris pati poteſt Dominus, in poſitiuam ſcilicet, quando bonum nomen à Domino poſſeſſum, per conuicium, vel contumeliam decoloratur. Et in negatiuam, quando bonam meam exiſtimationem de illo tenebar præſtare, & ſub eius dominio conſtituere, & illam de facto omitto, eſt certum, quòd quilibet vtroque modo Dominum lædens, tenetur ad recompenſationem ex iuſtitia; ratio, quia compenſatio, non ſolùm fieri debet, quia bona læſi, quæ erant ſub dominio Creditoris; ſed etiam quando læſi eum in bonis, quæ à me debebantur conſtitui ſub Creditoris dominio. Ratio huius, quia dum Creditori nego id, quod illi debebam, minùs do illi de bonis, ad quæ habet Dominus ius. Ergo ſiue poſt iniuriam Domino factam relinquatur damnum, vel non, obligatio recompenſandi contrahitur. Exemplum rem ipſam dat: te ad laborandum in vinea conduxi per ſpatium dierum ſeptem, omiſiſti vnum diem, ideo teneberis alio die eaſdem operas, quas diarias reliquiſti, compenſare, quamuis ex tua omiſſione nullum aliud damnum poſitiuum paſſus fuerim, præter negationem ponendi in meo dominio tuum laborem, quem pro ſeptem diebus debebas in mea poteſtate collocare. Vnde cùm Deus habeat ius, nedum, vt ei non detrahatur, ſeu poſitiuè in bonis honoris per contumeliam non lædatur: ſed etiam vt honor illi detur per opera præcepta, fit, quòd per vtramque iacturam contrahit homo obligationem ad recompenſandum Deo bona, quæ vtroque modo lædere dicitur.

Sed inſtabis, eſſe diſcrimen inter iacturam, quam ab operatio vnius diei operas omittente Dominus conducens patitur, & iacturam, quam Deus per peccata ſuſtinet, etenim ille, præter iniuriam Domino illatam, quæ valdè eſt ingrata illi, adſunt alia nocumenta temporalia æqualiter homini iniucunda; at in peccatis Deo illatis, præter iniuriam Deo diſplicentem, non adſunt alia nocumenta, in quibus Deus diſplicere poſſit; ideo iniuria illa ſolùm, quia damnificans Dominum, obligationem ad reſtituendum inducit, hæc verò quæ peccando Deo Creditori infertur, vtpotè non damnificans Dominum, ſimilem obligationem ad recompenſandum non cauſabit. Sed hæc inſtantia præoccupata eſt ſolutione antecedenti. In qua, iuxta tractatum de reſtitutione cum Communi, regulam generalem ſtabiliuimus, quòd ſcilicet vbi extiterit diminutio bonorum debitorum Domino, ibi adeſſe, eſt neceſſe, obligationem reſtitutionis, & recompenſationis. Cùm igitur quodlibet peccatum ſit diminutio honoris, per omiſſionem operis præcepti, quod iure dominij exegerat Deus, fit quòd peccatum quodlibet inferat obligationem recompenſationis. 235.

Reſpondeo ergo argumento, negando ſequelam. Itaque licèt Deus habeat ratione iniuriæ præcisè, & ſolo titulo iniuriati, ius exigendi compenſationem boni ſibi negati; atque adeo hominem peccando, tale bonum illi negantem, contrahere obligationem ad reſtituendum Deo prædictum bonum negatum; tamen non tenetur homo ſtatim poſt commiſſum peccatum, talem reſtitutionem operari: ratio, quia Deus non exigit ab homine, licèt poſſet, vt illam tam citò exhibeat, atque adeo præ nimia erga homines pietate & miſericordia paterna cedit ſuo iuri, quoad hoc ſcilicet, quòd illico talis reſtitutio non fiat, ne homines fragilitati & miſeriæ obnoxij, adeo ingenti feſtinæ reſtitutionis onere irretirentur, vt pro quolibet inſtanti periculo iniurias repetendi experirentur adiecti. Contrarium autem in humanis contingit res, cùm homines, minùs de fratribus dolentes, iuri de exigenda recompenſatione cedere nolunt, quod eſt in cauſa, vt ſtatim ac debitor eſt in mora ad tribunal deferatur, ibique ad reſtituendum damnetur. Si autem detur caſus in quo creditor huic iuri ceſſerit, & 236.

reſti

reſtitutionis dilationem permiſerit, idem de debitore compenſationem differente cenſeremus, ac de peccatore, tunc enim ſi ſtatim Creditori non ſoluerit, nullam illi iniuriam irrogabit.

237. Sed quæres, vnde nobis conſtiterit Deum ceſſiſſe iuri ſuo, de non petenda à peccatore compenſatione continuò poſt commiſſam iniuriam? Reſpondeo non exiguum fundamentum eſſe, ſummam Dei pietatem, quam erga nos eſt ſolitus exercere, quamque commendant Patres, & ſummi hominum parentis munera, quibus ſæpius iactatur ipſe, firmare conſpicimus. Rurſum de modo, quo Deus reſpectu noſtri ſe gerat, non aliter diſcurſuri, quàm mutuando ex Sanctis Patribus notitiam, aut ex ſacra Scriptura inſtructionem. At nullibi extat locus, in quo doceamur, Deum vti iure ad feſtinam compenſationem pro iniuria commiſſa. Ergó ne temerè diſcurſus euadat, pro diuina pietate ſtare debemus, ſicque diuinæ miſericordiæ innixi, ſimul & ſemel fragilitati hominum conſulimus.

238. Tertiò argues, tunc iniuſtitia alteri irrogatur, quando ius alterius læditur, ſed ius diuinum à nobis lædi non poteſt. Ergo illi non poſſumus irrogare iniuriam. Probatur minor. Ius illud non poteſt lædi, quod impediri non poteſt vſu rei pro arbitrio ſuo. Sed ius, quod habet Deus in noſtra opera impediri non poteſt, ne illis pro arbitrio vtatur. Ergo ius diuinum à nobis lædi non poteſt. Minorem probo, etenim noſtra voluntas magis eſt in Dei poteſtate, quàm in noſtra; atque adeo non poſſumus impedire Deum, ne vtatur noſtris operibus pro ſuo libito; poteſt enim, quoties voluerit, mouere efficaciter nos, ad quemlibet actum, etſi productus fuerit, ipſum deſtruere, & iterum reproducere. Ergo ius diuinum non poteſt à nobis lædi, atque adeo non poterimus illi iniuſtitiam irrogare.

239. Vt reſpondeas, notare debes. Duplicẽ poteſtatem reperiri in Domino habente ius dominij. Alia eſt Phyſica, alia Moralis, & vtraque poteſt cõſiderari, vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Nunc ſic ad rem noſtram. Ad hoc, quòd aliquod ius dominij lædatur, non deſideratur, quòd poteſtas phyſica obtinendi rem impediatur, ſed quòd impediatur poteſtas moralis, non in actu primo, ſed in actu ſecundo, ipſo Domino inuito. Vnde, vt ſuprà contra Lugum oſtendimus, optimè compatitur iniuria hîc & nunc Domino illata, manente in ipſo poteſtate phyſica ad impediendum illam. Etenim nihil aliud eſt iniuria Domino facta, quàm actualis contrauentio arbitrij Domini. Sed actualis contrauentio arbitrij Domini compatitur cum poteſtate Phyſica in illo impediendi talem contrauentionem. Ergo cum iniuria hîc & nunc Domino illata, compatitur in illo poteſtas impediendi illam, ſaltem in actu primo. Minorem oſtendimus ſuprà, ſed illam claram facit doctrina communiter *tract. de Reſtitutione* data. pone caſum quòd Dominus alicuius rei prohibeat, ne alius conſcius eam ſurripiat coram ipſo, & pone ſimiliter, illum habere poteſtatem omnem deſiderabilem ad eam protegendam: Verùm ea ductus ratione, vt experiatur aliorum conditiones, non vult applicare potentiam ſuam in ſui cuſtodiam, ſed illam relinquere ſolam ad oſtium præſente ipſo. In hoc caſu accedat Ioannes, & dictam rem accipiat, tunc veram Domino irrogat iniuriam; non alia de cauſa, niſi quia hîc & nunc contrauentionem obligationis à Domino impoſitæ exercet. Nunc reſponde in forma; conceſſa maiori, nega minorem. Ad probationem diſtingue maiorem; ius illud non poteſt lædi, quod impediri non poteſt vſu rei pro arbitrio ſuo, ſolùm quoad Phyſicam poteſtatem, nego, ſi impediatur poteſtas moralis in actu ſecundo, inuito Domino, concedo. Sed ius, quod habet Deus in noſtra opera impediri non poteſt, ne illis pro arbitrio vtatur, quoad poteſtatem phyſicam, concedo, quoad poteſtatem moralem in actu ſecundo, inuito Deo, nego. Et nego conſequentiam. Doctrina probationis ſatis ex dictis infirmatur. Fateor hominem peccantem non poſſe impedire, ne Deus antecedenter poſſet vitare ſuum peccatum, necnon & poſt illud commiſſum idem deſtruere, & alia, quæ ibi recenſentur; attamen dum homo peccat, impedit in actu ſecundo, ne Deus in actu ſecundo habeat vſum illius boni ſibi debiti, quod ego peccando omitto, quodque illi denego inuito.

Quartò arguitur argumento in replicam præcedentis ſolutionis ſe inſinuante. Eſt dogma illibatum apud iuris ſanctiones, quòd ſcienti, & volenti nulla infertur iniuria. Ita habetur *reg. iuris* 27. *in* 6. Et teſte Vlpiano *leg.* 1. *Digeſtis de iniuriis.* Vnde manauit aliud dogma ſolùm iniuriam committi inuito Domino. Tunc ſic, ſed Deus non ſe habet, vt inuitus reſpectu peccati. Ergo peccatum non eſt iniuria contra Deum facta. Minorem probo. Primò, quia ille non ſe gerit inuitus reſpectu alicuius actionis, quando illam poteſt impedire, & non impedit. Ergo reſpectu peccati non ſe gerit Deus vt inuitus. Secundò, quia ille, qui concurſum præſtat ad actionem eliciendam, quæ ſine illo non fieret, non ſe habet inuitus reſpectu talis actionis. Sed Deus ſpontaneè præſtat concurſum ad peccatum, & hoc non fieret ſine illo. Ergo non ſe habet reſpectu peccati vt inuitus. Ergo per peccatum nulla iniuria infertur Deo. 240.

Nec refert Reuerendiſſimorum occurſus. Deũ eſſe inuitum ſufficienter ad iniuriam in elicientia peccati, Etenim concurſus à Deo præſtitus, ad peccatum non eſt plenè voluntarius, & purè, ſed mixtè voluntarius cum inuoluntario, ratione voluntatis inefficacis, qua Deus, quantùm eſt ex ſe, non vult peccatum fieri. Non inquam refert, quia ille, qui alium precibus importunis aliquid ſibi donandum petit, & illud accipit, non infert donanti iniuriam, quia licèt iſte, qui donauit, illud præſtiterit cum voluntario, inuoluntario admixto, quia, quantùm erat ex ſe, cum diſplicentia donauit, tamen hæc voluntas diſplicentiæ non obſtitit, quod eius donatio non extiterit talis, cùm tandem precibus allectus reipſa in donationem conſenſerit. 241.

Rurſum, quia voluntas inefficax vnius ex- 242.

tremi bene cohæret cum voluntate efficaci extremi oppoſiti. Rurſum, poteſt etiam contingere, quòd non fiat iniuria (imò quotidie euenit,) illi, qui hîc & nunc vſurpationi ſuorum bonorum conſentit, iuri ſuo cedens, & tamen iſte idem erga dictam bonorum ſuorum vſurpationem affectu inefficaci diſſentit. Ergo optimè compatietur, Deum inefficaciter velle peccatum, non fieri, nihilominùs, quia reipſa medio ſuo concurſu, quem præſtat, conſentit in eius elicientiam, hoc ipſo ſufficiet, vt peccati commiſſio non ſit ipſo inuito, atque adeo minimè cenſeatur iniuria.

242. Verùm reſpondeo. Deum abſolutè eſſe dicendum inuitum reſpectu peccati; ratio, quia habet voluntatem ſigni ſufficientem ad iniuriam; Etenim hîc & nunc & in exercitio habet voluntatem, qua vult obligationem de non agendo peccato: atque adeo cùm peccans, aliquid faciat contra voluntatem Domini ſui obligantis ad contrarium, fit, quòd iniuriam irroget Deo. Etenim hæc eſt regula generalis. Quidquid fit contra voluntatem Domini, obligantis alium ad non vſurpandum, verbi gratia, rem ſuam, iniuſtitia ſtricta contra Dominum iudicatur. Vnde vt ſuprà notauimus, ſiquis poſſit rem ſuam ſaluam facere, & alteri intimauerit diſſenſum obligantem ad non ſurripiendum, hoc eſt, illi expreſſerit, ſe non cedere iuri ſuo, quod in illam habet, & hoc non obſtante iſte rem illam coram Domino, impedire potente, rapuerit, illi veram iniuſtitiam irrogauit.

243. Vnde colliges Martyres & Chriſtum licèt poſſent cedere iuri ſuo erga vitam, taliter, quòd ex vi illius ceſſionis, tyranni, dum illos vexarent, iniuſtitia ſtricta non labefactarentur, tamen de facto ſuo iuri non ceſſerunt, atque adeo non ſolùm dolores, & tormenta à miniſtris incuſſa ſuſtinuerunt; verùm & iniuriam illis ab eiſdem illatam tolerarunt. Vnde falsò Aragon 2.2.*q.*56.*art.*3.*ad* 3. Exiſtimauit Chriſtum, Diuos, & Martyres non fuiſſe paſſos iniuriam, quoad effectum reipſa, ſed ad ſummum, quoad affectum illos vexantium, quia videlicet in tormenta conſenſerunt. Iuxta illud *Lucæ* 6. *Ab eo, qui aufert veſtimentum tibi, etiam tunicam noli prohibere*, necnon iuxta conſilium ex *Mat.* 5. Vbi. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, & ſi quis te percuſſerit in dextera maxillam tuam, præbe, & illi alteram.* Falſum inquam dixit Aragonius, quia illa ſpontanea & liberalis ceſſio, caſu, quo illam de facto haberent, nihil iuuabat, vt tyranni ab iniuſtitia liberarentur, quia cùm illa iuris ceſſio ipſos lateret, & aliundè eos percuterent ex affectu in iniurias tendente, fit, re ipſa iniuſtitiam fuiſſe operatos. Rurſum, decentius, imò magis commendabat Chriſti & Martyrum patientiam egregiam, negatio prædictæ ceſſionis iuris, quia ſic nedum pectus exponerent dolorum ictibus, ſed iniuriarum lanceis animam, vt confoderent acerbius, præſentarent. Loca adducta optimè cum iniuria quoad effectum illata Martyribus componuntur. Legatur *Paulus* 1.*Corinth.*6. *Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Vbi tametſi conſilium Euangelij amplecti doceamur, iniuriam exequi tyrannos permonet. Nec loca verbum dant de ceſſione iuris, tota ſunt in ponderanda patientia, in monendo gaudio dum petuntur iaculis, omni odio in inferentes opprobria depoſito.

SECTIO XII.

Argumentum ex alia conditione petitum.

ALij vt iuſtitiam tollant à Deo ſumunt argumentum ex conditione alia, quæ in omni actu iuſtitiæ, docent eſſe reperiendam, ex parte materiæ ſe tenentem, ex cuius defectu negant inter Deum & creaturas poſſe iuſtitiam exerceri. Conditio eſt hæc. Quòd verſetur inter bona corporis honoris & pecuniarum teſte Ariſtot. 5.*ethic.c.*2.*circa medium*, vbi hæc bona tamquam materiam vnicam iuſtitiæ deſignat. Tunc ſic Ergo tantùm poteſt eſſe actus iuſtitiæ propriè dictæ circa hæc bona, & tantùm poteſt eſſe iniuſtitia ſpecialis, quando eſt læſio in aliquo ex his tribus bonis. Ergo Deus non retribuit præmia meritorũ ex iuſtitia, quia gratia & gloria, quæ in præmia noſtrorum operum confert Deus, ad nullũ ex his bonis ſpectant. Ergo noſtra peccata non erunt iniuſtitia ſpecialiter dicta contra Deum, quia Deus in nullo ex his tribus bonis lædi poteſt. Secunda conſequentia de ſe patet. Tertiam verò probat Vaſq. ex illo. *Si peccaueris, quid ei nocebis, & ſi multiplicata fuerint iniquitates tuæ quid facies?* Patet Ouiedo infrà citandus corrigit locum illum non eſſe Iobi, cùm priùs ex Tobia admiſerit, & tandem Eliæ aſſertum eſſe profiteatur. Verùm, cuiuſque ſit, ſufficientem habet authoritatem, cùm illo vtatur D.Thom. 1.2.*q.*114.*art.*1.*ad* 2. Rurſum alius eſt locus Eliphaz, vbi dicitur, *Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris?* Et expreſſiùs id ipſum munitur ex illo *Lucæ* 17. *num.*10. Vbi Chriſtus. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Vbi Beda citatus à D.Thom. *in Catena*. Serui. quia pretio empti, inutiles, quia Dominus bonorum noſtrorum non indiget. Pondero ſic, duo docet Chriſtus. Alterum nos nihil vtilitatis, aut commoditatis poſſe Deo afferre; Alterum poſſe nos aſſerere, obligationi noſtræ ſatisfeciſſe, quando ea omnia, quæ nobis præcepta ſunt, adimpleuimus. Quibus explicat modum, quo noſtrum meritum abſque aliqua Dei vtilitate potuit ſubſiſtere. 244.

245. Sed argumentum hoc in ipſa conditione, conditionis falſitatem redolet: nego ergo, materiam adæquatam iuſtitiæ eſſe bona illa ab Ariſtotele aſſignata: atque adeo præter illa, alia ſunt ſpiritualia bona, in quibus materia capax iuſtitiæ inueniri poſſit. Vnde falsò iuſtitia adhuc inter homines poſſibilis, ad bona hæc corporis reſtringitur, quia licèt hic & nunc iuſtitia humana hominibus adhærens, materiæ & actionibus externis annectatur, hoc naſcitur per accidens in hominibus, qui quia nõ potentes actus

inter nos per ſe attingere; ideo per ſe de illis paciſci non poſſunt; Ex quo naſcitur, vnum hominẽ cum altero nõ poſſe coordinationem habere, niſi interiectis actionibus, & exteriùs ſenſibilibus bonis; quòd ſi quilibet homo poſſet in interiora alterius inſinuare ſe, & ex illis vtilitatem aliquam haurire, ſine dubio poſſet de illis conuentionẽ cum altero ex iuſtitia perficere. Cúmque hoc in Deo reperiatur, vtpotè ſcrutator cordium cùm ſit, optimè eius conuentiones poſſunt cum hominibus verſari circa res & actiones internas. Hoc enim confirmat ſententia probabiliter ſentiens. Angelos in pura natura potuiſſe conuentiones circa ſpirituales res inire. Quid enim deficeret illis, vt honoris detractio, famæque denigratio, inter illos rationem iniuſtitiæ non ſortiretur?

246. Sed occurrit Vaſquez *prima ſecundæ, diſputatione* 213. *numero nono*, ſe neſcire, quomodo vnus Angelus poſſet alius honorem illi debitum lædere. Quòd ſi læderet honorem debitum virtuti, hoc eſſet contra obſeruantiam, & non contra iuſtitiam. Reſpondeo eſſe facilè modum, quo vnus Angelus alium lædere poſſet in pura natura, percallere, cùm in tali ſtatu conſtituti eamdem ſemitam, ac homines nunc, currere dicerentur. Deinde quia vnus Angelus capax eſt miſericordiæ reſpectu alterius, ſicut fuit ſcandali capax; Lucifer enim virtutũ radiis collucens ſcandali fuit denigratus vmbris. Ergo ſicut miſericordia circa res ſpirituales verſari poteſt, cur non & iuſtitia? Ergo non bene infert Vaſquez ex eo, quòd gratia & gloria ſpiritualia bona ſint, non eſſe materiam capacem iuſtitiæ. Per hæc ad Ariſtotelem patet.

Alij autem, Vaſq. ſequuti, aliam conditionem ſtatuunt indiſpenſabiliter à iuſtitia, ſaltẽ commutatiua, petitam, defectu cuius, illam negant verſari poſſe inter Deum & Chriſtum, vel aliam creaturam. Conditio eſt hæc, quòd iuſtitia verſari debeat inter vtile, & nociuum. Hanc admittunt cum Vaſquio plures ex Reuerendiſſimis Complutenſibus in ſuis manuſcriptis, & nouiter Ouiedo *prima ſecunda, tractatu nono, controuerſia octaua, puncto tertio, numero vigeſimo.* Et deinde ſic explicant conditionem hanc, aſſeruntque iuſtitiam omnem dicere vtilitatem, ratione rei acceptæ, vel repaſſionem, ratione damni illati. Vtuntur particula diſiunctiua, quia ſi abſque vlla vtilitate nocumentum alteri inferam, vel ab eo petam actionem aliquam laboris, aut nocumenti, obligationem aliquam iuſtitiæ contraham abſque vlla vtilitate; Dum verò iuſtitia naſcitur, ratione rei acceptæ, ſemper hæc debet eſſe vtilis accipienti. Hoc amplius exemplis commendant. Pone te Ioanni pecunias ex iuſtitia debitas propter merces, quas à Ioanne accepiſti, vel propter merces tibi ab illo dandas, præbuiſſe, in hoc caſu, tantùm damni pateris, qui pecunias dediſti, quantùm alter, cui conferuntur, emolumenti recipit, quia ſicut vtile eſt Ioanni recipienti dominium in pecunias acquirere, ſic incommodum eſt tibi conferenti, te ab ipſarum abdicare dominio. Similiter dum quis pecunias furatur, tantum nocumentum percipit ille, qui furtum patitur, quantum commodum accipit, qui illud perpetrat. Sic ergo explicata conditione hac.

Arguunt Reuerendiſſimi iſti. Apud omnes inconcuſſum eſt, munus iuſtitiæ eſſe reducere inæquale ad æqualitatem, quod eſt reſarcire in vno extremo, quod diminutum erat, & præcidere ab alio augmentum cùm alius perſonæ iniuria acquiſitum. Ergo vbi non eſt diminutio boni, ſeu commodi reſarcienda, nec augmentum ſimilis boni, aut commodi præcidendum, non eſt iniuſtitia. Ergo munus iuſtitiæ eſt, propria vniuſcuiuſque commoda illæſa ſeruare, incommodaque illata contra proprium ius vitare, & emendare: Ergo vbi non eſt commodi actio, nec incommodi repaſſio, iniuſtitia non eſt. Tunc ſic. Sed creatura non poteſt agere, aut pati quidquam, quod vtile ſit Deo, aut illius interſit, iuxta aſſerta SS. & Lucæ ſuprà citatorum. Ergo inter Deum & homines non eſt dabilis iuſtitia ſtricta potiſſimùm commutatiua. 247.

Nec refert, ſi cum Reuerendiſſimis quos Ripalda ſequitur *tomo ſecundo de ente ſupernaturali, diſputatione octogeſima tertia, ſectione decima tertia, numero nonageſimo ſexto.* Reſpondeas, bonum, vtile, lucrum, & damnum iuſtitiæ commutatiuæ, accipi debere largè pro quacumque ſcilicet re; vel actione, quæ grata eſt & iucunda alicui Perſonæ, quamuis abſolutè non ſit ei vtilis, ſed potiùs nociua; opera autem creaturæ ſunt Deo iucunda & grata, atque adeo materia capax, ſupra quam cadere poſſit iuſtitiæ commutatiuæ exercitium. Affert etiam pro ſe Ariſtotelem *vbi ſuprà capite quarto*, Vocantem lucrum iuſtitiæ commutatiuæ, actionem occidendi, vel percutiendi alium, quamuis ex illa occidens, vel percutiens, grauiſſima detrimenta patiatur, non alia ratione, niſi quia ipſi grata fuit, & ſuam in ea voluntatem expleuit. 248.

Non inquam refert, quia *ibi* Ariſtoteles iuſtitiæ commutatiuæ lucrum, appellauit ipſam percuſſionem, & iniuriam, non ea præciſa ratione, quia talis actio ſit iucunda occidenti, ſed ratione damni illati; Vnde ſimilis eſt hic caſus alteri à Suarez adducto, qui hanc eamdem ſolutionem admittens aſſerit, ſæpè enim quis ex iuſtitia ſtipendium debitum ſoluit pro opere, quod illi nullam vtilitatem, nec voluptatem attulit, veluti cùm quis alteri dat pecunias, vt interficiat, aut mutilet ſeruum, vel amicum innocentem, ex quo nulla vtilitas prouenit ſtipendium illud danti. Similis inquam eſt caſui Ripaldæ, atque adeo eadem impugnatione arguendus; in hoc enim caſu mandans pecunias dare, vel ſoluere ſtipendium, id exequitur, non ratione ſuæ vtilitatis, ſeu rei acceptæ, ſed ratione incommodi, quod ſubit, qui obligationem ſibi imponit exercendi tales actiones, quas non ſine ipſius nocumento ſuſcipit exercendas, & ideò hoc nocumentum causâ alterius voluntariè ſuſceptum, reſarciendum eſt. Sic ſimiliter in caſu Ripaldæ contingit, etenim licèt ipſa actio occidendi non ſit vtilis occidenti ipſi, & hoc non obſtante lucrum iuſtitiæ commutatiuæ ab Ariſtot. appelletur; tamen eſt lucrum, quod ad æqualitatem 249.

redigit iuſtitia commutatiua cum damno ipſius accidentis, atque adeo hæc ſolutio recidit in ſententiam contrariam, vt vidimus explicatione illius. Etenim Ouiedo cum Vaſquez docent, quòd obligatio ex iuſtitia adæquatè ſuſcipi poteſt ex nocumento illato, præciſſa omni vtilitate, verùm hæc obligatio dicitur talis, ratione damni cauſati, non verò ratione rei acceptæ.

250 Nec refert, ſi cum eodem Ripalda, Ruitium *diſp. 58. de voluntate, ſect. 10. num. 9.* ſecuto dicas, poſſe homines ab aliis exigere, aut operationes honeſtas, & arduas, licet ſibi nullam vtilitatem afferrent, atque adeo poſſent de illis inire contractum ex iuſtitia commutatiua obligantem ad reddendum, quidquid medio contractu ſtatuiſſent. Non inquam refert, quia licèt hæc hominibus accidere poſſent, non tamen Deo, quia illi, difficilia facinora aggreſſi, plura damna paterentur, & non ſine ingenti animi liuore ſuſtinerent ardenter propriæ voluntatis conatus irritos caperiri: Deus autem ſine vlla anxietate, & ſumma ſuæ voluntatis tranquillitate fert, homines non operari iuxta ſuam voluntatem præceptiuam, & inefficacem, cùm voluntati efficaci illius nulla creatura cum victoria reſiſtere poſſit.

251 Reſpondeo primò iuxta Communem. Sufficere ad iuſtitiam commutatiuam obſequium quouis modo vtile remunerandum, licet vtile non ſit illi quoad vitam, & felicitatem ipſius; ſufficit tamen vt inſeruire poſſit ad eius gloriam extrinſecam, aut ad aliquid bonum, quod ipſi in æſtimatione & pretio ſit. Vnde cùm creaturæ obſequia ſint vtilia extrinſecæ gloriæ Dei, quam Deus in æſtimatione habet, iuxta illud, *Gloriam meam alteri non dabo*, quamque operibus creaturæ acquirit, fit, optimè defendi, Deum ex iuſtitia talia opera remunerare.

252. Sed contra hanc ſolutionem arguit Lorca ſuprà citatus. Per peccata nullo modo auferrur à Deo aliquid intrinſecum, neque extrinſecum. Ergo per obſequia nihil Deo vtile datur, nec intrinſecum, nec extrinſecum. Conſequentia infertur euidenter. Antecedens probat Lorca. Si per peccatum aliquid Deo vtile quouis modo auferretur, peccans contraheret debitum ſatisfaciendi ex iuſtitia. Sed hoc non contrahit, Ergo peccatum nihil abſtulit. Minorem oſtendit explicans duplex debitum. Legale vnum, morale aliud, hoc ex conformitate cum ratione oritur, ſed hoc non ſufficit ad rationem ſtrictæ iuſtitiæ, atque adeo contra illud operari non erit iniuſtitia ſpecialis. Etenim hoc debitum morale, actus omnium virtutum tranſcendit; quia conforme eſt rationi, ſubditum ſuperiori parere, qui actus obedientiæ eſt, necnon Deum colere, qui eſt Religionis actus. Taliter quòd ſi non te geſſeris ſic, & ab hoc debito tuâ operâ deuias, omnia hæc iura confringere diceris, & tamen iniuſtos non appellaberis. Aliud eſt debitum legale, quod oritur ex ratione dati, & accepti, mutuaque tranſlatione dominij. Hoc requiritur ad iuſtitiæ ſtrictæ exercitium. Sed hoc debitum legale non poteſt eſſe hominis ad Deum, quia inter illos non poteſt reperiri ratio dati, & accepti, vt iam probatum eſt ex dictis. Ergo peccans non facit contra debitum ſufficiens ad iuſtitiam, ſed ad ſummum contra morale, quatenus actiones, quas, vt amicus, & Dominus, exegerat Deus, negat, & omittit.

Verùm in hoc argumento Lorcæ, nec veſtigium inuenio, quo deuincat, hominem Deo obſequentem, gloriam extrinſecam non dare, & eumdem peccantem, gloriam extrinſecam non auferre: atque adeo tota vis eius in eo, cui innixus ſiſtit Vaſquez, præhabetur. Vnde ſolutio adhibita illæſa ſubſiſtit, quam amplius in illos inſtauro; & in replicam, ipſum eius fundamentum euertentem, inſurgo. Vos aſſeritis, ideo inter Deum & homines relegandam eſſe iuſtitiam, quia hæc in creatis verſari debet inter vtile, vel nociuum, cùmque creatura nihil vtile, quod Dei interſit, illi offerre valeat, fit, Deum nullo obſequio, à creatura oblato, manere ex iuſtitia obligatum, ad aliquid pro illo reddendum. Sed non minùs obligatio fidelitatis, & gratitudinis verſatur inter bona ipſis hominibus vtilia. Cùm nemo gratias rependat alteri, quòd exiguam feſtucam è pallio proprio ſubmoueat, vel qui aliquid, nihil vtilitatis ſecum vendicans, exhibeat, hoc enim experientia monet. Rurſum qui puluerem pedenter concuſſum promiſit, tenebitur ex iuſtitia adimplere? Hac enim de cauſa *tractatu de voto, diſputatione ſecunda, dubio tertio*, cum Communi teſte Diana. Vota à mulieribus facta de rebus prorſus inutilibus, nullam obligationem inducere diximus. Ergo promiſſiones hominum à Deo acceptatæ debent, (vt Deus maneat ex fidelitate, aut gratitudine obligatus ad ea remuneranda, qualiter ſic obligatum manere contrarij arbitrantur) verſari in materia Deo vtili. Aliàs in eo obligatio adimplendi promiſſionem acceptatam, nec gratitudinis ad remunerandum, non inueniretur, quod eſt contra eorum ſententiam, & veritatem. Conſequentiam premit in eorum paritas. At in eorum opinione manet Deus obligatus ex fidelitate, aut gratitudine, ad remunerandum obſequia hominum, ea ſola ratione, quia licèt nullam intrinſecam vtilitatem Deo acquirant, tamen quia ſunt Deo grata, & oculis eius iucunda, fiunt materia capax fidelitatis, & gratitudinis diuinæ; Ergo ſimiliter eadem opera quamuis Dei non interſint, nec illi aliquod emolumentum intrinſecum adaugeant, materia capax fient iuſtitiæ ſtrictæ Dei ad homines, quamuis, ſicut gratitudo & fidelitas, in creatis ſolùm cenſeantur materia ſufficiens opera aliquam vtilitatem, vel nocumentum intrinſecum adducentia. Ex quo rurſum fiet, quamcumque materiam, Deo gratam, poſſe appellari vtilem, & ſufficientem ad contractum, vel pactum iocundum, non aliter ac ad gratitudinem, & promiſſionem. At talia exiſtimantur hominum ſupernaturalia obſequia. Ergo ſufficiens materia eſſe poterunt ad contractum oneroſum perficiendum, cuius obligationem exequendam reſpicere debet iuſtitia commutatiua. 253.

Ex

Ex his aperta via adeſt, vt occurras Lorcæ
254. impugnanti debitum legale peccatorem ſuis peccatis non violare, quia nihil peccando auferre poteſt à Deo. Exceptionem notam patitur ob ſæpe adducta. & proximè inſinuata; addiderim tamen, quòd debitum, quod in materia honoris, & famæ contrahimus, ex ſe ſolùm ligat reddere teſtimonium correſpondens excellentiæ alienæ, abſtrahendo ab hoc, quòd eſt poſſe ab altero tolli bonum illi vtile, cuiuſve oblatio illi adſuerit nociua: atque adeo debitum hoc eò præciſè tendit, vt non impediatur executio iuris, quod alius habet, ne ſuum denigrem honorem, nec teſtimonium ſuæ excellentiæ contrarium pronunciem. Cùm ergo Deus habeat ius, vt hîc & nunc, & quotieſcumque operatur homo, ſit ſuarum operationum finis vltimus, vt cum Communi Thomiſtarum dedimus *tractatu de charitate, diſputatione ſecunda, dubio vltimo*, fit, quòd homo contrahat debitum ſtrictiſſimum legale ad non contrauenienendum huic iuri, & rurſum cùm ipſe, dum peccat, actionem exercet, quæ Deum vt ſuum vltimum finem non ſeruat, fit, quòd tale ius violare dicatur: imò practicè teſtimonium contrarium excellentiæ diuinæ euulgat, vtpotè ſaltem in affectu; Deum ſuarum operationum non eſſe vltimum finem conteſtari videtur; ſiquidem actu peccando, à Deo, vt ab vltimo fine exilit. Sed de his iterum.

255. Sed occures cum Vaſquio, & Ouiedo *ſuprà numero vigeſimo*; Etenim Ariſtoteles *quinto ethic. capite quinto*, expreſsè docuit in omni iuſtitia commutatiua eſſe repaſſionem, quod aſſertum indicat, in aliquo extremo dari debere defectum, qui fit per paſſionem, qua quis ſuſtinet ab alio proprio commodo priuari violenter, aut incommodum poſitiuum inferri, vel voluntariè paſſionem hanc in ſe recipit in alterius vtilitatem; quodque clariùs, aiunt, ab Ariſtotele edoceri *capite quarto*, iuſtitiam commutatiuam verſari in emendandis commerciis; hæc autem emendatio ſupponit prædictum defectum alicuius boni in vno aliquorum extremorum, inter quæ iuſtitia exercetur. Ergo ſi ſemel in hac ſolutione admittimus Deum nullam pati poſſe priuationem boni, dum peccata committimus, nec dum illi obſequia præſtamus, aliquid de nouo conferri, quomodo iuſtitiam commutatiuam inter Deum & homines cum Philoſopho tuemur?

256. Sed iſte occurſus non petit; Etenim quiſnam his Authoribus narrauit, nos defendere iuſtitiam commutatiuam inter Deum & homines iuxta regulas ab Ariſtotele præfixas? Illis enim non præiugimur, nec mireris illum hac in parte à nobis deſeri, quia iuſtè deuiamus ſequuti Ouiedi veſtigia, *vbi ſuprà puncto ſecundo, numero decimo ſexto*, vbi defendit iuſtitiam commutatiuam poſſe ſaluari ſine materia, quæ ſit bonum corporeum; at, vt ipſe confitetur, Ariſtoteles *eodem libro ethicor. capite ſecundo*, defendit obiectum iuſtitiæ commutatiuæ ſolùm claudi bonis corporeis. Ergo eodem deſertionis crimine inficitur Ouiedo, quod nobis imputat, & vt deſertionem ſuam à crimine purget, ait *numero citato*; nos debere in obiectis virtutum deſignandis, Ariſtoteli, & aliis Philoſophis ſtare, dum nobis noua ratio non ſuperſit, quam certò ſciamus illos latuiſſe, in his enim, quæ Philoſophi ignorarunt, debere diſcutere iuxta principia ab ipſis tradita in materiis, quas cognouerunt. Sic in præſenti proſequitur, doctrinam obſeruamus, cùm aſſerimus bona ſpiritualia ex eo quòd talia ſint, non eſſe extra iuſtitiæ obiectum, ſed ad illud pertinere quotieſcumque veſtiuntur aliis circunſtantiis à iuſtitia petitis, quia Philoſophus bona ſpiritualia, & ſupernaturalia non cognouit. Hæc Ouiedus Aliis, & ego illi.

Reſpondeo ſecundò Vaſquij argumento, & Ouiedi, conditionem illam iuſtitiæ, ex parte materiæ ſuæ petitam, videlicet debere eſſe vtilem, admittendam eſſe, ſed hac limitatione disiunctiua, nempe vel ipſi contrahenti, vel aliis reſtringendam: Vnde neceſſarium non æſtimo, quòd materia iuſtitiæ commutatiuæ debeat eſſe vtilis ipſi contrahenti; ſufficit enim, quòd vtilitatem habeat reſpectu aliorum, ad quos contrahens decreuerit talem materiam ordinare. Vnde cùm opera bona creaturæ, licèt ipſi Deo non poſſint eſſe vtilia, tamen vtilia aliis creaturis ſunt; quapropter ex vi prædictæ vtilitatis, obligari poteſt Deus creaturæ ex iuſtitia ſtricta commutatiua. Hoc enim experimur in humanis. Homines plures diuitiis affluentes, quos nulla neceſſitas incutit, nec panis, aut veſtimentorum, aliarumque mercium; Verùm ex aliquo motiuo ſibi probè cognito, cùm conſpexerit alios horum omnium indigos, quærunt mercatores, apud quos triticum, & veſtes venduntur, cum quibus contrahunt ex iuſtitia, & eas merces; quibus ſunt vtiles, diſtribuit. En quomodo ſtare poteſt, quòd materia, quæ non eſt vtilis contrahenti, ſolùm quia aliis à ſe probè cognitis, eſt vtilis, ſufficiat ad iuſtitiam commutatiuam, atque adeo ille homo ex vi contractus manebit obligatus ex iuſtitia ſtricta ad ſoluendum pretium compactum, eodem modo, ac ſi ex dictis mercibus aliquam ſibi vtilitatem comparaſſet. Huc voco illud *Matth. 16. Qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, & quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Diſcipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Ecce Chriſtum promittentem præmium, ſolùm quia fiant obſequia in commodum, & vtilitatem proximi, ea videlicet ratione, ac ſi diceret Chriſtus. quia eius vtilitatem æſtimo, & reputo tamquam mihi propriam, iuxta illud *Matthæi 25. Quod vni de minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* 257.

Sectio XIII.

Idem argumentum aliter proponitur, & fortius.

258. ARguit Lorca *vbi ſuprà* ſemper inſiſtens principio illi, cui Vaſquez, Ouiedo, Ioannes à Sancto Thoma 1. *part., quæſt.* 21. *diſp.* 6. *art.* 7. innixi commutatiuam iuſtitiam inter Deum & homines mordicus inficiantur. Principium enim erat hoc, ſcilicet quòd obiectum iuſtitiæ commutatiuæ ſit æqualitas dati & accepti. At Deus non poteſt recipere hanc æqualitatem in retributione præmij. Ergo nec poteſt ex iuſtitia commutatiua illud retribuere. Minor probatur, quia cùm Deus ſit Dominus omnium bonorum creaturæ, nihil poteſt à creatura recipere, iuxta ea Scripturæ loca ſuprà adhibita.

Huic argumento tam *ſect.* 2. quàm *ſect.* 7. & *hîc*, proximè cum communi reſpondimus, quòd licèt nihil poſſimus dare Deo non ſuum, poſſumus tamen dare Deo id, quod noſtrum & ſuum eſt, per actum iuſtitiæ, quia ſeruus dat obſequia Domino debita, & reſtituens alteri dat pecunias ex iuſtitia.

259. Sed contra hanc ſolutionem occurrit Ripalda, quod licèt datio hæc creaturæ ſufficiat, vt ipſa exerceat actum iuſtitiæ, non tamen, vt Deus recipiens obligatus maneat ex iuſtitia ad reddendum aliquid. Pono in creatis exemplum. Tametſi ſeruus, obſequia debita Domino præſtans, actum iuſtitiæ exerceat, tamen Dominus non manet obligatus ex iuſtitia ſeruo, obſequia illa offerenti. Item qui pecunias debitas ſoluit, iuſtitiam exercet, verùm exinde creditor non manet obligatus ex iuſtitia ad retribuendum. Et vniuerſaliter nemo, qui eſt Dominus rei, obligatur ex iuſtitia ad retribuendum furi eamdem rem ſub eius poteſtatem reuocanti. Ergo cùm Deus ſit perfectiſſimè Dominus omnium rerum, tam meritorum creaturæ, quàm gloriæ extrinſecæ Dei ex illis reſultantis, fit, quòd licèt Phyſicè ei aliquid poſſimus dare, quo actum iuſtitiæ poſſimus nos exercere, moraliter tamen nihil illi dare valemus, vi cuius ipſe ex iuſtitia obligatus ad retribuendum maneat.

260. Hoc ipſum aliter munit Ripalda citatus, quia datum, & acceptum non poteſt eſſe abſque tranſlatione dominij dati in accipientem, & accepti in dantem teſte Ariſtotele, ſuprà, requirente in iuſtitia commutatiua repaſſionem, ſeu contrapaſſum, quo accipiens, tantumdem dominij acquirat, quantùm, qui dedit, amiſerat. Sed creatura nec transfert Dominium aliquod in Deum, dum obſequia operatur, quia Deus ex ſe eſt omnium Dominus, quódque eſſentialiter competit illi, nec Deus retribuendo præmium, reparitur quidquam abdicando à ſe dominium, quod etiam eſſentiale eſt. Ergo inter Deum & creaturam non interuenit acceptio, & datio moralis, à iuſtitia commutatiua deſiderata. Conſequentia bene infertur. Maiorem probo; etenim ex apprehenſione terminorum videtur certum, nullum poſſe obligari ad aliquid reddendum, ex eo ſolùm, quòd ipſi reſtituatur res, quæ ipſi ex iuſtitia debetur; aliàs ſeruus obligaret Dominum ex iuſtitia, exhibendo obſequia ex iuſtitia debita.

Nec refert, ſi communiter cum aliquibus 261.
reſpondeas, ſufficere ad obligationem ex iuſtitia, quòd Deo demus, quod verè noſtrum eſt, licèt etiam Dei ſit; merita autem noſtra ſunt non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter titulo cauſalitatis fundante ius aduerſùs Deum, quia exigunt à Deo promiſſionem præmij, quod non exigunt à Domino creato opera ſerui, atque adeo creaturæ licèt phyſicè, non tamen moraliter dicuntur ſerui, ſed Domini.

Non inquam refert, quia hæc duo incohæ- 262.
ribilia ſunt, ait Ripalda. Primum, merita reputari noſtra tam phyſicè, quàm moraliter, eo quòd fiant à nobis, & obſequia ſerui non reputari moraliter ſerui, quamuis à ſeruo ſint. Si enim reſpondeas, ſeruum comparatione Domini moraliter, vt partem eius exiſtimari, non verò creaturam reſpectu Dei: adhuc difficultatem non ſolues. Etenim non alia ratione Filius reputatur pars Patris, & ſeruus Domini, quia titulo generationis, emptionis, aut belli, ius vnius cenſetur eſſe alterius. Ex quo fit, vt ſuprà ex Bernalio dicebamus, quòd Filius comparatione bonorum caſtrenſium, in quæ Pater ius non habet, non habetur vt pars illius, atque adeo cum eo de prædictis bonis poteſt contractus inire. Eadem ratione ſeruus comparatione matrimonij, & aliorum, in quæ Dominus ius abdicauit, non cenſetur pars illius. Atqui maiori titulo habet Deus ius commune cum creatura. Ergo hæc cenſebitur moraliter vt pars Dei, non aliter, ac ſeruus Domini, & Filius Patris.

Ponderatur amplius à Ripalda. Admiſ- 263.
ſo quòd opera noſtra ſint noſtra moraliter iure proprio aduerſùs Deum; adhuc non poteſt intelligi iuxta communem doctrinam, quòd noſtris meritis poſſit ex iuſtitia obligari Deus ad eorum remunerationem ea ſola ratione, quia fiunt in honorem Dei; ratio dubitandi eſt hæc. Etenim, iuxta commune placitum, licèt opera noſtra ex iure proprio, quod reſpectu illorum habemus, fiant, tale ius in nobis ipſis manet, atque adeo, ex vi illius, nullo modo augetur ius Dei in illa opera, quæ in obſequium Dei ipſi prælibamus. Ergo quamuis opera, quæ in obſequium Dei facimus, ſint proprio iure noſtra; tamen per illorum oblationem, Deus nullo modo poterit ex iuſtitia obligari ad illa remuneranda. Probo conſequentiam; Etenim ſi ius noſtrum non minuitur, nec ius alterius augetur, quomodo moraliter nos dare, & alium verè recipere taliter, quòd iſte ex iuſtitia ad reddendum obligetur, eſt dicendum, cùm res eodem modo moraliter apud nos ipſos maneat, & alio modo apud alium non ſit? Hoc enim eſſet in cauſa, quòd etiamſi ſeruus ius proprium haberet in ſua opera, ſi aliunde non poſſet ius Domini augere, & proprium ius imminuere, quantumuis omnia ſua opera in obſequium Domini conſumeret, hic ex iuſtitia non teneretur opera illi rependere. Etenim quòd res conſummetur in honorem alterius, nihil

iuuat

iuuat ad eum obligandum ex iuſtitia, ſi ea booa alterius ſunt, & totum eorum emolumeotum apud alium maoet.

264. Hoc argumentum nec io re diſſimile alteri, quod diſpetſim dedi *ſect.* 2. *&* 7. exſcripſi ex Bernalio efficacius, ſolum in verbis diſcrepans, nunc repeto iterum ſub alia forma, vt contrariorum morem gererem, qui oon ſemel, ſed millies, iam iis, iam aliis verbis figuratum oobis obuciunt, nec miror illud præ manibus contra nos ſemper habere, cùm aliud fulcrum ita forte, quo nos petant inueoire oon poſſint. Verùm illi citatis locis reſpondi. Hîc tamen priùs ſolutionem Ripaldæ tradam, & poſtea aliam à nobis ſequendam ſcribam. Ripalda ergo *diſp.* 83. *ſect.* 14. *num.* 93. dicit io forma, oegando mioorem; quia Deus verè moraliter donat transferendo in creaturam ius accideotarium gloriæ, quod à ſe voluntariè abdicat, & abiicit, ſimiliter recipere moraliter dicitur honorem extrinſecum, reſultantem ex bonis operibus, quæ homo Deo dat cum proprio eorum iure, quod ipſe Deus media promiſſiooe, & pacto creaturæ communicauit. Ad probationem, deſumptam ex locis Scripturæ alibi datis. Reſpoodeo, quòd quãdo Sacer Textus, & Sancti aſſeruot creaturam oon dare quidquã Deo, intelligendi ſunt, quòd creatura oequeat Deo dare aliquid ooo ſuum, & ooo ſit receptum à Deo, quodque inter booa neceſſaria felicitatis Dei oumeretur. Ad vltimam ponderationem reſpondeo, quòd inter Deum & hominem vera iotercueoit repaſſio. Etenim Deus transferens homioi ius in gloriam, patitur priuatiooem illius iuris, quod homini commuoicauit, & homo etiam patitur priuationem iuris, quatenus traoſfert ius in merita, quod ab ipſo Deo accepit.

265. Sed occurres, hæc ſolutio Ripaldæ contraria eſt aſſertis noſtris, ſuprà ad loogum citatis locis aſſignatis. Ibi eoim toti fuimus io defendẽdo, quòd iuſtitia ſecundùm ſuum cooceptum abſtractum, & vt ad diuioam cootractum, non petat transferre ius io aliud, media abdicatiooe domioij, & iuris io talem rem, atque adeo licèt Deus creaturæ communicet ius ad gloriam, tale ius & Dominium ad illam, à ſe oon abiicit; vel abdicat. At hæc ſolutio adhibita admittit, Deum transferre ius ad gloriam, tale ios abdicando à ſe; Ergo hæc ſolutio opponitur io tc doctrinæ tot foliis ſuprà cooſirmatæ.

266. Ripalda, vt oſtendat abdicatiooem hanc iuris io Deo ooo implicare, notat, Deo io omoia creata dupliciter competere ius. Vel titulo ſupremæ poteſtatis, quaſi io actu primo conſideratæ, quem Ripalada vocat titulum excellentiæ ſuæ oaturæ diuinæ, hic titulus eſt eſſentialis Deo, & oeceſſarius, cum competat ipſi ex vi omnipotentiæ ſecum realiter identificatæ. Vel titulo creationis, aut alterius beneficij hominibus collati. Hic eoim titulus oeceſſarius non eſt Deo, & multò minus eſſentialis, cùm decretum liberum & contingens ſupponat, atque adeo accideotaliter illi competere eſt neceſſe. Vode ius diuinum in aliquam rem, ſequitur oaturam tituli, in quo fundatur; atque adeo ius, quod habet in creaturas titulo creationis, accidentale, cootingens, ſicut eius titulus, cui inoititur, eſt. At ius quod in eaſdem res habet Deus titulo ſuæ omnipotentiæ, eſt illi eſſeotiale & neceſſarium, ad inſtar tituli, io quo firmatur.

Ex quo aliam differeotiam horum iurium deprehendes, valdè ooſtro loſtituto inſeruiẽtem; 267. quòd ius competens Deo, titulo ſupremæ poteſtatis, non poteſt à Deo abdicari, atqoe adeo dominium & ius, quod habet ratiooe huius tituli io gloriam transferre noo poteſt io creaturam, ſicut oec ipſum titulom. Hoc per ſe patet, cum hoc ius transferre, eſſet omne dominium transferre; at ius, quod Deo competit accideotaliter ratione, vel titulo creatiooîs actualis, aut titulo alicuius maximi beoeficij exhibiti, bene poteſt Deus abdicare, vel cedere illi. Ratio, quia ex ceſſiooe illius iuris; oulla aduenitet imperfectio dominio Dei in eandẽ rem. Siquidem illi ſolùm deficeret aliquis titulus habendi ius, cuius defectus, cùm ſit rei accideotariæ liberæ Dei voluntati ſubiectæ, nullã imperfectionem poneret io Deo; hic enim imperfectus nõ euadit ex eo, quòd hîc & ounc noo habeat dominium de aliqua re omnibus titulis, quibus poteſt; & hoc cum quia licèt tot tituli deficiant illi, non deficit ipſi domiojum & ius eſſentiale, titulo ſuæ omnipotentiæ; Ergo ſimiliter ſi hîc & ounc Deus abiiceret à ſe titulum aliquem, ratiooe cuius haberet ius accideotale, & contingeos reſpectu iſtius rei, oon euaderet imperfectus, cùm illo titulo & iure ablato, maneret Deus cum pleniſſimo dominio, ratione tituli eſſentialis ſuæ omnipoteotiæ. Pono exemplum. Deo hîc & ouoc debentur omnia noſtra obſequia eo quòd miſit Filium ſuum, vt oos redimeret, nónne potuit Deus hoc iure ſeo titulo priuari? Quis dubitat. Cùm poſſet Deus ſuum Filium ooo mittere, Hoc iterum expendit doctrina cõmunis; Etenim Deus cùm peccatum condooat, cedit iuri, quod competit ad exigendum ab homioe omnes ſuas actiones in ſatisfactiooem iniuriæ; Etenim cooſtans eſt doctrina, Deum ratiooe iniuriæ acquirere ios oouum, quo poſſet ab homine ſatisfactionẽ exigere, etiamſi Deus oon ſuppooeretur Dominus proprietatis omoium rerum, ſicut quilibet homo offenſus tale ius acquirit io offendeotem, ratiooe offeoſæ, quam ille paſſus fuit. Huic inquam iuri cedit Deus, dum peccatum remittit, taliter, vt titulo ioiuriæ oon valeat deioceps humanas actiones exigere, licèt poſſet illas exigere titulo ſupremi dominij.

Sed ioſtabis. Iuſtus meretur ex iuſtitia gloriam per opera præcepta à Deo. At opera præcepta oullo iure domioij ſunt hominis operantis, ſed Dei præcipieotis, quia Deus illa exigens ooo cedit iuri, quo illa tanquam ſibi debita poſtulat, quemadmodum opera ſerui à Domino præcepta, noo relinquuotur ipſius dominio, oec apta ſunt ad obligandum ex iuſtitia Dominum; Ergo Deus, remunerans noſtra merita, oon obligatur ex iuſtitia, tanquam recipiens verè obſequia noſtra: ſiquidem vt ea recipiat verè, & propriè, neceſſarium erat, vt Deus ea noſtro iuri & domioio relinqueret. 268.

Reſpondet Ripalda *num.* 94. homioes mereri gloriam ex iuſtitia per opera præcepta; 269. quia Deus illa noo exigit tamquam Domiuus proprietatis, ſed tamquam Dominus iuriſdictionis;

ctionis; atque adeo relinquit illa dominio, & iuri proprietatis creaturæ, vt ea poſſit etiam dare Deo moraliter, ſeruus autem non poteſt obligare Dominum per opera præcepta, quia illa exigit tanquam Dominus proprietatis, & non iuriſdictionis.

270. Contra hanc ſolutionem veniunt omnia, quæ ſuprà dedimus *ſectione antecedenti* contra Lugon. Ibique moram fecimus in impugnanda diſtinctione horum dominiorum; nunc ſit in ipſum diſputo, dans cum illo hoc duplex dominium Deo. Ergo exigens Deus opera noſtra dominio iuriſdictionis, poterat, ſi vellet, dominio proprietatis præcepta nobis iniungere. Hoc fatetur Ripalda, & bene. Nunc ab illo peto. Vnde ſciat ipſe Deum nobis hæc opera præcipientem hìc & nunc ex ſolo dominio iuriſdictionis præcepta iniungere, & non ex dominio proprietatis? Ipſe non reſpondebit id fuiſſe ſibi reuelatum. Vt patet, nec id à Sanctis Patribus accepiſſe, quia ſuprà contra Lugum attuli, Cirillum clarè demonſtrantem, Deum in præceptis iniungendis vti titulo dominij proprietatis, & vt amplius hìc ad Patres recurſus coaleſcat, accipe Diuum Auguſtinum *ſermone 3. de verbis Domini* alloquentem. *O magna bonitas Dei, cuius pro conditione reddere debeamus obſequia, vt ſerui Domino, famuli Deo, mancipia Redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit.* Ecce Diuum Auguſtinum diuerſos titulos explicantem, ratione quorum de facto obſequia Deo exhibere obligamur, videlicet famulatum, per illa verba, *famuli Deo*, & ſeruitutem per alia, nempe *vt ſerui Domino*. Tunc ſic, ſed ſeruitus prout à famulatu diſtincta, eſt correlatiuum dominij proprietatis, vt omnibus compertum eſt. Ergo iuxta Sanctos Patres Deus dum præcipit, opera præcepta titulo dominij proprietatis à nobis exigit. Ergo ſua principia innixus vim difficultatis non euacuat; imò in ipſum tam argumentum, quàm replicæ, quas in alios direxit, facilè retorqueri poſſunt.

271. Omiſſa Ripaldæ ſolutione, aliter argumento facto iuxta noſtra principia reſponſuri ſumus. Quod vt præſtem, contrarias propoſitiones defendendas cum limitatione ſuſcipimus. Aſſerimus ergo, imprimis eſt verum, quòd in ſatisfactione iuſtitiæ commutatiuæ reali requiritur taliter æqualitas dati & accepti, vt nequeat exerceri, quin detur mutua tranſlatio dominij dati in accipientem, & accepti in dantem, ratio, quia hæc ſatiſfactio realis fit pro debito reali, atque adeo transfert dominium rei in creditorem. Ergo neceſſariò ſupponit duo, & quòd res, per quam ſatisfit, ſit ſub dominio ſatisfacientis, & quòd talis res, per quam ſatisfit, non ſit ſub dominio creditoris, nam ſi ſub illo ſit, nihil ei confertur.

Nota rurſum, in ſatisfactione verò perſonali, quæ fit pro iniuria Deo illata, de qua hìc in noſtra controuerſia loquimur, & de obſequiis meritoriis creaturæ, intuitu quorum Deus promiſit gloriam dare. In his enim dicta tranſlatio dominij in creditorem abſolutè ſumpta non deſideratur, ſed ſolùm, quòd actio, quæ pro iniuria ſatisfacit, ſit ſub dominio ſatisfacientis, ſuppoſito pacto à Deo creditore, quòd intuitu illius remiſſurus ſit iniuriam, vel ſi ſit actio meritoria gloriæ, quòd talis actio ſit ſub dominio creaturæ elicientis, ſuppoſito pacto ex parte Dei promittentis, ſe gloriam collaturum ſub conditione onerosa, quòd homo talem actionem Deo placentem elicuerit. Hæc latè dedi *ſect. 7. 2. & 5.*

Ex quibus deduco, abſolutè vt Deus teneatur remittere offenſam ex iuſtitia, vel dare gloriam, non eſſe neceſſarium dare ei aliquid media tranſlatione noui iuris, vel dominij, quod antea non habuiſſet quoad ſubſtantiam, ſed ad ſummum dare aliquid, quòd taliter ſit ſub dominio ſatisfacientis, & merentis, vt ſub illo modo non ſit ſub illo dominio Dei Creditoris, & remuneratoris; vi cuius de nouo addatur ſolùm dominio Dei noua extenſio, ad nouam materiam illi à debitore, vel merente oblatam; hacque ratione compono omnia aſſerta Ariſtotelis, pro ſtatuenda iuſtitia commutatiua. 272.

Primum, quòd detur in illa repaſſio, & contrapaſſum, quo accipiens tantumdem dominij deperdat, quantùm recipit à dante. Hoc enim aſſertum abſolutè eſt falſum, de iuſtitia diuina inter Deum & homines reperta, quia hæc in datis & acceptis, quoad ſubſtantiam ſicut loquitur Ariſtoteles, intelligi non poſſunt reſpectu Dei, media obſequiis, à creaturis oblatis, dominium quoad ſubſtantiam illorum, de nouo non acquirat, bene tamen poteſt intelligi, etiam reſpectu Dei, de datis & acceptis quoad modum; Etenim Chriſtus, & creatura opera Deo dantes, extendunt de nouo dominium, & ius, quod quaſi in actu primo habebat Deus, ad eadem opera, antequam ab illis elicerentur. Hac enim ratione poteſt dici de Chriſto & creatura, transferre ius in Deum, cum hoc addito, nempe quoad modum extenſionis paſſiuæ dominij præexiſtentis, ad materiam nouam de nouo oblatam. Vide quæ diximus *ſuprà ſect. 8. in calce vel propè*.

Vnde iuſtitia Dei ad Chriſtum, vel creaturas, potiùs attendenda eſt ad pactum, & promiſſionem, quàm ad rationem dati & accepti; Vnde Deum obligatum fuiſſe ex iuſtitia, ad remunerandum opera præcepta imitatur obligationem, quam ex iuſtitia contrahit homo, dum aliquam rem alteri promittit, quam iſte acceptat, vel alius loco iſtius. Vbi in aliquorum ſententia teſte Leſſio *vbi ſuprà num. 1.* dum rem illam tradit, ex iuſtitia confert, & tamen talis obligatio illam tradendi, non fundabatur in datis & acceptis, quia vt ſupponimus, ille, qui recipit, nihil donatori, nec aliquod ius tranſtulit in illum, ſed ſolùm fundabatur in promiſſione acceptata, & in debito iuris, quod acquiſiuit alter ex vi promiſſionis. Ita ſimiliter promiſit Deus remittere hominum peccata Chriſto, & gloriam hominibus dare, ex vi iſtius promiſſionis acceptatæ, manſit Deus obligatus ex iuſtitia non obligatione fundata in datis, & acceptis per tranſlationem dominij, quia tam opera Chriſti, quàm creaturarum ſunt, quando eliciuntur, ſub dominio ſupremo Dei, atque adeo quando talia opera fiunt ab illis, nihil Deo dant, transferendo in Deum nouum ius in illa & dominium, quod ex ſe non haberet, ſed in obligatione

vera

orta ex diuina promiſſione, & debito iuris, quod tam Chriſtus, quam creaturæ ex vi prædictæ promiſſionis acquiſierunt.

274. Ex his explicatis. Reſpondebis facilè argumento initio facto Diſtinguens maiorem. Obiectum iuſtitiæ commutatiuæ eſt æqualitas dati & accepti per tranſlationem dominij quoad ſubſtantiam, quando ambo extrema ſunt creata, concedo maiorem, per tranſlationem dominij quoad ſubſtantiam, quando vnum extremum eſt creatum, & aliud increatum, nego. Et diſtinguo minorem, at Deus non poteſt hanc æqualitatem reſpicere, non poteſt hanc æqualitatem reſpicere in datis & acceptis à creatura, per tranſlationem dominij & iuris quoad ſubſtantiam, concedo, per tranſlationem dominij quoad modum paſſiuę extenſionis dominij præexiſtentis, nego. Et diſtinguo conſequens. Ergo nec ex iuſtitia commutatiua poterit Deus præmium retribuere, iuſtitia commutatiua fundata præcisè in datis & acceptis, & tranſlatione dominij quoad ſubſtantiam, concedo, iuſtitia fundata in acceptata promiſſione & tranſlatione dominij quoad modum extenſionis paſſiuæ dominij præexiſtentis, nego conſequentiam. Loca ſcripturæ docentia Deum nihil poſſe recipere à creatura, explicanda ſunt iuxta prædicta, & ſolutionem inter arguendum propoſitam. Ad primam impugnationem Ripaldæ, Reſpondeo; diſtinguens maximam illam, ſcilicet datio creaturæ licèt ſufficiat, vt ipſa exerceat iuſtitiam, non tamen vt Deus maneat obligatus ex iuſtitia ad reddendum aliquid, iuſtitia inquam fundata in datis & acceptis, & tranſlatione dominij quoad ſubſtantiam, concedo, iuſtitia fundata in pacto, & promiſſione acceptata, iuncta cum tranſlatione dominij, quoad modum paſſiuæ extenſionis dominij præexiſtentis, nego. Ad probationem illam de ſeruo latè patet ex *ſectione* 11. & iuxta ibi & hîc data diſtingue, per opera ſerui non manet dominus ex iuſtitia obligatus, ſi non præceſſit pactum, concedo, ſi præceſſit, ſubdiſtinguo, nō manet Dominus ex iuſtitia obligatus, iuſtitia fundata in datis & acceptis, & tranſlatione dominij, concedo, iuſtitia fundata in pacto & promiſſione acceptata, iuncta cum tranſlatione dominij, paſſiuæ extenſionis dominij præexiſtentis, nego. Ad ſecundum exemplum de debitore, pecunias debitas creditori ſoluente reſponſurus es eadem diſtinctione, & ſubdiſtinctione. Ad illud de fure reuocante rem Domino ſuo, dico, Dominum nullò modo manere obligatum ex iuſtitia ad aliquid retribuendum, tametſi Dominus pactum inierit cum fure de reddendo illi, ſi rem, quam iniuſtè ſurripuit, reuocet, quia ex natura rei illa promiſſio eſt irrita, ob defectum voluntarij, vel vt alij docent irritanda, vt *tractationibus de voto & contractibus* ex communi tradidimus.

275. Vt enim plura, quæ in ſecunda probatione Ripalda intertexit, euaneſcant, aduerte ex dictis, non aliter Deum poſſe manere obligatum, operibus à Chriſto vel creatura obligatis, quàm dominum creatum per opera à ſeruo illi in obſequium præcepta; quia tam Dominus præcipiens ſeruo, quàm Deus, dum opera præcipit, talia præcepta iniungunt titulo dominij proprietatis, atque adeo neutrum poſſe ex iuſtitia manere obligatum ad reddendum, iuſtitia fundata in datis & acceptis à creatura, & ſeruo per tranſlationem dominij quoad ſubſtantiam, bene tamen iuſtitia fundata in promiſſione acceptata, iūcta cum tranſlatione paſſiuæ extenſionis dominij præexiſtentis. Vnde ex dictis patet ad ſecundam ponderationem Ripaldæ, cuique es occurſurus eadem diſtinctione, qua vſus es ſuprà in reſponſione primæ rationis. Ad illud de ſeruo iam conſtat ex dictis.

276. Ad vltimam ponderationem Reſpondeo, fatendo inintelligibile eſſe, quòd Deus ex iuſtitia maneat obligatus ad præmiandum noſtra opera, ea præciſa ratione, quòd in obſequium & honorem Dei exequamur, bene tamen ſi ſimul cum illa ratione ſupponas pactum ex parte Dei de retribuendo, vt ſæpe diximus. Ad impugnationem, quæ eſt ratio dubitandi, diſtinguo maiorem quoad primam partem, ius illud in opera elicita in nobis manet ſolùm, nego, in nobis ſimul & in Deo, concedo. Et ſimiliter ſecundā partem diſtinguo. Ex vi iuris noſtri non augetur ius Dei quoad ſubſtantiam, concedo, quoad modum extēſionis paſſiuæ dominij præexiſtentis, nego. Et diſtinguo conſequens. Ergo per illa opera noſtra, ex proprio iure orta, non poteſt ex iuſtitia obligari Deus ad præmiandū, iuſtitia fūdata in datis & acceptis, necnon in tranſlatione dominij, concedo, iuſtitia fundata in promiſſione acceptata, adiuncta tranſlatione extenſionis paſſiuæ dominij præexiſtētis, nego conſequentiam. Cuius probationes nihil amplius conuincunt, quàm quòd Deus nullo modo poſſit manere obligatus per opera, quæ à nobis exigit, iuſtitia fundata ſolùm in datis & acceptis, & in tranſlatione dominij quoad ſubſtantiam, non tamen iuſtitia fundata in promiſſione acceptata, adiuncta tranſlatione extenſionis paſſiuæ dominij præexiſtentis. Quod autem conuincat inſtantia ſerui præoccupauimus non ſemel. Hæc dedi, & vnicè ſunt danda huic argumento perdifficili, quauis occaſione occurrente, cuius principia petunt alia, quæ mutuatus ſum *ſect.* 8. *in fine*, eaque vt probabiliora præ cæteris, quæ dicta ſectione ſcripſi, æſtimo.

Sectio XIV.

Vltimum argumentum ponitur.

277. Reuer. quidem ſequuti Faſolū 1. *p. q.* 21. *a.* 1. *dub.* 6. ex vna parte admittētes poſſe homines, verā iniuſtitiam facere in Deū, negāt abſolutè verā & ſtrictam iuſtitiam. Fundantur, quia omne diuinum ius eſt altioris & eminentioris ſphæræ, quæ inueniri poteſt. Ergo non poterit à creatura adæquari. Ergo ius illud diuinū non poterit creaturam obligare ex iuſtitia. Probant conſequentiā, quia ius, quod adæquari non poteſt, nequit ex iuſtitia obligare; hac de cauſa ius Patris in filiū iuſtitiam non conſtituit, ſed pietatē, quia videlicet tale ius non poteſt adæquari à filio. Ruſsū, vt cōponant poſſibilē eſſe iniuſtitiā cum iuſtitiæ impoſſibilitate, aſſerunt, eſſe axioma cōmune, plus requiri ad bonum, quàm ad malū, & quia lædere ius diuinum, quod iniuſtitiam cōſtituit, habet rationem mali, & iuſtitiam exercere, rationē boni ſortitur, fit, quòd

compatiatur cum hoc, quod eſt iniuſtitiam poſſe hominem in Deum committere, licèt iuſtitiam ſtrictam exequi non poſſit. Vnde iuris excellentia proximior eſt, vt lædatur, & facilius violetur, quàm quod adæquetur, & poſtquam violatum eſt, reparetur. Hoc enim humana admonent, etenim alijs poſſumus tollere vitam, quam ſemel ſublatam illis reddere nõ valemus. Iniuriam facere parentibus poſſumus, ſatisfacere eiſdem ad æqualitatem non poſſumus. Ergo etiamſi poſſibilis ſit iniuſtitia hominis ad Deũ, iuſtitia tamen non eſt dabilis.

278. Verum iuſtè deſeritur hæc ſententia communiter ab authoribus, licèt non omnes æquè efficaciter impugnent illam, quæ verò me in ipſam mouent, breuiter efferam, reſponſurus tandem eius fundamento. Primò igitur argumentor, ſupponens duplex ius, quod Deo competit. Primum eſt latiſſimum, & vniuerſale, titulo ſupremi Domini. Aliud eſt, ius ex pacto, conuentione cum homine facta reſultans. Eſſe hæc iura inter ſe diſtincta, tituli, quibus innituntur, oſtendunt, & rurſum eorum ſeparabilitas; etenim illud, quod ratione excellentiæ competit Deo, independenter, & antecedenter ad omne pactum, Deum comitatur; at ius illud, pactum ſubſequitur. Et rurſum, illud ad omnia poſſibilia dilabitur, hoc ad exiſtentia, & inter hæc determinatè ſolùm ad ea, quæ Deus cum homine paciſcitur. Ex quo fit, quòd licèt ius illud eſſentiale ſit inadæquabile ab homine, non tamen ius ex pacto cum homine inito reſultans. Ergo homo implens promiſſa Deo, poterit adæquare tale ius, & ſtrictam iuſtitiam exequi, ſicut ipſe Deus eam exercet. Hoc ipſum expendo amplius, quia licèt vniuerſalitas iuris diuini, quæ per poteſtatem conditionatam explicari ſolet, inadæquabilis ſit, vtpote quia ſi eſſent infinita obſequia actu poſſibilia, illa eſſent debita tali iuri, tamen quoad poteſtatem abſolutam, ab homine adæquari poteſt, quia hîc & nunc Deus abſolutè exigere non poteſt infinita, aliàs impoſſibile præciperet, nec ſi hoc exigeret, obligationem abſolutam adimplendi illud contraheret homo, iuxta *regulam iuris 31. vbi quod impoſſibile eſt nec pacto, nec ſtipulatione poteſt comprehendi, nemo ad impoſſibile tenetur*; Ergo ius abſolutum Dei non eſt ab homine inadæquabile. Ergo adæquabile. Ergo poterit hominem ex iuſtitia obligare. Vnde licèt creatura non poſſet adæquare ius diuinum, in actu primo acceptum, ratione ſuæ excellentiæ, tamen conſideratum in actu ſecundo, quoad ea ſcilicet, quæ titulo ſui iuris & dominij actualiter pro ſuo actuali libito exigit, quia hæc finita ſunt, adæquari ab homine valet. Vt autem exerceri poſſit actus iuſtitiæ ſufficit adæquare ius dominij in actu ſecundo; hoc eſt, voluntas actualis Domini ti-
279. tulo dominij exigentis aliquid.

Ex his facilè argumento reſpondebis, conceſſo antecedenti, diſtinguens conſequens. Ergo non poterit à creatura adæquari, conſiderato iure in actu primo, ſeu quoad poteſtatem conditionatam, concedo, conſiderato in actu ſecundo, & quoad poteſtatem abſolutam, nego conſequentiam, & aliam Ad id, quod in probationem adducit, eodem modo eſt occurrẽdum.

Etenim quando communiter ex S.Th. aſſeri ſolet, filij ad patrem non poſſe dari iuſtitiam, ratione excellentiæ paterni iuris, quod filio inadæquabile ſit, intelligendum eſt de iure paterno, ſecundùm totum ſuum ambitum, & latitudinem dignitatis, atque adeo operari ex motiuo talis iuris in hac conſideratione accepti, ſolùm eſt virtutis pietatis; verùm cum hoc ſtat, quòd actus ille, quo quis ex motiuo talis iuris in actu ſecundo, à voluntate Patris determinata opera exigentis operaretur, ſit actus ſtrictæ iuſtitiæ. Itaque filij obſequia non poſſunt adæquare obligationem, quam contrahit ex iure paterno, in actu primo tali iure conſiderato, bene tamen adæquare poſſunt obligationem, quam filius contrahit ex iure paterno in actu ſecundo accepto, quoad aliqua determinata obſequia; Adde ſupra hæc, nam teſte D.Th. & iuribus cæſareis, inter Patrem & filium poteſt eſſe ſtricta, ex contractu, & pacto, in bonis Caſtrenſibus, aut quaſi Caſtrenſibus. Vt ſuprà latè dedimus.

Sectio XV.

Qualis ſit iuſtitia Dei ad Chriſtum, & homines, & horum iuſtitia ad Deum triplici concluſione reſoluitur.

DEuictis iam difficultatibus pugnantibus 280.
contra iuſtitiam Dei, ſuperſunt duo examinare. Primum, *quæ ſit illa iuſtitia in Deo, quam diximus exercere, dum peccata hominum, intuitu meritorum Chriſti, remiſit, & dum gloriam, pro meritis hominum, elargitur.* Secundum, *an iuſtitia hominis ad Deum, ſit virtus ſpecialis, ab alijs differens?* Primum, primo, & poſterius, ſecundo ad examen reduco.

Ante reſolutiones, recolturus es ea, quæ an- 281.
notauimus *ſuprà n. 2.* ibi diuiſionem iuſtitiæ in commutatiuam, & diſtributiuam tradidi. Notare inquam debes Ioann. à S.Th. *diſp. 2 x. 1. x. in 1. p. diſp. 6. art. 3.* infirmo inniti fundamento, ad negandum Deo iuſtitiam commutatiuam, cùm ex alia parte illi tale fundamentum non obſit, ad concedendum ſtrictam iuſtitiam diſtributiuam, etenim, vt dicto loco negaret iuſtitiã commutatiuam, mouebatur ex repugnantia, quam agnoſcebat in iuſtitia cum dominio ſupremo Dei. Sed idem fundamentum non mouit illum (à quo moueri debebat) ad negandam iuſtitiam ſtrictam diſtributiuã Deo. Quod ſic probo, nam ius, quod reſpicit iuſtitia diſtributiua, adeo ſtrictè obligat ſuperiorem, ad diſtribuendum bona communia inter partes reipublicæ, vt negans illa, irroget iniuriam, aut partibus, aut ſaltẽ communitati, quod iuxta communem, *tract. de reſt.* legitur. Tunc ſic: ſed hæc obligatio non minùs pugnat cum dominio ſupremo Dei, quàm obligatio iuſtitiæ commutatiuæ, qua ſuperior adſtringitur partibus ſeorſim ſumptis. Ergo ſi ob repugnantiam, quam habet iuſtitia commutatiua cum dominio Dei, negat illi iuſtitiam commutatiuam, ob ſimilem repugnantiam in iuſtitia diſtributiua cum dominio Dei, tenebatur hic author illam Deo negare. Ergo negata vna, aliam Deo negare tenebatur.

Prima ergo reſolutio; iuſtitia qua Deus no- 283.
ſtris operibus refert præmium gloriæ, accedit ad iuſtitiam commutatiuam. Expreſſam iudico

eſſe

eſſe S. Thom. 2. 2. *quaeſt. 61. artic. 4. ad primum* vbi formam iudicij propoſitam ab Euangeliſta *Matth. 7.* qua Deus diſpenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis, intelligendam eſſe docet ſecundùm rationem iuſtitiæ commutatiuæ. Hoc etiam reſoluit *hîc quaeſt. 1. art. 2.* dum docet inter Deum & Chriſtum iuſtitiam commutatiuam intercedere. Rurſum quia Deus præmia retribuens à SS. PP. aſſimilatur Patrifamilias, operarios in vineam ſuam conducenti, & mercatori vendenti cœleſtes merces, contractu emptionis, & venditionis; at obligatio ex conductione, aut emptione, & venditione reſultans, eſt propria iuſtitiæ commutatiuæ. Rurſum quia, quod peculiare eſt commutatiuæ iuſtitiæ, conuenit diuinæ; etenim proprium illius eſt, reddere debitum abſque mutuo reſpectu & ordine vnius perſonæ ad aliã, ſed Deus elargitur nobis prçmia abſque mutuo reſpectu, & ordine vnius perſonæ ad aliam. Ergo, &c.

283. Secunda reſolutio prioris pũcti. Etiam iuſtitia Dei ad homines, & Chriſtum, imitatur iuſtitiam diſtributiuam. Similiter docetur à S. Th. 1. *p. q. 21. art. 1. in 4. diſt. 46. q. 1. art. 1. quaeſtiunc. 1. in corp.* Ratio breuis, quia proprium eſt, inter alia, iuſtitię diſtributiuę, reſpicere æqualitatem geometricam & proportionis, prout diſtinguitur à commutatiua reſpiciente æqualitatem rei ad rem, & arithmeticam. Sed Deus noſtra merita præmians, æqualitatem arithmeticam non ſeruat, quæ eſt æqualitas rei ad rem, ſed æqualitatem geometricam ſecundùm proportionem: etenim præmium gloriæ collatum cum noſtris, longè ſuperat illa. Ergo iuſtitia Dei ad nos, ſecundùm iſtam conſiderationem, iuſtitiam diſtributiuam imitatur.

284. Sed interrogabis, ſuppoſito, quòd vtriuſque iuſtitiæ rationem reportet diuina iuſtitia, quænam illarum ſit magis propria Dei? ſeu quænam illarum magis propriè conuenire dicatur Deo? Reſpondeo magis accedere ad iuſtitiam cõmutatiuã; Ratio, etenim iuſtitia diſtributiua, prout à commutatiua differt, depoſcit, quòd Deus elargiatur gratiam & gloriam, cum mutuo reſpectu & dependentia vnius ab alio, ita vt Petrus v. g. accipiat amplius, quia Ioan. accepit minus, accepturus minus, ſi Franciſc. acciperet amplius. At Deus non ſic elargitur præmia, ita vt Petrus accipiat amplius, quia Franciſc. accepit minus, accepturus ſi Franciſc. acciperet amplius. Ergo Deus præmia conferens non vtitur iuſtitia diſtributiua, prout à cõmutatiua differt. Maiorem docet communis, quia non eſt alia proportio, ſecundùm quam diſtributiua differat à cõmutatiua, præter aſſignatam, etenim aliud proportionis genus iuxta inæqualitatem dignitatis operantium commune eſt, iuxta communem, vtrique iuſtitiæ, quod declarat exemplum hoc frequenter vſitatum. Etenim Rex ſtipendia rependens militibus æqualiter prœliantibus, attenta inæquali eorum dignitate, maiora maioribus, minora minoribus in dignitate, officio, ſanguinis claritate, non exercet propriè iuſtitiam diſtributiuam, ſed commutatiuam. Minor probatur, quia creditu eſt difficile, D. Petr. minùs gratiæ & gloriæ accepturũ pro meritis, ſi Paulus plus quàm de facto meruiſſet, & accepiſſet; & ratio id ipſum ſuadet, quia Deus ea ratione compenſat præmio merita vnius iuſti, vt eadem compenſaret præmio, quamuis nullus alius eſſet iuſtus, qui præmio dignus eſſet. Atqui hoc non poterat fieri per iuſtitiam diſtributiuã; quæ ex natura ſua multitudinẽ perſonarum exigit.

Reſpondet Suar. *opuſculo de iuſtitia Dei ſect. 3.* Iuſtitiã remuneratiuã Dei non eſſe relegandam ab ſpecie propria iuſtitiæ diſtributiuæ, eo quòd non ſeruet ius illud proportionale geometricũ explicatum per ordinẽ ſcilicet vnius ad alium, quia talis proportio non eſt propria iuſtitiæ diſtributiuæ rationem dat, quia ſine illa poteſt talis iuſtitia dari. Quod oſtendit vulgari exemplo electionis ad cathedram, vel beneficiũ, quæ fit per iuſtitiam diſtributiuam, cum ſit diſpoſitio boni cõmunis, & non proprij illius qui eligitur, tamen in ea non interuenit diſtributio rei cum geometrica proportione, & reſpectu vnius ad alium; ſiquidem non fit diuiſio boni inter multos, ſed totum vni datur digniori, tamquam habẽti ius abſolutum ad illud. Rurſum, quia in republica ſint bona communia, militibus benemeritis de republica, diſtribuenda, nec niſi vnus inueniatur benemeritus, is quidem non debet fraudari præmio, ex iuſtitia diſtributiua reddendo, (vltra ſtipendium ex iuſtitia cõmutatiua debitũ) cur enim, ex eo, quòd vnicus ſit, & alij muneri ſuo defuerint, debitã iſte cõpenſationem non aſſequetur. At in tali caſu nõ habebitur reſpectus vnius ad aliũ, ad diſpenſationẽ præmij, ex iuſtitia diſtributiua, vnico iſti militi reddẽdi. 285.

Rurſum probat Suar. non eſſe eſſentialẽ hanc geometricam proportionem iuſtitiæ diſtributiuæ; quia tale proportionis genus poteſt, abſque iuſtitia diſtributiua, per ſolam commutatiuam exerceri. Quod exemplo mercatorum oſtendit. Iſti enim qui contractum ſocietatis ineunt, diuidunt inter ſe, per iuſtitiam commutatiuam, fructus, & diſpendia, lucra, & damna iuxta omnium conuentionem, ſeruata proportione laboris ab vno collati, ad id, quod alter contulit, cum mutuo reſpectu vnius ad alium, tum, quia is, qui omnibus creditoribus ſatisfacere plenè non poteſt, cogitur ex iuſtitia commutatiua diſtribuere, quod habet inter omnes, inæqualiter, pro rata debiti, & facultatum, etiam cum mutua dependentia vnius ab alio; en quomodo mutuus hic reſpectus ſeruatur per iuſtitiam commutatiuam, atque adeo per illum non differt diſtributiua à commutatiua. 286.

Sed iſta vim rationis integram relinquunt. Reſpondeo ad primam ibi ſeruari proportionem iuſtitiæ diſtributiuæ, quia licèt præmium, quia indiuiſibile, inter multos non diſtribuatur, neque in eius diſtributione habeatur reſpectus rei vnius ad aliam; tamen habetur reſpectus iuſtis cum mutua dependentia vnius ab alio, nam ideo qui eligitur, habet maius ius ad præmium, quia alij minùs digni ſunt, minus idem habiturus ius, ſi alij digniores exiſterent, & ſimiliter ſecundus, ideo minus ius obtinet, quia maius primus obtinuit, idem obtẽturus maius, ſi alius non extitiſſet dignior, idemque de tertio. & quarto, cenſendũ fore. Quare ſi cõtingeret primũ iuri ſuo cedere, ſecundus deberet anteponi tertio. Ex quo manifeſtum fit, ius & debitum cum mutuo reſpectu contrahi, & dependentia vnius ab alio, quod ad iuſtitiam diſtributiuam 287.

ſaluandam ſufficit, quodque in iure merentium, cui iuſtitia diſtributiua ſatisfaciat, non inuenitur.

288. Hæc doctrina inſeruit compenſationi bonorum communium, exhibitæ vnico tantùm militi, qui ideo cuncta bona illi diſpenſantur, quia cæteri alij milites ſuum non expleuerunt munus, qui ſi ſuo muneri inſeruirent, minùs ille de bonis accepiſſet. Quod non ita contingeret, ſi ex bonis communibus, pars tantùm determinata vnico militi eſſet reddenda, nec maior reddenda illi, quamuis cæteri ſuo muneri ſatisfeciſſent, & recompenſationem meruiſſent; etenim tunc recompenſatio illa per commutatiuam, & non per diſtributiuam fieret. Sicut per eamdem fit ſolutio determinati ſtipendij, iuxta communem, quia in tali caſu ad nullam proportionem, & dependentiam vnius ad alium, nec quoad rem datam, nec quoad ius, & debitum diſpenſandi attenditur. Ad ſecundam probationem reſpondeo, prædictam diſtributionem cum mutuo ordine vnius ad alium, tam inter mercatores, quàm inter creditores celebratam, eſſe tantùm iuſtitiæ diſtributiuæ, vt notatum habeo *tractatu de contractibus diſp. 2. dub. 3. n. 1.*

289. Vnde, ex qua parte, iuſtitia Dei præmia merentibus conferens, proportionem vnius perſonæ ad aliam non reſpicit, quod eſt eſſentiale iuſtitiæ diſtributiuæ, ideo propriè & per ſe ad illam non ſpectat, licèt ad illam accedere videatur, quatenus proportionem geometricam obſeruat. Itaque duplex datur proportio, vna perſonarum, & alia rerum. Illa eſt ſolùm eſſentialis diſtributiuæ, hæc communis illi, & commutatiuæ. Vnde cùm diſpenſans Deus reſpiciat proportionem geometricam, quod conuenit, vt diximus, diſtributiuæ, ideo dicimus, ad illam accedere iuſtitiam diuinam, gloriam diſpenſantem; verùm cùm hæc geometrica proportio non ſit perſonarum, quod eſſentialiter ſolum diſtributiuæ competit, ſed ſolùm rerum, nempe præmij, & meriti, quod etiam commutatiuæ conuenit, dicitur ideo ad hanc magis propriè reduci iuſtitia diuina. Quid autem intelligamus per hoc, quòd præmium à Deo collatum reſpondeat merito proportione geometrica? breuiter declaro. Etenim præmium, nempe gloriam ſecundùm ſe ſumptam, excedere meritum, quamuis non excedat, vt confertur cum magnitudine dantis, & dignitate recipientis, nulla attenta proportione, & reſpectu ad dignitatem & meritum aliorum promerentium, & recipientium. Hoc intellige de Deo diſpenſante gloriam, & gratiam beatis, non tamen de præmio Chriſto collato propter merita, cùm hæc haberent mathematicam proportionem rei ad rem cum præmio eorumdem. Et hæc de primo puncto ſectionis.

290. Secundum punctum petebat; *an iuſtitia hominum ad Deum ſit ſpecialis virtus ab aliis differens?* Subiectum huius dubitationis, vel eſt Chriſtus, vel pura creatura. Quidquid de vno, de alio ſuſcipe dictum; de Chriſto enim potior erit reſolutio, cùm totius controuerſiæ & inſtitutionis noſtræ exiſterit ſubiectum.

291. Notaturus es, iuſtitiam tam Chriſti, quàm hominum reſpectu Dei materialem, confundi cum virtutibus aliis, infrà enumerandis; etenim iuſtitia materialis eſt, quæ in re ſatisfacit obligationi iuſtitiæ, quamuis ex motiuo ſatisfaciendi non eliciat actum, ſit exemplum in nobis: etenim ille, qui ſuo creditori debitum ſoluit ex motiuo charitatis, aut amicitiæ, iuſtitiam exercet, quamuis non ſoluat ex motiuo formali iuſtitiæ; at non ſolùm vni, ſed pluribus virtutibus conuenit ſatisfacere obligationi iuſtitiæ, quam inducit, vel voluntati Dei exigentis noſtra obſequia, vel noſtræ promiſſioni & conuentioni cum Deo; etenim, vt ſuprà vidimus, Deus nedum poteſt, ſed de facto exigit tamquam Dominus proprietatis, omnes virtutum actus, potiſſimùm præceptos; & nos de illis omnibus exhibendis inire pactum cum Deo. Ergo omnibus virtutibus poteſt competere ratio iuſtitiæ materialis. Addiderim tamen, inæqualiter aliis virtutibus rationem iuſtitiæ materialis adaptari; etenim aliquæ ſunt, quæ ex ſuo motiuo formali, reſpiciunt materiam ex iuſtitia obligatam, quamuis non moueantur ex eius formali motiuo, vt in reſolutionis probatione aperiam, quales cenſeo Religionem, & pœnitentiam numerandas; aliæ verò virtutes, vt miſericordia, & temperantia, abſtrahunt, imo poſitiuè ex ſe non attingunt materiam ex iuſtitia obligatam. Hoc notato.

Reſolutio: in Chriſto vera & ſtricta & ſpe- 292.
cialis iuſtitia formalis reperta, fuit eſſentialiter ab aliis virtutibus differens, eſt expreſſa D. Th. *hic art. 2. ad 2. & q. 48. art. 2.* quem diſcipuli omnes ſequuntur. Ratio, cui aliæ ſunt concreditæ. Etenim omnes conditiones, quas ſpecialis iuſtitiæ formalis virtus depoſcit, inuentæ fuerunt in ſatisfactione Chriſti. Ergo orta fuit à virtute, quæ formalis eſſet iuſtitia ab aliis virtutibus differens. Antecedens probat copioſa ſectionum antecedentium collectio. Conſequentia bene infertur. Verùm, hoc ipſum ratio à priori deuincit. Quia vbi datur motiuum formale differens à motiuis formalibus aliarum virtutũ, datur ſpecialis virtus ab aliis differens. At motiuum iuſtitiæ formalis, eſt ſpeciale, & ab aliis motiuis aliarum virtutum differens. Ergo iuſtitia formalis eſt ab aliis virtutibus differens. Minor patet quia, vt diximus *ſect.* 12. iuſtitia formalis non ideo talis recenſetur, quia conſtituit æqualitatem cum iure alterius, ſed quia id exequitur ex honeſtate, in tali æqualitate, inuenta. At licèt aliquæ virtutes in actu exercito, & reipſa verè conſtituant æqualitatem cum iure diuino, tamen eamdem æqualitatem non ponunt, ex honeſtate prædictæ æqualitatis, ſed ex aliis motiuis ſibi præfixis. Ergo motiuum formalis iuſtitiæ, eſt ſpeciale & differens à motiuis aliarum virtutum. Quòd autem dictam æqualitatem, ex ſimili motiuo non cauſent aliæ virtutes, adeo eſt verum de aliquibus, vt nec talem æqualitatem cum iure adhuc materialiter cauſent, vt videre eſt in temperantia, & miſericordia, ſed quod certius eſt, dictam æqualitatem cum iure non cauſant ex motiuo honeſtatis, in tali æqualitate inuentæ. Pœnitẽtia enim, quod plus exequi valet iuxta aliquos, tantũ poteſt ex ſe intendere æqualitatem cũ iure ſpeciali Dei, acquiſito per peccatũ, & non cũ iure, præſcindẽte ab illo ſpeciali iure.

Et quod probabilius eſt, ſolùm intendere hominem ad ſtatum pacis reſtituere, vel, vt alij, ad ſtatum indemnitatis priſtinæ. Religio tamen ſolùm ſibi præſcribit, tamquam motiuum, honeſtatem cultus diuini, præſcindens ab obligatione iuſtitiæ, & ab excellentia dominij. Sed de his iterum me ad longum videbo. Ergo motiuum formalis iuſtitiæ, ſpeciale eſt, & ab aliis motiuis aliarum virtutum differens.

293. Sed interrogabis, an actus iſte iuſtitiæ ſatisfactionis Chriſti, ſit iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ſit eiuſdem rationis cum noſtra? Affirmo cum S. Thom. & ferè omnibus eius diſcipulis. Imprimis, quòd ſatisfactio Chriſti extiterit actus ex iuſtitia commutatiua elicitus, vel imperatus, ſatis ſuperque eſt ſuprà probatum *ſectione antecedenti*. Quòd autem ſit eiuſdem rationis cum iuſtitia commutatiua noſtra, maioris eſt difficultatis; quam ingerunt extrema, in ordine ad quæ actus iuſtitiæ commutatiuæ noſtræ verſantur; etenim ſi vnum extremum ſit Deus, eiuſdem rationis prorſus eſſe exiſtimo; ſi tamen ambo extrema, inter quæ noſtra iuſtitia commutatiua exercetur, ſint extrema creata, aliquam circumſtantiam inuoluit ex parte materiæ, & modo, quæ nullo modo inueniri poteſt in ſatisfactione Chriſti pro noſtris peccatis; etenim iuſtitia commutatiua, cuius extrema ſunt creata, fundatur in datis & acceptis, & in tranſlatione dominij, quoad ſubſtantiam, vnius in alium; at iuſtitia commutatiua creata, cuius vnum extremum eſt increatum, nempe Deus, nequit fundari in datis & acceptis, & in dicta tranſlatione dominij, cùm alterum extremum, cui ſatisfit, extiterit Dominus cuiuſque actionis, quam creatura, vel Chriſtus offerre poteſt: Sed fundatur in pacto & promiſſione acceptata, ſimul cum tranſlatione extenſionis paſſiuæ dominij præexiſtentis ad nouam materiam, quam liberè Chriſtus & creatura offerunt Deo. Ex quo fit, quòd ſi iuſtitia Chriſti in ordine ad Deum conferatur cũ iuſtitia creata vnius hominis ad aliũ, non videtur eſſe eiuſdem rationis cũ illa.

294. Sed non obſtant hæc, vt iuſtitiam formalem Chriſti eſſe eiuſdem rationis formalis ſpecificæ cum iuſtitia commutatiua humana, abſolutè prædicemus. Etenim vbi datur idem obiectum formale motiuum, ibi vna datur virtus in ſpecie. Sed idem obiectum formale motiuum reſpiciunt, iuſtitia commutatiua Chriſti, & hominum iuſtitia commutatiua. Ergo ambæ conueniunt in ſpecie. Minor probatur, quia obiectum formale commutatiuæ iuſtitiæ, eſt æqualitatis cum iure honeſtas, ſine reſpectu ad plures dignitates perſonarum, quam, vt ſuprà vidimus, eſſentialiter reſpicit iuſtitia diſtributiua. Vnde eadem virtus, qua homo ſatisfacit iuri humano, ſatisfaciat etiam iuri diuino; etenim poſſibile eſt motiuum virtutis commune vtrique iuri, quia poteſt voluntas vtrique ſatisfacere iuri, ſolùm allecta ab honeſtate æqualitatis cum iure obligante ex iuſtitia, præſcindendo à iure diuino & humano, vtpote cùm ea honeſtas poſſit ſufficienter allicere voluntatem ad omnem actionem iuſtam, tam circa Deum, quàm circa hominem. Tunc ſic, ſed vbi datur motiuum honeſtum Deo & creaturis, poteſt etiam dari virtus communis, Deum, & creaturas reſpiciens. Ergo cùm de facto id aſſerere non repugnet, nec repugnabit, hîc & nunc homines actus iuſtitiæ exercere arga Deum, elicitos ab eadem virtute, qua actus iuſtitiæ erga alios homines elicere ſolent; quòd autem per hos actus transferant dominium, quoad ſubſtantiam, in alios homines, quòdque transferre nequeant in Deum, id non à iuſtitia prouenit, ſed ex natura ſubiectorum, inter quæ exercetur, prouenire latè declarauimus *ſect.* 10.

Sed occurrunt RR. motiuum æqualitatis cum iure diuino, ſufficienter differt à motiuo æqualitatis cum iure humano, vt eius poſſit ſpecificare virtutẽ iuſtitiæ, diſtinctam à iuſtitia, quæ inter homines exercetur. Quod probãt, etenim cùm ius diuinum ſit longe excellentius, & altius, quàm ius humanum, excellentiorem, & altiorem honeſtatẽ deriuat in æqualitatem actionum cũ eo iure, quæ rationes ſuæ excellentiæ peculiariter alliciat, & moueat voluntatem. Hac enim de cauſa, latria, quę exhibet cultũ Deo, eſt virtus religionis, differens, teſte Suar. cum communi, à dulia, quę cultũ exhibet hominibus SS. quia excellentia diuina, ratione cuius Deus colitur, refundit in ſuum cultum excellentiorem, & ſpecialem honeſtatem, quæ non ineſt cultui hominibus reddito. Similiter ergo diſcurrunt in præſenti, quòd iuſtitia erga Deum ſit ſpecialis & differens ſpecie à iuſtitia erga homines, quia ius diuinũ excellentius, & eminentius eſt, quàm humanum, petens præſtantiorem honeſtatem refundere in actiones æquales tali iuri. 295.

Fateor vtrũque plurimùm probabilitatis obtinere, atque adeo vtrumque ſatis probabiliter poſſe ſuſtineri exiſtimo; ſolùm in primum modum dicendi, præponderare videtur, quòd cùm iſte habitus iuſtitiæ, potiſſimùm in Chriſto, ſequatur naturã gratiæ habitualis, cuius proprietas, ſicut cæteri habitus infuſi, extiterit, cùmque gratia habitualis illius adfuerit eiuſdem ſpeciei cum gratia habituali hominũ, fiet, habitũ hunc iuſtitiæ debere eſſe eiuſdem ſpeciei cũ iuſtitia hominũ. Verùm hoc facilè ſoluitur, optimè hęc duo cõponi poſſe; ea vel maximè ratione, quòd authores ij non contendant ponere in Chriſto iuſtitiam, quæ æqualitatem cũ iure diuino ſtatuat diſtinctam à iuſtitia, quæ in hominibus æqualitatem cum eodẽ iure diuino reſpicit; iſtæ enim iuſtitiæ idem motiuũ in ſpecie contuentur, nempe diuini iuris ęqualitatem; atque adeo hac ratione, ſicut gratiã habitualem Chriſti, & noſtram, ſolo numero differentes, prædicant, ita has iuſtitias eaſdem in ſpecie eſſe præſumunt; Solùm enim eorũ mens eò tendere videtur, vt aſſerant, iuſtitiã Chriſti, quæ æqualitatẽ diuini iuris reſpiciebat, eſſe ſpecie diſtinctã à iuſtitia creata, qua vnus homo cõtendit æqualitatẽ iuris alterius compenſare; ſicut & ipſi RR. exiſtimant, etiã in quouis homine, dari duplicẽ iuſtitiam, vnam, æqualitatẽ diuini iuris reſpicientẽm, & aliam, æqualitati iuris creati ſatisfacientem. 296.

Iam quòd actus ſatisfactorius Chriſti, naſcatur à virtute ſpeciali, quæ correſpondeat habitui iuſtitiæ noſtræ, & cum aliis virtutibus noſtris non conueniat, licèt aliqualem enodationem ſubierit ſuprà, tamen illius maius examen propono, quodque non aliter intelliges, 297.

quàm percurrens virtutes illas, de quibus poteſt ſuboriri contentio, an cum illis conueniat vel non? Imprimis, quòd habitus regulans immediatè ſatisfactionem Chriſti, non ſit habitus charitatis, declaro; etenim ſatisfactio, qua talis, reſpicit æqnalitatem iuris diuini, vt recompenſandam pro offenſa. Sed recópenſatio non eſt obiectum formale charitatis. Ergo talis ſatisfactio Chriſti non fuit immediatè à charitate regulata, Nec ex hoc præſumas, nos velle negare charitatem, etiam mediatè, ſatisfactionem Chriſti regulauiſſe: quia, vt ſacra pagina monet, tota ſatisfactio pro noſtris peccaris oblata, ex dilectione, qua nos Chriſtus proſequebatur promanauit, lege illud ad *Epheſ.5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea.* Et ad *Ga'at. 2. Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Et Apocalip.1. dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo,* At iſta omnia non conuincunt, virtutem, immediatè inclinantem ad ſatisfactionem fuiſſe charitatem, ſed ſolùm probant, ab illa eſſe ſatisfactionem Chriſti imperatam.

298. Deinde quòd ſatisfactio iſta ortum non habuerit à virtute Religionis, probo. Quia tametſi in morte Chriſti interuenerit verus actus Religionis, quatenus ſe obtulit Deo in ſacrificium, iuxta illud ad *Hebr. 1. vna oblatione conſummauit Chriſtus ſanctificationem*; cuius ergo ſacrificium altaris eſt factum in memoriam ſacrificij crucis; tamen talis actus Religionis, oon fuit formalis ſatisfactio; ſed materia ſatisfactionis, ſicut actus virtutum, per quos homo vnlt ſatisfacere Deo pro peccatis, non ſunt formaliter pœnitentia, ſed materia pœnitentiæ. Deinde ſatisfactio pro iniuria facta honori ab homine, etiamſi ſit in materia honoris; non pertinet ad virtutem obſeruantiæ, qnæ eſt virtus tribuens hominibus honorem, ſed ad iuſtitiam. Ergo ſimiliter licèt ſatisfactio à Chriſto exhibita Deo, ſit in materia honoris, quatenus illi tribuebat honorém, & cultum debitum, non erit Religio, ſed alia virtus, habeos pro materia actus religionis, reſpiciens æqualitatem dimini iuris per offenſam violati, & pro qua offerebatur.

299. Rurſum quòd hæc ſatisfactio oon fieret à virtute, qnæ eſſet eiuſdem ſpeciei cum pœnitentia noſtra, oſtendo; quia pœnitentia prout reſpicit offenſam, vt expiabilem per compenſationem, eſſentialiter reſpicit culpam propriam illius, qui talem virtutem haber, vel ſaltem poſſibilem ſecundùm ſtatum illius perſonæ (ſic enim præoccupo illos, aſſerentes Beatæ Mariæ eſſe concedendam virtutem pœnitentiæ, quia ſaltem ex vi ſtatus viatoris, quem habuit, poſſibile fuit illi peccatum) At Chriſto culpa, ſecundùm omnem eius ſtatum, repugnabat. Ergo talis virtus pœnitentiæ Chriſto totaliter repugnabat.

Rorſum quia noſtra pœnitentia non reſpicit, nec poteſt, æqualitatem diuioi iuris, quam per offenſam fregimus. At ſatisfactio Chriſti ſimilem æqualitatem reſpiciebat: ergo non poterat proficiſci à virtute eiuſdem ſpeciei cum noſtra pœnitentia.

300. · Nec refert quòd RR. aiunt, quòd licèt noſtra pœnitentia noo contueatur æqualem ſatisfactionem abſolutè, tamen conditionatè illam reſpicit, hoc eſt, vult ſatisfacere ad æqualitatem, ſi hoc puro homini poſſibile eſſet. Ergo ſecundùm hanc conditionatam æqualitatem poterit illa virtus Chriſti, eſſe eiuſdem ſpeciei cum noſtra pœnitentia. Non inquam refert, quia ſi affectus ille conditionatus, conſtituit pœnitentiam in vera, & propria ſpecie rigoroſæ iuſtitiæ, & eſt ſufficiens vt dicatur propriè iuſtitia commutatiua, non diſtinguetur in nobis à vera & ſtricta iuſtitia. Ergo dum aſſeritur virtutem, à qua fuit regulata ſatisfactio Chriſti, fuiſſe eiuſdem ſpeciei cnm noſtra pœnitentia, ſi hæc eſſet vera iuſtitia, iam in re conceditur à RR. talem virtutem in Chriſto eſſe propriam iuſtitiam, eiuſdem ſpeciei cum noſtra, quod nos intendebamus & ipſi conabantur vitare.

301. Rurſum falſo nituntur fuodamento RR. iſti cum Suarez, dicentes noſtram pœnitentiam nctum eſſe ſtrictæ iuſtitiæ, ea videlicet ratione, quòd ad iuſtitiam ſtrictam aſſerant ſufficere, reſpicere æqualitatem diuini iuris conditionatè, hoc eſt, ſi eſſet poſſibilis. Etenim iſte affectus, non poteſt eſſe efficax, etiam ex parte actus; ratio, quia non ſupponit principia ſufficientia ad dictam æqualitatem, inducendam, nam tale principium debebat eſſe perſona infinita, quæ ſolùm in Chriſto inuenitur.

302. Si autem deſideres ſcire, ad quam virtutem ſpectet actus ille conditionatus, nempe volo ſatisfacere Deo ad æqualitatem, ſi hoc mihi poſſibile eſſet? Reſpondeo, reducendum eſſe ad virtutem pœnitentiæ, quia talis affectua verſatur in materia ſatisfactionis, nec obſtat ipſum reipſa ſatisfactorium non eſſe, vt abſolutè pertinere dicatur ad inſtitiam imperfectam, quam ſupponimus eſſe contritionis actum; imo ex hoc conditionato affectu, inferri mihi licet, noſtram pœnitentiam non metaphoricè, ſed propriè, dici poſſe iuſtitiam, cum addito tamen, imperfectam ſcilicet; quia licèt reipſa æquale non cooſtituat, & ex hoc à ratione perfectæ iuſtitiæ cadat, vt ſuprà *tractatu* 10. diximus, habet tamen iotentionem, ſaltem virtualem, & conditionatam, reddendi æquale, ſi illi ſupereſſent vires, & hoc ſufficit, vt rationem ſtrictæ licèt imperfectæ iuſtitiæ participet.

303. Sed vt hæc, & concluſiones firmæ, totaliter & ſine ſcrupulis abſolutæ maneant, duas obiectiones breuiter referam, & refellam. Prima ſit; vbi oullum interuenit debitum & iuſtitia, ſatisfactio non poteſt eſſe actus iuſtitiæ. Sed nullum debitum intelligi poteſt in ordine ad Deum, reſpectu cuius, Chriſti ſatisfactio eſſet ex iuſtitia. Ergo ſatisfactio Chriſti non fuit ex iuſtitia. Maior patet, quia ſatisfactio eſt ſolutio, ſeo extinctio debiti, atque adeo illud tale, quale ſatisfactio ſupponit, ex quo fit, quòd gratitudo, & obedientia, debitum gratitudinis, & obedientiæ petant. Ergo vbi nullum præceſſit debitum ex iuſtitia, ſatisfactio ex iuſtitia repugnat. Nunc minor illa eſt probanda. Quia illud debitum, nec homines, nec Chriſtus, contraxerunt. Ergo non præceſſit tale debitum. Antecedens quoad homines probo, quia iſti noo poterant ſatisfacere ad æqualitatem,

rem, pro offenſa Deo illata, vt vidimus, atque adeo debitum ſatisfaciendi non contraxerunt, non enim debitum eſt, & obligatio rata circa impoſſibilia, vt vidimus ex iure ſuprà. Rurſum, quia ſi debitum de ſatisfaciendo ex peccato contraherent homines, fieret, quòd tale debitum ex iuſtitia, eſſet debitum ex præcepto negatiuo, de non retinenda ſcilicet ſatisfactione iniunctum, atque adeo obligaret ſemper & pro ſemper ad ſatisfactionem præſtandam, ſicque homines quamdiu non ſatisfacerent, tamdiu in peccato omiſſionis eſſent conſtituti. Quoad ſecundam partem, nempe de Chriſto probo; quia Chriſtus non valebat pro hominibus aliud debitum ſibi imponere, quàm illud idem, quod homines habebant. Ergo ſi homines, vt probatum eſt, ex peccato commiſſo nullum debitum ex iuſtitia contraxerant, fit, quod nec Chriſtus illud contraheret.

304. Non me latet, aliquos in ea eſſe exiſtimatione, vt aſſerant, poſſe exerceri actum iuſtitiæ ab aliquo, apud quem debitum ſatisfaciendi ex iuſtitia non eſt, quod explicant in iuſtitia punitiua, in qua qui punit, illam exercet, tametſi in illo non ſupponatur debitum ad puniendum, quod eſt in cauſa, illum iniuſtitiam aliquam non commiſſurum, ſi punitionem omiſerit. Fateor hanc doctrinam ab aliquibus eſſe edoctam, ſed nunquam exacta mihi fuit viſa, atque adeo maiorem illam argumenti, in qua docetur, ſatisfactionem ex iuſtitia, ſemper debitum ex iuſtitia ſupponere, ſemper veram exiſtimaui, atque adeo vbicunque ſatisfactio ex iuſtitia exhibita fuerit, aliquod ex iuſtitia debitum in aliquo repertum ſupponi debere iudico. Vnde conceſſa maiori, minorem nego. Ad probationem primam, Reſpondeo, quòd debitum aliquando in ipſo exercente actum iuſtitiæ ſupponitur, aliquando verò in alio; etenim in ipſa iuſtitia punitiua, datur debitum, veluti paſſiuum, de pœna ſubeunda in delinquente, & debitum, quaſi actiuum, in iudice inferiori, reſpectu pœnæ infligendæ, quia vt docetur communiter, inferior iudex non poteſt relinquere impunitum delictum, cuius eſt iudex. Et licèt ſupremus iudex poſſit punitionem omittere, tamen verum debitum puniendi contraxit; de quo poteſt diſponere ob altum eius dominium, exercendo aliquem actum miſericordiæ, vel charitatis. In aliis verò iuſtitiis, ſemper debitum ſupponitur, licèt non ſemper contrahatur ab eo, qui prædictum actum iuſtitiæ exequitur. Vt notatum relinquo ſuprà, vbi ex communi dixi in ſatisfactione reali poſſumus vnum pro alio ſatisfacere, etiamſi ille, qui ſoluit, nihil debeat, in noſtra verò lite, aſſero, quòd debitum ſatisfaciendi, tam in Chriſto, quàm in hominibus præſupponebatur. Ad primam huius probationem, quam ſubiiciebant, vt tale debitum hominibus negaretur, reſpondeo, homines verè eſſe debitores Dei, ratione peccati teſte *Matthæo. 6. c.* in oratione dominica, quando frequenter oramus *dimitte nobis debita noſtra*, &c. Vnde de fide eſſe cenſeo, homines per peccatum, verum debitum reſpectu Dei contrahere, neque debitum hoc imminuitur ex eo, quòd homini impoſſibilis extiterit ſatisfactio, quia impoſſibilitas ſatisfactionis, debitum non extinguit, quod optimè percipies, ſi notatum habeas, ex delicto duplex debitum oriri, Aliud, quod dici poteſt remotum, ipſum delictum ſubſequens. Aliud proximum, quod reſultat ex materia ſatisfactionis. Si enim ſurripuiſti 500. Et habes, vnde ſolutionem exhibeas, oritur in te debitum proximum, quo illa 500. Soluere proximè obſtringeris. Si verò apud te non adeſt, vnde ſolutionem præſtes, licèt proximum debitum ſolutionis non habeas, remotum tamen perſeuerat in te. Ex quo fit, quòd peccatum ex offenſa Dei in hominem deriuet ſemper debitum remotum ſatisfaciendi; etenim eo ipſo, quòd ius diuinum fregiſti, illud redintegrare teneris; at quia tibi non inſidet poteſtas ad redintegrationem iuris læſi ad æqualitatem præſtandam, proximum debitum de tali ſatisfactione exhibenda non deſcendit in te: verùm ex hoc à debito remoto minimè deobligaberis, quia propter illud æternis cruciatibus affligeris. Alias ſi ex defectu poſſibilitatis ad ſatisfaciẽdum, omne debitum euaneſceret, Deus iniuſtè peccatores ita acerbè puniret, cùm nihil deberent. Nec vitabis ſequelam dicens, Deum peccatorem caſtigare, quia cùm poſſet de peccatis conteri, id omiſit, non ſatisfacis, quia tametſi Deus illi denegaret auxilium ſufficiens, ad contritionem eliciendam de peccato à ſe commiſſo in pœnam illius, adhuc in infernum iuſtiſſimè illum detrudere poſſet; at tunc talis punitio non infligeretur à Deo, quia peccator contritionem omiſerat, etenim Deus optimè nouerat, ex negatione auxilij ſufficientis, homini illi fuiſſe impoſſibilem contritionem. Ergo dum æternis ærumnis à Domino quatitur homo, iuſtè procedit, cum eas & alias propter peccatum luere debebat. Igitur vt certum decerno, hominem per peccatum, debitum contrahere, & verum debitorem manere, hac enim de cauſa fuit inſtituta incarnatio, vt ſolueret hominis debitum, quod ſoluere non poterat homo.

Ad ſecundam probationem, qua intendebatur probare, hominem commiſſo peccato ſemper & pro ſemper peccare, quamdiu ſolutionem ſui debiti non exhiberet, ſuprà *ſect.* 12. reſponſum dedi. Ad illud vltimum, quo nitebatur Chriſtum tale debitum non habere, quia maius debitum ineſſe illi non poterat, quàm fuit, quod homines contraxerunt, dico, quod caſu dato, quòd homines non contraxiſſent debitum ex iuſtitia illa generali, de qua egimus ſuprà, adhuc Chriſtus ex vi pacti & conuentionis Fideiuſſoris, poterat habere debitum ex iuſtitia; nam Fideiuſſor, vt *tractatu de vſuris* latè, iuxta communem dedimus, obſtringitur alio titulo diuerſo, ab eo, quo principalis debitor obligatur. Atque adeo contingere poteſt, quòd principalis debitor non ſit ex iuſtitia obligatus, vt ſi aliquis promiſit aliquid loco pio, vel illa vouit, & alius conſtitutus eſt Fideiuſſor ad ſoluendum illud prædicto loco, tunc Fideiuſſor obligatus eſt ex iuſtitia ad illud reddendum ex vi pacti, & conuentionis Fideiuſſoris, & tamen principalis debitor ſolùm ex fidelitate, aut Religione ſoluere tenebatur. 305.

Vltimò obiicies Chriſti ſatisfactionem 306.

æqualiter ſe extendiſſe ad homines poſt ipſum venturos, ac ſe extenderat ad eos, qui ipſum præceſſerant, docetur ex *Apocalipſis* 13. vbi ob hanc cauſam dicitur Chriſtus *agnus occiſus ab origine mundi*, quia omnes ab exordio mundi nati, fructum incarnationis collegerunt. Et D. Auguſt. *lib.* 1. *de peccatorum meritis* c. 11. idem monet. Sed ſatisfactio Chriſti non potuit eſſe actus iuſtitiæ pro PP. illum præcedentibus. Ergo falſum huc vſque docuimus. Probant minorem. Primò quia, vt *ſectione prima* notauimus, vt aliqua ſatisfactio perſonalis ſit ex iuſtitia pro alio, deſideratur pactum, vel Fideiuſſoris conuentio. Atqui antequam exiſteret Chriſtus, pactum non poterat dari. Ergo, &c. Probo ſecundò minorem. Quia ſi Deus negaret gratias antiquis PP. nullam iniuriam irrogaret Chriſto. Ergo pro illis Chriſtus ex iuſtitia non ſatisfecit. Tertiò probatur minor. Quia ſi aliquo modo eſſet pro illis ſatisfactio ex iuſtitia, ideo eſſet, quia cùm eius meritum eſſet infinitum, continebat in ſe ſufficientem capacitatem, vt etiam præuiſum extenderetur ad obligandum Deum, vt conferret illis PP. gratiam intuitu meriti Chriſti futuri. Sed hæc ratio non eſt efficax, quia iuxta probabilem ſententiam, peccatum in ratione offenſæ eſt infinitum, & tamen eius infinitudo non extenditur ad hoc, vt propter hanc infinitam offenſam præuiſam, Deus poſſit iuſtè antecedenter punire aliquem; aliàs poſſemus dicere, Deum habere poteſtatem mittendi aliquem iuſtè in infernum, antequam peccatum committeret, ea ſolum ratione, quòd peccaturus eſt poſtea in inferno exiſtens. Ergo illa ratio non erat ſufficiens, vt ea innixi defendamus Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ex iuſtitia pro patribus eum antecedentibus.

307. Reſpondeo negans minorem. Ad primam probationem. Reſpondeo, quòd in ſententia plurium, quos valde probabiliter contrarij ſequuntur, meritum Chriſti præuiſum à Deo efficax fuit vt retrohaberetur, ita nos dicimus de pacto potiſſimùm, cùm ex parte Dei iam daretur promiſſio ad celebrandum pactum requiſita, & licèt, vt conſummaretur, deficiebat acceptatio Chriſti, tamen, vt præuiſa, etiam poterat eſſe ſufficiens ad perficiendam diuinam promiſſionem, taliter, quòd ſic nihil deficeret Chriſti ſatisfactioni, vt eſſet ea ſtricta iuſtitia, etiam pro PP. qui illum præceſſerant. Ad ſecundam probationem, omitto illud de iniuria à Deo irroganda PP. caſu quo illis gratiam denegaret, etenim vt ſuprà dedi, Deum præmia denegantem, ſuppoſita promiſſione, nullam poſſe inferre iniuriam, licèt in hypotheſi quòd denegaret, aliquid contra ius exequeretur. Verùm, vt hoc ipſum ſaluemus, ſufficere pactum illud præuiſum, ad hoc, vt Deus illis PP. denegando gratias, ſi non contra ius illorum, contra Chriſti ius ageret, defendamus.

Ad tertiam probationem. Quidquid ſit de infinitate peccati, diſparitatem reddo, cur merita Chriſti antequam ſint, retrotrahi poſſint, ad merendum gratias SS. PP. & peccatum nequeat retrotrahi, ad merendam pœnam collatam ante exiſtentiam peccati, etenim ſatisfactio Chriſti inuoluit, tamquam formam infinitam, Perſonam verbi, vt ſuprà enodauimus, quæ ab æterno exiſtens erat, propter quam ipſe Chriſtus dixit. *Antequam Abraham fieret ego ſum. Ioannes* 8. Chriſtum loqui de ſua diuinitate, quam etiam vt homo Chriſtus includebat ex parte ſuppoſiti, teſtatur D. Hieronymus, & S. Thom. ſuper illum locum; hac enim de cauſa Paulus dixit *ad Hebr.* 13. *Ieſus Chriſtus heri, hodie, ipſe & in ſecula*; cùm ergo forma illa dignificante ſatisfactio Chriſti, antecedenter ad omnes mortales exiſtentias, potiretur, intuitu eius poterat Deus SS. PP. actu conferre gratias propter ſatisfactionem Chriſti, quæ à tali forma iam actu exiſtente dignificanda erat. At verò peccatum, dato quòd eſſet infinitum, adhuc ſecundùm ſuam infinitatem, nihil includit, quod exiſtentiam habeat, antequam peccatum ipſum exiſtentiam ſortiatur. Ideoque non poteſt habere dignitatem ad pœnam conferendam, antequam peccatum ipſum exiſtentiam exercitam obtineat.

TRACTA

TRACTATVS SECVNDVS.
DE CAVSIS
MYSTERII INCARNATIONIS.

DISPVTATIO PRIMA.

De cauſa extrinſeca; ſeu de Motiuo, quo motus fuit Deus ad ſe incarnandum.

HVIVS controuerſiæ iudago, eſt vnum ex inſcrutabilibus diuini conſilij arcanis, cuius ſciſcitationem aggrederetur nemo, ne ſciolus, curioſuſque Maieſtatis ſcrutator, in tot abſtruſis tantæ Maieſtatis, præ altitudine, vndis opprimeretur, mergereturque; verùm cùm pelagus hoc tentarint DD. & PP. SS. feliciter vertere, auſpicante diuino Neptuno, ideo hoc ipſo freti, & illorum pediſſequi, hanc ſuſcipimus peragrare Prouinciam. Quærit controuerſia motiuum, quo inductus fuit Deus ad hoc myſterium prædeſtinandum. Noo enim eò deuoluenda eſt contentio, vt motiuum remotum, & finem vltimum illius perquiratur; certum enim apud omnes eſt, finem remotum, cuius gratiâ vltimatè Deus omnia ad extra operatur, eſſe ſuæ diuinæ gloriæ manifeſtationem; ſolùm enim huius contentionis ſubiectum, eſt finis, cauſa, vel motiuum proximum, inducens diuinam volnotatem ad decernendam verbi incarnationem. Nec enim de poſſibili motiuo quæritur, hoc enim nimis latum eſt, quodcumque enim Deo ſufficeret, ſi vellet; de facto enim tota eſt diſceptatio, & cùm hæc pendeat ex libera volũtate, inter tot motiua poſſibilia, vnum præ alio eligente, & hæc voluntas nequeat nobis innoteſcere, niſi media reuelatione, fit, quòd tota iſtius puncti reſolutio pendeat ex iis, quæ de hoc myſterio reuelata ſunt, aut quæ ex reuelatis probabiliter colligi valent.

Hanc controuerſiam hæc abſoluent dubia. Primum. Quodnam motiuum de facto habuerit Deus, ad decernendam incarnationem? Quod aliis verbis ſubit examen. An Adamo non peccante, Chriſtus veniret ex vi præſentis decreti? Quod idem eſt. Etenim oſtenſo motiuo optimè infertur, eo deficiente decretum deficere, & ita ex vi illius Chriſtus non veniret. Secundum. An poſteri Adami, in quos iuſtitia originalis, vel peccatum ex vi pacti erat transfundendum, poſt peccatum Adami commiſſum poſſent prædefiniri? Tertium. An Chriſtus fuerit prædefinitus propter peccatum Adæ, vt exiſtens tantùm in ipſo, vel contractum io poſteris; & an ſolùm propter originale, vel etiam propter actualia; & an his vel illis deficientibus, venitet? vltimum. Cum quo ordine decretorum præſeruatio M. SS ab originali, & eius debito, meliùs componi poſſit?

DVBIVM PRIMVM.

Quodnam motiuum de facto habuerit Deus, ad decernendam incarnationem.

IAm præmonui ſuprà, hoc dubium in re aliis verbis ab authoribus proponi, videlicet, an ſi Adamus non peccaret, Chriſtus veniret, aut non veniret? qui modus inquirendi non eſt ita aptus, ac quem præfiximus, ſiquidem eius reſolutio, vt latè videbimus infrà, pendet ex motiuo, quod Deum induxit ad incarnandum verbum. Ergo cùm tandem ſit deueniendum ad motiuum, ius ipſum petit, vt priùs motiuum ſubeat examen, quo dato reſolutio erit peruia de aduentu Chriſti, ſi Adam peccaret vel non peccaret. Relictis variis diſcurrendi modis, quos animus inquietus plurium, potiùs quam veritatis cupidus, ſcholis indidit, plauſibiliora referam, & quem eligendum, proponam.

SECTIO I.

Scotus refertur & Suarez.

PRæcipua lucta inter Scotum, & ſuos ex vna, & D. Thom. & ſuos ex alia parte verſatur. 1.
Scotum fideliter referam, & omnia argumenta, quibus innititur, iuxta primores eius diſcipulos afferam. Scotus ergo *in 3. diſt. 7. quæſt. 3. §. ſed dic, & diſtinct. 19. q. vnica. §. an iſta quæſt.* Expreſsè decernit, decretum, quo de facto Deus prædeſtinauit incarnationem quoad ſubſtantiam, non fuiſſe factam dependenter à redemptione generis humani à peccato originali, vt à motiuo, & fine; atque adeo in hypotheſi; quòd Adamus non peccaret, Chriſtus veniret ex vi præſentis decreti, vnde ait, Scotus, conſultò

conſultò dico, incarnationem quoad ſubſtantiam, nam loquendo de circunſtantia paſſibilitatis aliter diſcurrit, decernitque paſſionem Chriſti fuiſſe prædeſtinatam dependenter, vt à fine, à Redemptione generis humani, & lapſu originalis peccati, & ipſo præuiſo, atque adeo in hypotheſi, quòd nō peccaret Adamus, Chriſtus non veniret in carne paſſibili, nec mortali, & vt meliùs ſuam mentem expenderet Scotus. Quinque ſigna rationis in diuina præſcientia, & diuina voluntate, ſecundùm diuerſum ordinem eorum, quæ à Deo præuiſa, & ordinata ſunt, præfixit. Primum, in quo cognouit Deus ſe, & ſeipſum amauit. Secundum, in quo cognouit creaturas, ſecundùm earum entitates, quod non eſſe intelligendum de ſcientia viſionis aduertit, quia hæc præſupponit futuritionem creaturarum, quæ nulla eſt ante decretum liberum Dei, ſed de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ creaturas poſſibiles reſpicit. Tertium, in quo omnes electos prædeſtinauit, & inter hos, pŕimo loco Chriſtum, cùm hic eſſet primum prædeſtinatorum caput. In quarto præuidit lapſum primi hominis, & totius naturæ humanæ in ipſo. Et in quinto decreuit redimere genus humanum, & ad hoc ordinauit, vt Chriſtus, quem iam in tertio ſigno prædeſtinauerat quoad ſubſtantiam, veniret in carne paſſibili, ſicque per ſuam paſſionem & mortem, nos à peccato redimeret. Hanc ſententiam tuentur Alenſis 3. *part. quæſt.* 2. *membr.* 13. Albertus *in* 3. *diſtinct.* 20. *artic.* 4. Catherinus *opuſculo de eximia Chriſti prædeſtinatione*. Rupertus *lib.* 3. *de glorificatione trinitatis cap.* 19. Lichetus *in eiſdem locis* cum Scoto Mayronus *in* 3. *quæſt.* 4. *immediatè ante* 23 *diſtinctionem*. Fauentinus *in tertium diſt.* 7. *diſp.* 20. & quotquot diſcipuli Scoti nominantur.

2. Nec alienos iudico ab hac ſententia Authores illos, licèt diuerſis principiis innixos, docentes, Chriſtum Dominum prædeſtinatum fuiſſe, non ſolùm ante præuiſionem peccati Adami, & ante omnes Prædeſtinatos, ſed etiam antequam Deus decerneret producere omnes creaturas in eſſe naturali, quia ſibi vt firmum ſentiunt, Chriſtum Dominum, & eius incarnationem fuiſſe finem proximum prædeſtinationis rerum, ex quo deducunt, creaturam in eſſe naturali, & totam naturæ fabricam, factam fuiſſe propter prædeſtinatos, tanquam propter finem, eam verò, & prædeſtinatos omnes propter Chriſtum: Verùm quo in ſenſu authorum ſententia, aſſertis Scoti annuat, & quatenùs à puncto principali, quod præfixit præſenti difficultati, diſcordet, infrà dum ſequendum aſſertum ſcripſero, proponam. Argumenta, quibus mouetur Scotus, aptiorem locum agnoſcunt *loco citato*.

3. Pater Suarez *tertia parte diſputatione* 5. partim cum Scoto affirmat, adhuc peccato non interueniente, incarnandum fuiſſe verbum ex vi præſentis decreti, partim cum S. Thom. negat, peccato non intercedente, verbum incarnandum fuiſſe. Primum ſic explicat. Primum motiuum, quo viâ originis Deus ab æterno decreuit, ante vllum præuiſum peccatum ſeipſum hypoſtaticè communicare, fuit excellentia incarnationis, & alia bona ex ea conſecutura, independenter ab omni peccato. Ex hac ratione primâ viâ intentionis motus eſt Deus, ad permittendum peccatum in Adamo: quod præuiſum fuerat in priori ſigno rationis ante omne decretum, per ſcientiam conditionatam. Rationem autem huius permiſſionis ait, eſſe, quia Deus, in prædeſtinando hoc myſterio, habuit intentionem exequendi illud altiori modo, quo poterat, & quia altior modus illud exequendi erat, vt, permiſſo peccato, incarnatio ordinaretur in remedium peccati; ſic enim non ſolùm manifeſtatur increata bonitas, ac munificentia, in communicanda diuina Perſona, ſed etiam miſericordia, & iuſtitia, in ſubleuanda noſtra miſeria, oblata condigna ſatisfactione pro peccato. Permiſſo autem peccato, atque adeo præuiſo per ſcientiam abſolutam. Secundum motiuum, quo, ex occaſione peccati, decreuit Deus ſeipſum communicare in carne paſſibili, fuit humana redemptio, propter quam non ſolùm prædeſtinauit incarnationem, quoad modum paſſibilitatis, vt Scotus dicebat, ſed quoad ſubſtantiam ipſius myſterij, eo quòd quælibet ratio ſeorſim ſumpta, erat ſufficiens & adæquata ad prædeſtinandam ſubſtantiam myſterij, ſupponit enim poſſe quempiam duplici fine totali, & adæquato in ſuo genere, moueri ad effectum producendum. Præterea docet, in primo ſigno rationis, in quo prædeſtinatus fuerat Chriſtus, tantùm vt glorificator, & iuſtificator, prædeſtinatas fuiſſe omnes creaturas, quæ ad eſſentialem, & conſummatam perfectionem vniuerſi pertinent, tam in ordine naturæ, quàm gratiæ. Duobus enim modis poterat Deus velle Chriſtum. Vno modo, ſolitariè, & ſecundùm ſe, nullo alio obiectiuè cum eo volito in eodem rationis ſigno: alio modo, connexum cum creaturis in eodem ſigno rationis, volendo illum, vt caput, & Principem hominum, & Angelorum, tanquam potiſſimum medium ad manifeſtandam ſuam gloriam, ac proinde vt finem proximum omnium ſuorum operum ad extra. Hoc ſecundo modo voluit illum, quia hic redundat in maiorem dignitatem Chriſti.

Ex hac doctrina vocat in concordiam, & pacem Diuum Thomam & Scotum. Etenim ſi per ſcientiam conditionatam, antecedentem omne decretum, Adamus præuiſus fuiſſet in nulla occaſione peccaturus, quod impoſſibile non fuit, ſiquidem præuiſus fuit liberè peccaturus, ſequitur cum Scoto, ex vi præſentis decreti verbum fuiſſe incarnatum, nam adhuc ea conditione poſita maneret integra ratio finis, ob quam Deus ex vi præſentis decreti voluit incarnari, nempe ob perfectiſſimam communicationem ſuis creaturis; perfectiſſima autem communicatio Dei cum creaturis; in eo caſu fuiſſet incarnatio verbi in carne impaſſibili, quæ prior eſt, & independens ab omni peccato futuro, proinde eo etiam non præuiſo, futura fuiſſet incarnatio verbi, ex vi præſentis decreti, vt Scotus contendit; ſin autem ſtante tali ſcientia in Deo de peccato Adami conditionaliter futuro, 4.

nihilo

nihilominus noluiſſet Deus illud permittere; tunc cum S.Thom. ſequitur, ex vi præſentis decreti, Adamo non peccante verbum incarnatum non fuiſſe, non quòd tale decretum factum ſit poſt abſolutam ſcientiam peccati futuri, quo non exiſtente, ceſſaret vnicum motiuum incarnationis, quod erat remedium peccati; ſed quia, cùm ex vi primæ intentionis decreuerit Deus verbum incarnari perfectiſſimo modo, iuxta occurrentes circumſtantias, tunc fuiſſet, vt permiſſo peccato verbum incarnaretur, vt Redemptor, hoc ipſo quòd Deus peccatum non permiſiſſet, à poſteriori colligeretur, non habuiſſe Deum tale decretum, quod neceſſariam connexionem haberet cum permiſſione peccati, non tanquam cum vnico medio abſolutè, nam eo non præuiſo vt futuro, adhuc incarnatum fuiſſet verbum; ſed ex ſuppoſitione quòd eſſet præuiſum conditionate futurum; nam illud præuiſum & permiſſum præbuit occaſionem Deo, altiori modo ad extra ſe communicandi. Hæc eſt ſententia Suarij ex varijs eius locis decerpta.

Sectio II.

Impugnantur Scotus & Suarez.

5. SCotus & Suarez conueniunt in vno principali aſſerto, videlicet, peccato non intercedente, Chriſtum venturum fore ex vi præſentis decreti, ſaltem in carne impaſſibili; hacque de cauſa ſimul & ſemel impugnandos eſſe exiſtimaui, tametſi poſtea plura, quæ Suarius miſcuit, ſingulari occurſu indiguerint. Ratio eſt hæc, non ſtat Chriſti aduentus, adhuc in carne impaſſibili, cum negatione peccati. Ergo Chriſtus nullo modo ex vi præſentis decreti veniret, ſi Adam non peccaret. Antecedens probo. Non ſtat Chriſti aduentus, adhuc in carne impaſſibili cum negatione remedij peccati. Ergo non ſtat Chriſti aduentus, adhuc in carne impaſſibili, cum negatione peccati. Antecedens probo. Non ſtat decretum de aduentu Chriſti hîc & nunc, cum negatione remedij peccati. Ergo nec ipſe aduentus. Antecedens probo. Non ſtat decretum aliquod in Deo ſine aliquo ſpeciali motiuo, quod reſpiciat. Sed ſi ſtaret decretum de aduentu Chriſti hic & nunc, cum negatione remedij peccati, ſtaret hîc & nunc decretum Dei ſine motiuo, quod reſpiceret. Ergo non ſtat decretum de aduentu Chriſti, cum negatione remedij peccati. Probo minorem. Motiuum, quòd hîc & nunc induxit Deum vt decerneret aduentum Chriſti, fuit remedium peccati ſolum. Ergo ſi ſtaret decretum de aduentu Chriſti hîc & nunc, cum negatione remedij peccati, ſtaret hîc & nunc decretum Dei ſine motiuo, quod reſpiceret. Antecedens probo. Ea, quæ de hoc myſterio nobis reuelata ſunt, manifeſtè ducent, remedium peccati fuiſſe motiuum, quod reſpexit decretum incarnationis Ergo motiuum, quod hîc, & nunc induxit Deum vt decerneret aduentum Chriſti, fuit remedium peccati ſolum. Conſequentia patet, quia cùm myſterium hoc potuerit ex innumeris motiuis fieri, & ad diuerſos fines ordinari, non poteſt à nobis certò cognoſci, quonam, de facto, motiuo, ſiue re Deus motus fuerit ad illud prædeſtinandum, quàm ex his, quæ de hoc myſterio nobis reuelata ſunt. Antecedens conſtat, ex varijs ſcripturæ, & PP. teſtimonijs quorum aliqua motiuum incarnationis aſſignant ipſum remedium peccati, aliqua verò non ſolùm aſſignant remedium peccati, ſed omne aliud præterea motiuum excludunt, quarum aliqua referam.

Primum eſt ad *Epheſ. primo* vbi dicitur Chri- 6.
ſtus miſſus ad inſtauranda omnia, quæ in cœlis & in terra ſunt. Rurſum ad *Timot. 2. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Rurſum ad *Hebr. 2. quia ergo pueri communicarunt carni & ſanguini, & ipſe*, nempe Chriſtus, *ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium & liberaret eos; qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.* Ex quo loco Concilium Epheſinum colligit, cauſam incarnationis fuiſſe remedium peccati vt habetur *t. 1. Conc. parte 2. pag. 20.*

Hoc ipſum defendunt plures PP. Ex Græcis 7.
Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. theſauri, capite vltimo; ſciebat enim*, ait, *mortales non futuros propter peccata, ac ideo ex miſericordia ſua ante ſæcula conſtituit, vt verbum ſuum homo, & initium viarum, & fundamentum fieret, renouaretque hominem in ſeipſo factus primogenitus in multis fratribus.* S. Athanaſius *lib. 5. contra Arrianos, longè poſt medium*, reddens rationem, cur verbum initium viarum à Deo creatus dicatur, ait; *quoniam prima per Adam via & ianua perierat, & ex paradiſo ad mortem vergebamus; dictumque nobis fuit, terra es; & in terram ibis, ideo verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate induit creatam carnem, vt eam, quam mortalem reddiderat primus homo præuaricatione, ipſe proprio ſanguine ſui corporis viuificaret, & renouaret, nobis viam recentem, & viuam.* Id ipſum profitentur PP. Latini Auguſtinus *tractatu 36. in Ioannem, ante medium.* Gregorius *lib. 25. mor. cap. 6*, Hilarius *in Pſalm. 136. circa init.* Gelaſius Papa millies.

Sic omnibus authoritatibus. Primò reſpon- 8.
det Scotus, intelligendas eſſe de aduentu Chriſti in carne tantùm paſſibili, quia peccato non exiſtente non fuiſſet opus redemptione, per mortem & paſſionem conſummanda, ſed tantùm iuſtificatione, & glorificatione. Sed contra: nam plura, ex adductis, teſtimonia, negant Chriſtum venturum etiam in carne impaſſibili, peccato non interueniente, dum abſolutè negant, Deum carnem aut ſanguinem ſumpturum fuiſſe, peccato non intercedente; atqui etiamſi immortalis & impaſſibilis deſcendiſſet, carne & ſanguine debuiſſet conſtare. Ergo interpretatio hæc non cohæret teſtibus iſtis. Rurſum enim PP. negantes Chriſti aduentum, Adamo non peccante, abſolutè eum negare videntur. Ergo & negant Chriſti aduentum ſub vtraque carne, paſſibili ſcilicet, & impaſſibili. Conſequentia pa-

tet

tet ex negationis natura, cuius abſoluta prolatio negat rem, ſupra quam cadit, in omni ſtatu, quem ſubire poſſit; atque adeo ſi PP. quæſiti, an Chriſtus veniret Adamo non peccante, reſpondentes negatiuè, eſſent intelligendi de aduentu Chriſti in carne paſſibili, abſolutè negatiuè non reſponderent, ſed ſuæ negationi adderent reſtrictionem, nempe in carne paſſibili. Aliter cenſura poſſet non damnari ille, qui interrogatus de aduentu Chriſti reſponderet, abſolutè Chriſtum non veniſſe, ea videlicet ratione, quia verum eſt, ipſum in carne impaſſibili & immortali non veniſſe. Probo ſequelam. Etenim hæc propoſitio negatiua: Chriſtus non venit, poterat habere hunc ſenſum, non venit in carne impaſſibili, ſed hoc ſufficit, vt propoſitio negatiua poſſit habere bonum ſenſum iuxta ſolutionem hanc. Probo. Etenim non minùs abſolutè negatiuè reſpondent SS. quæſiti de aduentu Chriſti ſub hypotheſi, quòd Adam non peccaret, & hac negatione abſolutè prolata, interpretantur de aduentu Chriſti in carne paſſibili. Ergo ſimiliter ſiquis interrogaretur de aduentu Chriſti hic & nunc, & reſponderet abſolutè negatiuè, poſſet optimè intelligi de aduentu Chriſti in carne impaſſibili, & immortali. Sed hoc eſt abſurdum ea videlicet ratione, quòd abſoluta negationis prolatio deſtruit rem in omni ſtatu, quem ſubire poteſt. Ergo dum SS.PP. abſolutè negant Chriſti aduentum, in hypotheſi, quòd Adam non peccaret, non bene dicuntur intelligendi de aduentu Chriſti in carne paſſibili.

9. Nec refert, ſi cum Suarez ſecundò reſpondeas; in ſcripturis nunquam explicari cauſam intrinſecam, quia illa ſemper intelligitur volita cum ipſa ſubſtantia myſterij, ſed ſolas cauſas extrinſecas, quæ non neceſſariò ſunt connexæ cum ipſa productione rei; ſicut in ea nunquam explicatur finis vltimus, quæ eſt gloria Dei, quia illa ſemper intelligitur intenta cum ipſa productione. Hoc ipſum ponderat, quia ſicut in prædeſtinatione hominis ad gloriam, eſt duplex ratio, altera, quæ mouit Deum ad prædeſtinandam eam in intentione, quæ fuit bonitas ipſius gloriæ, altera, quæ ipſum mouet ad eam retribuendam in executione, quæ ſunt merita hominum; ita in Prædeſtinatione incarnationis, duplex quoque eſt ratio; altera, quæ Deum mouit ad eam prædeſtinandam in intentione, quæ fuit excellentia ipſius myſterij; altera, quæ ipſum mouit ad eam producendam in executione, atque hæc fuit remedium peccati. Sed in prædeſtinatione hominum ſcriptura nullam mentionem facit de primo motiuo, ſed tantùm de ſecundo, & tamen nemo negat, Deum in intentione gloriæ habuiſſe primum motiuum. Eſto ergo, ſcriptura nullam mentionē faciat de primo motiuo incarnationis, nemo tamen illud negare debet.

10. Non inquam refert ſolutio hæc, etenim quando motiuum eſt tale, vt non neceſſariò moueat diuinam voluntatem ad rem propter illud, vel quoad exercitium, vel quoad ſpecificationem, producēdam, exprimendum eſt, alioquin temerè aſſeritur. Sed dignitas incarnationis non neceſſariò mouet diuinam voluntatem, neque quoad exercitium, cùm ſit opus ad extra, neque quoad ſpecificationem, vt poſito, quòd illam decernat, neceſſariò debeat illam ſtatuere independenter à peccato, cùm in hoc nulla ſit neceſſitas. Ergo niſi reuelatione id conſtiterit, non poteſt ex ipſa productione myſterij certo conſtare. Illud autem de fine vltimo operum Dei, nempe gloria eius extrinſeca, nihil conuincit; quia hæc neceſſariò mouet diuinam voluntatem quoad ſpecificationem; cùm nihil poſſit Deus ad extra producere niſi propter ſeipſum; at non neceſſariò, ſi Deus producit myſterium incarnationis, debet illud producere independenter à peccato. Nec huic ſolutioni iuuat eius ponderatio; etenim qui aſſirmant, alio motiuo prædeſtinaſſe Deum homines ad gloriam, quoad intentionem, & alio, quoad executionem. Simul affirmant, vt lariſſimè deduximus *tr. 5. de prædeſt. diſp. 2. dub.* 1. hoc duplex motiuum colligi ex ſcriptura & PP. ex quibus non colligitur hoc duplex motiuum in prædeſtinatione Chriſti, alterum, ſcilicet in intentione, independens à peccato, alterum, in executione, à peccato dependens.

Nec refert ſi iterum cum Suar. reſpondeas, his authoritatibus à nobis adductis, ſolùm probari, non veniſſe Chriſtum ex vi præſentis decreti, poſita ſcientia de peccato ſub conditione futuro; nam ſi adhuc illud præuiſum Deus non permiſiſſet, non potuiſſet habere decretū, quod habuit de incarnando Chriſto, optimo atque altiſſimo modo; non autem probari, non fuiſſe venturum, nullo præuiſo peccato, quia tunc maneret decretum de incarnando Chriſto. Non inquam refert, quia ſolutio hæc imprimis PP. obuiat, qui, vt oſtendant charitatem Dei erga nos, aiunt, Deum, vt peccatum auelleret miſiſſe filium ſuum, cōtrarium tuetur Suar. Deum permiſiſſe peccatum, vt filium ſuum mitteret. Sed quia hæc ſolutio inſinuat aliquid ex his quæ dixi ſuprà impugnatione ſpeciali contra Suar. indigere, ideo amplius eam ſimul cum illis impugnandam ſuſcipio. 11.

Quæ ergo in modo dicēdi Suar. mihi ſemper diſplicuerunt, iam ſubiicio. Imprimis Suar. ſeipſū hoc in loco funditus euertit. Etenim hic ſatis vrgenti calamo impugnat ſententiam aſſerentem, poſſe Chriſtum ante præuiſum peccatum abſolutè exiſtens prædefiniri Redēptorem, necnon ſententiam illorum aſſerentium, Deum intendere pœnitentiā ante præuiſionem abſolutam peccati, ea ſolū ratione motus, quia. Si Deus, ante præuiſionem peccati exiſtentis, iſta efficaciter intēderet, virtualiter ſaltem præamaret peccatum, quod neceſſariò ad redemptionem, & pœnitentiā requiritur; intentio enim finis, verba ſunt Suarij, eſt intentio mediorum, ſine quibus finis nequit obtineri. Sed hoc ipſum ſequitur irrefragabiliter ex ſententia Suarij. Ergo eadem obiectione ſeipſum redarguit. Probo minorem. Ipſe ait, Deum præuiſo peccato ſolùm ſub conditione futuro, decernere Chriſtum, vt redemptorem, atque adeo obligari ad exequendam incarnationem media redemptione. Ergo obligatur ad exequendam redemptionem ante præuiſionem abſolutam exiſtentiæ peccati. Sed hoc eſt velle virtualiter ipſum peccatum, ſine quo redemptio, 12.

quæ

quæ eſt finis, fieri non poteſt. Ergo vnum è duobus. Vel Deus poteſt velle ante exiſtentiam peccati Chriſtum vt Redemptorem, & intendere pœnitentiam, quin exinde teneatur velle peccatum. Vel ſi non poteſt, nec poterit velle ipſam redemptionem, vt in executione ponendam, ante exiſtentiam abſolutam peccati, quin illud virtualiter præintenderit. Si primum, deſiſtet ab impugnatione in Thomiſtas. Si ſecundum, admiſſo primo, ſeipſum eodem argumento vincetur.

13. Rurſum, etenim vt ſuum modum dicendi iaceret, ſupponit doctrinam parum firmam; aiebat ergo aptiorem & meliorem modum incarnationem exequendi, eſſe media redemptione. Peto ab illo vnde hoc ſciuerit, nonne aptiorem modum exequendi illam recenſebit præſeruationem à peccatis? potiſſimè cùm ipſe iuxta clementiorem ſententiam docentem, M. SS. immunem à peccato originali fuiſſe, defendat, eam ex meritis Chriſti, vt Redemptoris, tali priuilegio viguiſſe, necnon conferens hominum redemptionem cum ea, qua virgo adfuit redempta, aſſerit, eſſe excellentiorem virginis redemptionem, quia eam à culpa præſeruauit immunem; ergo ſimiliter hic tenetur fateri, aptiorem modum exequendi Deum incarnationem, non debere cenſeri redemptionem, quæ contingit, cùm adeſſet Deo modus alius incarnationis exequutiuus aptior, videlicet per modum præſeruationis à peccatis. Rurſum quamuis Suario concedamus, Deum decreuiſſe executionem incarnationis meliori modo, & hunc eſſe redemptionem à peccatis, adhuc non ſequitur, Deum teneri permittere peccatum, quod ſub conditione præſcierat; quia vt ille melior modus ſaluaretur, ſufficeret, incarnationem exequi eo modo, qui ſecundùm occaſionum occurſum eſſet melior, abſque eo, quòd teneretur ipſe Adamum condere in ea rerum periſtaſi, in qua per ſcientiam conditionatam præuiſus fuit peccaturus.

Sectio III.

Caietanus, Vaſquez, Valentia, & Cabrera impugnantur.

14. Caietanus, *hic quæſt. 1. art. 2. §. ad euidentiam eorum*, quem plures ſequuntur, poſtquam impugnauit id, quod Scotus, tanquam fundamentum ſuæ ſententiæ ſtatuit, nempe Chriſtum Dominum fuiſſe prædeſtinatum ante præuiſum peccatum Adami, quia hoc admiſſo, ait, euidenter colligi incarnationem prædeſtinatam fuiſſe independenter à redemptione hominum ab originali, & conſequenter ex vi præſentis decreti futuram eſſe incarnationem, etiamſi Adamus non peccaret. Verùm ne abſolutè negaret Chriſtum fuiſſe primum prædeſtinatum, & cauſam finalem, & exemplum noſtræ prædeſtinationis, quia ſe pararet contrarium diuo Thomæ vt infrà videbimus, alium modum architectatus eſt tribus ordinibus abſolutum, quibus hæc omnia componere fuit ratus. Primus ordo, eſt naturæ, ſecundus, gratiæ, tertius, vnionis hypoſtaticæ. In primo ſigno docet præfinitum eſſe ordinem naturæ, in ſecundo, gratiæ, in tertio, vnionis hypoſtaticæ; etenim ſicut natura ſupponitur ad gratiam, & vtraque ad hypoſtaticam vnionem, ita in diuino decreto, aſſerit, eumdem ordinem ſeruandum eſſe, & quia in primo ordine, non ſolùm ſunt res naturales, ſed earum defectus, vt monſtra, ægritudines, errores, peccata; hæc enim partim ad ordinem naturæ ſpectant, quatenus peccatum à ſola natura proficiſcitur. Partim ad ordinem gratiæ, quatenus peccatum aduerſatur illi, ideo defectus & peccata ſupponuntur præuiſa, tum in primo, tum in ſecundo ſigno, in quorum remedium prædeſtinatus eſt Chriſtus in tertio ſigno, aliàs non prædeſtinandus, ſi peccatum præuiſum non fuiſſet,

15. Sed hic modus dicendi, nec aſſequitur finem, pro quo eſt constructus, nec verus eſt. Inprimis licèt Caietanus per hunc ordinem rerum, ponendo ſcilicet in primo ſigno ordinem naturæ, & in tertio ordinem hypoſtaticum, optimè ſaluet præuiſionem peccati præceſſiſſe prædeſtinationem incarnationis; tamen, dum in tali ſerie ponit ordinem gratiæ in ſecundo ſigno (ad quem reducitur prædeſtinatio electorum ad gloriam & gratiam) & in tertio, hypoſtaticam vnionem, non poteſt ſaluare id, quod componere conabatur, nempe Chriſtum fuiſſe primum prædeſtinatum, & noſtræ prædeſtinationis cauſam atque adeo in hoc aliquid contra PP. teſtimonia, ſuprà & infrà proponenda, docentia Chriſti prædeſtinationem eſſe cauſam finalem noſtræ profitetur.

16. Rurſum talem modum verum non eſſe, facilè ſuadeo, quia licèt reipſa, natura ſupponatur ad gratiam, hoc eſt in executione, & vtraque ſimiliter re ipſa ſupponatur ad vnionem hypoſtaticam, non tamen eſt neceſſe, vt eodem modo ſupponatur in diuino decreto, in quo non ſemper ſeruant res eamdem prioritatem, & poſterioritatem, quam in ſe ipſis, dum exequuntur, obtinent, ſed quam ex intentione Dei ſortiuntur, qui non ſemel res ſupernaturales intendit vt finem; naturales vt media. Hoc enim non inutilibus inſtantiis contra Caietanum vrgeo. Mors prædeſtinatorum, naturale quid eſt, & tamen, in ſententia Caietani, præſcientia illius non præcedit in Deo electionem eorumdem ad gloriam, quin potiùs in illius ſententia, vt vidimus *tractatu de prædeſtinatione* mors ipſa, ſaltem cum circunſtantiis, eſt effectus illius prædeſtinationis, & electionis. Rurſum peccatum crucifigentium Chriſtum, in ſententia Caietani, ad ordinem naturæ ſpectat. Quis autem dixit vnquam, priùs illud peccatum, Deum præuidiſſe, quàm Chriſtum prædeſtinaſſet? alia ſuppetebant ex tractatu de prædeſtinatione, quæ in conditione noſtri modi tuendi adducam, vbi argumento Caietani efficaciter ſatisfaciam.

17. Vaſquez plures Thomiſtas ſequutus *diſp. 11. cap. 5.* defendit, Chriſtum Dominum non fuiſſe prædeſtinatum ante præuiſionem peccati originalis, ſed poſt præuiſionem illius, & dependenter ab eius redemptione, vt à fine & motiuo, neque aliter defendi poſſe ſententiam diui Thomæ, ſcilicet, quòd ſi Adam non peccaret,

Chriſtus non veniret ex vi præſentis decreti, verùm vt cum hoc componeret Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum primum, & conſequenter cauſam finalem, & exemplarem prædeſtinationis noſtræ, coactus fuit affirmare, noſtram prædeſtinationem non fuiſſe factam ante præuiſionem peccati Adami, ſed poſt illius præuiſionem. Vnde hunc ordinem ſignorum conſtruxit. Primò Deus decreuit condere hominem ſanctum, & iuſtum, qui poſſet, ſi vellet, ſuis meritis gloriam conſequi. Secundò illum permiſit in peccatum labi, non eo fine, vt illum redimeret, eiuſque redemptione ſuam gloriam optimo modo manifeſtaret, ſed alio. Tertiò, permiſſo peccato, Deus permanſit in ſimplici voluntate circa ſalutem hominum, ad quem finem, optimum medium elegit per condignam ſatisfactionem. Quartò decreuit mittere filium ſuum in carne paſſibili, qui ſuis meritis ſalutem nobis & gratiam impetraret, in quo ſigno decreuit efficaci voluntate, dare quibuſdam efficacem gratiam, aliis ſufficientem ex meritis Chriſti præuiſis, cùm autem nonniſi ſimplici voluntate gratiam, & gloriam nobis deſiderauerit Iuxta quam doctrinæ ſeriem, finis cuius gratia incarnationis fuit humana redemptio; finis verò, cui, homo lapſus, non Chriſtus. Etenim ideo verbum carnem aſſumpſit, vt hominem redimeret, non contra, ideo redemptio facta eſt, vt Chriſtus incarnaretur: gloria verò Chriſti accidentalis, eiuſque nominis exaltatio fuit finis, cuius gratia noſtræ redemptionis, non quidem motiuus, ſed impulſiuus, quia fuit occaſionatus ex ipſa redemptione noſtra. Vnde omnes authoritates SS. quibus commendatur Chriſtus tanquam primus prædeſtinatus, primum caput, exemplar, & finis prædeſtinationis noſtræ, interpretatur non de prioritate cauſalitatis, ſed dignitatis, vel de Chriſto, vt Deo, vt autem cum hoc componeret, omnem noſtram prædeſtinationem, factam eſſe ex meritis Chriſti, ſuppoſuit, nullum hominem ante præuiſum peccatum fuiſſe prædeſtinatum, ſed omnem prædeſtinationem hominis, etiam Adami, factam fuiſſe poſt prædeſtinationem Chriſti. Hæc Vaſquez.

18. Vt hic modus dicendi aptiùs impugnetur priùs à Vaſquio ſcire conor, an gratia illa, quæ data eſt Adamo ante lapſum non ſolùm ſibi, ſed etiam vt in nos illam transfunderet, in hypotheſi, quòd non comederet ex prohibita arbore, cuius prædeſtinationis, aut voluntatis extiterit effectus? Reſpondet, non fuiſſe effectum prædeſtinationis, ſed cuiuſdam voluntatis, quam Theologi antecedentem appellant, quæ non eſt voluntas efficax, & infallibilis, ſed voluntas quædam generalis, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & conferre illis media ad ſalutem apta, quibus ſi velint ſaluari poſſint, & ſi nolint, condemnari poſſint, quæ communis eſt reprobis, & prædeſtinatis. Sic reſpondet Vaſquez, & licèt conſona ſuis dictis, omnino falſa exiſtimaui ſemper. Etenim negari non debet, gratiam collatam Adamo in ſtatu innocentiæ, & ante lapſum, fuiſſe effectum prædeſtinationis ſeu electionis eius ad gloriam; quia prædicta gratia fuit cauſa meritorum, quæ in ſtatu innocentiæ obtinuit Adamus, intuitu quorum, gloriam aliquam de facto eſt conſequutus. Atqui omnis gratia, & meritum, quæ efficaciter vitam æternam conſequuntur homines, eſt effectus prædeſtinationis, ſeu electionis efficacis ad gloriam. Ergo gratia illa, quæ data eſt Adamo ante lapſum, non poteſt eſſe effectus illius voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri.

19. Nec refert, ſi reſpondeas cum Vaſquio, ſcilicet gloriam, quæ correſpondet in cœlo gratiæ & meritis, quæ habuit Adamus in ſtatu innocentiæ, non correſpondere illis, vt primò collatis, ſed vt per pœnitentiam reuiuiſcentibus, & ideo impugnatio noſtra ſolùm conuincit gratiam, & merita Adami, quæ habuit in ſtatu innocentiæ, eſſe prædeſtinationis effectum, non vt collata ſunt in ſtatu innocentiæ, ſed vt poſtea mortificata fuerunt per lapſum, per pœnitentiam Adæ reuiuiſcunt. Non inquam refert; etenim gloria non fuit de facto collata Adamo ſolùm iuxta menſuram contritionis, per quam merita priùs mortificata reuiuiſcunt, quin imo data fuit ſecundùm totam latitudinem præcedentium meritorum, & gratiæ. Ergo meritis & gratiæ, vt ante peccatum primò collatis, reſpondet gloria in primo parente, & conſequenter eius gratia, & merita, vt primò collata, ſunt in ſtatu innocentiæ effectus voluntatis prædeſtinantis. Hocque ſic explico *ex tractatu de prædeſtinatione, diſput. 2. dub. 3.* merita mortificata primi parentis per lapſum in peccatum, reuiuiſcunt per pœnitentiam duntaxat, vt per conditionem, ſine qua gloria in præmium illorum non conferretur, non verò tanquam per rationem formalem, ex qua meritorum valor depromatur. Ergo formalis ratio, propter quam illis correſpondet gloria, non eſt pœnitentia, per quam reuiuiſcere dicuntur, ſed ipſorum valor & dignitas, qua in prima ſui collatione prædicta merita viguerunt. Ergo, vt primò collata, fuerunt effectus voluntatis efficacis prædeſtinantis. Sed de his vberiorem notitiam præadducto loco contra Vaſquium præſtiti. Ex quibus omnibus iuxta placita Vaſquij licebit colligere, ſubtrahendam eſſe à cauſalitate Chriſti, non ſolùm meritoria, ſed etiam finali, & exemplari, gratiam illam, quæ collata eſt, primis parentibus in ſtatu innocentiæ, quod licèt à Vaſquio ingenuè concedatur, tanquam falſum ſit ex alibi dictis, & dicendis infrà conſtare videtur, eo vel maximè, quòd iuxta PP. aſſerta congruentius ſit, & Chriſti dignitati, cuncta ſupernaturalia dona hominibus collata, ſubdi cauſalitati Chriſti, tanquam ſupremæ cauſæ finali.

20. Valentia *3. part. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 7.* quem plures ſequuntur inter quos Cabrera *diſput. 1. §. 24.* ſic hæc omnia conciliare præſumuot; aiunt enim Chriſtum fuiſſe priùs prædeſtinatum in genere cauſæ finalis, dependenter tamen à peccato præuiſo ſcientia viſionis in genere cauſæ materialis. Vnde in eodem ſigno rationis, Deus voluit Chriſtum, vt finem rerum omnium, & ſimul voluit illum in remedium peccati in eodem ſigno præuiſi ſcientia viſionis. Ex quo fit, quòd ſi peccatum non fuiſſet, Verbum non incarnaretur, quia ita eſt volita incarnatio vt finis, vt in eodem ſigno ſit

voli

volita connexa cum remedio peccati, poteſt autem aliquid eſſe priùs alio, & neceſſariò connexum cum illo, vt pater eſt prior filio, neceſſariò tamen connexus cum illo, & finis eſt prior vnico medio, neceſſariò tamen connexus cum illo.

21. Sed hic modus dicendi rem difficilem ſua explicatione difficillorem conſtruit; etenim cognitio peccati abſolutè futuri requiritur in hac doctrina, ad hoc, vt diuina voluntas eligat incarnationem, vt medium ad peccati deletionem. Ergo non poteſt ſupponere efficax decretum de incarnatione, atqui in hac ſententia talis cognitio peccati futuri ſupponit efficax decretum de incarnatione, quia ſupponit Adamum efficaciter volitum cum gratia, & iuſtitia originali, dependenter à Chriſto præintento vt fine, igitur non poteſt eſſe regula ad tale decretum faciendum. Antecedens conſtat, quia in hoc dicendi modo, incarnatio eſt prædeſtinata in remedium peccati, vt præuiſi ſcientia viſionis abſolutè futuri. Conſequentiam probo; quia regula non poteſt ſupponere ſuum regulatum, igitur ſi cognitio peccati abſolutè futuri, eſt regula ad decernendam incarnationem, non poteſt ſupponere illam decretam. Nec data diſtinctio ſatisfacit, nempe quòd ſupponat illam decretam in ratione finis, & ſupponatur ad illam in ratione cauſæ materialis, quia ſub quacunque ratione illam ſupponat vt decretam, ſemper ſupponit illam decretam dependenter à ſua regula, igitur præuiſio peccati abſolutè futuri, ſub nullo genere cauſæ, poteſt in hac ſententia ſupponere incarnationem efficaciter decretam.

Sectio IV.

Prima concluſio ſententiæ ſequendæ.

22. IN hac re decerno primò. Chriſtus Dominus fuit efficaciter prædefinitus ante peccatum abſolutè præuiſum. Hanc concluſionem ſic prolatam tenent innumeri vtriuſque familiæ patroni, variis PP. teſtimoniis fulciti. Noſtra intereſt aliqua recenſere, & ponderare, libros leges, & plura alia apud illos reperies. Accedat primo loco illud *prouerbiorum* 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Vbi ſeptuaginta vertunt, *Dominus me creauit initium viarum ſuarum.* Quem locum interpretantur de increata ſapientia Athanaſius *libro* 5. *contra Arrianos, magis verſus finem.* Baſilius *libro* 4. *contra Eunomium circa finem.* Cirillus *libro* 5. *theſauri capite* 8. Hieronymus *in hunc locum.* Auguſtinus 1. *de trinitate, capite* 11. & alij, qui, dum Arriani eo loco vtebantur ad probandum, Filium Dei eſſe creaturam; PP. citati illum explicabant de natura aſſumpta, idque colligebant ex ipſis verbis, *quia non dixit*, ait Hieronymus, *Pater; ſed Dominus creauit me, quia caro*, vt ait S. D. *Deum cognoſcit, creatura Dominum confitetur. Via autem Domini ſunt opera Dei*, vt PP. citati admonent, ſunt enim quaſi quædam veſtigia, quæ ad ipſius notitiam conducunt; eſt ergo Chriſtus quoad naturam humanam creatus initium viarum ſeu operum Domini, non in tempore, vt de ſe conſtat: ergo in æterno decreto Dei, in quo electus fuit ante omnem creaturam; atque adeo ante omne præuiſum peccatum.

23. Huc accedit illud *ad Rom.* 8. *& ad Coloſſenſes prime.* vbi dicitur Chriſtus *primogenitus omnis creaturæ*, quodque de Chriſto, vt homine, intelligit Concilium Epheſinum *p.* 1. *cap.* 3. *& p.* 13. *cap.* 17. Athanaſius & Cirillus ſuprà citati. Anſelmus *in* 1. *cap. ad Coloſſenſes.* Diuus Thomas 3. *part. quæſt.* 4. *art.* 5. *nam Chriſtus, vt Deus, non dicitur primogenitus, ſed vnigenitus* vt Concilium & Patres prænotarunt, & ex verbis Pauli conſpicuè conſtat. *vt ſit*, inquit *ipſe primogenitus in multis fratribus*; etenim vt gloſſa exponit, *ſecundum id, quòd vnigenitus eſt, fratres non habet, ſecundum id autem, quòd primogenitus eſt, fratres dignatus eſt, vocare omnes, qui per eius primatum in eius gratia remanſerunt.* Ratio verò, cur Chriſtus cenſeatur primogenitus omnis creaturæ, redditur à Paulo *citato loco ad Coloſſenſes. quoniam*, inquit, *in ipſo condita ſunt vniuerſa, & omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput Eccleſiæ, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Quod cùm nequeat intelligi de prioritate temporis, de prioritate rationis, quam in æterno Dei decreto obtinuit, intelligendum venit. Quodque valde illud *pſ.* 8. protegit, *conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* quæ de Chriſto interpretantur Diuus Auguſtinus, diuus Hieronimus & gloſſa, vt non ſolùm intelligantur de poteſtate, quam in tempore accepit, ſed de prioritate, qua in prædeſtinatione diuina viguit, vt diui Pauli phraſi annuamus *vt* ſcilicet *ſit ipſe in omnibus primatum tenens.* & vt Ambroſius *in primum caput ad Coloſſenſes* dixit, *ſit ſemper in omni vita primus & princeps.*

24. Non me latet varia effugia quæſiuiſſe contrarios, quibus iſtarum authoritatum vim attemperarent. Alij aſſerunt, Chriſtum dici initium omnis creaturæ, ordine dignitatis, & perfectionis, eſt enim cunctis operibus Dei perfectius & excellentius & cum, in quolibet rerum ordine, imperfectius reſpiciat perfectius, tanquam ſui menſuram, & finem; hac de cauſa Chriſtus, reſpectu creaturarum menſura, & illarum finis à SS. PP. recenſetur. Alij autem ſic interpretationem dictis teſtimoniis exhibent; dicitur enim Chriſtus finis tantùm ſecundùm quid, quatenus omnia creata, antecedenter in ordine naturæ, & gratiæ ſancita, fuerunt per Chriſtum meliorata, & reparata.

25. Sed hæ interpretationes multum de excellentia Chriſti demere videntur, quod larga manu PP. redemptori noſtro præſtiterunt. Imprimis SS. PP. ſine reſtrictione aliqua, abſolutè Chriſtum dominum finem, caput, viam, initium omnium creaturarum à Deo prædefinitum euulgarunt, vt vidimus. Ergo nedum quia omnibus creaturis perfectior, ſed quia abſolutè tanquam finis illarum præintentus eſt à prædeſtinationis decreto. Aliter enim quod perfectius eſt in vno genere, cauſa cæterorum iudicatur, ac Chriſtus dicitur finis omnium creaturarum, illud autem ſine influxu aliquo in imperfectiora, de perfectiori verificari poteſt; hoc

autem ſine vera & propria cauſalitate nequit ſaluari. Aliter enim ſe gerit caput ad membra, in linea hominem conſtituendi, ac idem homo in linea animalis, reſpectu brutorum. Caput enim, non quia perfectius membris, ſed quia tale perfectius, menſura illorum recenſetur, quatenus exinde ad omnia membra, eius influxus deſcendit: homo verò menſura cæterorum, in genere animalis, à pluribus Philoſophis enunciatur, quia illis perfectior, non quia in illa, media cauſalitate influere dicatur: ideo magis propriè dicitur caput, menſura membrorum, reſpectu hominis conſtituendi, quam homo animalium menſura, in genere animalis. Sed Chriſtus dicitur à SS. PP. abſolutè prædefinitus caput, & finis omnium creaturarum. Ergo non ſunt interpretandi de fine, menſuraue ſecundùm quid, quam vnumquodque perfectius in vna linea dicitur menſura cæterorum, ſed de fine ſtrictiſſimè ſumpto, cuius gratiâ cætera ſint volita. Rurſum ſic eſſe interpretandos SS. PP. ſic coniectare libet. Non aliter ſunt intelligendi PP. de Chriſto, dum dicunt, illum eſſe finem creaturarum, ac dum profitentur de Deo, illum eſſe finem Chriſti. Sed dum aſſerunt, Deum eſſe Chriſti finem, intelliguntur de fine ſtrictè accepto. Ergo ſimiliter dum aiunt, Chriſtum eſſe prædeſtinatum, vt finem creaturarum, interpretandi ſunt de fine ſimpliciter accepto. Maiorem oſtendo ex illo Pauli *1. ad Corinth. 3. omnia*, inquit, *veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quæ ſic pondero; hîc tres fines ſtatuit Paulus reſpectu diuerſorum. Nos enim appellamur finis eorum, quæ noſtra eſſe dicuntur, quatenus ea propter nos condita ſunt à Deo, & Chriſtus appellatur noſter finis, & Deus Chriſti. Sed eo modo nos dicimur Chriſti, ac Chriſtus dicitur Dei. Ergo ſi abſolutè & ſine reſtrictione dicitur Deus Chriſti finis, etiam eſt ipſe Chriſtus appellandus finis maximè proprius noſtri.

26. Nec illa ſecunda interpretatio textibus adductis conſonat, nec dignitati Chriſti conſulit. Vtrumque ſimul & ſemel oſtendo. Etenim Chriſtum eſſe finem, quia nos ſemel conditos & lapſos, reparauit, & vt aiunt, meliorauit, eſt voluntaria finis acceptatio, & Chriſti excellentiam minuit, vt intortam interpretationem inducat. Paulus enim eo modo, & verborum ſerie condit Chriſtum finem noſtrum, ac Deum ſtatuit finem Chriſti. Sed conditio Chriſti, quoad primum ſui eſſe, fuit propter Deum. Ergo & creaturæ omnes, quoad earum primum eſſe, fuerunt etiam propter Chriſtum. Potiſſimùm, cùm hac ratione, non ſolùm modus reparationis ſcilicet, ſed illarum ſubſtantia, diceretur effectus ipſius Chriſti, quod abſque dubio dignitatem capitis vniuerſaliſſimi Chriſti maximè prædicat.

27. Eamdem concluſionem roborat doctrina, quam *tractatu de prædeſtinatione, diſputatione 3. dubio 2. numero* 3. attuli. vbi iuxta PP. & D. Th. ſtatim citandum ſanciui. Prædeſtinationem hominum, & Angelorum, ad gloriam fuiſſe ex meritis Chriſti Domini iam prædefiniri. Sed talis prædeſtinatio ſaltem reſpectu Angelorum, & primorum Parentum fuit ante peccatum abſolutè præuiſum. Ergo Chriſtus fuit abſolutè & efficaciter prædefinitus ante præuiſionem abſolutam peccati. Conſequentia benè infertur, maiorem dicto loco latiſſimè oſtendi, & ex ibi allatis ſolùm vnam vel alteram authoritatem depromam. Sanctus Gregorius *libro 1. Regum, capite 2.* circa illa verba: *nullus eſt agnus extra te*, inquit, ſubauditur, *ſanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum ſanctus eſt, niſi per Chriſtum.* quæ verba intelligit, nedum de Chriſto, vt Deo, ſed de eodem, vt homine, vt videre eſt apud eumdem doctorem ſanctum in aliis verbis ſtatim ſuccedentibus. Eamdem maiorem docet expreſsè ſanctus Thom. *ſuper illud Ioannis primò, de plenitudine eius nos omnes accepimus.* vbi hæc habet, ſcilicet *omnes Apoſtoli. Patriarchæ, Prophetæ, iuſti qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli*, & pauco verborum interſtitio ait, *quia plenitudo gloriæ, quæ eſt in Chriſto eſt cauſa omnium gratiarum quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Ergo prædeſtinatio hominum, & Angelorum, ad gloriam, fuit ex meritis Chriſti iam prædefinita. Nunc minor illa, nempe, prædeſtinatio primorum parentum, & Angelorum, fuit ante peccatum Adæ abſolutè præuiſum, eſt nunc probanda, quam ſic oſtendo. Etenim gratia prima, in ſtatu innocentiæ collata Adæ, & Angelis, in ſtatu viæ, fuit effectus eorum prædeſtinationis, ſed talis gratia fuit illis collata, ante præuiſionem peccati abſolutè futuri. Ergo prædeſtinatio Angelorum, & primorum parentum, fuit ante præuiſionem peccati abſolutè futuri. Singulas propoſitiones ſuo ordine breuiter percurram. Maiorem probo. Etenim illi gratiæ primo parenti in ſtatu innocentiæ collatæ (de gratia verò Angelis collata nulli dubium) conuenit definitio effectus prædeſtinationis, ſcilicet hîc & nunc, & cum effectu conducere ad conſecutionem æternæ beatitudinis, quod de gratia Adami, vt primò collata verificari, dedi citato loco, & ſtatim ſubiiciam. Nunc minor facilis eſt, quia talis gratia, prout data ex vi huius prouidentiæ exiſtentis, etiam in hypotheſi quòd non peccaret Adam, perſeueraret, quia vt apud omnes eſt doctrina conſtans, & dubio ſecundo videbimus, & in decurſu, huius talis gratiæ perſeuerantia fuit ipſi Adamo promiſſa in hypotheſi, quòd in peccatum non laberetur. Ergo ſi hæc gratia perſeueraret, caſu, quo Adam non peccaret, certum erit in prædicto caſu, nullo modo talem gratiam defecturam, qua in via exornati, fuerunt Angeli. Iam primæ conſequentiæ illatio eſt peruia. quia omnis prædeſtinationis effectus eſſentialiter ſupponit ipſam prædeſtinationem: atque adeo ſi ſemel concedatur, quòd aliquis effectus prædeſtinationis detur, ante præuiſionem abſolutam peccati, à fortiori concedenda eſt ipſa prædeſtinatio ante præuiſionem abſolutam talis peccati.

Plura huic rationi obiecerunt aduerſarij 28.
tractatu de prædeſtinatione, potiſſimum illorum occurſum tradam hîc, aſſerunt ergo iuxta doctrinam allatam ex Vaſquio & ſuprà *ſectione tertia, numero decimo ſexto*, impugnatam. Quòd ſcilicet gratia illa, vt primò collata Adæ in ſtatu innocentiæ, non fuit effectus prædeſtinationis ad gloriam ſed vt, poſtea reparata. Etenim vt eſſet effectus illius, vt primò

collata, ſic deberet influere in ipſam beatitudinem, cùm ergo conſtet, ipſam gratiam, vt primò datam, nullo modo influxiſſe in gloriam; ſed vt recuperatam per ſecundam iuſtificationem, quæ ſucceſſit peccato, fit exinde, prædictam gratiam, vt primò collatam Adæ, non fuiſſe effectum prædeſtinationis, ſed ſolùm præciſè vt reſtitutam per ſecundam iuſtificationem.

29. Sed contra; etenim merita, quæ per ſecundam iuſtificationem reuiuiſcunt, in ſententia Vaſquij, ſunt effectus prædeſtinationis Adæ. Sed eadem merita, vt primò data, ſunt illius prædeſtinationis effectus. Ergo aliquod opus elicitum ab Adamo in ſtatu innocentiæ, etiam prout in tali ſtatu elicitum, eſt effectus prædeſtinationis Adæ. Minorem probo, ille eſt effectus prædeſtinationis pro omni ſtatu, qui pro omni ſtatu influit in beatitudinem. Sed merita ab Adamo facta, in ſtatu innocentiæ influunt, prout ſunt in illo, in beatitudinem. Ergo merita ab Adamo facta, vt primò in ſtatu innocentiæ facta, ſunt effectus prædeſtinationis illius. Minorem probo. Etenim ideo merita Adami, vt recuperata per iuſtificationem, in ſententia Vaſquij, influunt in beatitudinem, quia ſunt meritoria. Sed eadem opera, vt primò in ſtatu innocentiæ facta, erant de condigno meritoria. Ergo prout primò facta in ſtatu innocentiæ, ſunt effectus prædeſtinationis. Minorem probo, quia iuſtificatio, qua media hîc & nunc recuperantur, non dat illis valorem ad merendum, illum tamen independenter ab illa, tanquam à ratione formali præhabent, atque adeo talis iuſtificatio ſolùm eſt ablatio impedimenti, nempe peccati, vi cuius hîc & nunc præmium, quod exigebant, non conſequebantur. Ergo ex ſe meritoria erant.

30. Antecedens expendit doctrina, quam dicto loco prædeſtinationis latiſſimè dedi. Vbi duas conditiones apposui, vt aliqua opera in exercitio dicantur in beatitudinem influere. Prima quòd ſint honeſta ſupernaturalia, quibus gratia & gloria ſint debitæ in præmium; ſecunda, quòd impedita per peccatum non ſint. Hoc enim exemplo phyſico explicueram; etenim, vt ignis hîc & nunc producat ignem, requirit duo. Primum, quòd vim & virtutem ſufficientem obtineat. Secundum, quòd à paſſo non diſtet. Vnde dum ignem facit, talis effectus virtuti correſpondet, & approximationi, tanquam conditioni. Nunc ad rem, Adamus gratiam obtinuit in ſtatu innocentiæ, qua plura egregia opera, Deo valde grata elicuit, quibus correſpondebat augmentum gratiæ & gloriæ. Peccauit Adam, & poſuit obicem, ne talia præmia obtineret. Poſtea pœnitentia iuſtificatus eſt, apud omnes eſt certum, quod ex vi iuſtificationis huius, præmium illud quod impediuit peccatum, aliàs illis operibus in ſtatu innocentiæ productis debitum, correſpondet illis ratione valoris eorumdem, quem ante peccatum habebant; fateor, quòd ſi Adam non iuſtificaretur, poſtquam deliquit, illud præmium non obtinerent, hoc tamen ſolùm eſt in cauſa, vt ipſi iuſtificationi attribuatur influxus meritorum in tale præmium, tanquam conditioni remouenti impedimentum ſcilicet peccatum. Hoc ſuppoſito, probo antecedens, illa opera de facto influere in beatitudinem dependenter à iuſtificatione, non tollit quòd illa, vt primò ellicita in ſtatu innocentiæ, ſint effectus prædeſtinationis Adæ. Ergo, vt primò elicita in ſtatu innocentiæ, ſunt effectus prædeſtinationis Adæ. Antecedens probo à paritate, contra Vaſquez latè *citato loco* ponderata; in ſenteutia Vaſquez iuſtificatio, qua Adamus mundatus fuit à peccato, & per aliud peccatum interrupta non fuit, eſt effectus prædeſtinationis Adæ; atqui hæc ſecunda iuſtificatio influit in beatitudinem, depenter à perſeuerantia in gratia vſque ad finem vitæ. Ergo quòd opera ſupernaturalia in ſtatu innocentiæ ab Adamo elicita, & per peccatum interrupta, non influxerint in beatitudinem, niſi dependenter à iuſtificatione poſtea ab Adamo habita, non tollit ab illis, quòd ſint effectus prædeſtinationis Adæ, etiam vt ab illo primò producta. Conſequentiam probo, ideo ſecunda iuſtificatio, etſi à prædicta perſeuerantia pendeat, eſt effectus prædeſtinationis, quia poſita ſemel dicta perſeuerantia correſpondet illi gloria, vt cauſæ poſitiuæ meritoriæ influenti in gloriám ipſam. Ergo licèt illa merita ab Adamo in ſtatu innocentiæ elicita, & poſtea per peccatum interrupta, eguerint iuſtificatione, vt de facto in beatitudinem influerent, quia tamen, illa iuſtificatione ſemel poſita, prædicta beatitudo correſpondet illis, tanquam cauſæ meritoriæ poſitiuè in ipſam influenti, erunt effectus prædeſtinationis ipſius Adæ. Tunc ſic. Ergo Chriſtus abſolutè & efficaciter fuit prædefinitus ante præuiſionem abſolutam peccati Adæ. Probo ex dictis clarè conſequentiam, etenim ſi gratia data Adamo in ſtatu innocentiæ, fuit ante peccatum abſolutè præuiſum, & rurſum hæc gratia illi conceſſa fuit ex meritis Chriſti futuris (aliàs ſi futura non eſſent, pro illo ſigno minimè ſufficerent mouere voluntatem diuinam, vt intuitu illorum prædictam gratiam conferret Adamo, vt conſtat catholicè apud omnes) fit, quòd Chriſtus fuerit prædefinitus ante præuiſionem peccati Adæ.

Pro coronide accedant loca diui Thomæ noſtram concluſionem probantia. *in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 2. & in additione ad 3. p. quæſt. 91. art. 2.* & de potentia, *quæſt. 5. art. 5. & 4. contra g. cap. vlt.* vbi expreſsè docet, *totum hunc mundum fuiſſe à Deo propter prædeſtinatos, & potiſſimùm propter Chriſtum, & hoc fundamento protectus, deducit omnem ordinem generationum, & corruptionum, & omnia entia vniuerſi ceſſatura eſſe poſt diem iudicij, exceptis hominibus, & Angelis, & his, quæ ad conſeruationem ſtatus hominum in æternitate conducunt. Quoniam mundus factus eſt propter prædeſtinatos, & ideo impleto prædeſtinatorum numero, ceſſabit quantùm ad omnia, quæ prædeſtinatis amplius vtilia non erunt, idem Sanctus. q. 24. art. 3. & 4.* ait, *Chriſtum eſſe cauſam finalem prædeſtinationis noſtræ*, finis verò ſemper eſt prior, &c. Ruſum *q. 8. art. 3.* ait Chriſtum Dominum *fuiſſe caput Angelorum, etiam ſecundùm influxum*, loquitur enim de influxu gratiæ, & gloriæ. Ergo ſentit ante omnes fuiſſe in intentione prædeſtinatum. 31.

Sectio V.

Secunda concluſio ſententiæ ſequendæ.

32. DEcerno ſecundò, Chriſtus Dominus ex vi decreti, quo prædefinitus eſt caput, & finis omnium creaturarum, prædiffinitus eſt dependenter à peccato futuro. Hanc concluſionem tenent omnes, qui contra Scotum tuentur, Chriſtum ex vi præſentis decreti venturum non fore, ſi Adamus non peccaret. Verùm multiplex adeſt via, qua præfata reſolutio defendi poſſit, pluribus tamen omiſſis vtpote ſpinoſis valde, vnam eligam, quam ſic explicandam accipio. Decretum enim illud, quo decreuit voluntas Dei Chriſtum ante præuiſionem abſolutam peccati, terminabatur ad ipſum, vt redemptorem peccati. Verùm dupliciter poteſt intelligi, Chriſtum eſſe primò, vt redemptorem, prædefinitum. Primò quaſi in actu ſecundo, eo modo, quo cum diſcipulis D.Th. *tr. de prædeſt.diſp.* 1.*dub.* 2, dedimus, ſcilicet, potuiſſe Deum intendere pœnitentiam ante peccatum abſolutè præuiſum. Secundò, ita vt non in actu ſecundo, ſed quaſi in actu primo, id eſt, vt poſſit redimere, & vt in exercitio redimeret peccata, ſi eſſent. Nunc autem concluſionem præfixam tutaturi ſumus, defendentes, decretum illud, quo Chriſtus prædefinitus eſt dependenter à peccato abſolutè futuro, terminari ad ipſum, vt redemptorem in actu ſecundo. Defenſuri poſtea eamdem cum decreto terminato ad Chriſtum, vt redemptorem in actu primo.

33. Hæc reſolutio paucis poſitiuè probabitur, eius tamen veritas potiùs ab eius explicatione, & à fundamentis negatiuis dependet. Igitur generaliter es notaturus ex his, quæ, tum *tr. de volunt.diſp.* 3.*dub.* 1. *& tr. de prædeſt.diſp.* 3.*dub. vlt.* aduertimus ex communi contra Ochamum *in prim. diſt.* 9.*q.* 3. *ad finem*, & Grabrielem *in* 3. *diſt.* 2.*q. vnica art.* 3. *dub.* 3. *in fine.* diſtingui in Deo, cum fundamento in re, aliqua ſigna rationis prioris & poſterioris, quæ partim concipiuntur in actibus diuinis, partim in obiectis terminantibus actu. In actibus vnus alio concipitur prior, quando in creaturis vnus ex natura ſua præcedit alium realiter, vt quia in nobis cognitio volitionem ex genere ſuo præponitur, in Deo cognitio concipitur volitionem præcedens. Hacque ratione *tr. de ſcientia Dei, diſp.* 4.*dub. vnic.* decreui adhuc inter diuinas cognitiones, licèt prioritas & poſterioritas obiectiua & virtualis, qualem inter illas, & Dei volitiones reperiri notaui, non inueniatur, tamen prioritatem & poſterioritatem noſtro modo concipiendi ſolùm innixam inueniri, cum communi ſtabiliui. Vt cognitio, qua Deus ſe conſtituens cognoſcit, prior eſt cognitione ſimplicis intelligentiæ, qua poſſibilia percipit, & his poſterior cognitio futura attingens.

34. In obiectis verò vnum concipitur alio prius, quando vnum reipſa eſt alterius cauſa, ſiue id illi ex natura rei, aut ex intentione diuina competat. Vnde quando ex natura rei, aliquid eſt alterius cauſa, priùs ratione noſtra concipitur terminare ſcientiam Dei id, quod eſt cauſa, quàm quòd illius effectus eſt. Sic enim priùs ratione noſtra concipitur terminare actum ſcientiæ Dei natura, quàm propria eius paſſio, ſubſtantia, quàm accidens, ratio; quia ſcientia Dei, ſi eſt neceſſaria, & ſimplicis intelligentiæ, exprimit res cum ea cauſalitate, & dependentia, quam habent in ſe. Ergo ſi vna eſt prior alia ſua cauſalitate, priùs etiam ratione concipitur exprimi per ſcientiam Dei. Ex intentione verò Dei vna eſt alia prior, quando vna intenditur, vt finis, alia vt medium; ſemper enim quod intenditur vt finis, concipitur priùs terminare actum voluntatis, quàm quod eligitur vt medium, quia licèt actus voluntatis diuinæ non habeat cauſam, vt ſit, poteſt tamen habere cauſam, vt terminetur, vt in ſententia probabili, etiam apud nobiliores Thomiſtas, teſte Salmanticenſi Collegio infrà citando, demerita præuiſa ſunt cauſa, cur Deus voluntate efficaci decernat expulſionem à gloria per modum pœnæ reprobis, & vniuerſaliter quilibet finis intêtus, eſt Deo ratio volendi media, ſic autem non dicitur vnum prius alio aut cauſa alterius, quia reipſa & ex natura rei ſit illo priùs, & finis, vt dedimus *tract. de prædeſt. infrà citando*, vbi ſubſtantiam ipſam prædeſtinati ex natura rei priorem gloria in ea recipienda ex intentione Dei ipſa gloria poſteriorem legimus. Nec ſic priùs alio, aut cauſa alterius dicitur, quia, ex natura rei eſt illo nobilius, aut alterius cauſa, nam poteſt Deus intendere vt finem, quod ignobilius eſt, & ordinare vt medium ad illud, quod nobilitate illi præeminet, necnon velle cauſam, vt medium, & effectum vt finem. Vnde hac ratione illud dicetur prius, quod à Deo intenditur vt finis, illud autem poſterius, quod eligitur, vt medium ad talem finem adipiſcendum. His præmiſſis.

Sic rem componere libet. Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ omnia poſſibilia penetrans, inter alia cognouit mundum, quem de facto condidit, ſimiliter præcognouit, quid ſingulæ creaturæ, his vel illis auxiliis præuentæ, pro ſua libertate poſſent operari, inter quas præuidit Adamum potentem peccare; imo & infallibiliter pro ſua fragilitate peccaturum, ſi prædiffiniretur ad materiale peccati; præcognouit etiam, quid poſſet contingere, ſi permiſſo peccato in Adamo, & eius poſteris, prædiffiniret vnigenitum eius, in eius remedium, nempe quàm ingens inde ſibi, & filio ſuo gloria promanare poſſit. His igitur à Deo per ſimplicem notitiam præcognitis, efficaciter decreuit hunc mundum condere, ſub hac rerum periſtaſi, ſub qua illum præuiderat ſcientia ſimplicis intelligentiæ: in hoc enim ſigno voluit hæc omnia per modum vnius adæquati, & totalis obiecti, cum mutua dependentia, & connexione inter ſe, Chriſtum tanquam Redemptorem, vt finem, cauſam meritoriam, & exemplarem priorem Adamo & cæteris. Adamum verò, cum virtuali præuiſione peccati ipſius abſolutè futuri, priorem in genere cauſæ materialis, dependenter à quo prædeſtinatus eſt Chriſtus finis, & caput ipſius, cæterorumque prædeſtinatorum, quod qua ratione componi poſſit. 35.

Sic declaro; etenim præeunte ſcientia illa ſimplicis intelligentiæ, potuit Deus in ſecundo ſigno rationis hoc decretum habere: volo 36.

Chriſtum

Chriſtum vt exaltandum & glorificandum media redemptione & iuſtificatione hominum, tanquam medio aptiſſimo, & non aliter; Adamum verò, reliquoſque homines redimendos, & iuſtificandos, vt medium ad Chriſti exaltationem, & glorificationem. Rurſus volo incarnationem Verbi, vt medium ad redemptionem,& iuſtificationem hominum; redemptionem verò, & iuſtificationem, vt finem incarnationis, & medium ad hominum glorificationem; omnia tandem, vt conuenientiſſimum medium ad Chriſti, vt redemptoris, exaltationem, dependenter tamen à peccato Adami, præuiſo in eodem ſigno rationis, virtualiter futuro in ipſo decreto efficaci. Etenim cùm Deus præſciuerit ſcientia ſimplicis intelligentiæ connexionem obiectiuam, repertam inter munia redemptoris, & peccati redimendi, eo ipſo, quòd efficaciter decreuerit Deus velle Chriſtum Redemptorem, virtualiter in illo decreto videt initiatiuè futurum Adami peccatum redimendum, & quia non repugnat, Deum velle in eodem ſigno rationis Adamum, vt priorem, in genere cauſæ materialis, Chriſto exaltando & glorificando, media iuſtificatione hominum, & redemptione, Chriſtum verò, vt exaltandum, & glorificandum, in genere cauſæ finalis meritoriæ & exemplaris, priorem Adamo, & reliquis, tam Angelis, quàm hominibus, ideo potuit Chriſtus in diuina prædeſtinatione, eſſe primus omnium in genere cauſæ finalis meritoriæ, & exmplaris, & non niſi dependenter à peccato.

37. Hunc modum dicendi colligo ex aſſertis acutiſſimi Vincentij *q.6. pag.*628. & 641. vbi agnouit mutuam cauſalitatem inter ordinem naturæ, & gratiam ex vna parte, & ordinem hypoſtaticum ex alia. In genere ergo cauſæ finalis priùs antecedit ordo hypoſtaticus, qui eſt Chriſtus Dominus primogenitus omnis creaturæ, per quem & propter quem, in intentione omnia condita ſunt: tamen in genere cauſæ materialis, antecedit ordo naturæ & gratiæ, & ſic etiam antecedit peccatum in ipſo ordine contentum. Hunc, vt probabilem quoad eius partem, ſequitur Nacarius *hic folio* 112. Sed totum illum ante ipſos edocuit Ferrarienſis *4. contra g. cap. 55. §. ad confirmationem*, vbi docet, gloriam Chriſti eſſe priorem in genere cauſæ finalis gloria & ſalute omnium, incarnationem verò eſſe poſteriorem ſalute, quia propter hominum ſalutem operata eſt. Vnde iuxta Ferraram gloria & exaltatio Chriſti, eſt finis noſtræ redemptionis, redemptio autem & ſalus noſtra, incarnationis finis, incarnatio verò eſt ad vtramque medium, proximè quidem ad redemptionem, & ſalutem noſtram, remotè, verò ad Chriſti gloriam, & exaltationem, volitam tamen dependenter à peccato præuiſo, tantùm virtualiter ſeu initiatiuè futuro, in ipſo decreto, decernente Chriſtum, vt Redemptorem, tanquam finem, & caput Adami & poſterorum. Huc accedit Molina *1. parte, quæſt.* 23. *art.* 4. & 5. *diſp.* 1. *membro* 7. & 8. licèt ordinem decretorum ſcientiæ mediæ ſuffragio parum vtiliter perfuderit.

38. Verumenimuerò licèt hic modus dicendi maximæ probabilitatis ſit, clarioribus periodis abſque mutua hac prioritate inter Chriſtum & peccatum adſtruere decreui. Sic rem euenisse coniecto. Suppoſita ſcientia ſimplicis intelligentiæ in primo ſigno ſuprà expoſita *num.* 33. accedit ſecundum ſignum, in quo intendit Deus Chriſtum Redemptorem in actu ſecundo, tanquam finem, caput, exemplar & cauſam meritoriam omnium condendorum. In tertio ſigno præintendit totum ordinem gratiæ & gloriæ. In quarto, naturæ. Sicque finitur intentionis ordo; & exinde ordo executionis incedit, & quia quæ ſunt in intentione priora, in executione poſteriora ſunt; ideo in primo executionis ſigno decreuit machinam mundi architectari, Adamum creare, donis naturalibus inſtruere; in ſecundo, gratiæ auxiliis munire, cum illo paciſci, in ipſo conſeruandam fore gratiam, & poſteris communicandam, ſi de arbore prohibita non comederet, ſin minùs, gratiam ſibi & poſteris ſuis perditurum, in tertio, peccatum Adæ permiſit; & in quarto, filium quem præintenderat in primo intentionis ſigno redemptorem, in cuius gratiam cætera omnia præintendit, & in executione decreuit, efficaciter miſit.

In hoc modo dicendi; ſtructura decretorum ſolùm ingerere difficultatem poteſt, quæ ex duobus potiſſimùm oriri valet, vel ex impoſſibilitate decreti intentiui Chriſti, vt Redemptoris, in primo ſigno, ante præuiſionem abſolutam peccati. Vel dato, quòd Chriſtus ſit ita prædefinitus, quomodo cum hoc cohæreat, Chriſtum non eſſe venturum ſi Adam non peccaret. Verùm iſta firmitatem noſtræ decretorum ſtructuræ minimè expugnant. Et omiſſa prima difficultate, quam latè infrà dum argumentis RR. occurram, deuincam. Nunc tantùm de ſecunda inſtituendus eſt ſermo. Dico ergo optimè cohærere cum decreto illo primo intentiuo Chriſti, vt Redemptoris, ante præuiſionem abſolutam peccati, hunc nullo modo ex vi præſentis decreti venturum, ſi Adam non peccaret. Ratio eſt, vt mihi videtur efficax. Etenim decretum illud intentiuum terminatur ad ſuum obiectum, obiectiuè eſſentialiter connexum cum peccato Adami. Ergo cum hoc, quod eſt illud non ſupponere præuiſionem formalem, & abſolutam peccati, compatitur tale decretum minimè exequendum, niſi tale peccatum in executione extiterit. Antecedens eſt euidens iuxta noſtra aſſerta; quia decretum illud terminabatur in ordine intentionis ad Chriſtum, non abſolutè, ſed vt redemptorem. Sed Chriſtus, vt Redemptor, connectitur obiectiuè eſſentialiter cum peccato. Ergo decretum illud intentiuum Chriſti, terminatur ad ſuum obiectum, obiectiuè eſſentialiter connexum cum peccato. Maior eſt noſtra doctrina ſuprà firmata, minor eſt clara, & ſimul explicatione probatur, quia vbi non erat peccatum, redemptio eſſe non poterat, atque adeo non poterat Chriſtus prædefiniri redemptor, ſi peccatum futurum non eſſet. Eſt enim optima illatio. Chriſtus eſt prædefinitus vt redemptor. Ergo de facto erit redemptor. Erit redemptor, ergo erit peccatum, à quo hominem redimat, non minorem connexionem habet redemptio cum peccato obiectiuè, ac illam etiam obie- 39.

ctiuè habeat pœnitentia; vt de ſe patet. Ecce minor probata. Ergo cum hoc, quod eſt decretum illud Chriſti intentiuum, non ſupponere præuiſionem formalem, & abſolutam peccati, compatitur tale decretum minimè exequendum, niſi tale peccatum in executione extiterit, ſicut hoc ipſum, de decreto intentiuo pœnitentiæ, latiſſimè cum omnibus diſcipulis D. Th. edocuimus *tract. de prædeſt. diſp. 1. dub. vnico.* Ergo deficiente peccato minimè eſſet Chriſtus prædefinitus Redemptor, atque adeo non eſſet prædefinitus ex vi decreti, quo de facto fuit prædefinitus. Ergo ex vi illius non exiſteret. Denique ergo erit verum dicere. Chriſtus non veniret ex vi huius decreti, ſi peccatum non eſſet, quod principaliter eſt in hac dubitatione ab authoribus controuerſum.

40. Declaratur hoc amplius, & oſtenditur exemplo communiter apud Thomiſtas heroes recepto, prædeſtinationem Chriſti, factam fuiſſe ante præuiſionem peccati, & tamen Chriſtum non fuiſſe venturum, non exiſtente peccato, quia facta eſt dependens; tum in ordine intentionis à peccato virtualiter ſimul viſo, & in executione formaliter priùs præuiſo. Exemplum igitur eſt doctrina *tract. de prædeſt. diſp. 1. dub. 1.* communiſſima apud diſcipulos D. Th. Prædeſtinauit igitur Deus homines ad gloriam, non propter opera neque ex operibus, non tamen ſine operibus; atque adeo licèt intentio prædeſtinandi ad gloriam, fuerit prior quàm decretum operum, & fuerit ante præuiſa merita, præuiſione formali, tamen quia fuerunt ſimul virtualiter viſa in decreto efficaci gloriæ per modum coronæ, & non aliter exequenda quàm per opera, ideo eſt verum, Petrum non fore ſaluandum ex vi præſentis decreti, niſi bona opera egerit. Rurſum prædeſtinat Deus hominem dependenter ab orationibus alterius, quamuis enim intentio prædeſtinandi, non fuerit poſt præuiſas orationes, neque ex ipſis tanquam ex cauſa, vel ratione, ſed quia hæc intentio non alio modo, quam mediis iis orationibus decreta eſt fieri, ideo eſt verum dicere, Paulum v.g. non fuiſſe ſaluandum, niſi Stephanus pro eo oraret. Hæc enim exempla ex D. Th. *loco cit.* adducta rem hanc apertam conſtituunt. Etenim quamuis prædeſtinatio Chriſti facta fuerit ante præuiſionem formalem peccati in ordine intentionis, tamen quia ſimul videtur, ſaltem virtualiter, in ipſo decreto efficaci Chriſti vt Redemptoris intentiuo, vi cuius decernitur Chriſti executio dependenter ab ipſo peccato, ideo erit verum, quòd ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus venturus non eſſet: atque adeo ſimul cohærebit, Chriſtum eſſe prædeſtinatum ante decretum permittendi peccatum, & ante decretum producendi quamcunque creaturam, & tamen Chriſtum non venturum, niſi creaturæ producerentur, & niſi Adam peccaſſet.

41. Argumenta quæ in hanc concluſionem, & eius modum dicendi militant, *infrà ſectione ſeptima* proponam, quia ſimul ea, quæ ſequenti ſectione ſum ſtabiliturus, impugnant.

Sectio VI.

Eadem concluſio aliâ viâ proponitur.

Sectione antecedenti ſanciui, Chriſtum Dominum prædefinitum ante præuiſum peccatum, ideo dependenter à peccato prædiffinitum fuiſſe, quia decretum, quo illum prædeſtinauit Deus in intentione, terminabatur ad Chriſtum, vt Redemptorem, in actu ſecundo. Nunc autem diſcurſuri ſumus, an poſſit Deus Chriſtum in primo ſigno prædefinire Redemptorem in actu primo ante præuiſum peccatum, hoc eſt vt Redemptorem, vt non deficiat remedium peccato, ſi forte contingat, ſeu in remedium peccati, ſi ſit? & caſu dato, an cum hoc decreto ſtet, Chriſtum non venturum, ſi Adamus non peccaret? 42.

Quoad primum punctum, de poſſibilitate ſcilicet decreti huius, aduerto, dupliciter poſſe illud conſiderari directum, vel à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcitur peccatum poſſe contingere, vel poteſt eſſe directum ſcientia conditionata, qua cognoſcitur peccatum eſſe futurum, ſi producatur homo. Exemplum in vtraque ſcientia pono. Etenim poſſet Deus tantum ductus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua cognouit Adamum poſſe peccare, nolle illum creare ſine Redemptore, qui poſſet illum à peccato commiſſo liberare, & in hoc caſu ſiue Adamus peccaret, ſiue non peccaret, eſſet Chriſtus productus, quia nolebat Deus Adamum, potentem peccare, producere ſine redemptione peccati, ſeu ſine remedio, quo poſſet ſanari peccati morbus, caſu, quo Adamus in illum laberetur, & illi diſplicebat exiſtentia Adami ſine exiſtentia Chriſti. Hoc enim declarat id, quod apud nos non ſemel compertum eſt. Cogitat enim quis Romam petere, verùm certò non ſcit, an Prædones illum ſint impetituri, necne, quia tamen cognoſcit id eſſe poſſibile, & contingens, ſecum fert arma defenſiua, & familiares validos, vt ſi prædones illum aggrediantur, ab illis ſe tueatur incolumem, in hoc enim caſu de homine hoc eſſet verùm dicere, arma ſecum ferre, & ſocios connocaſſe in remedium iniuſtę latronum inuaſionis, non talem talem aggreſſionem intendere, nec ad illam permittendam obligari; quia poterit ipſe, etiam ſuppoſita voluntate ferendi hæc omnia, in propriam ſui tutelam, non ſolùm intendere defenſionem iuſtam, ſed fugam inuaſionis iniuſtæ à prædonibus factæ, & vitam quærere, quam iudicet minùs obnoxiam ſociorum occurſui. Rurſum de homine hoc, poſtquam illum armis & amicis ſufultum impetiiſſent latrones, verificari poſſet, quòd etiamſi prædones non occurriſſent, armis & amicis munitus iter ſuum arripuiſſet, quia ad hoc tantùm fuit directus ſcientia, qua inuaſionem contingentem, & merè poſſibilem cognouit. 43.

Alio verò modo poſſet Deus Chriſtum prædiffinire ſimul cum Adamo, regulatus ſcientia conditionata ſeu media, qua cognoſcebat, Adamum eſſe peccaturum, ſi crearetur, quia illi diſplicebat exiſtentia Adami peccaturi, ex ſuppoſitione, quòd produceretur ſine peccati remedio; 44.

medio; non verò diſplicebat illi diſplicentia Adami, ex eadem ſuppoſitione peccaturi cum remedio, ſeu cum Chriſto Redemptore, in hoc enim caſu eſſet hæc vera, quòd Chriſtus non prædefiniretur, ſi Adamus peccaturus non eſſet, quandoquidem ex ſcientia huius obiecti motus eſt Deus, ad illum prædefiniendum, quapropter poſtquam peccauit homo, verum eſſet dicere. Si Adamus non peccaſſet, Chriſtus non veniſſet. Nec Adamus ſine Chriſto eſſet productus, quia exiſtentia Adami ſub conditione peccaturi Deo diſplicebat, & ab ea producenda retrahebatur Deus propter peccatum imminens, quod certò ſciebat eſſe futurum, ſi crearetur Adamus, malum autem iſtud Deus permittere voluit, quia erat cum remedio coniunctum, & quia erat reparabile ſi cum Adamo Chriſtus decerneretur. Hoc enim explicari poteſt in eodem homine iter romanum aggrediente; qui Deo reuelante, vel alio modo cognoſceret, prædones illum inuaſuros, ſi viam aſſumeret, & ex hac ſcientia moueretur ad arma ſecum ferenda, & ſocios conuocandos in defenſionem iuſtam, quod non faceret, ſi notitiam illam conditionatam, de latronum inuaſione non habuiſſet. De hoc enim homine verificaretur, arma minimè arrepturum, ſi latrones illum non eſſent impetituri, quia, vt ſupponimus, ſcientia illa conditionali de prædonum inuaſione fuit motus, ad defenſionem armorum & ſociorum ſuſcipiendam. Vnde poſtquam arma tuliſſet, & amicos aggregaſſet, latroneſque illum inuaſiſſent, verificaretur, ſi latrones non inuaderent, homo ille prædicta arma ſecum non ferret, nec amicis aſſociatus viam tenuiſſet, quia ſi non inuaſiſſent, deficeret conditionata ſcientia, qua motus eſt ad defenſionem armorum, & amicorum parandam, & ſcientia deficiente deficeret voluntatis actus, quo hanc defenſionem procurauit. Rurſum poſſet de eodem dici, defenſionem paraſſe, vt cùm latrones illum inuaderent, ab illis ſe defenderet, quia licèt non cognouerit inuaſionem abſolutè futuram, illam tamen futuram ſub conditione cognouit, quam ille purificat actu, quo decernit viam aggredi armis, & amicis protectus; hæc autem ſcientia conditionata, reſpectu purificantis conditionem, æquiualet abſolutæ; in hac ergo præparatio armorum, & amicorum, dependet ab inuaſione ſub conditione futura, & præuiſa, & intentio efficax iter agendi, ab actu, quo talem defenſionem præparat, quia ſine hac defenſione nollet iter agere perterritus periculò incidĕdi in latrones.

45. Sic ergo duobus modis poteſt hæc via perluſtrari, qui licèt aliquas patiantur difficultates communes, à quibus ſecundo modo, facilè expediatur, tamen illi acquieſcere non poſſum, vtpote innixo ſcientiæ mediæ, quam minimè concedendam fore *tract. de ſcientia Dei, diſp. 3. dub. 2.* cum communi Thomiſtarum collegio ſtabiliuimus; quapropter ſolùm examini tradam primum modum; videlicet, an poſſibile ſit decretum de Chriſto Redemptore in actu primo, ante præuiſionem abſolutam peccati, directum ſolùm cognitione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ de eius poſſibilitate? affirmo, & eius probatio non alij fundamento fidit, quàm reſponſioni rationis dubitandi, quam iam ſubiicio. Ratio igitur dubitandi ſic ſe habet, in hypotheſi, qua Deus cognoſceret Adamū non eſſe peccaturum, ſi crearetur, videtur non prudenter poſſe à Deo illi prædefiniri Chriſtum Redemptorem, vt eum redimeret, ſi peccaret, ſcientia enim conditionata de peccato non futuro, ſi Adamus crearetur, æquiualet ſcientiæ abſolutæ, de peccati negatione, qua poſita otioſè remedium adhuc in actu primo adhibetur peccato, quod in actu ſecundo non eſſe futurum cognoſcitur. Hoc inſtari poteſt exemplo de homine illo, qui ſi certò ſciret antequam iter ageret, nullum prædonem illum eſſe inuaſurum, ſi iter arriperet, & hac non obſtante cognitione arma ferret, vt ſi à prædonibus impeteretur, ſe defenderet, iſte enim imprudenter arma in defenſionem aſſumeret, & quilibet alius conſcius iſtius euentus conditionati non futuri, iuſtè poſſet illum increpare dicens; ſuperfluè hæc arma tecum fers, cùm certum ſit, minimè fore, vt illis indigeas, ergo idem poſſemus de Deo dicere cognoſcente Adamum non peccaturum, ſi crearetur, ſi cum hac ſcientia illum cum redemptore produceret in remedium peccati.

Verùm licèt hæc obiectio immediatiùs tendat contra aſſertores decreti, ſcientia media regulati, nihilominus nec contra illos habere vim oſtendam, ſicque ſimul & ſemel ſatisfaciemus illi, quoad id, quod contra nos tendere videtur. Itaque inſiſtentes reſolutioni inſinuatæ. Videlicet ſufficere cognitionem peccati poſſibilis in Adamo ad regulandum, vel mouendum voluntatem diuinam, vt decernat Chriſtum Redemptorem in actu primo, ſi ſit, aſſerimus, caſu, quo Deus cognoſceret Adamum non peccaturum ſi crearetur, adhuc prudenter poterat decernere Chriſtum, vt Redemptorem in actu primo. Quæ veritas habet vrgentes inſtantias, tum in defenſoribus ſcientiæ mediæ, tumque in ſententia Thomiſtarum. In ſententia enim tuentes ſcientiam mediam hæc ſunt certa. Primum, Deum auxilia ſufficientia præſtare ex intentione, vt ex vi illius, actus bonus exerceatur, atque adeo vt prædicto auxilio ſufficienti vtatur homo; & tamen Deus in ſententia hac ſcit certò ſcientia conditionata, antequam tale auxilium homini conferas, actum non eſſe eliciendum, neque hominem illum prædicto auxilio vſurum fore, ſi conferatur. Ergo optimè compatitur, Deum velle Chriſtum vt Redemptorem peccati Adami, etiamſi præſciuerit Deus ſcientia media, Adamum tale peccatum non eſſe commiſſurum. Secundum, Deus pactum iniuit cum Adamo de gratia in poſteros transfundenda, ſi Adamus non peccaret, & tamen in ſententia conditionatorum prænouerat Deus ante formationem pacti, Adamum eſſe peccaturum, ſi tale pactum cum eo fieret. Aliæ autem inſtantiæ ſunt deſumendæ contra Thomiſtas ex doctrina, quam latiſſimè dedi *tr. de volunt. Dei, diſp. 3. dub. de decretis abſolutis ex parte actus & conditionatis ex parte obiecti,* ſed de his latè egi *tractatu de voluntate Dei; diſputatione tertia, dubio primo.* Iam quod eadem ratio vtrobique militet, vniformiter patet, quia voluntas illa dandi auxilium, vt homo eo

vtæ 46.

veatur, ſi velit, tantùm eſt efficax reſpectu auxilij, & inefficax reſpectu vſus eiuſdem auxilij, quapropter ſortitur effectum, quem efficaciter intendit, & tantùm caret effectu, quem ſolùm inefficaciter intenderat Deus. Sic ſimiliter voluntas producendi Chriſtum, vt hominem redimat, ſi peccet, tantùm eſt efficax reſpectu Chriſti, & inefficax reſpectu actualis redemptionis, atque adeo licèt priuaretur effectu inefficaciter intento, tamen effectum intentum efficaciter lucraretur; & ita non obuiant perfectioni diuinæ voluntatis, quia contra illam non eſt, intendere inefficaciter effectum, qui non adimpleatur, potiſſimùm quando intenditur dependenter à conditione, quæ nullo modo purificatur, vt in iſto caſu contingeret, Adamo ſcilicet non peccante.

47. Ex his patet diſparitas, quæ interuenit inter exemplum & ſententiam, quam ſuſtinemus, etenim homo ille, qui certò cognoſceret illum minimè prædones aggreſſuros in itinere imprudenter ſe gereret, ſi arma colligeret ex intentione defendendi ſe à latronibus, quia talis voluntas eſſet valde ſuperflua, & imprudenter otioſa, etenim ſi res bene inſpiciatur, illi voluntati aliud non poteſt eſſe motiuum, quo prudenter moueatur ad deferendum arma illa, niſi vel amor, quem erga ſe obtinet, vel defenſio, aut offenſio inimicis paranda. Neutrum eſt, quia vt amorem erga ſe manifeſtet, inutilis eſt illa armorum vectio, cùm hæc ſecundùm ſe plus incommoditatis illi afferat, quo ſeipſum quaſi puniat, quàm vtilitatis, in quo condelectetur, atque adeo prudens vir ab ea ſe retrahere tenetur; nec defenſio aut offenſio inimicorum, cùm certò ſciat à nemine eſſe in itinere inuadendum. Contrarium tamen inuenitur in Deo; etenim dato, quòd per ſcientiam mediam cognoſceret Deus Adamum peccaturum non eſſe, adhuc in illo non eſſet otioſa voluntas illa, qua decerneret Chriſtum, vt Redemptorem peccati, ſi eſſet, quia plura extarent, quæ congruam & vtilem illam voluntatem conſtituerent. Etenim hac ratione Deus apprimè oſtenderet amorem maximum, quo homines proſequitur, etenim per quid aptius nos amorem, quem erga alium habemus, expendimus, quàm per oblationem remedij mali quomodocunque illi poſſibiliter euenienti. Si Deus decernens Chriſtum vt Redemptorem, quaſi alloquitur homines, promitto vobis nunquam remedio cerituros, caſu quo in peccata incidatis, ſiquidem adeo in Deo regnat apud homines amor, vt etiam pro malo poſſibili remedium ipſis prouideat. Rurſum decretum hoc hominibus manifeſtat diuinam ſuam iuſtitiam, cum ex vi illius homines præmoneret peccati enormem turpitudinem, quod tanto & tam ingenti remedio indigeret, ſi committeretur. Alia ſuppetebant, ſed quia hæc ſufficiunt ad oſtendendam poſſibilitatem huius decreti Chriſti vt Redemptoris regulati ſolùm cognitione de poſſibilitate peccati, & quia iterum redibit ſermo infrà, ab illis ſuperſedeo.

48. Oſtenſa igitur poſſibilitate dicti decreti oſtenſuri ſumus, an ſi hoc modo Chriſtus decerneretur Redemptor veniret, ſi Adam non peccaret, hoc erat ſecundum punctum in hac ſectione promiſſum. Sed ab illo me expediam breuiter, quòd caſu, quo Chriſtus prædiſfiniretur vt redemptor in actu primo peccati, ſi eſſet, Chriſtum venturum fore, etiamſi Adamus non peccaret. Colligitur euidenter ex dictis ex explicatione huius decreti ſuprà data; etenim vt ſuprà dedimus, decretum hoc terminaretur ad Chriſtum ſolùm, vt redemptorem in actu primo peccati, ſi eſſet, ergo etiamſi peccatum non committeretur, tale decretum ſubſiſteret. Antecedens eſt ſubiectum quæſtionis. Conſequentiam probo. Etenim etiamſi peccatum non eſſet, conſiſteret obiectum illius decreti. Probo, obiectum illius decreti eſt redemptio poſſibilis. Sed hæc conſiſteret, etiam in hypotheſi, quòd non peccaret homo, probo, quia etiam in hac hypotheſi, peccatum eſſet poſſibile. Ergo & redemptio. Ergo cum hoc quod eſt Adamum non peccare, obiectum illius decreti conſiſteret. Ergo & ipſum decretum.

49. Collige nunc, aliter eſſe loquendum de hoc, ac de illo decreto *ſect.5.* aſſignato, in quo præfiximus, Chriſtum eſſe prædefinitum redemptorem in actu ſecundo. Etenim hoc decretum ſubſiſtere non poteſt, ſi Adam de facto non peccaret quia cùm redemptio in actu ſecundo, dependeat in executione, à peccati exiſtentia in actu ſecundo exercita, ita decretum intentiuum redemptionis in actu ſecundo, dependere debet à peccati exiſtentia, in executione ponenda. Ergo licèt decretum, quo Chriſtus prædefiniatur in actu primo redemptor, ſubſiſtat etiam in hypotheſi, quòd Adamus non peccaret, non tamen decretum, quo Chriſtus prædefinitur vt redemptor in actu ſecundo.

50. Ex quo rurſum colliges, quòd inter has duas decretorum vias, quas excurrimus, vt defenderemus concluſionem *ſect.5.* allatam, eam ſolùm eſſe arripiendam; in qua Chriſtus prædefinitur vt redemptor in actu ſecundo, quia illa concluſio aſſerebat, Chriſtum Dominum prædiffinitum eſſe dependenter à peccato, ſaltem virtualiter futuro, cùm autem probatum relinquam, ſolum Chriſtum prædefinitum efficaciter vt redemptorem in actu ſecundo, habere connexionem cum peccato futuro, fit, quòd ſolùm illa via, in qua proponitur Chriſtus prædefinitus redemptor in actu ſecundo, ante præuiſionem formalem peccati, ſit à nobis aſſumenda. Verùm quia plura argumenta ſe offerunt contra illam, ſectionem ſpecialem inſtituo ad eorum occurſum.

SECTIO VII.

Argumenta contra doctrinam.

51. VAriis modis poſſunt impugnari concluſiones *ſect. 4. & 5.* adductæ, illos ſigulatim percurram. RR. imprimis vtuntur vniuerſaliſſimo argumento, ad impugnandum, impoſſibile eſſe decretum efficax, decernens Chriſtum vt Redemptorem. Etenim decretum iſtud, quo Chriſtus prædefiniretur vt Redemptor, ſiue in actu primo, ſiue in actu ſecundo, eſſet prædefinitiuum meritorum Chriſti, quia prædefinire Chriſtum vt Redemptorem, dicit prædefinire ſubſtantiam Chriſti, & ſimul actus.

quibus

quibus homines eſt à peccatis redempturus: ex hoc enim capite videtur tolli Chriſto libertas ad actus, quibus homines eſt redempturus, quia antecedens prædefinitio actuum, cum illorum libertate non componitur; eadem enim libertas, ex vi huius decreti, videtur hominibus tolli ad peccandum, & non peccandum, quia poſito hoc decreto non poteſt non eſſe redemptio, hæc autem implicat eſſe ſine peccato, vnde decretum hoc connexum eſt cum peccato, id autem quod connectitur cum actu voluntatis, & illud antecedit, illius adimit libertatem, quia antecedenter ad determinationem liberam voluntatis, illam determinat, & priuat indifferentia eſſentialiter ad libertatem requiſita.

52. Verùm hæc obiectio, cùm generalis ſit contra ſententiam, ſtatuentem decreta abſoluta, & efficacia, omnium actuum voluntatis creatæ prædefinitiua, *tractatu de voluntate Dei, diſp.* 3. *dub.* 1. *ſect.* 2. necnon *tract. de ſcientia*, *diſp.* 4. *dub.* 1. *ſect.* 3. adducta, ideo eadem ſolutione generali ſumus illi occurſuri, quam hic conſultò omittere decreui, ne longam prouinciam ſine neceſſitate, imo extra propoſitum percurrerem, recole citata loca, & abundè afflues.

53. Argues cum aliis RR. argumento communi, tum huic puncto, tumque alteri, quod *tract. de prædeſtinatione diſp.* 2. *dub. vnico*, de permiſſione peccati latiſſimè diſcuſſi, arguunt ſic; qui amat finem efficaciter, amat neceſſariò medium vnicè requiſitum ad ipſum finem, ſi tale medium non ſupponatur exiſtens, ſed peccatum eſt medium vnicè requiſitum ad redemptionem exhibendam à Chriſto Domino, & per nos, non ſupponitur exiſtens ad amorem efficacem redemptionis. Ergo Deus, qui amat efficaciter redemptionem, vt finem, debet amare peccatum.

54. Nec refert, ſi communiter reſpondeas, ex doctrina Thomiſtarum *tractatu de prædeſtinatione*, amorem efficacem finis cogere ad ponenda media, aliquo ex modis, quibus poni poſſint; cúmque peccatum poni poſſit, aut ita vt ametur directè eius exiſtentia, aut ita vt ſolùm ametur eius permiſſio, & Deus non poſſit amare directè exiſtentiam peccati, fit, vt ex intentione efficaci redemptionis, cogatur ipſe Deus ad ponendum peccatum, non aliter niſi medio amore permiſſionis; in hoc enim nulla inuenitur repugnantia, quia ſicut Deo non repugnat permiſſio peccati, ita nec amor permiſſionis.

55. Non inquam refert, quia occurrit recentior quidam qui eligit medium ex vi intentionis finis, illud eligit vt vtile ad ipſum finem, ſed Deus eligit permiſſionem peccati, ex intentione redemptionis, vtpote medium neceſſarium ad illam. Ergo eligit permiſſionem vt vtilem ad illum finem. Sed non eſt vtilis, niſi prout coniuncta cum peccato. Ergo amat illam vt coniunctam cum peccato. Ergo amat peccatum. Probat conſequentiam, quia qui amat aliquam rem vtilem, amat formaliter id, ratione cuius eſt vtilis. Sed permiſſio peccati non eſt vtilis ad redemptionem, niſi ratione peccati illi adiuncti. Ergo Deus amans permiſſionem vt vtilem, amabit formaliter peccatum.

Nec refert, ſi reſpondeas, duplicem diſtingui poſſe electionem. Vnam extrinſecam & materialem, aliam intrinſecam & formalem; hæc eſt actus, quo amatur medium formaliter vt vtile, & dicitur electio intrinſeca, quia talis actus ſeipſo fertur in vtilitatem formalem medij, & propterea dicitur etiam electio formalis; electio verò extrinſeca & materialis eſt, quando amatur, quod vtile eſt ad vnum finem; ita tamen, vt amor non tendat intrinſecè in illud ratione vtilitatis, quam habet in ordine ad talem finem, quia intentio huius determinat intendentem ad amandum medium, quod videt eſſe vtile ad ipſum, etſi non vt vtile, quare tunc actus electionis, & medium ratione illius, extrinſecè, & materialiter ordinantur ad illum finem, & propterea talis actus dicitur electio extrinſeca & materialis. 56.

Non inquam refert, quia occurrit recentior ille, intentio finis non determinat ad eligendum medium, niſi ſub ea ratione, qua tale medium cadit ſub motionem finis. Sed medium non cadit ſub motionem finis, niſi prout vtile eſt ad ipſum finem; Ergo intentio finis non determinat ad eligendum medium, niſi quatenus vtile eſt ad ipſum finem; atque adeo per electionem debet amari medium, quatenus vtile. Minorem probat, quia medium ſub ea ratione cadere debet ſub motionem finis, qua deficiente, eſſet impoſſibilis motiuo finis ad medium eligendum. Sed deficiente vtilitate ad finem, eſſet impoſſibilis motio finis ad medium eligendum. Ergo ratione vtilitatis cadit medium ſub electionem ordinatam ad finem. Fulſit hoc ipſum primò, quia id, quod non cadit ſub aliquod motiuum, niſi ſub aliqua ratione determinata, non poteſt amari ex illo motiuo, niſi ametur ea ratio determinata; id conſtat in amore amicitiæ, qui quidem, quia illius eſt amare bonum alteri ex complacentia ipſius, non poteſt tendere ex complacentia alterius in id, quod eſt illi bonum, niſi id amet, quatenus bonum illius eſt, vt ex communi tractatu de charitate legimus. Sed medium non cadit ſub motionem finis, niſi ratione vtilitatis, & conducentiæ ad ipſum finem. Ergo non poteſt amari ex intentione & motione finis, niſi ametur vtilitas & conducentia illius in finem. 57.

Confirmat ſecundò, quia permiſſio peccati conſiſtit, in negatione auxilij efficacis, & in collatione auxilij ſufficientis in conſortio cogitationis efficacis in peccatum. Vel ergo, quando Deus ex intentione redemptionis, determinatur ad negandum auxilium efficax, & ad eligendum ſufficiens, eſt illi ratio aliqua ad illud eligendum, quia tale auxilium inferret peccatum, vel nulla eſt illi ratio ad talem electionem. Si hoc vltimum. Ergo conducentia auxilij in peccatum, perinde ſe habebit ad electionem ex illa intentione, ac ſi non eſſet, atque adeo Deus eligeret auxilium illud ex intentione redemptionis, etiamſi nullam conducentiam in peccatum cognoſceret in ipſo auxilio, quod quidem admiſit nemo. Si primum. Ergo dicitur Deus eligere ex intentione redemptionis, quia hoc inferet peccatum (id enim quod alicui eſt ratio ad medium eligendum, 58.

dnm, in communi ſenſu cenſetur eſſe cauſa monens ad talem electionem) ſed eo ipſo, quòd Deus amat auxilium, quia infetet peccatum, vult ſaltem interpretatiuè exiſtere peccatum, & verè cenſetnr eſſe author peccati. Ergo abſolutè dicetur amare exiſtentiam peccati, & eſſe authorem illius. Minorem probat, quia iuxta communem, illi, qui applicat ignem, eo quòd infert combuſtionem, attribuitur ipſa combuſtio, vt authori proprio illius & cenſetur velle eius exiſtentiam. Cur ergo in noſtro caſu, non tribnetur Deo vt Authori, exiſtentia peccati, & recenſebitur illud amate, ſaltem interpretatinè, cùm non conferat auxilium ſufficiens, niſi quia infert ipſum peccatum.

59. Confirmat tertiò, quia in ſententia admittente puram omiſſionem, is qui liberè ſe determinat ad omittendum odium v.g. ex cognitione repræſentante honeſtatem omiſſionis odij, cenſetur amare interpretatiuè, & eſſe vera cauſa omiſſionis odij, vt honeſtæ, certè non alia de cauſa, niſi quia honeſtas repræſentata per cognitionem, ꝛoedia ipſa cognitione, iuducit voluntatem ad ponendum talem omiſſionem. Sed in noſtra ſenrentia, Deus non mouetur ad eligendum auxilium ſufficiens, ex intentione redemptionis, niſi ex cognitione repræſentante illud, vt infeiens peccatum. Ergo verè cenſebitur Deus amare, ſaltem interpretatiuè, illationem peccati, & eſſe cauſa & author illius.

60. Vt reſpondeas notare debes: dupliciter vnnm ad aliud poteſt ſupponi, tanquam requiſitum ad ſui exiſtentiam. Primò tanquam eſſentiale conſtitutiuum illius cum illo perſeuerans, ſecundù tanquam terminus à quo deſtruendus; pono exemplum vtrinſque, tria generationi naturali inſeruiunt neceſſariò, forma ſcilicet, materia, & priuatio. Sed aliter, oam materia & forma prærequiruntur, tanquam neceſſariò prærequiſitæ, vt conſtitutiuæ termini ad quem, nempe compoſitum; priuatio tamen deſideratur, licèt neceſſariò, tamen vt terminus à quo reliquendus, & nullo modo cum termino ad quem conſeruandus; imo neceſſariò vt deſtruendus; ex hoc enim oritur diſcrimen aliud, valde ad rem hanc conducens, quòd illud requiſitum tanquam terminus à quo ad aliud, nempe ad motum, non per ſe intenditur, & proſequutiuè amatur ab intendente motum; ratio; etenim intentio ſolùm fertur ad id, quod ſe tenet ex parte termini ad quem; hic enim per ſe ſolùm proſequutiuè intenditur; de termino autem à quo per ſe non curat intentio, tanquam de re intenta, ſed tantùm de illa requiſita ad relinquendum, & nullo modo ad conſtituendum deſiderata: atque adeo ſufficiet permittere ſolùm id, quod præſupponitur tanquam requiſitum à quo, licèt proſequutiuè non intendatur; ratio: quia non omne requiſitum à quo ad illud eſt capax, vt intendatur, & per ſe ametur; quapropter compatitur, quòd illud aliud poſitiuè ab intendente illud ametur, & tamen illud requiſitum ſub eius intentionem proſequutiuè non cadat. Contrarium tamen contingit in requiſito ad aliud, tanquam conſtitutiuum illius, & cum ipſo perſeuerans. Vtrumque inuenio in exemplo adducto. Qui enim intendit hominem, materiam & formam proſequutiuè intendere, amare, dicitur, non tamen priuationem, quamuis hæc neceſſariò tanquam requiſitum à quo, ad generationem præſupponatur. Et vniuerſaliter qui rem aliquam vult, non tenetur omnia imperfecta, quæ illam neceſſariò comitantur, velle. Artifex enim ferrum poteſt amare ad conſtruendum enſem, quin velit ferruginem: & rurſum hæc eſt regula generalis: id, quod amoris proſequutiui eſt incapax, quamuis neceſſariò præſupponatur ad aliud, oon eſt poſitiuè amandum, etiamſi aliud, cuius eſt requiſitum, poſitiuè ametur. Sufficit enim, ſi illud eſſe permittat, exemplum eſt in promptu, Deus enim intendens Angeli reproductionem, cùm *nihil*, in quod eſt deciſurus Angelus, ſit incapax amoris poſitiui, non tenetur Deus illud *nihil* amare, ſed ſufficit poſitiuè velle ſuſpenſionem ſui coucurſus, qua ſuſpenſione poſita, Angelus decidet in nihilum: atque adeo licèt annihilatio illius eſſe, quod nunc habet Angelus, ſit requiſitum neceſſariò præſuppoſitum ad reproductionem nouam, bene poterit Deus hanc poſitiuè intendere, quin illam poſitiuè amet, quia amoris poſitiui annihilatio eſt incapax, licèt teneatur quaſi permittere, hoc eſt, velle ſuum concurſum conſeruatiuum ſuſpendere, vt priùs in nihilum decidat, & poſtea reproducatur. Hoc ſuppoſito.

Reſpondeo in forma argumento, & laudatis ſolutionibus ibi datis, cum hoc notabili coniunctis. Diſtingue maiorem, *qui amat efficaciter finem, amat neceſſariò medium vnicè requiſitum ad ipſum finem, ſi non ſupponatur exiſtens.* Si ſit requiſitum ad finem, tanquam eius eſſentiale conſtitutiuum, concedo maiorem, ſi ſit requiſitum ad finem, tanquam terminus à quo, ſubdiſtingue, ſi ſit capax amoris poſitiui, concedo, ſi non ſit capax poſitiui amoris, nego. Sed peccatuuo eſt medium neceſſariò præquiſitum ad redemptionem, & per nos non ſupponitur exiſtens, diſtinguo, eſt requiſitum ad redemptionem, tanquam eius eſſentiale conſtitutiuum, nego, tanquam requiſitum à quo, ſubdiſtinguo, vt capax poſitiui amoris diuini, nego, vt illius incapax, concedo minorem, & nego conſequentiam, & ſolutione ibi data admiſſa, replicæ reſpoode ſic in forma, conceſſis maiori, minori, & conſequentia, diſtingue ſubſumptam, ſed permiſſio non eſt vtilis, niſi prout coniuncta cum peccato requiſito ad redemptionem, tanquam illius conſtitutiuo, vel ad illam poſitiuè concutiente, nego, tanquam requiſito à quo, nullo modo in pœnitentiam influente, ſubdiſtinguo, tanquam requiſito à quo, quod amoris ſit capax, nego, quod ſit incapax poſitiui amoris, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem. Qui amat aliquam rem, vt vtilem, amat formaliter id, ratione cuius eſt vtilis, ſi id, ratione cuius eſt vtilis, fuerit capax amoris poſitiuì, concedo maiorem, ſi non fuerit capax, nego, & diſtinguo minorem. Sed permiſſio peccati non eſt vtilis ad redemptionem, niſi ratione peccati illi adiuncti tanquam influentis poſitiuè in redemptionem, nego minorem, tanquam deſiderati vt terminus eſt à

61.

quo

quo ad redemptionem, ſubdiſtinguo, vt capax amoris poſitiui, nego, vt talis amoris incapax, concedo. Et nego conſequentiam. Huic formæ adminiſtrat materiam notabile allatum.

62. Sed inſtabis, vt pleniùs ab hac difficultate qua huiuſmodi forma conſtructa plures præpeditos inſpexi, expediamur. Per nos Deus eligit permiſſionem peccati, vt medium vtile ad redemptionem intentam. Sed per nos permiſſio hæc, eſt vtilis ratione peccati, vt requiſiti tamquam termini à quo ad redemptionem Ergo Deus amans permiſſionem, vt vtilem ad redemptionem debet etiam amare peccatum, ſaltem vt requiſitum tamquam terminum à quo ad redemptionem. Probo conſequentiam. Qui amat aliquã rem vt vtilem, amat formaliter id, ratione cuius eſt vtilis ſaltem, ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam illi vtilitatem præſtat. Sed per nos permiſſio redditur vtilis à peccato, quatenus hoc eſt requiſitum per modum termini à quo ad ipſam redemptionem. Ergo amans Deus permiſſionem, vt vtilem, amare debet peccatum, quatenus, hoc eſt, requiſitum per modum termini à quo ad ipſam redemptionem. Sed hoc eſt erroneum. Cùm peccatum, ſecundùm omnem ſui conſidera-
63. tionem, ſit oculis Dei inuiſum. Ergo, &c.

Vſque huc accedere poteſt huius argumenti robur, quod mihi ſemper ingentem difficultatem ingeſſit. Verùm ſi ſingula, quæ implicat, explicentur, eius vires attemperabuntur. Supponamus enim certa apud omnes. Eſſe valdè differentia permittere & velle. Etenim permittere peccatum, eſt, ex vi libertatis alterius præuiſum non impedire, neque ad illud impediendum teneri, Deus autem nullum peccatum creaturæ tenetur vitare. Velle autem, non eſt tantum peccatum, ex vi libertatis alterius præuiſum, non impedire, ſed ad illud aliquo modo influere, & cooperari Secundum certum ex communi. Deum nullo modo influere in peccatum, idem ſonat, ac negare auxilium efficax ad opus ſub præcepto. Ex his colligere debes, quòd intendens Deus aliquem finem, qui in executione non poteſt poni, quin in executione præcedat peccatum, ſolùm inducit Deo obligationem ad permittendum, non verò ad volendum peccatum: quia nihil amplius exoptat efficacia, qua redemptio eſt volita, quam facere id, quo poſito, aliundè infallibiliter ponetur peccatum. Quod totum egregiè ſaluari per hoc ſcilicet, quòd Deus peccatum permittat, nulli dubium, ſi ſit memor doctrinæ *tractatu de prædeſtinatione*, adduci ſolitæ, & attenderit ad ea, quæ ex ibi dictis in decurſu tranſcribam.

64. Nota rurſum: permiſſionem eſſe vtilem ratione peccati, idem ſonat, ac permiſſionem hîc & nunc nullo modo, & cum effectu ad redemptionem conducturam, ſi hîc & nunc extiterit peccatum: quod quidem verum eſt; & iuxta hunc ſenſum, eſt altera propoſitio vera, videlicet, non aliam vtilitatem habere permiſſionem, in ordine ad redemptionem intentam, quàm eam, quam habet peccatum: Verùm ea hoc non infertur, quòd Deus eligens permiſſionem, vt medium ad redemptionem, velit ipſum peccatum. Ratio, quia peccatum vtilitatem ipſi permiſſioni præſtare, nihil eſt aliud, quàm illud exiſtere in rerum natura. Etenim non alio modo peccatum, vtilitatem permiſſioni præſtat, quam ipſum peccatum eſt vtile ad redemptionem, quia peccatum eſt medium proximum ad redemptionem, cuius gratiâ eligitur permiſſio, tamquam medium remotum: atque adeo cùm vtrumque propter finem vltimum, nempe redemptionem dicantur eſſe, ſit, quòd non alia ratione dicatur peccatum permiſſioni vtilitatem præſtare, ac dicitur ipſum peccatum eſſe vtile ad redemptionem, propter quam eligitur permiſſio. Sed peccatum eſſe vtile ad redemptionem, nihil aliud dicit, quàm ipſum peccatum exiſtere. Ergo peccatum vtilitatem permiſſioni præſtare, nihil aliud eſt, quàm ipſum peccatum exiſtere, Ergo vtilitas peccati eſt eius exiſtentia exercita. Rurſum, & cùm talis peccati exiſtentia ſit incapax amoris diuini proſecutiui, ſit, quòd, vt ipſum in rerum natura ponatur, non poſſit eligi, vt medium, electio, ſeu decretum electiuum, quod ſit amor productiuus illius; ſed ad ſummum eligitur permiſſio, tamquam medium, quo poſito, aliundè, hoc eſt à voluntate humana peccatum ponetur. Vndè qui amat rem, quæ eſt permiſſio, etſi amet eius vtilitatem, non debet amare id, ratione cuius eſt vtilis, etiam ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam illi vtilitatem præſtat. Ratio eſt euidens; quia eo ipſo, quòd medium volitum ſit permiſſio, id, vi cuius, vtilis redditur, debet eſſe peccatum, vt exiſtens. Sed hoc eſt incapax amoris proſequutiui. Ergo eo ipſo, quòd argumentum proponat, Deum eligere & amare permiſſionem, vt vtilem, eo ipſo conuincit, Deum non poſſe amare id, ratione cuius permiſſio eſt vtilis, quia hoc eſt peccatum, quod eſt incapax amoris diuini proſecutiui aliàs enim ſi peccatum eſſet iſtius capax, non eligeret Deus permiſſionem ad ſui exiſtentiam, ſed decretum, quo amaret poſitiuè exiſtentiam exercitam peccati. Quando autem Deus amat rem, vt vtilem, quæ non eſt permiſſio, ſed poſitiuus amor, & proſecutiua electio, tunc debet amare id, vi cuius vtilis redditur: Sic enim ſe gerit Deus, dum ex intentione dandi gloriam, eligit vocationem, vt vtilem, qui vi talis electionis amat conſenſum, ratione cujus talis vocatio, vtilis redditur ad finem dictum obtinendum, & ratio eſt, quia talis conſenſus eſt amoris diuini capax, & poſitiuè gloriæ aſſecutionis inductiuus. Hoc iacto.

Reſponde in forma replicæ allatæ *num.* 58. conceſſis præmiſſis, negans conſequentiam. Ad cuius probationem diſtingue maiorem. 65.
Qui amat aliquam rem, vt vtilem, quæ non ſit permiſſio, debet amare id, ratione cuius eſt vtilis, ſaltem ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam illi vtilitatem præſtat, concede maiorem. Qui amat aliquam rem, vt vtilem, quæ ſit permiſſio, debet amare id, ratione cuius eſt vtilis, ſaltem ſecundùm eam rationem ſecundùm quam illi vtilitatem præſtat, ſub diſtingue, ſi amans permiſſionem ſit Deus, nega, ſi amans permiſſionem ſit homo, tranſeat maior. Et concede minorem. Et nega conſe-

quentiam. Vtere materia notabilis præcedentis cui hæc forma innititur. Per hæc enim manent argumentum, & prima confirmatio ſolnta.

66. Ad ſecundam confirmationem *num.* 54. reſponde. Permiſſionem conſiſtere in negatione anxilij efficacis, & auxilij ſufficientis conceſſione, quam Dens eligit ex fine aliquo determinato, nempe redemptione. Vnde ad illud dilemma, nego Deum determinati ad eligendum auxilium ſufficiens, quia hoc inferat peccatum; quia hoc eſſet, Deum eſſe cauſam illins, nec hoc ex auxilio ſufficienti infertur, ſed ex libera, & praua hominis voluntate; atque adeo finis eligendi aoxilium ſufficiens præ efficaci eſt redemptio, qnomodo autem cum hoc cohæreat, Deum non eſſe Authorem peccati, quamuis hoc deſideretur, vt requiſitum ad redemptionem exequendam, conſtat ex dictis, & ex dicendis conſtabit. Et per hæc patet ad tertiam confirmationem.

67. Secundò argues obiectione, quæ præcedentium eſt replica. Admittit arguens nobiſcum, noſtra principia ſaluare, Deum redemptionem intendentem, adhuc interpretatiuè nnn eſſe recenſendum cauſam peccati, aſſerit tamen ex noſtris principiis ſequi, quòd prædicta intentio ex natura ſua exigat, quòd peccatum ab homine ponatur. Hoc eſt maximum abſurdnm. Ergo, &c. Sequelam probat, quia quælibet voluntas efficax exigit ex natura ſua, quòd ponatur quidquid eſſentialiter requiritur ad productionem effectus, in quem fertur efficaciter, quando tale requiſitum non ſupponitur exiſtens ante ipſam voluntatem. Sed poſitio peccati ab homine exequendi; eſt eſſentialiter reqoiſita ad redemptionem efficaciter prædiffinitam ante ipſum peccatum exiſtens. Ergo prædiffinitio efficax redemptionis exigit ex natura ſua, quòd peccatum ab homine ponatur. Sed talis exigentia repugnat actui diuinæ voluntatis. Ergo repugnat volitio efficax in Deo, neceſſariò inuoluens talem exigentiam. Minor eſt certa. Quia quilibet actus diuinæ voluntatis; vtpotè qui eſt ſumma conformatio cum diuina volnntate, eſt ſumma ſanctitas. Sed ſummæ ſanctitati repugnat inclinatio, ſeu exigentia poſitionis peccati, quandoqnidem omnino aduerſatur peccato, vt formæ ſibi omnino contrariæ. Ergo, &c.

68. Reſponde ex dictis negans ſequelam. Ad probationem diſtingue maiorem, quælibet voluntas efficax exigit ex natura ſua, quòd ponatur, quidquid eſſeotialiter requiritur ad productiooem effectus, in quem fertur efficaciter, ſi quod requiritur ſit de cnnſtitutiuo effectus, vel illum poſitiuè inducat, concedo. Si quod reqniritur, ſit terminus à qno, per modnm priuationis, ſubdiſtinguo: ſi ſit capax amoris poſitiui, concedo, ſi incapax, negn. Ad minorem. Sed poſitio peccati ab homine exequendi, eſt eſſentialiter reqniſita ad redemptionem efficaciter prædiffinitam ante ipſum peccatum exiſtens, diſtinguo, eſt eſſentialiter requiſita tamquam conſtitutiua, vel poſitiuè indoctiua redemptionis, nego, eſt requiſita per modum termini à quo, ſubdiſtingun, vt capax amoris diuini, nego, vt incapax illius, concedo, & nego conſequentiam. Vide notabile adductum & illius doctrinam applica.

69. Obiicies, qui efficaciter intendit finem aliqoem, non poteſt ſecundùm regulas prudentiæ ſeriò prohibere poſitionem medij, eſſentialiter requiſiti ad talem finem conſeqnendum, & nondum exiſtentem, aliàs ſibi eſſet contrarius, nam ex ea parte, qna finem efficaciter intendit, vult finem reipſa mandari executioni, & ex ea parte, qua ſeriò prohibet poſitionem medij eſſentialiter requiſiti, & nondum exiſtentis, ſeriò cnnatur non dari executionem talis finis, qnòd eſt Deum ſibi eſſe contrarium. Sed Deus in omni eueotu, ſeriò prohibet peccati poſitionem. Ergo ante illius poſitionem, vel non poteſt efficaciter intendere redemptionem, ad cuius executinnem eſſentialiter requiritur poſitio peccati, vel imprudenter ſe gerit; dum poſita intentione efficaci redemptionis, ſeriò prohibet poſitionem peccati nondum exiſtentis. Confirmatur: qui ſeriò prohibet, & procurat, ne ponatur medium aliquod eſſentialiter requiſitum ad executionem finis, iam efficaciter intendit ſeriò qnod non obtineatur talis finis. Ergo ſi Deus ante poſitionem peccati efficaciter intendit redemptionem, ad cuius executionem eſſentialiter requiritur poſitio peccati, & pnſtmodum ſeriò pinhibet, & procurat, ne ponatur peccatum, ſeriò conatur irritationem ſuæ intentinnis efficacis. Hoc enim eſt impoſſibile. Ergo tenetur Deus, vel non intendere efficaciter redemptionem ante poſitionem peccati, vel ſemel poſita ea intentione ante peccatum, oon prohibere poſitionem ipſius peccati.

70. Reſpondeo, diſtingno maiorem, qni efficaciter intendit finem aliquem, non poteſt ſecundùm regulas prudentiæ, ſeriò prohibere poſitionem medij eſſentialiter requiſiti ad talem finem conſequendum, ſi ſit requiſitum illius finis eſſentialiter poſitiuè inductiuum, concedo, ſi ſit requiſitum per modum termini, à quo, ſubdiſtingun, ſi ſit capax amoris poſitiui intendentis, concedo, ſi talis amoris ſit incapax, negn. Ad id, quod additor ex noſtra ſententia ſequi, Deum ſibi eſſe contrarium, ea videlicet ratione, quia ex qua parte finem efficaciter intendit, vult finem re ipſa mandari executioni, & ex ea parte, qua ſeriò prohibet pnſitionem medij eſſentialiter requiſiti, & nondum exiſtentis, ſeriò conatur nnn dari executionem talis finis, quod eſt Deum ſibi cnntrariari. Reſpondeo, iſta omnia conſona eſſe, ſi doctrina ooſtra aptè explicetur. Etenim ad Deum, vt intendentem, ſpectat ſolùm velle ea, quæ oculis eius non ſunt inuiſa, & quibus poſitis, finis intentus eſt aſſequeodus: cúmque peccatum ſit incapax, quòd terminet cnmplacentiam Dei, ſit, quòd dum intendit redemptionem, non teneatur velle peccatum, quamuis hoc prærequiratur ad redemptionis executionem, nb rationem ſuprà datam: Cum hoc tamen compatitur, imò neceſſariò ſequitur, Deum ſeriò prohibere peccatum; Etenim quidquid amoris eſt incapax, quia à Deo auertit, eſt lege æterna prohibitum

tum; ſicque peccatum cùm eſſentialiter à Deo ſit auerſio, æterna lege debet prohiberi; atque adeo quatenus eſt ea parte Dei, non vult peccatum fieri. Ecce quomodo Deus, nec vt intendens redemptionem, nec vt prohibens peccatum, vult exiſtentiam peccati per ſe; imò vtroque modo illi peccati exiſtentia eſſentialiter diſplicet. Vnde fateor Deum, redemptionem intendentem, conari ea ſe eius executionem: quem conatum etiam conſeruat, dum peccatum prohibet, quia licèt, prohibitio tendat, quantùm eſt ea parte Dei, in non exiſtentiam peccati, ſine quo redemptio intenta non fiet; tamen hac prohibitione, & permiſſione orta ex intentione redemptionis, peccatum infallibiliter ex noſtra fragilitate ponetur, ſicque tandem executionem redemptionis efficaciter præintentæ lucrabitur Deus.

71. Verùm immoremur tantiſper in horum explicatione. Etenim difficultas (quæ vt mihi videtur eſt maxima) quam ſecum fert obiectio allata, ſine tergiuerſatione in contrarios intorquebitur, à quouis abſtrahamus. Ergo ab hac quæſtione, An ſcilicet Deus intenderit, vel non, ante præuiſionem peccati redemtionem, inquiro ab aduerſariis: quando Deus permiſſionem elegit, an eam ex aliquo fine exoptet? Affirmabis, quia Deus ſemper ex fine aliquo operatur quidquid. Nunc te contorqueo. Quomodo Deus, ex ſuppoſitione talis finis, obligatur permittere peccatum, quod prohibitum ab illo ſupponitur. Contrarium enim ei conſidero; Etenim ea qua parte intendit efficaciter finem connexum cum permiſſione, intendit finem connexum cum peccato, vt de ſe patet; Rurſum, & quia talis intentio finis eſt efficax, conatur exequi talem finem, & ex qua parte prohibet peccatum, conatur finem non exequi, quia vt ſupponimus, peccatum & eius permiſſio ſunt requiſita eſſentialiter ad executionem talis finis efficaciter intenti. Ergo abſtrahentes à noſtra ſententia, difficultas hæc omnes æqualiter vexat. Ergo nõ aliter ſumus occurſuri illi, ac omnes. Atque adeo, eo modo, quo ipſi aſſerunt, Deum vt intendentem illum finem, & vt prohibentem, conari executionem illius, quamuis ſemper ipſi exiſtentia peccati diſpliceat, quia ea vi intentionis illius finis ſolùm obligatur velle permittere; vt aliundè ex voluntate noſtra ſequatur peccatum, quod requiritur ad executionem finis præintenti. Similiter nos in præſenti reſpondemus: atque adeo ſicut componitur in communi ſententia permiſſio peccati, qua poſita infallibiliter ſequetur exiſtentia peccati, cum prohibitione eiuſdem peccati, eodem modo in noſtra ſententia componimus, intentionem efficacem redemptionis connexæ cum peccato, cum ipſius peccati prohibitione. Ex his colliges. Illas propoſitiones obiectionis, videlicet Deum ex qua parte finem efficaciter intendit, velle finem exequi, & ea ea parte, qua ſeriò, prohibet poſitionem medij eſſentialiter requiſiti, ſeriò conatur finem redemptionis nõ exequi, nõ eſſe veras æqualiter; Etenim vltima eſt falſa. Ob rationem datam; ſemper enim ſuppoſita intentione efficaci redemptionis, etiam dum prohibet peccatum, conatur redemptionem exequi; quia adhuc ſuppoſita illa intentione, ex illa permittit peccatum cum diſplicentia ipſius, & illud prohibet.

Ex hac doctrina ſumere debes ſolutionem, ad confirmationem, *numero* 68. allatam. Reſponde diſtinguendo maiorem; qui ſeriò prohibet, & procurat, ne ponatur medium aliquod eſſentialiter requiſitum ad executionem finis, iam efficaciter intendit ſeriò irritationem talis intentionis efficacis, ſi ſimul cum prohibitione illud medium non permittat, concedo, ſi ſimul medium prohibeat & illud permittat, nego. Et nego conſequentiam, ob rationem argumento datam. 72.

Tertiò argues, intendens probare Deum, intendentem redemptionem ante præuiſionem peccati, debere amare illud, etiamſi ſit requiſitum tanquam terminus à quo, & materia deſtruenda per redemptionem ipſam. Arguit ſic Alarconius *tractatu de prædeſtinatione, diſputatione quarta, capite quinto, §. 3. numero vigeſimo octauo*, ex quadam potiùs obſeruatione Latina, quàm theologica ſubtilitate. Aſſeritque quòd licèt peccatum deſtruendum ſit per redemptionem (ipſe dicit per pœnitentiam) neceſſariò tamen debet amari, vt exiſtat ad hoc, vt poſtmodum deſtruatur. Sicut qui ſtatuam arundineam, & papyraceam puluere tormentario grauidam, tonitruaque prægnantem deſiderat, vt igne applicato in flammas, fulgetra, fulgura, & fuligines, abeat ad nocturnos populi plauſus; certè ex fine intento lætitiæ popularis deſideratur combuſtio eius ſtatuæ, ſed quia comburi non poteſt ſine eo, quòd priùs componatur ex lino, ſcopuliſque papyraceis, neceſſe eſt, vt deſideretur, & ametur, vt vtilis ad talem lætitiam huiuſmodi ſtructura papyracea. Ergo ſimiliter, vt Deus amet deſtructionem peccati, formaliter vt talis, quia vt ſic deſtruendum eſt, & comburendum redemptionis igne, neceſſe erit peccatum ipſum amare. Ecce argumentum magni habitum, cuius vires, quia papyraceas, ſolo doctrinæ allatæ vento exiſtimo retundendas, eius tonitrua vox clangens, non parturiens difficultatis adurentes fulgores. Diſparitas enim vtrius caſus eſt nota. Etenim conſequentia hæc non tenet. Deus intendit redemptionem. Ergo amare debet peccatum per illam deſtruendum. Sicut hæc non valet. Deus intendit Angelum reproducere. Ergo vult nihil, quod præſupponi debet tamquam quid per creationem deſtruendum. Huiuſmodi coloris eſt conſequentia allata. Deus intendit redemptionem Ergo vult peccatum, quod per illam eſt deſtruendum. Ratio, quia tam nihil quàm peccatum requiruntur ad creandum, & redimendum tamquam termini à quo, nullo modo conſtitutiui creationis & redemptionis intentæ, nec illarum poſitiuè inductiui, atque adeo incapaces proſequutiui amoris, vt diximus ſuprà, in ſolutione primi argumenti *n*. 56, atque adeo non taliter peccatum cum redemptione connectitur, ac vt terminus à quo per 73.

Prudenc. de ncarn. Tom. I.

modum priuationis; quod eſt in cauſa, vt ex intentione redemptionis, ſolum teneatur Deus peccatum permittere; Cum hoc tamen ſtat, quòd bene valeat conſequentia. Homo intendit Ludos, aut popularem lætitiam. Ergo vult, & proſecutiuè amat ignem, tonitrua, necnon puluerem ſulphureum, & ſtatuam papyraceam. Sicut bene valet, intendit quis generationem Animalis. Ergo amat coniunctionem ſanguinis, vel ſeminis, quæ eſt requiſitum quid generationis Animalis, tamquam eius materia. Ratio tamen in vtroque caſu eſt prorſus eadem. Quia ex ligno, lapide, chartis, & puluere ſulphureo ignis componitur cum ſtrepitu, ſicut ex ſanguine, & ſemine fit Animalis generatio. Redemptio enim ex peccato non componitur, & licèt ſit requiſitum quid ad illam, tamen eſt requiſitum tamquam materia purè deſtruenda, non tamen vt ex ipſo aliquid maneat, vel vt ex illo antecedenter redemptio præparetur.

74. Argues quartò; non potuit Deus velle Chriſtum vt redemptorem, niſi priùs vellet ipſum Adamum creare, & illum permittere in peccatum labi. Ergo non potuit velle gratiam Adamo, dependenter à Chriſti meritis. Antecedens probatur, quia Chriſtus vt Redemptor, eſt volitus dependenter à peccato Adami. Sed id dependenter à quo aliquid decernitur, eſt priùs volitum eo, quod dependenter ab ipſo decernitur, Ergo, &c. Nunc conſequentia probatur. Quia velle permittere Adamum peccare, neceſſariò inuoluebat decretum de danda gratia, per quam Adamus potuiſſet peccatum vitare. Ergo ſi priùs Deus voluit permittere Adamum peccare, quàm fuerit Chriſtus prædeſtinatus redemptor, optimè infertur, non potuiſſe Deum decernere gratiam conferre Adamo dependenter à meritis Chriſti.

75. Reſponde breuiter, negans antecedens. Ad probationem diſtingue maiorem. Chriſtus vt redemptor, eſt volitus dependenter à peccato Adami, virtualiter in illo ſigno futuro, concede; formaliter pro tunc futuro, nega maiorem; & diſtingue minorem. Sed id, dependenter à quo aliquid decernitur, eſt priùs volitum eo, quod dependenter ab ipſo decernitur, ſi id à quo dependenter decernitur, ſit præuiſum, formaliter futuritione futurum, concede. Si id à quo dependenter decernitur, ſit ſolum virtualiter præuiſum, futuritione virtuali futurum, nega minorem; Et nega conſequentiam. Vnde vt Chriſtus dicatur in primo ſigno prædiffinitus dependenter à peccato, non eſt neceſſarium, quòd iſtud, vel præceſſerit futurum ex vi alterius decreti antecedentis, nec quòd ſimul in eodem ſigno futurum formaliter cognoſcatur, ſed ſufficit prædiffiniri in primo ſigno, vt redemptor, in cuius conceptu obiectiuo inuoluitur ipſum peccatum, vt latè diximus pro ſecunda concluſione *ſect.* 5. *n.* 36. atque adeo idem eſt in primo ſigno Chriſtum prædefiniri, vt redemptorem, ac Chriſtum prædiffiniri dependenter à peccato, ſaltem ex vi illius decreti virtualiter permittendo, ſicut ſolet dici, quia gloria vt corona inuoluit virtualiter merita, idem eſt decernere Deum gloriam, vt coronam, ac decernere illam dependenter à meritis virtualiter ex vi illius decreti futuris. Vnde ex hoc ſolùm ſequitur, Deum anticipaſſe remedium ruinæ mox permittendæ in poſteriori ſigno rationis, quod maximè cedit in egregiam ipſius prouidentiam, & hominum proficuitatem.

Sed inſtabis. Implicat Chriſtum eſſe cauſam meritoriam gratiæ antiquorum Patrum, & ſimul fuiſſe prædiffinitum ordine intentionis dependenter à meritis ipſorum. Ergo ſimiliter implicabit, Chriſtum eſſe cauſam meritoriam gratiæ Adami, & ſimul prædeſtinatum dependenter à peccato ipſius. Reſponde conceſſo antecedenti, diſtinguens conſequens. Implicat Chriſtum eſſe cauſam meritoriam gratiæ Adami, & ſimul eſſe prædeſtinatum dependenter à peccato, abſolutè formaliter futuro, concede conſequentiam. Dependenter à peccato, ſaltem virtualiter futuro, nega conſequentiam. Itaque Chriſtus in diuina ſcientia præceſſit prædeſtinatus, ſecundùm abſolutam, futuritionem ſui abſolutam futuritionem gratiæ Adami, & eius peccati, quia, vt ſupponimus, Chriſtus non fuit prædeſtinatus dependenter à peccato Adami præuiſo, ſcientia viſionis formali, ſed tantùm viſionis ſcientia virtuali, in illo ſcilicet decreto, quo Chriſtus fuit prædeſtinatus, vt redemptor. Vnde eſt diſpar ratio de meritis Sanctorum Patrum. Etenim ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet dependenter à meritis Sanctorum Patrum profectis, ex gratia collata ex meritis Chriſti, idem Chriſtus in æterna Dei præſcientia, debuiſſet ſecundùm abſolutam & formalem futuritionem ſui præcedere merita Sanctorum Patrum quatenus fuiſſet meritoria cauſa illorum; & ſimul in eodem ordine, & præſcientia non præcedere debuiſſet, quatenus eius futuritio prædefinita eſſet dependenter ab illorum meritis, quia cùm merita non cauſent, niſi præuiſa vt abſolutè futura (merita enim poſſibilia, & conditionatè futura, propriè merita non ſunt, vt latè dedimus *tract. de prædeſt. diſp.* 3. *dub.* 1.) debuiſſent Chriſti merita præuideri, vt abſolutè futura, vt potuiſſent Deum mouere ad conferendam gratiam antiquis Patribus Et rurſum merita antiquorum Patrum debuiſſent præuideri, vt abſolutè futura, vt potuiſſent mouere Deum ad prædeſtinandum Chriſtum, atque adeo ipſe Chriſtus debuiſſet præuideri, vt abſolutè futurus, & non vt abſolutè futurus: Peccatum verò, quia non mouit Deum ad prædeſtinandum Chriſtum, niſi ad ſummum, vt pura conditio, & occaſio, non fuit neceſſe, illud præuideri vt abſolutè futurum. 76.

Sed inſtabis; Chriſtus eſt volitus vt redemptor Adami. Ergo non potuit eſſe volitus in eodem ſigno cum illo. Conſequentia probatur, quia vt redemptor, debuit præuideri cum meritis abſolutè futuris, ex quorum præuiſione debuit moueri Deus, ad volendum Adamum, & eius permiſſionem. Sed præuiſio Chriſti, vt abſolutè futuri, ſupponitur ad decretum de creando Adamo, & eius permiſſione volenda. Ergo non potuit Chriſtus eſſe volitus, vt redem- 77.

demptor,in eodem ſigno, cum Adamo, & eius in peccatũ permiſſione. Tunc ſic. Ergo non potuit prædefiniri Chriſtus, dependenter à peccato ipſius Adami,conſequentia eſt certa. Quia quod prius eſt, independens eſt à poſteriori. Sed per nos Chriſtus eſt prædefinitus redemptor, antecedenter ad decretum creandi Adamum, & illum permittendi. Ergo non fuit prædefinitus Chriſtus dependenter à peccato Adami. Sed hæc inſtantia præoccupata manet ex datis. Conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens. Ergo non potuit eſſe volitus in eodem ſigno cum illo, formaliter & expreſsè, concedo. Virtualiter, & implicitè, nego. Etenim eo ipſo, quòd Deus voluit Chriſtum in primo ſigno, vt redemptorem, voluit virtualiter in eodem ſigno condere Adamum,& illum permittere in peccatum labi, formaliter eundem Adamum, & permiſſionem ipſius peccati voliturus in poſteriori ſigno, poſt præuiſa Chriſti merita abſolutè futura, eo modo prorſus, quo tractatu de prædeſtinatione, ſæpiùs citato, diximus, Deum in eodem ſigno rationis,quo prædefiniuit gloriam, vt coronam,virtualiter voluiſſe merita, formaliter tamen & expreſsè eadem voliturus in poſteriori ſigno,medio alio decreto expreſsè,& directè,in ipſa merita tendente.

78. Argues quintò;Si Chriſtus eſt prædiffinitus redemptor in primo ſigno. Ergo hæc eſt vera: Chriſtus in primo ſigno prædiffinitus eſt, vt nos redimeret;Ergo non fuit prædefinitus ante præuiſionem abſolutam peccati. Probo conſequentiam, quia redemptio,& pœnitentia directè reſpiciunt ipſam malitiam, & auerſionem à Deo, vt materiam expiandam, necnon in remedium peccati, vt peccatum eſt,atque adeo iſta ſupponunt peccatum, vt commiſſum;Ergo non potuit Chriſtus prædiffiniri,vt redemptor, ante præuiſionem abſolutam peccati. Probo conſequentiam. Etenim redemptio, eſt ex his, quæ cenſentur ex ſecundaria intentione Dei, non de primaria, ſed hoc naſcitur ex eo, quòd malum neceſſariò præſupponitur, & ex tali præuiſa peccati exiſtentia, intenditur à Deo redemptio. Ergo in primo ſigno nequit Deus Chriſtum prædiffinire, vt redemptorem, vel vt nos redimat ante præuiſionem abſolutam peccati.

79. Confirmatur primò.Etenim intendere Deum ex primaria intentione Chriſtum,vt redemptorem,quaſi in actu ſecundo arguit in Deo præpoſteram, & incongruam intentionem. Etenim hæc eſſet vera, Deum permittere peccatum gratiâ remedij. Quod eſt abſurdum, Ergo & defendere, Deum intendere ex primaria intentione Chriſtum,vt redemptorem. Falſitas ſequelæ probatur à Ioanne de S.Thoma *q. 2. de prædeſt. diſp. 19. art. 6. n. 18.* Quia permittere malum propter remedium,notat,ipſum remedium eſſe finem talis permiſſionis. Sed remedium vt remedium,non eſt finis. Ergo non poteſt Deus malum permittere gratiâ remedij. Minorem probat, quia remedium, vt tale,datur in ſubſidium defectus,qui accidit; Ergo remedium eſt volitum propter ſubſidium talis defectus. Ergo non eſt volitum propter ſe, Ergo remedium vt remedium, non eſt finis: quia hic ſemper propter ſe amatur, & intenditur.

Rurſum,quia velle permittere malum, non eſt voluntas deſtruendi illud,ſed contraria deſtructioni, cùm ſtante permiſſione detur malum,ſeu non apponatur obſtaculum ne fit. Voluntas autem dandi remedium, eſt voluntas deſtruendi malum; quomodo ergo, ait hic Author, poteſt vna voluntas ex alia oriri, & propter hoc permittere malum, vt deſtruatur, præcisè, ſiſtendo in hac deſtructione; benè tamen vt ex deſtructione mali, reluceat aliqua excellentia, vel virtus alicuius boni, ipſi malo oppoſiti. 80.

Hæc obiectio latiſſimum campum parat, in quo calamus ſpatiari poſſet, ſi doctrinam aliò ſpectantem non extorqueret. Verùm aliqua ex illis perſtringam, quæ video neceſſaria, vt res præſens maneat exactè diſcuſſa. Præ omnibus, & pro omnibus dicendis, nota. Idem eſſe, in re decerni Chriſtum, vt redemptorem, ac decerni ipſum,vt nos redimat;Rurſum, idem eſſe, decerni, vt redemptorem, ac decerni, vt redemptorem, & vt nos redimat, ac decerni Chriſtum, vt nos ſimus redempti; Etenim redemptio actiua & paſſiua, eſſentialiter connectuntur; atque adeo ſicut reipſa, & in executione, eſt impoſſibilis actiua redemptio, ſine paſſiua, ita nec in ordine intentionis, poteſt actiua redemptio intendi, quin formaliter æquiualenter redemptio paſſiua ſub prædicta intentione cadat. Indubitatum enim eſt, quòd quia amare Deum, eſſentialiter connectitur cum hac, Deum à Petro amari, impoſſibile eſt, Petrum intendere Deum amare, quin ex vi illius intentionis, ſaltem æquiualenter intendat, Deum amari à ſeipſo: Vnde ſicut finis iſtius intentionis in Petro, non tantùm eſt amor actiuus ſui, ſed paſſiuus amor Dei; ita ſimiliter in Deo, finis illius intentionis, non ſolùm erit redemptio actiua, ſe tenens ex parte Chriſti, ſed etiam redemptio paſſiua ex parte noſtri. Rurſum,& ſicut aliter,ac aliter amor actiuus, & paſſiuus attinguntur ex vi illius intentionis in Petro, ita quòd formaliter & expreſsè amor actiuus ſub illa intentione cadat, & paſſiuus formaliter æquiualenter, ita vt conuertibiliter ſit idem in re, Petrum intendere Deum amare, ac intendere Deum amari ab ipſo Petro. Ita in Deo aliter, ac aliter redemptio actiua, & paſſiua attinguntur ex vi illius diuinæ intentionis, qua intenditur Chriſtus, vt redemptor, ita quod redemptio actiua Chriſti formaliter, & expreſsè attingatur ab illa, & redemptio paſſiua formaliter æquiualenter, ita vt conuertibiliter ſit idem in re, Deum intendere Chriſtum redemptorem, ac intendere nos eſſe redemptos ab ipſo Chriſto. Hoc facto. Reſponde in forma. Conceſſo primo entimemate, nega conſequentiam, Ad probationem dic, pœnitentiam & redemptionem poſſe conſiderari, vel in ordine intentionis, vel in ordine executionis. Si primo modo conſiderentur, non ſupponunt peccatum commiſſum, licèt ſimul virtualiter committendum inuoluant; ſi verò ſecundo modo accipiantur, ſupponunt peccatum reipſa antecedenter exercitum. 81.

tum.Ex hoc diſtingue antecedens,quoad illam partem ſcilicet, atque adeo ſupponunt peccatum commiſſum, conſideratæ in ordine intentionis, nega antecedens, ordine executionis, concede, & nega conſequentiam. Ad probationem ex Ioanne à Sancto Thoma, reſponde, concedendo maiorem, & negando minorem. Etenim redemptionem dici ex his, quæ ſunt ex ſecundaria intentione Dei, non naſcitur ex eo quòd in omni ſigno, & ordine intentionis ſcilicet, & executionis, redemptio ſupponere debet ex parte intentionis, illam peccati exiſtentis præuiſionem; ſed ideo odium ex ſecundaria intentione,vel quia in executione, ſupponit malum culpæ, quod eſt expiatura; vel quia in ordine intentionis, ſupponit fragilitatem, à qua poſſibiliter eſt manandum peccatum. Hoc enim plura luculenter commendant. Primum; quia in ſententia celebri, apud Diui Thomæ diſcipulos *tractatu de prædeſtinatione citato*, pœnitentia eſt ex his, quæ ſunt ex ſecundaria Dei intentione, & tamen Deus illam efficaciter intendit ante præuiſionem abſolutam peccati, vel quia in executione illud ſupponit, vel quia in intentione ſupponit noſtræ naturæ fragilitatem, ex qua anſam, & occaſionem arripit Deus ad illam intendendam; ideo pœnitentia non dicitur obiectum, ex primaria, ſed ex ſecundaria intentione Dei volitam. Idem apud eoſdem doctrinæ Diui Thomæ obſeruatores, de correctione fraterna perhibetur. Secundum; quia intra ſcholam Diui Thomæ, vt teſtes & Patroni Heroes adſtant Zumel *tomo primo, in primam partem, tractatu de prædeſtinatione, diſputatione quarta.* Bannez *ibidem articulo tertio.* Aluarez *de auxiliis, libro decimo, diſputatione centeſima decima.* Gonzalez *diſputatione ſeptuageſima ſeptima, ſectione ſecunda*, æqualiter in reprobatione, ac in prædeſtinatione curſus peragitur.Hi enim Authores docent, Deum habuiſſe voluntatem efficacem, & abſolutam excludendi homines à gloria, per modum intentionis in oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ punitiuæ, ante præuiſionem peccatorum eorumdem; & tamen pœna,eſt ex iis, quæ ſolùm ſunt ex ſecundaria Dei intentione, quodque ab eiſdem ſaluatur, ex eo, quòd pœna, in executione peccatum ſupponere dicatur, & in intentione ipſam culpam ſolùm poſſibilem ex fragilitate ſupponat. Ergo ſimiliter in præſenti nobis diſcurrere licebit,quòd licèt peccatum abſolutè futurum non antecedat ad decretum, quo Deus Chriſtum, vt redemptorem prædefinit,optimè poterit verificari, Deum ex ſecundaria intentione, redemptionem præintendere, quia vt illam exequatur, præcedere debet ipſa peccati exiſtentia, à qua ſumat occaſionem Deus ad illam exequendam; necnon quia vt illam intenderet, ſufficiens occaſio illi adfuit, poſſibilitas peccati in nobis, quam ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ præuiderat Deus.

82. Ad confirmationem *num.*78. allatam. Reſpondeo concedens ſequelam,ſi denotet, Deum permittere peccatum gratiâ remedij,ipſum remedium eſſe finem proximum talis permiſſionis. Ad impugnationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem do maiorem, & primam illationem,& nega ſecundam. Ad probationem aſſero, quòd optimè ſtat remedium eſſe volitum ratione ſui, & eſſe volitum in ſubſidium defectus, qui accidit vel accidere poteſt;imò in re idem eſt omnino remedium,ac ſubſidium defectus; atque adeo idem erit intendere aliquid vt remedium, ac intendere illud in ſubſidium.

Ad ſecundam confirmationem *num.* 79. reſpondeo, concedo id, quod in antecedenti de voluntate permittendi,& voluntate dandi remedium allegat Author. Et rationem reddo; quomodo ex voluntate dandi remedium oriatur voluntas peccatum permittens; Etenim licèt proximè & formaliter voluntas redimendi, ſeu remedium dandi, ſolùm terminetur ad deſtructionem peccati; tamen in re non ſiſtit in ipſa deſtructione, ſed vlterius, ſaltem remotè, progreditur in oſtenſionem virtutis efficacis in redemptione Chriſti relucentis: imò proximè & formaliter,ſaltem conſequenter, terminatur intentio illa remedij redemptiui ad aliquid,ipſi peccato oppoſitum, valdè redemptis vtile;quia cùm non aliter Chriſtus, noſtrarum ſit redemptor,quàm merendo nobis auxilia,quibus gratiam peccato oppoſitam nanciſcamur,fit,Deum intendentem redemptionem, quæ eſt peccati deſtructio ,minimè ſiſtere in deſtructione peccati,vt deſtructio materialiter accipitur,ſed rurſum progredi ad illam, quatenus habet virtutem deſtruendi in nobis peccatum, media collatione gratiæ, tali peccato oppoſitæ. Vnde remedium, quod ſimul eſt ſanitas, optimè poteſt eſſe finis. Hoc enim colligi exiſtimo ex Diuo Thoma *quæſt.*5. *de veritate, art.* 4. vbi priùs in ſolutione *ad quintum* dicit,aliquod bonum eſt, quod non poteſt elici,niſi ex aliquo malo,ſicut bonum patientiæ, nonniſi ex malo perſequutionis elicitur & bonum pœnitentiæ ex malo culpæ, & huiuſmodi non eliciuntur ex malo, quaſi ex cauſa per ſe, ſed per accidens. Poſtea verò in ſolutione *ad decimum* tradit generalem doctrinam. Sic ait. Facere malum propter bonum, in homine reprehenſibile eſt, nec Deo poteſt attribui,ſed ordinare malum in bonum, hoc non contrariatur bonitati,& ideo permittere malum, propter bonum inde eliciendum, Deo attribuitur. 83.

Inſtabis. Ergo motiuum proximum illius intentionis, qua volitus eſt Chriſtus, vt redemptor, eſt noſtra ſalus, remedium, & redemptio. Ergo Chriſtus non eſt finis, cuius gratiâ eſt volita redemptio & ſalus noſtra, quod eſt contra primam concluſionem, vbi decreuimus, Chriſtum eſſe finem omnium, quæ condita ſunt à Deo. Reſpondeo notans motiuum illius intentionis primæ, qua volitus eſt Chriſtus vt redemptor,eſſe duplex,remotum vnum, proximum aliud;remotum,eſt gloria,& exaltatio Chriſti,ad quam ordinantur omnia condita, tam naturalia,quàm ſupernaturalia,imò & ipſa incarnatio Verbi; proximum verò eſt ſalus, & redemptio noſtra; itaque gloria, & exaltatio Chriſti eſt finis noſtræ redemptionis; redemptio autem, & noſtra ſalus, finis incarnationis, 84.

tionis], incarnatio verò medium ad vtramque, proximè quidem ad remptionem, & ſalutem noſtram, remotè verò ad Chriſti exaltationem volitam dependenter à peccato obiectiuè connexo cum ipſa, quia eſt exaltatio redemptiua, quæ ſine peccato ſubſiſtere non valet. Ex quo concede primam illationem, & ſecundum conſequens diſtingue. Ergo Chriſtus non eſt finis, cuius gratiâ eſt volita noſtra redemptio, Chriſtus, hoc eſt eius incarnatio ſecundùm ſe accepta, da conſequentiam, Chriſtus, hoc eſt, eius exaltatio & gloria extrinſeca ſubdiſtingue, non eſt finis proximus, cuius gratiâ cætera ſint volita, concede, non eſt finis remotus, nega. Quando autem diximus in concluſione, Chriſtum eſſe finem omnium condendorum, per ly Chriſtum ſumpſimus eius exaltationem, quam præuiderat Deus illis eſſe poſſibiliter euenturam noſtra redemptione, & per ly, finem, intelleximus finem remotum, ad quem vltimatè cætera eſſent ordinanda.

85. Argues ſextò ex RR. contra doctrinam in concluſione ſecunda ſtatutam *ſect.* 5 *n.* 29. videlicet Chriſtũ eſſe in primo ſigno prædiffinitum dependenter à peccato. Etenim gratia data Angelis in via, & primo homini in ſtatu innocentiæ, vtpotè qua fuit effectus prædeſtinationis eorum, atque adeo per Chriſtum, fuit ex meritis Chriſti Domini prædiffiniti; atqui gratia data Angelis in via, & primo parenti in ſtatu innocentiæ, fuit independens à peccato Adæ. Ergo Chriſtus Dominus ex vi decreti, quo prædefinitus eſt ante peccatum abſolutè præuiſum, fuit exiſtens independenter à peccato etiam futuro. Maior eſt noſtra doctrina. Minor & conſequentia ſunt probandæ. Minorem probant. Etenim illa eadem gratia data Angelis in via, & Adæ in ſtatu innocentiæ perſeueraſſet ex vi præſentis decreti, ſi peccatum non committeretur. Ergo illa gratia independenter à peccato fuit illis conceſſa, aliàs non conſeruaretur eadem in illis, peccato Adæ, nõ ſubſequnto. Iam prima conſequentia probatur. Non poteſt fieri, quòd gratia data Adæ in ſtatu innocentiæ, & Angelis in via ſit independens à peccato Adami ex vi præſentis decreti, & quòd cauſa per quam illis data eſt de facto, non ſit etiam independens ab ipſo peccato. Sed per nos cauſa, per quam de facto illis collata eſt gratia independenter à peccato, fuit Chriſtus per ſua merita. Ergo Chriſtus cum ſuis meritis eſt prædiffinitus ex vi præſentis decreti independenter à peccato Adami.

86. Hæc obiectio eſt magni habita apud recentiorem Complutenſem, qua munitus ſe victorem euaſiſſe præſumit. Verùm illam retortam ſuſtinebit. Ipſe tenet gratiam Angelis in via, & Adamo in ſtatu innocentiæ collatam, fuiſſe illis ex meritis Chriſti antecedenter prædiffiniti præſtitam. Argumentor ſic. Gratia, quam de facto Adamus habuit, fuit talis, vt ex vi illius, ſi perſeueraſſet, ipſe, & non Chriſtus fuiſſet caput gratiæ poſterorum. Ergo gratia collata Adæ non potuit eſſe ex meritis Chriſti. Antecedens conſtat ex pacto Dei cum Adamo. Conſequentiam probo. Quia potuiſſet Adamus in ea gratia perſeuerare, cùm enim peccatum ſit poſterius, & non neceſſariò conſequens, potuit in accepta gratia perſeuerare. Ergo ſi illam habuiſſet ex meritis Chriſti adhuc peccato non ſequuto vi præſentis decreti, Chriſtus incarnatus fuiſſet ex vi gratiæ antecedenter collatæ ex meritis Chriſti. Ecce obiectionẽ eiuſdẽ coloris.

Reſponde ergo ad illam in forma, concedens maiorem, & nega minorem. Ad probationem, concede antecedens. Et nega conſequentiam. Etenim non repugnat, vt de facto Adamus habuerit gratiam dependenter à peccato, & nihilominùs ſi in ea gratia perſeueraſſet, eamdem habiturus fuiſſet independenter ab ipſo peccato. Sicut non repugnat in iſtius Authoris, & & aliorum ſententia, vt de facto Adamus habuerit gratiam dependenter à meritis Chriſti, & nihilominùs ſi in ea perſeueraſſet, eamdem habiturus fuiſſet independenter à Chriſti meritis. Et ſicut non repugnat, vt de facto Deus habuerit decretum abſolutum de damnatione Iudæ, & ſimul illi gratiam dederit, in qua ſi perſeueraſſet, habiturus fuiſſet decretum de glorificatione eiuſdem. Et rurſum; in ſententia communi admittitur, Adamum, antequam peccaſſet, habuiſſe de facto fidem Chriſti venturi, quam tamen non habuiſſet, ſi peccaturus non fuiſſet. Ergo ſimiliter erit verum dicere, quod potuit habere gratiam dependenter à Chriſto venturo, dependenter à quo illam non habuiſſet, ſi peccaturus non fuiſſet. Iam horum omnium do rationem, quia non repugnat efficax decretum in Deo de re abſolutè futura, & ſimul poteſtas antecedens in creatura, de oppoſito illius decreti, quod ſi futurum fuiſſet, aliud decretum in Deo antecedenter factum fuiſſet. 87.

Argues ſeptimò, authoritate Diui Thomæ *hic art.* 3. *ad quartum*, aientis *ad quartum dicendum*, quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, & ideo ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicuius hominis, per orationes aliorum implendam, ita etiam prædeſtinauit incarnationem Chriſti, in remedium peccati originalis. Ergo in ſententia D. Thomæ præſcientia peccati ſupponitur in Deo ad decretum incarnationis. Ergo noſtra concluſio, defendens Chriſtum in primo ſigno prædiffinitum ante præſcientiam peccati, opponitur menti Diui Thomæ. 88.

Hæc authoritas ſimul occaſionem præbet explicandi noſtram ſententiam, & illã conformandi menti S. Doctoris. Intentum igitur Diui Thomæ in hoc articulo eſt, ſaluare negationem aduentus Chriſti ex vi præſentis decreti, in hypotheſi, quòd Adam non peccaret, & cùm contra hoc ſibi propoſuiſſet quartum argumentum, agens de prædeſtinatione Chriſti, non illi occurrit, abſolutè negando prædeſtinationem Chriſti fuiſſe ante peccatum, ſed per illa verba ab arguente propoſita, quæ ſi aliqualiter premantur, noſtræ concluſioni ſuffragantur. Imprimis quæ difficultatem ingerunt, ſunt verba illa, ita etiam prædeſtinauit incarnationem Chriſti in remedium peccati originalis. Verùm hæc minimè concludunt, debere præſcientiam abſolutam peccati, præcedere ordine intentionis prædeſtinationem Chriſti, ſufficit enim ad ſaluandum Chriſtum eſſe prædeſtinatum ordine 89.

intentionis in remedium peccati originalis, quòd ad dictam prædeſtinationem præcederet præſcientia peccati poſſibilis, vt latè diximus *in ſolutione ad quintum, numero octogeſimo.* Nec huic ſolutioni obuiant illa prima verba, ſcilicet, quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, quia ibi per illa verba datur intelligi, loquutum fuiſſe Diuum Thomam de prædeſtinatione in ordine executionis. Quod ſic pondero ex contextu; etenim in illo dicit Sanctus Doctor expreſsè, prædeſtinatum fuiſſe Chriſtum in remedium peccati, non aliter, quàm prædeſtinatur aliquis per orationes alterius, quod manifeſtum eſt, non fieri quoad intentionem, ſed quoad executionem; quod ex verborum ſerie patefit: quia non dicit Sanctus Doctor abſolutè aliquem prædeſtinari per orationes alterius, ſed prædeſtinari ſalutem eius, per orationes alterius implendam. Ergo cùm hoc exemplo vtatur Diuus Thomas ad ſuam mentem explicandam, circa Chriſti prædeſtinationem factam in remedium peccati, ſit, in eodem ſenſu docere præſcientiam futurorum peccatorum, debere præcedere prædeſtinationem Chriſti, ac præſcientiam orationis alienæ, ad prædeſtinationem alterius ſupponi. Sed hæc præſcientia ſupponi debet in ſententia Diui Thomæ 1. *parte, quæſtione* 23. *articulo* 2. & in hoc allegato loco, ad prædeſtinationem alterius in exequutione, & non ordine intentionis. Ergo dum docet hîc præſcientiam peccati futuri, debere anteire prædeſtinationem Chriſti, factam in remedium peccati, intelligendus eſt de prædeſtinatione Chriſti in ordine executiuo, non verò intentiuo accepta. Quod verum eſt, cùm primum decretum, à quo oritur exequutionis ordo, nempe decretum permittendi inuoluat ſecum præſcientiam peccati futuri, vt ſuprà in explicatione noſtri modi dicendi explicuimus *numero trigeſimo ſeptimo.* Sed hoc non refragatur noſtro aſſerto, quia hoc ſolùm decernit Chriſtum, ordine intentionis prædeſtinatum fuiſſe antecedenter ad præſcientiam abſolutam peccati futuri.

100. Argues octauò. Chriſtus in æterno decreto Dei, prædeſtinatus eſt independenter ab omni creatura. Ergo proxima ratio, propter quam facta eſt incarnatio, non potuit eſſe remedium peccati, atque adeo peccato adhuc non futuro futura fuiſſet incarnatio. Antecedens probat primò Alenſis *hîc quæſtione ſecunda, membro vltimo.* Ex Bernardo *ſermone primo de Aduentu Domini*, vbi docet, *Peccatum Angeli fuiſſe inuidiam naturæ humanæ in Chriſto exaltatæ, propter quod motus fuit ad tentandum hominem, putans peccatum fore impedimentum ad huiuſmodi aſſumptionem.* Ergo independenter à peccato prædeſtinata fuit incarnatio, quia quod ante peccatum fuit reuelatum, fuit independenter à peccato prædeſtinatum, quia quod ante peccatum reuelatur, non poteſt non eſſe futurum, cùm tamen poſſit non eſſe futurum peccatum; ſed id quod eſt infallibiliter futurum, nequit pendere ab eo, quod poteſt non eſſe futurum. Igitur ſi incarnatio reuelata fuit Angelo ante peccatum, prædeſtinari non potuit dependenter à peccato, alioquin vt reuelata non potuiſſet non eſſe futura, vt dependens à peccato potuiſſet futura non eſſe, quod eſt contradictoria inuoluere.

Reſponde, optimè compati cum hoc, quod eſt Chriſtum eſſe prædeſtinatum tamquam finem, & caput omnium prædeſtinatorum, ac proinde priorem in genere cauſæ finalis, & exemplaris, imò & meritoriæ, eſſe prædeſtinatum dependenter à remedio peccati, ſine quo prædeſtinatus non eſſet homo, ob rationem datam pro ſecunda concluſione *numero vigeſimo nono.* Sicque negandum eſt antecedens. Ad probationem Alenſis, concede Antecedens, & nega conſequentiam. Etenim potuit incarnatio prædeſtinari dependenter à peccato Adami, & nihilominùs Angelis reuelari, ſicut de facto fuit reuelata Adamo ante ipſius peccatum. Ratio, quia poteſt, quod eſt in intentione poſterius, & ab alio dependens, eſſe in executione prius, vt gratia collata Patribus fuit in intentione diuina poſterior, vtpotè prædefinita dependenter à meritis Chriſti, & tamen in executione fuit prior incarnatione, & Chriſti meritis, dependenter à quibus fuit decreta; ita ſimiliter potuit incarnatio, eſſe dependens à peccato, & nihilominùs in executione reuelari ante peccatum commiſſum, cuius vlterior eſt ratio, quia nullum agens tenetur in executione ſeruare ordinem durationis, ſed tantùm cauſalitatis, quam in intentione habuit; poteſt autem poſterius duratione eſſe cauſa prioris in executione, non quidem Phyſica, ſed moralis, quæ, quia ſuam cauſalitatem non exercet, vt exiſtens realiter in ſe, ſed vt exiſtens intentionaliter in mente operantis, mouendo propter ſuam bonitatem, voluntatem agentis ad aliquid decernendum, poteſt in præſcientia operantis, cauſalitate præcedere, & nihilominùs in re ipſa, duratione ſubſequi id, cuius fuit cauſa; ſic cauſa finalis eſt duratione poſterior medio, cuius fuit cauſa in intentione; cauſa autem Phyſica, quia ſuam cauſalitatem in effectiuo exercet, vt eſt in ſe realiter exiſtens, non poteſt duratione poſterior cauſare effectum, ipſa priorem duratione; aliàs cauſaret quando non exiſteret.

Ad illud autem, quod addit Albertinus, nempe quod reuelatur non poteſt non eſſe, peccatum verò à quo reuelatum pendet, poteſt non eſſe; Reſponde concedendo maiorem diſtingues minorem: poteſt peccatum non eſſe poteſtate antecedente, concedo, poteſtate conſequente, nego. Et quia reuelatum non fundatur in poteſtate antecedenti, ſed in neceſſitate conſequente, ideo, quod reuelatur dependenter à peccato, non poteſt non eſſe; ſicut nec poteſt non eſſe ipſum peccatum poteſtate conſequente, nam ex ſuppoſitione, quòd eſt futurum, non poteſt non eſſe futurum. 102.

Argues nonò cum Scoto, qui ordinatè vult, priùs vult finem, deinde quæ ſunt propinquiora fini. Sed Deus ordinatè vult. Ergo priùs vult ſe tamquam finem, deinde quæ ſunt propinquiora fini. Sed inter omnia opera,

ra, propinquiſſimum Deo, eſt opus incarnationis, cùm ſit omnium ad Dei gloriam manifeſtandam aptiſſimum. Ergo volitum fuit ante omnem creaturam, atque adeo ante ipſum remedium peccati. Fulcitur hoc; quia illud priùs mouet, quod magis mouet, magis autem mouet, quod eſt fini propinquius, quia magis participat de bonitate finis, ratione cuius cætera mouent. Ergo magis Deum mouet incarnatio, vtpotè Deo propinquior, quàm peccati remedium.

103. Reſponde diſtinguens maiorem: qui ordinatè vult, priùs vult, quæ ſunt propinquiora fini, perfectione, & nobilitate, nego, quæ ſunt propinquiora fini, cauſalitate, & intentione agentis, concedo, & quia poteſt liberum agens ordinare nobiliora media ad ignobiliorem finem, potuit Deus incarnationem, tamquam nobiliſſimum medium, ordinare ad remedium peccati, tamquam ad finem ignobiliorem: ideo potuit Deus priùs velle remedium peccati, tamquam finem à ſe proximiùs intentum, quàm incarnationem, vt medium, licèt vtrumque vltimatè propter ſui & Chriſti gloriam. Aliàs conuinceret Scotus, Deum nec de potentia abſoluta potuiſſe velle incarnationem propter remedium peccati tamquam propter proximum finem, quia nec de potentia abſoluta poteſt Deus inordinatè velle. Rurſum inſto in Scotum; nam in ſententia Doctoris Subtilis, Chriſtus ſaltem in carne paſſibili fuit à Deo ordinatus, tamquam medium ad humanam redemptionem. Ergo etiam in ſententia Scoti, Deus ordinauit medium nobilius ad finem ignobiliorem, cùm nobilior ſit incarnatio Chriſti, etiam in carne paſſibili, quàm humana redemptio.

104. Ad confirmationem, diſtingue maiorem illam; id priùs mouet, quod magis mouet, id eſt, quod de ſe eſt perfectius, & fini perfectione propinquius, vt arguens intendere videtur, nego. Quod eſt magis cum fine ab agente præintento connexum, concedo. Cùm ergo media non moueant, niſi propter finem, & finis non moueat, niſi provt intenditur ab agente, ea media magis, ac priùs mouent, quæ fini, non ſecundùm ſe, ſed vt ab agente intento ſunt propinquiora; Cæterùm non incarnatio, ſed remedium peccati fuit medium propinquius fini à Deo intento, quia finis Dei fuit manifeſtare ſuam miſericordiam, & iuſtitiam, ad quem finem propinquius medium eſt remedium peccati.

105. Argues decimò. Si Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet propter remedium peccati, Deus plus dilexiſſet redemptionem noſtram, quàm incarnationem Chriſti. Conſequens eſt falſum, quoniam Deus diligit res iuxta bonitatem earum; cùm enim Deus res diligat, communicando eis bonum, eas magis diligit, quibus maius communicat bonum, cúmque maius bonum communicet Chriſto, vtpotè cui ſuam communicat perſonam, magis eum diligit, quàm redemptionem noſtram, quæ eſt bonum aliquod creatum. Nunc ſequelam probo, nam illud plus diligitur, quod vt finis amatur, illud verò minùs, quod diligitur vt medium. Sed ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet propter remedium peccati, amatus fuiſſet vt medium, noſtra tamen redemptio, vt finis. Ergo magis dilecta fuiſſet redemptio noſtra, quàm Chriſti incarnatio. Quod eſſe abſurdum probauimus.

Reſponde negans ſequelam. Ad probationem, concede primam partem maioris, & diſtingue ſecundam, ſcilicet illud minùs amatur, quod diligitur, vt purum medium, concede quod diligitur vt medium, & ſimul vt finis, nega. Et minorem diſtingue, ſed ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet propter remedium peccati, amatus fuiſſet, vt medium & ſimul vt finis, concede minorem. Vt medium purum nega, & nega conſequentiam. Itaque iuxta principia noſtra, licèt incarnatio ſit dilecta, vt medium ad noſtram redemptionem, vtraque tamen eſt volita propter ipſius Chriſti exaltationem, quia igitur incarnatio includit Chriſtum, cuius gloria fuit magis à Deo amata, ad quam non ſolùm ordinauit incarnationem, ſed redemptionem ipſam, quæ fit finis propinquior incarnationi, ideo ſimpliciter magis amauit incarnationem, quàm redemptionem, quia incarnationem provt includit Chriſtum exaltandum, non tantùm amauit, vt medium ad redemptionem, ſed etiam, vt finem ipſius redemptionis. 106.

Argues vndecimò, nulla prædeſtinatio puri hominis, quoad totum ſupernaturale eſſe, fit dependenter à meritis ipſius prædeſtinati. Ergo nec prædeſtinatio Chriſti facta eſt dependenter à meritis ipſius Chriſti; at ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet in remedium peccati, prædeſtinatus eſſet dependenter ab ipſius merito. Hoc probatur, quoniam ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet propter remedium peccati, prædeſtinatus fuiſſet ex voluntate redimendi hominem à peccato. Sed hæc voluntas fuiſſet ex meritis Chriſti, quia hæc voluntas eſt prima radix humanæ ſalutis. Sed radix humanæ ſalutis eſt ex meritis Chriſti. Ergo hæc voluntas ortum habuiſſet ex meritis Chriſti, & conſequenter prædeſtinatio Chriſti, quæ decreta fuiſſet dependenter ab hac voluntate, ortum habuiſſet ex meritis ipſius. 107.

Reſponde breuiter, concedens primum entimema, & nega ſubiunctam. Ad probationem, concede maiorem. Et nega minorem. Ad probationem, concede, voluntatem, qua Deus Chriſtum in remedium peccati decreuit, fuiſſe radicem noſtræ ſalutis, & nega talem voluntatem fuiſſe ex meritis Chriſti. Vnde concede maiorem, & diſtingue minorem. Sed radix humanæ ſalutis eſt ex meritis Chriſti, ſi loquatur de radice, provt terminatur ad reliqua ſupernaturalia dona ab ipſo Chriſto diſtincta, concede, ſi loquatur de ipſa radice, provt terminata ad ipſum Chriſtum, nega, & nega conſequentiam. Itaquè voluntas, qua Deus redimere voluit hominem à peccato, non fuit ex meritis Chriſti, 108.

Chriſti, ſed ex mero beneplacito Dei, antecedenter ad omne meritum etiam Chriſti, quia cùm illa fuerit prima voluntas, qua voluit Chriſtum, non potuit eſſe ex meritis ipſius Chriſti.

109. Argues duodecimò. Si Chriſtus prædeſtinatus eſſet dependenter à peccato Adami, ſequeretur, animam Chriſti gaudere de lapſu, & peccato Adami, dependenter à quo ad tantam gloriam euecta eſt, ſequelam probo, quia non poſſumus gaudere de conſequenti, quin de antecedenti gaudeamus, à quo conſequens pendet. Confirmatur primò, nam hinc vlterius ſequeretur, nobiliùs prædeſtinatum fuiſſe Adamum, quàm Chriſtum, quoniam ille prædeſtinatus eſt independenter à peccato, propter ſolam intrinſecam bonitatem prædeſtinationis; Chriſtus verò dependenter à peccato, & propter extrinſecam bonitatem redemptionis. Confirmatur iterum. Etenim non eſt ſimile vero, tantum bonum, qualis eſt incarnatio Verbi, fuiſſe occaſionatum ex peccato,& ordinatum ad minus bonum, qualis eſt humana redemptio; nam quæ fiunt occaſione alterius, non amantur propter ſe, ſed propter illud, occaſione cuius fiunt.

110. Reſponde negando ſequelam; falſum enim eſt, Chriſtum debuiſſe gaudere de lapſu Adami, ſolùm enim ſequitur, oportuiſſe gaudere de miſericordia liberali Dei, qui alterius lapſum in tantum ſui bonum conuertit. Ad probationem, nega non poſſe nos lætari de conſequenti, quin gaudeamus de antecedenti, à quo eſt conſequens occaſionatum; poſſimus enim gaudere de effectu, & abſtrahere à cauſa, vt experientia Moralis eſt magiſtra, quæ licitam reddit lætitiam de morte hoſtis, non quia ipſi eſt mala, ſed quia nobis pro ficua. Ad primam confirmationem, nego ſequelam; nam etiamſi Chriſtus non fuiſſet prædeſtinatus homo, peccato non exiſtente, non tamen dici poteſt imperfectiùs prædeſtinatus Adamo, tum quia Adamus de facto prædeſtinatus eſt dependenter à meritis Chriſti, non tamen è contrà. Tum etiam quia Chriſtus prædeſtinatus eſt, vt hominum redemptor, qualiter ſic non eſt prædeſtinatus Adamus. Vnde fuiſſe Chriſtum prædeſtinatum ex occaſione peccati, redundat in maiorem Chriſti gloriam. Ad ſecundam confirmationem Scoti, reſponde, veroſimile fuiſſe pluribus Patribus tantum bonum, nempe Chriſtum, prædeſtinatum fuiſſe occaſione peccati; neque nouum eſt Deo ex occaſione mali bonum aliquod elicere. Quia vt Auguſtinus docet *capite vigeſimo ſeptimo in Enchiridio. Melius iudicauit Deus, de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere, qua ratione, occaſione peccati Pharaonis multa peregit miracula.* Et in ſententia ipſius Doctoris ſubtilis, ex occaſione peccati Deus prædeſtinauit Chriſtum, vt redemptorem hominum in carne paſſibili, quem alioquin non prædeſtinaſſet vt redemptorem. Nego igitur minùs amari, quæ ita amantur propter aliud, vt etiam amentur propter ſe, vti amatur Chriſti incarnatio, quæ ita amatur propter remedium peccati, vt etiam ametur propter ſe, & Chriſti exaltationem.

Argues tertiodecimò. Non minùs completa futura fuiſſet hominis beatitudo, ſi Adam non peccaſſet, quàm ſi nunc eodem Adamo peccante. Sed nunc hominis beatitudo futura, eſt completa per Chriſti humanitatem. Ergo tunc etiam futura, fuiſſet completa per eamdem Chriſti humanitatem. Maior patet, aliàs hominis innocentia fuiſſet ipſi impedimentum ad maius bonum. Minor probatur, nam nunc beatitudo hominis integratur ex intellectuali cognitione Dei, & corporea viſione humanitatis Chriſti. Confirmatur, nam ſicut homo eſſentialiter conſtat ex animo & corpore; ita completa eius beatitudo conſtare debet, ex intellectuali, & corporea viſione, cùmque nequeat Deus ſecundùm propriam naturam eſſe obiectum corporeæ viſionis, vt ſupponitur ex *tractatu de viſione*, erit Deus in natura humana. Facilè ab obiectione hac te expedies, concedens maiorem de beatitudine eſſentiali, necnon de accidentali, quæ ex anima redundat in corpus, negare tamen debes de beatitudine accidentali, quæ in corporea viſione humanitatis Chriſti conſiſtit; nam hæc etſi faciat ad aliquam accidentalem oculi corporei beatitudinem, tamen neque eſſentialem integrat, cuius obiectum eſt ſolus Deus, nec accidentalem ab eſſentiali promanantem minuit. 111.

Argues quartodecimò. Maius bonum eſt incarnatio Verbi, quàm totum vniuerſum, etiam vt includit totum eſſe ſupernaturale gratiæ & gloriæ. Ergo non debuit, peccato non exiſtente, tanto bono vniuerſum priuari. Antecedens patet, quia incarnatio Verbi includit bonum increatum, quod ſuperat quodcumque bonum creatum. Conſequentia probatur, nam perſeuerante ſtatu innocentiæ, non debuit vniuerſum eſſe imperfectius. Nec refert dicere cum Sancto Thoma *hic articulo tertio ad ſecundum*, in eo ſtatu vniuerſum futurum fuiſſe perfectum quoad eſſe naturale. Non inquam ſufficit, nam ſicut contra naturam vniuerſi fuiſſet, in eo ſtatu priuari perfectione gloriæ, ita contra eius perfectionem fuiſſet, in eo ſtatu priuari vnione hypoſtatica, cùm non minùs hæc, quàm illa ſpectet ad complementum vniuerſi. 112.

Ecce facilem ſolutionem; nega conſequentiam, nam licèt incarnatio ſit maius bonum, quàm vniuerſum, eſt tamen perfectio libera, quæ ſicut Deum non neceſſitauit ad eam ſimpliciter volendam, ita potuit propter quemcumque finem illam velle, neque vllum eſt abſurdum, incarnatione non exiſtente futurum non fuiſſe vniuerſum ita perfectum, ac modò eſt, cùm hoc pendeat ex libera Dei voluntate. 113.

DVBIVM SECVNDVM.

An filij Adæ, in quos iuſtitia originalis, vel peccatum erat transfundendum, potuerint prædiffiniri poſt commiſſum peccatum Adami?

Sectio I.

Status controuerſiæ proponitur.

1\. HOc dubium excito, vt aliorum mori acquieſcam, non quia inxta noſtra principia eius interſit excitatio; Mos enim aliorum depoſcit huius examen, & vt in promptu habeas quæque, quæ iuxta omnium aſſerta diſcurſui dantur, hoc tibi ſcrutandum dubium propono: Et vt ſtatum dubij cognoſcas, eſſe duplicem decretorum ordinem. Vnum à communi ſententia admiſſum, alium à nobis, iuxta principia adducta architectatum. Communis enim ſententia conſtituit, vt ſuprà vidimus, Chriſtum prædiffinitum poſt peccatum abſolutè futurum, & præuiſum. Noſtra verò opinatio condidit Chriſtum decretum, antecedenter ad omnem præuiſionem formalem abſolutam peccati: tametſi vt deuiaremus à ſententia Scoti, ita connexum adhuc in illo priori cum peccato, vt dependenter ab illo prædiffinitum conſtitueremus. Iuxta hæc tam diuerſa principia, varia decreta adſtruuntur ab Authoribus, quæ inferiùs ſcribam commodiùs. Igitur difficultas hæc nullam ſedem occupat in ſerie noſtrorum decretorum, quia cùm ſuppoſito primo decreto in intentione condendi Chriſtum, vt redemptorem, cætera ſint tam in intentione, quàm in executione effectus illius decreti, fit, quòd priùs ſaltem in executione decreuerit Adamum creare, eiuſque poſteros, & poſtea cum illo pactum celebrare, & rurſum peccatum permittere, ita vt iuxta hæc principia, cuncta tam naturalia, quàm ſupernaturalia, ex meritis Chriſti extiterint in rerum natura producta. Quæ omnia impediunt locum huic quæſtioni, quia hæc inter alia, eò vertitur, vt quærat, an Poſterorum exiſtentia ſit effectus meritorum Chriſti? à qua difficultate affirmatiuè reſpondentes expedimur, cum merita Chriſti præceſſerint præuiſa abſolutè ante exiſtentiam omnium condendorum. At non ſic ſe expedire valent Authores, defendentes Chriſtum eſſe prædiffinitum poſt peccatum Adæ, Etenim ſi ab illis petatur, an poſteri Adæ ſint prædiffiniti ante peccatum Adæ, & reſponderint affirmatiuè, contra illos adeſt difficultas hæc ſuperanda. Ergo nullius ex poſteris exiſtentia poterit ex meritis Chriſti eſſe; Probatur conſequentia, quia tam merita, quàm ipſe Chriſtus in horum ſententia ſunt poſt peccatum Adami. Ergo poſt decretam exiſtentiam poſterorum. Conſequentia patet, quia hæc ſententia ponit decretum de exiſtentia poſterorum ante præuiſum peccatum; & decretum de Chriſti exiſtentia poſt præuiſum peccatum. Ergo exiſtentia Chriſti, & eius merita eſſent poſt decretam Poſterorum exiſtentiam. Ergo hæc non poterat eſſe effectus meritorum Chriſti. Ecce quomodo quæſtio tituli noſtris principiis præoccupata, contrarios maximè premere videtur.

Liceat igitur hanc rem dirimere noſtris aſſertis depoſitis, & quid reſoluere in aliorum ſententia oporteat, diſcutiamus. Varij varia pronuntiant. Conueniunt cuncti in hoc, quòd Chriſtus ſit prædiffinitus ſaltem in carne paſſibili poſt præuiſum peccatum Adami. Verùm in duo placita valdè diſſona, & apud Reuerendiſſimos apprimè controuerſa diſperguntur circa prædiffinitionem poſterorum. Quidam enim dicunt, ante peccatum Adæ, prædiffinitam eſſe determinatè exiſtentiam aliquorum hominum ex his, qui de facto creati ſunt. Alij verò quos ſequitur Puente *diſputatione decima tertia, numero ſeptuageſimo ſexto.* Ruitius *diſputatione decima tertia de prædeſtinatione, ſectione quarta.* Lugus *diſputatione ſeptima, ſectione quarta in fine*, docent, Poſteros Adæ fuiſſe prædiffinitos poſt illius peccatum commiſſum. Hæc ſunt Authorum placita, quibus ita adhærent, vt quilibet de ſuo, quod defendendum elegit, alio probabiliorem autumauerit. Noſtra intereſt vtrorumque momenta appendere, quod vt aſſequamur clariùs, ſingulis ſingulas ſectiones præfigemus. 2.

Sectio II.

Opinio eorum defendentium, poſteros Adæ, poſt illius peccatum commiſſum, eſſe prædiffinitos; examinatur.

PRobant hanc ſententiam eius Patroni, Primò; etenim ſi Adamus non peccaret, plures alij naſcerentur, qui modò non naſcuntur. Ergo poſteri Adæ non fuerunt abſolutè naſcituri determinati ex Adamo ante illius peccatum, quia ſi antequam peccaret Adamus, ſupponerentur decreti omnes, qui determinati futuri fuiſſent, in quocumque euentu, ſiue Adam peccaret, ſiue non, iidem homines eſſent procreandi. Antecedens multis ab Authoribus probatur. Primò, quia in hac rerum ſerie, poſt Adæ peccatum, multi ſterilitate laborant, & plures, quamuis ſterilitatem hanc non patiantur, perpetuò, tamen non ex quacumque copula filios gignunt. Atqui in ſtatu innocentiæ, quilibet, & ex quolibet coïtu, filios procrearet, quod communiter ab Authoribus ſtatuitur. Lege Bonauenturam *in ſecundum diſtinctione vigeſima, articulo vnico, quæſtione quinta.* Sanctiſſimum Thomam *prima parte, quæſtione nonageſima nona, articulo ſecundo ad tertium.* Suarez *tractatu de opere ſex dierum* 3.

lib.

lib.5.c.8.num.2. Ergo ſi Adamus non peccaret, plures alij naſcerentur, qui modò non naſcuntur.

4 Confirmatur; quia plures homines, qui hîc & nunc filios non habent, ſi tamen Adam non peccaret, & in ſtatu innocentiæ eſſent conſtituti, filios procrearent. Ergo filij, qui nunc non exiſtunt, exiſterent, Adamo non peccante. Ergo plures filios haberet Adamus, ipſo non peccante, quàm poſtquam deliquit, nunc habeat.

5. Hoc fundamentum non eſt efficax. Primò, quia ſi Zumelem ſequutum alios, 1. *part. quæſt.98. art.3. dub.1.* Sectaremur, illa minor, in qua docetur, homines in ſtatu innocentiæ, ex qualibet copula filios ſuſcepturos, eſt falſa; atque adeo totidem fore gignendos nunc, ac in ſtatu innocentiæ. Secundò deficit. Quia dato, quòd, Adamo non peccante, nullus ſterilis eſſet extiturus, & quicumque ex quolibet coitu filium procreaturus foret, tamen in prædicto ſtatu deueniendum eſſet ad poſtremos homines, qui nullos filios gignerent, quod etiam Authores contrarij admittunt, & bene, ne infinitum hominum numerum fateri cogantur, & taliter iſtorum numerus accreſcere poſſet, vt æquaret numerum hominum, qui hîc & nunc vel ſteriles omnino ſunt, vel plures copulas vanas reddere videntur. Rurſum, nam collatis copulis, quas hîc & nunc homines exercere valent, cum his, quas exequerentur homines in ſtatu innocentiæ, adeo illæ poſſent, quoad numerum, ſuperare iſtas, quòd quamuis detrahamus illas, quas hîc & nunc irritas ſine filijs experimur, tamen tot poſſunt remanere, quæ filios procreent, quot eſſent illæ, quæ contingerent in ſtatu innocentiæ, ſi Adam non delinqueret. Vnde nego antecedens. Ad probationem. Concedo maiorem & minorem, & nego conſequentiam: quia aliundè defectus filiorum, ex ſterilitate, vel copularum vanitate ſubortus, compenſari poſſet ex repetitione ſcilicet coïtuum, quos nunc poſſent exercere homines, quibus in ſtatu innocentiæ fortaſſis ſe priuarent. Ex his confirmationi reſpondebis, & addes, Authores iſtos admittere, quòd ſi Adam non peccaret, adhuc eſſet numerus determinatè prædiffinitus ſuorum filiorum, nunc reſponde, quod licèt plures eſſent procreandi filij in ſtatu innocentiæ, quàm nunc, tamen illa filiorum multiplicatio contingeret quouſque adimpleretur collectio hominum prædefinita, etenim impleta hac, nullus filius deinceps procrearetur, ſed homines qui tunc exiſterent, quamuis copulas in dies repetiuiſſent, vanè ſine filiis iterarent illas, cùm in ſerie illa eſſent poſtremi prædicti homines.

6. Mouentur ſecundò, quia teſte Sancto Thoma *1.part.quæſt.95.art.4.* & Scoto *in 2.diſt.20. quæſt.1.in fine*, & D. Bonauentura *in 1. diſt.20. artic. vnico, quæſt.6.* in ſtatu innocentiæ eſſet hominum & mulierum numerus æqualis. At in noſtro ſtatu valdè incertum eſt, ſexus iſtos eſſe in numero æquales; imò contrarium eſt veroſimilius apud Authores, & experientiam. Ergo plures in illo, quàm in hoc ſtatu procrearentur filij. Conſequentia patet, quia tunc plura matrimonia celebrarentur, quàm ſint ea, quæ nunc celebrata conſpicimus, quia cùm in præſenti ſerie non extiterit numerus amborum ſexuum æqualis, & quolibet deficiente, matrimonium impoſſibile reddatur, fit, plura matrimonia eſſe ibi condibilia, quàm nunc. Ergo nunc non tot filij, quàm tunc procrearentur.

Hoc argumentum plura ſatis incerta texit, quæ non vacat explicare; vnum, vel alterum proponam. Imprimis, caſu dato, quòd in caſu illo plura exiſtere poſſent matrimonia, vt exinde ſuſciperentur filij, vnde conſtat in tali ſerie, plures ex vtroque ſexu non fore continentiæ obſeruatores: ita vt virginitatis cupidi, in cælibatu commorarentur, & ſine corporis corruptela puritatem illibatam cuſtodirent; tunc vltra, totidem enim iſti poterant eſſe, vt eorum numerus prorſus æqualis eſſet hominum collectioni, quos experimur ſine filiorum propagine, vel quia ex voto caſtitati obſeruiunt, vel quia cœlibes, vel quia non nupti, luxuriæ tamen ita ſunt dediti, vt præcopularum repetitione irritos congreſſus peragant, vel ſi nupti, ſterilitatis intemperie labefactantur perpetuò: En quomodo dato caſu, quòd, Adamo non peccante, numerus mulierum, & virorum extitiſſet æqualis, non exinde, efficaciter probatur, plura matrimonia ibi fuiſſe celebrata, quàm ea, quæ in hac ſerie operata cognoſcimus. Iam ſi hoc non eſt euidenter certum, fit, quòd numerus eorum, qui in tali ſtatu matrimonio coniungerentur, poſſet non excedere numerum eorum, qui hic & nunc vxores ducunt; atque adeo, quòd tam in illo, quàm in hoc ſtatu totidem filij procreari poſſent. Rurſum etiam, dato, quòd vtriuſque ſexus eſſet prorſus æqualis, & dato, quòd omnes matrimonio iungerentur, & conſequenter, quòd plura in tali ſtatu matrimonia conderentur, quàm nunc, adhuc non infertur filiorum multitudinem eſſe tunc maiorem, quàm nunc; ratio, quia extat opinatio non paruæ probabilis, quòd etiamſi Adam non peccaret, cæteri tamen peccare poſſent. Ergo poterant illicitos congreſſus elaborare, atque adeo poterat mulier vna, ſui corporis pluribus hominibus dare copiam, & exinde poſſent tot copulæ ſine fructu euaneſcere, quot ex eadem cauſa experimur irritas nunc & vacuas. Vnde in forma reſponde, concede antecedens. & nega conſequentiam. Ad probationem nega, vel concede antecedens iuxta duas ſolutiones tibi inſinuatas; & ſi illud conceſſeris, nega conſequentiam. Aliam tamen ſolutionem inuenies apud Maldonatum *cap. 5. in Matth.* Suarez *lib. 5. de opere 6. dierum, cap. 3.* & Thomam Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſputat. 8.* 7.

Mouentur quia multi modò ante pubertatem moriuntur, qui tunc in ſtatu innocentiæ poſt ſenectam ætatem animum flarent, atque adeo hi, qui modò non generant, tunc gignerent. Confirmatur, quia multi modò, aut virtutis, aut tuendæ valetudinis ſtudio ſe continent; in ſtatu verò innocentiæ omnes vacarent matrimonio, exceptis illis, qui poſtremi in vniuerſo futuri eſſent, vt communiter 8.

ab

ab aothoribus admittitur. Confirmatur ſecundò, ſiquidem dioerſa numero, imo ſpecie eſſent alimenta, Adamo non peccante, & ex diuerſo alimento, diuerſa materia geoerationi miniſtraretur.

9. Verùm oec iſta placitum hoc efficacius eleuant, ad argumentum reſpondeo facilè, quòd licèt tam diuturoa vita hic & nunc homines non fruegantur, ac in ſtatu iooocentiæ vigerent, tamen tot copulas poſſent in breuiori vitæ periodo exercere, vt poſſent defectum vitæ longioris compenſare. Hoc ipsum ſatisfacit confirmationi primæ. Etenim conceſſo quòd in hac rerum ſerie pauciores matrimonio coniungantur, ac in illa, ſi Adam non peccaret, tamen tot poſſent filij ſuſcipi, quot ſuſciperentur in caſu, quo Adam non peccaret, ex ploribus matrimooio obſtrictis, tametſi nulla io illis daretur copula ſine fructu, quia ex repetitione copularum, poterat exceſſus iſte compenſari. Idipſum ſecundæ confirmationi inſeruit; quia licèt in ſtatu innocentiæ, ex craſſioribus alimeotis aptior miniſtraretur materia generatiooi, quàm ſit ea, quæ hîc & nunc exhibetur, tamen hoc ipſum ſupplere poſſet in hac ſerie copularum multitudo, quàm homines hîc & ounc exercere poſſent.

10. Arguunt item, multi reproborum nati ſunt ad exerceodos prædeſtinatos. At ſi Adam non peccaret, non erat neceſſaria illorum exiſtentia, cùm plures prædeſtinarentur ad perſeuerandom in ſtatu ionoceotiæ ſine martyrio, & reproborum perſecutione. Hoc argumentum vel intendit probare plures homines, Adamo noo peccante, vel ipſo peccante, noo eſſe eoſdem naſcituros. Primum per ſe patet; ſecundum oon aſſequitur, quia iidemmet homines, qui ſuppoſito peccato Adami nati ſunt ea intentione, vt prædeſtinati exerceantur, poterant ex alia intentione à Deo produci, caſu, quo Adamus non peccaret.

11. Sed inſtabis, plures, qui modo ab eodem homioe ex diuerſis mulieribus illicitè ſuſcipiuntur, tunc ſi Adam non peccaret, inter ſolutos non procrearentur. Ergo oon eſſeot iidem homines io vtroque ſtatu.

12. Reſpondeo, diuerſum quid eſſe, eoſdem homioes io vtroque caſu naſci, & naſci ab eiſdem parentibus. Argumentum enim, ſi aliquam vim habet, ſolùm conuincit, homines hos ex concubitu illicito ounc ortos, oaſcituros fore in alio ſtatu, ex aliis parentibus matrimonio copulatis. Verùm nec hoc conuincere mihi ſuadet hæc ratio, etenim filij, qui nunc ab eodem homine illicitè gignuntur, ex diuerſis mulieribus, poſſent in ſtatu innocentiæ, ab eodem homioe ex vna muliere licitè generari.

13. Sed adhuc inſtabis, exiſtentia aliquorum, eſt effectus eorum prædeſtinationis. Ergo ex meritis Chriſti. Ergo poſt præuiſum peccatum Adæ, quod fuit prius Chriſto, & illius meritis. Reſpondeo concedo antecedens, & primam conſequentiam, & nego ſecundam. Ratiooem dat decretorum ordo, quem vt probabilem *tractatu de prædeſtinatione* dedimus *diſp. 2. dub. 1. num. 3.* ibi enim non incongruenter decreuimus, potuiſſe Deum efficaciter decernere, ante præuiſa merita, dare gloriam propter merita; ex qua voluntate ſolum inferri diximus, Deum teneri merita producere, non tamen inferri talem voluntatem ſubſequi ad merita abſolutè futura, iuxta hæc enim aſſerta argumentum ſolues, & proferes, potuiſſe Deum decernere, producere exiſtentiam alicuius hominis ex meritis Chriſti, at ex hac voluntate ſolùm ioferri, teneri Deum in alio ſigno producere hominem, poſt præuiſa Chriſti merita, & ipſum Chriſtum producere; necnon ea omnia in aliis ſignis directè intendere, & permittere, quæ neceſſaria ſint ad Chriſti merita: vnde ſolùm ex illa voluntate ſequitur, hominem illum, & eius exiſtentiam, eſſe in illo primo ſigno volitum, vt connexum cum Chriſti meritis, antecedeoter ad ipſa merita, & peccatum Adæ.

Sectio III.

Opinio eorum, defendentium ante peccatum Adæ prædiffinitam eſſe exiſtentiam aliquorum ex his, qui de facto creati ſunt, examinatur.

Contrariâ viâ inceſſere Anteſignani priſci Scot. & eius ſectatores, Marſilius *in 2. diſt. 10. q. 3. art. 1. dub. 3.* Gabr. 16. *q. vnica art. 1.* Maior *ibid. dub. vlt. poſt principalem quæſt.* Carthuſ. *ibid. q. 4. verſus finem*, quos plures ſequuntur, & omnium luculentiùs Salazar *c. 34. de conceptione §. 3.* à qua regula excludit SS. M. quam fuiſſe ex meritis Chriſti, & redemptoris, profitetur. Hanc ſententiam Complutenſes noſtri tenaciter defendunt, quamque vt explicent, plura ioſerunt ſuis principiis conſona, illorum aliqua tranſcribam. Notant primò, peccatum originale poſterorum conſiſtere in actione peccaminoſa Adæ, moraliter, ſeu per modum habitus perſeuerante in poſteris, cuius rationem dant, quia Deus omnium poſterorum voluntates tranſtulit in voluntatem Adæ, conſtituendo illum io caput totius generis humaoi, & ideo vt rectè Auguſtinus notat, noſtræ voluntates in ſua continebantur in ordine ad obſeruationem, ſeu tranſgreſſionem præcepti, ita vt eo eliciente actionem prauam, omnes diceremur eam moraliter elicere, quia actio ſemel tranſacta perſeuerauit poſtea moraliter in vnoquoque, ſicut dicitur perſeuerare quilibet actus noſter, quandiu non retractatur, aut non remittitur, vt diximus cum communi *tractatu de peccatis*. Voluntates hominum fuiſſe tranſlatas in voluntatem Adæ, eſt Theologis familiare, vt videre eſt apud quempiam. 14.

Notant ſecundò, peccatum Adæ in nullo ſigno fuiſſe præuiſum, vt peccatum ſolum illius, ſed in quolibet ſigno fuiſſe præuiſum, vt peccatum capitis in poſteros transfundendum. Ita communis, & ratio ſuadet, quia peccatum, vt tale, inuoluit cognitionem auertentem homioem ab illo vt malo Sic enim legimus *tractatibus de peccatis & de bonitate & malitia.* Sed cognitio de facto auertens Adamum ab eo peccato, repreſentabat illud, vt 15.

vt malum ipſi, non quatenus perſonæ particulari ſolùm, ſed quatenus capiti. Ergo talis cognitio conſtituebat illud, non quidem peccatum perſonæ particularis ſed capitis, ac proinde Deus in quocunque ſigno cognoſcebat illud, vt peccatum capitis. His notatis.

16. Sic arguunt Reuerendiſſimi. Peccatum Adæ fuit peccatum, non quidem perſonæ particularis, ſed poſterorum in ipſo Adamo, vt in capite; ad hoc enim vt poſteri peccatum originale contrahant in Adamo, requiritur transfuſio voluntatum eorum in voluntatem Adæ; ita vt ratione huius transfuſionis, dicantur moraliter cum ipſo Adamo ad actionem eius concurrere, & hæc actio moraliter perſeuerare in illis, quoad vſque à peccato originali iuſtificentur, vt ſupponunt ex notatis. Si ergo nullus poſterorum prædiffinitus abſolutè fuit ante peccatum Adæ, vel transfuſio voluntatum eorum, qui in primo ſigno peccauerunt in Adamo, fuit circa illos, vt abſolutè poſſibiles, vel circa poſſibiles ſub conditione, eo quòd reipſa naſcantur ex Adamo. Si primum infertur, omnes qui ſunt merè poſſibiles, reipſa cum Adamo peccatum commiſiſſe in eo ſigno, quod eſt falſum, quia cum merè poſſibiles reipſa non ſint entia, nullam actionem habere poſſunt, ſiquidem non entia nullæ ſunt proprietates. Si dicatur ſecundum. Ergo ad hoc, vt illa actio Adami ſit moraliter actio reliquorum, ac proinde in eo peccauerint in illo ſigno, eſt neceſſarium, quòd exiſtentia eorum ſit dependenter ab Adamo. Ergo pro eo ſigno, pro quo exiſtentia eorum non fuerit dependens ab Adamo, non poterunt moraliter concurrerere cum eo, neque in eo peccare. Probant conſequentiam. Concurſus moralis poſterorum cum Adamo, ratione cuius dicuntur in eo peccare, ſupponit transfuſionem voluntatum eorum in Adami voluntatem. Sed hæc transfuſio non datur niſi ex ſuppoſitione, quòd exiſtant ex Adamo. Ergo neque concurſus moralis poſterorum cum Adamo datur, niſi in eo ſigno, in quo detur talis concurſus, & ſupponatur exiſtentia eorum ex Adamo. Atqui exiſtentia Poſterorum ex Adamo non decernitur, niſi poſt peccatum, non poteſt ſupponi exiſtentia eorum in ſigno antecedenti actionem peccaminoſam Adami. Ergo neque ipſi poterunt concurrere moraliter in eo ſigno ad eam actionem cum Adamo, neque in eo peccare.

17. Hoc muniunt. Etenim poſteri non peccarunt in Adam in eo ſigno, in quo ipſe peccaminoſam actionem elicuit, quia non poſſunt peccare, niſi ratione transfuſionis voluntatum, quæ quidem non datur, niſi ſuppoſito, quòd exiſtentia poſterorum, ſit futura ex Adamo, & in eo ſigno non ſupponitur futura. Neque peccant in Adam in eo ſigno, in quo habent exiſtentiam, quia illud ſignum ſupponit iam exercitium voluntatis Adæ, & dari non poteſt concurſus ad actionem iam præteritam. Ergo in nullo ſigno peccant.

Hoc argumentum ſub alia forma peregit 18.
cum aliis Salazar citatus, illi ſolum innixus principio, quòd ſcilicet, ſi poſteri Adæ prædiffiniti non ſunt, quando peccat Adamus, nunquam potuerunt in Adamo peccare, quia non poſſunt peccare, quando peccat Adamus, quia tunc non exiſtunt, ac proinde peccare non poſſunt, & eadem videtur eſſe ratio de futuris, ac de poſſibilibus; nec peccare poſſunt, quando primò exiſtunt, quia tunc non ſunt indifferentes ad peccandum, adhuc indifferentia in Adamo exiſtente, quia iam Adamus non eſt indifferens ad peccandum, ſed ſupponitur antecedenter in actu ſecundo determinatus ad peccatum iam commiſſum, ad quod nulla datur potentia. Confirmatur. In primo inſtanti, in quo exiſtunt, non poſſunt dici peccare, quia tunc non peccat Adamus, nec dici poſſunt peccaſſe, cùm omne præteritum neceſſariò fuit aliquando præſens in aliquo tempore, & implicat dari præteritum ſine præſenti. Ergo iuxta opinionem hanc, nunquam poſſunt dici poſteri Adæ peccare.

Nec refert ſi huic argumento quouis mo- 19.
do formato reſpondeas. Primò poſteros peccare dici conditionatè pro eo ſigno, pro quo Adam peccauit abſolutè, & poſtea in ſigno, in quo decernitur exiſtentia eorum ex Adamo, fieri peccatum Adæ, peccatum eorum abſolutè. Non inquam refert, quia in eo ſigno actio Adami non eſt actio poſterorum abſolutè. Ergo neque adimpleta conditione, quæ erat exiſtentia eorumdem ex Adamo, fiet peccatum Adæ, peccatum eorum abſolutè, niſi iterum repetatur actio ipſa Adami. Antecedens eſt certum, quia actus conditionatus non tranſit in abſolutum, niſi purificata conditione; conditio autem, ſub qua actio Adæ erit actio poſterorum (quæ quidem eſt exiſtentia eorum ex Adamo) non eſt purificata in eo ſigno, atque adeo in eo ſigno actio Adæ non poteſt eſſe actio poſterorum abſolutè. Nunc conſequentiam probant, quia peccatum Adæ, eſt peccatum poſterorum, in quantùm ab ipſis poſteris procedit. Sed poſitâ exiſtentiâ eorum ex Adamo, non procedit ab illis. Ergo non fit peccatum eorum. Minorem probant, quia non procedit ab illis ſeipſis operantibus, vt patet neque ab illis operantibus in Adamo, quia hic tunc iam non operatur, vt fatetur opinio contraria. Ergo, &c.

Nec refert, ſi ſecundò reſpondeas, quòd adim- 20.
pleta conditione dicuntur poſteri concurrere moraliter ad actionem Adæ, non pro tunc, ſed pro ſigno, in quo ipſe Adamus elicuit ſuã actionem peccaminoſam, nam ſemel adimpleta conditione, perinde ſe habent in ordine ad priuationẽ gratiæ, & alios effectus procedẽtes ex peccato Adæ, ac ſi illud ipſi cõmiſiſſent ab initio.

Non inquam refert, quod vt impugnent Re- 21.
uerendiſſimi notant, id eſſe diſcriminis, inter actum conditionatum ex parte obiecti tantùm, & actum conditionatum quoad ſubſtantiam, ſeu ex parte actus, quòd actus conditionatus ex parte obiecti, exiſtit abſolutè ſecundùm ſuam entitatem ante aduentũ conditionis (ſermo eſt de conditione de futuro) expectat enim

adimple

adimpletionem conditionis ad cauſandum aliquem effectum, vt ſiquis velit modò occidere Petrum, ſi venerit Complutum, abſolutè habet voluntatem occidendi; expectat tamen purificationem conditionis, vt de facto cauſet occiſionem; at actus conditionatus quoad ſubſtantiam, ſeu ex parte actus, non exiſtit abſolutè ante impletam conditionem, ſed exiſtet ea purificata. Vnde ſi ſit actus peccaminoſus, non committitur peccatum quouſque adimpleta conditione ponatur reipſa talis actus; ſecus tamen accidit in actu conditionato ex parte obiecti tantùm, quia cùm ipſe reipſa exiſtat ante impletam conditionem, non expectatur purificatio conditionis ad contrahendum peccatum, ſed contrahitur per ipſam poſitionem actus. Hoc iacto, arguunt Reuerendiſſimi contra ſolutionem. Vel actio peccaminoſa Adæ in eo ſigno, in quo ipſe peccauit, fuit actio poſterorum abſolutè ex parte actus, & conditionatè ex parte obiecti tantùm: vel fuit actio poſterorum conditionatè ex parte actus. Si primum. Ergo iam tunc poſteri peccarunt in eo ſigno, ac proinde licèt poſtea poſteri non exiſtant ex Adamo, erit verum dicere, quòd in illo peccarunt. Si ſecundum. Ergo nulla ratione poſtea peccant, quando aduenit eorum exiſtentia. Patet, quia vt peccent adueniente exiſtentia, eſt neceſſarium, quòd hac poſita abſolutè pulluler actio aliqua peccaminoſa, ſiue ab ipſis poſteris, ſiue ab Adamo, ratione illorum, at nulla actio abſolutè ponitur adueniente exiſtentia poſterorum. Ergo.

22. Ex hoc inferunt, ex hac opinione ſequi, quòd ſi exiſtentia poſterorum non prædiffinita eſſet ante peccatum Adæ futurum, nulla ratione poſſent ipſi in Adamo peccare pro primo ſigno, in quo ipſe peccauit, licèt ipſi poſtea priuarentur gratia, ſubirent mortem, & reliqua mala Adamo inflicta per peccatum; dicerentur quidem ea mala pati, non tamen puniti, quia punitio ſupponit culpam, in eo enim caſu nulla culpa in poſteris ſupponeretur, atque adeo non poſſent puniri. Cùm ergo fide certum ſit, Adæ poſteros (excipe Mariam Sanctiſſimam) peccatum in Adam contraxiſſe in eo ſigno, in quo ipſe peccauit, ita vt ipſi verè dicantur peccatores in eo ſigno, neceſſariò admittendum eſt, exiſtentiam eorum prædiffinitam fuiſſe ante peccatum Adæ futurum.

23. Hoc argumento Reuerendiſſimi inſultant, & iure, cùm valde difficile pluribus ſit viſum; ſed vt tantiſper eius robur attemperetur, notare debes aliorum recentiorum diſcurſum dirigi, quòd huius opinionis authores incedunt. Etenim ipſi arguunt à linea phyſica, quam prætendunt, ad moralem, de qua authores ſolùm diſcurrunt; certum enim eſt, quòd plus ad phyſicum, quàm ad morale genus deſideratur; vt cuique eſt peruium. Cùm ergo poſteros in Adamo peccaſſe, non ſit in illis quid phyſicum, ſed morale quid, & influxum eorumdem in actionem Adæ, moralem eſſe cenſeant cuncti, ſit, argumentum Reuerendiſſimorum de eſſe phyſico procedens, nullam vim in huius opinionis authores habere. Vnde iuxta hoc peccaſſe poſteros in Adamo, nihil aliud eſt, quàm peccaſſe Adamum habentem in ſua voluntate omnes, qui ex eo procederent, dependenter ab eorum exiſtentia, & de facto, ab ipſo procedere. Itaque poſteros in Adamo peccare petit duo hæc, & Adamum peccare, & poſteros ex illo hîc & nunc de facto exiſtentiam habere: atque adeo cùm primum aliquis intelligitur ex Adamo, qui iam peccauit, produci, dicitur peccaſſe in Adamo, & quòd in ipſo peccauit propriè per peccatum antecedenter commiſſum, quia modò ex Adamo procreari, & ſimul cum omnibus poſſibilibus in illius voluntate fuiſſe repoſitum, dependenter ab eius exiſtentia, perinde eſt in iſtorum opinione moraliter æquiualenter, ac ſi habuiſſet exiſtentiam in illa duratione, in qua Adamus peccatum exercuit. Verùm hoc totum ſequenti notabili inſpicies.

Notare debes rurſum, vt doctrinam al- 24.
latam rationabiliter adhibeas, quod fundamentum, cui opinio & notabile adductum innititur, eſt pactum à Deo cum Adamo conſtructum. Quapropter licèt ſit verum, poſterum Adæ non poſſe abſolutè, & completè in pacto includi, vſque dum intelligatur abſolutè futurus, tamen poteſt intelligi incluſus in illo dependenter ab eius exiſtentia, ſeu ſub conditione quòd exiſtat. Quid enim prohibet pactum eſſe celebratum pro cunctis, qui ex Adamo eſſent ortum tracturi; etenim cùm conuentio & pactum dependeat ex libera voluntate paciſcentis, potuit ſic vel aliter illud elaborari, igitur pactum fuit pro quolibet indiuiduo, quod gratiam ex Adamo vi pacti celebrati ante purificationem conditionis, vel maculam peccati ſeu priuationem gratiæ erat contracturum, ex ſuppoſitione, quod poſtea exiſteret. Sic enim dicitur quodlibet indiuiduum includi in pacto antecedenter ad eius exiſtentiam prædefinitam, licèt dependenter ab illa in alio ſigno prædefinienda. Iam quòd iſto modo in pacto includi ſufficiat, vt poſteà, cùm abſolutè, & completè includuntur, dicantur libertate Adami liberè contraxiſſe peccatum ex Adamo, aut ab ipſo gratiam acquiſiuiſſe, ex ſe patet, & exempla ſtatim adducenda demonſtrabunt.

Præ oculis attendere debes. Pactum præ- 25.
dictum Deum non iniiſſe cum poſteris, ſed cum Adamo pro ſe & pro illis. Ex quo oritur, quòd pactum & promiſſio Adamo facta pro filiis, fuit facta ante exercitium libertatis, & pro ea duratione, in qua Adamus ipſe pro ſe, & pro ſuis filiis erat indifferens ad peccandum, & non peccandum; atque adeo quando Adamus peccauit, iam quantùm requirebatur ex parte Adami, poſteri cuncti in eius voluntate continebantur, licèt pro tunc non dicerentur completè capaces præmij, quod in illis conferendum erat Adamo, cui propter præcepti obſeruationem fuit promiſſum, nec pœnæ,

quæ in ipſis ſuſtinenda, Adamo minabatur Deus propter præcepti violationem.

26. Iam rem hanc exemplis patefacio. Peruium eſt cunctis, apud Regem, poteſtatem eſſe condendi aliquem in caput alicuius ciuitatis, eo pacto, vt ſi fidelitatem ſeruauerit, omnes incolæ illius vrbis ſint nobiles, aliter verò omnes ſint vectigales. Hoc enim pacto poſito, & ſuppoſita ſimiliter illius hominis infidelitate, ſi aliquis in ciuitatem venerit, ſtatim cenſebitur in eo pacto incluſus, & nullam habebit nobilitatem, quamque amiſiſſe dicetur in capite illo prædictæ ciuitatis. En pactum omnes homines comprehendens ſub conditione, quòd ingrediantur ciuitatem, atque adeo eorum nobilitas & amiſſio fuit decreta ante eorumdem ingreſſum, licèt dependenter ab illo. Sic enim diſcurrere debetis in pacto illo, quod cum Adamo pro ſe & & pro poſteris eius iniuit Deus de contrahenda gratia; vel eius priuatione, media obſeruatione, vel violatione præcepti. Hoc inquam pactum omnes eius poſteros comprehendit dependenter ab eorum exiſtentia, licèt antequam illam decerneret Deus, prædictum pactum cum Adamo fuerit celebratum; atque adeo, ſicut ſupremus Rex ſic hanc promiſſionem dedit: promitto gratiam omnibus, qui ex te exiſtentiam habebunt, ſi fidelitatem in eis mandatis ſeruaueris, ſin verò gratiæ priuationem contrahent.

27. Verùm Reuerendiſſimi præſumunt exemplum hoc illis ſuffragium eſſe, ſicque in hanc opinionem contorquent. Etenim qui ſuppoſita illius capitis infidelitate in ciuitatem veniret, nunquam, ex vi pacti Regis, indifferens fuit ad habendam nobilitatem, ex prædicti capitis fidelitate. Ergo qui poſt commiſſum Adami peccatum fuit prædiffinitus, nunquam fuit indifferens ad gratiam ex Adamo trahendam. Antecedens probo, tantùm poterat homo habere indifferentiam ad nobilitatem contrahendam, quatenus incluſus in pacto. Sed quatenus incluſus in pacto dicit infidelitatem capitis incompoſſibilem cum nobilitate contrahenda. Ergo quatenus incluſus in pacto non poterat nobilitatem contrahere. Minorem probo. Quia in tantùm dicitur incluſus in pacto, in quantùm ciuitatem illam ingreditur. Sed dum ciuitatem ingreditur; ſupponit infidelitatem capitis incompoſſibilem cum nobilitate contrahendo. Ergo quatenus incluſus in pacto dicit infidelitatem capitis incompoſſibilem cum nobilitate contrahenda. Ergo exemplum hoc Regis noſtram rem dirimere videtur.

28. Verùm concurſus hic doctrinam allatam commendat. Imprimis authores iſti qui exemplum in nos contorſere, admittunt, illos, qui ciuitatem petunt poſt infidelitatem commiſſam, non habuiſſe poteſtatem nobilitatem contrahendi, tametſi ignobilitatem contrahere conſtanter profiteantur; argumentor ſic, ignobilitas illa contracta ab ingrediente ciuitatem, ab infidelitate capitis procedit, quia ſi hæc non præceſſiſſet, prædicta ignobilitas non refunderetur in eos, qui poſt commiſſam infidelitatem ad ciuitatem accedunt. Tunc vltra. Ergo homo ille, qui eſt caput, poteſt ſua infidelitate ignobilitatem refundere in eos, qui ciuitatem ingrediuntur, infidelitate ab illo commiſſa ſuppoſita. Conſequentia patet, ſi actu refudit ignobilitatem, quia infidelis. Ergo potuit refundere. Ergo ſimiliter, ſi fidelitatem ſeruaſſet, poſſet nobilitatem refundere, quamque de facto refunderet, ſi fidelis de facto præextitiſſet; Ergo homo ille antequam in infidelitatem laberetur, indifferens erat ad fidelitatem ſeruandam, vel non ſeruandam. Ergo indifferens fuit ad nobilitatem, vel ignobilitatem transfundendam in eos, qui poſt exercitium libertatis eius talem ciuitatem ingrederentur, & ciuium illius vrbis catalogo adiucerentur. Ergo & ipſi ciues fuerunt indifferentes in capite, ad nobilitatem contrahendam. Patet conſequentia hæc. Quia inintelligibile eſt, caput indifferens eſſe ad refundendam nobilitatem, vel ignobilitatem in eos, qui illius recenſentur membra, & quòd hæc prædicta indifferentia, ſaltem in capite, defungantur.

29. Inſtantia verò qua Reuerendiſſimi euertere exemplum conabantur, ſolùm conuincit, homines illos, qui poſt libertatem capitis exercitam, ad ciuitatem accedunt, non habere libertatem in ſeipſis, ad nobilitatem, ſeu ignobilitatem contrahēdam; quod adeo verum iudico, vt ſimili libertate carerent, etiamſi ante exercitium libertatis capitis, dictam ciuitatem petiuiſſent. Ruiſum probat, illos prædictam libertatem non habere nec in ſe, nec in capite, nec ipſum caput in eo inſtanti, in quo ciuitatem intrant poſt exercitium libertatis capitis. Hoc enim pluſquam certum eſt. At verò efficax non eſt ad probandum, prædictos homines æquiualenter dictam libertatem non habuiſſe in capite antecedenter ad liberum exercitium capitis, quia vt vidimus nuper, ſicut verificatur de capite, illud habuiſſe libertatem, & indifferentiam ad refundendam nobilitatem, vel ignobilitatem in membra, in ſigno antecedenti ad exercitium liberum voluntatis einſdem capitis, ita pro eodem, & in eodem ſigno verificatur de membris habuiſſe libertatem in capite, ad contrahendum nobilitatem, vel ignobilitatem; quia idem eſt, caput in aliquo ſigno habere libertatem ad aliquid, quod membris eſt proficuum, vel nociuum, ac ipſa membra ad illud idem habere indifferentiam in capite, vt communiter admittitur. Vnde licet membra, ante ingreſſum ad ciuitatem, abſolutè & completè non continerentur ſpecialiter in capite; tamen actualis ingreſſus ad vrbem, etſi ſubſequens exercitium liberum capitis, ad determinatum extremum, fidelitatem ſcilicet, vel infidelitatem ſimul cum illa incluſione conditionata, quam accedentes habebant communem cum non ingredientibus, (omnes enim in illo continebantur ſub conditione quòd ingrederentur) æquiualet incluſioni abſolutæ, & conſummatæ, quam haberent in capite, in eo inſtanti, in quo caput libertatem exercuit, & facit vt fidelitas, vt infidelitas ab eo antea liberè exercita,

ex

ex illo inſtanti, in quo ciuitati adhærent, incipiat illorum fuiſſe propria. His præadductis.

30. Reſpondeo argumento RR. ſub vtraque forma parato. Imprimis concedo id, quod ex ſuis notabilibus in obiectione proponit. Ad illud dilemma. Reſpondeo, tranſfuſionem illam voluntatum in Adamum terminari ad poſteros, non vt abſolutè poſſibiles, ſed circa illos ſub conditione, quod reipſa naſcantur ex Adamo, ſicut dedimus in transfuſione voluntatum ciuium in voluntatem alicuius capitis. Ad probationem diſtinguo conſequens. Ergo ad hoc, vt illa actio Adami ſit moraliter actio reliquorum, ſic proinde in eo peccauerint, in eo ſigno eſt neceſſarium, quòd exiſtentia eorum ſit dependens ab Adamo, taliter quòd eorum exiſtentia ſit antecedenter ad exercitium Adami prædefinita abſolutè, nego, ſit tamen conditionatè conſiderata, concedo conſequentiam. Necnon & ſecundam. Ad cuius probationem, quoad id, quod equiuocatione laborat, diſtinguo maiorem. Concurſus moralis poſterorum in actionem Adami, ratione cuius dicuntur in eo peccare, ſupponit transfuſionem illorum in eius voluntatem, independenter à conditione, quòd exiſtant ex illo, nego, dependenter, concedo. Et diſtinguo minorem. Sed hæc transfuſio non datur, niſi ex ſuppoſitione, quòd exiſtant ex Adamo. Si ly ex ſuppoſitione, dicat exiſtentiam prædefinitam illorum abſolutè, nego minorem, ſi ſolùm notet ly ex ſuppoſitione, conditionem requiſitam ad completam transfuſionem voluntatum poſterorum in voluntatem Adæ, concedo. Et diſtinguo conſequens: Ergo neque concurſus moralis poſterorũ cum Adamo datur, niſi in eo ſigno, quo datur concurſus, ſupponatur exiſtentia eorum ex Adamo, exiſtentia inquam eorum propria & formalis, nego, exiſtentia moralis æquiualens formali & propriæ exiſtentiæ, concedo conſequentiam. Itaque ſicut ſuprà in notabili præieci. Peccaſſe poſteros in Adamo, nihil aliud eſſe, quàm peccaſſe Adamum, habentem in ſua voluntate quotquot ex eo procederent dependenter ab eorum exiſtentia, & de facto ab eo hîc & nunc procedere, vide quæ diximus *num.* 23. Itaque pactum celebratum fuit pro his tantùm, qui de facto exrituri ſunt (licèt ex ſe extendere poſſet ad quoſcunque, qui ex eo naſcerentur ex omnibus poſſibilibus, non pro illo ſtatu poſſibilitatis, ſed pro ſtatu exiſtentiæ reſpectu eorum, qui eam habuerint, æquè probabile iudico) non determinata illorum exiſtentia, ſed tantùm ex ſuppoſitione illius, ad hunc ſenſum, quòd Deus ſic alloqueretur Adamum: ſi legem, quam præſcribo tibi, ſeruaueris, & hi ex te ortum duxerint, gratiam in illos diffundes, ſi verò illam violaueris, & eidem ex te orientur, naſcentur peccato infecti, taliter enim, quòd ſiue peccaueris, vel non, integrum apud me ſit, hos tibi poſteros, vel alios exhibere. Ecce quomodo transfundere Deum voluntates poſterorum in voluntatem Adæ, non exigit. quòd illorum exiſtentia præceſſerit in illo inſtanti, in quo peccauit Adamus; atque adeo vt ipſi dicerentur peccare in capite, & moraliter concurrere ad actionem ab Adamo elicitam, non eſſe neceſſarium, quòd exiſtentia eorum abſolutè præceſſerit prædiffinita, quia ante illam totum, quod requiritur ex parte poſterorum ad concurſum moralem in peccatum Adæ reperitur, nempe libertas in alio, videlicet in Adamo, qui eſt caput, quia ante illorum exiſtentiam, ſupponitur exiſtentia libertatis, etiam pro illis, qui poſtea prædiffiniuntur. Vnde exiſtentia eorundem tantùm facit, quòd libertas exercita ab Adamo peccante, dicatur moraliter libertas poſterorum; quod optimè componitur cum libertate morali in alio, & interpretatiua, licèt non ſufficiat ad libertatem formalem & propriam in ipſis poſteris exercitam.

Rurſum, omiſſa prima ſolutione inter arguendum exhibita, & laudata ſecunda *num.* 19. allata. Reſpondeo dilemmati, concedens illam partem, nempe actionem peccaminoſam Adæ, in eo ſigno, in quo peccauit, fuiſſe actionem poſterorum abſolutam ex parte actus, & conditionatam ex parte obiecti. Ad impugnationem, fateor conſequentiam illam eſſe veram, quia certum eſt in eo inſtanti, in quo primo exiſtunt, non poſſe dici paruulos moraliter peccare, quia in eo inſtanti tantùm poſſunt dici moraliter actu peccare, in quo Adamus actu phyſicè peccat; atque adeo quando paruulis aduenit exiſtentia, non peccant actu ſed peccauerunt. 31.

Ex his patet ad idem argumentum ſub alia forma propoſitum *numero decimo octauo* diſtinguens antecedens: deſcendens ex Adamo, prædiffinitus poſt Adami peccatum commiſſum, non fuit indifferens ad peccandum, quando Adamus peccauit, liber libertate vel indifferentiæ phyſica, concedo, moraliter ſubdiſtinguo, non fuit liber libertate purè morali, concedo, libertate æquiualenti nego. Ergo non peccauit in Adamo, diſtinguo conſequens, non peccauit in Adamo independenter ab eius exiſtentia, concedo, illius exiſtentiâ ſuppoſitâ non peccauit in Adamo, phyſicè, concedo, moraliter æquiualenter, nego conſequentiam. Itaque vt de paruulo dicatur hîc & nunc de facto in Adamo peccauiſſe, requiruntur duo. Et quòd Adamus reipſa peccauiſſet, & quòd paruulus ex Adamo exiſtentiam ſuſcipiat, quia modò ab Adamo procedere, vt in voluntate Adæ contentum dependenter ab eius exiſtentia, perinde eſt moraliter & æquiualenter, ac ſi habuiſſet exiſtentiam in eo inſtanti, in quo Adamus peccauit. Vnde quouſque paruulus exiſtentiam habeat, non poteſt dici deſcendens ex Adamo fuiſſe in illius voluntate, neque in Adamo peccaſſe; eâ tamen poſitâ, dicitur æquiualenter fuiſſe in voluntate Adami. & ex vi huius æquiualentiæ peccaſſe eodem modo, ac peccaret, ſi fuiſſet abſolutè exiſtens in eo inſtanti, in quo Adamus phyſicè peccauit. Vnde moraliter æquiualenter fuiſſe paruulum in voluntate capitis, & ſic in illo peccare, dicit moralitates duas. Vnam, quæ importat exiſtentiam vnius in alio, dum aliquam actionem nomine illius exercet, aliam quæ importat 32.

exiſtentiam poſteri, ſuppoſito pacto ex peccato Adami; atque adeo æquiualentia hæc dicit abſolutam exiſtentiam proximi procreati ex Adamo.

Ad primam confirmationem *n.* 17. adductam, patet ex his, quæ nuper replicæ argumenti ſub alia forma diſpoſiti diximus, n. 30. vbi dedimus, paruulos, dum primò exiſtunt, non dici peccare actu, ſed peccauiſſe pro ſigno, in quo Adamus, peccat phyſicè. Ad ſecundam confirmationem *n.* 18. allatam, qua nuoiti RR. valde ſibi de victoria gratulantur, dico, illud axioma, videlicet, nullum eſſe præteritum, ad quod non ſupponatur præſens, intelligendum eſſe de eo, quod præterit phyſicè, & realiter, non verò de eo, quod præterit moraliter, & per æquiualentiã. Itaque præteriſſe per æquiualentiam, ſeipſum nomine ſuo expendit, nihil aliud importat, quàm quòd non præterierit phyſicè, nec phyſicè verum fuerit dicere in aliquo inſtanti, nunc eſt, & perinde ſe habeat, & eodem modo ſubiectum denominet nunc, ac ſi in aliquo inſtanti potuerit dici, nunc eſt. Verùm quia difficile eſt captu, rem in aliquo ſenſu præteriiſſe ſine præſenti, duplex exemplum id peruium faciet. Experientia nos docet, Pontificem matrimonium legitimare in radice, quo indulto conceſſo, proles perinde ſe gerit ad omnes honores acquirendos, ac ſi ex legitimo matrimonio profecta eſſet, & in ordine ad ſimiles honores habendos verificari poteſt fuiſſe ex honeſto concubitu ortam, & tamen, neque in ordine ad hos effectus, aliquando verificari potuit, nunc procreatur ex matrimonio legitimo.

33. Aliud exemplum hoc ipſum expendit, etenim apud ſupremum communitatum Præſulem conſtat, poteſtatem eſſe admittendi aliquem, (cui ſpecialis inſidet virtus) ad communitatem, cum iure antiquitatis aliquorum annorum, in ordine ad aliquas functiones, & reliqua bona, quæ cæteris, dicta annorum antiquitate ſuffultis, diſtribuuntur, hic enim homo cùm primùm ad communitatem admittitur, incipit eſſe antiquus, & tamen nunquam fuit nouus. Ecce quomodo ſtat abſque nouitate antiquitas, quod eſt idem, ac præteritum eſſe ſine præſenti Hoc inquam exemplum rem noſtram exactiſſimè abſoluit; procedens enim ex Adamo hîc & nunc, eodem modo ſe habet in ordine ad peccandum in Adamo, ac ſi ex eo proceſſiſſet, antequam ipſe Adamus peccaſſet, & hac ratione dicitur, poſterum peccaſſe peccato Adami non phyſicè ſed æquiualenter.

Hæc dedi pro vtraque ſententia, vt probabilitas vtriuſque ſuis fundamentis innixa appendatur à quolibet. Quid nobis de illis ſit viſum, ſcribere non libet, cùm ad neutrum intererit, vt principia noſtra illibata ſeruemus. Eligat vnuſquiſque quam maluerit.

DVBIVM III.

An Chriſtus prædefinitus fuerit propter peccatum Adæ, vt exiſtens tantùm in ipſo, vel contractum in poſteris, & an ſolùm propter originale, vel etiam propter actualiã, & an veniret his vel illis deficientibus.

Sectio Vnica.

Status controuerſiæ, & aliquæ concluſiones.

INter Catholica dogmata connumerari, Chriſtum omnium peccatorum redemptorem fuiſſe, cuique legenti ſacrata aſſerta cunſpicuum erit. Illud enim confirmat mileuitan. *cap.* 6. diffinitio. & act. 4. vbi ſcribitur; *non eſt in aliquo ſalus, neque enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*; necnon illud Pauli ad *Timoth.* 2. *qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* En ly, *omni*, comprehendit quodcumque peccatum, tam originale, quàm actuale; atque adeo communiter apud authores decernitur, Catholicum cenſendum non eſſe, qui negaret Chriſtum veniſſe, vt nos redimeret ab actualibus. Tamen licèt veritas hæc ſit hac certitudine ſuffulta, examini ab authoribus datur, an Chriſtus primariò venerit, vt actualia redimeret, vel non? Sicut licèt catholice habeatur, Deum ſeipſum & quodcumque intelligibile penetrare vnico cognitionis actu, tamen non vulgaris eſt apud authores contentio, an primariò eius cognitio terminetur ad eſſentiam, & ſecundariò ad perſonas, & alia creata effecta: vel an ad omnia æqualiter terminetur. Et rurſum, ex dicta quæſtionis reſolutione dependet alius dubij deciſio, an videlicet deficiente originali labe, adſtantibus tamen actualibus, Chriſtus vt illa ſolùm redimeret, deſcenderet? Hæc enim concertatio vocat authores cunctos, & vnumquemque iuxta ſua principia. Imprimis compellat nos defendentes, Chriſtum ante præuiſionem abſolutam peccati, prædiffinitum fuiſſe Redemptorem, apud nos etiam quærendum eſt, an Chriſtus fuerit prædiffinitus Redemptor primariò, vt peccatum originale redimeret ſolùm, an etiam vt ab actualibus nos liberaret? & an vt connexus cum originali in Adamo tantùm exiſtente, vel etiam cum illo, vt in poſteris. Et rurſum an connexio hæc etiam ad actualia peccata terminetur. Et rurſum, an Chriſtus hoc vel illo peccato deficiente veniret. Similes quæſtiones locum habere, in ſententia communiori diſcipulorum D. Th. tenentium, ſubſtantiam Chriſti prædiffinitam eſſe poſt præuiſum peccatum Adami, quis dubitabit? Et rurſum, eaſdem torquere authores cum Scoto defendentes, ſubſtantiam Chriſti

ante

ante præuiſionem abſolutam peccati,ex vi præſentis decreti,prædiffinitam fuiſſe, paſſibilitatem tamen illius poſt præuiſionem maculæ Adami eſſe decretam, cuilibet eſt compertum; etenim apud hos quæri poteſt, an Chriſtus cum illo paſſibilitatis modo veniret, peccato originali deficiente, & ſimili iure de alijs quæſtionibus poteſt apud illos fieri diſcuſſio. Dato ergo controuerſiæ ſtatu,quæſtiones has,plures concluſiones duobus numeris ſoluent, & ne confuſionem tot aſſerta iuxta varias opiniones parturiant, ſolùm quid tenendum in opinione S. Thom. reſoluam. Ex quo facilem exitum vnuſquiſque iuxta aliorum principia ſumet.

2. Nota antequam concluſiones proponam, peccata, vt rem noſtram concernunt, eſſe in quadruplici differentia. Primum eſt originale, prout in primo parente Adamo, in quo peccauimus, tanquam in morali capite cuncti. Secundum eſt peccatum originale,prout in quolibet noſtrum contractum, quando ſcilicet in inſtanti, quo anima noſtra corpori coniungitur, in quo verum eſt dicere; quòd aliquis ſit homo,& filius Adæ. Tertium actuale mortale, quo videlicet quis iuſtificantem gratiam deperdit,quodque in ſtatu innocentiæ potuit eſſe,imo & de facto fuit in Adamo, quando originaliter deliquit, etenim idem & peccatum quod reſpectu noſtri originale extitit,reſpectu Adæ actuale adfuit. Quartum eſt veniale, quo licèt non gratiam charitatis, tamen feruorem amittimus. Hoc dato.

3. Prima concluſio communis eſt apud diſcipulos D.Thom. & cæteros, Chriſtum Dominum fuiſſe prædiffinitum, vt redimeret peccatum Adæ non ſecundùm ſe,vt peccatum vnius Adæ, ſed vt peccatum totius naturæ, & vt in radice continebat peccatum originale omnium poſterorum. Hanc concluſionem docet SS. PP. & ſcripturæ vſitata phraſis, qua docent, Chriſtum veniſſe ad redimendum totam humanam vniuerſitatem, quæ in Adamo perdita ſupponebatur. Ex hac concluſione inferes,data hypotheſi, quòd Adæ peccatum cenſeretur ſolùm perſonale, & de genere peccatorum actualium, quales nos hîc & nunc perpetramus,& non eſſet peccatum capitis, Chriſtus ex vi præſentis decreti non veniret propter illud redimendum. Ratio breuis, quia vt patet ex his,quæ iuxta placitum S.Thom.dubijs elapſis dedi, motiuum ſubſtantiale aduentus Chriſti, fuit redemptio humani generis,labe originali coinquinati. At hoc motiuum deficeret in hypotheſi, qua peccatum Adæ ſolùm perſonale cenſeretur,vt de ſe conſtat. Ergo deficeret decretum,quo hîc & nunc prædiffinitus eſt Chriſti aduentus.Ergo & aduentus,prout ex vi talis decreti prædiffinitus,extat.

4. Secunda concluſio in ſententia, quam communiter defendunt ex SS.Thom.eius diſcipuli, videlicet Chriſtum prædiffinitum fuiſſe vt Redemptorem,poſt præuiſum Adæ peccatum, defendi debet,Chriſtum eſſe ſic prædiffinitum antequam videantur peccata originalia in paruulis contracta. Hanc non ignobiles defendunt DD.quoſque infrà citabo, dum de modo, quo B M.SS.liberata fuerit à debito originalis contrahendi, ediſſeram. Sed vt illam probem, notare debes,quòd familiare eſt apud authores in ſacris literis verſatiſſimos, aſſerunt enim ex Chriſti meritis, plures homines ex his determinatè parentibus duxiſſe ortum, ex quibus nati non eſſent,tametſi ex alijs orirentur,ſi merita Chriſti non interueniſſent. Sic enim legitur *Iudicum* 13. in matre Samſonis, & *Lucæ* 1. in Eliſabetha Baptiſtæ Matre, & *Geneſ.* 18. in ſacra Matre Iſaac; hoc monito probatur concluſio. Poſteri recenſiti nullo modo potuerunt præuideri ex his parentibus orti, antequam præuiderentur Chriſti merita. Ergo ſimiliter non potuerunt præuideri ante ipſa merita peccato originali maculati. Conſequentiam probo. Vt aliquis videatur peccato originali infectus, requiritur, quòd vt filius Adæ præuideatur. Etenim nullo modo poteſt quis videri cum peccato Adæ,niſi videatur fundamentum talis peccati,cùm ergo fundamentum illius ſit filiatio Adæ,fit,quòd nullo modo aliquis præuideri poſſit cum peccato Adæ, quin præuideatur vt filius ex Adamo ortus. Tunc ſic: ſed iſti poſteri nequeunt præuideri filij Adæ, niſi præuideantur vt nati ex his parentibus. Ergo nequeunt præuideri cum peccato originali, niſi præuideantur, vt nati ex his parentibus. Minorem probo, nemo poteſt videri vt filius remotus Adæ, quin ſimul videatur, vt filius proximus, & immediatus horum parentum deſcendentium ex Adamo. Conſequentia ſeipſam commendat. Tunc ſic: ſed non poſſunt præuideri,vt nati ex his parentibus, niſi præuiderentur Chriſti merita. Ergo priuſquam iſti contrahant peccatum originale, Chriſtus debet ſupponi efficaciter prædefinitus.

Ex hac concluſione inferes, in ſententia eadem D.Thom.tenentis, Chriſtum prædiffinitum eſſe poſt præuiſum Adæ peccatum,conſequenter defendendum eſt,eſſe prędiffinitũ antequam peccata actualia noſtra præuideantur, 5.
Ratio: quia quidquid Deus nobis confert,potiſſimùm ſpectans ad lineam prouidentiæ ſpecialis,motus ex meritis Chriſti confert, vt latè ex communi Thomiſtarũ ore ſcripſi *tractatu* 5. *de prædeſtinatione*: atque adeo omnia auxilia, quorum iuuamine peccata vitare poſſimus,nobis à Deo collata ex meritis Chriſti præſtitit Deus; cùm ergo plura auxilia ad permiſſionem peccati actualis conducant,fit,quòd permiſſio peccati actualis fuerit volita à Deo propter merita Chriſti. Ergo priùs fuit Chriſtus volitus,& eius merita, quàm præuiderentur in nobis peccata actualia. Ergo licèt Chriſtus, iuxta communiorem ſententiam diſcipulorum S. Thom. prædiffinitus fuerit poſt peccatum originale,tamen priùs fuit prædefinitus,quàm viderentur in nobis peccata actualia futura.

Sed contra hanc doctrinam obijcies. Merita Chriſti morte conſummata, ſupponunt crucifigentium peccata. Ergo hæc peccata fuerunt præuiſa ante Chriſti merita. Antecedens probo,quia Chriſtus morte patienter tolerata, ſua merita conſummauit, iuxta illud Pauli *ad Heb.* 10. vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos. Tunc ſic, ſed mors Chriſti,tolerata patienter, ſupponit actus peccaminoſos, medijs quibus impudenter illi mortem crucifigentes inferebant. Ergo hæc 6.

peccata præuideri debebant ante Chriſti merita, atque adeo potuerunt eſſe ante Chriſti exiſtentiam.

7. Reſpondent plures cum Vaſquio *diſp.13. cap.3.* & Suario *diſp.5. ſect.8.* priùs eſſe præuiſam mortem Chriſti, quàm peccata crucifigentium. Sed quidquid ſit de fundamento cui hæc ſolutio adhæret, adhuc eo admiſſo, obiectio in ſua vi perſeuerat: quia ſi Chriſtus non veniret, niſi vt Redemptor per mortem crucis, cùm hæc mors non poſſit fieri ſine peccatis actualibus crucifigentium; fit, quòd non veniret Chriſtus, ſi talia peccata actualia non exiſterent.

8. Et relicta aliorum placitis in ſolutionem obiectionis huius datis. Reſpondeo cum diſcipulis D.Thomæ quos ſequitur Gonzalez in manuſcriptis *in 3.p.* D.Thom. dico ergo, quòd in illo primo decreto efficaci, quo prædeſtinatus eſt Chriſtus, vt Redemptor per paſſionem, non eſt prædiffinitus in ſpeciali modo paſſionis, & effuſionis ſanguinis eius. Vnde ſtante illo decreto, potuit aliter redimere nos per ſuum ſanguinem, quàm per mortem crucis, nempe, per ſanguinem effuſum in circumciſione, vel effuſum in oratione habita in horto, poſitus in agonia pro nobis, & aliis multis modis ſibi poſſibilibus, abſque eo, quòd ex parte noſtra interueniret aliquod peccatum actuale.

9. Hæc doctrina profundiora agnoſcit, fundamenta, quæ hanc explicationem ſubeunt, quæq; vt intelligas, notare debes primò. Quando communiter dicitur, Chriſtum per mortem meruiſſe, & media illa, omnia ſua merita conſummaſſe, non eſſe intelligendum, ipſam mortem fuiſſe meritoriam per modum effectus efficaciter imperati à voluntate Chriſti, ſicut plura opera externa pœnalia, quæ quis in ſe exequitur ex imperio charitatis, non enim Chriſto ſic fuit meritoria, quia ipſe poſitiuè mortem ſibi non inflixit, ſed tantùm eam expectauit ab alia cauſa incutiendam, quamque patienter ſuſtinuit. Hac enim de cauſa dicitur, & verè, mortem reſpectu Chriſti in ſeipſa conſideratam, tantùm denominari meritoriam per modum obiecti, ad quod terminabatur actus, quo ipſe Chriſtus mortem acceptauit, & decreuit eam ſuſtinere, cùm omni patientia & animi tolerantia. Rurſum notare debes, quæ latiùs *tractatu de impeccabilitate* diſcurremus. Dum enim Pater obtulit Chriſto optionem inter vitam paſſibilem, & impaſſibilem, & elegit ſponte mortem, potuit Chriſtus, antequam mors ſupponeretur futura à Iudæis infligenda, eam acceptare, & Patri offerre vitam in hominum ſalutem, præſcindendo ab hoc, quod eſt mortem illam eſſe violenter incutiendam, vel à Deo immediatè cauſandam; At actus hic acceptationis non ſupponit neceſſariò actionem Iudæorum, & in ſe talis actus formaliter eſt meritorius, ad ipſam mortem, tanquam ad obiectum terminatus. Vnde talis acceptatio, mortem quoad ſubſtantiam reſpiciebat, ſiue ab his, ſiue ab aliis principiis contingeret. Poſito ergo decreto Dei de morte Chriſti, præſcindente à cauſis, quibus executioni erat mandanda, & ſuppoſito actu, quo Chriſtus acceptauit mortem fuit liberum Deo permittere Iudæis executionem mortis, & illis auxilia conferre ſufficientia, quibus à tanto crimine perpetrando retraherentur propter meritum illius actus Chriſti, quo ſuam mortem acceptauit; atque adeo mors ipſa, vt à Deo efficaciter intenta, & accepta potuit eſſe cauſa auxiliorum, quæ Deus præſtitit Iudæis, ne talem mortem Chriſto infligerent. Nec eſt cur exiſtimet quis, decretum efficax Dei, & Chriſti acceptationem circa mortem, impedire auxiliorum collationem, vt Iudæi occiſionem Chriſti omitterent, quia tametſi Iudæi mortem per ſeipſos non cauſarent, plura alia Deo ſupereſſent media, quibus talis mors eueniret Chriſto, & patientiam in morte ſubeunda demonſtraret, ſicque nec irritum redderetur decretum Dei de morte definita, nec acceptatio mortis à Chriſto facta, vana & inutilis fieret: ratio huius; quia decretum Dei de morte Chriſti antecedens illius acceptationem, & acceptatio ipſa, media qua auxilia Iudæis promeruit, tantùm terminabantur ad ſubſtantiam mortis, minimè verò ad mortem, vt à Iudæis cauſandam. Rurſum actus ille, quo Chriſtus mortem acceptauit, à quocumque principio futuram, dicitur ipſa morte conſummatus, quia mors exterior eſt obiectum illius acceptationis. Ex his concludo, omnia auxilia crucifigentibus collata, quæ ſupponuntur ad mortis executionem, promeruiſſe Chriſtum medio actu, quo ipſe acceptauit mortem, tantùm ſecundùm ſubſtantiam præuiſam, reliqua verò auxilia non ſolùm hoc actu, ſed aliis, quibus mortem, vt ab his determinatis miniſtris cauſatam, & reliquis circumſtantiis acceptauit. Iſta omnia, quæ apud noſtros frequenter habentur, conſonant doctrinæ quæ *tractatu de ſatisfactione Chriſti ex iuſtitia*, latiſſimè dabimus.

10. Tertia concluſio Chriſtus prædiffinitus fuit propter originale, & peccata actualia, quæ in peccato Adami videbantur toti generi humano imminere. De originali loquuta eſt iam concluſio prima. De actualibus probanda eſt concluſio præſens: Chriſtus iuxta SS.PP. & ſcripturæ ſanctiones venit, vt mediâ gratiâ nos à peccato mundaret, à finali impœnitentia præriperet, & tandem, vt vitam felicem & æternam arriperemus. Sed vt iſta contingerent, requirebatur homines à peccatis iam contractis, vel contrahendis liberari. Ergo Chriſtus in mundum venit, ea ſcilicet intentione, vt libertatem nobis conferret, vel conferens auxilia, quibus vitaremus actualia, vel ſi in illa caderemus ea intentione liberandi nos à commiſſis, vel, vt breuiùs dicam, ea intentione vtriuſque. Hæc enim tam vera eſſe iudico, ac veram decreui eſſe *tract. de prædeſtinatione* SS. doctrinam ſatis apud authores familiarem, ibi enim inter effectus prædeſtinationis iuſtorum enumeraui, iuſtos non cadere in plura peccata. Rurſum, illos reſurgere à quocunque peccato commiſſo. Similiter ſtatuimus, omnes effectus prædeſtinationis SS. eſſe effectus meritorum Chriſti, quia virtute gratiæ auxiliantis, per Chriſtum nobis collatæ, à peccatis liberamur, & ratione auxiliorum propter Chriſtum collatorum, à peccatis ſemel commiſſis reſurgimus. Ergo licebit inferre, Chriſtum, non ſolùm veniſſe in remedium actualium, quæ reipſa committenda ſunt,

ſed

ſed quæ committerent homines, ſi Chriſtus non deſcenderet ad nos, & quæ hîc & nunc non committuntur; conſequentia congruentiſſima eſt, etenim cùm potuiſſet Deus, Chriſtum prædiffinire ex intentione præſeruandi ab actualibus peccatis, & redimendi ab illis, ſi committerentur, & aliunde hoc modo magis modo loquendi SS. & ſcripturæ phraſibus aientibus, Chriſtum propter noſtram ſalutem veniſſe, concedamus, ſit, congruenter affirmandum eſſe, Chriſtum veniſſe propter actualia peccata.

11. Sed occurres, iuxta probabiliora principia D.Thom. in eo ſigno, in quo Chriſtus prædiffinitus eſt redemptor peccati Adæ, non erant prædiffiniti determinatè poſteri ex Adamo futuri. Ergo in illo ſigno non poterant præuideri peccata, vt poſteris imminentia, quia determinata peccata, determinata ſubiecta depoſcunt. Ergo Chriſtus non potuit prædiffiniri propter peccata poſteris imminentia, ſeu propter peccata poſterorum in capite præuiſa. Reſpondeo primò iuxta principia D.Thom. nihil certum apparere de maiori vel minori probabilitate harum opinionum, vt dubio antecedenti diſcuſſimus, atque adeo poteſt negari antecedens, quia vt vidimus, valde probabile eſt iuxta aſſerta PP. in eo ſigno, quo Chriſtus prædiffinitus eſt redemptor, etiam determinatos homines eſſe prædiffinitos, etenim iuxta S.Thom. Chriſtus non eſt prædiffinitus redemptor niſi viſo peccato Adami; at probauimus non inutiliter eſſe valde probabile, determinatos homines eſſe prædiffinitos antecedenter ad peccatum Adæ. Ergo valde probabile eſt, poſteros prædiffinitos eſſe, antequam Chriſtus diffiniretur Redemptor. Sed quidquid ſit de hoc, nego conſequentiam, quia tametſi in illo ſigno non eſſent determinatè futuri hi homines, tamen vt oſtendimus ex pacto, quod explicuimus *citato loco ſectione* 2. promiſerat Deus Adæ, ſe aliquos poſteros ſub diſiunctione hos, vel illos, eſſe redempturum; atque adeo licèt non poſſet videri peccatum magis imminens huic, quàm illi poſtero; tamen videbantur peccata imminere omnibus illis, ex Adamo determinatè profecturis, quicunque illi eſſent, ſic enim propter horum remedium poterat Chriſtus, vt Redemptor, prædiffiniri.

12. Quarta concluſio, ſi deficeret originale in Adamo, & poſteris eius, nullo modo veniret Chriſtus ex vi præſentis decreti, tametſi reperirentur actualia peccata, quæ poſſet redimere. Ratio, quia deficiente motiuo, quod hîc & nunc aſſignant PP. cuius gratiâ decretus eſt aduentus Chriſti, deficit decretum, quo diffinitus eſt. Sed SS.PP. aſſignant motiuum vnicum decreti, quo aduentus Chriſti eſt præordinatus, remedium totius generis humani. Ergo deficiente hoc vniuerſali remedio, & decretum Chriſtum decernens deficeret. Tunc ſic. Sed caſu, quo deficeret originale in Adamo, & poſteris eius, deficeret hoc vniuerſale remedium, patet, quia in tali caſu, licèt plures ex hominibus in lethalia caderent, non tamen omnes, plures inuenirentur, qui in nullum mortale inciderent. Ergo in tali caſu, nullo modo videret Deus totum genus humanum peccato infectum. Ergo deficeret motiuum. Ergo decretum. Ergo Chriſtus in tali hypotheſi non veniret ex vi decreti præſentis.

Sed occurres: iuxta aſſerta DD. Chriſtus generaliter pro omnibus vitam æterno Patri obtulit, atque adeo mortuus eſt pro ſingulis hominibus, ac pro cunctis totius vniuerſitatis. Ita illud tritum Parabolæ euangelij de oue, quam relictis aliis 99. in campis, anxiè Chriſtus quæſiuerat. Et illud Pauli *ad Galatas* 1. *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Ergo etiamſi deficeret peccatum originale, quo tota natura macularetur, & ſolum vnicum indiuiduum peccaret mortaliter, Chriſtus veniret ex vi præſentis decreti. 13.

Hoc argumentum ſolùm concludit, Chriſti aduentum ſtante ſolo vno peccatore quantùm ad ea, quæ quoad Chriſtum ſibi & nobis conuenientia, iudicantur; etenim ſi conſideretur mors Chriſti quoad effectum & fructum, tam proficua, & vtilis fuit mihi, ac ſi pro me ſolo moreretur, ſi ad affectum, quo mortem pro me idem Chriſtus acceptauit, attendamus, taliter ſe morte tradidit pro ſingulis, vt ſi ſolùm vnum hominem perditum conſpexiſſet, mortem eamdem, vt illum redimeret, aſſumeret. Tamen non concludit idipſum euentum ex parte Dei prædiffinientis incarnationem verbi, quamque ita voluit ex affectu redimendi totum humanum genus, vt ex eodem affectu non prædefiniſſet eam propter vnum hominem redimendum. Deum enim prædefiniſſe Chriſtum, vt totum genus humanum redimeret, ſanciunt PP. & eccleſia definit. Vt vidimus ſuprà 14.

Quinta concluſio. Data hypotheſi, quòd hîc & nunc originale non deſcenderet in poſteros, ex meritis Chriſti, adhuc Chriſtus ex vi præſentis decreti veniret. Ratio, quia ſtante eodem motiuo in integrum perſiſtere debet in Deo decretum idem. Sed data prædicta hypotheſi, in integrum maneret motiuum idem. Ergo & decretum. Minor probatur: quia motiuum integrum præſentis decreti de aduentu Chriſti, eſt remedium peccati originalis in poſteros Adæ contrahendi: ſed hoc ſubſiſteret, etiam in hypotheſi, quòd de facto illud non contraheretur in poſteria. Ergo data hac hypotheſi, idem motiuum perſeueraret, quod hîc datur. Probatur minor, quia de facto originale ad poſteros non deſcendere, eſſet effectus meritorum Chriſti. Ergo ipſe Chriſti aduentus, eſſet remedium peccati, vt hîc & nunc non contrahendi. Ergo decretum, quo tunc decerneret Deus aduentum eius, eſſet idem cum eo, quo hîc & nunc talem aduentum decreuit: etenim in tali caſu, ita ſe gereret Chriſtus, vt medela poſterorum, ac ſe gerit reſpectu ſuæ & noſtræ Sanctiſſimæ matris, atque adeo ſicut per idem decretum hîc & nunc prædiffinitus eſt Chriſtus redemptor, reſpectu Matris puriſſimæ, quam ex meritis ab originali præſeruauit, ac reſpectu poſterorum, quos ab originali infectos redemit: ita in hypotheſi, quòd ex meritis Chriſti originale ad poſteros non deſcendiſſet, per idem decretum à Deo prædiffiniretur redemptor præſeruatiuus, ac nunc prædiffinitus eſt redemptor 15.

demptor originalis iam ab illis contracti. Etenim motiuom decreti præſentia, eſt remedium originalis peccati. Cùmque remedium hoc ſit geminum, vel præſeruando ne quis inficiatur culpa, vel liberando à culpa iam contracta, fit, quòd ſtante quolibet ex his modis medendi, idem motiuum perſeuerare dicatur, atque adeo & decretum.

16. Dixi in hypotheſi, quòd originale non contraheretur in poſteris ex meritis Chriſti, Chriſtum venturum fore, ex vi præſentis decreti, & iure addidi ex meritis Chriſti, quia ſi independenter à Chriſti meritis originale non excurreret ad poſteros, minimè deſcendiſſet Chriſtus ex vi huius decreti; ratio, quia in tali hypotheſi deficeret motiuum, quod diximus eſſe remedium totius poſteritatis; at in dicta hypotheſi, hoc motiuum deeſſet. Ergo & præſens decretum. Minor probatur, quia in hac hypotheſi nulla peccata originalia erant futura, & aliter non futura, vt etiamſi Chriſtus non eſſet, nec illa eſſent, quia caſus hypotheſis iſtius eſt, nullum fore originale peccatum independenter à meritis Chriſti. Ergo ſiue adueniret, vel non, nullum remedium illis accreſceret, vel deficeret. Ergo deficeret motiuum, quod reſpicit hîc & nunc decretum, quod habet Deus de aduentu Chriſti; Ergo & decretum deficeret.

17. Sed quæres, quid dicendum eſſet in hypotheſi, quòd deficeret originale in poſteris, & Adamo, & ex alia parte omnes, vel vix omnes homines lethalia peccata committerent, an tunc veniſſet Chriſtus ex vi præſentis decreti? ſi crediderim pluribus Thomiſtis, ſatis probabiliter apparet, Chriſtum adhuc in illa hypotheſi venturum fuiſſe ex vi decreti nunc habiti. Iſti enim diſtinguunt peccata illius hypotheſis; vel enim peccata lethalia eſſent commiſſa à ſolis reprobis, vel eſſent aliqua à prædeſtinatis patrata. Dicunt ergo, ſi ſolùm eſſent in dicta hypotheſi reproborum peccata, negant Chriſtum venturum. Et dant rationem, quia credendum non eſt, Chriſtum fruſtraneè in mundum venire, accederet enim fruſtra, ſi ſolùm propter peccata mortalia reproborum deſcenderet, ſiquidem reipſa & efficaciter non fuiſſent conſequuturi fructum redemptionis Chriſti; Si verò futura eſſent peccata mortalia in prædeſtinatis, affirmant Chriſtum venturum. Et ſuadent ſibi ex Dioniſio *in epiſtola ad Demophilum circa finem illius*; vbi refert Carpo viro Dei Sanctiſſimo Chriſtum in viſione dixiſſe hæc verba: *paratus tamen etiam iterum pro ſaluandis hominibus pati gratum mihi iſtud eſt, dum non alij homines peccent.* Huic ergo ſententiæ ſubſcribo, & ratio ipſa ſuadere videtur, quia vt ſæpe monui, ſtante eodem formali motiuo, idem decretum formaliter ſumptum perſeuerare, eſt neceſſe. Sed in tali hypotheſi, idem motiuum formale in ſpecie conſiſteret. Ergo & decretum. Minor probatur, quia motiuum decreti de aduentu Chriſti, eſt remedium generis humani peccatis infirmi, nec non adimplere Deum ſuam voluntatem peruehendi homines ad gloriam, iuxta illud: *omnes homines vult ſaluos fieri.* Quòd autem genus humanum ſupponeretur peccatis actualibus, & non originalibus perditum, non variat differentiam formalem, æquè enim perditum diceretur humanum genus per peccata à ſingulis hominibus commiſſa, ac nunc per originale in ſingulis ab Adamo deriuatum, ſicut enim in phyſicis æquè infirmus (prout infirmitas dicit valetudinis carentiam) dicitur, qui dolore continuo capitis laborat, ac qui anxietate cordis premitur, ita in linea ſpirituali, æquè infirmari dicetur, qui proprio peccato à ſe commiſſo inficitur, ac qui originali maculatur, & ſicut diuerſitas dolorum non variat conceptum formalem infirmitatis, prout dicit carentiam valetudinis, ita diuerſitas habendi peccata ſe habebit de materiali, & non variabit conceptum formalem perditionis ſpiritualis. Hoc ipſum ſimiliter erit cauſa, non variandi ex parte Dei affectum eumdem, quem hîc & nunc habet, de redimendo toto genere humano ab originali, in hypotheſi, quòd peccatis ſolis actualibus videret infirmum, ſicut & in naturalibus, medicus ab amico febri acuta percuſſo vocatus, eodem modo, & eodem affectu accederet ad illum medendum, ſi vocaretur ab eodem alia infirmitate laborante. Igitur cùm motiuum præſentis decreti Chriſti aduentum decernentis, ſit reparare genus humanum perditum, & æqualiter cenſeatur perditum medijs peccatis, à ſingulis hominibus commiſſis, ac medio peccato originali, fit, quòd in hypotheſi, qua peccatum originale ad poſteros non deſcenderet, ſi tamen omnes homines peccatis actualibus mortalibus eſſent labefactati, idem ſemper conſiſteret motiuum, & conſequenter decretum de Chriſti aduentu, atque adeo in tali hypotheſi ex vi præſentis decreti, eodem modo deſcenderet Chriſtus, vt nos redimeret, ac nunc deſcendit.

Colliges, decretum illud, quod in tali hy- 18
potheſi haberet Deus de aduentu Chriſti, materialiter ſolùm differret ab hoc, quod de eodem aduentu hîc & nunc habet Deus, formaliter tamen moraliter idem cenſeretur cum hoc, ob rationem ſæpius adductam, quia ibi ſolùm diuerſitas materialis reperitetur inter infirmitates, quas homines paterentur. Sicut decretum, quod Deus haberet de redimendo toto genere humano, includente quinquaginta millia hominum, & decretum, quod haberet Deus de redimendo genere humano, includente ſolùm viginti quinque millia hominum, pro eodem formaliter moraliter reputarentur, ita in præſenti: necnon ſicut caſu, quo peccatum originale in poſteros deriuatum non eſſet intemperantiæ (quod fuiſſe aſſeuerant Doctores) ſed alterius ſpeciei, non ob hoc, decretum, quo Deus decerneret aduentum Chriſti ad reparandum illud, eſſet ſpecie & formaliter diuerſum à decreto, quod hîc & nunc habet Deus, de reparando genere humano, peccato originali intemperantiæ maculato. Sic ſimiliter licèt decretum illud in noſtra hypotheſi eſſet numero diuerſum ab eo, quod nunc habet Deus de reparando genere humano per

originale perdito, tamen formaliter in ſpecie morali vnum cum illo cenſeretur.

19. Interrogabis: quid dicendum ſit in hypotheſi, qua actualia peccata imminerent, & Chriſto non interueniente eſſent futura? affirmo Chriſtum venturum etiam caſu, quo independenter à Chriſto mortalia futura non eſſent. Ratio, quia adhuc in ea hypotheſi permaneret genus humanum perditum, ea vi originalis, iam in poſteris contracti, aut imminentis, pro quo nequirent homines exactè ſatisfacere, ſi Chriſtus ſua merita non offerret, & conſequenter totum incarnationis motiuum perſiſteret, vtpote quod fuit, totum genus humanum captiuum redimere.

20. Iterum interrogabis: quid ſit dicendum in hypotheſi, quod non fuiſſet originale futurum, nec actualia in hominibus, aut in maiori hominum numero, an Chriſtus ea vi præſentis decreti veniret? Negatiuè reſpondeo, cuius rationem ex aſſertis colligo, quia vt ſupponit hypotheſis, non fuiſſet totum genus humanum corruptum, cuius redemptio eſt actuale motiuum decreti præſentis. Ergo & decretum fuiſſet aliud.

21. Verùm ex doctrina noſtra occurrere poteris, etiam in tali hypotheſi perſeuerare idem motiuum. Etenim tunc poterat venire Chriſtus, vt homines præſeruaret ab actualibus, quæ ſi Chriſtus non deſcenderet, eſſent, atque adeo fuiſſet vtilis aduentus Chriſti, vt homines ab actualibus preſeruarentur. Etenim ſuprà decreuimus *in illatione ex quinta concluſione deducta numero decimoſexto*, Chriſtum eſſe venturum ea vi præſentis decreti, etiam in hypotheſi, quòd Adamus ſolùm peccaret, & poſteri tale originale imminens non contraherent per Chriſti merita, in qua hypotheſi aſſeruimus, de Chriſto tunc verificari idem, ac nunc de ipſo aſſeritur. Etenim de illo diceretur tunc venire in remedium originalis, quod verè imminebat illis, & de facto illud poſteri contraherent, ſi Chriſtus non veniſſet. Sic ergo in hac præſenti hypotheſi diſcurrere licebit, & affirmare, Chriſtum Dominum etiam venturum, caſu, quo illo accedente nullum lethale originale, aut actuale futurum poſteris eſſet, quæ aliàs ipſo non accedente futura eſſent omnia ea peccata, quæ hîc & nunc ſunt.

22. Reſpondeo, aliud eſſe, an in hac, vel in alia hypotheſi eſſet proficuus aduentus Chriſti, & aliud an in dicta vel in alia hypotheſi Chriſtus eſſet venturus, ex vi præſentis decreti, à Deo hîc & nunc de illo habiti. Primum eſt verum, & non de illo eſt quæſtio. De ſecundo procedit contentio, negamus ergo, fuiſſe Chriſti aduentum neceſſarium in hypotheſi hac, in qua nec originale nec actualia futura eſſent, quia licèt meritis Chriſti poſſent à prædictis peccatis homines præſeruari, tamen vt præſeruatio hæc fieret, neceſſarius non erat Chriſti aduentus, quia independenter ab illis ex ſola gratia liberaliter adeo collata, nulla intercedente condonatione, dicta præſeruatio poterat eſſe: etenim cùm nullum eſſet peccatum in tali hypotheſi, nullum debitum reperiretur, quod quidem in præſenti rerum ſerie inueniri, eſt de fide.

Ad illud, quod ea noſtra doctrina arguitur. Reſpondeo iuxta allata eſſe conſpicuam diſparitatem inter prædictas hypotheſes. Etenim in illa hypotheſi diximus, Chriſtum venturum, caſu, quo eſſet futurum peccatum Adæ tantùm, & originalia imminentia non eſſent in poſteros ex meritis Chriſti tranſfundenda, quod quidem eſt verum; ratio, nam in tali hypotheſi, ipſa peccata originalia non tranſfuſa ſupponebant debitum ea contrahendi. Tum in ipſo Adamo, qui per peccatum capitis contraxit poſitiuam indignitatem, quam alij vocant reatum poſitiuum, ea vi cuius, non intercedente Dei liberali miſericordia, ſine dubio eſſent poſteri originale contracturi, cùm igitur pro hoc debito non poſſet fieri ſatisfactio condigna ab ipſo Adamo, aut ab eius poſteris, vt latè dedimus *tractatu de ſatisfactione*, fit, ob hanc cauſam eſſe neceſſarium aduentum Chriſti prædicta hypotheſi, ne videlicet illud debitum abſque vlla ſatisfactione condonaretur; atque adeo vt pro tali, debito daretur condigna; imo & ex ſtricta iuſtitia ſatisfactio, quam ſolùm poſſe Chriſtum exhibere *tractatus de ſatisfactione Chriſti ex iuſtitia* dedit. Hoc ipſum habet locum in hypotheſi, in qua poſteri Adæ non contraherent debitum originalis, & ita ſe haberent, ac ſe habere Beatam Mariam Sanctiſſimam defendemus *dubio ſequenti*; tunc enim adhuc eſſet neceſſarius Chriſti aduentus. Quarto ratio, quia ipſos poſteros præſeruatos eſſe à tali debito ſupponeret neceſſariò condonationem factam in ipſo Adamo, & remiſſum debitum in illo exiſtens, atque adeo etiam in tali hypotheſi eſſet Chriſtus neceſſarius, ne ſcilicet abſque vlla condigna ſatisfactione, tale debitum liberaliter condonaretur. Nihil tamen horum in hypotheſi præſenti, de qua arguitur, inuenitur, cùm in illa ſupponatur nullum peccatum, nec in Adamo nec in poſteris eſſe futurum, quia cùm ſupponat, nullum præceſſiſſe peccatum, nec debitum carendi gratia & auxiliis, optimè poſſent media liberali Dei miſericordia à peccatis præſeruari abſque vlla condonatione, quia vbi nullum erat peccatum, nullum extabat debitum; atque adeo æquè bene poterat contingere in illis præſeruatio à peccatis media liberali miſericordia Dei, ac mediis Chriſti meritis, quapropter tunc in tali hypotheſi Chriſti aduentus neceſſarius non foret.

23. Denique interrogabis, quid dicendum eſſet in hypotheſi, quòd tantùm futura eſſent in poſteris venialia peccata, an tunc veniret Chriſtus ea vi præſentis decreti? Negatiuè reſpondeo, cuius rationem colliget quilibet, ſi ex animo quæ vſque huc diximus, comprehenderit. Etenim ex vi decreti præſentis decernitur Chriſtus, vt neceſſarius ad medendum toti generi humano, quod nullis operibus à ſe factis pro peccato, quo infirmus iacebat, condignè ſatisfacere poterat. At pro

peccato

peccato veniali condignam quiſque homo iuſtus poteſt ſatisfactionem præſtare. Vt latè dabit *tractatus de ſatisfactione puri hominis pro peccato proprio.* Ergo Chriſti aduentus in tali hypotheſi non erat neceſſarius. Ergo ex vi præſentis decreti Chriſtus non veniret in hypotheſi, quòd tantùm venialia reperirentur in poſteris, quia decretum hoc, quo hîc & nunc decernitur Chriſtus, tanquam ſimpliciter neceſſarius ad ſatisfaciendum pro culpis decernitur.

24. Accipe generalem regulam ad dignoſcendum, an Chriſtus venturus eſſet, vel non, ex vi præſentis decreti, in quacunque hypotheſi: etenim in quæſtione de facto, quam examinandam propoſuimus in præſenti, & denotat verbum illud, ex vi præſentis decreti, cuilibet hypotheſi adiectum, cum de diuina voluntate diuinare non deceat, ſed ex fine primario, quem Deus ſibi conſtituit in prædeſtinatione alicuius rei, aut ex occaſione, quam cœpit, vt non prædeſtinaret, colligere debeamus quid facturus eſſet in tali, aut tali hypotheſi, ita diſcurrere videmus, vt ſolùm proferamus, rem aliàs à Deo prædeſtinatam, non futuram, ſi non ſit cauſa, aut occaſio, ob quam prædeſtinata eſt, fore autem ſi aliæ res deeſſent, quæ neque cauſa, neque occaſio fuerunt rem illam prædeſtinandi; manente enim cauſa, aut occaſione decreti maneret decretum, & res foret, quidquid aliud deeſſet, ea cauſa verò ablata auferretur decretum, & res non foret, niſi ratione alterius decreti, quod tunc in Deo eſſet ex alia occaſione, aut cauſa; de quo nobis diſputare non licet, ſi enim quidquam eo modo velimus, deturbabimur. Igitur in hoc dubio actum eſt de aduentu Chriſti, prout ex præſenti decreto pendet, cuius occaſionem & finem nouimus ex ſacris literis *dub. primo* quare nullo modo eſt aſſerendum Chriſtum venturum propter aliquam aliam cauſam, propter quam hîc & nunc non venit, cùm quærimus an ſi hoc, vel illud deficeret, Chriſtus veniret.

DVBIVM IV.

Quomodo Beata Virgo Maria Sanctiſſima ex meritis Chriſti liberari potuerit à debito contrahendi originale peccatum?

1. PLura enim huic titulo inſeri diſputanda deberent, ſi aliorum eruditus calamus ingenti periodorum copia, & eleganti rationum pondere haud præoccupaſſet contentionem. Hic igitur examen ſubire poteſt, an Maria Sanctiſſima naturali, an potiùs ſupernaturali modo concepta fuerit, ex vſu legitimi matrimonij Sanctiſſimorum Ioachimi & Annæ. Rurſum, an caro eius ante animationem habuerit aliquam ſanctitatem, & an Beata Maria concipi potuerit abſque originali peccato? & data poſſibilitate, an hîc & nunc illud contraxerit: denique an Virgo de facto non ſolùm peccatum originale non habuerit, verùm nec debitum illud contrahendi? Hæc inquam omnia longiſſimum campum amplectuntur feliciter, excurrerunt plures vtriuſque ſtatus diſertiſſimi in theologia nobilitati Heroes, inter quos Vignerius *in inſtitutionibus theologicis capite decimo octauo, §.6.* Catharinus *in opuſc. de conceptione.* Cabrera *in concionibus prælo mandatis de hac feſtiuitate.* Subtilis Doctor Scotus *in tertium diſtinct. 3. quæſtione 1. §. ad quæſt.* Et diſcipuli eius omnes. Coſterus *meditat. 1. de concept.* Cornelius Cornelij *in caput quintum epiſtol. ad Romanos verſ. 12.* Brunus *tom. 4. meditat. 1. de concept.* Iacobus Sedmundus *in notatione ad epiſtol. Petri Celenſis epiſtol. 23.* Arnaia *in meditatione 99. Beata Maria* Ioannes de Pineda *in illud Iobi decimoquarto; quis poteſt facere mundum, &c. & in egregio opuſculo ſuper priuilegium Regis Aragonij.* Toletus *notat. 9. in caput tertium Ioannis,* Lorinus *in id Pſalmi 95. honor Regis iudicium diligit.* Bonifacius *in vita Deiparæ.* Henriquez *tom. 1 lib. vltim. capite decimo lit.* D. Oſorius *in ſermone de conceptione.* Coſmas Magallanius *in caput ſecundum primæ ad Timotheum ſectione quarta, annotat. 6.* Hieronymus forenſis *in confeſſione Auguſtiniana libro ſecundo, capite primo, numero 6.* Hieronymus natalis *in tract. 6. de laudibus Deiparæ, in fine voluminis in Euangel. fol. 553. titulo de conceptione.* Buſeus *in Enchiridio meditat. de concept.* Petrus Maturus *in annotatione ad S. Antoninum 3. p. ſumma hiſtoria tit. 42. c. 11. de S. Brigitta.* Paulus Comitolus *lib. 6. reſponſionum moralium quæſt. 40.* Peltanus *de peccato originali tract. 6.* Quos omnes nouiores ſcholaſtici ſequuntur variis in locis ſed potiſſimùm hac 3. *p.* Suarez, Vaſquez, Valentia, Bernal, Granadus, Lugo, & Amicus. In his omnibus ea, quæ omitto, abundè reperies, & egregios Patronos, pro ſententia negante Virginem hîc & nunc originale contraxiſſe ſuſcipies. In præſenti autem ſolùm magis metaphyſicè liti rem hanc commendare conabimur, an ſcilicet B.V.M. nedum ab inſtanti conceptionis, peccato originali caruerit, verùm nec debitum illud habendi contraxerit? quod eſt idem, ac quærere, an non ſolùm B.M. in ſe non contraxerit peccatum originale, verùm nec in Adamo peccauerit? omiſſis ergo aſſignatis quæſtionibus, in præſenti ita me geram, vt quæ probabiliora aliorum placita conſpexerim, narrabo, & ſententiam à me propugnandam, in calce perſcribam. Pro quo,

SECTIO I.

Sententia Ægidij proponitur, & reſpuitur.

COntrouerſiæ ſtatus præcedere debet præcipuam DD contentionem, & tituli dubij deciſionem, Imprimis prænotandum eſt, quid ſit debitum contrahendi peccatum originale. Apud authores inconcuſſum ſtatutum eſt, debitum hoc nihil aliud eſſe, quàm determinationem quamdam in actu primo ad contrahendum 2.

dum originale peccatum, ratione cuius determinationis quilibet ex Adamo deſcendens, virtute cauſarum ſecundarum, illud certiſſimè contrahet in primo conceptionis inſtanti, ſi aliàs ex ſuprema Dei miſericordia, ab illo contrahendo Deus liberaliter non eximat. Hoc enim non aliter explicari aptiùs poteſt, quàm exemplo, quod vulgariter experimur. Suppoſita lege à Principe lata, qua integrum Regnum obligaret, vt ſibi tributum perſolueret, nullo tamen excepto; certum eſt, ex vi illius legis vniuerſaliter præfixæ, omnes, qui prouinciam illam inhabitarent, eſſe quaſi in actu primo determinatos ad perſoluendum vectigal. Vnde quilibet, qui ex illis ortum habuerit, cùm primum potuerit, contrahit debitum ſoluendi, quod eſt idem, ac ex vi natiuitatis ſuæ, & inhabitationis, determinandum eſſe ad ſoluendum, ſi aliunde Rex illum liberaliter non exceperit.

3. Rurſum nota, Salazarem *tract. de conceptione, cap. 1. §. 8. & 9.* diſtinxiſſe duplex debitum peccatum originale contrahendi, vnum ex parte Adami ſe tenens, illi proprium, ratione cuius factus fuit debitor, & dignus, vt omnes filij eius originale contraherent. Aliud debitum proponit, ſe tenens ex parte filiorum, ea ſcilicet ratione, quòd quia filij talis parentis delinquentis, ſuppoſito pacto, determinantur quaſi in actu primo ad contrahendum originale. Ex quo infert, & bene hic author, debitum iſtud non ſolùm peccato Adæ inniti, ſed etiam in pacto & lege Dei fundari, ex vi cuius indictum eſt, vt ipſo Adamo delinquente, quotquot ex illo in poſterum naſcerentur, priuationi gratiæ cenſeantur obnoxij: atque adeo ſuppoſito Adæ peccato tanquam requiſito, ſine quo non, ipſi filij in ſeipſis ſunt, quaſi in actu primo determinati, ad carendum gratia, & habendum originale. Non me latet, aliquos pro certo defendere, debitum contrahendi originale eſſe ſolùm ſubiectiuè in Adamo, qui quia ipſe phyſicè ſolùm peccauit, dignus factus fuit, vt eius filij gratia priuentur, in poſteris autem tale debitum eſſe obiectiuè, quia cùm talis carentia gratiæ in illis eſt exequenda, dicuntur ſolùm habere debitum obiectiuè, hoc eſt, dicuntur pati dictam peccati carentiam, quam luere debet Adamus. Verùm ſi legeris naturam debiti ſubiectiui, & obiectiui, quam *diſputatione de ſatisfactione puri hominis præfigimus, dubio 1. ſect. 3. num. 9.* falſum comperies hunc dicendi modum, quia licèt dicta gratiæ carentia debita Adamo, ſit exequenda in poſteris, tamen ſi verum eſſet, nos debitum illius carentiæ ſubiectiuè non habere, fieret, abſolutè poſſe de poſteris verificari, illos non habere debitum contrahendi originale, ſed tantùm dictum debitum in Adamo reperiri. Quod non bene audit. Sequela patet, quia hoc, quod eſt, dictam carentiam gratiæ, aliàs Adamo debitam, contrahi de facto in poſteris, non ſufficit, vt ipſi poſteri dicantur verè debitores, ſeu habentes debitum originale contrahendi. Ergo nullo modo poſſemus dici habere debitum contrahendi originale. Conſequentia eſt certa, quia aliud fundamentum non habent authores iſti, ad negandum debitum ſubiectiuè poſteris, præter aſſignatum in antecedenti. Nunc antecedens probo ex ſuis principiis latè adductis *tract. de ſatisfactione puri hominis:* ibi enim ex illis ſtabiliuimus communiter eſſe receptum in materia de merito, quòd in hypotheſi, quòd aliquis purus homo poſſet alteri de condigno promereri gratiam, nullo modo poſſet verificari de illo, cui alter promeretur, aliquid promereri, ſeu dignitatem habere ad illam gratiam tanquam ad præmium, quamuis alter illi præmium mereatur. En quomodo præmium merentis communicatur alteri, & tamen hoc non ſufficit, vt iſte, qui recipit, dicatur habere dignitatem ad illud recipiendum. Ergo ſimiliter hoc, quod eſt, dictam carentiam gratiæ, aliàs Adamo debitam, contrahi de facto in poſteris, non ſufficiet, vt ipſi dicantur verè debitores, ſeu habentes debitum originale contrahendi. Conſequentiã tenet paritas, vt cuique patebit. Ergo abſolutè eſt fatendum, nedum in Adamo, qui phyſicè peccauit, ſed in poſteris reperiri debitum ſubiectiuum contrahendi peccatum originale.

Rurſum præ oculis nota, vt ſtatum controuerſiæ poſſis comprehendere, debitum, ſeu neceſſitatem contrahendi maculam, poſſe perſeuerare in poſteris abſque actuali contractione maculæ; imo & ſimul cum illa exiſtere. Singula breuiter expendam. Poteſt ſine maculæ contractione perſeuerare debitum contrahendi illam in hypotheſi, ſcilicet qua in inſtanti conceptionis aliquis muniretur gratia habituali; etenim tunc non eſſet macula, vtpote cum ipſa gratia incompatibilis, & tamen eſſet debitum ad maculam, quia licèt in eo inſtanti per gratiam macula impediretur; tamen ex vi naturæ ortum ducentis ex Adamo, & in eo incluſæ vi pacti, quando peccatum efficiebat, determinatus eſſet homo ille ad contrahendum in exercitio maculam. Hoc enim experimur in igne per modum actus primi determinato ad calorem, & recipiente frigiditatem contra exigentiam ipſius ignis, in hoc enim caſu coniungitur determinatio perſeuerans ad calorem in igne, cum carentia actuali illius, quia forma oppoſita, nempe frigus, determinationem, quam ad calorem habet ex natura ſua ignis, impedit, ne actum ſecundum poſſeſſionis lucretur, ſic in præſenti materia, quilibet homo eo ipſo, quòd naſcatur ex Adamo, in quo moraliter vi pacti includebatur, determinatus eſt, quaſi in actu primo, ad contrahendam originalem maculam; cùm autem Deus gratiam confert in primo conceptionis inſtanti, obicem ponit, ne maculam contrahat, tametſi debitum illam contrahendi relinquat, quia vna forma contraria id depellit, cum quo opponitur, & illibatam relinquit in ſubiecto exigentiam ad formam, quam ex ſe, & ab intrinſeco efflagitat. Vt patet in igne. Rurſum comparitur debitum contrahendi maculam cum ipſa macula, quando ſcilicet homini, ex Adamo deſcendenti, denegat Deus, in primo inſtanti conceptionis, gratiam habitualem, tunc enim cùm ex natura ſua determinatus eſſet ad illam maculam contrahendam, & aliunde per gratiam eius contractio non impediatur, fit, illum ſtatim maculam fore contracturum; ita vt talis contractio, magis connaturalis eius naturæ, dictam ma- 4

culam exigenti, iudicetur, quia determinatio per modum actus primi optimè, & connaturaliùs componitur cum forma, ad quam datur determinatio, quàm cum oppoſita, vt patet in igne, per modum actus primi, determinato ad calorem recipiendum, recipiente calorem. Ex his optimè colliges, quid diuerſum eſſe, ipſam maculam originalem, & debitum illam contrahendi, etenim macula originalis, vel conſiſtit in carentia gratiæ, iuxta aliquorum opiniones, vel in actione praua ipſius Adæ prout in nobis habitualiter perſeuerante. Debitum verò illam contrahendi conſiſtit in determinatione quaſi paſſiua, ſeu neceſſitate ex parte noſtri, ad contrahendam, vel carentiam gratiæ habitualis, vel ad hoc, vt actio, quam moraliter operati ſumus cum ipſo parente noſtro Adamo, in nobis habitualiter perſeueret, in quorum vno maculam originalem iuxta diuerſa principia conſiſtere diximus.

5. Iſta omnia è diametro obuiare videntur Aſſertis Aegidij, hic enim *libro quarto, de præſentatione, quæſtione quarta, articulo quinto*, aſſerit, nullum Adæ filium in ſeipſo debitum originalis contraxiſſe, & conſequenter à tali debito immunem prædicat Mariam SS. & licèt, quoad hanc partem, veritatem dixerit, tamen fundamentum, cui innititur ad vtramque partem tuendam, veritati non adhæret. Imprimis cæteros poſteros in ſeipſis tale debitum non contrahere, probat Ægidius: quia fide catholica eſt certum, omnes nos ab inſtanti primo conceptionis, originalem maculam contrahere. Ergo cum hac veritate non poteſt compati, in poſteris reperiri tale debitum maculam originalem contrahendi. Conſequentiam probat, quia omne debitum extinguitur per ipſam ſolutionem debiti. Sed eo ipſo quòd homines Adæ poſteri, contrahant ab inſtanti conceptionis maculam originalem, quam contrahere debebant. Soluunt, quod debent. Ergo extinguunt in ſeipſis debitum. Ergo eo ipſo quòd fides ſtatuat, poſteros Adæ originalem maculam contrahere in inſtanti conceptionis, non compatitur, illos in ſe ipſis contrahere debitum maculam originalem contrahendi, ſed ſi aliquod in eis relucet debitum, erit extrinſecum, nempe in Adamo. Maior probatur, cætera enim liquent, quia ſi mihi 50. debes, ſtatim ac 50. ſoluis, non debes, taliter, quòd in eo inſtanti, in quo ſolutionem exhibes, eſt verum dicere, te nihil mihi debere.

6. Hoc ipſum probat de Virgine SS. Etenim in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit gratiam habitualem, quæ virtualiter, ad minùs, eſt remiſſio debiti contrahendi maculam. Sed debitum tollitur per remiſſionem. Ergo in eo inſtanti M.SS. nullum debitum contraxerat. Maiorem ipſe caſus demonſtrat; etenim eo ipſo, quòd gratia fuerit M.SS. in primo inſtanti conceptionis ſuæ collata, per ipſam collationem gratiæ remittitur debitum, quod habuit Adamus, vt ipſa gratia careret, & in B.M. fuit impeditum, & quod explicat eodem exemplo; ille enim, qui 20. deberet, & creditor illa donauerit, omne debitum ſoluendi extinguitur in debitore. Hoc eodem fundamento moti fuere Anteſignani Thomiſtæ ad aſſerendum, non bene cohærere in B.M.SS. debitum carendi gratia in primo conceptionis inſtanti collata. Ita Capreolus & Ferrara *4. contra g. cap. 50.* exiſtimantes eſſe ſententiam diui Thomæ tam *hic* quàm *1. 1. quæſt. 81. art. 3.*

Sed hæc ratio multipliciter à pluribus eneruatur; RR. quidam facilem exitum proponunt, diſtinguentes duplex debitum. Vnum ciuile ad aliquid præſtandum, & aliud conſiſtens in quadam determinatione potentiæ paſſiuæ ad aliquid recipiendum. Illud enim, cùm tota ſua eſſentia ſit in obligatione conſtituta, & hæc ſpiret ſola poſitione rei debitæ, fit, quòd ipſa ſolutione extinguatur. At debitum per modum determinationis ad aliquid recipiendum, tam procul eſt, vt per ſuſceptionem rei deſtruatur, vt potiùs per illam perfici iudicetur; ex quo fit, quòd tale debitum cum ipſa receptione perſeuerare dicatur. Hoc conſpicuum facit quælibet potentia phyſica, de qua experimur perſeuerare cum ipſo actu ſecundo, & vt ſuprà annotauimus, caſu, quo exercitio illius defungatur, manet in illa exigentia, determinatio in actu primo ad actum ſecundum habendum. Hoc enim eſt communis doctrina apud authores. Debitum autem, quod poſteri dicuntur contrahere, nullo modo eſt ciuile debitum; quin potiùs morem gerit debiti potentiæ quaſi paſſiuæ, ad modum determinationis in actu primo, quam habet homo, eo ipſo, quòd intelligatur conceptus ex Adamo ad contrahendam maculam, ad quam obſtrictus eſt ea præciſa ratione, qua intelligitur ortum ducens ex Adamo; in quo peccauit, quapropter ſiue in eo inſtanti primo conceptionis infundatur gratia originalis impeditiua, ſiue, illâ denegatâ, originale contrahatur, durare debet hoc debitum in inſtanti conceptionis. 7.

Sic reſpondent Reuerendi rationi Ægidij; at quia in eius formatione latitant fortiores nerui, qui primo aſpectu non reſerantur, & quos præcidere eſt neceſſe, ideo decreui, rationem dubitandi Ægidij amplius protendere, ſicque videbitur, ſolutionem adlubitam, tametſi veram, non exhauſiſſe totam obiectionis vim. Sic eam propono. In nullo inſtanti ſunt de eadem re verificabilia duo contradictoria. At ſi cum gratia in primo conceptionis momento virgini collata, componeretur debitum carendi illa, id ſequeretur. Minor probatur. Sequeretur idem debitum eſſe, & non eſſe in eodem inſtanti. Hæc ſunt contradictoria. Ergo ſequerentur duo contradictoria. Minor probatur. Sequeretur in eodem inſtanti, debitum carendi gratia eſſe ſimul cum collatione gratiæ. Sed hoc eſt idem debitum eſſe & non eſſe in eodem inſtanti. Ergo &c. minor probatur, imprimis apud noſtram ſententiam eſſet debitum in illo inſtanti collationis gratiæ. Probo nunc, tale debitum non eſſe in illo inſtanti. In illo inſtanti, quo remittitur debitum, non eſt. Sed in inſtanti, in quo confertur gratia, remittitur. Ergo in illo inſtanti, quo confertur gratia, eſt non eſſe debiti carendi illa. 8.

Sed occurres cum RR. non eſſe contradictoria iſta, quia ſimul non verificantur pro eodem priori, etenim eſſe debiti carendi gratia, intelligitur pro priori naturæ ad collatio- 9.

nem

nem gratiæ, quæ pro poſteriori confertur, pro quo etiam intelligitur non eſſe debiti.

10. Sed hac ſolutione vis argumenti creſcit. Etenim ſi rectè ſolutionis doctrina penetretur, comperies, manus dare difficultati; etenim, in omnium ſententia, contradictoriarum lex contenta manet in hoc, quòd in vno inſtanti temporis coeant eſſe, & non eſſe formæ. Ergo ſi admittitur in eodem inſtanti reali compati, ſimul eſſe, & non eſſe debiti, iam concedit ſolutio contradictoriarum ſimultaneitatem; nec declinat ſequelæ vim prioritas, & poſterioritas naturæ, quia prioritas hæc, & poſterioritas naturæ componunt vnum & idem reale inſtans temporis; etenim quod in priori naturæ eſt, in aliquo temporis inſtanti eſt, taliter, quòd ſi in aliquo reali inſtanti non ſit, nec in priori naturæ erit. Ergo ſemel admiſſo, quòd pro priori naturæ reperitur in M. SS. eſſe debiti, & pro priori non eſſe debiti, non poteſt negari, quòd in eodem inſtanti reali temporis ſint ſimul eſſe & non eſſe debiti, quod eſt admittere contradictoria. Rurſum authores ſolutionis abutuntur verborum proprietate philoſophiæ, dum aſſerunt, eſſe debiti præcedere pro priori naturæ non eſſe ſuiipſius; hoc enim cum voce ſtrictæ philoſophiæ pugnat, quod exemplo iſto declaratur; corrumpitur calor in inſtanti temporis. *A.* & tamen non dicitur in bona philoſophia, fuiſſe in eodem inſtanti pro priori naturæ ipſum calorem ante eius deſtructionem; tametſi pro priori naturæ ipſum ſubiectum præceſſerit indifferens, vt ab eo expelleretur, aut non expelleretur calor. Itaque apud philoſophos non eſt idem, ſubiectum eſſe indifferens in hoc inſtanti priori naturæ, vt in eo conſeruetur calor, vel non conſeruetur, ac calorem ipſum in eodem inſtanti fuiſſe pro priori naturæ indifferentem, vt conſeruetur, aut non conſeruetur. Hac enim ratione ſubiectum eſt indifferens, vt in eo primò producatur calor, aut non producatur, non verò dicitur calor indifferens, vt producatur, aut non producatur: ratio iſtorum eſt facilis, etenim indifferentia prædicta conuenire poteſt ſubiecto, quod ens ſimpliciter, vtpote ſubſtantia, exiſtere poteſt independenter à caloris productione, & negatione illius: at calor antecedenter ad productionem ſui exiſtere non valet. Ergo nec realem aliquam indifferentiam poteſt habere, quia quod non eſt, indifferens ad alia non poteſt eſſe, etenim non entis nullius ſunt proprietates. Vnde indifferentia, quam quælibet res habet, vt primò producatur, vel non, eſt indifferentia logica, non verò phyſica. Idem iudicium fertur de indifferentia, quam habet quodlibet in hoc inſtanti, vt conſeruetur, vel non conſeruetur in illo; ratio, quia in hoc inſtanti nihil poteſt intelligi exiſtens, quin in illo inſtanti intelligatur productum, ſeu conſeruatum, ac proinde in illo inſtanti nullam poteſt habere indifferentiam, quouſque intelligatur conſeruatus; cùm enim primùm intelligitur conſeruatus, nequit intelligi cum indifferentia ad conſeruationem, quia iam ſupponitur cum vno ex his extremis, quod cum indifferentia pugnat.

11. Ex hac doctrina euertitur alia, quam, vt noſtram litem compoſitam relinqueret, affert Suarez *tomo 2. in 3. part. diſputatione 3. ſectione quarta, littera B.* ibi enim aſſerit, optimè intelligi B.M. in propria perſona eſſe obnoxiam originali peccato, ſi priùs penetretur, quid ſit, obnoxium eſſe originali culpæ, ad quod explicandum aduertit, hominem priùs natura eſſe hominem, quàm ſit ſanctus, vel peccator, quia eſſe naturale, tam ad gratiam, quàm ad culpam, per modum ſubiecti ad formam accidentariam comparatur; & ideo priùs etiam natura intelligitur homo eſſe filius Adæ, quàm intelligatur actu eſſe in ſtatu gratiæ, vel peccati, quia hic ordo naturæ ſolùm eſt ordo cauſæ, quo intelligitur hæc proles ab hoc naturali principio phyſicè manare, priuſquam intelligatur aliquid aliud ſuperaddi. Hæc Suarez ibi, quæ expenſione terminorum rationis dubitandi adhibitæ funditus ruit, vt ponderanti aperietur.

12. Iam vt rem hanc componam, annuens regulis philoſophiæ, hanc nunc iuxta peritiores ſtatuo. Quoties enim forma naturaliter permanens præceſſit in inſtanti antecedenti, intelligitur futura in inſtanti venturo, niſi eius exiſtentia impediatur aliunde. Iuxta hanc regulam generaliter inferre licebit; in hac & in quacunque remiſſione intelligi debitum exiſtens, non in eo inſtanti, in quo eſt remiſſio, ſed in præcedenti, & in eo inſtanti, in quo eſt remiſſio, antecedenter ad illam intelligi quaſi negatiuè, illud debitum, hoc eſt, intelligi infallibiliter in eo inſtanti futurum, niſi adſit forma impeditiua debiti, in inſtanti antecedenti exiſtentis, & quæ reipſa impedit debitum, nec ſit in eo inſtanti, in quo eſt remiſſio. Vnde duo poteſt conſiderare inſtantia reſpectu debiti poſterorum Adæ. Vnum, quod præceſſit inſtans conceptionis eorumdem, & aliud, ipſum inſtans conceptionis illorum; in illo præceſſit debitum, & quia præceſſit, intelligitur duraturum in ipſo inſtanti conceptionis, niſi impediatur, aut remittatur in ſequenti; atque adeo antecedenter ad remiſſionem, & poſitiuam durationem illius, intelligitur in ſecundo inſtanti ex ſe durans conditionatè, & poſitiuè duraturum niſi impediatur, aut ponatur forma illius debiti remiſſiua, quod in inſtanti antecedenti præceſſerat, ex quo fit, quòd cùm poſtea in inſtanti conceptionis ponitur remiſſio, non tam dici ex vi remiſſionis extingui debitum in ſubiecto, in quo præextitit in inſtanti antecedenti, quàm extingui debitum in ſubiecto, in quo eſſet debitum in eo inſtanti, in quo eſt remiſſio, ſi hæc non impediret.

13. Hanc doctrinam decerpſi ex quibuſdam verbis Caietani *opuſculo de Conceptione capite tertio*, vbi aſſerit quòd in natura lapſa ex naturali origine, quam homines ex Adamo trahere dicuntur, ſtatim ſequitur influxus originalis culpæ, niſi Deus per gratiam præueniat: & impediat illum: vnde fit in illo primo inſtanti, quo proles concipitur, cauſas eius ita eſſe diſpoſitas, vt omnino neceſſariò influxuræ ſint originale peccatum, niſi à Deo præueniatur, & hoc eſt, eſſe obnoxium originali peccato, & & quia hanc neceſſitatem, & veluti propriarum cauſarum debilitatem habet proles, non ſolùm antequam animetur, ſed etiam in ipſo-

met inſtanti animationis, quatenus intelligitur natura antecedere omnem gratiæ infuſionem, ideo veriſſimè dicitur in primo inſtanti, & in propria perſona, eſſe obnoxia originali peccato. Ex quo tandem colliges, optimè cum hoc componi, quòd Deus in eodem primo inſtanti conceptionis poſſit gratiam infundere, quia vt ſuprà in limine annotaui, hæc duo non pugnare, ſcilicet effectum procedere à cauſis, à quibus habiturus eſſet aliquam imperfectionem, ſi non impedirentur, & nihilominus cauſas hîc & nunc impediti. Quapropter optimè edocuit Caietanus *citato loco*, hoc modo optimè intelligi B.M.SS. potuiſſe propriè eſſe redemptam in propria perſona, etiamſi illa non habuerit originale peccatum, quia illamet gratia, qua præuenta eſt, fuit gratia redemptionis, & impediuit culpam neceſſariò emanaturam ex cauſis proximis; Deo non impediente.

14. Dixi, me ſolutionē, quam dare incepi, ex his verbis collegiſſe, non ad hunc ſenſum, vt rem, quam in præſenti diſputamus, Caietanus tetigerit, ſed quatenus ex illis probabiliter deducitur doctrina noſtræ ſolutionis, quam iterum euoluo; per illam ergo aptè penetratam rectè intelliges, præſeruationem ab originali per infuſionem gratiæ remittentis debitum. Quando enim in primo conceptionis inſtanti gratiæ infuſio debitum Adæ exiſtens in inſtanti antecedenti, & impedit originale, quod aliàs neceſſariò, ex vi præcedentis debiti exiſtentis in Adamo, eſſet in eo, cui infunditur gratia, in eo inſtanti, in quo infunditur, ſi talis gratia non infunderetur, tunc illi debitum originalis remittitur, non ad huuc ſenſum, quòd in hoc inſtanti poſitiuè illud habeat, quia, vt rectè aduertit arguens, in inſtanti, in quo eſt remiſſio debiti, non eſt debitum, nec ad hunc ſenſum, quòd illud habuerit homo in ſeipſo in inſtanti præcedenti, quia, vt de ſe patet, in illo nondum ſubiectum erat exiſtens, & id quod exiſtens non eſt, ſicut ponderauit dubitandi ratio, non poteſt pro ea menſura intelligi cum debito, ſed ad hunc ſenſum videlicet, quia in inſtanti præcedenti fuit debitum Adæ, ex vi cuius in hoc inſtanti antecedenter ad hanc remiſſionem, debitum illud erat negatiuè in illo ſubiecto, & in illo infallibiliter eſſet originale, ſi gratiæ infuſio non interueniret, vt ex Caietano monuimus; quod ſufficit, vt in eo inſtanti ſubiectum intelligatur obnoxium peccato originali, vt vidimus ex doctrina allata.

15. Ex quo inferes duplicem modum, quo B.M. SS. cui in primo conceptionis inſtanti gratia confertur, poſſumus conſiderare. Primò taliter, quòd ſi in illo inſtanti illi non conferretur gratia, contraheret originale, & tunc talis infuſio gratiæ eſſet remiſſio debiti, quod in eo primo conceptionis inſtanti fuit in B. M.SS. ſaltem negatiuè, & in præcedenti poſitiuè in Adamo, antecedenter ad infuſionem gratiæ, quæ eſt virtualis & æquiualens remiſſio originalis, quia in idem recidit, Deum infundere gratiam impedientem maculam, quæ infallibiliter & neceſſariò eſſet ex vi cauſarum in hoc inſtanti, ſi gratia non infunderetur, ac infundere gratiam expellentem eamdem maculam, quæ extitit. Secundo modo poteſt conſiderari infuſio gratiæ, facta in primo conceptionis inſtanti, ita vt etiam ſi non infunderetur, ſubiectum, cui infunditur, non contraheret originale, & tunc illa infuſio gratiæ non eſt remiſſio alicuius debiti, nec æquiualens remiſſio originalis.

Ex his manet ſoluta ratio dubirandi, cuius ſolutionem inter arguendum adhibiram omittimus, licèt valde probabilem eſſe iudicet Suarez *tom. 2. de incarnatione, diſp. 4. ſect. 4.* dicimus ergo V.M. nec in ſe, neque in Adamo contraxiſſe debitum carendi gratia, aut fuiſſe obnoxiam originalis maculæ, atque adeo contradictoria illa ex noſtra ſententia nullo modo ſequi. Et conſeqoenter dum in titulo quæritur, an M.SS. contraxerit debitum originalis, idem eſt, ac inquirere, an ſi in primo conceptionis inſtanti illi non infunderetur gratia, peccatum originale contraheret. Plures ſunt, qui affirment, & iſti tenentur fateri, M. SS. contraxiſſe proximè debitum originalis. Qui autem negauerint, tenentur negare virgini tale debitum. Similiter cùm authores in præſenti quærunt, quomodo componi poſſit cum Chriſti meritis, fuiſſe M. SS. à debito proximo originalis immunem, quærere prætendunt modum, quo ſaluari poſſit cum Chriſti meritis, & cum redemptione ab originali virtute Chriſti meritorum facta, B. M. SS. originale non contracturam, etiam in hypotheſi, in qua illi in primo conceptionis inſtanti gratia habitualis collata non fuiſſet? in hac re varij ſunt authorum placita, & modi conſtructi, quibus hæc duo componere ſunt rati, omnes quos percurrere potui, attingam, & meis principiis conſanguiniorem vltimo loco ſcribam, & muniam. Pro quo. 16.

SECTIO II.

Lugus, Puente Hurtado refelluntur & alij.

PAter Hurtadus Puente aliorum modis ab ipſo expunctis hanc rem componentibus, hunc adornat *diſput. 13. ſect. 4. ſubſect. 5. à §. 93.* ſupponit enim pactum fuiſſe pro omnibus, ad quos in actu primo producendos futurus erat Adamus, in quibus continentur plures, qui de facto non producuntur, quales ſunt illi, qui ex Abele naſci poſſent, ſi immaturè vitam non finiret, idem profitetur de Ioanne Baptiſta; in hoc tamen pacto minimè includit M.SS. decreuit itaque Deus illam non producere niſi in ſtatu naturæ reparatæ, & in eo, non niſi ex meritis Chriſti. Vlteriùs habuit Deus aliam voluntatem conditionatam, eam ſubingandi communi pacto, ſi Chriſtus eam à tali pacto eximi non depoſceret, ſi tamen illius exemptionem efflagitaret, illam eximere, quam voluntatem cùm Chriſtus cognoſceret, à patre petiuit productionem Mariæ, necnon illius à communi pacto exemptionem; vtrumque autem Deus præſtitit propter illius merita. Rurſum ait, ex vi horum decretorum B. M. SS. Adamo non peccante ex illo gratiam non eſſe accepturam, quia Adamo non peccante ipſa non exiſteret. 17.

Iterum

Iterum addit,modum hunc conſiſtere non poſſe,in opinione conſtituente originale in priuatione gratiæ, & dat rationem, quia vt aliquis hanc priuationem gratiæ contrahat,neceſſe eſt, vt illam antecedenter habere poſſet, cùm autem B.M.SS. neque antecedenter hanc habuerit potentiam, quia illius exiſtentia diffinita erat dependenter à peccato Adæ, & cum innocentiæ ſtatu componi non poterat, neque illam priuationem potuit contrahere;ac proinde merita Chriſti non potuerunt talem priuationem ab illius matre diuellere.

18. Hæc cenſuit Hurtadus, quæ difficultatibus hic inde ebullientibus abundant, nec vacat recenſere, quantò minùs enodare. Vide RR. illa narrantes & expungentes, noſtra erit aliquam ex illis, quæ videatur efficacior, decerpere impugnationem.Hic dicendi modus tollit à virgine omnem potentiam peccandi in Adamo, quia in illo proponit Hurtadus duo. Primum, Deum ſubiugare M. SS. communi pacto ſub conditione,quòd Adamus peccaret.Secundum, illam eſſe impotentem in illo includi. Sed hæc duo tollunt à M.SS. poteſtatem antecedentem peccandi in Adamo. Ergo iſte modus tollit à Virgine omnem potentiam peccandi in Adamo. Antecedens probo; etenim illa duo tollunt à virgine omnem indifferentiam in Adamo, cùm iuxta illa Mariæ exiſtentia, ſupponat determinationem Adæ ad peccatum,& antecedenter non poſſet componi cum negatione peccati. Ergo tollit omnem indifferentiam.Ergo omnem potentiam peccandi in Adamo,quia peccatum p[illegible] orum in Adamo commiſſum, ſupponit eorum indifferentiam in Adamo, ad peccandum.De ſe patet;ablata ergo hac indifferentia in Adamo, implicat B.M. SS. in Adamo peccare, & ab illo originalem maculam trahere.Ergo merita Chriſti efficere non potuerunt, ne M.SS. in Adamo peccaret,& ne ab ipſo deriuatam culpam afferret. Alia apud alios inuenies fortaſſis maioris momenti, quibus hunc dicendi modum poſſis validiùs eneruare.

19. Cardinalis de Lugo acuta indagatione de participatione diuinorum conſiliorum, diſſertat in hanc normam, *diſput. 7. de incarnatione, ſect. num.* 37. Primum, Deus ab æterno mente hominem condit & repræſentat, quemadmodum præſtito tempore, loco,opere adimpletum ſit, vnumquodque ante quam fieret,quare creatum Adamum Nepotum morale caput declarat in ordine ad transfuſionem gratiæ,ſi non peccaſſet, eius quoque amiſſionem, ſi delinqueret, excipiendo tamen eam,quam ſibi Deus carnem aſſumpturus genitricem caperet, ſi aliquam eligeret, non determinando pro eo ſigno, an ex fœmina naſci vellet, poſtquam huiuſmodi pactum fecit cum Prothomine, videt tranſgreſſum eius mandati legem, decernit Chriſti aduentum, eiuſque propter merita,matrem illi aſſignat,quæ hoc ipſo intelligitur non peccaſſe in Adamo, cùm in pacto nominetur excepta quæcunque in genitricem Chriſti eligatur. Verùm iſta ſignorum harmonia quæ non vulgares Theologos demulſit,patitur non contemnendam difficultatem, ea enim non deoolumur,vt ſignorum accentum impoſſibilem reddat, ſed quòd eius data ſtructura cum illo non compatitur, virginem Matrem eſſe excluſam à communi pacto ex meritis Chriſti;etenim ſuppoſita hac ſignorum ſerie, non ideo à pacto excluſa eſt Maria, quia Dei genitrix præcisè; quia Dei potentiæ non erat abſolutè impoſſibile, Dei matrem aſſignari, quæ pacto continebatur, & in Adamo peccaſſet; imo & de facto accidiſſe communis hactenus ſententia diſcurrebat. Quare igitur Virgo ſanctiſſima communi pacto ſubiugata non eſt? nimirum, quia Deo viſum congruere, vt verbi Mater pacto eximeretur. Sed hoc, quod eſt Deum voluiſſe, vt filij genitrix pacto non contineretur, anteceſſit Chriſti præuiſionem iuxta hunc modum dicendi. Ergo & id, ob quod virgo ſortita eſt, ne pacto fuerit comprehenſa, ac proinde ob Chriſti merita non eſt excluſa à pacto.Rurſum iuxta hunc dicendi modum, ſi Adamus non peccaſſet, beata Maria ſanctiſſima ex illo gratiam non afferret. Vt horum decretorum categoriam legenti conſpicuum eſt, quod maximè deprimit gloriam & dignitatem Mariæ,glorioſius enim eſſet Deiparæ,ſi ex vna parte dicatur, ipſam debitum originalis non contraxiſſe, & ex alia, decreta ita ordinata fuiſſe cenſeamus, vt Adamo non peccante, ex illo in eam gratia eſſet deriuanda.Quodque ita de facto eueniſſe, & plures ſaluare conantur,vt infrà videbimus, & dum ſeriem decretorum noſtri modi dicendi tradiderim,aperiam.

Quirinus de Salazar *tomo de conceptione, capite vigeſimo quarto*, §. 1. *à numero ſexto*, quòd primum vidit Deus, quotquot intra mundi æuum producendi erant homines, quorum certum, & præfinitum numerum conſtituit, & cùm poſſibiles eſſent plures, pluresque noluit ex poſſibilibus, niſi tot, tantiſque exiſtentiam donare; horum igitur, quos ita ſigillatim, & diſtinctè contuebatur, caput Adamum nominauerit, fœduſque meditatus, vt ſi gratiam & iuſtitiam rectè agendo ſeruaret, ad poſteros tranſmitteret felicem hæreditatem; ſin verò præuaricaretur delinquendo, etiam nepotibus noceret, à quo dimanaret in illos peccatum originale, eiuſque debitum. Princeps factus cunctorum Adam, manducat de vetito fructu; inficitque poſteritatem, in ſalutem tanti mali decernitur Chriſtus venturus: Chriſti præuiſa exiſtentia, cùm aliter produci poſſet, vt materno concipiatur vtero, ſtatuitur. Cùm verò talem dedeceret Monarcham, ex fœmina ortum eſſe, quæ in Adamo peccaſſet, ſuis obtinuit meritis à Deo, vt conderet mulierem aliam præter eas,quas ab initio deſtinarat, fecitque,& Mariam produxit, quæ ſanè in Adamo non peccauit, quia delictum protoplaſti in eas ſolùm pertranſiit, quarum futuritio determinata eſt, quando pactum initum fuit, pro quo ſigno adhuc de Maria futura Deus nihil decreuerat. Hæc Pater Salazar. 20.

Licèt ex hoc modo Salazaris optimè intellexerim,exiſtentiam Mariæ decretam fuiſſe ob Chriſti merita, necnon quòd Mater Chriſti naſceretur, etenim vtrumque potuit petere Chriſtus; tamen quòd ab eiſdem meritis ita factum ſit, ne in Adamo peccaret, ſubſentire non valeo. Etenim Deipara non ideo in Adamo non peccauit, quia futura erat quouis modo 21.

modo, ſed quia non de eodem numero fuerit, quas futuras Deus præuidit, quando paciſcebatur cum Adamo; ſi enim de talium numero eſſet, peccaret in Adamo, ſicut ipſe. At quod ex illarum numero non eſſet, Chriſti meritis non eſt tribuendum, cùm iuxta Quirinum pro illo ſigno non eſſet decretum, vt produceretur Chriſtus. Igitur quòd in Adamo peccaret, Chriſti non debebatur meritis. Hoc ipſum aliter premitur, etenim apud Theologos cunctos obuerſatur tanquam principium, ex quo deducunt V. M. SS. peccatum, nec debitum contraxiſſe, ipſam in matrem fuiſſe dilectam: hæc enim incomparanda dignitas eſt, quæ vetat peccato aut leuiſſimo quidem ſordidatam. At ſecundùm modum hunc non eſt neceſſe ad materni excellentiam faſtigij recurrere. Ergo non ſubſiſtit, minor probatur, nam eo ipſo, quòd Chriſtus poſtularet Virginem produci, quin genitrix fuiſſet, iam non eſſet de multitudine illarum, quas Adami continebat pactum; (ſupponimus enim aliam eſſe fœminam, præter futurarum à Deo ſtatum numerum Chriſti ſpecialiter exoratam precibus) ſed hoc ipſo neque peccaret in Adamo, neque originali fuiſſet obnoxia labi. His enim tantùm ſubiacebant, quorum caput erat Adamus. Igitur abſque eo quòd eſſet Mater Chriſti, neque in Adamo peccaſſet, neque originaria aſpergeretur macula. Quod videre eſt PP. & Theologi recuſant. Alia latiùs impugnata contuere in Lugo *vbi ſuprà ſect. 3. à num. 28.*

22. Pater Serlogius *tom. 2. in Cantica veſtigatione 10. explanat miſt. de Chriſto & Eccleſia ſect. 2. num. 34.* ſic ſtabilit ſuum dicendi modum. Primum enim conſiderat ex poſſibilibus virorum & mulierum indiuiduis præfixiſſe numerum certum, & aſſignabilem eorum, qui aliquando debebant, exiſtere, & ſtatuiſſe in hoc mundo non plures condere, niſi forſan verbum carnem ſumeret, & eius poſtulatu ſuperadderet definitæ multitudini nouam humanam creaturam. Rurſum ſub altero ſigno transfuſis in Adami voluntatem, nepotum omnium voluntatibus, fœderis ei proponuntur conditiones. Verùm hoc modo exiſtimat hic Author fuiſſe elaboratum pactum, vt quidem in ordine ad tranſmiſſionem gratiæ ad poſteros, omnium eum conſtituerit caput abſolutè, etiam eius humanæ creaturæ, quam filij motus precibus aliquando produxiſſet, ſi modò filius ipſe ita peteret: in ordine autem ad peccatum, & iuſtitiæ originalis naufragium omnes etiam quocumque modo, & quandocumque futuros ei velut capiti ſubderet, vel creaturam illam quoque humanam, quam producere ſpondebat, ſi filij incarnati rogaretur precibus, excepto tamen ſi filius talem creaturam matrem ſibi exoraſſet, nam ſi eius genitrix futura eſſet, non eſſe ſuæ intentionis voluntatem illius in ordine ad actus peccaminoſos, & gratiæ amiſſionem Adami includere voluntatem. Poſtmodum vitiato per Adamum genere humano, decernitur Chriſtus in carne paſſibili, & à ſola Dei actione dependens tempore paſſionis, modo quo meretur genitricem ſibi aſſignari Mariam, creaturam illam ſcilicet, quam Deus, cùm futurorum in hoc mundo numerum circunſcriberet, pollicitus eſt, modò filium incarnari ſtatueret, & rogaret aliam de nouo creaturam produci, ita ſe facturum, eamque ipſam, quam pacto cum Adamo inito exceperat, ſub conditione quod filius eam matrem ſibi dari poſtularet; ex hoc ſignorum, & decretorum conuentu ſequitur planè, ait author, virginem Chriſti ſeruatoris paſſioni, & meritis debuiſſe adæquatè, quòd neque in pacto Adæ à numine exhibito, quatenus in malum declinare poterat, comprehenſa ſit, neque in eo peccauerit, ac proinde nec debitum originariæ labis proximè contraxerit, quippe niſi Chriſtus poſtularet, eo fine produci virginem, vt mater eius fieret, pacto comprehenſa intelligeretur, fuit enim hæc vnica, ob quam excludebatur, conditio; ſed Chriſtus adæquatè meritis ſuis conſequutus eſt, vt ideo formaretur virgo, quo eius genitrix euaderet, igitur & adeptus eſt adæquatè, ne pacto cum Adamo inito contineretur, & ne in illo peccaret. Sequitur præterea, ſi Adam non peccaret, retinente eo iuſtitiam originalem, transfundendam illam in virginem, quoniam ſecundùm hanc prærogatiuam, eius conſtituebatur caput, quamque ſi per Adamum non accepiſſet, Chriſtus ei ſpeciatim promeruiſſet.

23. Hæc dictauit Serlogius, quæ ſi contemplemur, partim Hurtadum ſapiunt, & partim Lugum redolent. Sed quidquid de hoc, in ipſum decertant ſatis neruosè duo. Primum ſtructuram illam pacti, quo conditus eſſet Adamus caput virginis reſpectu obſeruationis legis, & non reſpectu eiuſdem legis tranſgreſſionis, atque adeo fuiſſe beatam Mariam ſanctiſſimam repoſitam in voluntate Adæ, in ordine ad obſeruationem præcepti, necnon in ordine ad gratiæ tranſmiſſionem, non verò repoſitam fuiſſe in Adæ voluntate, in ordine ad violationem præcepti, & transfuſionem peccati ex illa ſubſequutam, à veritate deuiant, etenim non minùs repugnat beatam Mariam. ſanctiſſimam fuiſſe liberam reſpectu vnius extremi, & non reſpectu alterius, ac implicat Adamum habuiſſe indifferentiam reſpectu obſeruationis præcepti, & illa indifferentia carere in ordine ad illius violationem, ſaltem per omiſſionem; rationem huius dat familiare principium apud Theologos valde ſecurum; ſiquidem omnis libertas neceſſariò interiicitur inter duo extrema, actum ſcilicet, & eius omiſſionem. Ergo impoſſibile eſt intelligere libertatem in ordine ad obſeruationem præcepti, & non in ordine ad eius omiſſionem, quæ eſt peccatum, quia omnis negatio, ſeu omiſſio libera actus præcepti eſt macula. Hoc argumentum ex æquo conuincit de libertate in propria perſona Adæ, ac de libertate quam qui ex illo ortum habuere, habuerunt in illa.

24. Secundum inualidat id, quod ex iſta decretorum ſerie colligit author, nimirum, M. SS. habituram gratiam tranſmiſſam, Adamo non peccante. Intendam probare, id eſſe imperceptibile, ſtando iſti decretorum cathegoriæ. Quia in hypotheſi, quòd Adamus non peccaret, in huius authoris ſententia Chriſtus ex vi præſentis decreti non veniret, qui, vt ipſe fatetur, & nos latiſſimè ex mente DD. edocuimus, hìc & nunc deſcen

deſcendit ad nos, vt mederetur. Tunc ſic, ſed ſi Chriſtus non exiſteret, nec beata Maria exiſteret, quia, vt air Author, beata Maria ſanctiſſima fuit ex Chriſti meritis ſuperaddita illi mulritudini creaturarum, quamque poſitiuè Dens decteuit non producere, niſi eius productionem Chriſtus Dominus exoraſſet. Ergo ſi Adam non peccaret, minimè beata Maria ſanctiſſima exiſteret. Ergo in hypotheſi, qua Adamus non peccaret, beata Maria ſanctiſſima ex illo gratiam tranſmiſſam non haberet. Quod enim nullo modo eſt, ſubiectum eſt incapax ex alio aliquid recipiendi. Non ergo omnia quæ miſcet hic modus dicendi, cum ſua decretorum ſerie concordant.

25. RR. alij Complutenſes, vt decreta compaginent, animaduertunt, duplex diſtingui meritum, aliud remoneratiuum, ſolutiuum aliud, ſeu per modum pretij & ſolutionis. Meritum remunerandum eſt, quod præuiſum iam abſolutè exiſtens mouet ad collationem præmij, cùm de quidditate remunerationis ſit redditio muneris pro munere; et redditio hæc non datur, niſi præcedat munus, quod rependat id, quod redditur. Ergo præmium, quod eſt remuneratio meriti, ſupponete debet ipſum meritum iam præſtitum; aliter enim non poterit dari ad redditionem, adius. Meritum verò ſolutiuum eſt compenſatio beneficij præſtiti ex deſiderio & intentione talis compenſationis acquirendæ. Hoc enim explicant pluribus inſtantiis ex variis Theologiæ mareris decerptis: ſic enim dicitur Deum dediſſe gratiam antiquis PP. in ſpem ſolutionis à Chriſto Domino exhibendæ, pro beneficiis præſtitis ipſis Patribus, & dum Chriſtus gratias pro eis reddidit, dicitur ſoluiſſe pretium à Deo intentum, & ſperatum in compenſationem talium beneficiorum. Probabilitatem horum meritorum aiunt, ab illis eſſe edoctam tractatu de prædeſtinatione Sanctorum, illaque eſſe ab eiſdem Rauerendis inuenta, vt facilem greſſum pararent difficultatibus valde hominum ingenia torquentibus.

26. Hoc igitur admonito, ad rem accedunt componendam: etenim antequam Dens iniret pactum cum Adamo, vidit per ſcientiam conditionatam, ſi tale pactum ineam, & Adamum conſtituam in talibus circunſtantiis, peccatum committet, & Chriſtus ex matre virgine in peccati redemptionem deſcenderet, vidit præterea Deus, ſi virginem matrem à pacto excludam, Chriſtus mihi reddet cumulatas gratias propter tale beneficium ſuo parenti præſtitum. His præuiſis iniuit pactum cum Adamo, & decreuit, illum conſtituere in eis circunſtantiis, in quibus præuiderat peccatum commiſſurum, & licèt prædictum pactum cæteros Adæ poſteros includeret, excludebat tamen B. M. SS. ab illo in ſpem actionis gratiarum Chriſti, per quas viderat planè compenſandum fore eximium illud beneficium, in gratiam tantæ matri, exhibitum. Deinde vidit peccatum, miſit Chriſtum in remedium illius, qui quidem præſeruationem Matris agnoſcens gratias Deo reddidit in compenſationem prædicti beneficij. Ecce Deiparam à pacto excluſam ex meritis Chriſti poſtea venturis, per modum ſolutionis exhibendis, & cùm eo ipſo, quòd excluſa fuerit à pacto, neceſſarium ſit, quòd à debito contrahendi maculam præſeruata fuerit, fit, vt præſeruatio ab hoc debito meritis Chriſti adſcribenda ſit. Hæc RR. qui magnam erexerunt molem ſupra arim ſeipſa & propria vocum inuentione funditus euertentem; cuilibet peruium erit ſupra fundamentum proprio cranio innixum turrim ad cœlos, vſque euolantem confingere. Huius ergo modi dicendi fundamentum ſunt merita, quæ vocant ſolutina, quorum meminit Alarconius *tract. de prædeſtinatione* & meminerat ante illum P. Dea Vaſquij Magiſter; & præter hos cuncti, qui poſtea prælo ſua dederunt ſcripta, tanquam inutilia, & omnium PP. authoritate deſerta, fuit ſemper inuiſa. Latè ea impugnaui *tractatu de prædeſtinatione SS.* & diſertiſſimè eadem deſpexit Ouiedo *tractatu de merito*. Quapropter ab eorum impugnatione deſiſte, ſat eſt ſcire, ruinoſam eſſe ſententiam illam, cuius fundamentum fixo non comprimitur lapide.

Sectio III.

Alij modi dicendi Complutenſes referuntur.

27. REuerendi Complutenſes rem hanc operoſiùs, neſcio, an veriùs, contemplantes, ſic Deum in noſtra lite componenda meditantur. Imprimis notant, non eſſe neceſſarium, omnes Adæ poſteros ſimul in pacto includere, ſed res ita diſponi potuiſſe, ſuſpicantur, vt ſcilicet includerentur aliqui in prima conuentione, manente in Deo poteſtate includendi alios pro reliquo tempore intercedente inter primam horam, & duodecimam (ſupponunt enim pactum initum fuiſſe horâ primâ, & peccatum fuiſſe commiſſum horâ duodecimâ, ita vt Deus diceret: Volo, vt hi mille verbi gratia, & reliqui, quos vſque ad horam duodecimam aſſignauero, habeant gratiam originalem, ſi præcepto obedias, & ea careant, ſi illud transgrediaris. Rurſum aiunt ſemel ſtabilita hac conuentione cum Adamo modo dato, potuiſſe Deum antequam includere, vel excludere decerneret, videre Adamum nomine illorum mille peccaturum horâ duodecimâ, * ſe miſſurum Chriſtum in remedium peccati, vt in illos mille transfundendi, Chriſtum habiturum merita, vt quorum induci poſſet ad excludendos, vel non includendos alios in pactum, tempore illo intermedio, inter horam primam & duodecimam, ita vt etiam poſſet pro ſuo libito illos includere; ſi enim eos ante horam duodecimam includeret, peccarent ſimul cum Adamo ipsâ horâ duodecimâ, & Chriſtus denuo ordinaretur abſolutè ad eorum redemptionem. Hæc omnia ſuo ordine pollicentur probaturi efficaciter.

28. Imprimis quòd ſemel ſtatuta conuentione illa Adæ facta, & intimatâ horâ primâ, Deus ante decretum incluſionis, vel excluſionis alio-

 rum

rum faciendæ ante horam duodecimam poterat videre Adamum nomine illorum mille peccaturum ipsâ duodecimâ horâ oſtendunt, quia ad hoc, vt videatur peccatum nomine illorum mille committendum, ſolùm ſupponi debet prioritate naturæ id, quod per ſe requiritur ad talem commiſſionem. At vt Adamus nomine illorum mille peccatum committat, ſolùm requiritur per ſe, quòd illi mille antea incluſi fuerint in pacto, ſiue enim alij præter ipſos incluſi fuerint in pacto, ſiue non, dummodo ipſi mille incluſi fuerint, peccatum nomine illorum committetur. Ergo incluſio illorum mille tantùm ſupponitur per ſe prioritate naturæ ad peccatum, nomine illorum perpetrandum. Ergo eo ipſo, quòd Deus apud ſe ſtatuerit illorum incluſionem, poterit ante incluſionem, & excluſionem aliorum, videre peccatum, nomine tantùm illorum mille perpetrandum; atque adeo decernere Chriſtum venturum in illorum redemptionem.

29. Deinde quòd vi meritorum Chriſti iam præuiſi potuerit Deus moueri ad excludendos alios homines à pacto intercedente inter primam & duodecimam horam, probant; quia ex vna parte excluſio illa non præceſſerat prioritate naturæ aute peccatum Adæ nomine illorum mille faciendum, neque ante Chriſti aduentum in remedium talis peccati, vt ſupponunt ex denuo à ſe dictis; ex alia verò parte, quòd merita Chriſti exhibenda forent in tempore futuro, non obſtabat, vt Deus intuitu illorum excluderet alios homines à pacto, in tempore antecedente, quandoquidem apud omnes eſt certum, Deum antiquis patribus, gratiam dediſſe ex meritis Chriſti multò poſt futuris, neque eſt aliud caput, vnde repugnare poſſit talis excluſio ex meritis Chriſti. Ergo res ita contigit.

30. Iam quòd ſi Deus tempore illo intermedio inter primam & duodecimam horam nouos homines ad pactum aduocaret, illi duodecimâ horâ ſimul cum Adamo peccarent, ſic probant, quia ad hoc vt ſimul peccarent cum Adamo, ſolùm erat neceſſarium, quòd tempore ante peccatum ipſius Adæ voluntates eorum transfuſæ eſſent in parentis voluntatem, at per pactum initum ante horam duodecimam, poſt primam transferrentur voluntates horum hominum in Adami voluntatem priùs tempore, quàm hic peccatum reipſa committeret. Ergo reipſa peccatum ſimul cum illo committerent.

31. Denique quòd peccantibus cum Adamo his, qui poſt primam horam incluſi fuerant in pacto, denuo abſolutè ordinaretur Chriſtus in remedium peccati, vt etiam in illos transfundendi, probant; quia Chriſtus de facto venit in remedium eorum, qui de facto peccatum originis contraxerunt. Sed Chriſtus in primo ſigno prædefinitus, non potuit abſolutè dirigi in remedium eorum, qui pro eo ſigno nondum concurrerant ad peccatum. Ergo neceſſarium fuit, quòd poſt illud ſignum ad eorum reparationem abſolutè ordinaretur; quod duobus modis contingere poteſt. Primò ſi poſtquam præuiſi ſunt concurrere ad peccatum ij, qui poſt primam horam incluſi erant in pacto, nouo decreto ordinaretur Chriſtus in eorum redemptionem. Secundò, ſi per decretum, quo primo, prædefinitus eſt abſolutè in reparationem eorum, qui iam in eo ſigno peccauerant cum Adamo, dirigeretur ſub conditione ad reparandos alios, ſi poſt illud ſignum commiſſuri peccatum viderentur; in hoc enim caſu, ſemel purificata conditione, vi prioris decreti abſolutè ordinaretur Chriſtus ad eorum reparationem. Res ergo hoc ſecundo modo contingere defendunt RR.

His igitur ſtatutis, & ab his RR. comprobatis, totam hanc diuinationum machinam ad 32.
punctum præſens aduocant, aiunt enim beatam Mariam ſanctiſſimam excluſam fuiſſe ex meritis remunerandis Chriſti Domini à pacto inito cum Adamo, quod ita contigiſſe proponunt. His omnibus (exprimebat illos, qui de facto producendi erant independenter à meritis Chriſti, præſcindendo à beata Maria ſanctiſſima & ab aliis, qui forte non niſi ex meritis Chriſti producendi eſſent) & aliis, quos vſque ad horam duodecimam aſſignauero (ſi forte aliquos aſſignem) dabo gratiam originalem, ſi præcepto meo obediens fructus arboris vetitæ non manduces; ſi tamen iuſſa mea violaueris, gratiam omnibus auferam; pacto inito vidit Deus Adamum peccaturum horâ duodecimâ, & ſimul cum illo omnes, qui in pacto comprehenſi erant. Deinde decreuit mittere Chriſtum Dominum paſſibilem in remedium peccati iam præuiſi. Rurſum vidit merita Chriſti Domini morte conſummanda, pro reparatione peccatorum, quæ etiam ipſe offerebat, vt exiſteret Maria, in eiuſque matrem eligeretur, vt excluderetur à pacto, in quo adhuc vſque ad horam duodecimam includi poterat, his permotus Deus, ſtatuit Mariam procreare, eam eligit in Matrem & immunem fecit à pacto, in quo nihilominus incluſit alios, quorum exiſtentiam ſuis meritis impertauerat, hîc ortum fuit, vt peccante Adamo horâ duodecimâ peccarent omnes, qui ex ſemine eius naſcituri eſſent, præter M.SS. quæ cum incluſa non fuerit in pacto, nullum debitum originalis contraxit, atque adeo concepta eſt in gratia abſque vllius debiti remiſſione. Cæterùm quia ab hoc debito præſeruata eſt ex meritis Chriſti Redemptoris, rectè dicitur redempta à Chriſto, non quidem redemptione extrahente à luto & peccati fæce, aut eius debito, ſed præcauente, ne culpam conciperet aut debitum contraheret.

Iſte modus dicendi ex pluribus multorum 33.
coalitus, ſibi imponit onus reſpondendi ad obiectiones, contra alios vniuerſim ab authoribus confectas, & aliunde ſupra ſe reponit ſingularitatis notam, cùm pactum à Deo cum Adamo elaboratum ita excogitarit, quod ſic compoſitum agnouerit nemo, ſoloque diuinationis munimine auguratum. In ipſum plura occurrebant, ſufficiat vnum vel alterum proponere. Imprimis vnde conſcius euaſit Author, pactum cum Adamo initum fuiſſe horâ primâ, & Adamum peccaniſſe horâ duodecimâ? à quo didicit horarum partitionem, quam Dei & Adæ functiones excurrerunt? Hanc commentus eſt author ſine fundamento in ſcriptura, aut SS. PP. eo ſcilicet fine vt Deo ſupereſſet tempus includendi vel excludendi

B.M.

B.M.SS. à pacto quod inierat Deus cum Adamo. Deinde hoc, inter primam & duodecimam horam interſtitio admiſſo, votum non aſſequitur author, quia ſupponit pactum initum cum Adamo, ſolùm comprehendiſſe poſteros iam tunc præuiſos futuros pro illa hora prima, & non etiam alios, qui non excludebantur poſitiuè à futuritione. Hoc enim eſt ſine aliquo fundamento pactum limitare; & ex hoc ſequetetur, quòd ſi Adam non peccaret, B.M. (quam Deus etiam potuit velle in illo tempore inter primam & duodecimam horam producere) non habituram iuſtitiam originalem ab Adamo transfuſam, quia iuxta hunc modum dicendi, V.M.SS. in illa prima hora, in qua fuit celebratum pactum, non erat futura, vnde pactum initum cùm primo parente ex vi primæ ſuæ elaborationis debebat eſſe, non ſolùm pro his, qui iam tunc pro illo ſigno erant futuri, ſed pro omnibus in vniuerſum, quicunque illi eſſent; nec enim ad ſaluandam excluſionem virginis SS. à pacto, neceſſe eſt, in Deo diuidere tempus, in cuius prima hora celebrauerit pactum cum Adamo, & in eius voluntate, mille verbi gratia, poſteros transfuderit, nihil poſitiuè decernens de beata Maria ſanctiſſima, cùm aptiùs poſſet intelligi Mariam ſanctiſſimam eſſe excluſam à pacto, eo ipſo inſtanti in quo illud cum Adamo inierit.

34. Rurſum diſplicet hic modus dicendi, quia ex illo ſequitur, Chriſti merita non fuiſſe totam & adæquatam rationem liberandi V. M. SS. à debito, originalis peccati, licèt ſufficiat, vt ſint cauſa, ne Maria ſanctiſſima peccatum originale contraxerit; ratio, quia præſeruatio à debito non ſolùm includit creationem B. M. SS. poſt peccatum Adæ, ſed etiam dilationem virginis ante ipſum peccatum; ergo qui meruit adæquatè præſeruationem Mariæ, meruit vtrumque. Tunc ſic ſed Chriſtus non meruit quòd beata Maria non ſubierit illud pactum. Ergo non promeruit adæquatè præſeruationem illius. Minor patet, Chriſtus non promeruit quòd beata Maria ſanctiſſima differretur vſque ad tempus, ſubſecuturum ad horam primam, in qua omnes, qui decreti fuerant in illa, ſubmerſi fuerunt in Adamo. Ergo non promeruit Chriſtus, quòd beata Maria ſanctiſſima ſubierit pactum illud. Ergo nec adæquatè promeruit præſeruationem; vnde in hoc modo dicendi, licèt ſaluetur, quòd V.M.SS. ſuam exiſtentiam filio proprio debeat, necnon & gratiam, tamen in illo non ſaluatur, quòd illi debeat non eſſe transfuſam in Adami voluntate, nec excluſam eſſe à pacto, quia in hoc modo dicendi, hoc totum debet B.M.SS. Deo ſoli, pro ſuo guſtu liberali decernenti, differre exiſtentiam illam pro alio tempore, ſubſequuto ad horam primam, in qua omnes decreti, in illa in Adamo peccauerunt.

35. Confirmatur hoc ipſum, etenim quòd Deus præſcinderet ab exiſtentia beatæ Mariæ ſanctiſſimæ in hora prima, dum de pacto cum Adamo agebatur, numeratur inter ingentia beneficia, quæ beatæ Mariæ ſanctiſſimæ collata fuerunt, in ordine ad ſui redemptionem à debito. Sed hoc beneficium non potuit cadere ſub merita Chriſti. Ergo non omnia quæ ingrediuntur V.M.SS. redemptionem, ceciderunt ſub merita Chriſti. Maiorem docet modus hic dicendi; aliàs ad quid inter alia, quæ illum componunt, annumerat horam primam, in qua cùm de exiſtentia illorum mille in pacto incluſa alloquitur, Deum in hac hora nihil de M.SS. pertractaſſe aſſeuerat, non alio fine, niſi vt ſic aptiori modo author hic M. SS. à debito contrahendi originale præriperet? nunc minorem probo, quia in illa prima hora, in qua Maria fuit dilata, hoc eſt, in qua Deus ſe habuit circa M.SS. præciſiuè, nihil de eius exiſtentia curando, nondum intelligebantur merita Chriſti; quia in hoc modo dicendi priùs vidit Deus peccatum horâ duodecimâ commiſſum, & poſtea Chriſtum prædiffiniuit in illius remedium. Conſequentia bene infertur.

Nec refert, ſi cum Authore reſpondeas, illam præciſionem fuiſſe beneficium B.M.SS. requiſitum ad eius liberationem à debito, non tamen tanquam quid cauſans, vel inducens ad omnimodam eius liberationem à debito, neque tanquam quid complens, vel vltimò conſtituens talem liberationem, ſed ſolùm tanquam quid præſuppoſitum ad vltimum complementum liberationis. Rurſum fatetur, Chriſtum Dominum non meruiſſe illam præciſionem, quam habuit Deus in illa prima hora circa M. SS. Inde tamen non infertur, Chriſtum non fuiſſe exactiſſimum Redemptorem, aut perfectum liberatorem à debito B. M. SS. quod explicat ſic, etenim ad redemptionem perfectam reliquorum hominum, ſupponitur neceſſariò illorum creatio, tanquam beneficium requiſitum ad eorum redemptionem; neque enim redimi poterant, ſi creati non eſſent, & tamen vt Chriſtus ſit perfectus Redemptor illorum, non eſt neceſſarium, quòd mereatur eorum creationem; certè non alia de cauſa, niſi quia creatio neque conducit ad redemptionem, tanquam quid cauſans, aut inducens Deum ad ipſam redemptionem, neque tanquam quid illam vltimò complens, ſed ſolùm tanquam id, ſine quo ipſa redemptio fieri non poſſet. Atqui idem contingit in noſtro caſu, ait Author circa primam præciſionem B.M.SS. quæ quidem non fuit cauſa, inducens Deum ad præciſionem, neque fuit vltimum complementum, aut conſtitutiuum liberationis, ſed ſolùm ſe habuit, vt quid requiſitum, ſine quo fieri non poſſet poſtea liberatio; ergo quòd Chriſtus illam præciſionem promeritus non fuiſſet, non tollit quòd fuerit perfectus Redemptor beatæ M. SS. 36.

Non inquam refert, quia Deum in illa prima hora præſcindere à M.SS. incluſione, & excluſione, vel eſt beneficium B.M. SS. collatum inſeruiens, vel conducens ad eius liberationem à debito, vel non? ſi primum. Ergo non omne beneficium conducens, quouis modo requiratur, ad liberationem à debito fuit promeritus Chriſtus. Si non conducit proximè ad dictam liberationem, ad quid author hic illam præciſionem M. ſanctiſſimæ in prima hora habitam à Deo commendauit. Nec minuit vim dicere, illam præciſionem remotè conducere ad liberationem, quia iam fatetur ſaltem dari aliquod beneficium B.M. collatum & remotè ad 37.

minùs

minùs ad eius liberationem conducens, quod non promeritus fuerit Chriſtus, quodque multum deprimit dignitatem Chriſti, ad cuius eximium Redemptoris munus ſpectat, nedum ea, quæ proximè, verùm & quæ remotè ad liberationem à debito conducunt, promereri, vt amplior Matri SS. daretur occaſio rependendi gratias filio. ſi nedum illi deberet beneficia proxima, ſed & remota liberationis ſuæ à debito. Nec enim eſt inſtantia robur argumenti temperans illud, quod affert de productione reliquorum hominum, etenim qui gloriæ Chriſti vt Redemptoris ſunt cupidi ob eamdem rationem ſuſpicantur, ipſum promeritum fuiſſe illorum primam productionem, quia cùm Chriſtum conſtituant finem prædeſtinationis hominum, conſequenter tuentur eſſe finem omnium eorum, quæ conducunt ad finem prædeſtinationis eorumdem, atque adeo iudicant eſſe illorum cauſam meritoriam, cùm omnia ſit Chriſtus promeritus, quorum cenſetur finis, & cùm ex alia parte, prima exiſtentia hominum conducat ſaltem remotè ad finem ſuæ prædeſtinationis, conſequenter conducunt etiam ad Chriſtum, vt finem, atque adeo tam promeritus eſt Chriſtus illorum productionem primam, ac cætera alia bona ſupernaturalia, quæ proximè dicuntur conducere ad finem prædeſtinationis. Sic enim legi *tractatu de prædeſtinatione* & inſinuaui *d.1. huius diſputationis.*

38. Impugnatur item hic dicendi modus ex eo, quòd diminutè procedat in explicando puncto præcipuo, videlicet, quo modo B.M.SS. redempta fuerit à filio; quia ſi attentè inſpiciatur ſignificatum huius vocis, Redemptio, comperietur, illum ſolùm dici Redemptum, qui à laqueo præripitur quo aliquo modo innodabatur, ſi non redimeretur. At iuxta modum hunc dicendi M.SS. pro illo tempore, quo Chriſti merita videntur, non tenetur aliquo debito intrandi pactum cum aliis, etenim pactum ſupponitur celebratum horâ primâ, circa cæteras perſonas futuras, & M.SS. nec includebatur in particulari, nec in generali in obiecto illius pacti. Ergo iuxta hunc modum dicendi propriè non dicitur M. SS. redimi à filio à malo, cui ſubiacere deberet, ſi non redimeretur. Vnde ex hoc modo dicendi ſequeretur, præſeruationem ab originali M.SS. conceſſam, non accepiſſe maioris beneficij pondus, quam ſit Angelo peccati originalis negatio. Hoc ſic explico: iuxta communem cunctorum exiſtimationem, præſeruatio M.SS. à debito, vel ab originali, excedit in ratione beneficij à Chriſto exhibiti, quàm ſit Angelo peccati originalis negatio, quia ſi tali priuilegio ex Chriſti meritis defungeretur V. SS. & communi poſterorum Adæ relinqueretur curſui, infallibiliter originali piaculo ſubmergeretur. At Angelus priuilegio non fuit munitus, vt peccato originali non inficeretur, ſed communis prouidentia illi indulſit, vt vitaret illud. Ergo carentia originalis in B.M.SS. maius extitit beneficium, quàm carentia originalis in Angelo. Ergo B.M. SS. iuxta hunc modum dicendi, in eo ſigno, in quo viſa fuere Chriſti merita, non poterat ſubmergi in originali, quodnam beneficium illi promeritus fuit? Etenim ſiue Chriſtus in alio tempore decerneretur ſiue non M. SS. non poterat iam peccare in Adamo pro illa hora, qua prædiffinitus eſt Chriſtus.

Hoc ipſum aliter inſtauro; etenim vt B. M. SS. diceretur liberari à debito originalis ex meritis Chriſti, requirebatur, quòd ex meriti Chriſti excluderetur à pacto, in quo ita poſſet includi, vt facta tali incluſione, transfuſione ſcilicet eius voluntatis in voluntatem Adæ, ad peccatum concurreret cum Adamo: aliàs ſi poſtquam incluſa eſſet in pacto, nullo modo peccare poſſet, cuius vtilitatis eſſet illi prædicta excluſio à pacto? At modus hic dicendi ſtabilit, Chriſtum ſolùm eſſe præuiſum in ſigno ad peccatum originale ſubſequuto, in quo ſigno nullo modo poterat includi B. M. SS. in pacto, ita vt concurrere poſſet ad peccatum, cùm hoc videatur horâ primâ committendum ab Adamo, & ab illis, qui ſimul cum illo dictâ horâ primâ diffiniri fuerunt. Ergo quòd Virgo SS. non contraheret debitum, non debebatur Chriſti meritis. Confirmatur, quia incluſio B. M.SS. in pacto in inſtanti, in quo peccat Adamus facta poſt præuiſum ipſum peccatum, non poteſt conducere, vt ipſa B.M.SS. moraliter ad peccatum Adæ concurrat. Ergo neque incluſio in tempore antecedente facta poſt præuiſum peccatum, in inſtanti aliquo poſtea futuro. Antecedens ſeipſum munit, quia ſi beata Maria ſanctiſſima ſic in pacto includeretur, cùm ea incluſio ſubſequuta eſſet ad peccatum, perinde eſſet, illam tunc includere in pacto, ac illam non includere in ordine ad influendum in peccatum, quia quod poſterius eſt, influere in id, quod eſt illo prius, nequit. Nunc probatur conſequentia. Ideo incluſio facta in vltimo inſtanti poſt præuiſum peccatum, non conduceret ad influendum in peccatum, quia talis incluſio ſupponeret in prioritate naturæ peccatum commiſſum. Sed incluſio facta tempore antecedente, inter horam primam & duodecimam, ſupponeret prioritate naturæ ipſum peccatum commiſſum in inſtanti futuro, ſcilicet horâ duodecimâ. Ergo neque incluſio hæc virginis in pacto, conduceret ad influendum moraliter in peccatum; minor probatur, quia in illo inſtanti includi deberet M.SS. in pacto iuxta hunc dicendi modum, in quo hîc & nunc dicitur à pacto excludi. Sed excluſio hæc fuit facta in tempore ſupponente, prioritate naturæ ipſum peccatum commiſſum. Ergo incluſio M. SS. in pacto ſupponeret prioritate naturæ ipſum peccatum commiſſum in inſtanti futuro, nempe horâ duodecimâ. Maior eſt certa, quia vt excluſio M. SS. à pacto eſſet beneficium illi factum, debebat fieri in illo tempore, in quo poſſet in pacto includi, aliàs illam excluſionem quia beneficium B. M. SS. præſtitum, compellabit? Minor probatur. Etenim author hic defendit B. M. SS. fuiſſe excluſam à pacto præuiſo Chriſto. Sed Chriſtus apud hunc authorem fuit prædefinitus in inſtanti, ſupponente pro prioritate naturæ præuiſionem peccati, ab Adamo & aliis poſteris tunc prædiffinitis commiſſi. Ergo excluſio beatæ Mariæ ſanctiſſimæ à pacto, fuit facta in tempore, ſupponente pro priori naturæ peccatum commiſſum. Ergo incluſio B.M.SS. in pacto 39.

cto, facta in tempore antecedenter poſt præuiſum ipſum peccatum, non poſſet conducere, vt ipſa B. M. SS. moraliter ad peccatum Adæ concurreret. Ergo iuxta hunc dicendi modum non diceretur B. M. SS. liberari ex meritis Chriſti à debito originalis, quia ad hoc requirebatur, quòd ex meritis Chriſti excluderetur à pacto, in quo ita poſſet includi, vt facta tali incluſione, transfuſione ſcilicet eius voluntatis in voluntate Adæ, ad peccatum concurreret moraliter, quod impoſſibile eſt cum hoc modo dicendi.

40. Sed poteſt occurri ex doctrina contraria, quòd in ea excluditur B.M.SS. tempore antecedenti ad peccatum Adæ commiſſum; atque adeo cùm illam poſſet Deus in pacto includere, fit, quòd taliter excludatur, quòd poſſet includi ſufficienter ad concurrendum moraliter ad peccatum Adæ; etenim vt M. SS. ad peccatum concurrat, eſt neceſſarium, quòd incluſio eius in pacto, vel phyſicè, vel moraliter ſit in ſigno, in quo Adamus elicit peccatum; ſic enim & non aliter poteſt dici, quòd Adamus peccatum exequatur nomine M. SS. taliter, quòd hæc in illud cenſeatur influere. Vnde ſi incluſio illius in pacto fieret reipſa in eo inſtanti, non poſſet talis incluſio eſſe phyſicè aut moraliter in ſigno, in quo Adamus peccatum producit; non phyſicè, quia phyſica incluſio fieret in ſigno ſubſequente peccati commiſſionem, vt ſupponimus, non moraliter, quia id dicitur eſſe moraliter in aliquo ſigno, quod cùm tempore antecedente extiterit phyſicè, retractatum non eſt in eo ſigno, ergo cùm in caſu antecedentis huius noſtræ confirmationis, incluſio M. SS. in pacto non extitiſſet in tempore antecedenti, non poſſet moraliter eſſe in eo ſigno; at verò in modo dicendi RR. aliter diſcurritur, quia in eo incluſio B.M.SS. in pacto poſſet fieri tempore antecedenti, quia cùm antecedenter facta non eſſet retractata, eſſet in ſigno, in quo Adamus eliceret peccatum, ſicque moraliter diceretur perſeuerare in illo ſigno; atque adeo Adamus eliciens tunc illam actionem, operaretur nomine B.M.SS. ex quo fieret, illam moraliter influxuram fore in peccatum Adæ. Hæc ſolutio explicatur à RR. exemplo, quod ſatis idoneum appellant. Demus Complutum, aliamue ciuitatem procuratorem aliquem ad regni comitia miſiſſe, vt experientia nos docet quotidie, eo ſcilicet fine, vt nomine omnium ciuium ſuffragium ferret. Pone quòd extraneus aliquis præſciens ſuffragium huius procuratoris, ita gratum fore Regi; vt ſingulis ciuibus tunc temporis Compluto adſcriptis priuilegia eximia à Rege concedenda, faciat ſe conoumerari ciuibus Complutenſibus priùs tempore, quàm procurator ſuum ferret ſuffragium. Quis dubitet, tale ſuffragium ita ferri nomine omnium ciuium tunc exiſtentium Compluti, vt ille nouiter aſſumptus ſimul cum reliquis cenſeatur ad illud concurrere? cuius ratio eſt quia cùm priùs tempore aſſumptus fuiſſet in hac ciuitate, & tempore ſuffragandi excluſus non fuiſſet, nihil illi deeſſet, vt in prudentum exiſtimatione, perinde ſe haberet in ordine ad effectus ex illo ſuffragio ſequutos, ac ſi reuera ſuffragium ipſe contuliſſet. Idem ergo dicendum eſſe in ſuo modo defendendi RR. profitentur.

41. Sed hæc ſolutio tametſi comptè meditata non declinat vim confirmationis; etenim diſcurſus eius eo deuoluebatur, vt oſtenderet, incluſionem B.M.SS. in pacto eſſe inſufficientem, vt M. SS. diceretur moraliter concurrere ad peccatum, non quia ſubſequeretur tempore ad peccatum commiſſum, ſed quia priùs natura præcederet hoc ad incluſionem B.M.SS. in pacto. Vnde fateor iuxta hunc modum dicendi optimè ſaluari poſſe, incluſionem B. M. SS. in pacto fieri in ſigno, quod antecederet tempore commiſſionem peccati, tamen non poſſum intelligere, quomodo ex vi talis incluſionis in pacto poſſet dici de M.SS. ſic incluſa, illam moraliter influere in peccatum, quod priùs natura præcedit commiſſum pro tempore futuro, nempe horâ duodecimâ. Hoc ſic pondero hac replica, quam RR. in ſeipſos proponunt, etenim incluſio B.M.SS. in pacto, tempore antecedenti facta, eſſentialiter ſupponeret prioritate naturæ actionem phyſicam Adami, & vt peccaminoſam, vt elicitam in inſtanti futuro duodecimæ horæ. Ergo non poſſet incluſio Mariæ in pacto ſufficere, vt Maria SS. concurreret moraliter ad ipſam actionem phyſicam Adami, antecedens eſt doctrina RR. vt vidimus; præterquam quòd in illo priori naturæ intelligitur motiuum incarnationis pro tempore futuro. Ergo pro illo priori intelligitur actio peccaminoſa tempore futuro, quia hæc ſola, vt præuiſa tempore futuro, fuit motiuum aduentus Chriſti. Nunc conſequentiam probo, quia vt ſufficeret talis incluſio M. SS. in pacto, vt ipſa moraliter concurreret ad peccatum, neceſſe erat, vt ipſa natura præceſſiſſet ipſam actionem Adæ. Sed talis incluſio M.SS. in pacto non potuit præcedere naturâ ipſam actionem Adæ. Ergo talis incluſio M. SS. in pacto non ſufficeret, vt M.SS. concurreret ad actionem Adæ etiam moraliter, probo minorem, quia actio phyſica Adami in tempore futuro, præcederet naturâ talem incluſionem M.SS. in pacto. Sed id quod naturâ aliud ſubſequitur, non poteſt illud naturâ præcedere. Ergo talis incluſio B. M. SS. in pacto non poteſt naturâ præcedere actionem phyſicam Adæ in tempore futuro. Exemplum enim illius ciuis nouiter adſcripti inter alios, & tempore antecedenti ad ſuffragium à procuratore latum, in eadem republica commorâtis, eſt diſpar; etenim ille nedum tempore præcederet ſuffragium, vt latum, verùm & cauſalitate naturæ ad illud ſupponeretur quia eo ipſo quòd tempore antecedenti eſſet à Patriæ Patribus aſſumptus inter ciues, intelligitur incluſus in voluntate procuratoris ſuffragaturi, quia eo ipſo quòd poſitiuè aſſumptus conficitur poſitiuè moralis pars illius ciuitatis, cuius partes procurator acturus eſt, atque adeo cùm ſuffragium illud ſit totius ciuitatis, fit, quòd etiam cenſeatur ſuffragium omnium ſuarum partium, quæ ſunt, quotquot à communitate ſunt ciuitati adſcripti: vnde in hoc exemplo, taliter voluntas illius ciuis naturâ ſupponeretur ad ſuffragium, vt hoc nullo modo illam naturâ dicatur præcedere. Contrarium tamen in caſu argumenti inuenitur, vt vidimus.

Sed

42. Sed occurres nullum reputari inconueniens, eandem actionem Adami, ſecundùm diuerſas rationes, naturâ præcedere illam inclusionem Adami in pacto, & naturâ ſubſequi illam. Vnde actio phyſica Adæ in tempore futuro, prout phyſicè procedit ab Adamo, & moraliter à reliquis poſteris, horâ primâ incluſis, præcedit incluſionem B.M.SS. in pacto, at eadem actio phyſica Adæ, prout ab illo procedit phyſicè, & à B. M. SS. moraliter, ſubſequitur naturâ ipſam incluſionem B.M.SS. in pacto. Hoc enim explicant doctrina illorum admittentium, ſaltem de potentia abſoluta, poſſe vnum effectum per duplicem cauſalitatem totalem produci; in horum ſententia aliqui admittunt, cauſam dependere poſſe à ſuo effectu per vnam ex illis cauſalitatibus, ita vt cauſa ſupponatur, vt ſit naturâ prior effectu, prout producta per vnam cauſalitatem, & deinde ſit illa poſterior, prout producta per aliam, quia licèt eadem entitas ſit prior, & poſterior reſpectu alterius, non tamen ſub eadem ratione, ſed ſub diuerſis, quòd nullum inconueniens aiunt RR. iſti, iudicant patroni illius ſententiæ, ita ſimiliter defendunt hanc rem componendam eſſe.

43. Hæc ſolutio eſt inter omnes facilior, cùm copiam præſtet cuipiam, vt has vel illas opiniones defendat; non me latet authores eſſe qui defendunt poſſe vnam & eandem cauſam per duplicem cauſalitatem produci, ſed nec latet hanc ſententiam ab omnibus eſſe deſertam, & inter alia, quibus illam doctores impetunt, eſt ex ipſa inferre poſſe, vnam eandem entitatem eſſe priorem & poſteriorem ſeipſa in eodem genere, quodque philoſophia renuit & authores horrent. Ergo, RR. admittentes eandem actionem Adę, poſſe naturâ eſſe priorem ſeipſa, ſecundùm diuerſas rationes, & poſteriorem, ſimile inconueniens, ac illi amplectuntur, quòd ſi neutrum inconueniens eſſe reputant, difficile ab hac ſententia dimoueri poterunt nec à quauis alia, quam pro ſuo delectu defendere voluerint.

44. Alij viam diuerſam aggreſſi, nouam ſemitam, hanc litem componentem, ſunt meditati; aſſeruntque in primo ſigno Deum creaſſe Adamum, & in ſecundo pactum cum eo celebraſſe de transfundenda gratia in poſteros, ſi præcepti impoſitionem ſeruaſſet; ſin minùs eoſdem poſteros obnoxios naſcituros priuationi gratiæ, & culpæ originali prædixit. Hi autem poſteri, pro quibus in hoc ſigno celebratum eſt pactum, non erant hi determinati neceſſariò naſcituri, ſed tantùm hi, vel illi; pactum elaboratum eſt pro quibuſcunque, qui ex Adamo naſcerentur, ſiue hi, ſiue illi eſſent naſcituri, quod determinandum ſibi Deus reſeruabat; poſtea peccauit Adamus. Deinde productus eſt Christus in remedium originalis commiſſi ab Adamo, & imminentis illis, qui ex illo ortum eſſent habituri. Huc vſque nullus poſterorum Adæ intelligitur in Adamo peccaſſe nec debitum originalis contraxiſſe, quia nullus intelligitur determinatè futurus; intelligitur tamen Adamus cum dignitate, vt omnes, qui ex illo deſcendent, contrahant originale, vnde intelligitur debitum actiuum ex parte Adæ, non tamen paſſiuum alicuius determinati poſteri, ex defectu ſubiecti, quod tantùm deficiebat eſſe in poſteris. Deus ergo rebus ita ſe habentibus ex intentione, inefficaci producendi Mariam SS. vt eſſet Chriſti mater, propter merita Chriſti, ſeu illius precibus motus, remiſit debitum actiuum, quod in Adamo ſupponebatur pro hac fœmina Maria SS. ſi naſceretur, & hoc debito remiſſo, iam in Adamo, in ſigno poſteriori M.SS. produxit, quæ nullum debitum ex Adamo contraxit: quia ante illius exiſtentiam iam in Adamo actiuum debitum remiſſum erat; cùm autem debitum paſſiuum B. M. SS. ſicuti cuiuſlibet creaturæ, ex actiuo Adæ erat proceſſurum, actiuo debito in Adamo remiſſo, paſſiuum in B.M.SS. non potuit aſſurgere; debitum enim actiuum Adæ, & paſſiuum poſterorum eſt idem omnino, vt tantùm penes ſubiecta differant, & actiuum dicitur reſpectu Adæ, ex cuius actione phyſica, & paſſiuum reſpectu poſterorum, quia non proceſſit ex actione phyſica illorum, quia obiectum huius debiti, & res debita in ipſis poſteris erat exequenda.

45. Vt enim huius dicendi modi probabilitatem RR. oſtendant, ſingula, quæ includit, percurrunt. Imprimis poſſe poſteros determinari poſt commiſſum Adæ peccatum, plures defendunt, & argumenta quæ contra illud fieri poſſunt, ſupra ſoluimus, & plures id probabile iudicant, vt deſcribit Lugus *diſp.7. ſect.4. in fine.* Deinde poſſe Chriſtum, & illius merita, etiam in carne paſſibili, intelligi ante exiſtentiam M.B.SS. commune apud authores eſt, teſte Salazare *lib. de concept. à capite* 19. *vſque ad* 24. *præcipuè cap.* 22. Deinde quamplures, vt defendant maternitatem B. M. SS. eſſe ex Chriſti meritis, Chriſtum etiam in carne paſſibili pro aliqua differentia temporis conſtituunt exiſtentem à B.M.SS. independenter; ita Herice 3. *part. diſput.* 14. *cap.* 4. Puente *diſp.* 28. *ſect.* 2. Lugo *diſp.* 8. *de incarnatione.* tandem aſſerere debitum Adæ ex Chriſti meritis in ordine ad B.M.SS. fuiſſe remiſſum, difficultatem nullam præſefert, præter communem, de extrinſecis condonationibus abſque vlla forma intrinſeca, reſpectu peccati habitualis, & condignitatis, ſeu reatus ad pœnam; has autem condonationes poſſibiles eſſe tenent plures; inſuper iuxta hunc dicendi modum, eadem ratione, qua dicitur B. M. SS. non contraxiſſe debitum proximum originalis culpæ, dicendum eſt in Adamo non peccaſſe, quia vt diceretur in Adamo peccaſſe, & vt peccatum Adæ intelligeretur proprium alicuius creaturæ, neceſſaria eſt illi exiſtentia; cùm autem quando aduenit B. M. SS. exiſtentia; iam remiſſum ſit Adamo ſuum debitum actiuum reſpectu M. SS. intelligitur M.SS. quaſi extracta à poteſtate Adæ & ad illum iam moraliter non pertinens in ordine ad peccatum, ac proinde non poteſt in eo inſtanti, in quo primo exiſtit, intelligi peccaſſe in Adamo, quia in eo ex vi remiſſionis factæ Adæ, perinde ſe habet B. M. SS. ac ſi nunquam in Adamo tanquam in capite extitiſſet.

46. Cum hoc decretorum ordine (aiunt) rectè componitur B. M. SS. fuiſſe productam ex Chriſti meritis, illiuſque exiſtentiam fuiſſe præmium meritorum Chriſti, an ita fuerit de

facto

facto alibi dicuot eſſe pertractandum. Componitur etiam omne pactum cum Adamo, ex vi cuius Beata Maria Sanctiſſima non iotelligatur futura determinatè; quapropter adhuc, ſi legenti non placeat pactum pro poſteris indeterminatis & omnibus poſſibilibus, illud poterit conſtituere pro omnibus, qui de facto extiterunt ſub coodirione, ſi exiſterent, vel pro omnibus, ad quos producendos in acto primo erat futurus Adam, qua ratione, vt vidimus, defeodit pactum Puente; io quibus noo ſolùm iocloduntur hi, qui de facto eraot, ſed alij, qui poſſent produci ab homioibus, qoi liberè ſe abſtinent à carnali copula, & qui producerentur ab aliis, niſi immatura morte pręueniteotur. Vel ſi magis determioatum velis pactum cooſtituere, illud pone pro omnibus futuris in natura lapſa, & in ſtatu inooceotiæ, ſiue hi eſſent iidem, ſiue non, qui ex vi pacti excepta B.M. SS. neceſſariò ſuppoountur futuri, & pro B.M. SS. ſi exiſtat.

47. Modus hic defendendi immuoitatem in B.M. SS. à debito taotùm petit exiſtentiam B.M. SS. non eſſe decretam, quouſque eſſent merita Chriſti, vt vi illorũ, antequam illa iotelligatur, ſit remiſſum debitum actiuum Adæ, reſpectu B. B.M.SS. indeterminatè cum aliis poſſibilibus, vel ſob cõditiooe fuiſſe incluſam in pacto, antequam intelligatur peccatum commiſſum ab Adamo, nam poſt illud, & poſt volũtatem Adami ad vnam partem determinatam, nulla creatura poterat includi in pacto, quæ ſub illo antea non includeretur, vt communiter cootra ſalazarem obiicitur, vt vidimus *ſect.* 2. eſt enim irrita promiſſio ſub conditione, coius purificatio, ſeu eiuſdem oegatio ſupponebatur, nec hæc poteſt relinquere promiſſario libertatem. Requiritur etiam, quòd conditio, ſub qua B.M.SS. exiſtentia ponitur, noo includat, aut ſupponat peccatum, qnia tonc exiſtentia B.M.SS. non poſſet coniungi cum negatione peccati, ac proinde negatio peccati illi oon poſſet eſſe libera in Adamo, atque adeo nec ipſum peccatum, qnia omnis libertas oeceſſariò eſt reſpecto actus, & negationis illius, vt ex definitinne libertatis conſtat.

Sectio IV.

Oſtenditur M.SS. à debito immunem fuiſſe, authoritate Sanctorum.

48. Non diſputo, ſed ſuppono illapſam eſſe Deiparæ SS. aoimam io corporis contuberniom, qnio illa hereditariæ colpæ funeſta fax, à noſtris parentibus primùm accenſa, in eius penetralia deflagraret, id graues imprimis, *vt ſect.* 1. Vidimus, & ſapientes viri copioſè peregeruot; ego in hac breui diſputatione ſolùm tractaturus aggredior V.M.SS. à debito Originalis fuiſſe præſeruatam, quodque aliquo authoritatum pondere & rationum munire, & illo oſtenſo modum quo talis præſeruatio ex meritis Chriſti contigerit aperire ſuſcipio, quod eſt huios pręcipuus diſputationis ſcopus.

49. Primùm accedat in hoius veritatis munimen, primus inter doctores ſacros Auguſt. *tom.* 7. *li. de natura & Gratia c.* 36. cùm retuliſſet plures viros, & fœminas in quibus Pelagius intendebat nõ fuiſſe peccatum, vt inter eos matrem Dei numeraſſet, hæc ſobiecit. *Excepta ita SS.V.M. de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem inde enim ſcimus quòd plus gratiæ collatum fuerit ad vincendũ omni ex parte peccatum quæ concipere & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum: Hac ergo Virgine excepta*, &c. Ex his clarè commendatur V.SS. ſine fæce puritas.

Sed occurres ex his verbis S. Auguſt. nedum coouincitur Virginem fuiſſe à debito præſeruatam, verùm illam non fuiſſe peccato originali infectam adhuc non coouincetur, quia S. Auguſt. hoc in loco ſolùm agit de peccatis actualibus, de illis videlicet, quæ cæteri Sancti & Sanctæ ſe habere vna voce clamant, ſi cùm hîc viuerent interrogarentur; quod confirmari poteſt ex illis verbis vltimis, quæ ſubticuimus, nempe, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus*. Vt enim verba hæc deſumpta ſunt ex epiſtola Ioannis *cap.* 1. vbi ſine dubio proferuntur de peccatis actualibus vt patet ex contextu. Sed contra, quia verba D. Auguſtini ſi attentè premantur, oedum de actualibus, ſed de originali, & debito coontrahendi iotelligenda ſunt, etenim ſi oullam, cùm de peccato agitur, vult habere de M.SS. quæſtiooem, certè cùm agitur, an omnes io Adamo peccaueruot; non vult de V.SS. quæri aut diſputari. Rurſum ibidem tenet S. Doctor collatum eſſe Virgini plus gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum. Ergo ſentit M.SS. in Adamo non peccauiſſe, aliàs quomodo verba ſibi ipſis cohærerent? ſi ſemel admittentur V. SS. peccaſſe in Adam, quod eſt idem ac debitum originalis contraxiſſe; vt ſæpius monuimus, quomodo illi eſt tantæ gratiæ plenitudo vt omni ex parte peccatum viciſſet? Huc facit eiuſdem Sancti aſſertum *ſerm.* 11. *in natali Domini*. Scilicet cùm dixit Angelus. *Aue gratia plena oſtendiſſe illam à prima ſententia omnino excluſam fuiſſe*. Hoc enim verum ooo eſſet ſi M. SS. contineretur in illa ſententia, *in quacumque die comederis morte morieris*; quod non ſolùm de morte corporis, ſed de morte animæ, quam in parente primo omnes incurrimus, dictum eſſe exponunt authores cuncti. Ergo iuxta Auguſtinum fuit ab illa lege excluſa M.SS. atque adeo non in Adamo peccauit, qnod eſt idem, ac oon coontraxit debitum coontrahendi illud. 50.

Idem edocuit diſertè S. Cyprian. *ſermone de Natiuitate Chriſti*, qui licèt non certò credatur illum eſſe ex S. Cypriano confectum, tamen inter alia eius opuſcula inſertum propooitur. Vbi hæc: *non ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis*, ſcilicet B.M.SS. *communibus laxaretur iniuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* Quid clarius? Noo me latet, eamdem ac præcedentem D. Auguſtini authoritatẽ pati ſolutionem, verùm facilè pręcluderur ex ſola verborũ Cypriani ſerie Etenim ſi verè M.SS. in Adamo deliquiſſet, ſicut & cęteri peccauerũt, nõ ſolũ natura reliquis Adę poſteris cõmunicaret, verùm & culpa cõmunicauiſſet, quod eſt cõtra tãti doctoris pronũciatũ. 51.

Præclara ſunt D. Anſelmi verba *in libro de conceptu M.SS. c.* 18. vbi hæc effert *Quamuis de*

mundiſſima Virgine, filius Dei veriſſimè conceptus ſit, nontamen hoc ea neceſſitate factum eſt, quaſi de peccatrice parente iuſta proles rationabiliter generari non poſſet, ſed quia decebat, vt illius hominis conceptio de Matre puriſſima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. Hæc Anſelmus, & quibus protegitur reſolutionis noſtræ firmitas. Etenim ſi peccati originalis labe in Adamo macularetur Sanctiſſima maria, maior puritas in alia creatura præter Deum intelligi poſſet à nobis, nempe creatura, quæ in Adamo minimè peccare diceretur; Maior enim puritas illa cenſenda eſt in creatura, de qua verificetur, nec in ſe nec in alio peccatum commiſiſſe. Ergo cùm ex Anſelmo Virgini Sanctiſſimæ danda ſit puritas maior, quæ in pura alia creatura præter Deum intelligi poſſit, fit, ipſum clarè ſenſiſſe. Virginem Sanctiſſ. nullo modo in Adamo deliquiſſe. Rurſum idem S. Pater *ſuper verba illa cap. 5. poſterioris ad Corinth.* Vbi hæc: *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt.* Ergo *omnes mortui ſunt; omnes, inquit, mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Matre Dei ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis.* Non egent expenſione, etenim dū excipit Virginem Sanctiſſimam ab originalibus, non ſolùm eſt intelligendus SS. P. de peccato originali contracto in ipſa Virgine Sanctiſſima, verùm & de debito illud contrahendi, eſt tenendus, cùm ſuum animum D. Anſelmus referet in illis verbis nuper citatis, videlicet, *tanta puritate eniuiſſe Beatam Mariam Sanctiſſimam qua maior in creatura præter Deum intelligi non poſſis.*

53. Hoc ipſum propugnat Rupertus Abbas *lib. 6. in Cantic. ſuper illa verba: Duo vbera tua,* &c. Virginem Sanctiſſimam alloquens; *libera, inquit, es ab omni iugo peccati.* Quæ verba nedum Mariam Sanctiſſimā prædicant, liberam fuiſſe à peccato originali in ſe, ſed & à debito ſeu à peccato in Adamo: etenim aſſerit S. D. M SS. eſſe liberam ab omni iugo peccati. Quia enim de libertate ſibi gratularetur, ſi laqueo, à quo innodandus, ſubiectus recenſeretur? ſi Maria Sanctiſſima in Adamo peccauit. Ergo ſubiecta erat culpæ, etenim eatenus ſumus culpæ ſubiecti, quatenus in Adamo peccauimus cuncti. Ergo vnum è duobus. Vel Maria Sanctiſſima non eſt libera ab omni peccati iugo. Vel ſi eſt libera, in Adamo non peccauit. Primum eſſet contra tantum Doctorem Sanctum. Ergo vltimum tenendum.

54. Idipſum docet Sanctiſſimus Doctor & Angelicus Thomas *in 1. diſt. 44. art. 3. ad tertium* quatenus docet, *ideo puritatem Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ eſſe maximam, quæ ſub Deo reperitur, quia immunis fuit à peccato originali & actuali, ſed nihilominus habuit potentiam ad peccandum, quam quidem non habet Deus.* Ecce SS. D ſolùm in Maria Sanctiſſima agnoſcit potentiam ad peccandum. Ergo negat de facto Mariam Sanctiſſimam in Adamo peccaniſſe, aliàs ſi admiſiſſet, V. SS. in Adamo peccauiſſe, non ſolùm potentiam ad peccandum, ſed & actuale peccatum illi tribuiſſet.

55. Sed occurrunt quidam, D. Thom. ſolùm in his contendiſſe, B. M. SS. in ſua ſanctificatione fuiſſe immunem à peccato originali, quia ab illo mundata eſt, & pleniùs poſtea conſequutam fuiſſe hanc immunitatem, quando euecta eſt ad dignitatem Matris Dei, quia tunc fomes ablatus eſt. Sic reſpondet Bandelus in *1. p. ſui tractatus ad primum.* Sed hæc interpretatio potiùs eſt textus eneruatio, quia Sanctus Doctor expreſsè affirmat, illud eſſe maximè purum in rebus creatis, quod nulla peccati contagione inquinatū ſit, & talem fuiſſe puritatem M. SS. at ſi peccatū originale in ſe, vel in Adamo habuiſſet, vera fuiſſet aliqua cōtagione inquinata.

Tandem eſt per celebre Diui Anſelmi teſti- 56.
monium, ſæpius citatum ex officio ordinato à Nogarolo pro feſto Conceptionis, approbato à Sixto 4. in lectione prima 4. diei huius feſtiuitatis. *Vas, inquit, electionis cognominatus Sanctus Paulus omnes homines in Adam peccaſſe fatetur, vera vtique ſententia, & cui contradici nefas eſt, pronuntio, ſed cum eminentiam gratiæ Dei in te (Maria Virgo) conſidero, ſicut te non intra omnia, ſed ſupra omnia quæ facta ſunt, ineffabili modo contueor, ita te non lege naturæ aliorum in tua conceptione deuinctam eſſe opinor.* Et in lectione prima ſextæ Diei, *te igitur* ait, *domina minimè credere queo, te morte peccati in tuo conceptu potuiſſe prægrauari. Conſiderare hoc animus vetat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.* Per hæc enim ſatis ſuperque conſtat V. M. SS. minimè fuiſſe culpæ originali obnoxiam, aliàs enim morte peccati potuiſſet prægrauari, quibus tandem inconcuſſa manet reſolutio noſtra.

Rurſum moneor, vt firmiorem hanc verita- 57.
tem propalem; Parum enim erat, quando concipiebatur M. SS. non contraxiſſe maculam originalem, ſi in Adamo deliquiſſet. Præuaticinatum de Maria Sanctiſſima ex communi D. D. ſenſu *Geneſ. c. 3. verſ. 15. inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & inſidiaberis calcaneo illius.* Quem locum peccato originali accommodant omnes Mariæ Sanctiſſimæ defenſores, quodque ſic eſſe accommodandum colligo ex Ruperto *lib. 3. Comment. in Geneſ. c. 19.* vbi: *Quis namque omnium noſtrum quicunque viri, & fœmina commixtum genus ſumus, inimicitias cum iſto dracone integras ſe habere glorietur? Nonne omnes Dei potiùs inimici fuimus? Ergo ſecundùm illius quidem gratiam, nunc filij Dei, vel amici ſumus, & cum illo dracone inimicitias habemus, ſecundùm nos ipſos autem, vel ſecundùm primos parentes ſocij & conſentanei rebellionis fuimus:* Iam cur inimicitias in plurali dictione expreſſit? Nempe in originaria culpa duo ſunt, quæ contemplari debemus: alterū ipſum actuale peccatum, quo & Adamus deliquerat, & in eo poſteri ob voluntatum transfuſionem in capitis voluntatem. Alterum noxæ habitualis, qua commaculantur nepotes ſtatim, ac concipiuntur. Quoniam igitur ab vtroque contagio liberi inter natos ex Adamo ſolus Chriſtus eiuſque Genitrix, idcirco de ambobus aſſeuerandū, inimicitias habituros, ſcilicet præſeruandos, ne habituali dedecorarētur næuo ſub animationis puncto; verùm inſuper, vt nec cōtrahendæ noxæ debitores ſtrictè & propriè vnquā fuerint & Ieſus quidē à natura, M. SS. per beneficiū & gratiā; atque hoc fortaſſis, quod ſub Heſteris typo,

cùm

cùm Aſſuerus potentia & imperio coæquauit ſibi. *Quid petis vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Eſther capite quinto verſ. 6.* igitur ſimilis in Regno Aſſuero Eſther. Quando & illa tot moderabatur populos, quot ille, & ſanè Chriſti fortitudo & imperium imprimis aduersùm peccata, ſed quod in tanta poteſtate excellentiſſimum, immunitas eſt ab originali, ſecundùm omnem modum, ideo ſingulari encomio inter mortuos liber nuncupatur, huius igitur dignitatis ſimilem amplificationem Mariæ Sanctiſſimæ conceſſit, atque alij quidem poteſtatis ſortiti ſunt vnum, alterumve membrum; nam extitere, qui antequam naſcerentur à macula originali abſoluti ſint noxæ; fuere qui nunquam lethali vulnere conſpurcauerunt animam, conati nonnulli & Baptiſtam à venialibus liberare: Cæterùm vt generatim de peccatis nullum ſit verbum, cùm de Mariæ Sanctiſſimæ incidit quæſtio, ex hominibus ſoli Chriſto adſcriptum: ſed lex, aiunt, cum generali edicto adiecta eſt & gloſſæ locus nullus: verùm an non Chriſto liceat quod Aſſuero. Non enim pro te (ait. Eſther *capite decimo quinto, verſu* 13.) ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt?

58. Rurſum hæc veritas eſt hac æſtimatione protegenda, veteris teſtamenti Patriarchas atque Prophetas inſigni ornauit laude donorum prodiga liberalis bonitas. Sed quem præcipuè beneficij honore condecorauit? Non facilis concertatio, quia ſi gloriari velit Abrahamus, quòd filio necem parauerit, tamen in Prophetis multi, qui ſecti ſunt, lapidati ſunt, in ore gladij perierunt. Quid Moyſe eximium magis? at non eo inferior Dauid Clarus in miraculis Elias, prodigiis etiam inſignis Eliſæus. Quid igitur decernendum? Arbiter huic ſit diſſidio Origenes: *Homilia prima in Hieremiam in illud cap. 1. Priuſquam te formarem in vtero ſanctificaui te*, &c. Hoc enim ait, *nunquam ad vllum Prophetarum dictum inuenimus. Abraham Prophetam nuncupatus eſt in eo, quòd dicitur, Propheta eſt, & orauit pro te, & tamen non dixit ad eum Deus, priùſquam exires de vulua ſanctificaui te, ſed poſtea in extremo iam tempore ſanctificatus eſt Abraham, quando egreſſus eſt de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui. Ex repromiſſione natus eſt Iſaac, & tamen nec ad eum reperimus hunc eſſe dictum ſermonem, & qui neceſſe eſt per ſingulos currere? Hieremias præcipuum inter cunctos conſequutus eſt donum, dicente Domino, priuſquam exires de vulua ſanctificaui te.* Hæc Origenes. Magna itaque & ſuſpicienda dona. Abrahæ fides, Ioſephi caſtitas, Moyſis clementia, Dauidis manſuetudo, Salomonis ingenium, Heliæ Zelus, ſed præcipuum ob beneficium extollat Hieremias, quoniam licèt in peccato conceptus, non tamen natus, quia matris in vtero ſanctificatus, quòd ſi anticipari mundiciem originalis noxæ, hoc enim præ reliquis vatibus ſolum aſſequutus Hieremias vſque ad Ioannem, tale eſſe videatur Origeni donum, quod inter conceſſa veteris legis Patribus caput extollat. Quale fuiſſe arbitrabimur Marianæ originis beneficium, cui omnis via perſtructa eſt ad peccandum, nec ſatis fuit omni næuo caruiſſe, ſed omni etiam culpæ liberanda eſt debito. Concludamus cum his cum quibus alloquutus eſt Bonauentura M. SS. *Quali perfundebaris exultatione, ô Regina, dum hæc conſiderabas? quam tibi ſuauiter excideras, dum lætabunda perpendebas, nihil vnquam in te fuiſſe, quod filio non conſonaret? ô candoris miraculum! ô lucis ſingularis indultum!* Reliqua dabit Seraphicus Calamus.

Sectio V.

Notabilia, & modus, quo B. M. SS. à debito originalis fuit ex Chriſti meritis liberata, ſcribuntur.

Viſis in ſuperioribus ſectionibus variis authorum dicendi modis, quibus litem noſtram compoſuiſſe æſtimarunt reliquum eſt, 59.
modum ſequendum inſerere, qui difficultatem præſentem emolliat, taliter, quòd ſtructuræ eius de nouo noua non accreſcat alia. Controuerſia ergo his terminis clauditur: Quomodo componatur cum ſerie decretorum, quam ſuprà condidimus, Beatam Mariam Sanctiſſimam eſſe ab originalis debito ex meritis Chriſti præceptam? difficilis ſanè ſe obtulit ratio dubitandi, apprimè torquens eos, qui ſeriem decretorum ita condunt, vt Chriſtum prædiffinitum poſt peccatum ab Adamo commiſſum, defendant. Vidimus plures, imò innumeros, decreta Dei ita ordinantes, quos vexat ratio hæc dubitandi, quam licèt ſuprà inſinuatam, nunc magis protenſam euoluam. Si Chriſtus non fuit præuiſus futurus, niſi poſt præuiſum peccatum Adæ. Ergo merita Chriſti non erant futura ante illud peccatum. Ergo ex Chriſti meritis non potuit Beata Maria Sanctiſſima liberari à communi illa labe. Ergo licèt poſtea potuerint merita Chriſti applicari pro Virgine M.SS ne contraheret maculam in inſtanti conceptionis ſuæ, non tamen potuerunt applicari ante Adæ peccatum merita, vt B.M.SS. non includeretur cum aliis in eo pacto, atque adeo, vt ex operatione Adæ non haberet debitum proximum contrahendi maculam, & carendi gratia ſicut alij. Vt igitur hoc priuilegium immunitatis M.SS. concedatur, neceſſe eſt, aliter decreta Dei præordinare.

In ſoluenda ratione hac dubitandi, tot 60.
ſunt inuenti modi, quot recenſuimus, quibus licèt non acquieuerim, eorum probabilitatem non diffiteor, ſed veneror. Verùm quia alium decretorum ordinem dubio primo ſtabilierim, ne à dictis deflectere videar, aliter rem hanc componere decreui, conſequenter ad ea, quæ abſoluta dubio primo relinquo; & vt clariori greſſu in hoc peragendo negotio incedam, notaturus es primò. Ad hoc vt poſteri debitum ſubeundi originale contrahant in ſeipſis, neceſſe eſt, quòd priuſquam Adamus peccaret, incluſi fuerint in pacto à Deo inito cum illo, de transfundenda gratia in ipſos poſteros, ſi non peccaret, & de eadem gratia illis

auferenda, ſi delinqueret, & præterquam quòd eſt communiter hoc ab authoribus edoctum, ratio id ipſum conuincit, quia vt poſteri hoc debitum in ſeipſis contrahant, opus eſt, quòd Adamus nomine omnium commiſerit peccatum: Hoc docent cuncti. Sed fieri non poteſt, quod nomine omnium illud commiſerit, quin voluntates aliorum in voluntatem illius ſint transfuſæ, quod quidem non aliter contingere potuit, niſi ineundo pactum ante violationem præcepti. Ergo nullo modo potuerunt debitum peccati ſubeundi contrahere in ſeipſis, quin ante peccatum Adæ incluſi fuerint in pacto cum Adamo inito. Ex quo euidenter colligitur ab authoribus, per pactum iſtud cum Adamo celebratum ita tranſlatas fuiſſe voluntates poſterorum in eius voluntatem, vt ſimul cum illo moraliter concurrerint ad actionem, qua legem Dei violauit, vt illorum caput. Hæc eſt doctrina vniuerſaliter admiſſa, & rurſum exemplo procuratoris valde apud nos familiari validatur. Procurator enim miſſus ad Regni comitia nomine alicuius ciuitatis, eo ipſo, quòd à commorantibus in illa electus eſt, vt nomine omnium partes eorumdem agat, & ſuffragium exhibeat in comitiis Regni, indicantur omnes ciues ad ipſam actionem ſuffragij concurrere. Suppetebant alia, ſed quia obuia frequenter, omitto. Idem ergo contingit in tranſlatione voluntatum filiorum in voluntatem Adæ; etenim eo ipſo, quòd Deus, ſuprema in omnes authoritate munitus, voluntates omnium poſterorum in voluntate Adæ collocauit, in ordine ad comparandam, vel auferendam illis gratiam; ſub conditione adimpletionis præcepti, vel eius omiſſionis, taliter ſe habuerunt omnes reſpectu amiſſionis gratiæ, ac ſi ipſi reipſa cum Adamo phyſicè violauerint legem ſuo parenti indictam: atque adeo moraliter concurrunt cuncti ad prædictam tranſgreſſionem præcepti.

61. Item nota, pactum fuiſſe initum cum Adamo, dum præceptum fuit illi impoſitum de non comedendo fructu, de ligno ſcientiæ boni & mali. Vnde pactum fuit celebratum, dum hæc Deus Adamo indixit, *de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc inquam præceptum fuit impoſitum Adæ, ante formationem Euæ ex illius coſta; peccatum verò commiſſum eſt poſtea, vt ſacer proceſſus edocet *gen. capite* 2. hoc eſt communiter receptum.

62. Nota deinque. Vniuerſale eſſe principium, quòd omne donum ſpeciale, indebitum naturæ, collatum ſit omni creaturæ, dependenter à meritis Chriſti; etenim cùm tota natura humana, ratione peccati, quo fuit infecta, ſit indigna, cui illi conferatur donum ſibi aliàs indebitum, ſtatuit Deus ad maiorem gloriam, & dignitatem Chriſti, nullum beneficium aliàs indebitum naturæ hominibus præſtare, niſi propter merita Chriſti, vt omnes agnoſcerent illum caput, & vnicum medium, per quod cuncta beneficia, quæ illis conferuntur, diſpenſentur. Cùm igitur excluſio Mariæ Sanctiſſimæ à communi lege & pacto, ſit omnium beneficium maius, atque naturæ indebitum, teſte D. Thom. 1. *part. quæſt.* 25 *art.* 6. *ad* 4. dicente: *humanitate Chriſti vnita verbo, viſione beata, & diuina maternitate* (intuitu huius enim excluſa fuit à pacto V.M. SS.) *Deus melius facere non poteſt*, ſit, nullo modo tanti beneficij pondus conceſſum fuiſſe Mariæ Sanctiſſimæ niſi per merita Chriſti. Rurſum certum eſt M.SS. fuiſſe excluſam à pacto, naſci ex eo, quòd eligi debebat in Matrem, & templum Dei, vt eſt vſitata phraſis SS.PP. ſed Mariæ Sanctiſſimæ beneficium Maternitatis, fuit effectus meritorum Chriſti. Ergo & eſſe ſegregatam à pacto communi, debet eſſe effectus eorumdem; Minorem decernit S. Ambroſius *Epiſtol.* 22. *columna* 5. his verbis. *Quid autem loquar, quanta ſit Virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, vt legimus, habitauit plenitudo diuinitatis.*

Hoc ipſum in reuerentiam tantæ Dominæ penitius elucidemus; ratione idipſum roboraturi dubio ſequenti. Audiamus. Ergo illud Salomonis *prouerb. cap.* 31. *verſ.* 10. *Mulierem fortem quis inueniet: procul & de vltimis finibus pretium eius. Hoc eſt exquiſitis valoris; neque enim ſanguinis theſauro ſolùm comparauit, vt Mater eius fuerit, ſed vt fuerit, & progenerata ſit, quibus ardebat flammis, maternum pectus dum contemplabatur, qualibus eam ſibi deuinxerat modis filius, neque ſacro cruore indignum putaret, ſi fundebatur pro Maria Sanctiſſima creanda? Qualis autem anima emerſit illa, quam florida caro, pro quibus tanta expenſa ſacratorum vulnerum, & quorum molitionem ordinabat ſummus Rector terrarum Cælique, vt dignum vnigenito & conſubſtantiali prepararet filio habitaculum?* Quare magnum Albertum ſequutus Carthuſianus Dionifius *lib.* 1. *de laudibus. Mariæ Sanctiſſimæ artic.* 34. vbi hæc: *Quemadmodum, ait, corpus Chriſti, quod Deus ſupernaturaliter per ſe ipſum formauit, eſt perfectiſſimum, & pulcherrimum in natura, quod fieri potuit, ſecundùm ſtatum viæ; ſic corpus B.M. SS. ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum, ſecundùm ſtatum viæ, quod natura per ſe operans facere poteſt, ideo dicimus, quòd ſicut filius fuit ſpecioſus forma præ filiis hominum: ſic virgo fuit pulcherrima inter filias hominum.* Audi Damaſcenum *oratione* 1. *de Natiuitate Mariæ Sanctiſſimæ vitam, ait, habebis natura praeſtantiorem, non tibi ipſi (neque enim tui cauſa progenita eſt) quocirca à Deo habebis, ob quem in vitam prodiſti, vt orbis vniuerſi ſaluti adminiſtram te praberes, atque antiquum Dei conſilium, hoc eſt, incarnationis verbi ac noſtra Deificationis per te impleretur.* 63.

His præiactis; modum componendi cum Chriſti meritis præſeruationem Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ à pacto communi, breuiſſimè meditor. In primo ſigno Deus prædiffiniuit Chriſtum Redemptorem, in quo ſigno præuidit Deus Chriſtum, cum omnibus ſuis meritis, ante præuiſionem abſolutam peccati. In ſecundo prædiffiniuit, Adamum. In tertio celebrauit pactum cum Adamo, de transfundenda gratia omnibus 64.

omnibus ſuis poſteris, ſi non peccaret, & illis neganda, ſi violauerit præceptum, excludendo ab hoc cõmuni pacto Mariam Sanctiſſimam propter merita Chriſti, antecedenter in primo ſigno præuiſa: in quarto permiſſionem peccati Adæ: in quinto productionem poſterorum. His finitis in intentione, inuertendus eſt ordo decretorum in executione. Hac decretorum ſerie optimè tota concertatio componitur, & ſi quid in alia ſententia eſt durum, delinit. Etenim antequam celebratum eſſet pactum cum Adamo, ſeu illi facta promiſſio, potuerunt præuideri merita Chriſti, & ex illis abſolutè præuiſis, potuit Deus moueri ad excludendam Beatam Mariam Sanctiſſimam à pacto, & ita non eſſe in illo incluſam, & omnia, quæ hanc excluſionem ſequuntur, erunt effectus meritorum Chriſti. Ecce tota ratio dubitandi deuicta, cuius robur ſolùm impetit eos, qui Chriſtum ponunt prædefinitum poſt præuiſum peccatum, ſic enim prædefinitus non potuit præuideri promerens excluſionem Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ à communi pacto, quod ſupponebatur celebratum antecedenter ad ſignum, in quo commiſſum eſt peccatum, poſt cuius exiſtentiam in aliorum ſententia eſt prædiffinitus Chriſtus cum ſuis meritis. Solùm vna ſe offert difficultas; videlicet an Chriſtus potuerit in primo ſigno prædiffiniri Redemptor, ante præuiſionem abſolutam peccati. Verùm hanc difficultatem ſuperauit ad longum, dubium primum huius diſputationis.

65. Contra hunc modum dicendi ſolùm ſe offert difficultas, quæ licèt communis cuique modo dicendi, maxima mihi ſemper fuit viſa; licèt modus hic ſaluet, merita Chriſti Deum induxiſſe ad excludendum B. M. SS. à pacto, tamen ſufficere non videatur ad inducendum Deum, vt eligeret M.SS. in ſui Matrem. Quod, vt vidimus, eſt contra PP. vnanimiter tenentes, Chriſtum meruiſſe diuinam maternitatem M SS. Ergo non eſt tenendus. Probo antecedens. Nam iuxta hunc modum dicendi, Chriſti merita ſunt prædiffinita in primo ſigno. Ergo ſupponunt, ſaltem pro priori naturæ, ipſum Chriſtum prædiffinitũ abſolutè, conſequentia eſt clara, merita non mouent, niſi vt abſolutè futura. Sed merita abſolutè futura ſupponunt Chriſtum abſolutè futurum, ſaltem pro priori naturæ. Ergo merita Chriſti ſupponunt ſaltem propriori naturæ ipſum Chriſtum. Ergo Chriſtus abſolutè futurus, ſupponit hanc numero humanitatem hypoſtaticè vnitam verbo. Tunc ſic, ſed hæc numero humanitas ſupponit pro priori, hanc numero Matrem, ex qua per generationem communicatum ſit hoc numero corpus, ſuis organis & ſenſibus abſolutum. Ergo non potuit hæc numero fœmina, eligi in Matrem Chriſti, dependenter à meritis ipſius Chriſti. Conſequentia patet quia antecedenter ad merita Chriſti ſupponitur, ſub quacunque præuiſione præintelligantur merita, hanc fœminam eſſe Matrem Chriſti, atque adeo, vt principium generatiuum huius humanitatis. Ergo non potuit fœmina hæc eligi in matrem Chriſti intuitu eiuſdem meritorum. Hæc ratio dubitandi adeo torſit ingenia Authorum, vt in varias diſtracti vias, vnuſquiſque illam arripuit, qua faciliùs poſſit eius vim declinare. Et quia omnes percurrere cumulatim, eſt rem difficilem difficiliorem reddere; ſtatui, tot ſectiones apponere ſub vno dubio, quot legi apud RR. modos, quibus rationem hanc dubitandi euertere conantur, & vltimo loco ſequendum explicaturus. Proquo.

Sectio VI.

Reſponſio Herice & Hurtadi.

INter RR. qui hanc rem impenſiùs meditati ſunt, fuit Herice 2.*p. tom.* 2. *d.* 2. hic enim conſtituit Chriſtum, tantùm in primo ſuæ conceptionis inſtanti exiſtentem, ex vi duplicis actionis adæquatæ, cuiuſdam dependentis tantùm à Deo, & alius dependentis à M.SS. tanquam à particulari cauſa, & à Deo tanquam à cauſa vniuerſali. Sed notat, non eſſe neceſſarium, duos aſſignare modos diſtinctos, tametſi duæ actiones inueniantur, rationem dat, quia actio dependens à Deo poteſt identificari cum Deo, eo modo, quo, in aliquorum opinione, creatio cum ipſo Deo identificatur. Rurſum à ſecundo conſeruationis inſtanti, defendit, conſeruari Chriſtum per illam actionem, qua à ſolo Deo productus eſt, non ſolùm quia à cauſa ſecunda, à qua ſuum primum eſſe, exigebat talem dependẽtiam, ſed etiam, quia ipſe Chriſtus fuit à Deo productus per actionem adæquatam, protracto illo primo decreto, quo Deus Chriſtum produxit per actionem omnino independentem à M.SS. ad vltimum vſque vitæ ſuæ terminum. Ex huc enim infert Herice, Chriſtum, vt productum, & conſeruatum adæquatè à Deo, potuiſſe promereri dependentiam, quam idem Chriſtus habuit à M.SS. ex eo quòd ab illa fuerit phyſicè cauſatus, necnon & conſeruatus, etenim productio dependens à M. SS. conſeruationem depoſtulabat, atque adeo potuit promereri Maternitatem B.M.SS. & auxilia, quibus eamdem Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ eamdem maternitatem promereretur. Hæc Herice. 1.

Iſta ſolutio patitur plura difficilia, duo proponam. Primùm, nam author hic inconſequenter ad ſua principia hunc dicendi modum fuit meditatus. Etenim ipſe ait, per actionem illam, qua Chriſtus primò producitur dependenter tantùm à Deo, poſtea eumdem Chriſtum conſeruari, non ſolùm quia cauſæ ſecundæ conſeruationem exigebant, ſed quia ex natura rei illud decretum, quo incepit illa actio independenter à M SS. & à ſecundis cauſis dicitur durare. Ergo in huius ſententia, iam illa actio durat, quia cauſæ ſecundæ conſeruationem Chriſti exigunt. Ergo illa actio, quæ incipit conſeruari ſine decreto reſpiciente cauſas ſecundas, poſtea incipit conſeruari dependenter à decreto illas reſpiciente. Sed iſta obuiant aſſertis huius authoris, defendentis *tractatu de voluntate*, actionem hanc ita eſſe connexam cum hoc numero decreto, quàm cum hac numero virtute cauſatiua. 2.

3. Inter alia, quod valde diſplicet, eſt, quòd Chriſtus, vt terminans vnam actionem mereatur mediatè produci per aliam actionem in eodem inſtanti, quatenus mereretur gratiam, qua M.SS. meretur ſecundam actiooem, quod eſſe falſum probatur ex inconuenienti hoc, oempe Chriſtum à ſeipſo io eodem inſtanti peodere. Sed occurres, ſequelam hanc eſſe inutilem, nempe qui meretur actionem, qua producitur terminus, debeat ipſum terminum promereri, vel cauſare illum, quod ſic inſtatur; etenim PP. antiqui, merendo accelerationem incarnatinnis, meruerunt actionem illam, qua produceretur Chriſtus in tempore illo antecedenti, & tamen non dicuntur meruiſſe incarnationem, aut exiſtentiam Chriſti ſimpliciter, ſed ſolùm exiſtentiam Chriſti tali tempore, quia nimirum iam ſupponebatur Chriſtus ſimpliciter futurus, indepeodenter ab eorum meritis. Ergo ſimiliter Chriſtus merens, ſecundùm actionem terminatam ad ſe, non dicetur, meruiſſe ſuam exiſtentiam, quæ erat terminus illius actionis, ſed ſolùm quòd exiſteret dependenter à tali actione, quia nimirum exiſtentia Chriſti ſupponebatur ante illam ſecundam actionem independenter ab illo merito, quando autem terminus ſupponitur exiſtens, tunc, qui meretur actionem, non dicitur mereri terminum ſimpliciter & abſolutè.

4. Sed contra, nam hæc ſolutio licèt à pluribus admiſſa, ſecum fert deſtructionem principij apud philoſophos illibati; hi enim perſcrutantes modum, quo aliquod agens poſſit dici cauſa, & principium alicuius termini, alium non inuenerunt, niſi aſſignando regulam hanc generalem, qui enim actiooem, à qua effectus fit, cauſat, & effectum producit, quia repugnat concipere ex parte ageotis, verbi gratia ignis omnia, quæ deſiderantur, vt agens denominetur, termioum producere, vt denominatio cauſantis terminum illi agenti denegetur. Tunc ſic ſed id quod præcisè requiritur ad denominandum agens cauſans terminum, eſt actio prout tendens ab hoc in terminum. Ergo eo ipſo, qoòd intelligatur actio, vt ab hoc agente tendens in terminum, intelligetur denominatio cauſantis terminum. Sed eo ipſo, quòd intelligatur aliquis cauſans actionem tendentem in terminum, intelligitur actio, vt ab hoc agente tendeos in termioum. Ergo eo ipſo, iotelligetur agens, qui cauſat actionem, cauſare terminum. Tunc ſic, quamuis io hac ſententia terminus ſupponatur terminans actionem aliam præexiſtentem, adhuc ponitur alia ſubſequens actio huius agentis, terminata ad eumdem terminum. Ergo ponitur id, quod requiritur ex parte agentis, vt dicatur verè cauſans illum termioum. Confirmo hoc, nam ea recitatione ſententiæ, quam impugnamus, veritas hæc validatur. Author enim admittit, quòd licèt Chriſtus ſupponatur iam exiſtens media illa actione priori, antequam ponatur ſecunda altera actio ex meritis Chriſti, media qua Chriſtus à Beata Maria Sanctiſſima dependet, tunc enim Maria Sanctiſſima non ſolùm eſt, & dicitur cauſa illius actionis, & Chriſti, vtcunque, hoc eſt, vt Mater, ſed dicitur, & eſt cauſa ſimpliciter, & abſolutè Chriſti. Nec diceretur verè illius Mater, niſi illũ verè generaret, nec ſimpliciter generaret, niſi ſimpliciter cauſaret Chriſtũ. Ergo eatenus quis cenſetur, & eſt cauſa alicuius termioi abſolutè, quatenus dicitur, & eſt vera cauſa actioois, vt ab illo tendentis in ipſum terminum. Ergo hoc, quod eſt, termioum præcedere, & intelligi exiſtentem ante ſecundam actinnem, noo tollit, quòd ille, qui eſt cauſa ſecundæ actioois, dicatur ſimpliciter cauſa termini producti per illam actionem. Ergo ſi Chriſtus io ſententia Hetice, & iuxta veritatem, eſt cauſa meritoria illius ſecundæ actionis, qua producitur à M.SS. etiam erit cauſa meritoria termini, ad quem actio Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ terminatur. Sed terminus in quem actio generatiua Virginis tendit, eſt Chriſtus. Ergo ipſe Chriſtus erit cauſa meritoria ſui ipſius, quod inconueniens apertum.

Tametſi argumeotatio hæc ſit vt mihi videtur efficax, illam nunc infriogere conantur RR. fatentes, M.SS. eſſe cauſam phyſicam Chriſti per ſecundam illam actionem: non tamen ſequi ex eo, quòd Chriſtus & M.SS. ſint cauſa etiam meritoria illius actionis phyſicæ productiuæ Chriſti, quòd tam Chriſtus & Maria Sanctiſſima dicantur cauſa meritoria ipſius Chriſti, qui eſt termious phyſicus illius actiooois à Maria Sanctiſſima ortæ. Quod vt explicent, conſtituunt differentiam inter cauſam phyſicam, & moralem, quòd cauſa phyſica poteſt iterum terminum re producere, quia poteſt dari noua alia cauſalitas phyſicè independeos ab alia, à qua moraliter dependeat, & omnino eiuſdem rationis phyſicæ cum illa, quam moraliter ſupponit. Vode poſt vnam phyſicam adæquatam cauſalitatem, datur locus alij cauſalitati phyſicæ, iodependenti phyſicè à præcedenti cauſalitate. Poſt adæquatam verò cauſalitatem, tam in genere phyſico, quàm in genere moris alicuius effectus, ooo datur locus alij cauſalitati morali, & rationem dant, quia cauſalitas moralis eſt determinatio agentis ad illud, ad quod erat indifferens. Vnde omnis cauſalitas moralis debet ſupponere iodifferentiam in cauſa, reſpectu effectus cauſati; cùm autem ſuppoſita vna cauſalitate adæquata, cauſa non poſſit eſſe indifferens ad ſubſtantiam effectus, hinc eſt, quòd poſt illam noo poſſit aliam exercere cauſalitatem moralem. Poſtquam enim Deus præuidet in hoc inſtanti effectum exiſtentem, ex vi huius cauſalitatis, *A*, iam pro illo inſtanti noo eſt indiffereos, vt faciat effectum exiſtere, aut ooo exiſtere; quapropter in ordine ad exiſtentiam, aut negationem exiſteotiæ, oulla poteſt dari cauſa meritoria, ſeu moralis mouens Deum ad talem effectum, aut negationem talis effectus, quia Deus iam oon eſt liber reſpectu horum terminorum; tamen eſt liber, vt faciat effectum exiſtere, per nouam aliam actionem, vel vt velit illum exiſtere per illam actionem, quam præuidit, & ad hoc poterit determinari per cauſam meritoriam, & reſpectu huius determinationis, ſeu ſecundæ actionis, poterit dari meritum, non verò reſpectu effectus. Iuxta hæc reſpondeot propoſitionibus obiectionis allatæ; coocedunt

eoim

enim M.SS. media actione ſecunda, eſſe cauſam phyſicam Chriſti: negant tamen, quòd cauſa moralis huius actionis, ſit moralis cauſa termini producti per illam. Vnde ex eo, quòd ſit cauſa meritoria actionis, per quam terminus fit, ſolùm infertur, eſſe cauſam meritoriam poſitionis phyſicæ termini. Non verò infertur, quòd ſit cauſa moralis termini: atque adeo, illam propoſitionem generalem noſtri argumenti, videlicet, quod eſt cauſa moralis poſitionis phyſicæ termini, eſt cauſa moralis termini, diſtinguunt, ſi illa poſitio phyſica termini, non dependeat ab alia phyſica poſitione, quam ſupponat, concedunt, ſi talis poſitio phyſica termini, dependeat moraliter ab alia poſitione, & ſine qua ipſa non eſſet, negant. Vnde modus cauſandi moraliter terminum, eſt cauſando moraliter poſitionem non ſupponentem proximè, aut remotè aliam eiuſdem termini poſitionem, ſeu quod idem eſt, cauſando moraliter terminum per cauſam, aut actum meritorium, non ſupponentem ipſum terminum cauſatum.

6. Sed contra, quia nihil deficit actioni M. SS. vt cenſeretur ſtrictiſſimè vera, & realis cauſa phyſica Chriſti, eiuſque propriiſſima genitrix. Ergo nihil deficit actioni meritoriæ huius actionis Virginis, vt ſit etiam meritoria termini per illam producti. Probo conſequentiam. Si enim aliquid illi deficeret, vt eſſet meritoria termini, maximè negatio alterius actionis, per quam talis terminus priùs dicitur productus. Sed talis defectus non impedit, vt ſit meritoria termini. Ergo nihil deficit cauſæ meritoriæ actionis, per quam M.SS. produxit terminum, vt ſit meritoria termini. Probo minorem. Quòd ſupponatur, vel non, negatio prioris actionis, qua decernatur exiſtentia termini, nihil concernit, vt actio ſecunda M.SS. dicatur propria cauſalitas termini. Ergo quòd cauſa meritoria talis actionis ſupponat, vel non ſupponat aliam actionem, per quam habeat phyſicè exiſtentiam terminus, nihil impediet ad hoc, vt talis actio ſit etiam meritoria termini.

7. Sed reſpondebis. Hoc eſſe peculiare in cauſa meritoria, vt non dicatur mereri terminum, ſed ſolam actionem, quando terminus ſupponitur exiſtens per aliam actionem, quia præmium, vt infrà in noſtro modo dicendi monebimus, debet eſſe aliquid ſupra id, quod merens obtinet; cùm ergo Chriſtus iam habeat aliunde, nempe media alia actione præcedenti ſuam exiſtentiam, non tamen habeat ſecundam actionem terminatam ad eamdem exiſtentiam, poterit quidem mereri tanquam præmium, non ſuam exiſtentiam, quam iam poſſidet, ſed ſecundam actionem, per quam à M.SS. producatur, atque adeo nouam hanc ſecundam dependentiam, quam antea non habebat.

8. Sed contra, quia de hoc eſt concertatio. Intendimus enim probare Chriſtum Dominum non poſſe promereri actionem illam, per quam M.SS. Chriſtum produxit, quin & terminum, qui eſt ipſe Chriſtus, promereatur, & vt ab hoc ſe expediant, negant hoc, & quæſiti de cauſa, dicunt, hoc eſſe peculiare in cauſa meritoria, vt non dicatur mereri terminum, ſed ſolam actionem, quando terminus ſupponitur exiſtens per aliam actionem. De hoc quærimus, ſi enim ſupponi terminum per aliam actionem productum non impedit, quominus ſecunda actio ſit vera cauſa termini, taliter, quòd iſte habeat ab illa actione ſuam exiſtentiam, cur eumdem terminum ſupponi ab alia actione productum impediat, ne actio quæ eſt cauſa meritoria actionis productiuæ illius, cenſeatur cauſa meritoria termini per illam producti? Reſpondere hoc eſſe ſpeciale cauſæ morali, vt non dicatur mereri terminum, ſed ſolam actionem, quando terminus ſupponitur exiſtens per aliam actionem, eſt ſoluere nodum difficultatis per additionem difficilioris nodi, & quæſtione quæſtionem implicare. De hoc igitur eſt diſceptatio. Vnde proueniat, quòd moralis cauſa termini depoſcat negationem actionis præexiſtentis, per quam intelligatur productus.

Si autem reſpondeas, quòd Chriſtus merens actionem, per quam M.SS. Chriſtum producit, cùm ſe ſupponat ab ipſo habitum per aliam actionem, non poterit eſſe cauſa meritoria ſuiipſius, bene tamen quòd altera actione producatur, quia hoc à ſeipſo non habetur in illo priori, antequam à M.SS. per aliam actionem cauſetur. Adhuc ſolutio hæc non declinat vim argumenti, nec inconueniens fugit, tantùm enim explicat robur, cui inconueniens illarum innititur, & tandem in illud recidit. Inconueniens enim, quod inferebat obiectio, erat, quòd ex hypotheſi, quòd hæc duplex actio detur, quauis producatur Chriſtus, & quòd ipſe promereat actionem, qua producatur à B.M.SS. ſequi, ipſum eſſe cauſam ſuæ exiſtentiæ. Hoc erat inconueniens, quod inferebatur contra hos recentes, ipſi tamen in ſua ſolutione rationem dant, cur conſequens inconueniens iudicetur. Ratio huius depoſcitur, nempe ſuppoſito quòd admittatur Chriſtum Dominum, ex vi prioris actionis productum, promeritum fuiſſe actionem ſecundam, qua phyſicè à M.SS. efficiatur, quid deficit Chriſti meritis ad promerendum terminum iſtius actionis M.SS. tendentis in eius exiſtentiam. 9.

Maiorem rationem inter hæc alij RR. ſunt perſcrutati, quamque explicant ſic, quòd in cauſalitate phyſica, non attenditur ad æſtimabilitatem rei, ſed ad id, quod phyſicè & realiter operatur; idem autem phyſicè & realiter operatur cauſa dans eſſe rei in hoc inſtanti, A, ſiue effectus ſupponatur, ſiue non ſupponatur, aliàs priùs natura ſumtus in inſtanti B. non tamen eſt eiuſdem æſtimabilitatis in alio caſu, quod ſic declaratur; nam quando phyſicè ponit effectum in inſtanti, A, aliàs non futurum independenter ab illa poſitione in inſtanti B. tanti æſtimatur illa actio, quanti æſtimantur ipſa & exiſtẽtia effectus ſecundùm ſe; ac proinde cauſa moralis illius poſitionis, dicitur moraliter cauſare poſitionem & terminum. Quando autem phyſicè ponit effectum in inſtanti, A, aliàs independenter ab ea actione futurum in inſtanti B. non tanti æſtimatur illa poſitio, quanti æſtimatur ipſa & exiſtentia termini, ſed quanti æſtimatur ipſa & acceleratio exiſtentiæ termini, ac proinde cauſa moralis illius poſitionis, 10.

non dicitur cauſa moralis termini, ſed accelerationis termini. Eadem ratione quando duplex actio, quarum vna moraliter ab alia dependet,& eam ſupponit,in eodem inſtanti exiſtit,in ordine phyſico vtraque cauſalitas idem præſtat,ac proinde vtraque cauſa à quibus cauſalitates procedunt, dicuntur phyſicè terminum producere, non tamen ambæ cauſalitates habent eamdem æſtimabilitatem moralem,quia prima cauſalitas tanti æſtimatur, quanti ipſa & terminus,quia ſine illa terminus non exiſteret, nec ex vi ſecundæ cauſalitatis, quia prima ablata auferretur ſecunda,quæ à prima,vt ſupponimus,moraliter dependet. Secunda autem cauſalitas non tanti æſtimatur, quanti ipſa & terminus, quia independenter ab ipſa eadem ſubſtantia termini eſſet in eodem inſtanti futura,ac proinde moraliter tantùm affert nouam æſtimationem,reſpondentem ſuæ entitati.Hoc ipſum exemplo doctrinæ communis expendunt, quia apud aliquos eſt receptum, quòd quando Chriſtus meretur per opera paſſionis B.M.SS. illum producere in primo conceptionis inſtanti, meretur M.SS. ipſum Chriſtum phyſicè producere,eſſeque veram cauſam Chriſti, & tamen Chriſtus non meretur ſeipſum, ſed accelerationem ſuæ exiſtentiæ, quia quotieſcunque cauſa phyſica dat eſſe rei in hoc temporis inſtanti, etſi aliàs ſupponatur priùs natura in alio futurus, dicitur phyſicè effectum cauſare; cauſa autem moralis etiamſi faciat effectum cauſare in hoc inſtanti, non dicitur eſſe cauſa effectus, niſi quando hic non ſupponitur priùs natura in alio inſtanti futurus. Ita plures, vt ſtatim in ſequenti ſectione videbimus, contra quos idem argumentum à nobis factum procedit.

11. Sed contra ſolutionem hanc poteſt ſic argui. Etenim non aliter philoſophari licet de morali cauſa,ac de phyſico principio in ordine ad cauſalitates ab ipſis exercitas, ſeruatis conditionibus,vnicuique iuxta ſuam naturam,correſpondentibus. Quia cùm cauſa moralis meritoria ad genus cauſæ phyſicæ efficientis reducatur, morem illius gerit, & in ordine ad ſuam cauſalitatem,& terminum ſe habet ita,ac phyſica cauſa efficiens in ordine ad ſuum terminum & cauſalitatem:Ergo ſicut hæc in phyſicis cauſalitatem exercens, denominatur efficiens phyſicè terminum ſuæ cauſalitatis, ita, quæ meretur actionem, qua phyſicè terminus producitur, meretur terminum productum. Conſequentiam,vltra paritatem dictam, probo. Qui meretur actionem,qua phyſicè fit terminus, meretur quòd agens hoc, verbi gratia, hunc effectum phyſicè producat. Ergo meretur terminum hunc fieri ab hoc agente. Ergo merebitur ipſum terminum.Probo conſequentiam,quia mereri terminum hunc ab hoc agente fieri,eſt idem, ac merentem dare eſſe illi termino, ſed impoſſibile eſt, merentem dare eſſe termino illi, quin mereatur ipſum terminum. Ergo qui meretur terminum hunc fieri ab hoc agente, meretur ipſum terminum abſolutè. Etenim qui meretur actionem, qua terminus habet eſſe, meretur termino illud eſſe habere eo modo,quo illud accipit ab ipſa actione. Sed quia talis terminus accipit phyſicè ab illa actione eſſe,dicitur agens phyſicum,eſſe cauſa termini abſolutè. Ergo ſimiliter, cùm merens cauſet moraliter illud idem eſſe, quod talis actio phyſicè illi præſtat, dicetur cauſa moralis termini abſolutè. Vnde fateor, quòd ille, qui meretur actionem, per quam phyſicè producitur terminus, diuerſimodè per ſuam cauſalitatem, actionem reſpicere, ac terminum, quia actionem immediatè, & terminum ſolùm mediatè conſpicit: at hoc ſufficere,vt merens dicatur cauſare moraliter terminum abſolutè, quis dubitare valebit.

Illud autem quod addit, nempe primam actionem, per quam primò accipit eſſe terminus,eſſe maioris æſtimabilitatis, quàm ſit actio poſterior, per quam idem terminus producitur, nihil confert, vt negetur merenti hanc ſecundam actionem influxus moralis in terminum, quia eſſe minoris æſtimationis actionem ſecundam,ſolùm concludit,quòd merens illam, promereatur aliquid minùs æſtimabile, quàm mereretur caſu, quo primam actionem, qua phyſicè priùs eſt terminus productus, eſſet promeritus,non tamen, quòd ſi ſemel mereretur hanc ſecundam actionem,non promereatur terminum illius;ratio,quia hanc ſecundam actionem minùs participare de æſtimabilitate, quàm primam, non tollit, quin ipſa æqualiter phyſicè dicatur cauſare terminum, ſicut prima illum phyſicè dicitur efficere, vt vidimus in RR. ſolutione. Ergo merens hanc ſecundam actionem, per quam abſolutè phyſicè fit terminus,merebitur abſolutè talem terminum, ſicut ſi mereretur actionem priorem, per quam terminus primò productus fuerat, diceretur abſolutè terminum promeruiſſe abſolutè, quamuis in vtro caſu actiones promeritæ non eſſent æquales in æſtimabilitate. 12.

Nec enim mitigat argumenti robur, illud, quod addit de merito SS. PP. Etenim in ſententia authorum defendentium, SS. PP. accelerationem incarnationis promeruiſſe, abſolutè tamen incarnationis quoad ſubſtantiam meritum illis auferentium, non negatur illis aliquis influxus moralis, ſaltem mediatus, in ipſam incarnationem quoad ſubſtantiam;etenim impoſſibile eſt, quòd concedatur ex vna parte, illos promeruiſſe actionem, per quam incarnatio fit, & ex alia, tale meritum reſpectu incarnationis,quæ eſt terminus illius actionis, SS. PP. denegare. Verùm cum hoc compatitur SS.PP. non dici abſolutè promeritos ſubſtantiam incarnationis, ſed accelerationem, & iure, quia cùm denominatio merentis aliquid, æmuletur denominationem phyſicè aliquid cauſantis, fit, quòd ſicut in phyſicis, illa cauſa abſolutè effectum producere denominatur, quæ illum in lucem primò edere dicitur, ob quam rationem conſeruans non appellatur abſolutè cauſare effectum, quem fouet, ſic cùm SS.PP. non dediſſent primum eſſe incarnationi in mente diuina, ſed ad ſummum extenſionem, vel vt meliùs loquar, conſeruationem incarnationis quoad durationem à parte ante,fit abſolutè ſolùm dici promeruiſſe accelerationem, non verò abſolutè incarnationis ſubſtantiam, verùm hoc non abſtulit ab illis influxum aliquem in terminum, hoc 13.

eſt,

eſt, in ſubſtantiam incarnationis, ſicut nec hoc ipſum abſtulit in phyſicis, quòd cauſa phyſica conſeruatiua habeat influxum, nedum in cauſalitatem, ſeu actionem conſeruandi, verùm & in terminum illius; imo quia in cauſalitatem influxum obtinet, eumdem in terminum habere, eſt neceſſarium. SS. enim PP. fuerunt quaſi cauſæ conſeruantes, ſeu protrahentes per aliquod temporis interuallum à parte ante, taliter, quòd inciperet priùs ſecundùm durationem, ſicut cauſa conſeruans, ſecundùm durationem à parte poſt phyſicè protrahit terminum ad aliud nouum tempus ad quod agens, primò illum producens, extendere non valebat, & licèt ob hanc rationem, vt ſuprà dixi, non poſſint dici SS. PP. promeritos fuiſſe Chriſtum, quantùm ad durationem, non ob hoc denegandus eſt illis aliqualis influxus moralis in illum; ſicut nec cauſæ conſeruanti reſpectu termini conſeruati, aliqualis influxus phyſicus aufertur. Ergo eo ipſo quòd aliquis mereatur actionem phyſicam alicuius termini productiuam, debet mereri ipſum terminum. Ergo ſi Chriſtus cauſat moraliter, quòd detur eſſe ſuæ humanitati, per ſecundam actionem à Maria Sanctiſſima productam, debet cauſare moraliter ipſam humanitatem, quod eſt inconueniens primò propoſitum.

13. Concludo vim totius argumenti intra duo verba, qui cauſaret moraliter poſitionem termini, hoc eſt, primam actionem, nulla ſuppoſita alia termini poſitione, cauſaret moraliter abſolutè ipſum terminum. Ergo & qui cauſat moraliter termini poſitionem, alia ſuppoſita termini poſitione, merebitur abſolutè ipſum terminum. Conſequentiam probatam relinquunt omnia, quæ huc vſque ſcripſimus.

14. Reſpondebis adhuc negans conſequentiam, diſparitatem ex dictis breuiter colligens, & notans, quòd duplex hæc cauſalitas moralis poſitionum termini nuper aſſignata, non tantùm differunt formaliter ex eo, quòd vna ſupponat poſitionem, & alia non ſupponat, ſed ex hac differentia radicali, aliam ſuboriri, nempe, quòd cauſalitas poſitionis non ſupponentis, aliam inueniat cauſam liberam indifferentem ad terminum, & ita illam determinet, non ſolùm ad poſitionem, ſed ad ipſum terminum ponendum, & ipſum moraliter cauſet; cauſalitas verò poſitionis, ſupponentis aliam poſitionem, non inuenit cauſam liberam indifferentem ad terminum, ſed determinatam in actu ſecundo ad illum, ac proinde non in actu primo liberam ad terminum, & illius negationem, ac proinde non poteſt cauſam ex ſua natura liberam, ad terminum determinare, ac proinde nec illum cauſare moraliter.

15. Vſque huc deuenire potuit ingeniorum RR. laudanda ſubtilitas. Fateor rem hanc mirabiliter expendiſſe; neſcio tamen, an ita conſequenter ad ſua principia ſimilem occurſum adiecerint. Tota enim veritas doctrinæ huius ſtat in hoc, quòd voluntas ſemel determinata ad producendum terminum, non poſſit moueri ad illum producendum taliter, quòd licèt moueri poſſit ad illum cauſandum media alia actione, tamen tunc non tantùm dicetur moueri ad producendum ſubſtantiam termini abſolutè ſed tantùm dicetur induci ad actionem de nouo illius termini productiuam, & conſequenter cauſa moralis hoc promerens, non meretur ſubſtãtiam termini, ſed tantùm actionem illam nouam, quæ talem terminum producit. Sed hæc doctrina præter alia, quibus impugnata manet, non conſonat principiis horum Reuerendiſſ. Ergo. Probo minorem. per vos, ex vna parte, voluntas diuina determinata in actu ſecundo ad producendum Chriſtum, eſt indifferens ad hoc, quod eſt producere illum per aliam actionem, vel illum alia actione non producere, ex alia, Chriſtus eſt indifferens ad applicandum ſua merita pro ſimili actione, qua ſua humanitas producatur, & ad negationem illius, ſed hæc indifferentia ſufficit. Tum ex parte Chriſti, vt ſi ſemel mereatur actionem illam, dicatur merens abſolutè terminum illius actionis, tum ex parte Dei, vt ſi inducitur ad decernendum talem actionem, dicatur moueri ad ſubſtantiam termini per illam actionem producti, iuxta Reuerendiſſ. principia alibi data. Ergo vnum è duobus; vel debent concedere, quòd non poſſit mereri actionem ſecundam, per quam fit de nouo terminus, qui ſupponitur per aliam actionem productus; vel ſi illam promereri poſſit, debent concedere eumdem merentem, ex vi eiuſdem meriti, terminum illius abſolutè promeritum fuiſſe. Probo minorem, indifferentia hæc eſt in ordine ad id, quod, licèt extrinſecè, eſt eſſentialiter requiſitum ad terminum, quia eſt indifferentia ad actionem nouam eſſentialiter requiſitam ad ponendum ſuum effectum. Sed iuxta principia Reuerendiſſ. hæc indifferentia ſufficit in ſimili caſu, vt ſubſtantia rei ſit promerita. Ergo & eadem indifferentia ſufficiet, vt promereatur abſolutè ſubſtantia termini, ſemel promerita actione, per quam phyſicè eſt producendus. Probo minorem, motiuum actus, tam extrinſecum eſt actui, quàm actio ſuo termino, & ſi crediderim principiis à me iactis ex philoſophia *tractatu de Trinitate diſp. 2. dub. 1.* intrinſeca eſt plus actio ſuo termino, vtpote identitatem ſibi cum illo vendicans. Atqui ſola indifferentia ad motiuum, & plures alias circunſtantias extrinſecas, eſt ſufficiens, vt meritoria ſit ſubſtantia actus, quamuis ad illam exequendam ſit neceſſitata voluntas, vt latè dabimus *tractatu de impeccabilitate Chriſti*, dum ſententiam Reuerendiſſ. referam, tenentium ſubſtantiam actus moriendi fuiſſe Chriſto meritoriam abſolutè, quamuis ſupponeretur neceſſitatus ad mortem ſubeundam, ex ſola indifferentia ad circunſtantias extrinſecas actui. Ergo iuxta principia Reuerendiſſ. ſola indifferentia ad actionem, ſimul cum determinatione ad ſubſtantiam actus, ſufficiens eſt, vt ſemel ab aliquo promerita actione, promeritus ſit etiam ſubſtantiam termini, per illam actionem producti. Maneat ergo firmum, quòd ſi Chriſtus promeruiſſet ſecundam actionem, qua à M. Sanctiſſ. producitur, neceſſariò debere ſeipſum promereri, quod eſt valde abſurdum; aliàs idem eſſet cauſa ſui ipſius.

Ex his inferes breui & clariori verborum periodo, in quo differat ſententia P. Herice, à modo dicendi Hurtadi, & aliorum. Herice 16.

diſp.

diſputatione vigeſima nona numero quadrageſimo primo,& ſequentibus hæc profert,vt rationi dubitandi ſuprà allatæ reſpondeat, aſſeritque, Chriſtum in primo inſtanti terminaſſe duas actiones totales à duplici decreto profectas. Vnam ſolius Dei, alteram Dei & Virginis, illam priorem, hanc naturâ poſteriorem. In ſecundo autem inſtanti, & deinceps, vſque ad extremum ſpiritum, fuiſſe Chriſti vitam conſeruatam, per vnam quidem actionem, cæterùm independenter à Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ, & aliis cauſis ſecundis, nempe ex vi diuini decreti, nullam harum rationem habentis, & vſque ad extremum halitum protracti. Alij vero aſſerunt, Chriſtum in primo inſtanti per duas actiones totales fuiſſe productum. Vnam à ſolo Deo, & alteram à Deo ſimul & a Maria Sanctiſſima pendentem, & illam,quæ fuit a ſolo Deo,ait Puente, fuiſſe naturâ priorem altera,quæ à Deo, & à Maria Sanctiſſima fluebat, & Chriſtum in illo priori naturæ, quo pendebat à ſolo Deo, meruiſſe Mariæ Sanctiſſimæ, & antiquis PP.vt in Chriſti progenitoribus ſcriberentur. Ab hoc modo dicendi diſcedit Herice pronuntiatum, etenim in illud inuehitur, non quia admiſerit duas actiones totales, quibus dependeat Chriſtus, vt primo conceptus, ſed quia incommodum reputat, Chriſtum meruiſſe aliquid in primo inſtanti, quod non etiam meruerit in cruce, iuxta illud *Hebr.* 10. *vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatio.* Et iuxta Trident. *ſeſſione* 22.*capite primo, ſemel ſeipſum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur*, quapropter, vt hoc fugerat inconuenieos, adiddit ipſe in ſecundo inſtanti, & deinceps, vſque ad extremum halitum, fuiſſe Chriſti vitam conſeruatam, per vnam quidem actionem, independenter à Maria Sanctiſſima ex vi ſolius primi decreti Dei, vſque ad vltimum tunc protracti.

17. Puente hîc conſtituit Chriſtum productum, & conſeruatum toto tempore, quo fuit in vtero Mariæ Sanctiſſimæ per duplicem actionem totalem, quamdam dependentem à Maria Sanctiſſima, aliam ſolùm dependentem à Deo; à puncto verò natiuitatis, docet. Chriſtum fuiſſe conſeruatum per actionem illam, quæ tantùm dependebat à Deo deficiente illa actione, qua in vtero dependebat à Maria Sanctiſſima. Hac enim ratione præſentem difficultatem exiſtimat deuiciſſe. Etenim in illis duabus actionibus, coexiſtentibus tempore geſtationis ſacratiſſimi fœtus, nullam ponit phyſicam dependentiam, quælibet enim per ſe eſt adæquata, & ex vi cuiuſlibet,Chriſtus exiſtit adæquatè, & quælibet ſine altera exiſtere poteſt; ponit autem dependentiam moralem, ſiquidem ait, actionem dependentem à ſolo Deo, fuiſſe principium promerendi actionem dependentem à Maria Sanctiſſima, Chriſtus enim præuiſus exiſtens per actionem ſolam dependentem à Deo promeruit per actus, illam ſolùm ſupponentes,auxilia omnia, quibus Maria Sanctiſſima SS.PP. promerentur actionem, qua Chriſtus à Maria Sanctiſſima dependebat. Sic Chriſtus exiſtens, à primo creationis inſtanti per totum vitæ tempus, potuit per actus elicitos in primo illo inſtanti tempore infantiæ, adultæ ætatis, & paſſionis promereri auxilia Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ quibus promereretur maternitatem, ſeu actionem dependentem ab illa,geſtationem Chriſti in vtero, & omnia ad maternitatem ſpectantia, quæ in aliis mulieribus reſpectu ſuorum filiorum inueniuntur. In his enim, cortice ſola verborum attacta, nullum diſſidium apparere videtur à modo dicendi Herice, verùm ſi nucleum eorum euoluas, maximè diſtare experieris; etenim in his P. Hurtado licèt expreſsè non reſoluat, an actio Dei durans toto vitæ tempore, poſt natiuitatem perſiſtat dependens ab aliquo decreto reſpiciente actionem præteritam Mariæ Sanctiſſimæ vel per decretum, quod nullo modo eam reſpiciat, ſed eodem modo tendat in actionem durantem, à Deo tantum dependentem,ac ſi actio Mariæ Sanctiſſimæ non præceſſiſſet, tamen hoc vltimum videtur ſupponere §. 44. vbi defendit, Chriſtum à puncto natiuitatis conſeruari, abſque vllo ordine ad actionem Mariæ Sanctiſſimæ, & ſine vlla dependentia phyſica,aut morali à Maria Sanctiſſima, contrarium tamen defendit P.Herice, vt vidimus,in ſuo modo dicendi.

Hic modos dicendi Puente, quoad partem in qua admittit, Chriſtum fuiſſe productum duplici actione totali, vi quarum intelligitur cum ſufficienti independentia à Maria Sanctiſſima vt illi poſſit mereri auxilia, quibus eſſe matrem illius promereretur, manet ex dictis in Herice ſufficienter impugnatus: quoad id verò in quo differt ab illo, ſic in illum ago. Etenim ſi verum eſt, Chriſtum poſt inſtans natiuitatis, nullo modo à Maria Sanctiſſima dependere, ſed à ſolo Deo conſeruari, ad quid poſuit duas actiones totales, & adæquatas primò Chriſti productiuas? ſiquidem earum illas præſcripſit, vt ex eius contextu patet, vt Chriſtus præuideretur, ſecundùm aliquam rationem, à Maria Sanctiſſima independens, ſicque, vt potens mereri illi gratiam,& auxilia, quibus ipſa promerita fuiſſet eſſe ſui matrem. Sed ad hunc finem ſuperfluunt actiones illæ in ſuo modo dicendi. Ergo ſine fundamento ponuntur iuxta placitum Hurtadi. Probo minorem. Etenim ipſe admittit, Chriſtum poſt ortum eius ex vtero, & deinceps, nullo modo dependiſſe à Maria Sanctiſſima ſed à Deo. Ergo poterit præuideri Chriſtus in aliquo tempore, magis independens à Maria Sanctiſſima quàm in primo conceptionis inſtanti. Hæc conſequentia eſt ipſe modus dicendi Hurtadi, quia hic licèt ponat actionem in primo inſtanti Chriſti conceptionis, & pro tempore quo iacebat in vtero, qua à Deo dependeret ſolo; tamen aliam etiam totalem proponit, qua pro illo tempore à Maria Sanctiſſima & à Deo ſimul dependeret. Ergo pro illo tempore geſtationis in vtero, ſicut erat verum dicere, Chriſtum dependere à Deo, etiam erat verum, Chriſtum dependere à Maria Sanctiſſima. At verò poſt ortum Chriſti ex vtero, non erat verum dicere, Chriſtum dependere in ſui 18.

cooſer

conſeruatione à Maria Sanctiſſima quia iuxta hunc modum dicendi,extracto Chriſto ab vtero,ſpirauit actio, qua dependeat Chriſtus à Maria Sanctiſſima, & permanebat actio prima Dei,a qua deinceps protracta,ab ipſo ſolo Deo dicebatur dependere,& conſeruari.Ergo Chriſtus poſt ortum,& deinceps, poterat præuideri magis,independens à Maria Sanctiſſima quàm dum erat in vtero repoſitus. Ergo ſic præuiſus exiſtens independenter à Maria Sanctiſſima poterat videri cum meritis, quibus ipſe Mariæ Sanctiſſimæ promeruiſſet gratiam, & auxilia, quibus ſibi promeruiſſet eſſe matrem eiuſdem Chriſti. Ad quid ergo multiplicat Puente actiones totales, quibus Chriſtus in primo conceptionis momento producatur, cum ſine illis poſſet finem, in quem ſunt inuentæ, facilius aſſequi.

19. Rurſum hic modus dicendi, quoad id, in quo edocet, Chriſtum non conſeruari poſt illius natiuitatem, dependenter ab actione præterita Mariæ Sanctiſſimæ,diſplicet. Quia multum eius,quod reliquas matres decet, Virgini Sanctiſſimæ reſpectu ſui filij auferretur, etenim, iuxta hunc dicendi modum, magis dependent filij à ſuis matribus, quàm dilectiſſimus Chriſtus à ſua, quia cæteri filij dependent à Matribus,nedum phyſicè,dum ſunt in earum vtero detruſi, verùm moraliter ab illarum actione præterita; iſte tamen dicendi modus, dum vnum omnibus Matribus commune tribuit Mariæ Sanctiſſimæ,nempe influxum phyſicum geſtationis in vtero, alium influxum moralem illi detrahit,quem communiter cuncti authores cæteris Matribus reſpectu ſuorum filiorum exhibere ſolent. Ad quid ergo cum hac ita indecora detractione tot ſunt conficta in hoc modo dicendi, vt meritum maternitatis Virgini exhibeatur; meliùs eſſet illi meritum Maternitatis inficiari.Quod inconueniens non verteretur in culpam illi, ſi præ difficultate oppreſſus ſuccumberet parti neganti, quàm data illi Maternitate per meritum,Maternitatis iura in illa violare, quæ illibata cæteris Matribus tribuere, eſt concors authorum opinio.

Sectio VII.

Rationes Herice, Hurtadi, & aliorum ſcribuntur.

20. ISti authores, cùm viderint aliorum agmina aciem conuertere in impugnanda duplici actione, qua vel primò produceretur, vel conſeruaretur Chriſtus, totam ſibi parauerunt curam, vt oſtenderent eas eſſe poſſibiles, reſpectu vnius, & indiuiſibilis effectus, ita vt, ea earum poſſibilitate, nullum inconueniens ſequi, quod in illos deducebant contrarij, ſunt rati. Verùm argumenta hæc, aliud merè philoſophicum inſtitutum redolent, ideo ne res theologica, philoſophiæ puris argutiis præpediatur, ab illis me abſtineo, & ſolùm ea, quæ licèt philoſophicis principiis innixa,materiam theologiæ mixtam inuoluunt adducturus.

21. Argues igitur intendens probare, noſtrum fundamentum contra ſententiam Reuerendiſſ. propoſitum non conuincere; dicebamus enim ſi Chriſtus,vt productus prima actione, promereretur actionem ſecundam, qua à Maria Sanctiſſima produceretur, fieret, Chriſtum poſſe eſſe cauſam meritoriam ſui ipſius, cùm eo ipſo, quòd mereatur actionem Virginis, qua producatur, debet promereri terminum illius actionis, qui eſt ipſe Chriſtus productus. Contra fundamentum hoc argues ex Herice. Non bene infert, generali illatione. Hic meretur actionem alicuius termini. Ergo meretur ipſum terminum. Ergo noſtrum fundamentum ruit. Probat antecedens. Poteſt ſtare, quòd terminus ſupponatur exiſtens, ex vi alterius actionis, & tamen poteſt quis mereri actionem, qua ſecundò talis terminus producatur, quin ipſum terminum promereat. Ergo illa illatio non eſt generaliter vera: probo minorem. Chriſtus Dominus meruit ſuam ſecundam præſentiam, qua ipſe poſitus fuit ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis. Ergo meruit, quòd ipſe Chriſtus exiſteret per ſecundam præſentiam in ſecundo ſpatio, & tamen non dicitur ipſum promereri ſuam exiſtentiam abſolutè, ſed exiſtentiam in illo ſpatio, ergo poteſt quis mereri actionem, qua ſecundò aliquis effectus producatur, quin talem effectum promereat. Ergo ſimiliter, licèt Chriſtus promereat ſecundam illam actionem, ad ſuam exiſtentiam terminatam, non ideo dicetur mereri ſuam exiſtentiam abſolutè, ſed ſolùm mereri, quòd exiſtat per ſecundam actionem.

22. Imprimis argumentum vim nullam habet, quæ noſtro fundamento immineat ad ruinam,quia exemplum, quo vtitur, eſt eiuſdem formæ, licèt in materia diuerſa conſtructum cum re, de qua eſt præſens altercatio: atque adeo ſi conſequenter ſimus proceſſuri, tenemur negare Chriſtum exiſtentem per vnam actionem, qua à ſolo Deo conſeruatur, habere ſecundam actionem, qua idem Chriſti corpus producat ſeipſum in Euchariſtia, ob rationem, qua hìc negamus, Chriſtum Dominum à duplici actione eſſe productum; etenim fieret exinde, idem corpus Chriſti eſſe cauſam ſuiipſius in eodem inſtanti reali, & ipſum vera prioritate præcedere.

23. Sed inſtabis, ſolutionem hanc eſſe inſufficientem, quia licèt deuincat impoſſibilitatem in phyſicis, nullam vim præſefert in moralibus, quia proprium eſt phyſicæ cauſalitatis, verſari inter cauſam & effectum, tanquam inter extrema realiter diſtincta. In moralibus verò hæc diſtinctio non intercedit neceſſariò, comparitur bene, idem eſſe cauſam moralem ſuiipſius, cuius rei ponunt exemplum, quia Petrus nunc exiſtens, poteſt à Deo conſeruationem ſui craſtinam petere, & Deum precibus annuentem, craſtinam conſeruationem exhibere. Ecce quomodo idem Petrus eſt cauſa moralis ſuiipſius, cùm Petrus, vt conſeruatur craſtino tempore, non diſtinguatur à ſeipſo, dictam conſeruationem à Deo hodie efflagitante. Ergo ſi

idem

idem poteſt moraliter eſſe cauſa actionis terminatæ ad ſeipſum, poterit etiam idem Petrus, pro priori productus, moralis cauſa eſſe alterios ſecundæ actionis, terminatæ ad ſui exiſtentiam. Ergo Chriſtus potuit promereri, tum actionem ſecundam, qua io Euchariſtia produceretur, tum etiam actiooem ſecundam, qua à M.SS. cauſaretur.

24. Reſpondeo, rationem noſtram æqnaliter impoſſibilem reddere cauſalitatem moralem, ac cauſalitatem phyſicam vnius ad ſeipſum. Quia repugnantia hæc ſuborta eſt, non ſolùm ex diſtinctiooe, vtcunqne reperta, inter cauſam, & effectum, nam idem poteſt eſſe cauſa mediata ſuiipſius, vt ſi Petrus ounc generet filium, à quo poſt aliquot anoos idem Petrus iam mortuus generari poteſt, oritur enim prædicta repugnantia ex diſtinctione requiſita inter cauſam & effectum præſentem, quando talis conditioois eſt cauſa, vt noo aliter operetur, niſi vt exiſtens; hæc enim nullo modo poteſt habere cauſalitatem mediatam, vel immediatam, reſpectu ſuiipſius, quodque noo inuenitur in cauſa finali, quæ ita ſtricta cauſa!, ac efficieos phyſica, & moralis non eſt, atque adeo, vt poſſibilis mouet in ſe, vt exiſtat. Ratio igitur huius repugoantiæ tota innititur in prioritate, quam debet habere cauſa, quæ operatur vt exiſtens reſpectu ſui effectus, quem producit, non enim mioorem prioritatem depoſcit cauſa operans, vt exiſtens, ac ceteræ, quæ non operantur ſuos effectus, vt exiſtentes, eteoim prioritas, qua in effectum viget cauſa, competit illi ex geoerali ratione cauſæ. Ergo ſi quia ſunt cauſæ cæteræ, quæ oon operantur, vt exiſtentes, ſunt priores effectibus, quos cauſant, potiori prioritate debet affici cauſa, qnæ operatur, vt exiſtens, cùm hæc ſola rationem ſtrictiſſimæ cauſæ, ſibi arroget. Hæc igitur prioritas eſt io cauſa, vt agens ſiue moraliter, ſiue phyſicè, oon poſſit ſuam cauſalitatem exercere in ſeipſum. Quia, ex qua parte, eſt ſuo effectu prior, intelligitur exiſteos ante exiſtentiam effectus, oullo modo poterit nunc ſuum eſſe ab effectu accipere, aliàs duplex contradictorium irrefragabiliter verificaretur, nempe dictam cauſam eſſe effectu priorem, & non eſſe priorem. Primum, qnia eſſet exiſteos, effectu noo intellecto, ob prioritatem, quam ſibi neceſſariò vendicat omnis cauſa. Secuodum, quia vt aliquid ſit prius naturâ alio, duo exoptari, docet philoſophia. Primum quòd id, quod prius eſt, poſſit intelligi exiſtens ſine illo, reſpectu cuius prius cenſetur. Secundum quòd hoc, ſcilicet effectus, oeqoeat ſine eo exiſtens iotelligi. Igitur vtrumque competere Petro, ſi ſeipſum cauſaret ſiue phyſicè, ſiue moraliter, ex propoſitiooe caſus manifeſtum fiet: ſi quidem ſi Petrus ab aliquo effectu haberet eſſe quem cauſat in eodem inſtanti, ille effectus eſſet vera cauſa Petri; atque adeo, quia cauſa, eſſet illo prior ſaltem naturâ. Ergo poſſet intelligi independeoter à Petro. Ergo non eſſet poſterior. Atque adeo Petrus non eſſet prior naturâ illo effectu, quia vbi non datur poſterioritas in hoc extremo, A, reſpectu extremi B. non poteſt io extremo B. dari prioritas reſpectu extremi A. Ergo in hypotheſi noſtri argumenti, eſſet indiſpenſabilis illatio duplicis contradictorij, oempe quòd idem eſſet priùs, & poſterius, reſpectu ſui, pro eodem nunc, & momento ſuæ exiſtentiæ.

Sed inſtabis idem intentum; finge tibi Deum, ſe ſolo Petrum & Paulum actionibus adæquatis produxiſſe. In hoc caſu, oeuter ab alio dependentiam agnoſceret. Finge rurſum, Deum pro ſigno poſteriori, aſſumpſiſſe Petrum ad producendum Paolum per ſecundam actionem, idem finge de Paulo reſpectu Petri, io his caſibos, ſi rectè penetrentur, inuenies, quemlibet illorum, prout productum per primam actionem Dei, eſſe, & intelligi, alio priorem, prout producto per ſecundam actionem, vt ex terminis caſuum liquet. Sic enim incoouenieos ooſtrum declinare videtur, potiſſimùm ſi defendatur, ſingulos ſolùm moralem cauſalitatem exercere, in ordine ad ſecundam actionem, qua vnuſqoiſque ab alio producatur. 25.

Reſpondeo, noſtrum inconueniens eodem modo inferri in cauſa morali, ac in phyſica, in hypotheſi, quòd intelligatur cauſans ſecundam exiſtentiam, quam hic & nunc ſortitur aliquis effectus, à quo eadem exiſtentia hic & nunc cauſetur. Siquidem tam cauſa moralis, quàm phyſica, veræ cauſæ recenſentur. Ergo vtrique competit ſtricta naturæ prioritas reſpectu ſuorum effectuum. Explicemus hoc ipſum exemplo noſtræ litis. Chriſtus ex qua parte meretur ſecundam actionem Mariæ Sanctiſſimæ pro eodem momento tendentem ad ipſius Chriſti exiſtentiam, intelligitur exiſtens independenter à voluntate Dei, illud meritum præmiantis, cùm Chriſtus, vt mouens, moueat Deum ad habendam voluntatem producendi illam ſecundam actionem. Rurſum & ex alia parte, qua hæc eadem voloutas Dei, eſt cauſa Chriſti, media alia actione ſecunda, debet intelligi exiſtens iodependenter ab ipſo Chriſto, qui illius voluntatis, mediante ſecunda actione, dicitur effectus. Hæc enim captu ſunt impoſſibilia, quia, vt ſupponimus, voluntas illa producendi ſecundam actiooem, dependet, in horum ſenteotia, à Chriſto Domino, vt illam à Deo merente; atque adeo ab ipſo Chriſto præuiſo, vt exiſtente. Ergo non poteſt voluntas hæc Dei intelligi exiſtens iodependenter à Chriſto. Cooſequentiam hanc probo efficaciter: hæc voluntas Dei produceotis hanc ſecundam actiooem, eſſentialiter eſt voluntas Dei, vt præmiantis. Ergo ſub oulla conditione iotelligi poteſt, independeos à voluntate merentis. Sed merens eſt Chriſtus. Ergo illa voluntas Dei, de producenda hac ſecunda actione, noo poteſt intelligi indepeodeos à Chriſto.

Hac doctrina præhabita, caſos obiectionis debilitantur. Illi enim impoſſibiles reddontur, & vt vtar voce arguentis, fictitij coniectantur. Regula enim, iuxta ooſtra priocipia, eſt illibata, implicare ſcillcet illum, qui pro priori naturæ ſupponitur exiſteos, dependeoter ab adæquata cauſa, exiſtere iterum pro ſigno poſteriori, media alia ſecunda actione, dependenter à ſuo 26.

effectu,

effectu, rationem huius ſæpè innuimus, quia, ſi exiſtere media illa actione, eſt accipere eſſe ab alia cauſa, cuius eſt actio, ſicut nemo præſtat, quod non habet, ita nemo recipit id ab alio, quod antecedenter poſſeſſum habet in ſe. Hoc enim explicat Lugo *tomo 1. in 3. part. diſputatione 7. ſectione 6. num. 75.* ex moralibus, quia ſicut in materia morali, ideo qui eſt Dominus in ſolidum alicuius rei, eam ab alio accipere non poteſt, quia quod ſemel dominio ſerio eſt meum, magis meum eſſe non poteſt, vt habetur *ex l. neque pignus 46. ff. de reg. iur.* ſic in Phyſicis nequit intelligi, quomodo poſſum ab alio accipere id, quod iam hîc & nunc poſſidere ſuppono. Dixeram, ex prætacta doctrina, irritos reddi caſus arguentis, & conſequenter, cùm inconueniens noſtri caſus ſæpius explicatum, æquali curſu inferatur ex illis, quia in his ſequeretur eumdem Petrum eſſe priorem ſeipſo, quia vt ſupponitur, Petrus eſſet Pauli cauſa. Ergo & naturâ prior illo, quod eſt idem, ac independens à Paulo. Atqui ſupponitur ab arguente eumdem Petrum dependere à Paulo. Ergo Petrus eſſet ſeipſo prior, atque adeo pro illo priori poſſet intelligi ſine ſeipſo, quia hoc totum inuoluit naturæ prioritas, vt docent communiter Philoſophi in tractatu de cauſis.

27. Nec refert ſi iteratam euaſionem repetas, iſta omnia eſſe verificabilia de Petro ſecundùm diuerſas rationes. Etenim in caſibus adductis, eſſet Petrus independens à ſeipſo, vt terminante actionem Pauli. Sed hanc replicam præoccupauit ſectio prima, ibi enim diximus, Paulum, non ſolùm cenſendum cauſam actionis, qua Petrus produceretur, verùm & eſſe cauſam ipſius Petri, qui eſt illius actionis terminus. Ex quo fit, Paulum debere eſſe priorem & independentem ab actione ſua & termino qui eſt ipſe Petrus. Ergo ſimiliter Petrus idem debet eſſe independens à Paulo, & ab omnibus, quæ dependentiam habent à Paulo, atqui inter illa quæ pendent à Paulo, numeras Petrum. Ergo debet eſſe independens à ſeipſo, quod eſt idem, ac poſſe intelligi ſine ſeipſo. Quod eſt inter inconuenientia maiora maximum.

Colliges ex his duobus ſectionibus Regulam illam generalem, qua contra Authores ſtabiliuimus, non poſſe idem ſeipſum producere, ſuffragari doctrinæ, quam latè mandaui prælo, in prælectione ad Cathedram primariam Complutenſem, vbi vt vitarem argumentum contra ſententiam communem, defendentem eſſentiam diuinam eſſe principium radicale productiuum Filij, & Spiritus Sancti, contra quam obiici ſolet inconueniens adductum, idem fore cauſam ſuipſius, à quo difficillimè euadunt Authores. Ibi enim declinaui inconueniens, notans. Eſſentiam ſolùm principium communicatiuum recenſendam eſſe, & relationem, principium productiuum, ſe ſolam eſſe nominandam. Sic enim prioritas in principio, & poſterioritas in termino producto, quem ſolum recenſuimus relationem Filij, & diſtinctio in principio & termino deſiderata, ſine inconuenienti ſaluari poterant.

Sectio VIII.

Reſponſio Lugi, & Bernalij impugnantur.

PAret Bernal. *diſputatione 17. ſectione 4. §. 2.* Cardinalis de Lugo *diſputatione 8. ſectione 7. numero 83.* vt rationi dubitandi ſuperiùs allatæ ſatisfaciant, hæc ſunt meditati, quòd ſcilicet Christus in primo ſui ſigno prædiffinitus ſit, & præuiſus, vt miraculosè viuens, eo tempore quo, ſeu propter defectum alimenti, qualem in deſerto habuit, ſeu propter doloris magnitudinem, qualem in horto & cruce pertulit, ſeu propter ſummum dolorem, quem ex diuinis hominum offenſis perpetuò ſenſit, non poſſet viuere niſi Deo miraculosè concurrente. Proinde Christus in hoc ſigno prædiffinitus, & præuiſus eſt exiſtens independenter à cauſis naturalibus, ideoque independenter à Maria Sanctiſſima. Quo notato optimè componere noſtram litem ſunt rati. Nam primò fuit Christus prædiffinitus, & præuiſus, vt miraculosè viuens, & in ſtatu illo merens. Deinde propter hæc merita decreuit Deus, vt Beata Maria Sanctiſſima mereretur eſſe Mater Dei, ſeu Christum infantem gignere. Ergo ſtat bene, quòd Christus per actus independentes ab actione Mariæ Sanctiſſimæ meruiſſet, vt illa eliceret actus, quibus Chriſti Mater eſſe mereretur. Itaque aiunt, Deum prædiffiniiſſe Christum exiſtentem ex vi huius actionis pro tempore paſſionis, ſeu pro tempore, quo fuit à tempore illius orationis in horto, vſque ad vltimum vitæ periodum, quo tempore extitit independenter à Maria Sanctiſſima, ac proinde potuerunt in præmium obtinere præexiſtentiam eiuſdem actionis, & exiſtentiam Chriſti pro tempore antecedente orationem horti, & totum influxum, quem Maria Sanctiſſima toto illo tempore in Christum præſtitit, necnon & actionem ipſam, quæ phyſicè ab ipſa proceſſit in primo inſtanti incarnationis. Quæ omnia licèt inferant, Mariam Sanctiſſimam promeruiſſe anticipationem quamdam incarnationis pro illo tempore, quo Christus à Maria Sanctiſſima dependebat, non tamen inferunt, ipſam promeruiſſe ſubſtantiam incarnationis; Quod quidem non aliter expendunt, quàm iuxta id, quod dicitur de Christo, qui ſi mereretur continuationem vnionis, non tamen ipſam vnionis ſubſtantiam promeruiſſet. 28.

Vnde iuxta hunc modum dicendi hæc ſunt certa, vt ex proceſſu, quem inferunt Reuerendiſſimi in eius defenſionem comperies. Primum Maria Sanctiſſima à primo inſtanti conceptionis Chriſti vſque ad inſtans antecedens orationem horti, ſe habuit reſpectu Chriſti, ſicut ſe habent aliæ matres in ordine ad proprios filios, & totum influxum phyſicum & moralem exercuit in Christum Maria Sanctiſſima, quem aliæ matres in ſuos præſtant filios; à tempore autem orationis horti nullum influxum phyſicum nec moralem præſtitit in illum Maria Sanctiſſima, ſed ex

tunc quoad omnem dependentiam tam phyſicam, quàm moralem, incepit Christus à ſolo Deo dependere.

Secundum aſſertum quod infertur, eſt,cùm Chriſtus incepit à ſolo Deo dependere,tametſi exinde eius conſeruatio fuerit à Maria Sanctiſſima independens,adhuc eius conſeruatio minimè variatur; quia eadem conſeruatio, quæ antea erat ex vi decreti, quo à Maria Sanctiſſima moraliter dependebat,potuit perſiſtere ex vi alterius decreti, quo vlteriùs non dependeret, ſed eodem modo eſſet, ac ſi non præextitiſſet actio primò productiua Chriſti, quæ dependebat à Maria Sanctiſſima.

Ex hoc vlteriùs deducitur, quòd Chriſtus per actus elicitos tempore paſſionis, quo non dependebat à Maria Sanctiſſima potuit promereri maternitatem, & auxilia, quibus eam promereretur Maria Sanctiſſima, quia illi actus nec proximè,nec remotè dependebant à Maria Sanctiſſima; per actus autem præcedentes orationem horti, non potuit hoc præmium promereri,quia actus illi ſupponebant exiſtentiam Chriſti dependentem tempore, quo illi eliciebantur à Maria Sanctiſſima,& ab influxu,quem hæc habuit in Filium, & conſequenter à Maternitate. Hæc omnia imbibit ſecum modus hic dicendi à P. Lugo expoſitus, quæ diſperſim loco citato tradidit.

29. Hic modus dicendi, licèt aliquos nouerit Patronos, alios tamen inuenit non minoris notæ aduerſarios, ſed nec illi rationibus Lugi addiderunt quidquam, nec iſti æquali efficacitate impetiuerunt in illum. Plura hunc modum dicendi mirabiliter torquent, ſubiiciam aliqua. Nullam aliam viam inueni impugnandi Lugum, præter eam, quæ dirigit in fundamentum, ſupra quod ſuum modum dicendi ſubtiliter erexit. Fundamentum Lugi eſt,quia non repugnat, vt idem pro vno tempore exiſtens poſſit eſſe realis cauſa ſuiipſius pro alio tempore, ſolùm enim repugnare ſtatuit, quòd idem ſit cauſa ſuiipſius in eodem inſtanti. Ergo non repugnat, quin Chriſtus præuiſus exiſtens tempore paſſionis, potuerit eſſe realis cauſa moralis ſuiipſius toto tempore quod præcederet paſſionem, dependenter à conceptione Mariæ Sanctiſſimæ. Antecedens probat ex doctrina communiter etiam à diſcipulis Diui Thomæ edocta, nam idem contritionis actus in primo inſtanti, eſt moralis cauſa infuſionis habitus charitatis, & in ſecundo inſtanti, eſt effectus eiuſdem habitus, qui effectiuè conſeruat eumdem actum, à quo fuerat in primo inſtanti productus. Hoc eſt fundamentum Lugi. Sed hoc non ſubſiſtit. Ergo nec eius modus dicendi. Probo minorem diſcurſu eodem, quo in ſeipſum obiicit idem Author *num.* 84. quia licèt poſſit,quod antea erat effectus, concurrere poſtea ad conſeruationem ſuæ cauſæ, vt patet in exemplo contritionis, non tamen poteſt id (quod antea erat effectus, concurrere modò ad primam productionem ſuæ cauſæ. Verbi gratia, habitus charitatis,qui pro primo inſtanti pendet ab actu, licèt poſſit pro ſecundo inſtanti conſeruare eumdē actum, non tamen poteſt in ſecundo inſtanti efficere, quod actus productus fuerit in primo inſtanti, quia hoc iam eſſet cauſare ſeipſum, etiam pro ſecundo inſtanti, etenim licèt pro ſecundo inſtanti non pendeat à conſeruatione actus, & ideo poſſit concurrere ad eius conſeruationem, tamquam ad aliquid poſterius, pendet tamen à prima productione actus mediatè,ideo etiam conſeruatur habitus in ſecundo inſtanti, quia productus fuit in primo,& ideo productus fuit in primo, quia extitit actus contritionis, vel dilectionis. Ergo etiam in ſecundo inſtanti pendet mediatè ab exiſtentia actus in primo inſtanti. Ergo habitus in ſecundo inſtanti non poteſt cauſare exiſtentiam actus in primo inſtanti.Similiter ergo in præſenti,licèt Chriſtus tempore paſſionis non pendeat ab exiſtentia, & meritis, quæ tunc habebat Maria Sanctiſſima, & ideo poſſit pro eo tempore eſſe cauſa moralis exiſtentiæ, & gratiæ, quam Maria Sanctiſſima tunc habebat,tamen ſaltem mediatè pendet ab exiſtentia, & gratia, quam habuit Maria Sanctiſſima ante incarnationem; Etenim ideo conſeruatur nunc Chriſtus, quia antea fuit conceptus, & ideo fuit antea conceptus, per Lugum, quia Maria Mater Sanctiſſima meruit illam conceptionem. Ergo Chriſtus tempore paſſionis non poteſt mereri gratiam, quam Maria Sanctiſſima habuit ante incarnationem,quia eſſet mereri mediatè conſeruationem,ſeu productionem ſuiipſius.Hæc ſibi obiecit Lugus, cuius verba literaliter tranſtuli.

Huic ſatis efficaci argumento reſpondet Lugus his verbis *num.* 85.quòd Chriſtus pro tempore paſſionis non habuit dependentiam etiam mediatè,à Maria Sanctiſſima,nec ab eius influxu,non enim conſeruabat Deus tunc eam humanitatem, eo quòd fuiſſet antea producta,vel concepta in vtero Mariæ Sanctiſſimæ, ſed independenter ab eius conceptione; imo veriſimile eſſe ait,conſeruationem illam pro eo tempore fuiſſe vltra naturæ leges, quia tanta fuit triſtitia Chriſti in horto, vt niſi diuinitus conſeruaretur,conſumptus fuiſſet præ animi dolore, etenim in hoc ſenſu accipiunt aliqui, teſte Bernalio infrà citando,illa Chriſti verba, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, id eſt, triſtitia ſufficienti ad cauſandum mortem, vt Salmeron exponit.Quare conſeruatio Chriſti pro tempore ſequenti poſita fuit independenter ab eo, quòd antea extitiſſet, & per conſequens eius merita,præuiſa pro eo tempore,nullo modo dependent ab exiſtentia, vel gratia Beatæ Mariæ Sanctiſſimæ. 30.

Sed huic ſolutioni aduerſantur duo.Primum, quòd iuxta illam ponuntur ſola merita Chriſti tempore paſſionis exercita,fuiſſe cauſam meritoriam gratiæ collatæ Mariæ Sanctiſſimæ, propter quam meruit eligi, vt eſſet Mater Chriſti, cum longè probabilius ſit, non ſolùm eam Chriſtum meruiſſe per merita paſſione,& morte conſummata, ſed etiam ab ipſo exordio ſuæ conceptionis inchoata, & per reliquum vitæ tempus continuata, vt extant Patrum teſtimonia, hanc veritatem confirmantia.Imprimis illud Pauli *Ad Hebr.* 10. *Holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam voluntatem tuam.* Hoc eſt, cùm primum incarnationis noui holocauſta boum, & hircorum non tibi

pla

placere, obtuli vt faciam voluntatem tuam, ô Deus! nimirum circa hominum redemptionem, & prædeſtinationem. Quodque incrementum ſumit ex eo quòd, verbum, *tunc*, ſignificat primum inſtans incarnationis, teſtibus Diuo Anſelmo, & Sancto Thoma ſupra hunc locum, qui ibidem probant ex illo, Chriſtum ſuo primo conceptionis inſtanti ratione vſum fuiſſe, agnouiſſe Deum, & hominum ſtatum, & ſponte ob redemptionem hominum in mortem ſe obtuliſſe, atque exinde in hunc finem omnes ſuos actus ordinaſſe, taliter, quòd, ex vi illius voluntatis in primo inſtanti à Chriſto habitæ, dicantur homines ſanctificati. Lege Diuum Paulum *eodem capite, verſiculo decimo, In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel*. Ergo nullo modo poteſt negari, Chriſtum eo inſtanti meruiſſe ſuæ Matri, & cæteris parentibus omnes gratias ſanctificantes, quas nunc habuerunt, tum quia ipſe Paulus illi Primæ voluntati tribuit nominatim ſanctificationem, & gratias omnium hominum; tum etiam quia non vni, vel alteri merito, ſed omnibus meritis totius vitæ ſuæ, meruit omnes, & ſingulas gratias, quæ hominibus præſtantur.

Confirmatur, quia vt ſuprà Lugus Sanctos Patres ſequutus defendit Beatam Mariam Sanctiſſimam fuiſſe redemptam ab originali, & eius debito per electionem in Matrem, tenetur ergo fateri gratias omnes Mariæ Sanctiſſimæ collatas promeritas etiam fuiſſe à Chriſto ex primo ortu ſui dum eſſet adhuc in vtero detruſus, ſin minùs aſſeuerabit, Chriſtum non prometuiſſe redemptionem ab originali, & eius debitum Mariæ Sanctiſſimæ vſque ad paſſionis momenta, necnon & quòd omnia Chriſti merita hoc paſſionis tempus antecedentia, in ordine ad redemptionem Matris perinde ſe habuiſſent, ac ſi nullo modo à Chriſto eſſent exequuta, quod non ita ſuauiter dictum conniecto. Cùm è contrà deceat Chriſti ſtudium, cui ab inſtanti conceptionis fuit deditus nempe de eligenda Matre ſibi digna, & illam à communi labe præripere.

31. Reſpondet primò Lugus *numero nonageſimo nono*. Hanc replicam habere inſtantiam, nam vt ſuprà dicit, ſe docuiſſe, Chriſtus non potuit mereri per ipſam mortem, vel voluntatem vltimam tolerandi patienter iniurias iam ſibi illatas, illud auxilium ſufficiens, quod datum fuerat ipſis occiſoribus, vel tortoribus, quo potuiſſent illum non occidere, nam actus patientiæ conſequentis, ſupponebat tormentum illatum, & hoc ſupponebat libertatem, & poteſtatem crucifigentium, ad illum non torquendum, & hæc libertas includebat illud auxilium, quare pro illo auxilio non potuit aptiùs applicari illud meritum patientiæ conſequentis, vt ſuprà ait à ſe demonſtratum relinqui. Ex quo infert, illam propoſitionem, omnia Chriſti merita fuerunt cauſa omnium, & ſingularum gratiarum, quæ nunquam datæ erant, vniuerſaliter non eſſe veram.

Sed hæc ſolutio notam patitur diſparitatem, quia teſtimonia adducta eò immediatè tendunt, vt probent, omnium hominum redemptionem, & ſanctificationem à primo conceptionis inſtanti initium agnouiſſe, at in ipſo non excluditur meritum auxiliorum, quæ præſtita fuerunt tortoribus, vt ab illo peccato crucifixionis retraherentur; imò neque in aliquo tempore vitæ Chriſti; tantùm enim excluditur hoc meritum à certis & determinatis actibus, non tamen ab aliis illis coexiſtentibus: at Lugus excludit meritum ab omnibus actibus antecedentibus paſſionis momenta, reſpectu auxiliorum omnium, quibus Maria Sanctiſſima, & reliqui Patres promeruerunt eſſe Chriſti Parentes, necnon excludit meritum reſpectu electionis Mariæ Sanctiſſimæ in Matrem, quod eſt idem in ſententia Lugi, ac illud excludere reſpectu redemptionis Mariæ Sanctiſſimæ ab originali, & illius debito ab omnibus actibus, qui tempora agoniæ Chriſti præceſſerunt. Quod quantùm horreat, aliis do.

Secundò reſpondet Lugus *numero nonageſimo nono* admittens, Paulum ibi loqui de prima voluntate, quam Chriſtus habuit in primo conceptionis inſtanti, qua ſe obtulit Deo, negat tamen, illi primæ voluntati tribui à Paulo, vniuerſam hominum ſanctificationem, nam verba illa, quæ ſequuntur, *In qua voluntate ſanctificati ſumus*, &c. Non referuntur ad voluntatem Chriſti offerentis ſe, ſed ad voluntatem Dei, de qua prædixerat: *Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam*, de hac enim voluntate proſequitur: *In qua voluntate ſanctificati ſumus*, ſcilicet, in hac voluntate Dei, quia nimirum hæc eſt voluntas *Dei ſanctificatio veſtra*, vt dicitur ad Theſſalonicenſes quarto, & affert teſtes huius interpretationis Sancti Thomæ *in illo loco ſupra Epiſtolam ad Hebræos citatam*, allegat alios innumeros, qui omnes, aſſerit, intelligunt hunc locum de voluntate diuina, & non de voluntate humana Chriſti. 32.

Sed contra, quia licèt ſanctificatio noſtra, & cuncta alia, quæ noſtræ interſunt ſaluti, referantur ad voluntatem diuinam, qua Deus ipſe voluit, vt Chriſtus ſe pro nobis Deo Patri offerret, tamen negari non poteſt, nos ſanctificatos eſſe etiam voluntate, qua Chriſtus in eo inſtanti pro nobis æterno ſuo Patri ſe obtulit, cùm talis voluntas fuerit vniuerſalis pro omnibus, nam fuit conformis diuinæ voluntati, quæ cunctorum hominum ſalutem comprehendebat, quibus vniuerſale remedium præparabat, ipſam ſcilicet Chriſti redemptionem. Tum, quia non deſunt Patres, qui hanc voluntatem intelligant de humana Chriſti voluntate, vt teſtis eſt Anſelmus, quem licet ſibi patronum adducet, tamen expreſſius rem noſtram commendat. Sic enim D. Th. hunc interpretatur locum. *In qua*, inquit, *voluntate*, id eſt, *in qua ſui immolatione ſecundùm Patris voluntatem facta, nos fideles ſumus ſanctificati*. Quid clarius? Quid ſplendidius? In ea ergo voluntate, ait Anſelmus, nos ſumus ſanctificati, quæ fuit ipſius Chriſti immolatio, ſecun-

dùm Patris voluntatem facta, hæc autem non fuit diuina, ſed humana voluntas Christi: nam licèt diuina fuerit cauſa prima præordinans, ſeu præcipiens, humana tamen fuit, quæ obtemperauit exequens, & exequendo promerens. Sic enim loquuros eſſe Patres quos citat pro ſe Cardinalis, eò vel maximè ſuſpicor, quòd hunc locum eo modo, ac nos, cæteri plures alij Patres fuere interpretari. Sanctus Chryſoſtomus *Homilia decima octaua in Epiſtol. ad Hebraus*. Et Ambroſius *in eundem locum*, qui omnes interrogantes in qua voluntate, & quomodo ſanctificati ſumus? Reſpondent, *per oblationem corporis Chriſti*: Quibus clarè ſtatuunt, eamdem eſſe voluntatem, qua ſanctificati ſumus, & qua Christus ſeipſum Deo Patri obtulit. Hanc interpretationem validat proceſſus ipſe verborum textus, quod per velle Benedictus Iuſtinianus annotauit, nam ſtatim poſt hæc verba: *In qua voluntate ſanctificati ſumus*, ſubdit Apoſtolus *per oblationem corporis Chriſti*. Quæ verba immediata præcedentia modificant, vt de voluntate humana Christi oblatiua intelligantur: interpretatio à Lugo, huic textui exhibita, textui abſonat, & exinde inconuenienta ſæpius à nobis contra illum deductum approbare videtur, nempe, quòd omnes actus præcedentes Christi paſſionem elicitos toto illo tempore, quo ait Lugo, Christum fuiſſe conſeruatum dependenter à prima illa conceptione, nullo modo conduxiſſe ad electionem Mariæ Matris Sanctiſſimæ in Matrem, neque ad illius præſeruationem ab originali culpa, & ad alia opera cæterorum Parentum, ſed quòd perinde eſſent eliciti in ordine ad hos effectus, ac ſi nullo modo elicerentur, quod à nemine, quem viderim, fuit huc vſque conceſſum.

33. Secundò in hunc modum dicendi argumentor. Ex illo ſequi Mariam Sanctiſſimam nullo modo dici poſſe Matrem Christi toto illo illo tempore, quo perdurabat paſſio, & perſeuerabat agonia, atque adeo periiſſe in Christo, reſpectu Mariæ Sanctiſſimæ relationem veri Filij. Sequelam probo. Nam tempore paſſionis Christus fuit conſeruatus independenter à conceptione Mariæ Sanctiſſimæ ea ipſa actione, qua fuiſſet conſeruatus vi prioris decreti, etiamſi à Maria Sanctiſſima conceptus non fuiſſet: at per illam actionem non fuiſſet Filius Mariæ Sanctiſſimæ. Ergo nec per eam, qua de facto, tempore paſſionis fuit conſeruatus. Maiorem dedimus in aſſertis modi dicendi Cardinalis, qui ne cogatur admittere Christum fuiſſe cauſam, ſaltem mediatam ſui, aſſerit, tempore paſſionis, quando meruit, vt à Maria Sanctiſſima conciperetur, conſeruatum fuiſſe per actionem prorſus independentem à conceptione Mariæ Sanctiſſimæ, vide ſolutionem primam, quam primo argumento dedimus ex Cardinali ſuprà. Minorem probo, nam talis fuiſſet Christus per illam actionem, qualis futurus fuiſſet, ſi à Maria Sanctiſſima conceptus non eſſet, ſed ſi à Maria Sanctiſſima conceptus non eſſet, non cenſeretur Filius Mariæ Sanctiſſimæ. Ergo nec de facto, tempore paſſionis fuit Filius Mariæ Sanctiſſimæ. Conſequentiam probo. Nam de facto tempore paſſionis, in ſententia Lugi, conſeruatus eſt illa ipſa actione, & cum eadem independentia à Maria Sanctiſſima qua conſeruatus eſt hîc & nunc ea ipſa actione qua productus fuiſſet vi prioris decreti dependens à Maria Sanctiſſima per actionem generatiuam.

Nec effugies vim, ingenuè concedens ſequelam, quia in te ibit omnium Theologorum ſacrata cohors. Nec ſi ſecundò reſpondeas, negans ſequelam, quia ad eſſe Matris actu ſufficere, vt aliquando vera generatione Filium genuerit, quemadmodum enim, vt dicatur Mater actu, neceſſe non eſt, vt hîc & nunc actu gignat, ſed ſufficit vt actu genuerit, ita vt dicatur Mater actu, neceſſe non eſt, vt Filius actu conſeruetur actione dependenter à principio generatiuo Matris, ſed ſufficit, vt aliquando genitus, & conſeruatus fuerit, actione dependenter à principio generatiuo Matris. Hoc ipſum confirmare poteris, quia vt fert commune metaphyſicè aſſertum, generatio eſt ratio fundandi relationem Parentis ad Filium, quæ relatio manet etiam generatione corrupta, vt latè dedimus *capite de relatione* cum Sancto Thoma, aliàs nullus diceretur parens poſt horam, cum vix tamdiu duret in illo generatiua actio. Rurſum neque dato, quòd Christus tempore paſſionis conſeruatus fuerit miraculoſa actione, independenter à principio generatiuo Mariæ Sanctiſſimæ tollitur, quin eodem tempore in Mariam Sanctiſſimam manſerit relatio maternitatis ad Christum, vt patet in Lazaro, qui miraculosè reſſuſcitatus, & conſeruatus in vita actione independente à principio generatiuo ſuorum Parentum, non deſiit relatio Maternitatis, & Paternitatis in progenitoribus, ſicut nec in Magdalena, & Martha relationes ſororum Lazari perierunt, quod eſſet neceſſarium, ſi in progenitoribus Lazari relationes paternitatis & Maternitatis euanuiſſent. 34.

Sed in hanc ſolutionem inſurgo, nam eſſe Matrem actu, eſt effectus formalis. Ergo ab aliqua forma actu, quia ille nihil aliud eſt, quam forma ſubiecto communicata actu. Ergo non ſufficit verificari de forma, quòd actu fuerit in ſubiecto, vt actu in illo eius effectus formalis intelligatur, quia poteſt ſubiectum denominari, quod aliquando actu fuerit tale per formam præteritam, non autem quòd actu ſit tale niſi per formam præſentem. Ergo tametſi Maria Sanctiſſima potuerit tempore paſſionis denominari, quòd aliquando fuerit actu Mater Christi non tamen quòd tunc actu eſſet Mater Christi, niſi in actu, haberet Maternitatis relationem. At iuxta hunc modum dicendi Maria Sanctiſſima non habebat tempore paſſionis, Maternitatis relationem actu. Ergo tempore paſſionis Maria Sanctiſſima actu non poterat denominari Mater Christi. Probo minorem. Relatio Maternitatis fundatur in perfectione cauſæ, ſicut in ratione effectus, fundatur 35.

datur filiationis relatio. Sed ſecundùm hunc dicendi modum, tempore paſſionis fuit à Virgine Sanctiſſima ſublata cauſæ ratio, ſicut à Christo ratio effectus ab ipſa. Ergo tempore paſſionis, in hac ſententia, nec in Maria Sanctiſſima fuit relatio Maternitatis, nec in Christo relatio filiationis. Minor ex ſe patet; etenim Lugus docet, tempore paſſionis, nec Christi humanitas habuit vllam dependentiam à Maria ſanctiſſima, nec iſta aliquem influxum, ſaltem mediatum, in humanitatem Christi; omnis enim cauſa, ſub ratione cauſæ, actu conſtituitur per influxum, ſaltem mediatum, in effectum, ſicut & hic, in ratione talis, per aliquam dependentiam, ſaltem mediatam, à cauſa. Nunc maiorem probo, nam relatio Maternitatis est relatio cauſæ, ſicut filiationis relatio, relatio effectus. Hoc eſt familiare apud omnes in creatis. Ergo maternitatis relatio eſſentialiter poſcit, pro immediato fundamento, rationem cauſæ, & alia è contrà rationem effectus. Implicat enim has relationes conſeruari poſſe ſine prædictis fundamentis, potiſſimùm in ſententia, quam impugnamus, in qua nihil aliud eſſe relationem docent, quàm ipſum fundamentum proximum ſeipſo ad terminum relatum. Tunc ſic, ſed implicat manere formalem rationem cauſæ, abſque vllo influxu, ſaltem mediato, in effectum. ſicut nec effectus rationem, abſque vlla dependentia illius à cauſa, ſaltem mediatè. Ergo iuxta Lugi ſententiam implicat, vel in Maria Sanctiſſima manſiſſe relationem Matris in Christum, & in hoc relationem Filij erga Mariam Sanctiſſimam tempore paſſionis, cùm in illa omnis influxus in Christum, etiam mediatum, Virgini, & dependentiam, etiam mediatam, ab hac, tempore paſſionis, denegetur.

36. Nec vim declinabis dicens, proximum fundamentum maternitatis, & filiationis, in creatis, eſſe ipſas entitates cauſæ, & effectus, poſita ſemel tantùm generatione ex parte principij generantis, & termini geniti. Nòn inquam argumentum infringis, quia vt cauſa actu reſpiciat effectum, ſub ratione effectus, & hic cauſam, vt talem, atque adeo, vt Mater reſpiciat Filium, ſub ratione Filij, & hic illam, ſub ratione Matris, non ſat eſt nuda ipſa entitas cauſæ, & effectus, ſublato omni influxu à cauſa, & dependentia ab effectu, quia relatio maternitatis eſt intrinſecus reſpectus realis Matris ad genitum, ſicut filiatio eſt intrinſecus ordo realis Filij ad Genitricem, vt communiter docetur *capite de relatione*. Ad hunc autem intrinſecum reſpectum, non ſat eſt nuda entitas vtriuſque, poſita tantùm præterita generatione, quia compertum eſt, manere poſſe eamdem nudam entitatem cauſæ, & effectus, cum præterita generatione corrupta, abſque intrinſeco reſpectu illo reali in cauſa. Quod ſic ad hominem contra Lugum oſtendo Nam tempore paſſionis manſerunt Maria Sanctiſſima, & Christus eodem prorſus modo, quo manſiſſent, ſi Christus productus, & conſeruatus fuiſſet vi prioris decreti dumtaxat quo præuiſus fuit exiſtens ipſo tempore paſſionis à Maria Sanctiſſima Independens. At ſi Christus productus fuiſſet vi prioris dumtaxat decreti, nullum intrinſecum realem reſpectum habuiſſet ad Mariam Sanctiſſimam, nec Maria Sanctiſſima ad Christum, vt de ſe patet. Ergo nec de facto huiuſmodi reſpectus viciſſim importabunt ambo tempore paſſionis. Conſequentiam probo, nam quòd tempore præcedente paſſionem de facto habuerint huiuſmodi reſpectus mutuos, non tollit, quin tempore paſſionis fuerint eodem modo, vt ait Lugus, ac fuiſſent, ſi ante huiuſmodi tempus nunquam ſe mutuò realiter reſpexiſſent.

37. Sed adhuc intentabis effugium dicens, talem intrinſecum reſpectum, tam Christi ad Mariam Sanctiſſimam, quàm huius ad illum, tempore paſſionis habuiſſe, media generatione præterita. Sed contra; Tum, quia generatio præterita nequit conferre intrinſecum reſpectum realem termino præſenti, ſed ſolùm extrinſecam denominationem, quòd aliquando fuerit genitus. Tum, quia ſi generatio præterita cauſaret intrinſecum reſpectum realem præſentem in termino, non potuiſſet Christus tempore paſſionis conſeruari, omnino independenter à Maria Sanctiſſima, vt Cardinalis expreſsè ſanciuit: nam ſaltem per iſtum realem reſpectum intrinſecum, humanitas Christi dependiſſet à Maria Sanctiſſima, à qua, media generatione, illum accepiſſet. Ergo nihil reale & intrinſecum in hac ſententia, tempore paſſionis eſſe debuit, vel in Maria Sanctiſſima, vel in Christo, ratione cuius potuerit, vel Maria Sanctiſſima dici Mater Christi, vel Christus Filius Mariæ Sanctiſſimæ.

38. Nec deſiſtes ab effugio dicens, nihil aliud Matrem eſſe Mariam Sanctiſſimam, quàm aliquando genuiſſe, & nihil aliud eſſe Filium, quàm aliquando genitum eſſe, abſque vllo mutuo reſpectu intrinſeco reali de præſenti. Verùm, dum argumentum fugis, recidis in ſingularitatem inutilem, Hoc eſt doctrinam communem euertere, hæc enim docet præter generationem præteritam eſſe intrinſecum reſpectum realem, quo Filius & Parens, de præſenti, mutuò ſe realiter continentur, ſub ratione cauſæ, & effectus. Rem hanc non abſonè explicare poſſumus exemplo paternitatis & filiationis increatæ, quæ formaliter, & ſecundùm conceptum expreſſum, non conſiſtunt in ipſis præciſis generationibus, paſſiua in Filio, & actiua in Patre, ſed in reſpectibus ſecundùm conceptum expreſſum, ſaltem ratione diuerſis à prædictis generationibus. Vt latè dedimus in prælectione ad cathedram Scoti ſuprà citatam.

39. Sed quæres, quid ni ſit reſpectus hic in Filio, vi cuius, tranſacta generatiua actione Patris, ad illum intrinſecè referri dicitur? Reſpondeo eſſe ſententiam probabilem, vt *cap. de relatione* annotaui. Hunc realem reſpectum in Filio, eſſe actionem realem, qua hic homo, verbi gratia Petrus, conſeruatur à ſolo Deo, dependenter à cauſa ſecunda generatiua, à qua per generationem accepit primam ſui exiſtentiam, quæ generatio, cùm non poſſit ab ipſa ſecunda cauſa continuari, cùm ſpiret eius actio in ipſo fieri termini, continuatur à Deo, vt à cauſa

prima, ſupplente vices ſecundæ cauſæ. Verùm iuxta Diui Thomæ aſſerta, & dicto capite relata, reſpectus Filij non eſt ipſa realis actio, media qua à genitore procedit, ſed modus quidem tali actioni innixus, ex poſitione termini reſultans: Quidquid autem hoc ſit, ſemper eſt doctrina illibata, quòd vt hic terminus referatur hic & nunc, & in actu ſecundo ad ſuum progenitorem, eſt neceſſe, vt hîc & nunc dicatur continuata dependentia paſſiua illius ab ipſo generante; necnon, vt hic referatur actu ad terminum, deſideratur, vt actio generatiua ſit continuata ad eius exigentiam, ſic enim conſeruatio talis actionis, quamuis à ſolo Deo ſit, tribuitur cauſæ ſecundæ, cùm non aliter à Deo conſeruetur, niſi iuxta exigentiam progenitoris, atque adeo quamdiu terminus conſeruatur cum hac dependentia à cauſa ſecunda, conſeruatur cum intrinſeco reſpectu dependentiæ à cauſa ſecunda. In parente enim poſita potentia generatiua, & actione in termino immediatè ab ipſa dependente, reſultat relatio intrinſeca, qua terminum vt proprium contuetur, atque adeo ſublata actione hac, cui tamquam rationi fundandi innititur relatio illa, quamuis ponatur alia, ſi ſit omnino independens à potentia generatiua progenitoris, tam terminus deſinit reſpicere parentem, vt cauſam ſui eſſe, quàm Parens terminum, vt effectum ſuæ potentiæ generatiuæ, ac proinde ſicut in vno perit relatio Patris, in termino relatio Filij euaneſcit. Hoc ipſum demonſtro. Pone Euam, priùs tempore, ſeminali profuſione ab Adamo genitam, & rurſum mutata prima actione, & dependentia, conſeruatam fuiſſe ea ſola actione, qua de facto producta fuit ex coſta ipſius. Quis diceret, illam cenſendam fore Adæ filiam?

40. Deduces primò actualem relationem Matris, non exigere immediatam generationem hîc & nunc pro præſenti exercitam, cum hoc tamen ſtat, quòd neceſſariò exigat mediatam generationem. Ratio, quia niſi terminus conſeruetur dependenter ab ipſo principio generatiuo, à quo accepit primum eſſe per generationem, nec in termino manebit intrinſecus reſpectus realis effectus ad cauſam, nec in illa ad ipſum, atque adeo nec relatio maternitatis, & filiationis, in talibus reſpectibus conſiſtens, durare poterit. Itaque licèt, vt ſit actu Mater, non requiratur, quòd hîc & nunc actu generet, requiritur vt ſaltem virtute, & mediatè conſeruet genitum ipſum.

41. Deduces vlteriùs. Generationem immediatam eſſe ſolam conditionem, à qua in eſſe pendet relatio maternitatis, tamen generatio mediata, non ſolùm eſt conditio, ſed proximum fundamentum parentis, quo ſublato, vt diximus, neceſſe eſt tolli relationem ipſam maternitatis. Per hoc, ſolutionem dabis exemplo ex Lazaro adhiberi ſolito. Neganda enim eſt paritas, nam Lazarus etiam miraculosè ſuſcitatus, manſit verus Filius ſuorum parentum, quia manſit conſeruatus per actionem, ſaltem mediatè, dependentem à prima generatione, per quam accepit primũ ſuum eſſe, quia niſi fuiſſet genitus, non fuiſſet mortuus, & niſi fuiſſet mortuus, non fuiſſet reſſuſcitatus, ac proinde in vita conſeruatus miraculosè, mediatè ſaltem, fuit dependens à prima generatione, qua ſuam primam exiſtentiam mutauit. At aduerſarius contendit, actionem illam qua tempore paſſionis Chriſtus fuit in vita conſeruatus, fuiſſe prorſus independentem à prima generatione, per quam primum eſſe hominis à Maria Sanctiſſima accepit, nam etiamſi illa non præceſſiſſet, adhuc, vi prioris decreti, Chriſtus futurus eſſet.

42. Pater Bernalius, *vbi ſuprà ſectione ſecunda,* vt ſuaſum relinqueret modum hunc dicendi Lugi, pluribus fundamentis Chriſtum eſſe decretum in primo ſigno, vt miraculosè viuentem, fouet, & vt oſtenderet aliquando à Deo ſolo fuiſſe conſeruatum independenter à Maria Sanctiſſima inter alias, hac ſibi viſa efficaci ratione vtitur *numero* 39. per hæc formalia verba, reor, Chriſtum, non ſolùm paſſionis, verumetiam toto vitæ decurſu tam graui dolore affectum, vt niſi diuinitus cum illo viuere non poſſet. Enimuerò ſi nonnulli peccatores ex conſideratione propriorum ſcelerum, lethalem triſtitiam conceperunt, & Dauid conſideratione diuinæ legis ab alijs violatæ, deliquium animi patiebatur, iuxta illud *Pſalmi centeſimi decimi octaui, verſu trigeſimo tertio defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus Legem tuam.* Chriſtus, qui amore erga Deum, & cognitione grauitatis offenſarum Dei, & perpetua eorumdem conſideratione, Dauidem & alios homines infinitè ſuperabat, ſine dubio per totum vitæ decurſum, tanto premebatur doloris ſenſu, quantum niſi diuinitus confortatus, ferre nequiret, vt par fuerit miraculum tanto cum dolore vitam agere, & tanta cum gloria dolorem ſentire. Hæc Bernalius, qui præterquamquòd cum Lugo in puncto principali impugnatus, hunc patitur ſcrupulum. Sequitur exinde. Chriſto non ſupereſſe tempus, quo à Maria Sanctiſſima dependens cenſeretur. Quod eſſe falſum de ſe patet, & eſſe contra eius aſſerta illud admittere, legenti eius theſim *loco citato, & numero quinquageſimo tertio, ſectionis ſecunda*, erit compertum, in his enim aſſerit, Chriſtum vt præuiſum & prædiffinitum iuuenem, & miraculosè viuentem metuiſſe, vt Beata Sanctiſſima illum infantem conciperet, lactaret, & nutriret. Sequelam probo. Etenim Chriſtus in prima ſuæ conceptionis periodo, omnia, quæ ad ſuum concernebat ſtatum, vtraque ſcientia beata ſcilicet, in verbo, & infuſa extra illud fuit intuitiuè, & abſtractiuè ſimul rimatus, vt familiare eſt apud omnes, & Bernalium, vt ex Diuo Thoma cuncti ebiberunt, & monebimus *tractatu de ſcientia Chriſti.* Ergo in primo inſtanti cognouit offenſas hominum in Deum, quas redempturus erat. Ergo in primo inſtanti eo dolore quati debebat, qualis illum poſt eius natiuitatem contorſit. Ergo ſicut præ anguſtia,

ex conſideratione offenſarum hominum cauſata, poſt ortum oppreſſus, vitam agere, naturali curſui relictus, non poſſet, ita dum in vtero tali conſideratione quatiebatur, diu viuere poſt primum inſtans ſine miraculo non poſſet: Ergo ſicut ex hoc ponitis, Deum decreuiſſe illum iuuenem à Maria Sanctiſſima independentem poſt natiuitatem, & infantiam, ita deberis conſtituere Chriſtum, poſt inſtans ſecundum animationis eius in vtero, fuiſſe à Deo prædefinitum, vt miraculosè viuentem, per actionem à ſolo Deo ortam, & independentem à Maria Sanctiſſima. Hoc ſequi eſt luce clarius, eſſe falſum æquè clarum.

43. Si autem velis ſuffragari Bernalio dicenti, miraculum poſt ſecundum inſtans animationis comparari; cum dependentia à Maria Sanctiſſima dices bene, ſed vtere eadem compoſitione in toto decurſu vitæ Chriſti, & fatere, quòd licèt Chriſtus præ dolore grandi, tum ex conſideratione peccatorum, tum ex paſſione; angoreque orto, egeret miraculi iuuamine, vt ſtatim animam non efflaret, tamen miraculum illius conſeruationis dependeret à prima generatione Mariæ Sanctiſſimæ, quale tu idem fateri tenetia miraculum conſeruandi Chriſtum, poſt ſecundum inſtans animationis in vtero, quod fiebat dependenter ab actione generatiua Mariæ Sanctiſſimæ, & eius in vtero geſtatione.

44 Reuerendiſſ. quidam Complutenſes, alium non ignobilem ſunt conſectati dicendi modum, qui licèt prorſus ab aliis diſtinctus non euadat, cum ab illis ortum duxiſſe facilè comprobabitur, tamen ita ex illis aſſurgit, vt ab illis diſcrepare præſumant. Conſtituunt ergo Chriſtum primò productum per duplicem actionem adæquatam, diſtinctam à termino, & principio, quamdam dependentem à ſolo Deo, & durantem vſquè ad mortem Chriſti, aliam dependentem à Maria Sanctiſſima, tamquam à cauſa particulari, & à Deo tamquam à cauſa vniuerſali; an verò hæc actio Mariæ Sanctiſſimæ exiſtat tantùm pro primo conceptionis momento, vel duret toto tempore, quo Chriſtus in vtero Virginis Sanctiſſimæ geſtabatur, aſſerunt, non multùm curandum, aſſerunt tamen idem omnino in hac re eſſe dicendum, ac de reliquis actionibus, quibus fœminæ ſuos producunt fœtus. Tranſacta verò actione Mariæ Sanctiſſimæ, ſiue immediatè poſt inſtans conceptionis, ſiue à natiuitatis inſtanti, aiunt, Chriſtum conſeruari eadem actione, qua à ſolo Deo productus eſt, & hanc actionem, ſeu conſeruationem incipere exiſtere, ex vi duplicis decreti, ex vi illius, quo incipit independenter à Maria Sanctiſſima, & ex vi alius aduenientis reſpicientis actionem tranſactam Mariæ Sanctiſſimæ, ad cuius exigentiam vult Deus ex tunc, tamquam nouo titulo, illam actionem conſeruatiuam permanere. Hoc præiacto docent, ſic ex vna parte poni Chriſtum, toto vitæ tempore durantem independenter à Maria Sanctiſſima, & potentem mereri per omnes actus ſuæ vitæ actionem dependentem à Maria Sanctiſſima, & conſeruationem vt dependentem ab ipſa per ſecundum decretum, quod ſupponit actionem, vt dependentem à Deo tantùm in primo inſtanti, dum durat actio Mariæ Sanctiſſimæ, & reliquo tempore dependentem eodem modo à Deo, Tum etiam moraliter à Maria Sanctiſſima præcisè vt dependentem à Deo eſt principium promerendi actionem phyſicam Mariæ Sanctiſſimæ, dum hæc exiſtit, & aliud decretum, quo actio eadem tranſacta Mariæ Sanctiſſimæ actione, incipit à Maria Sanctiſſima dependere moraliter.

Iam quòd hic modus dicendi, aliàs Hurtadi modo ſimillimus, ab illo diſtet, oſtendunt, quia ponit actionem conſeruatiuam Chriſti pro eo tempore, quo Chriſtus phyſicè non conſeruabatur à Maria Sanctiſſima dependenter moraliter ab illa. Sic enim, aiunt, declinari difficultatem quamdam Theologicam, quam contra Hurtadum feciſſe aſſeuerant, aſſeruntque Mariam Sanctiſſimam præſtitiſſe totum influxum phyſicum, & moralem reſpectu Chriſti, quem in filios exercent fœminæ aliæ, quod de morali influxu Hurtadus negat. Ruſum aiunt parum, (& bene parum) hunc modum diſtare ab Herice theologicè inſpectum, licèt philoſophicè conſideratum valde ab illo diſſidentem arbitrantur. Herice enim ponit actionem quamdam identificatam cum Deo, & ait; actiones ſpecificari, & ita indiuiduari à decretis, à quibus dependent, vt eadem actio, quæ ab hoc decreto procedit, non poſſit ab alio procedere, quæ dicunt eſſe difficilia, & à re in Philoſophia impugnata: ipſi verò vtramque actionem à principio, & termino diſtinctam docent, & aiunt, eamdem eſſe indifferentiam, vt ab hoc, vel alio decreto à ſimplici, vel multiplici producatur. Recedere tamen longâ diſtantiâ à Lugo cenſent. Ille enim numquam admittit duplicem actionem coexiſtentem, neque eamdem dependentem à duplici decreto: ipſi verò vtrumque autumant, vt ſic defendant, Chriſtum toto ſuæ vitæ tempore promeruiſſe ex his Parentibus naſci, & auxilia, quibus ipſi natiuitatem hanc ex illis procedentem ſunt promeriti, & reliqua collata ad actus honeſtos, ex quibus hæc ex illis Chriſti natiuitas dependebat. Hac enim ratione, aſſerunt Mariam Sanctiſſimam, & alios Chriſti aſcendentes potuiſſe promereri Chriſtum naſci ex illis, & hoc promeruiſſe Abrahamum & Dauidem docent communiter Sancti, licet apud illos frequentiùs de Maria Sanctiſſima ſit eulgatum. Ita Reuerendorum diſcurſus. 45.

Verùm hic modus dicendi, ex aliorum ſublatis partus, plura, quæ in cæteris diſplicebant, patitur; & licèt aliqua minùs dura pronunciet, ſupponit doctrinam Diui Thomæ, & eius diſcipulis diſſonam valde, videlicet eumdem effectum à duplici, actione adæquata pendentem, quod quantùm diſtet à mente Sancti Thomæ iamdiu ex ipſo tractatu de ſecundo de cauſalitate efficientis ad librum ſecundum Phyſicorum ebiberam. Hoc ſecùm affert in Philoſophia difficillimum, nec firmiori greſſu in Theologia hic diſcurſus incedit.

cedit. Quia ex illo ſequi, Chriſtum eſſe ſui cauſam moralem in eodem inſtanti, ea ipſius modi diſcurrendi armatura conſpici poteſt, quodque iam *ſectione ſexta*, non inutiliter præſtitimus, & falſitatem ſequelæ aperuimus. Nunc non vacat ea tranſcribere, eo vel maximè quòd iterum agere actum, calamo aliorum cupido in culpam vertitur ſemper.

Sectio IX.

Reſponſio ſequenda.

46. Ratio dubitandi *ſectione quinta* adducta, fuit occaſio tot modos inſerendi quos per quinque ſectiones reiecimus; Reſtat nunc quemdam condere, cuius defenſio nouas non ſecum ferat difficultates vincendas, & quas inuoluebant alij, emolliat. Supra illos nouum adducere ſupra ingenium conięcto, probabiliorem meo captui viſum polliceor. Rem hanc ſic componere ſum ratus, Chriſtum priùs ratione decretum fuiſſe extiturum, cum hac humanitate numero, conſtante ex hac numero anima rationali, & materia organizata, tamquam ex immediatis, & proximis principiis exiſtendi, & merendi, quàm fuerit determinatè decreta illi mater, à qua eſſet gignendus. Sicut in probabili ſententia fertur, potuiſſe priùs ratione hanc humanitatem, cum hac gratia actuali, & habituali decerni, quàm cum hac determinata ſubſiſtentia Verbi, atque adeo potuiſſe hanc ſubſiſtentiam Verbi, per merita congrua, priùs ratione, vt abſolutè futura præuiſa, in præmium huic humanitati conferri. Pari modo potuit Deus, priùs ordine rationis decernere hanc numero humanitatem, ex hac numero anima rationali, & materia organizata compoſitam, cum hac perſona Verbi hypoſtaticè vnitam, quàm illi decerneret maternum principium generatiuum, à quo eſſet reipſa, & in executione producenda.

Hoc ſic poſito decretorum ordine, præuideret Deus Chriſti merita abſolutè futura, atquè adeo potuit vi illorum allici, & dare in illorum præmium hanc fœminam, vt eſſet illius genitrix. Sicque optimè componuntur duo. Primum, Chriſtum promeruiſſe Maternitatem Mariæ Sanctiſſimæ, & Chriſtum, non fuiſſe cauſam ſuipſius, quia illa auxilia, & merita Mariæ Sanctiſſimæ, quibus promeruerat Maternitatem, non naſcebantur ex meritis Chriſti, prout dependentis in illo priori ab hac determinata matre.

47. Singula percurramus. Imprimis potuiſſe Deum priùs ratione Chriſtum prædiffinire, cum hac numero humanitate, compoſita ex hac numero anima rationali, & materia organizata, tamquam ex immediatis, & proximis principiis exiſtendi, & merendi, quàm fuerit determinatè, & in particulari definita illi Mater, à qua producendus eſſet; Explico, quia id nullam repugnantiam inuoluit, vt latè ſolutio argumentorum præſtabit. Pro nunc tamen ſic repugnantia declinatur, etenim hic nolumus dicere, quòd Deus poſſit hîc, & nunc in rerum natura, executioni mandare exiſtentiam Chriſti merentis, abſque eo, quòd in rerum natura, & in executione præceſſerit determinata Mater, à qua proceſſurus erat, quia cùm ſit effectus determinatus, à determinato fonte promanare debet; atque adeo cùm productio humanitatis ſit cauſalitas efficiens, debet eſſe exercitium de genere non præſcindentium, atque adeo tendit ad dandum eſſe rei cum omnibus circumſtantiis, quæ in executione comitantur illam, atque adeo tendit in illam, vt pendentem à determinata cauſa, quæ eſt vna ex circunſtantiis, quæ rem in executione indiſpenſabiliùs comitatur: Cum hoc tamen ſtat, quòd poſſit Deus in æterno ſuo decreto, humanitatem hanc ponere præciſam ab aliqua circunſtantia, & conditione, quam eadem res, ex vi alterius decreti, à parte rei habitura erat. Sit tibi exemplum, quod promptè & ſemper es contrectaturus; tam petit res locum determinatum, quem dum extra cauſas ponitur, occupet, quàm determinatum efficiens, à quo determinatè fluere dicatur. Similiter æqualiter depoſcit determinatum tempus, quo res, quæ executioni mandatur, menſuretur, ac petat determinatum principium, quo in rerum natura ponatur. Et cum hoc ſtat, quòd hæc res à loco, tempore determinatis in mente diuina præſcindat, quamuis à parte rei præſcindere non valeat. Ergo ſimiliter eadem res prædiffiniri potuit in mente diuina à determinato principio præciſa, quamuis à parte rei eadem res, à tali principio præſcindere non valeat: Plura enim mente & diuino decreto præſcindi queunt, quæ à parte rei præſcindi nequeunt.

Iam quòd poſſint præuideri merita Chriſti, quin in mente diuina præuideatur principium determinatum Maternum, explico; 48.
quia vt ita præuideri poſſint, ſufficit præuidere principium per ſe talium meritorum elicitiuum, non verò eſt neceſſe, quòd omnia, quæ quoquo modo conducunt ad effectus poſitionem ad extra, præuideantur. Cùm ergo humanitas ſola, ſuppoſito ſolo principio adæquato ſui productiuo, ſit requiſitum per ſe meritorum Chriſti, taliter, quòd illa poſita, & aliis ſemotis, eadem merita Chriſti eſſent, ſiquidem ſiue hæc humanitas cum ſuo adæquato principio productiuo exequeretur dependenter à concurſu generatiuo Matris, ſiue independenter à tali concurſu, eadem ſemper cenſerentur Chriſti merita, fit quòd, vt præuideantur Chriſti merita, quæ in ſe habiturus erat in executione, ſufficit, præuideri in mente Dei humanitatem hanc cum ſuo adæquato principio effectiuo, quin hæc determinata Mater ſupponatur præuiſa.

Iam denique, quòd hæc determinata Mater, 49.
non ſit principium per ſe huius determinatæ humanitatis, ex hac anima rationali, & hac organizata materia coagmentatæ, explico,

con

conſtantem doctrinam eſſe apnd Peripateticos cum ſuo Principe *libro primo de generatione animalium, capite decimo nono in fine, & libro ſecundo, capite quarto*, quem expreſsè ſequutus eſt Diuus Thomas *hic quæſtione vigeſima tertia, articulo quarto*, quemque ſine diſcrimine ſectatur Thnmiſtarum omnium cœtus, vt legi *tractatu ſecundo de generatione, libro primo, diſputatione tertia, dubio quarto.* Parentes diuerſimodè concurrere ad prodnctionem fœtus; Mas actiuè, fœmina ſolùm verò paſſiuè coocurrit ad illius generatiooem, miniſtrando ſcilicet, materiam, & prolem iotra clauſtrum fouendo: atque adeo torum priocipium adæquatum actiuum humanitatis Chriſti, fuit ſolus Deus, qui in ea producenda, noo ſolùm ſe geſſit, vt vniuerſalis, & prima caoſa, ſed vt particularis, ſupplens actiuum genitoris influxum. Hoc dato ad minùs tamquam probabiliſſima doctrina. Oſtendam aſſumptum. Siquidem cùm hæc humanitas actiuè à Maria Sanctiſſima oon pendeat, ſed io hoc genere à ſulo Deo: & à Maria Sanctiſſima tantùm peodeat in ſubminiſtratione materiæ, per principium mareriale coniunctom, potuit Deus, ex vi prioris decreti, præſcindere ab hac dependentia materialis concurſus materni, & nihilominùs præuideri hæc humanitas, vt abſolutè futura; ratio, quia cùm maternus coocurſus omnis actiuitatis effectiuæ ſit expers, & tantùm paſſiuo ſubminiſtrante materiam fungatur monere, taliter, quòd ſolùm inſeruiat hoc, ad fooeodum, & nutriendum fœtum, per principium nutritiuom coniunctum, & aliàs ſolùm requiratur ad præuidendum effectum abſolutè futurum, præuidere illum cum ſuo principio adæquatè actiuo, à quo tantùm dependentiam per ſe obtineat, fit, quòd humanitas Chriſti, vi prioris decreti prædiffinita, præuideri vt abſolutè futura poſſit, quio præuideatur maternus concurſus Mariæ Sanctiſſimæ; atque adeo potuit ex meritis Chriſti, vi prioris decreti præuiſis, hæc fœmina eligi in Matrem eiuſdem Chriſti. Ecce quomodo materna vis non eſt principium per ſe effectiuum homanitatis.

50. Sed ſtatim inſtabis, tametſi materna cauſalitas non deſideretur vt effectiuè influens in humanitatem Chriſti, tamen eſt requiſitum indiſpeoſabiliter per ſe ad hanc numero humaoitatem. Ergo debet præuideri futura aote præuiſionem abſolutam futuritiooís meritorum Chriſti. Ergo conſtituere in Matre ſolum ioſluxum paſſiuum in prolem, nihil iuuat ad præuiſionem humanitatis Chriſti, & eiuſdem meritorum, quia ad qnemcumque effectum debent præuideri omoia ea, quæ quomodocumque ad illius eſſe requiruntur, ſi per ſe, & eſſentialiter requirantur, ſiue paſſiuè, ſiue effectiuè ad illum concurrere iudicentur. Antecedens probo. Hæc numero materia, indiſpenſabili perſeitate cupitur ad hanc numero humanitatem, ſed hæc numero materia Chriſti humanitatis, eſſentialiter dependet ab hoc materno concurſu Mariæ Sanctiſſimæ. Ergo materna cauſalitas, tametſi paſſiua, ſolum tamquam requiſitum per ſe indiſpenſabile ad hnmanitatem deſiderabitur. Patet conſequentia, aliàs Chriſtus poſſet haoc nnmero materiam accipere ab alio, quàm à Maria Sanctiſſima hoc autem repugnat, nam hoc ipſo, quòd ab alio materiam accepiſſet, iam eamdem numero materiam hanc minimè accepiſſet, quam de facto habuit, ſed aliam, oam ſicut quilibet hac determinata materia conſtat, ita noo poteſt alteri aliam materiam commonicare, niſi eam, quam in ſe habet.

Huic occurſui occurrimus ſuprà in limine huins ſectionis. Negandum eſt antecedeos. Ad probationem, nego minorem; etenim decreta hac humanitare, ex hac numero materia conſtante, potuernot caoſæ ſecundæ diſponi, ita vt hanc eamdem numero materiam, quam de facto Chriſti humanitas à Virgine Sanctiſſima ſumpſit, ab alia fœmina acciperet, vel à ſolo Deo, quia potuit hæc eadem numero materia, quæ de facto fuit Mariæ Sanctiſſimæ, fuiſſe alterius, vel nullius, ſed à ſolo Deo hnic animæ rationali vnita; tametſi ergo vnnſqoiſque determinata materia gaudeat, potuit tamen alia oumero materia conſtare, ſi aliter cauſæ ſecundæ fuiſſent diſpoſitæ.

Sectio X.

Argumenta.

VT facilior tibi adſit via obiectionibus Reuereodiſſimorum ootare debes, maximam pari æquiuocatiooem Reuereodiſſimos in accipiendo decreto præciſiuo, quo ſtatuimus, Chriſtum io primo ſigoo fuiſſe prædefinitum, præſciodentem ab hac numero matre: accipiunt enim decreti hoius præciſionem ad hunc ſeoſum, videlicet, quòd, quæ à Deo, voi-eo volontatis actu ſimul decreta ſuot, poſtea voom obiectum eorum prius altero præuidetur; Hoc enim modo, illorum obiectorum neutrum poſſet io alius præmium conferri, nec alterum rationem meriti ſortiri poſſet, quia id meritum eſt, quod mouet voluotatem alterius, vt rem conferat, & decernat in illius præmium, ergo eſt impoſſibile, quòd ſimul, & io eodem rationis ſigno, ambo à Deo præmiante, & ad quem alliciendum dirigitur meritum, prædiffinita ſint. Vode aliter decretum præciſiuom iudico ioſnmendum fore, ita vt non ſolùm cognitiooe, & ſcientia præciſiuum ſit, ſed & voluntate, & iotentiooe, taliter, quòd pro voo ſigno vnum ſit inteotum, & volitum, & aliod in alio, atque adeo ſingula ſigna ſingulis obiectis correſpoodeant, hoc eoim eſt neceſſarium, vt vnum poſſit deceroi in præmium reſpectu alterius. 51.

Explicata iam præciſione, quæ noſtro decreto competere debet, aliquas coodiriones obſeruare renetur, vt noſtro inſtituto ſubſeruire videatur. Prima ergo conditio eſt, vt res, quæ tali decreto correſpoodet, ooo dependeat per ſe, & determinatè ab ea, quæ ab alio de- 52.

eré

creto ſubſequuto eſt decernenda. Ratio, aliàs minimè poſſent duo decreta aſſignari ad decernendum earum exiſtentias, ſed vnum ſufficeret pro illis; imò eſſet neceſſarium vnum tantùm proponere, ratio; quia res vna vt eſſentialiter, & per ſe ab alia dependeat, debet eſſe volita hæc ſimul cum illa ex vi decreti, quo primò eius exiſtentia eſt prædefinita, quia non poteſt aliquid præuideri, vt determinatè futurum, niſi ſuppoſitis principiis, ex quibus per ſe determinatè pendeat in ratione futuri: atque adeo hoc decretum præciſiuum petit, quòd res, quæ vi illius prædefinitur, ſit talis, quòd poſſit executioni mandari abſque alia determinata, & in particulari, tametſi nequeat ſic extra cauſas poni, ſine aliqua vage & indeterminatè ſumpta, quarum quælibet alteri, in munere producendi, æquiualeat. In promptu eſt aptum exemplum. In ſententia communi tam apud diſcipulos Sancti Thomæ, quàm apud cæteros vt *tractatu de merito Chriſti* conſpiciemus. Incarnatio hîc & nunc eſt volita, decreto præciſiuo à circunſtantiis loci & temporis. Rurſum: ſic volita potuit extra cauſas poni, abſque hac vel illa loci, vel temporis determinata circunſtantia, licèt ſine aliqua earum vagè, & indeterminatè ſumpta executioni mandari nequeat.

53. Altera conditio, ab hoc præciſiuo decreto obſeruanda, ſe tenet ex parte obiecti præciſiuè attacti, nempe quòd taliter diſtinguatur ab altero obiecto, quod poſteriori decreto prædiffiniendum eſt, quòd ſit ab illo realiter ſeparabile, ita vt, eo pereunte, ſubrogare poſſit in munere, ratio; quia, vt ſupponimus, debet eſſe tale, quòd ſine illo poſſit eadem res primo decreto volita, extra cauſas quoad ſubſtantiam integrè, & perfectè collocari: aliter enim ſi tantùm per rationem diſtingueretur ab illo, non poſſit cenſeri præmium illius rei, quæ vi prioris decreti præuiſa eſt abſolutè futura, ratio, quia tunc merenti aliquid eſt præmium, quando ex vi illius aliquid de nouo habet, quod antecedenter non poſſidebat. Atqui caſu, quo id, quod datur vt præmium, eſſet identificatum cum eo, quod eſt principium meriti, neceſſariò ſupponeretur datum cum illo. Ergo non haberet poſtea merens propter ſuum meritum aliquid, quod antecedenter ad præmium non obtinuiſſet. Ergo id, quod decreto præciſiuo decernitur, taliter debet diſtingui ab obiecto, poſteriori decreto correſpondenti, vt, attentis eorum naturis, ab eo ſit realiter ſeparabile.

54. Ex his alia ſequitur conditio huius decreti præciſiui, etiam ex parte obiecti ſibi correſpondentis efflagitata. Nempe vt ipſa res, quæ tali decreto prædefinitur, ſit ex vi eiuſdem decreti eadem immutata quoad ſubſtantiam, ſecundùm quam eſt vi talis decreti prædeterminata, vt extra cauſas ponatur. Etenim licèt aliud conſtituamus decretum ſubſequens ex illo ſequutum, & pernéceſſarium ad exiſtentiam talia obiecti, tamen hoc rem non variat, quia de ſubſtantia eius non curat, de circunſtantiis ſolùm recitat, & quia hæ ſunt neceſſariæ, vt res ipſa à cauſis in executione educatur, ſit, quòd mediatè ſubſtantiam rei pertingat, verùm illam non mutat, quia ſupponitur hæc prædeterminata ex vi prioris decreti iſtius ſolùm circunſtantias præfigentis, quod extitit prima radix: imò per ſubſequens decretum nequit ſubſtantia rei eſſe mutationi obnoxia, quia cùm præceſſerit ab alio antecedenti efficaciter decreta, aliud decretum nequit, quod prædiffinitum efficaciter ſupponit, mutare, ſed (liceat ſic loqui) obſequi efficaciæ decreti antecedentis, & executioni mandare id, quod prædiffiniuit exequi antecedens decretum.

Quarta conditio, quam maximè cuſtodire debet decretum præciſiuum eſt, vt ſimul cum re, quam prædefinit, decernere debeat ea omnia principia, à quibus talis res reſpectu illius effectus, ad quem præordinata eſt futura, dependentiam per ſe habet. Ratio eſt clara, quia implicat, in quocumque ſtatu, ſub quo res aliqua collocetur, illam eſſe, aut videri abſque principiis, & cauſis, à quibus vt talis eſſentialiter, & per ſe perſeitate indiſpenſabili dependere dicitur. Cum hoc tamen ſtat, quòd ex vi illius decreti, quo res prædefinitur, prædefiniri non debeant ea principia, à quibus res illa eſſentialiter & irrefragabili perſeitate in ſuo eſſe, vel in ordine ad effectum, ad quem prædiffinitur futura, minimè dependere dicitur. Ratio eſt deſumpta ex obſeruatione decreti præciſiui, hoc enim ideo tale, quia aliquid connexum cum re, quam decernit, præſcindit, & ſeparat, at præſcindere à re ipſa, quam tangit, non poteſt, nec à principiis à quibus illa eſſentiali, & ineuitabili perſeitate dependet, vt de ſe patet. Ergo à principiis, à quibus, vt determinatè ſumptis talem dependentiam non habet. Rurſum, quia quid vetat præſcindere à ſimilibus principiis, cùm eiſdem præciſis pro illo ſigno, dantur requiſita per ſe ad illud eſſe quod in re ipſa decreta per ſe ſupponitur, vt principium futuri effectus. Ergo eiſdem præciſis poteſt totum id, quod ad huiuſmodi futurum requiritur videri. Ergo ex vi illius primi decreti, non neceſſariò debent ſimul cum illa re decerni ea allegata principia, cùm vt ſupponimus abſque illis poſſit prædicta res, vt principium talis effectus futuri præuideri. 55.

His notatis percurrere debemus has quatuor conditiones, ſcrutantes, an ſeruatæ fuerint in decreto noſtro præciſiuo, quod defendimus à Deo habitum in primo ſigno rationis de Chriſto, & eius meritis, antequam illi hanc Virginem, propter ipſius merita, in Matrem præeligeret. Primam ergo ſeruauit conditionem. Hoc ex dictis *ſectione nona* in explicatione modi huius patet, quodque proſequor, etenim hæc humanitas, in hoc ſigno decreta, non dependebat quoad eius ſubſtantiam à concurſu Materno, & minùs ab hoc indiuiduo matris concurſu, quia vt ibi annotauimus, hæc eadem numero humanitas, quoad omnem eius ſubſtantiam, tam huius rationalis animi quàm huius corporis, & vnionis has partes copulantis, potuiſſent eſſe à Deo, omni alio materno concurſu remoto, quia cùm concurſus maternus actiuus non ſit, ſed paſſi- 56.

nua

bus tantùm materiam ſubminiſtrans, Fœtumque per intrinſecam coniunctionem fouens, potuit, nulla adſtante intrinſeca mutatione ſubſtantiæ, hæc eadem humanitas à Deo extra cauſas collocari, independenter ab omni concurſu materno. Ex hoc inferes, huic decreto ſecundam conditionem ex parte obiectorum poſtulatam competiuiſſe, cùm notum ſit, humanitatem hanc eſſe realiter diſtinctam à materno concurſu, & nullo modo eſſentialiter connexam, atque adeo ab illo ſeparabilem, & conſequenter compotem illam ab vno decreto prædefiniri, quin ſimul hic cum illa decernatur, & ſic præuiſa humanitate ex vi primi decreti, poſtea ab alio decreto prædiffiniri.

57. Seruatis his à decreto, tertiam cuſtodiri eſt neceſſe. Etenim ſuppoſito, quòd humanitas hæc non dependeat à Matre medio concurſu actiuo, ſed paſſiuo, non connectitur eius indiuidua, & numerica portio cum cauſalitate Matris, eo ipſo quòd tali connexione destituatur, potuit in rerum natura poni eadem inuariata, ſiue ad illam Mater, ſiue Deus, aliudue agens concurſum præſtiterit. Si verò influxum actiuum Mater in humanitatem exercuerit, non poterat futura præuideri hæc numero humanitas, illo concurſu materno ceſſante, eumdem diuino ſupplente, atque adeo tunc non potuiſſet Deus illam eamdem humanitatem, poſtea vi poſterioris decreti, dependenter à concurſu actiuo Mariæ Sanctiſſimæ extra cauſas ponere, abſque mutatione prioris decreti. Ratio, nam vi prioris decreti debuiſſet Deus hanc humanitatem exiſtentem præuidere, vt ſupponimus, aliàs non poſſet intuitu meritorum præuiſorum moueri Deus ad decernendum hanc matrem, vi poſterioris decreti in ſecundo ſigno. At non potuiſſet Deus illam humanitatem exiſtentem præuideri in hypotheſi, quòd Mater influxum actiuum præſtaret in humanitatem: quia hæc non poteſt exiſtentiam habere niſi dependenter à principio adæquato actiuo. Ergo vi poſterioris decreti, quo eamdem humanitatem decreuiſſet dare humanitati exiſtentiam, dependenter à concurſu generatiuo Matris, debuiſſet priorem concurſum adæquatum, quo eadem humanitas decreta fuit vi prioris decreti, mutare in alium concurſum partialem, & inadæquatum, cum quo illa humanitas ſimul producta fuiſſet dependenter à Maria Sanctiſſima. Ergo in hypotheſi, quòd Mater influxum actiuum præſtitiſſet in humanitatem, ſublato hoc concurſu, eadem humanitas non produceretur.

58. Vltima conditio ſuprà præfixa, huic noſtro decreto præciſiuo conuenit; etenim omnia ea, quæ indiſpenſabili nexu, tamquam principia per ſe, cum humanitate hac copulantur, ex vi prioris decreti, quo illa fuit prædiffinita, ſimul decreta fuere. Hæc non alia recenſeo, quàm hanc numero animam rationalem, hanc numero materiam organizatam, hanc numero vnionem, iſtas partes ſubſtantialiter annectentem, & Deum, qui eſt adæquatum principium actiuum horum omnium. Ex quibus liquidò conſtat, potuiſſe hanc numero fœminam eligi in Chriſti Matrem, propter merita ipſius Chriſti, vt prioris decreti præuiſa vt abſolutè futura, cùm in illo priori omnia principia ad merita Chriſti neceſſariò requiſita præuideantur in illo decreto prædefinita, & à quibus merita Chriſti quoad ſubſtantiam dependebant, nulla mentione facta de concurſu materno, ſolùm paſſiuè ad humanitatem concurrente.

His prænotatis, quæ mirabiliter ſubiecit 59.
Priſcus ille apud Pariſienſes celeberrimus Doctor Algalecius in commentariis ad Magiſt. ſentent. *in* 3. quem tandem Amicus ſectatur, à quibus, paucis additis, hanc doctrinam mutuatus fui. His inquam prænotatis obuiam facillimè ibis argumentis contra hunc modum dicendi conſtructis. Argues igitur primò cum Reuerendiſſimis; implicat adhuc pro primo inſtanti conceptionis Chriſtus præuideri exiſtens, præſcindendo ab vtero Matris. Ergo decretum noſtrum præciſiuum de Chriſti exiſtentia independenter à Maria Sanctiſſima non poteſt ſubſiſtere. Antecedens probat Lugus, nam priùs natura, quàm anima infundatur, & vniatur corpori, ſupponitur corpus debitè organizatum & aptum ad recipiendum animam; vna autem ex diſpoſitionibus debitis ex parte corporis, eſt, quòd ſit ita connexum Matri, vt poſſit accipere alimentum ad hoc, vt poſſit nutriri, nec fieret naturaliter illa generatio, vel animatio, quando corpus non ſupponeretur taliter locatum intra vterum; ſicut nec fieret naturaliter animatio illa, quando corpus non ſupponeretur cum ventriculo, iecore, & aliis diſpoſitionibus ad nutritionem: non enim minùs requiritur ad hanc, coniunctio illa Fœtus cum Matre, quàm ventriculus, & iecur. Ergo ſicut pro illo priori ante vnionem corporis cum anima, debuit iam illud corpus ſupponi organizatum, ita debuit præuideri coniunctum debitè cum Matre, per illud naturale ligamen, quod tunc pertinet ad illius quaſi debitam organizationem. Ergo non potuit à Deo præuideri Chriſtus in illo primo inſtanti naturaliter exiſtens, prout re vera poſtea in tempore naturaliter extitit, quin videretur eius corpuſculum coniunctum debitè cum Matre, medio illo naturali ligamine, quale cæteri pueri habent. Ergo adhuc in illo primo inſtanti non potuit præuideri exiſtens, & mereos, præſcindendo ab vtero Matris, in quo eſſet, atque adeo non potuit ex merito maternitatem Mariæ Sanctiſſimæ promereri.

Hoc argumentum ex ipſa explicatione ter- 60.
minorum ſoluitur, antecedens nego. Ad probationem diſtinguo, debet ſupponi corpus organizatum dependenter ab vtero, medio concurſu effectiuo per ſe, nego, medio concurſu paſſiuo, concedo. Itaque concedo ſingula, quæ de neceſſitate ligaminis fœtus cum vtero Matris narrat argumentum, & nego conſequentias exinde illatas. Quia tametſi hìc & nunc dependenter ab his humanitas hæc Chriſti in rerum natura ponatur, tamen quia hæc dependentia ab illis non erat, tamquam à principio effectiuo per ſe, perſeitate indiſpenſabili, cùm tota illa etiam numerica humanitas

poſſet

poſſet ſine illis à parte rei extra cauſas collocari, fit, quòd pro illo priori poſſit præuideri exiſtens, præſcindendo ab illis.

61. Aliter hæc obiectio ſub alia forma adſtruitur, hæc humanitas ſupponebat hanc vnionem inter corpus, & animam. Sed ad hanc vnionem concurrit Maria Sanctiſſima medio concurſu generatiuo. Ergo non poterat hæc humanitas præuideri ante maternum concurſum generatiuum Mariæ Sanctiſſimæ. Huic formæ obiectionis eadem materia ſolutionis præcedentis correſpondet. Concede maiorem, & minorem diſtingue. Ad hanc vnionem concurrit Maria Sanctiſſima vt principium actiuum, nego. Vt paſſiuum, concedo. Et nega conſequentiam. Nec decipiaris per ly *paſſiuum* principium vnionis intelligendum eſſe principium inhæſiuum, quia hoc reſpectu vnionis, ſolùm eſt anima, & corpus, quæ viciſſim copulantur per vnionem ipſam in illis receptam, ſed ad hunc ſenſum, quòd Maria Sanctiſſima ſit principium paſſiuum ſubminiſtratiuum materiæ.

62. Secundò arguit nouiter, & fortiùs *vt ſibi* Videtur Recens quidam, tametſi in primo generationis inſtanti Chriſtus nullo modo dependeat à Maria Sanctiſſima, tamen poſt illud inſtans Chriſtus naturaliter non conſeruaretur, niſi cùm Maria Sanctiſſima in vtero foueret. Ergo conſeruatio Chriſti dependet ex eo, quòd illum Virgo Sanctiſſima in vtero fouerit; tametſi hoc non fiat medio concurſu effectiuo immediatè in ipſam Chriſti ſubſtantiam, ſed per productionem caloris, & ſubminiſtrationem alimenti, necnon per remotionem impedimentorum contrariorum, quibus tenerrima illa ſubſtantia naturaliter erat corrumpenda, ſi aliàs non coërcerentur per illius geſtationem in vtero. Ergo ad omnia merita, quæ ſunt poſt primum inſtans generationis, ſupponitur Mariæ Sanctiſſimæ maternitas, ſeu geſtatio Sacratiſſimi Fœtus in vtero Mariæ Sanctiſſimæ in qua ſecundum ſententiam noſtram conſiſtit maternitas. Ergo omnia illa merita Chriſti, quæ fuerunt poſt primum inſtans generationis, non potuerunt eſſe principium maternitatis; aſſerere autem Chriſtum tantùm promeruiſſe ex his parentibus procedere, & auxilia, quæ in omnibus progenitoribus ſupponuntur ad honeſtos concubitus, per quos Maria Sanctiſſima à primo proceſſit parente per actus elicitos in primo generationis inſtanti, & non per alios tempore paſſionis elicitos, nimis durum videtur. Ergo ſignum eſt, hunc modum dicendi ſic à nobis compoſitum, nullo modo eſſe ſuſtinendum; falſitas verò ſequelæ oſtenditur à Lugo ex illo Pauli *ad Hebræos* 10. *Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.*

63. Ante ſolutionem aduerto, impugnationem hanc Lugi ex Paulo decerptam, non eſſe ſolidam in ſua ſententia, etenim in hac Chriſtum per mortem acceptatam promeruiſſe auxilia ad peccata vitanda crucifigentium, non præuiſis illorum actionibus, nec meritis, quæ illas ſupponunt, quod meritum dixerat Lugo conſummari per Chriſti mortem, quia illam reſpiciebat, vt obiectum, ſicut meritum teſtatoris, qui iubet eleemoſynas diſtribui, conſummatur per elargitionem poſtea ab hæredibus factam. Sic poteramus illi occurrere. Chriſtum in primo ſuæ conceptionis inſtanti acceptaſſe mortem, & ita meritum illius inſtantis morte ipſa conſummari.

Sed relictis his, reſpondeo, argumentum hoc lucem accepturum ex his, quæ Scripturi ſumus in aliis ſtatim proponendis, interim tamen reſpondeo, arguentem exiſtimaſſe noſtram ſententiam defendere Chriſtum ex vi primi decreti ſolùm intendi exiſtentem pro primo conceptionis inſtanti independenter à materno concurſu, & deinceps ipſum præuideri exiſtentem dependenter à prædicto influxu Matris. Non enim hæc ita exiſtimamus, ſed aſſerimus duo. Primum, Chriſtum tam in primo conceptionis inſtanti, quàm deinceps, dependere à Materno concurſu. Secundum, Chriſtum non obſtante hac dependentia à Matre, in executione præuideri à Deo ex vi primi decreti independenter ab influxu Matris Sanctiſſimæ, cuius latè deduximus rationem, quia Materna cauſalitas non eſt actiua per ſe humanitatis, atque adeo in illo primo ſigno poteſt hæc præciſiuè ſine illa decerni. Atque adeo cùm tam in primo conceptionis inſtanti, quàm deinde præuideantur Chriſti merita abſolutè futura, præſcindendo à dependentia vteri materni, fit, quòd Chriſtus nedum dicatur, promeruiſſe Mariæ Sanctiſſimæ maternitatem per actus elicitos in primo conceptionis inſtanti, verùm per actus poſtea tempore agoniæ, & paſſionis productos. Ad illud autem, quòd addit, ideo Chriſtum conſeruari, quia dependebat à Maria Sanctiſſima media geſtatione in eius vtero, infrà redibit ſermo.

Argues tertiò, merita Chriſti præuiſa in æternitate futura, ſupponebant in eadem æternitate efficaciter decreta omnia principia, à quibus futura erant, in tempore dependentia. Sed inter alia principia, à quibus merita Chriſti futura erant dependentia in tempore, erat Mater. Ergo non potuerunt merita Chriſti in æternitate præuideri ante maternum eius concurſum. Maior eſt certa, nam non alia merita fuerunt in æternitate præuiſa, quàm quæ de facto fuerant futura. 64

Reſpondeo diſtinguens maiorem, Chriſti præuiſa in æternitate futura, ſupponebant in eadem æternitate efficaciter omnia principia decreta, à quibus erant futura in tempore dependentia per ſe, concedo, dependentia tantùm concomitanter, nego minorem. Principium enim generatiuum maternum eſt concomitans, non per ſe, vt ſæpe monui. Ad probationem maioris dico, non alia fuiſſe Chriſti merita in æternitate præuiſa, & in tempore, exiſtentia quoad illorum ſubſtantiam, fuiſſe tamen alia quoad circumſtantias; ratio, nam vt in æternitate præuiſa, ſolùm principia per ſe ſupponebant, vt tamen in tempore exiſtentia, nedum principia per ſe, verùm & concomitantia ſupponebant.

Sed inſtabis. Ergo principium meritum concomitans poterit ſub meritum cadere. Ergo

pri

primum auxilium gratiæ poterit ſub meritum cadere. Pone caſum, in quo primum auxilium gratiæ ſit principium concomitans meritum. Sed hoc eſt contra PP. contrarium expreſsè ſentientes aduersùs Pelagianum errorem, & reliquias eius, qui nulla mentione facta de gratia, quæ ſit principium per ſe, vel concomitans meritum, abſolutè negant auxilium primum gratiæ ſub meritum cadere poſſe. Illatio abſurdi huius probatur. Ereoim pone ſeriem eorum, quæ ad meritum fidei cupiuntur. Primùm, incipit prima apprehenſio credibilitatis myſteriorum, poſtea iudicium de eadem credibilitate ex eadem ſequutum. Rurſum ex hoc naſcitur pia credendi affectio, ex bac oritur voluntas impetans fidei aſſenſum, & tandem ex boc actus fidei elicitur. Ergo poſſet prima apprehenſio myſteriorum fidei, ex qua incipit auxilium primum interioris gratiæ, dari io præmium ipſius aſſenſus.

Hæc replica à quouis in ſerie requiſitorum ad actum fidei verſato fiet ſatis apertè. Aliud eoim eſt, apprehenſionem credibilitatis myſterij eſſe requiſitum remotum ad aſſenſum fidei, & aliud eſſe illius ſolum principium concomitans. Primum eſt verom, & ſecundum falſum. Explico, apprehenſio prima ſupponitur, vt proponens obiectum credibile propter authoritatem Dei dicentis, quæ propoſitio tam per ſe requisitur ad aſſenſum fidei, quàm vt ex illo naſcatur iudiciū de eadem credibilitate proximius in aſſensú fidei influens. Vnde iudicium de credibilitate, & iudicium practicum de ipſo actu fidei eliciendo, ſunt principia proxima per ſe aſſenſus fidei, apprehenſio autem credibilitatis myſteriorum, principium per ſe remotum ad illum; neutrum tamen illum coocomitans.

65. Rurſum argues iuxta hunc modum dicendi dare Chriſto hanc matrem in præmium meritorum ipſius, uoo eſt Chriſto conferre aliqnid de nouo, quod ipſe antecedenter oon haberet. Ergo iuxta hunc modum dicendi, nec ſaluatur Chriſtum ſibi matrem meruiſſe, nec matris collationem potuiſſe rationem præmij reſpectu Chriſti ſortiri. Conſequentia eſt clara, quia omne meritum poſtulat pro præmio aliquid aliud, præter id, quod merens iam cenſetur habere; ſicut enim non bene præmiaretur merens, ſi computaretur illi pro præmio idem actus bonus, quo meretur, ita vt virtus eſſet illi tota merces, tunc enim nihil ipſi retribueretur pro præmio, ſic nec præmiaretur bene, ſi computaretur pro præmio aliquid, quod in ipſo exercitio boni operis iam intelligeretur in merente habitum. Ergo ſi dare Chriſto hanc matrem, iuxta noſtrum modum dicendi, nihil de nouo illi conferretur, quod antecedenter non haberet, optimè ſequitur iuxta noſtra principia, nec ſaluari in Chriſto rationem merentis maternitatem M. SS. nec huius collationem in matrem Chriſti fuiſſe ipſi Chriſto præmium. Antecedens primum probatur: nam iuxta honc modum dicendi dare Chriſto hanc matrem in præmium ſuorum meritorum, & dare illi aliquid, quod ſaltem ſub diſiunctione ante præmium fuit Chriſtus præuiſus habiturus. Ergo quando illi in præmium præuiſſorum operum data eſt hæc mater, non eſt datum aliquid, quod ſaltem ſub diſiunctione Chriſtus antè præmium non erat præuiſus habiturus. Antecedens probo: nam iuxta hunc dicendi modum hæc eſt vera: ideo fuit Chriſto in præmium hæc mater prædeſtinata, quia Chriſtus fuit præuiſus bene operatus, ſiue genitus ab hac matre, ſiue ab alia. Ergo iuxta hunc dicendi modum dare Chriſto hanc matrem in præmium ſuorum meritorum, eſt dare illi aliquid, quod ſaltem ſub diſiunctione ante præmium fuit Chriſtus præuiſus habiturus.

Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem, nego antecedens, & ſic tota vis obiectionis exhauritùr. Itaque in noſtro modo dicendi falſam debere eſſe hanc, ideo datam fuiſſe hanc matrem, quia dependenter ab illa ſub diſiunctione præuiſus fuerat rectè operaturus, imo ſi principium, ſupra quod erectus eſt hic dicendi modus attentè inſpiciatur, comperies contrariam propoſitionem eſſe veram, ſcilicet, ideo vi poſterioris decreti præordinatam fuiſſe hanc Matrem, quia vt prioris decreti fuit Chriſtus præuiſus ſanctè operaturus independenter ab omni concurſu generatino Matris.

66. Sed vt iſta penitiùs intelligantur, neceſſarium exiſtimaui duplex genus concomitantis principij explicare. Aliud eſt talis conditionis, & ita cum re decreta connexum, vt nequeat extra cauſas poni ab illo præciſa; atque adeo executioni mandari non poſſit ſine aliquo ſaltem huiuſmodi principio indeterminatè. Alterum eſt, à quo poteſt res ipſa decreta à parte rei collata præſcindere, ita vt ſine illo propriè extra omnes ſuas cauſas poni. Iam maternum principium non eſſe illius, ſed iſtius generis ſatis comprobatum reliuquimus, etenim potuit hæc numero humanitas abſque vllo principio materno generatiuo in rerum natura poni, vi ſolius concurſus Dei creatiui, à quo hîc & nunc totaliter effectiuè pendet in ſuo eſſe, iuxta principia ſtatuta ex D.Th. Matri concurſum paſſiuum in fœtum conducente. Ex quo ſequitur, quòd hæc eadem humanitas poſſit in rerum natura exiſtentiam habere ex vi ſolius concurſus Dei creatiui omnino inuariati; ſiquidem tunc nihil illi humanitati deficeret, ſine quo non potuiſſet à parte rei exiſtere eo prorſus modo, quo fuit hîc & nunc prædeſtinata ex vi prioris decreti: quia ſi aliquis concurſus deeſſet, maximè paſſiuus matris, qui eſt materiæ ſolùm ſubminiſtratiuus humanitati. Sed hæc omnia numericè, nempe, banc materiam, & hanc organizationem hæc humanitas habuiſſet vi ſolius creatiui concurſus. Ergo nihil deeſſet huic humanitati, defectu cuius non potuiſſet à parte rei exiſtere ſecundùm ea tantùm principia, cum quibus ſuit vi ſolius prioris decreti hîc & nunc prædiffinita. Aliter tamen eſt paraturus diſcurſum; quando principium concomitans eſt ex genere connexorum indiſpenſabiliter cum re decreta, vt exequenda, qualiter recenſentur coexiſtentia ad tempus, præſentia ad locum, & ſubſiſtentia, tunc enim verum eſt ſaltem in ſenſu condiционali, ideo tale principium datur in præmium Chriſto, quia præuiſus eſt ſaltem ſub diſiunctione cum quolibet bene operaturus.

Sed inſtabis. Ergo in hac hypotheſi aliquid 67.

daretur Chriſto, quod antecedenter bumanitas ipſa haberet vi ſuorum meritorum præciſè. Reſpondeo negans conſequentiam, etenim hæc bnmanitas præciſè ex vi ſuorum meritorum, ſi præuiſa fuiſſet cum ſola gratia habituali operatura, non exegiſſet ſubſiſtentiam increatam. Ergo quòd illi propter merita ex ſola gratia habituali profecta communicata fuiſſet increata ſubſiſtentia, fuiſſet illi donatum aliquid, qnod vi ſuorum meritorum præciſè non habuiſſet. Ratio, quia quotieſcunque ſunt plura principia comitantia, cum quorum ſingulis præuidetur natura bene operatura, tunc ſi ex eis datur præſtantius, & nobilius, quod ſaltem vi meritorum determinatè non debetur, datur aliquid, quod merens ipſe vi ſuorum meritorum præciſè non haberet. Ponamus familiare exemplum. Vt ſi ciui babeoti ius ad bona reipublicæ detur aliquod bonum excellens, ad quod determinatè ius non habebat, datur aliquid, quod vi meritorum præciſè talis ciuis non habuiſſet. Iſta non ſic currunt in caſu, quo principia concomitantia, cum quorum ſingulis præuidetur natura bene operatura, ſint omnino æqualia, nullum alterum in bonitate reſpectu naturæ excedens, vt patet in præſentiis phyſicis, & coexiſtentia ad tempus ſecundùm ſe ſumpta: etenim cùm aliquid illorum datur, dandum aliud ſi iſtud denegetur, non conferatur aliquid melius perfectiuſve, fit, perinde ſe habere naturam cum aliquo illorum determinatè, ac cum quolibet ſub diſiunctione tantùm præſtito. et

68. Sed inſtabis, diſparem eſſe rationem int cinem habentem ius ad bona reipublicæ, & humanitatem Chriſti præuiſam abſolutè operaturam dependenter ſub diſiunctione ab hac vel illa ſubſiſtentia, etenim ciuis ſupponitur cum iure tantùm confuſo ad bona reipublicæ, at humanitas Chriſti non potuit præuideri abſolutè operatura cum iure tantùm confuſo, & in communi ad ſubſiſtentiam, ſed cum hac vel illa ſubſiſtentia determinata, ſiquidem nihil poteſt præuideri exiſtens determinatè, qualiter ſic debet præuideri natura, vt abſolutè operatura, niſi cum determinato principio exiſtendi; atque adeo id, quod ciuis accipit, eſt diſtinctum ab eo, qnod habebat antea ratione iuris inconfuſo; at verò quòd humanitas Chriſti accipit, non eſt diuerſum ab eo, quòd vi prioris decreti habebat. etenim vi prioris decreti, vi cuius fuit præuiſa abſolutè operatura, habere debebat hanc vel illam determinatam ſubſiſtentiam, vt poſſit præuideri determinatè exiſtens.

Reſpondeo hanc diſparitatem non conſiſtere, quia certum eſt, ſubſiſtentiam, iuxta aſſerta S. Thom. non eſſe principium per ſe operum naturæ, ſed tantùm principium merè concomitans, atque adeo, vt præuideri poſſet Chriſti humanitas operatura, non fuit neceſſe, præuideri illam cum hac vel illa determinata ſubſiſtentia, ſed ſolùm cum iure ad aliquam indeterminatè ſubſiſtentiam, ſiquidem idipſum præuideri debet, vt natura præuideatur operatura, ac vt præuideatur exiſtens, ad hoc autem ſolùm requiritur præuideri illam cum exiſtentia determinata, non verò cum determinata ſubſiſtentia. Hoc dico caſu, quo exiſtentia ab eſſentia actuali indiſtincta realiter ſit. Vnde in eo caſu diceretur humanitati communicata ſubſiſtentia increata propter merita, quia hæc humanitas præuiſa fuiſſet cum qualibet ſubſiſtentia ſub diſiunctione operatura, non quia præuiſa fuerit abſolutè operatura cum hac vel illa ſubſiſtentia abſolutè decreta, ſicut præuiſa eſſet cum exiſtentia, ſed quia præuiſa fuiſſet abſolutè operatura ſub quauis ſubſiſtentia præuiſa tantum ſub conditione, non autem abſolutè futura, vnde potuiſſet bæc humanitas vi prioris decreti præuideri abſolutè exiſtens, abſolutèque prometitura, non tamen abſolutè, ſed ſub conditione dumtaxat ſubſiſtens in hac, vel illa ſubſiſtentia. Ratio huius colligi poteſt ex doctrina à pluribus communiter admiſſa, nempe quòd licèt implicet videri meritum abſolutè futurum abſque principio per ſe ad meritum requiſito, vt abſolutè decreto, qualem cenſent exiſtentiam eſſe, non tamen implicat videri meritum abſolutè futurum abſque principio concomitanter tantùm ad meritum requiſito abſolutè volito, ſed tantùm ſub conditione præuiſo. Hæc dixi in hypotheſi, quòd eſſentia & exiſtentia realiter identificentur, quòd ſi diſtinguantur, vt fert communis Thomiſtarum opinio, cùm iuxta illam, ſubſiſtentia præcedat in natura ante exiſtentiam, fit, non poſſe præuideri naturam cum hac vel illa exiſtentia determinata, & abſolutè decretam, & ſolùm cum ſubſiſtentia ſub conditione præuiſam. 69.

Sed quidquid ſit de veritate opinionum, poteris inſtare ex doctrina ibi probabiliter admiſſa, quia illud ipſum potuimus affirmare de principio per ſe, quando ſcilicet ab illo pendet determinatè natura: atque adeo cùm hæc humanitas non pendet eſſentialiter determinatè à Deo, ſed produci poſſet concurrente cauſa ſecunda, poſſet hæc humanitas præuideri abſolutè exiſtens, & abſolutè prometitura abſque principio effectiuo abſolutè volito, ſed ſufficeret illud tantùm ſub conditione præuidere, & conſequenter poſſet principium per ſe ſaltem remotum merendi, in præmium eiuſdem meriti conferri.

Reſpondeo ex ipſa natura præciſiui decreti, etenim, vt vidimus, id quod à tali decreto determinatur, debet poſſe exequutioni mandari abſque mutatione ſui eſſe ſubſtantiali; impoſſibile autem eſt, ſi variatur principium per ſe effectiuum alicuius effectus, quòd iſte exequatur abſque mutatione ſubſtantiali ſui eſſe, quia nequit ſaltem ſine mutatione alicuius actionis, ſine qua præuideri non potuit, vt abſolutè exiſtens, extra ſuas cauſas à parte rei educi, atque adeo non per eamdem actionem, qua res decreta eſſet vi decreti præciſiui, ſed per aliam executioni eſſet mandanda, ſicque Deus mutaſſet in ſecundo decreto executiuo, quod in primo definiuiſſet. Ex his colliges diſparitatem eius, quod in inſtantia, adducitur, etenim cùm principium per ſe, ſiue proximum, ſiue remotum influat eſſe in effectum, & ſine determinato eſſe nequeat præuideri effectus, nullo modo poteſt meritum ſine principio per ſe, etiamſi hoc ſit remotum, abſolutè volito præuideri. Quomodo ergo poteſt meritum præuideri abſolutè exiſtens, niſi principium eius, à quo per ſe ſuam

exi

exiſtentiam mutuatam accipit, præuideatur ſimul exiſtens: ſicut nec ipſum principium meriti poteſt exiſtens abſolutè videri, niſi ex vi principij actiui efficaciter prædefiniti, à quo ipſum proximum principium meriti, ſuam quoque exiſteutiam abſolutam emendicat. Contrarium autem licet diſcurrere de principio tantùm concomitante meritum, ob contrariam rationem millies præſtitam.

70. Argues vlteriùs, ex noſtro modo dicendi ſequitur, M.SS. oon fuiſſe redemptam à Chriſto, vt à filio formaliter illius, ſed vt à filio materialiter, & ſpecificatiuè, ſeu concomitanter. Sequelam probo, quia eadem Chriſti merita, quæ fuerunt cauſa electionis M.SS. in ſui matrem, fuerunt etiam cauſa redemptionis eiuſdem SS. M. ſed merita, quæ fuerunt cauſa electionis M.SS. vt eſſet eius marer, non fuerunt à Chriſto vt à filio M.SS. iuxta hunc dicendi modum. Ergo nec merita quæ fuerunt cauſa redemptionis M.SS. fuerunt à Chriſto vt à filio M.SS. iuxta noſtram ſententiam; maior conſtar, quia per eadem merita Chriſtus meruit diuinam maternitatem, & redemptionem M.SS. minor probatur, quia merita, quæ fuerunt cauſa electionis M.SS. in matrem, ſicut nec in M.SS. ſupponebant maternitatem Chriſti, ita nec in Chriſto filiationem M.SS. aliàs ſuppoſuiſſent iam prædefinitum id, quod merita ipſa obtinere debuiſſent, vt prædeſtinaretur.

Reſpondeo negans ſequelam, ad probationem dico, quòd licèt Deus, vt eligeret M.SS. in Matrem Chriſti, uon potuerit reſpicere ad merita Chriſti, vt filij eiuſdem, quia ſecundùm hanc circunſtantiam, merita Chriſti ſupponebant M.SS. iam electam in Chriſti matrem, cum hoc ſtat, quòd potuiſſet Deus reſpicere ad merita Chriſti, vt filij M. SS. vt eam redimeret, quia ſecundùm hanc circuoſtantiam merita Chriſti non ſupponebant neceſſariò in decreto diuino M.SS. redemptam, & quòd decretum de maternitare non neceſſariò ſupponebat decretum de redemptione; atque adeo potuerunt merita Chriſti præuiſa, vi prioris decreti eſſe cauſa maternitatis M. SS. nondum autem redemptionis eius, cuius tamen cauſa fuerunt, vt præuiſa vi poſterioris decreti, vi cuius Chriſti merita fuerunt præuiſa cum hac peculiari circunſtautia, vt dependentia à M. SS. vt matre eiuſdem Chriſti. Vnde hoc totum ipſa ſeries decretorum à nobis præfixa optimè expendit. In primo decreto præuiſus eſt Chriſtus præciſiuè à filiatione M.SS. quia in tali decreto præuidetur exiſtens præciſiuè à concurſu M. SS. quia vt vidimus decretum hoc agit formaliter, & expreſsè de eo, quod illi formaliter, vt præciſiuo, correſpondet; id autem eſt humanitatis ſubſtantia, vt pendens tanquam à principio per ſe, adæquatè productiuo à concurſu diuino creatiuo, non tamen fit ibi commemoratio de circunſtanciis huius ſubſtantiæ, cùm autem inter circuuſtantias concomitantes ſit cauſalitas fœminæ, & ſine illa maternitas non conſiſtat, fit, quòd in primo decreto non agatur de M. SS. formaliter, vt Matre, atque adeo nec de meritis Chriſti, vt filij, quia vbi mater non eſt pro ſigno, nec pro eodem debet eſſe filius, ita enim nempe Chriſtum Dominum præuideri exiſtentem dependenter à M. SS. merita Chriſti præuiſa vt filij matris ad ſecundum ſignum ſpectant, io quo ponimus decretum iſta omnia decernens. Non me latet aliquos faciliùs ab hoc argumento ſe expedire dicentes, nullum inconueniens cenſendum virginem SS. non fuiſſe redemptam à Chriſto formaliter, vt filio; verùm licèt facilior hæc iudicetur euaſio, non tamen æquè ſecura.

Argues vltimò, præmium non ſolùm debet eſſe vltra id, quod merens confusè, & ſub disiunctione dicitur habere, ſed etiam vltra id, quod haberet, ſi diſtinctè & in particulari cognoſceretur, ſed ſi diſtinctè, & in particulari fuiſſent merita Chriſti coguita, fuiſſent cognita dependenter à matris concurſu, tanquam à principio remoto. Ergo accipiendo in præmium hanc matrem, non accepiſſet aliquid, quod Chriſtus non habuiſſet, ſi eius merita diſtinctè, & in particulari cognita fuiſſent. 71.

Reſpondeo conceſſa maiori, ngando minorem, nam vi prioris decreti fuerunt Chriſti merita à Deo diſtinctè, & in particulari præcognita abſque vlla dependentia à materno concurſu, ſed cũ ſola dependẽtia à principio Dei creatiuo, à quo tantùm per ſe, vt ab effectiuo agente, dependet Chriſti meritum. Itaque argumentum ſupponit, quòd vi prioris decreti non ſolùm fuerit decreta humanitas cum dependentia à concurſu creatiuo Dei, ſed etiam à generatiuo matris, nam vt ſæpè eſt dictum, ex vi prioris decreti fuit tantùm volita cum dependentia à concurſu creatiuo Dei, vi cuius præuiſa abſolutè operatura meruit per talia opera, vt eamdem humanitatem Chriſtus acciperet, non quidem actiuè, nam vt ſic ſupponebatur vi prioris decreti illam adæquatè accepiſſe à Deo, ſed paſſiuè ab hac M.SS.

DVBIVM V.

An M.SS. meruerit eſſe Matrem Chriſti.

SECTIO vnica.

Oſtenditur M. SS. de congruo ſibi promeruiſſe maternitatem, & ſolùm quoad executionem.

TRia ſub vnica præfixa theſi reſoluimus. Primum, M. SS. eſſe matrem Dei promeruiſſe. Secundum, tale meritum fuiſſe de congruo. Tertium, M.SS. maternitatem promeruiſſe quoad executionem ſolùm. Singula gradatim, & breuiter abſoluemus. 1.

Notate, inre hanc inſeri concertationem; etenim licèt in antecedentibus præmiſſum ſit, Chriſtum M. SS. ſuam materuitatem promeruiſſe, adhuc manet locus diſputationi, an M. SS. illam ſit ſibi promerita, ita vt materoitas, nedum ſit præmium meritorum Chriſti, verùm & propriorum M.S S. atque adeo ſicut ſemel ſtatuto, quòd Chriſtus nobis gratiam ſit promeritus, datur dubitationi ſedes, an etiam nobis nos propriis meritis illam promereri poſſimus; Chriſtus enim eſt cauſa vniuerſalis prima meritoria; creaturæ verò cauſæ meritoriæ particu- 2.

lares : optimè enim prima & ſecunda cauſa ad eumdem adunantur effectum.

3. Prima pars concluſionis præfixæ erat,M.SS. ſibi maternitatem promeruiſſe. Hanc recipit communis vox, renuente vno aduerſario Lorca infrà citando,qui ſingularem viam negatiuam, & contra omnes eos DD. qui diſputationibus in lucem editis hanc controuerſiam diſceptarunt,arripuit.Hanc partem clara & diſertiſſima ſcripturæ ſacræ, & SS. PP. teſtimonia mirificè commendant ; vnum vel alterum ex innumeris ab authoribus diſperſim datis, afferre decreui; Eccleſia clara voce hoc meritum intonat. *Qui glorioſè,virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S.cooperante præparaſti.* Nemini dubium hanc corporis & animi præparationem fuiſſe miraculosè elaboratam , cum medio Spiritu S. cooperante fuerit executa;Rurſum vt ea hoc loco pars noſtra firmior euadat, ſcribere oportuit,quid hæc animi & corporis præparatio recenſeatur.S.Baſil.*t.*1.*hom.*25.quæ veriùs inſcribitur,notante Bërnalio,de S.Chriſti generatione,poſt medium, poſtquam expoſuiſſet humanam generationem Chriſti peractam non fuiſſe diuturna materiæ præparatione , ſed inſtantanea,huius rationem reddit;*ex ſanctitate enim caro compacta ,digna erat diuinitati verbi vniri.*Sentit ergo S.D.quòd ſanctitas,quæ in illam materiam à SS.anima M. SS. promanarat , vt verbo copularetur,& ita idoneam,vt moralis illa diſpoſitio pro phyſica diuturna ſubſtitueretur.Aduerte tamen,ex his non rectè colligi,quòd non fuiſſet materia illa diſpoſita ad generationem phyſicè,ſed ita vt corpus M.SS.eximia ſanctitate ab animo profluxa totum immerſum conuenientiſſimum fuerit , & meruerit , vt quædam eius particula , non expectato longo temporis interſtitio ad diſpoſitionem phyſicam regulariter petito,ſed poſt M.SS.conſenſum ſtatim verbo vniretur.Vnde illa duplex corporis,& animi præparatio per ſingularem ſanctitatem executa fuit , phyſicè quidem in anima , moraliter quidem in corpore M.SS.

Hanc eamdem veritatem ſtatuunt Ambr. *in epiſt.*28.Hieron. *in epiſt. ad Euſtochium* de ſeruanda virginitate *quæ eſt* 22. Auguſt.*lib. de natura & gratia c.*36.*& l.de S.virg.c.*4.*& ſerm.*14. *de tempore.*Euſebius Emiſſenus *homil.in Euang. feria* 5 .*aduentus*.Greg. 1.*Reg.c.*1. Ioan. Maxentius *in* 1 .*dialogo c.*14.*qui eſt in* 5 .*Bibliotheca ſacra*.S.Bernard.*ſerm. in feſto Natiuitatis M.* Damian.*in ſerm.*3.*de Natiuit.M.*Hi enim vno ore profitentur,M.SS.ob vitæ ſanctitatem meruiſſe concipere Regem cœlorum & terræ.Quamque veritatem ea,qua ſolet verborum pulchritudine Prudentius fulciuit in cathemerino & hymno ante cibum.

Edere namque Deum merita
Omnia virgo venena domat.

Eccleſia cecinit idem

Regia cœli lætare alleluia
Quia quem meruiſti portare alleluia.

Intonuit hoc ipſum Venantius Fortunatus *lib. de æternis gaudiis*

Virginitas fœlix,quæ partu eſt digna tonãtis.
Quæ meruit Deum progenerare ſuum.

4 Sed occurres cum Lorca his omnibus authoritatibus eadem ſolutione ſatisfaciente *t. in.*3. *p.q.*2.*art.*11.*Memb.*22. vbi ait, quòd dum PP. citati videntur tribuere meritum maternitatis M. SS. accipiendi ſunt nomine meriti impropriè , non vt ſignificat actionem dignam præmio,ſed ſolùm coaptationem quandam, & correſpondentiam vnius ad alterum , iuxta quem modum Eccleſia ipſa canit in benedictione cerei Paſchalis.*O fœlix culpa quæ tantum ac talem meruit habere Redemptorem!* & iuxta hæc eumdem ſtilum ſeruauit S.Ciprian.*in epiſt.*8.vbi aſſeruit,*paruulos meruiſſe,vt aſſumerentur ad æternam beatitudinem.*

Nec refert ſi inſtes,quòd licèt meriti nomen PP. aliquando vſurpent in laxa ſignificatione, quando nulla eſt actio hominis , cui fiat aliqua remuneratio,vt Ciprian.cit.à Lorca *l.*3.*epiſt.*8. *quæ nunc eſt in ordine* 5. vbi ſcribit de infantibus rationis expertibus , quòd in ipſo ſtatim ortu plorantes,ac flentes,diuinam gratiam meruerunt:& Eccleſia dum illud de culpa cecinerat , ibi nomen *meriti* impropriam ſignificationem ſibi vendicat. Verùm, vbi aliquis dicitur mereri aliquid vitæ ſanctitate,& operum bonorum elicientia,tunc meritum propriiſſimam,de qua hìc ſermo,ſignificationem ſubit;vnde cùm prædicti PP.expreſſis verbis tribuant M.SS.meritum propter vitæ ſanctitatem, & egregiorum actuum elicientiam,fit , non eſſe in lata & impropria, ſed ſtrictiſſima ſignificatione meritum accipiendum. 5.

Non inquam intereſt hæc inſtantia, quia aduersùs eam inſurgit Lorca tripliciter. Primò, quia hoc,quod eſt, SS. PP. dixiſſe meritum M. SS.operibus illius eſſe tribuendum,non ſufficit, vt intelligantur de merito in ſtricta ſignificatione:quia aliàs hæc eadem ratio ſufficeret, vt intelligerentur de merito condigno, quòd minimè eſſe tenendum fatetur , quia ferè omnes PP. qui dicunt M. SS. meruiſſe , eodem modo dicunt fuiſſe dignam maternitatis. At hoc non obſtante,hanc vocem *dignam* ſumimus impropriè, ita vt minimè defendatur , maternitatem fuiſſe M.SS.præmiũ condignum ; ergo non obſtante,quòd SS.PP.abſolutè protulerint,M.SS. maternitatẽ promeruiſſe,nõ ſunt intelligẽdi de merito in ſtricta ſignificatione , ſed impropria. 6.

Secundò,quia nullum ea SS.PP.præter Greg. magnum,ſe inueniſſe fatetur,qui hoc meritum virginis operibus adſcripſerit,ſolùm enim aſſerunt, M. SS. meruiſſe hanc dignitatem matris, quæ verba merito impropriè ſumpto accommodari queunt.Tertiò , quia latum meritum à SS.PP.attribui operibus M.SS. ſufficere, aſſerit D.Th.interpretatio ſtatim citãdi *in ſolutione ad* 3. vbi docet authoritates has , quæ ſignificant meritum M.SS.intelligẽdas eſſe de merito,quo meruit illum gradum ſanctitatis, quo congruè eſſet mater Dei, non quo meruit aliquid aliud. 7.

Sed neutra ex his impugnationibus veritatem hanc infirmant, non prima , tum quia occurſus hic Lorcæ nullam vim habet contra tenentes M.SS.de cõdigno promeruiſſe ſibi in præmium maternitatem,vt expreſsè defendit Bernal *diſp.* 17.*ſect.*4.§.3.*n.*77. & ante illum doctiſſimus Almain. *in* 3.*diſt.*4.*q.vnic. dub.* 3.*ad finem.*Gabriel *ib.q.vnic.art.*3.*dub.* 3.Abulenſis *paradox.*1. *c.*34. quodque probabiliſſimum reputat Suar.

affirmans

affirmans nulla cenſura dignum eſſe, imo nec omnino alienum à locutionibus SS. PP. & à grauibus authoribus non ſine probabili coniectura deſendi. Hi, & innumeri alij eadem ratione, qua ſibi ſuadent M.SS.ſibi maternitatem meruiſſe, quia id citati PP.abſolutè euulgarunt, eadem inquam ratione, tanquam certum propugnant, M. SS. de condigno illi in præmium maternitatem correſpondere, quia ſcilicet SS. PP.abſolutè pronunciarunt, Mariam SS. fuiſſe dignam maternitatis. Ergo hæc Lorcæ replica, nihil roboris tenet in hos authores, & innumeros alios, qui ingenuè admittunt ſequelam, cuius conſequens ab omnibus exiſtimabat, tanquam inconueniens vitandum.

8. Rurſum quia prolatio abſoluta huius vocis *meriti* à SS. PP. prolati, & bonis operibus adſcripti appellat ſupra rationem propriam meriti, hoc enim eſſentialiter & intrinſecè in opere ab homine iuſto profecto conſiſtit, vt videre eſt apud authores cunctos *tr. de merito*, vbi cum S. Th. idipſum non ſemel reperij, & ſi hoc non dicat author, quid amplius requiratur, vt propriè aliquis homo iuſtus præmium ſupernaturale promereri dicatur, quàm illum elicere actus honeſtos ſupernaturales ex gratia ortos, & à lege, pactone ad illud præmium ordinatos? Ergo ſi SS.PP.abſolutè pronuntiant, M. SS. promeruiſſe ſibi maternitatem operibus ſuis ex eius eminenti gratia profectis, quid illis verbis deeſt, defectu cuius non debeant intelligi de merito proprio illius reſpectu maternitatis? Non enim ſic diſcurri debet de illo verbo *dignam* à SS.PP. præfixo, vt exinde neceſſariò colligi debeat, SS.PP.ſenſiſſe M.SS.meruiſſe de condigno maternitatem ſibi. Quia illa verba *dignus eſt re aliqua*, non ſemper ſecum ferre meritum condignum, quia quicunque à Deo aliquod ſuſcipit beneficium, dici ſolet dignus illo. Hoc confirmatum reperies in oratione feriæ tertiæ poſt dominicam paſſionis, vbi hæc: *noſtra tibi Domine, ſint accepta ieiunia, quæ nos expiando gratia tua dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna.* Nunc ab authore petam, ſe iſta legentem iturum in ſententiam aſſerentem per ieiunia ita nos præparari, vt condignè mereamur gratiam Dei, quamque vt præmium condignum reportemus? minimè; hoc ipſum illuſtro ex S. Ambroſ. *lib. 2. in Lucam cap. de Simeone & Anna* vbi, *& ideo Anna & ſtipendiis viduitatis & moribus talibus inducitur, vt digna planè fuiſſe credatur, quæ Redemptorem veniſſe omnium crederet.* Hæc Ambroſius, & his munitus audebit quis dicere, Annam & Simeonem meruiſſe de condigno Dominum annuntiare? nequaquam. Ergo quamuis quis in SS.PP. legat, M.SS. fuiſſe maternitatis dignam, non firmo innitetur fundamento, vt ex vi prolationis vocis huius, *dignam*, inferat, M.SS.meruiſſe de condigno maternitatem, quia ſupereſt illi maxima ratio dubitandi in vſu huius vocis *dignam*, non ſemper meritum de condigno innuere; at verò in prolatione huius vocis, *meriti*, dum hoc operibus adſcribendum à SS. PP. profertur, non manet locus accipiendi meritum in illa acceptione ab ea, quam ſecum affert meritum in opere honeſto repoſitum, at hoc eſſentialiter eſt proprium meritum. Ergo hæc paritas Lorcæ non ſubſiſtit. Ex his conſtat, ſecundam replicam omni robore eſſe deſtitutam, cùm præter D. Gregorium alius allegauerim authores, docentes expreſsè M. SS. promeruiſſe maternitatem, & dato id tantùm fuiſſe à D. Gregorio pronuntiatum, ſufficeret id, vt Lorca à contrario dictamine deſiſteret.

Nec vltima illi ſuffragatur, quia D. Th. *loc. cit.* hanc quæſtionem nec diuimit, nec tangit, tantùm enim dicit, M.SS. non meruiſſe incarnationem, ſolùmque ait, meruiſſe portare Chriſtum, quia meruit, dicit D. Th. eum puritatis gradum, vt congruè eſſet mater Dei. Sed hæc verba magis fauent ſententiæ noſtræ, etenim habent eundem ſenſum cum aliis eiuſdem SS.D. *in 3 diſt. 4. q. 3. art. 1. ad 6.* ſic reſpondentis: *dicendum, quòd M. SS. non meruit incarnationem, ſed ſuppoſita incarnatione, meruit, quòd per eam fieret, non quidem merito condigni, ſed merito congrui* Quid clariùs aduersùs hunc authorem? Ergo cum apertè SS.PP. pronunciarint M.SS. maternitatem meruiſſe, id in propria meriti vſurpatione amplectendum cenſeo. 9.

Nec deficit veritati reſolutionis huius ratio, qua valde piè ſuaderi poſſit. Etenim hoc diuinæ maternitatis meritum liquidò conſtat ad SS.M. dignitatem ſpectare; ſi enim nihil, quod dignitatis vmbram in aliis SS. redolere videtur, virgini SS. non eſt denegandum. Cùm pluribus ſanctis tale meritum concedatur, cur hac dignitate eſt M.SS. deſtituenda? Iam aliquos SS. promeruiſſe Chriſti fuiſſe progenitores, tametſi id non ſit de cunctis aſcendentibus PP. æquè certum; tamen de Abrahamo, & Dauide mihi veriſſimum iudico. Etenim ex ſacra pagina *pſ. 131.* habentur hæc: *iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Quod omnes ſacri DD. de Chriſto intelligunt, & de Abrahamo abſque temeritate non poſſe negari, teſtatur Hurtado *diſp. 29. §. 4.* ſi enim meritum hoc SS. PP. Dauidi, & Abrahamo conceditur, quodque eos ad maximam dignitatem perducit, quis eam M.SS denegare eſt auſus? 10.

Confirmo hoc ipſum ad hominem contra Lorcam, hic defendit M.SS. meruiſſe illum ſanctitatis gradum, quo eſſet congrua mater Dei. Ergo meruit eſſe matrem Dei. Negat conſequentiam, & dat rationem, quia ille gradus ſanctitatis non eſt meritum, ſed diſpoſitio ad maternitatem. Sed contra, quia ille qui meretur diſpoſitionem ad formam, meretur aliqualiter ipſam formam, ſed per te M.SS. meretur illum gradum ſanctitatis, quæ eſt diſpoſitio ad maternitatem. Ergo ſaltem remotè maternitatem merebitur, in his non immoror, ſed hoc ſatis ponderant ea, quæ *ſuprà ſectione 7.* dedi. 11.

Argumenta Lorcæ eò tendunt, vt probent huius meriti impoſſibilitatem ex eo, quòd illo dato ſequeretur M.SS. meruiſſe ipſam incarnationis ſubſtantiam. Sed ea commodiùs ſpeciali dubio reſoluam. 12.

Oſtenſa poſſibilitate meriti in SS.M. reſpectu ſuæ maternitatis, ſuccedit alia vincenda difficultas, an ſcilicet meritum illud cenſendum ſit condignum, an verò congruum præcisè iudicandum? Hanc quæſtionem inuoluit ſecunda pars concluſionis ſectione allata præfixæ, quam- 13.

que iterum repeto.M.SS.condignè non meruit in præmium diuinam maternitatem. In hanc communiter authores conſpirant, potiſſimùm diſcipuli S.Th.poſtea adducendi. Verùm non conueniunt in adhibenda ratione huius partis. Quidam ſic mouentur, etenim in cantico *magnificat* M.SS.hoc tantum beneficium non ſuis meritis, ſed diuinæ largitati, & miſericordiæ adſcribit,at ſi maternitatem condignè eſſet promerita, nó liberalitati largitoris,ſed ſuis operibus tanti beneficij collationem tribueret.Ergo M.SS. condignum meritum reſpectu maternitatis non habuit. Confirmatur,quia apud *Rom.* 4. de hoc beneficio ſic Paulus alloquitur; *non enim per legem promiſſio Abrahæ,aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi,ſed per iuſtitiam fidei*, quòd eſt idem, ac dicere, promiſſio Meſſiæ venturi non eſt facta per merita, nec per circuncisionem. Si ergo Abraham non meruit promiſſionem Meſſiæ ex ſua ſtirpe, quia promiſſio non eſt facta ex meritis,neque ex circunciſione,ſed per gratiam,ſit,nec M. SS. illam condignè promeruiſſe;vel è contrà ſi M. SS. meruit hanc dignitatem, idem de Abrahamo dicere nihil vetabit,vt de ſtirpe ſua naſceretur Chriſtus.

14. Sed hæc ratio leuis eſt,cuius leuitatem oſtendet germana loci PP. interpretatio. Ná in epiſtola Pauli,quoties excluduntur merita, & tribuitur fidei iuſtificatio, aut benedictionis hæreditas, ſolùm ea ablegantur merita, quæ ex propriis viribus, legis ſolùm notitia instructis, profecta eſſent, quia ſi hæc merita anteirent, omnino ab illa hæreditate rationem gratiæ, & beneficij funditus abolerent. Vnde cùm D.Paulus aſſeuerat,illam hæreditatem non fuiſſe promiſſam Abrahæ,& ſemini eius per legem, intelligendus eſt Paulus per opera, omni gratia ſemota,& à ſola natura elicita,præeunte ſolùm præcisè notitia legis, per l'y verò *hæreditatis* nullo modo incarnationis myſterium eſt interpretandum,quia,vt vidimus ſuprà,etiam Abrahæ promiſſum fuerat ex ſemine eius, ſed intelligit Paulus benedictionem ſpiritualis iuſtificationis, cuius participes futuri erant omnes poſteri Abrahæ filij,hoc eſt,fideles cuncti, non per opera facta ex ſola legis notitia, ſed per iuſtitiam fidei, gratis, & liberaliter, conceſſam. Hoc ipſum applicari debet illi verbo, *magnificat*, ex cantico allato: quia ex eo quòd M. SS. tantum beneficium,non ſuis meritis,ſed miſericordiæ,adſcribat, non ex hoc merita ex gratia Dei facta, quibus illud attribuatur, excludit, etenim cum hoc comparetemr hoc, quod eſt eſſe matrem Dei,eſſe etiam gratiam, licèt non primam, ſiquidem prima radix eſſet ex gratia abſque vllis meritis liberi arbitrij collata,vt cuius tantum maternitatis fauorem condignè promereri valeret. Rurſum, quis negauit vnquam hominem iuſtum condignè augmentum gratiæ eſſe promeritum,licèt liberalitati Dei,& propriis operibus ex gratia eductis, ipſum præmium ſimul adſcribatur; tametſi totaliter excludantur merita ex ſolo libero arbitrio parta, quibus augmentum gratiæ adſcribatur?Ergo ſimiliter tametſi excludantur merita propria ſine gratia orta reſpectu maternitatis M.SS.non exinde colligi debet,ipſam gratia Dei præuentam non potuiſſe elicere actus condignè meritorios diuinæ maternitatis; quia hæc merita non opponuntur cum ratione liberalis beneficij,cùm illa gratiam liberaliter collatam, vnde liberalitas eius collucet, neceſſariò ſupponant.

15. Secundò eamdem partem probant alij ſic; ſi M.SS.condignè maternitatem eſſet promerita,fieret, ipſam condignè promeruiſſe incarnationis ſubſtantiam. Sed hoc negatur,& iure, vt infrà videbimus. Ergo & noſtra pars neganda. Sequelam probant,quia ſi non eſſet myſterium, nec mater extitiſſet,ergo ſi illud condignè promeruit,ita & hoc.

Obiectionem hanc præoccupauit *ſect.*4. *dubij tranſacti*,& latiùs, dum ſpeciale dubium inſtituam de hac illatione indaganda; interim tamen eius inutilitatem iuxta communem modum opinandi aperiam. S.Thomas in hoc articulo propoſito, ſimili argumento, ad probandum ſcilicet M.SS.meruiſſe incarnationem, eo quòd eſſa matrem promeruit, reſpondet hæc: dicendum, *quòd B. V. dicitur meruiſſe portare Dominum omnium, non quia meruit ipſum incarnari; ſed quia meruit ex gratia ſibi data illum puritatis, & ſanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe mater Dei*.Hæc S.Th. quibus apertè docet, non eſſe idem mereri myſterium, & mereri dignitatem matris, quæ fuit myſterij circunſtantia,nec ex his colliges,S.Th.exiſtimaſſe, M.SS. condignè meruiſſe eſſe matrem, ſed illum ſanctitatis gradum, qui tantæ dignitati congruebat; imo ſi premantur verba illa, *vt congruè poſſet eſſe mater Dei*,ſolum meritum congruum adſtruere videtur,vt ſuprà ediſſerebamus.

16. Cardinalis Lugus *tom.de incarnatione,diſp.*8. *ſect.*6. *num.* 107. ex his quæ dictauerat *ſuprà diſp.*5.*ſect.*8. *num.*147.rationem pro depellendo merito condigno à M. SS. reſpectu ſuæ maternitatis proponit; dixerat *citato loco*, opera vnius iuſti non remunerari condignè per gratiam alteri datam, ſi merens indigeat ſibi illa gratia, quia maius bonum merentis eſt augmentum propriæ gratiæ,quàm alienæ, & illa opera exigunt condignè maius bonum merentis. Ex quo in præſenti rationem format,etenim opera M. SS. condignè exigunt non præmiari, niſi per maius bonum ipſius M.SS.eſſet autem bonum, maius augmentum propriæ gratiæ, quàm maternitas,vt oſtenſum ex Auguſtino relinquit ſuprà.Ergo ſi loco gratiæ daretur M.SS. maternitas pro præmio, non manerent condignè præmiata ea opera. Ergo maternitas non potuit dari pro præmio de condigno, ſed de congruo vltra proprium præmium condignum eorum operum.

Sed hæc ratio fundamento parum firmo innititur, illud euertimus *tr. de ſatisfact. puri hominis pro peccato alieno,ſect.* 3.ſed eo dato,adhuc hæc ratio non eſt, quæ vltimò difficultatem reſoluit,quia ſi quis Lugum vrgeret,maius bonum virginis eſſet, præter augmentum gratiæ, in præmium condignum illi maternitatem conferre. Ergo vtrunque poſſet M. SS. promereri condignè. Reſpondere eſt neceſſe, vnum & idem meritum bis præmiari de condigno non poſſe. Ergo, non quia maius bonum eſt augmentum gratiæ collatum cum maternitate ſeorſim ſumpta, M. SS. non potuit condignè maternitatem promereri,ſed quia,cùm lege remune

muneratoris teneatur Deus augmentum propriæ gratiæ iu hac vita cuicunque homini iuſto beue operãti conferre, vi cuius iam exhauſta manet tota condignitas prædicti meriti, fit, quòd M.SS. actibus correſponderet, tanquam adæquatum præmium condignum, augmentum propriæ gratiæ, taliter quòd collatio alterius boni, nempe maternitatis, ſit vltra condignitatem eorumdem actuum, & talis maternitas contineretur intra ſphæram præmij de congruo exhibiti. Sed de his ſtatim.

17. Pars igitur noſtra eſt expreſsè edocta à D. Th. *hic art. 3. & in 3. ad Anibaldum d. 4. art. 4.* quem ſequuntur communiter eius diſcipuli hic Caiet. Medina Suar, *diſp. 10. ſect. 6.* Vaſq. *d. 22. c. 2. & 3.* Valentia *q. 2. p. 8.* Vega *q. 4. de iuſtific. c. 1* Soto *l. 2. de iuſt. q. 1 art. 3.* Ratio igitur partis eſt, operibus M. SS. non poſſuut de condigno reſpondere, tanquam præmium, omnes gradus gratiæ, & gloriæ, reſpectu quorum habent condignitatem, & vltra illos ipſa maternitas. Sed M.SS. actibus reſponderunt, vt præmium, omnes gradus gratiæ & gloriæ, reſpectu quorum habet condignitatem. Ergo non potuit, vt præmium, de condigno maternitas eiſdem reſpondere. Maiorem ipſimet termini firmant, etenim merita M.SS. fueruut finita. Ergo nnn potuerũt habere condignitatem ad omnia præmia, ſufficienter enim compenſantur augmento gratiæ & gloriæ, ſicut reliqua iuſtorum opera. Miuor patet quia M. SS. per omnia & ſingula bona opera creſcebat ſanctitate, hoc eſt, gratia habituali, cui gloria correſpondebat ſecundùm totam latitudinẽ dignitatis meritorũ. Conſequentia eſt certa, non immoror infirmãdo diſcurſus, cum omnes propoſitiones eius ſint legitimè deductæ ex S. Th. vt vidimus latè 1. 2. *tr. de merito.*

18. P. Bernal, ſequutus priſcos authores cit. *in 1. p. huius concluſionis*, totus eſt in defendendo merito condigno iu M. SS. reſpectu ſuæ maternitatis, verùm inter vehementiſſimos conatus, quibus id ſuadere prætendit, nec minimam rationis efficaciam ſculpſit tanto apparatui dignam. Meritum hoc eſſe à SS. PP. & ſcriptura ſancitum euulgat, verùm vnicum proponens ex Luca votum non aſſequitur; *apud Luc.* ait *n. 83.* coutinetur celeberrima Gabrielis legatio ad exprimendum M.SS. conſeuſum iu Dei maternitatem; nec illa mater Dei extitit quoad poſt iuſtum colloquium, & quaſi diſputationem captiuata mente in obſequium fidei, & mente & corpore in obſequium Dei, dixit, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quibus verbis conſona alia verba tulit M.SS. *apud Luc. 1. verſ. 49. quia reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ eſſe enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, quibus extremis verbis, aſſerit author, reſpoudent illa S. Eliſabethæ. *Beata quæ credidiſti, quia perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* iu omnibus his aſſerit Bernal, duo continentur. Primum, meritum M. SS. erga Dei maternitatem. Secundum, M. SS. illo actu immenſum aliquid meruiſſe, vt fert commuuis fidelis ſenſus, adeo vt Senenſis dixerit, plus meruiſſe Deiparam illo actu, quàm omnes ſimul Angelos, & homines, omnibus ſuis meritoriis actibus. Hæc Bernalius.

19. Verùm hac authoritate nihil conuincit de merito condigno M.SS. erga matern. vt ex ipſa authoritatis ſerie, & Bernalij cõmento conſtat clarè. Etenim ex eo quòd M.SS. magnũ præmij põdus illo actu humilitatis egregio promeruerit, tantùm ſequitur, illã ingentem gratiæ ſummam fuiſſe condignè promeritam, ſic n. collato præmio, meritis M.SS. correſpondenti, cum eo, quod Angelorum & hominum conuentui correſpondet, magis præpõderet illud V. collatum, quàm quod hominum & Angel. cœtui, intuitu omnium ſuorum meritorum, eſt præſtitum, & præſtandũ. Iam quòd iſte exceſſus ſit in ordine ad gratiam, & nõ in ordine ad matern. ex dicto Bernardini Senenſ. coniecto; etenim ponderans D.S. cumulum augmenti gratiæ, quem ſibi in præmium condignè reportant tot SS. totq; Angeli, & ex alia parte contemplans M.SS. profundiſſimam humilitatẽ, quæ in illo actu, *ecce ancilla Domini*, euituit, aſſeruit, plus gratiæ vi iſtius actus acquiſiuit in præmiũ M.SS. quàm ſibi reportarunt tot Angeli boni, & homines iuſti, media collectioue bonorum operum, quæ ſanctè, & piè, in honorem Dei exercuerunt. Si n. interpretatio Bernalij admitteretur, fieret inde S. Bernardinum ſiniſtrè, iuxta aſſerta huius authoris, dictum pronũtiatum de M.SS. euulgare. Siquidem non ſtat ſecũdùm principia Bernalij M.SS. plus meruiſſe Deiparam illo actu, quàm omnes Angeli, & homines ſimul, mediis omnib. actib. ab eiſdem elicitis, ſi per ly, *plus*, intelligeretur maternitas; etenim ipſe Bernalius *n. 82.* hæc de matern. pronuntiat. *Dei verò maternitas non eſt quid maius gratia habituali, vel Dei viſione; imò multò minus*, nã, vt rectè dixit Auguſt. *maius eſt concipere Deum mente quàm ventre.* Ergo in ſententia Bernalij mereri matern. miuus eſt, quàm augmentũ gratiæ, & gloriæ promereri. At Ang. boni & homines iuſti, merẽtur de cõdigno augmentũ gratiæ & gloriæ. Ergo dũ S. Bernardin. aſſeruit, M. SS. medio illo abiectionis actu plus meruiſſe, quàm cuncti Angeli, & homines, per ſuos actus bonos, non eſt intelligẽdum ly *plus*, quòd meruit M.SS. de eius matern. quæ iu ſententia Bernalij minoris æſtimatur, quàm gratiæ augmentum, quod promereri fuerunt homines, & Ang. ſed de maiori augmẽto gratiæ propriæ, quæ, cum aliis gratiis collata, maioris æſtimationis in intentione longo interuallo euaſerat.

Si autem pro Bernal. occurras, ly *plus*, D. Bernardini intelligendũ fore, de alio præmio vlteriori ad hũc ſenſũ, quòd præter maius augmentũ gratiæ, quod ex vi illius actus recepit M.SS. (quod abſq; dubio fuit maius illo, quod ſibi acquiſiuere homines, & Ang. mediis actib. ab eiſdem productis) materu. in præmium cõdignum cõparauit, quod nullo modo omnes Angeli, & homines, ita condignè receperunt. Non inquam vrgeuter occurres, quia eſſet directè textui Beruard. refragari; etenim S.D. de eo præmio affirmauit M.SS. accepiſſe plus, vi illius actus profundiſſimæ humilitatis, de quo minus Angeli accepiſſe profiteretur, atqui ſolũ in ordine ad augmentũ gratiæ poteſt verificari de Angelis, minus accepiſſe in præmiũ ſuorũ operũ, non verò in ordine ad materu. cùm ipſi nullo modo eſſe Chriſti progenitores fuerũt promereri, uec potuerũt. Ergo per ly *plus*, intelligẽdus eſt S. Bernard. de augmẽto gratiæ, non verò de matern.

20. Argues cum aliis, Eccleſia canit, & SS.proclamant,M.SS.fuiſſe *dignam portare Regem Cælorum,& Dominum, necnon dignum filij Dei habitaculum extitiſſe.* Sed hæc verba ſatis indicant, meruiſſe de condigno maternitatem, ſiquidem meruit de condigno tantam ſanctitatem,vt eſſet mater Dei. Ergo Mariæ SS. concedendum eſt condignum meritum reſpectu maternitatis.

Reſpondeo verba illa *dignum habitaculum, & dignam* quibus vſi fuere SS.PP.præoccupata fuere in limine primæ partis, vbi explicui, quomodo l'y *dignam* aliquando in improprio ſenſu à SS.PP.accipitur. Ad illud,quod dicitur, M.SS.meruiſſe de condigno eum gradũ ſanctitatis,qua eſſet mater Dei, fateor id eſſe verum, ſed ineptum antecedens ad inferendam illam conſequentiam,nempe. Ergo M.SS. promeruit condignè eſſe mater Dei,ratio,quia tametſi M. SS.illum meruiſſet ſtatum ſanctitatis condignè, hoc eſt,illud augmentum iuſtificationis,in quo quidem, teſte S. Th. conſtituta, congruè eſſet mater Dei; tamen neque per ipſum ſtatum ſemel acquiſitum, condignè maternitatem promeruit,ſed congruè, vt ex ipſo S. Th. contextu perſpicuum eſt, *vt congruè* ait S. Doctor *poſſet eſſe mater Dei.*

21. Argues cum aliis M.SS.meruit de condigno id, quod maius eſt, nempe, habere Chriſtum in mente per augmentum, & plenitudinem gratiæ. Ergo meruit etiam de condigno id, quod minus eſt, nempe habere Chriſtum in ventre. Antecedens duo claudit. Primũ,nempe, maius eſſe habere Chriſtum in mente,quàm in ventre. Alterùm,M. SS. de condigno illud promeruiſſe, vtrumque eſt probandum. Primum præterquam quòd ex Auguſtino manet oſtenſum ſuprà, hîc probandum aliter decreui ex illo *Matth.*c 2. vbi Chriſtus, eum, qui facit voluntatem Patris ſui, præfert dignitati ſuæ matris. Et *Lucæ* c 1.*cum quædam mulier* diceret illi, *Beatus venter qui te portauit*, reſpondit, *quin imo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, quem locum explicans Auguſtinus *tr.* 10. *in Ioannem, hoc eſt dicere,* inquit, *& mater mea, quam appellatis. felicem, inde felix, quia verbum Dei cuſtodit,non quia in illa verbum Dei caro factum eſt, & habitauit in nobis, ſed quia cuſtodit ipſum verbum Dei,per quod facta eſt,& quòd in illa caro factum eſt*, Ex quibus prima pars antecedentis redditur manifeſta. Secunda verò, nempe M.SS. meruiſſe de condigno Chriſtum concepiſſe in mente, facillimè roboratur; etenim,Chriſtum habere conceptum in mente,nihil aliud eſt,quàm media charitate,& gratia illum ſupernaturaliter poſſidere,ſed M. SS. meruit de condigno augmentum charitatis,& gratiæ, quibus hæc mentalis conceptio elaboratur. Ergo meruit condignè Chriſtum concipere in mente. Ecce vtraque pars antecedentis probata. Nunc conſequentia videlicet. Ergo condignè promeruit Chriſtum concipere in ventre, probatur, quia qui maius promeretur condignè, minùs, aptiùs condignè promerebitur. Sed M. SS. condignè promerita fuit Chriſtum concipere in mente,quod eſt maius,quàm illum in ventre concipere,ergo promeruit condignè illum concipere in ventre.

Reſpondeo,quòd licèt concipere verbum in mente, medio gratiæ, & charitatis augmento collatum ſecundùm ſe cum hoc,quod eſt illud idem in ventre concipere,ſit maius hoc;tamen reſpectu meritorum M.SS. vt hîc & nunc conſiderantur, maius eſſet mereri condignè verbum concipere in ventre;ratio,quia merita M. SS. vt hîc & nunc conceptione mentis condignè promerita, ſufficienter, & ex omni parte ſupponuntur remunerata condignè, ipſa verbi conceptione, mentis mediante augmento gratiæ elaborata, atque adeo hoc præmio à Maria SS. ſemel adepto, tota ſuorum meritorum condignitas manet exhauſta, ſicque quidquid præter conceptionem illam illi præſtitum fuerit, vltra eorum condignitatem illi præbebitur; vnde cùm bis idem meritum condignè præmiari non poſſit(loquor de merito finito,quali viguit M.SS.) fit, quòd quocunque ſemel condignè recepto, non ſuperſit locus ad aliud condignè recipiendum.

Vltimò cum Bernal vbi ſupra *num.* 84.obiicies, SS. Eccleſiæ DD. vt ſuprà vidimus tanquam aliquid magnum, & in ratione meriti ſingulare tribuunt M. SS.meritum diuinæ maternitatis, idque propter eximiam eius morum, & ſanctitatis excellentiam;meritum verò congruum Dei maternitatis, cuilibet ſanctarum mulierum veteris teſtamenti reipſa competiuiſſe teſtatur P.Alarçonius 1. *p. tract.*4. *diſp.*1. *cap.*9. *num.* 9. potuiſſet verò cuilibet mulieri, vel exigua ſanctitate præditæ, competere,multorum docet opinio, & in dubium vocari nequit.Ergo SS.DD.aliud meriti genus longéque ſuperius in M.SS.agnoſcunt, hoc non eſt aliud, quàm condignum. Ergo hoc M.SS.concedunt. 22.

Reſpondeo imprimis, ſententiam Alarçonij cenſura notauiſſe P.Luiſium Turrianum, an id iuſtè,non curo,vnum ſtatuo Turrianum ingenti cenſoris ſeueritate laboraſſe. Ad illud de merito congruo poſſibili cuilibet mulieri fateor, verùm earum nulla(ſi tot ac M.SS.non fuiſſent munimina ſuperna exhibita) tanta functura meriti congrui ſumma, qua prædita fuit M.SS, de facto. Vnde intra latitudinem congruitatis dari poteſt magis & minus, quin ſphæra condignitatis pertingatur.

Collige ex his Marſilium in 3.*quæſt.*5.*art.*3. *dub.*3.*concluſ.* 3. & S.Bonauenturam *ibidem*, mediam viam ingredientes, ſcilicet B. M. SS. nec meruiſſe maternitatem ſolùm de congruo, nec propriè de condigno, ſed de digno, nullo modo ſequendos eſſe, licèt hanc ſententiam cenſeat probabilem Vega *de iuſtif.q.*4.5. *& pro huius explicatione*;etenim difficillimum eſt medium inter meritum condignum, & congruum interiicere,quod tamen aſſignauit S.Bonauent. *in* 1. *diſp.*41. *art.*1. *q.*1. videlicet meritum dignum eſſe,quando iuſtus facit pro alio,ad nihilum conducit,ſiquidem M.SS.dum Dei maternitatem merebatur ſibi, cauſam propriam agebar. Rurſum nec aliud à Diuo Bonauentura aſſignatum loco *libro* 3. citato ad aliquid facit; Etenim ibi ait, ideo M. SS. poſt annuntiationem, & non ante, meruit de digno maternitatem quia ſuperueniente tunc Spiritu ſancto, perfectiſſimos actus elicuit. Verùm hoc non ſufficit ad conſtituendam tertiam ſpeciem meriti 23.

meriti

riti appellati dignum, inter condignum & congruum mediantis; ſemper enim manet difficultas in aſſignanda definitione meriti huius medij, idem tene de alia explicatione Marſilij.

Hucuſque & in hac concluſionis parte loquuti ſumus de merito M.SS. de facto exercito 24. erga maternitatem; nunc ſe offert difficultas, an de potentia abſoluta, & ex vi alteriua prouidentiæ potuerit M.SS. hanc maternitatem de condigno promereri? Hac in re Medina hîc affirmat, vbi ideo negat M.SS. de facto maternitatem condignè meruiſſe, quia de illa nulla extabat lex aut promiſſio. Ex quo fit, quòd ſi de illa promiſſio fieret, potuiſſet ſub condignum meritum cadere; eãdem ſententiam ſequitur Suar. *d.10. ſect.7.* Negãt tamen cũ Vaſq. hîc alij RR.

Alij autem meditati ſunt mediam viam, quam dupliciter proſequuntur, conueniunt ta- 25. men in hoc, quod eſt affirmare ſecundùm vnam & negare ſecundùm aliam. Quidam ergo rem hanc eſſe dirimendam docent ex regula certa, qua ratio meriti condigni, & cõgrui præfigatur, quia ſi meritum condignum non ſolùm dicat proportionem operis cum præmio, ſed etiam præmij cum opere, vt nonnulli RR. ſupponunt ad hunc ſenſum, quòd illud tantùm meritum recenſeatur condignum, quòd non ſolùm ipſum habet proportionem condignitatis cum præmio, ſed etiam eamdem condignitatem habeat præmium cum opere ipſo, vt ſicut meritum non exceditur à præmio, ita nec præmium à merito; intellecto ſic merito de condigno; dicunt, nec de poſſibili M.SS. potuiſſe mereri de condigno ſuam maternitatem. Etenim ſi de poſſibili poſſet, ideo eſſet, quia potuiſſet pro adæquato præmio ſuorum operum M.SS. accipere ſolam maternitatem Dei, abſque augmento gratiæ, & gloriæ; atqui ſola maternitas non fuiſſet condigna remuneratio pro talibus operibus ex gratia profectis; quia hæc condignè poſtulant augmentum gratiæ, & gloriæ, quæ ſaltem reſpectu merentis eſt maior perfectio, quam ſit, eſſe matrem Dei. Si verò meritum de condigno ſolùm requirat, vt non excedatur à præmio, eſto ipſum excedat præmium, tunc dicendum indicant, nec de facto M.SS. condignè meruiſſe ſuam maternitatem, bene de poſſibili. Non de facto, quia omnia ſua opera habuerunt condignum præmium, videlicet augmentum gratiæ, & gloriæ, de poſſibili tamen potuiſſe illam condignè promereri, quia potuiſſent ipſius opera non remunerari debito præmio augmenti gratiæ, & gloriæ, ad cuius obtentionem ordinabantur ex natura ſua opera illa, ſed præmio dumtaxat diuinæ maternitatis, quæ licèt non ſit præmium proportionatum meritis, ex gratia ortis, non eſt tamen quoad dignitatem excedens illa.

Iuxta hunc modum dicendi reſpondere poteris communiter arguenti, opera M.SS. ex gratia facta non excedebantur in dignitate à maternitate Dei. Ergo poterant illam condignè promereri, nedum de poſſibili, verùm de facto, conſequentia patet, nam ſi quæ eſſet ratio, cur tale meritum operibus M.SS. denegaretur, eſſet quia opera M.SS. etiam ex gratia facta excederentur in dignitate à diuina maternitate, nam maior perfectio M.SS. eſt augmentum gratiæ & gloriæ, quàm ipſius diuina maternitas, atqui illud promeruit condignè. Ergo & hanc. Huic inquam obiectioni iuxta hunc modum dicẽdi conceder opera M. SS. ex gratia non excedi in dignitate à diuina maternitate, negare tamen debes de facto eam ſibi ſic promeruiſſe, quia tùm de facto omnia opera M.SS. fuerint condignè remunerata proportionato præmio augmenti gratiæ & gloriæ, tale præmium fuiſſet ſupra debitum, & exigentiam talium operum.

Hurtadus *t. de incar. diſp.* 28. §. 77. eamdem viam aliter proſequitur, & hac diſtinctione vtitur. Supponit enim ex PP. & DD. maternitati 26. deberi impeccabilitatem phyſicam, aut moralem, aut certè auxilium efficax ad vitandum omne peccatum etiam leuiſſimum. Deinde ſupponit, ex materia de merito, non poſſe hominem iuſtum ſibi, neque alteri, hanc præſeruationem à peccato promereri. Ex his infert tanti æſtimari maternitatem, dum hæc impeccabilitas aliunde non ſupponitur, quanti ipſa impeccabilitas, & ex his reſoluit, non poſſe M. SS. etiam de potentia abſoluta, ſibi promereri maternitatem, ſi aliunde in ea non ſupponatur antecedenter ad hoc meritum, & collationem maternitatis tãquã præmij, impeccabilitas, quia maternitatem promereri, hac impeccabilitate non ſuppoſita, perinde eſſet, ac mereri de condigno impeccabilitatem, quæ eſſet ſecundarius effectus maternitatis, quod repugnantiam inuoluit. Addit tamen, quòd ſi aliunde ſupponatur impeccabilitas, affirmandum eſſe M.SS. poſſe ſupernaturaliter maternitatem promereri, & dat rationem, quia tunc in maternitate non conferretur impeccabilitas, ſiquidem iam tunc ſupponeretur collata; creſcit enim pretium effectus primarij, quando ex illo eſt ſecundarius promanaturus vt *diſp. de ſatisfact. puri hominis* latè dedimus, & decreſcit, quando effectum primarium non eſt comitaturus ſecundarius.

Quòd ſi ab hoc Authore peteret, quid dicen- 27. dum in hypotheſi, qua iſte effectus ſecundarius, nempe impeccabilitas, non ſupponeretur, & Deus in præmium operum M.SS. maternitatem conferret, cum intentione denegandi effectum ſecundarium, nempe impeccabilitatem, quæ ipſam conſequitur maternitatem, an tunc maternitas effectum ſecundarium impeccabilitatis non ſortita præcisè tanti æſtimaretur, quantũ ipſa valet, vt diſtincta ab effectu ſecundario? fortaſſe reſponderet affirmatiuè, vt ex eius doctrina colligi poteſt. At nos principij *tr. de ſatisfact. puri hominis pro peccato alieno* minimè obliti aliter reſpondimus; ibi enim, vt occurſum daremus argumento communi prætendenti conuincere, poſſe hominem iuſtum alteri peccatori gratiam remittentem peccatum de condigno promereri, quia tantæ æſtimationis moralis recenſetur actor ax gratia merentis, quantæ iudicatur præmium gratiæ remittentis culpam. Notauimus doctrinam generalem, hanc ſcilicet, valde hæc in ratione meriti, & præmij, quoad moralem æſtimationem diſtare. Etenim ſi conſideres meritum iuſti, in illo ſolùm reperies entitatem honeſtam ſuæ actualitatis, & condignitatem, quam habet à gratia, ſecundùm ea, quæ ipſa gratia quoad effectum primarium in recto & intrinſecè importat, nempe quoad ius ad hæreditatem æternæ fælicitatis;

non

non verò ſecundùm omnia,quæ poterat habere à gratia,vt annexa ſuo effectui ſecundario,nempe remiſſioni peccati. Etenim cùm meritum condignum naſcatur à gratia, non poteſt ſupponere ex parte principij effectum ſecundarium gratiæ, quæ eſt actualis remiſſio peccati:at verò ſi conſideres præmium iſti actui correſpondens,inuenies illud eſſe gratiam,tam ſecundùm effectum primarium,conſtituendo filium adoptiuum, quàm ſecundùm effectum ſecundarium,ſcilicet actualis remiſſionis culpæ.Ex his intulimus,amplius dicere præmium,vtpote includens gratiam,tam quoad effectum eius primarium, quàm quoad ſecundarium effectum, quàm meritum iuſti ſolùm importans gratiam, vt connexam cum ſolo primario effectu,atque adeo maioris æſtimationis euaſurum præmium,quàm meritum eius extitiſſet.

28. Iuxta doctrinam hanc ſic hypotheſim negatiuè reſoluo. Maternitatem vt in actu ſecundo non inferentem impeccabilitatem M. SS. non eſſe tantæ æſtimationis,quantæ preſumitur eſſe ipſa, vt cum impeccabilitate in actu ſecundo connexa,& ex illa illata,quia creſcit in æſtimatione formæ pretium, quando ex illa eſt effectus ſecundarius promanaturus, & decreſcit ſi cum eadem effectus ſecundarius coniungendus non eſt. Hac enim ratione diximus, gratiam tantum æſtimabilitatis pondus non habere, vt ab actuali peccati remiſſione, quæ eſt eius effectus ſecundarius, ſeiuncta, quantum habet ipſa cum remiſſione peccati actualiter connexa. Ergo in hypotheſi, qua impeccabilitas aliunde in M. SS. non ſupponeretur, & Deus in præmium operum M. SS. maternitatem conferret cum intentione denegandi illi dictum effectum ſecundarium impeccabilitatis, quæ maternitatem conſequitur, non poſſet maternitas eſſe tantæ æſtimationis quantæ eſſet ſi cum impeccabilitate copularetur.

29. Sed inſtabis, maternitas tantæ bonitatis eſt, tam quoad id,quod dicit primariò, & in recto, quàm quoad id,quod in obliquo importat,ſiue ſequatur, ſiue non, impeccabilitas in actu ſecundo ex illa.Probo,tametſi impeccabilitas hîc & nunc impediretur à Deo in noſtra hypotheſi, tamen quoad intrinſeca eamdem bonitatem intrinſecam haberet, ac ſi impeccabilitas ex illa inferretur in actu ſecundo. Sed eo ipſo quòd eſſet æquè bona quoad intrinſeca,& primaria, deberet eſſe eiuſdem bonitatis quoad extrinſeca,& ſecundaria. Ergo ſiue ſequatur, ſiue non, impeccabilitas ex illa, tantæ bonitatis eſſet maternitas, tam quoad id quod dicit in recto, & primariò,quàm quoad id, quod in obliquo importat.Probo minorem.Eo ipſo quòd maternitas ſit Dei,eſt talis conditionis, vt illi debeatur impeccabilitas,taliter quòd illam ſibi annexam habeat,quoties in ſubiecto,cui communicatur, aliunde non ſupponat collatam. Ergo eo ipſo, quòd in noſtra hypotheſi intelligatur maternitas quoad intrinſeca æquè bona, deberet eſſe æqualis bonitatis etiam quoad ſecundaria illius,quia licèt impeccabilitas hæc in actu exercito impediretur, tamen ſemper maternitati inerat exigentia ad illam inducendam.

Similem argumenti formam *cit.loc.* propoſuimus in gratia,& ſoluimus.Etenim gratia,quam ſupponit meritum iuſti,eſt talis conditionis, vt illi debeatur peccati remiſſio,taliter,quòd illam ſibi annexam habeat, quoties in ſubiecto, cui cõmunicatur,inueniatur peccatum,& hoc non obſtante,diximus gratiam ſic conſideratam,non eſſe tãtæ æſtimationis moralis quoad effectum ſecundarium extrinſecum,ac eſt ipſa,dum coniungitur cum remiſſione peccati,ex illa in actu ſecundo in homine peccatore inducta. Similiter in præſenti diſcurſum paramus, fatemur enim, maternitatem ex ſe habere exigentiam ad inferendam impeccabilitatẽm,ſi eam aliunde collatam non ſupponat.Rurſum,impeccabilitate non ſuppoſita, ipſam maternitatem eamdem bonitatem quoad eius intrinſeca habere, caſu, quo dicta impeccabilitas impediatur inferri,ac ſi illam induceret,tamen quoad extrinſeca,hoc eſt,quoad effectum ſecundarium,maioris æſtimationis recenſetur maternitas, dum in actu ſecundo cum impeccabilitate coniungitur,ac dum illam inferri à Deo impediretur.

30. Tandem ſi quæras, quid dicendum eſſet in hypotheſi, quòd maternitatis relatio ex ſe eſſet iuſtitia, vel ſaltẽ formæ iuſtificãti æquiualeret, quod latè fui meditatus iamdiu, & poſtea tempore elapſo,id non mediocri meditatione apud Ripaldam *t.1. de ente ſupernaturali* exagitatum reperi. Reſpondebo reſolutionem, his principiis innixam, negatiuam debere eſſe; lege retro,& id verum comperies.

31. Concludo vtrumque modum aſſignatum æqualis probabilitatis eſſe, ad negandum, vel affirmandum M.SS.de condigno maternitatem ſibi mereri potuiſſe.

32. Iam ſola tertia pars noſtræ concluſionis probanda reſtat, dicebamus M. SS. ſolùm quoad executionem ſibi tantùm maternitatem promeruiſſe.Hæc reſolutio aditum facilem proponit reſpondendi, quæ licèt difficultatem communem, non tamen leuem continet; etenim ſoli gratiæ,& diuinæ beneuolẽtiæ tribui ſolet à SS. PP.M.SS.potiùs,quàm aliam fœminam ſibi in matrem delegiſſe, quodque ipſa confeſſa eſt, apud Luc.*c.*1.dicens, *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*,&c, *quia fecit mihi magna qui potens eſt* &c.Hæc inquam ratio dubitandi hac diſtinctione diſſoluitur,nẽpe prædeſt.ſeu electionem maternitatis, & eius executionem in tempore, & in exercitio collatam, eſſe quid diſtinctum dicimus. Ergo M. SS. nullo modo promeruiſſe eligi ad dignitatem matris, hoc enim nullis præcedentibus meritis fuit à Deo prædeſtinatum;promeruit tamen maternitatem à Deo illi efficaciter,& miſericorditer intentam illam, vt in tempore executam. Non aliter hanc rem componendam ſuſpicor,ac compoſitam reliqui ſimilem litem *tr.de prædeſt.SS.diſp.2.dub.*1.*n.*1. ibi enim diximus, prædeſtinatos priùs ſecundùm rationem electos fuiſſe ad gloriam,quàm eorum merita præuiderentur, ſic hæc pars noſtra intelligenda venit, M.SS. ad hanc dignitatem matris,nullis præuiſis eius meritis eſſe prædeſtinatam. Quod ita contigiſſe breuiter probo, quia quidquid meriti, & gratiæ fuit in M. SS.ortum habuit ex diuina ſua maternitate.Ergo maternitas fuit prima gratia,& dignitas, ad quam fuit electa.Ergo non potuit illam,quoad primã electionẽ ſeu prædeſt.ſibi promereri.Po-

ſteri

ſterior conſequentia conſtat, quia non potuit illam promereri per opera ſolius naturæ viribus elicita. Ergo ſi ante maternitatem nullam habuit gratiam, non potuit illam promereri. Prior conſequentia etiam conſtat, nam ſi hæc dignitas non fuiſſet prima, daretur alia gratia prior illa, ex qua, & non ex hac, reliquæ gratiæ, & merita M.SS. originem traxiſſent. Antecedens difficultatem continens probatur, nam ideo tam excellens gratia, tamque opportuno tempore eſt collata M.SS. vt eſſet accommodata tantæ dignitati, ad quam erat electa, quin etiam ipſa electio ad gloriam, facta eſt dependenter ab hac dignitate; quia hæc cauſalis eſt vera, ideo electa eſt ad tantam gloriam, quia decebat matrem Dei ſuper omnes puras creaturas in throno gloriæ collocari. Ergo electio ad diuinam maternitatem præceſſit ipſius electionem ad gloriã. Sic formata manet vtraque reſolutionis pars. Prima de merito maternitatis quoad prædeſtinationem. Secunda verò pars, ſcilicet, quòd meruerit eamdem maternitatem quoad executionem, patet ex prima. Etenim ſuprà probatum eſt M. SS. meruiſſe maternitatem, nunc probauimus eamdem quoad prædeſtinationem non meruiſſe, fit, illam quoad eius executionem fuiſſe promeritam: cum alio modo non ſit conſiderabilis maternitas, ſecundùm quem ſub meritum cadere poſſit.

33. Sed huic parti ſolùm obeſſe poſſunt duo teſtimonia S. Baſilij *in illa homilia* 25. quæ eſt de humana Chriſti generatione *ante medium*, & D. Ambroſij *in epiſt.* 28. ille habet hæc; *Mariam fuiſſe in Matrem Dei electam, quia ea tempeſtate nulla fuit par Mariæ virginitati inuenta.* Iſte verò ſic ſcripſit; *Quid loquar, quanta ſit virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet etiam corporale Dei templum?* Verùm hæc pronuntiata rem noſtram non deſtruunt, quia ambobus duplex extat interpretatio, vel enim vtuntur latè SS.PP. hoc verbo *eligendi* ad ſignificandum potiùs ipſum vſum, vel executionem, quàm ipſam internam electionem per modum intentionis, vel D. Ambroſium ibi non agere propriè de merito, vt eſt in actione operantis, ſed latè, pro dignitate, & perfectione, laudata in ipſius virginitatis excellentia, quam inde colligit, quia eam amauit Deus in matrem ſuam: atque adeo hæc eſt falſa, Deus elegit M.SS. in matrem, quia virgo erat futura; hæc tamen eſt vera, eam elegit Deus, vt eſſet virgo, quia ſcilicet puritas virginitatis Dei Matrem imprimis decebat.

DVBIVM VI.

An antiqui PP. & B.M.SS. potuerunt promereri incarnationis ſubſtantiam.

1. NOta primò; incarnationem, vel poſſe ſumi quoad ſubſtantiam, vel quoad circunſtantias. Et vtrumque tam in ordine executionis, quàm in diuina electione, ſeu ordine intentionis. In præſenti dubio ſolùm examen ſubit incarnatio quoad ſubſtantiam, proximo tamen dubio acturi de circunſtantiis eiuſdem. Nec procedit contentio de meritis procedentibus ex auxilio Dei, dato independenter à meritis Chriſti; eſt enim certum per hoc auxilium, ſi de facto conferretur PP. eos potuiſſe, ſaltem de congruo, incarnationis ſubſtantiam promereri; atque adeo ſolùm eſt diſceptatio, an potuerint promereri illam auxiliis, qui de facto illis fuerunt collata, quæ omnia fuiſſe collata ex meritis Chriſti ſupponimus cum communi.

Ex hoc notabili ratio dubitandi ſuboritur, eſt illibatum principium apud authores cunctos, vt vidimus latè *tract. de prædeſtinatione SS. diſp.* 5. *dub. vnico per totum*, nempe, *principium meriti non poſſe ſub meritum cadere*, quod æqualem vim habet reſpectu meriti de condigno, ac meriti de congruo, ſi vtrunque cum ſuo conferatur principio; in vtroque enim eſt par ratio, quia vnumquodque ſupponit principium. Sed incarnatio eſt principium, & radix totius meriti antiquorum PP. tam de congruo, quàm de condigno. Sicut ergo hac ratione intulit S. Th. illos PP. non meruiſſe de condigno incarnationem, eadem ratione conuincitur, nec de congruo mereri potuiſſe. Hæc eſt ratio dubitandi, quàm delinite omnes DD. prætendunt, cuius ergo in innumeros diſtraxit dicendi modos RR. ſingulos ſingulis ſectionibus recitabo, & probabiliorem iuxta principia noſtra præeligam. 2.

SECTIO I.

Reſponſio prima.

PRimò hanc rem componere ſunt rati authores antiqui diſtinguentes PP. merita, vt procedentia ex gratia, & vt procedentia ex libero arbitrio, & ſub hac ratione dicunt, potuiſſe incarnationem promereri, non verò ſub illa, ſeu quatenus procedunt ex gratia per Chriſtum, quia hac ratione incarnationem ipſam ſupponunt. 3.

Sed hæc reſponſio includit doctrinam, & parum tutam, & inſufficientem. Primum, etenim ſine gratia Dei, & Chriſti, nullum eſt meritum de congruo, præſertim boni alicuius ſupernaturalis, potiſſimùm tanti excellentiſſimi boni. Hanc doctrinam nullus catholicus admittit, vt ſuppono *ex tractatu de gratia, diſp.* 1. *dub.* 5. Rurſum, quia actus illi, quibus SS.PP. promeriti fuerunt incarnationem, erant ſupernaturales, ad quorum elicientiam neceſſariò gratia, quæ nulla huc vſque eſt collata, niſi per Chriſtum, requiritur, tales erant actus fidei, ſpei, & orationis, vel deſiderij incarnationis, vt teſtatur Arauſicanum *can.* 3. & 4. efficax enim deſiderium ſalutis, vel remiſſionis peccati, aut orationem debito modo factam, hoc eſt, *vt oportet*, ad impetrandum aliquod donum gratiæ, non poſſe haberi ſine gratia Chriſti expreſſè concilium docet. Ergo à fortiori multò minùs poſſet efficax exerceri oratio ſine gratia Chriſti. Item, quia hoc meritum de congruo incarnationis, vt minimum ſupponebat gratiam ſanctificantem. Quis enim dicere eſſet auſus, homines Deo per peccatum inuiſos, promeruiſſe apud ipſum incarnationem, cùm nec ipſum auxilium gratiæ mereantur, nec ſuam ipſam iuſtificationem

mere-

mereri valeant, etiam de congruo, niſi fortè media vltima diſpoſitione, verùm hanc habere nequeunt, niſi ſuppoſita auxilij gratiæ collatione, & tale meritum nullo modo ad aliquid aliud, præter ad propriam formam, quam diſponit, ſe extendere poteſt. Ergo fit, nullum extitiſſe Theologum, qui meritum hoc congruum incarnationis, niſi iuſtis, tribuere ſit auſus. Et ex alia parte catholicorum nemo negauit gratiam ſanctificantem fundari in meritis Chriſti. Ergo & quodlibet meritum illis inniti neceſſariò debet. Nunc intrat dubitandi ratio.

4. Nec refert, ſi reſpondeas, concedens gratiam per Chriſtum requiſitam fuiſſe, tum ad iuſtificationem PP. tumque ad eorum merita, tamen eius neceſſitas fuit præciſè concomitans, ad excludendum ſcilicet impedimentum peccati, non verò tanquam proprium meritorum principium. Non inquam refert, quia etiamſi gratis concederem, illud meritum fuiſſe fundamentum in operibus bonis, moraliter factis ex libero arbitrio ab homine grato, tamen valor eorum, ſeu efficacia, aut congruentia in eſſe meriti, non eſſet ſumenda ex libero arbitrio, ſed ex gratia, quia vt dictum eſt, opera purè humana & naturalia per ſe nullo modo poſſunt eſſe meritoria alicuius doni ſupernaturalis.

Demus authoribus iſtis SS.PP. per opera bona naturalia, ex vſu liberi arbitrij procedentia, meruiſſe incarnationem, adhuc inutiliter hunc dicendi modum coniectarunt, etenim illa opera, licèt non ſupponerent, tanquam principium eorum, gratiam ſupernaturalem, tamen gratiam naturalem, cogitationem ſcilicet congruam ordinis naturalis, qua intenſiùs bonum illud opus fieret ſupponere, nemo dubitat, nec illi. At omnis gratia etiam ordinis naturalis fuit effectus meritorum Chriſti, vt latè *tract. de prædeſt. diſp. 3. dub. 1. & dub. 1. huius diſputationis* ſanciuimus; imo & ipſum liberum arbitrium, quoad ſubſtantiam, inter effectus prædeſtinationis decreuimus. Ergo etiamſi concedatur, SS.PP. per opera naturalia, ex libero arbitrio orta, meruiſſe incarnationem, adhuc rationem dubitandi minimè ſoluere dicuntur. Ergo doctrina hæc, & parum ſecura, & inutilis ſatis iudicanda.

5. Nec refert ſi attemperare cupiens hunc dicendi modum, reſpondeas. Opera ſupernaturalia dupliciter ſunt conſideranda. Primò, vt ſunt à gratia. Secundò, vt ſunt à libero arbitrio, quodque inſinuauit S.Thom. 1. 2. *quæſt.* 114. *articul.* 6. hoc ſuppoſito aiunt, opera conſiderata primo modo non ſunt meritoria incarnationis propter argumentum factum, ſed tantùm poſteriori modo, quia ſic conſiderata non fundabantur in incarnatione, atque adeo illam promereri valebant.

6. Imprimis nec ſic fugies vim vltimæ obiectionis iuxta principia noſtra formatæ, in qua & cognitionem liberam naturalem, & ipſum liberum arbitrium fundari in verbi incarnatione, reſoluimus. Verùm aliter iuxta communia placita hæc doctrina eſt impugnanda, quia ſi quod erat meritum in his operibus antiquorum PP. illud erat in quantùm opera illa ab ipſis, vt iuſtis erant profecta, atque adeo ab illis, vt fundatis in fide Chriſti, aliàs nulla eſſet proportio, nec ſufficiens ratio meriti in illis operibus, vt ſuprà innuimus. Ergo illa opera PP. debebant ſolùm meritoria eſſe incarnationis, quatenus ortum habebant ex gratia. Quodque *ex tractatu de gratia* ſic explico, quia tametſi gratia, & liberum arbitrium deſideres ad quodcunque opus meritorium eliciendum, tamen ea non debes ita ſeiungere, vt alterum per ſe eſſe ſufficiens ad valorem meriti præſumas, quia, quocunque illorum præciſo, operi aliquid neceſſarium deficiet, vt meritorium euadat, hoc enim & eſſe humanum, & proportionem cum præmio cupit. Primum, arbitrium præſtat, & ſecundum gratia. Ita expreſſè tutatur S.Th. 1. 2. *quæſtione* 114. *articulo* 6. *in fine corporis*. Ergo ſi ſemel admittit ſolutio hæc, quòd SS. PP. elicuerunt opera incarnationis meritoria, admittere tenebantur ea humana fuiſſe, & proportionem tenuiſſe cum ipſa incarnatione. Ergo illa opera debebant meritoria eſſe, nedum prout elicita ab arbitrio, à gratia ſeparato, ſed ab illo, vt cum gratia coniuncto. At per re ſic conſiderata non potuerunt incarnationem promereri. Ergo nullo modo.

Nec refert ſi cum aliis reſpondeas fatenti- 7.
bus, opera illa non aliter meritoria fuiſſe, niſi vt procedentia à gratia ſimul, & à libero arbitrio, tamen gratia illa, à qua oriebantur, poterat conſiderari dupliciter, vel ſecundùm ſe, velut ex meritis Chriſti procedebat, vt conſiderata primo, fuit principium meriti in PP. incarnationis, non verò ſecundo modo, quia vt ſic neceſſariò ſupponebat, tanquam principium ſui, merita verbi incarnati, necnon & incarnationem ipſam.

Non inquam refert, quia illa gratia non aliter fuit principium meriti, niſi prout in reipſa collata eſt, & opera non alio modo meritoria extiterunt, niſi prout in re fuerunt facta. Sed in re gratia illa non fuit data, niſi propter merita Chriſti præuiſa, & illa opera in re non ſunt facta niſi per auxilia data per Chriſtum. Ergo totum illud meritum in Chriſto fundatum eſt. Ergo illum ſupponebant tanquam principium. Ergo promereri illum non poterant, adhuc de congruo: aliàs principium meriti caderet ſub meritum, quod eſſet manus dare inconuenienti in ratione dubitandi inducto.

Sectio II.

Secunda reſponſio.

Aliter alij rationi dubitandi ſatisfaciunt; 8.
ſupponunt, & bene, merita PP. immediatè pendere, tanquam à proximo principio, à gratia in illis recepta, at à Chriſto mediatè, tanquam à remoto, & mediato principio, quatenus ipſe fuit cauſa moralis promerens apud Deum, quod PP. conferret gratiam, qua poſſent opera ſupernaturalia elicere. Hoc notato admittunt duo, & explicant axioma rationis dubitandi. Fatentur Chriſtum eſſe cauſam, & principium, ſaltem remotum, meritorum PP. ſecundùm PP. eſſe cauſam ipſius Chriſti meritoriam. Nunc vt vitent inconueniens conſequentis ſcilicet, principium

cipium meriti cadere ſub meritum, explicant de principio immediato, non verò de mediato; atq; adeo axioma hoc inductum eſſe fatentur pro immediato principio, contra quod vehementer procedit, non verò pro remoto, & mediato, in quod nullo modo agit aliquod inconueniens, quia pro illo priori ad operum eli-cientiam conſiderari ſolùm debent principia ea, quæ ſunt illorum immediatè effectiua, non tamen quæ ſunt mediata, & remota principia; atque adeo potuit præuideri meritum SS. PP. exiſtens dependenter à ſuis cauſis immediatis, & prout ſic promereri ipſam incarnationem: quia pro illo tunc non præuidebantur merita SS.PP. vt depédentia vllo modo ab illa, ſed vt præſcindentia à talibus principiis, & ſolùm præuidebantur pendere à ſuis principiis immediatis, nempe ab eorum libero arbitrio, & à gratia iuſtificante, & auxiliante.

9. Sed hic modus dicendi ingentes patitur difficultates. Etenim per vos illud axioma *principium ſcilicet meriti ſub meritum non poſſe cadere* eſt verum de immediato principio, taliter, quòd à merito, quod cauſat, non cauſetur, ſed eadem ratio conuincens axioma illud eſſe verum de immediato principio, concludit de remoto. Ergo ſi vnum conceditur, & aliud ab his authoribus eſt concedendum, minor probatur ſola expenſione rationis, quæ deuincit axiomatis veritatem pro principio immediato, quam ſic explico. Ideo axioma verum tenet pro principio proximo, quia aliter nequit ſaluari proloquium aliud quod à tempore Ariſtotelis vſque ad præſens, illibatum effluxit, nempe de ratione cauſæ indiſpenſabiliter eſt prioritas naturæ reſpectu effectus, quem verè & realiter cauſat; Hoc tamen periret caſu, quo meriti principium ſub meritum caderet, quia, vt ipſi authores concedunt, prioritas naturæ nihil aliud eſt, quàm independentia cauſæ ab effectu, & non è contrà, itaque prioritas naturæ, quam eſſentialiter ſubit cauſa reſpectu ſui effectus, dicit duo, vnum ſe tenens ex parte illius, nempe negationem dependentiæ ab effectu, & aliud ex parte effectus, nempe poſitiuam dependentiam à cauſa, & licèt hoc, quod ex parte effectus ſe tenet, per quid poſitiuum explicetur, tamen inuoluit negationem independentiæ à cauſa. Hoc totum ebibimus ex Ariſtotele 5. *metaph. cap.* 11. vbi prioritatem naturæ ad cauſam deſideratam definit ſic, *quædam verò ſunt, quæ ſecundùm naturam, & ſubſtantiam priora dicuntur, & poſteriora, quæcunque contingunt abſque aliis eſſe; iſta verò ſine aliis minimè.* Hæc philoſophus, quæ licèt lubrica, hanc explicationem communiter ſuſtinent, quòd ſcilicet illud dicatur natura prius alio, quod præſcindendo ab illo exiſtens intelligatur. Ex quo fit impoſſibilem eſſe pro eodem inſtanti prioritatem naturæ mutuam, quia hoc ipſo, quòd effectus eſſet cauſa prior natura, iam hæc non intelligeretur exiſtens præſcindendo ab illo, atque adeo hæc non intelligeretur prior natura, quia naturæ prioritas conſiſtit in exiſtentia vnius extremi præſcindendo ab alio extremo, reſpectu cuius prius natura dicitur.

10. Hanc doctrinam communiter authores intelligunt de cauſa efficienter phyſica, quæ verè & propriè cauſat vt exiſtens, quam extendendam eſſe ad moralem ſtatim ſubiiciam; quia moralis cauſa, in eo quòd diſtat à finali, efficientem æmulatur, atque adeo eſt communis theologorum phraſis, merita, vt poſſibilia nullo modo voluntatem mouere præmiantis, nec cauſalitatem exercere poſſe in præmium; in hoc à cauſa finali differre eſt peruium; quia hæc ſolùm, vt poſſibilis apprehenſa, ſuam cauſalitatem lucratur, non enim deſiderat ſuum eſſe exiſtens; ſed quid mirum, cum impropria ab authoribus cauſa iudicetur, quia ſi rectè inſpiciatur, non poteſt veram prioritatem naturæ ad ſtrictam cauſam ab Ariſtotele deſideratam ſortiri, quod enim exiſtens non eſt, dum cauſat, quam veram prioritatem naturæ ſubire valebit? imo effectus eius ſtrictius natura priores appellabuntur, cum ab ipſis mediis reale & magis propriè eſſe extra cauſas vera cauſalitate mutuare dicatur. Cauſa verò moralis ſolùm conuenit cum finali in vno, & in aliis maximè ab illa diſtat; conuenit, quia ſicut finis non petit exiſtere, vt cauſet; ita & moralis, verùm in hoc adhuc differt, quatenus finis, nedum petit exiſtere antecedenter, vt cauſet; quinimo petit antecedenter ad ſuam cauſalitatem, negationem ſuæ exiſtentiæ; ratio, quia cum totam ſuam cauſalitatem exerceat, vt ſint media; quæ datura ſunt illi propriam exiſtentiam; fit, quòd repugnet illi exiſtere antecedenter ad ſui cauſalitatem aliàs; verificaretur quòd id quod eſt, cauſaret vt ſit, finis enim non cauſat, quia eſt, ſed vt ſit in rerum natura; voluntatem mouet. Meritum autem, licèt vt hîc & nunc ſuam exerceat cauſalitatem, priùs exiſtere non depoſcat, tamen illi non repugnat, imo frequenter ad illam præſupponitur exiſtens, vt patet de meritis ab homine iuſto elaborans, quæ mouent, dum exiſtunt, voluntatem diuinam ad præmium conferendum: Cum hoc tamen ſtat, quod non ſemper exiſtentiam propriam petat meritum tempore illo, quo voluntas dandi præmium adeſt, tamen neceſſariò exoptat, quòd aliquando exiſtat, & quòd priùs à præmiante exiſtens cognoſcatur, antequam velit præmium conferre; quòd autem meritum ſit præteritum, vel futurum, nihil intereſt, quia ſemper retinet eamdem independentiam, quam prioritas naturæ petit; quia cùm meritum non aliter cauſet, niſi media cognitione præmiantis, cùm hæc cognitio ſemper ſit præſens, ſiue meritum ſit præteritum, ſiue futurum, & prior ipſa volitione, qua voluntas ſuperioris vult præmium conferre, fit, quòd meritum, ſub quauis duratione exiſtens præuideatur, ſemper cognoſcitur cum vera independentia ab effectu, quem cauſat Ergo hæc eſt indubitata propoſitio, *omne meritum habet prioritatem veram naturæ reſpectu præmij.* Ea qua fit hæc altera vera: *omne meritum eſt independens à præmio, taliter quòd poſſit exiſtens cognoſci, antequam voluntas præmij intelligatur exiſtere.* Ex quo fit, quòd hæc altera ſit vera, *quòd nequeat voluntas præmij exiſtens intelligi ſine meriti cognitione*; ecce radix, quæ conuincit axioma illud, nempe principium meriti non poſſit ſub meritum cadere eſſe intelligendum

in ſententia contrariorum de principio immediato, & proximo; nunc examinaturi ſumus, an eamdem vim habeat reſpectu mediati, & remoti principij, quod ſtatim oſtendam.

11. In tua ſententia, & omnium, hæc eſt vera, meritum eſt priùs natura ſuo præmio. Ergo & hæc debet eſſe vera. Meritum cognoſci debet vt exiſtens independenter à præmio. Ergo & hæc, meritum habet aliunde ſuum eſſe, quàm à præmio. Ergo & hæc, meritum non pendet à præmio, nec remotè tanquam à principio. Conſequentiam probo. Ergo hæc eſt falſa, meritum cognoſci debet, vt exiſtens independenter, quam vt veram ſupra conceſſiſti. Hæc quæ generaliter ſunt vera, ad noſtrum inſtitutum reduco, quia ex illis per infallibilem conſequentiam infertur, merita ſanctorum Patrum non poſſe præuideri futura independenter à ſuo principio remoto, quod eſt Chriſtus. Etenim quando meritum ſanctorum Patrum cognoſcitur futurum antequam cognoſcatur præmium, verbi gratia incarnatio, iam tunc cognoſcitur ipſa incarnationis ſubſtantia exiſtens: quia pro quocunque ſigno, in quo meritum ſanctorum Patrum intelligatur exiſtens, intelligi debet ſaltem immediatum principium illius exiſtens, nempe gratia in illis recepta. Ergo pro illo eodem ſigno debet intelligi exiſtens incarnationis ſubſtantia. Probo hanc, vel enim gratia, quæ eſt immediatum principium, & intelligitur exiſtens pro ſigno, quo exiſtit meritum, intelligitur exiſtens à ſe vel ab alio, in linea morali meritoria. Non primum, quia eſſet illa cognitio falſa, cùm re vera, illa gratia ſit PP. collata dependenter à Chriſto, tanquam à cauſa morali meritoria. Ergo intelligitur illa gratia, vt exiſtens dependenter ab alio, in linea morali, & meritoria, quæ ſit Chriſtus. Ergo in illo priori, in quo intelligitur exiſtens gratia, quæ eſt immediatum principium meritorum ſanctorum Patrum, intelligitur Chriſtus, ſed in illo nunc, quo intelligitur exiſtens meritum ſanctorum Patrum, intelligitur exiſtens gratia, quæ eorundem eſt immediatum principium. Ergo in ipſo nunc, quo intelligitur meritum ſanctorum Patrũ, intelligi debet Chriſtus exiſtens, qui eſt eiuſdem radicale principium, ſed per vos ideo immediatum principium meriti, quod eſt gratia, non poteſt cadere ſub meritum, quia pro priori ad meritum exiſtens præuideri debet neceſſariò exiſtens gratia; ergo nec Chriſtus, qui eſt mediatum principium meriti ſanctorum Patrum, poterit cadere ſub tale meritum, quia vt probatum eſt, neceſſariò pro quocunque priori ad meritum prædictum debet præuideri exiſtens. Ergo axioma illud eaſdem retinet vires pro mediato, ac pro immediato principio meriti.

12. Rurſum impugno id, quod authores iſti, etſi conſequenter ad ſua principia, profitentur; aiebant enim, quòd vt merita ſanctorum Patrum intelligantur futura, non eſt neceſſe, quòd pro priori præuideantur determinata principia remota, ſed ſolùm immediata principia. Contra hoc ſic argumentor, etenim idem potuerunt affirmare de principio proximo meriti; imo & de ipſo merito, quia ſi ſemel conſiteris ſufficere confuſam ſaltem cognitionem ante voluntatem præmiandi, nihil poteſt obeſſe, vt idipſum fatearis de principio immediato; quia poteſt Deus decernere per modum intentionis, quòd Petrus cum aliquo auxilio gratiæ eliciat cras actum amoris, minimè tamen ex vi talis decreti intentiui decernendo determinatè, quod auxilium determinatum, vel quem actum in indiuiduo ſit eliciturus, hoc tamen iam à Deo præuiſo, nempe, quòd Petrus cras habiturus eſſet actum dilectionis, dependenter ab aliquo auxilio gratiæ, poſſet ex hac præuiſione moueri ad dandum illi tale auxilium, cum quo prædictam illam dilectionem producat; imo & hoc ipſum intendere, vt præmium illius actus in confuſo præuiſi. Sed hoc non admittis de immediato principio meriti; Ergo nec de mediato idipſum aſſerere poteris, ſequelam probo à paritate, quia vt iſti authores declinarent vim illius axiomatis, nempe, quòd omne meritum poſtulat pro præmio aliquid aliud, præter id, quod merens iam cenſetur habere: atque adeo non poſſe meritum pro ſuo præmio habere principium mediatum, quia merens iam cenſetur illud habere, cum cognoſcatur exiſtens, dependenter à principio immediato, quod etiam dependet à remoto, vt ab hoc expedirentur, aſſeruere, quòd meritum cognoſcebatur quidem exiſtens, dependenter ab aliquibus principiis mediatis in confuſo, & disiunctim, non tamen ab hoc principio determinato, & hac ratione, aſſerunt, mediatum & remotum principium poſſe dari, pro præmio determinato ad hoc, vt dependeat magis ab hoc principio mediato, quàm ab alio, a quo poſſit pendere. Hæc eſt authorum doctrina, ex qua paritatem noſtram expendo. Sed meritũ idem poteſt intelligi exiſtens, dependenter à ſuo principio immediato in confuſo, & disiunctim præuiſo, vt in caſu argumenti vidimus. Ergo eadem ratione poterit principium immediatum vt determinatum aſſignari in præmium meriti præuiſi, dependenter ab hoc, vel ab illo immediato principio. Itaque meritum, ſicut præuideri poteſt dependenter ab hoc, vel illo remoto principio disiunctim, quia eſſentialiter ab hoc determinato radicali principio meritum non pendet, ita poterit meritum præuideri dependenter ab hoc, vel illo immediato principio disiunctim, & in confuſo ſumpto, quia meritum eſſentialiter ab hoc determinato principio proximè non pendet. Quid ergo plus habet mediatum principium, vt poſſit determinari in præmium meriti ſic præuiſi, defectu cuius aliter de immediato principio ſit diſcurrendum?

Nec refert, ſi reſpondeas, repugnare caſum argumenti, quia actus bonus in communi non poteſt præmiari, ſed debet præmiari hoc meritum vt tale eſt, atque adeo debet præuideri hoc meritum ante voluntatem præmiandi. 13.
Sed contra, quia aliud eſt, caſum noſtrum repugnare, & aliud, radicem illius repugnantiæ eſſe eam, quam reſpondens aſſignat. Fateor primum, aliàs non deduceremus illum, tanquam inconueniens contra aduerſarios, ſecundum autem eſt falſum; etenim opus bonum in confuſo præuiſum, licèt in particulari minimè præcognoſcatur, poteſt mouere voluntatem

tem præmiantis, ſicut ſcelus ſolùm in confuſo præcognitum, quamuis in particulari non cognoſcatur, quale fuerit, poteſt excitare punientis voluntatem ad imponendam pro illo pœnam. Vtrumque experientia monet. Etenim ſi quis ſciat, Petrum, opus egregium peregiſſe, & Paulum, opus malum perpetraſſe, quamuis conſcius non extiterit de ſpecifica & indiuidua operum qualitate, poterit velle præmium conferre Petro, & pœnam Paulo infligere, commune placitum moraliſtarum eſt, vt *tractatu de integritate confeſſionis* dedimus, pœnitenti in communi confitenti ſe peccatum mortale commiſiſſe, licèt eius ſpeciei penitus ignaro, tenetur confeſſarius pœnitentiam iniungere pro illo. Ergo hoc, quod eſt actum dilectionis ſolùm præuideri in confuſo, non eſt radix repugnantiæ, vt non poſſit ſuiipſius eſſe præmium, vel quòd principium immediatum non poſſit, tanquam præmium illius, aſſignari.

14. Diacram caſum noſtrum repugnare, & in hac repugnantia totam argumenti vim repoſuimus, quam non aliter expendes, niſi conſcius fueris huius repugnantiæ radicis; radix ergo huius implicationis eſt axioma illud, nempe, quòd omne meritum poſtulat pro præmio aliquid aliud præter id, quod merens iam cenſetur habere; atque adeo ſine meritum cognoſcatur in confuſo, ſiue determinatè, non poteſt præmians conferre aliquid pro præmio, quod non diſtinguatur ab illo merito determinatè ſumpto, & à cunctis aliis, etiam determinatè ſumptis, quæ merens habeat à ſe, & independenter à præmio. Sed hæc ratio æqualiter militat in ordine ad principium mediatum, ac in ordine ad immediatum. Ergo vel neutrum, vel vtrumque poteſt aſſignari in præmium meriti præuiſi, dependenter ab illis ſub diſiunctione, & in confuſo cognitis.

15. Tandem Gonzalez, *in manuſcripto de incarnatione*, illud axioma, nempe principium meriti ſub meritum cadere non poſſe, ſic intelligendum proponit, quòd merendi principium concurrens ad meritum in genere cauſæ efficientis non poſſit cadere ſub meritum, quia iam prædictum principium præſupponitur ante meritum exiſtens: at verò principium merendi tantùm concurrens ad meritum in genere cauſæ finalis poteſt cadere ſub meritum; Merita autem Chriſti tantùm fuerunt cauſa finalis gratiæ collatæ ſanctis Patribus, ac proinde hanc, & merita ex hac gratia procedentia phyſicè eſſe cauſam meritoriam meritorum Chriſti, & vnionis, quam ſupponunt.

Verùm hic modus dicendi ſi verum ſupponeret, peruium modum componentem hæc omnia proponeret; etenim ſuppoſito, quòd merita Chriſti ſint tantùm cauſa finalis gratiæ collatæ ſanctis Patribus recuſaret nemo hanc eamdem gratiam Patribus fuiſſe efficientem cauſam meritoriam illorum Chriſti meritorum, quia apud omnes, dempto nullo, eſt valde familiaris mutua cauſalitas inter finalem, & cauſam efficientem, in qua repugnantiam vllam ſe perit nemo, quia finis, vt diximus, non mouet, quia eſt, ſed vt ſit, & ipſe mouens, in genere cauſæ finalis ad media, eſt ſimul effectus mediorum, in genere cauſæ efficientis. Hæc licèt ita ſint, tamen rem hanc ita contingere eſt expreſsè contra ſanctum Thomam, & contra veritatem. Illud, quia ſanctus Thomas 3. *part. quæſt.* 24. *artic.* 4. clarè contrarium edocet his verbis. *Dicendum quòd ſi conſideretur prædeſtinatio, ſecundum ipſum prædeſtinationis actum, prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ; quia vno & eodem actu Deus prædeſtinauerit ipſum & nos; ſi autem conſideretur prædeſtinatio ſecundum terminum prædeſtinationis (hoc eſt ſecundum obiectum) ſic prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis; ſic enim Deus præordinauit noſtram ſalutem ab æterno; prædeſtinando, vt per Ieſum Chriſtum compleretur.* Hæc diuus Thomas quem intelligendum eſſe de Chriſto, nedum vt fine prædeſtinationis noſtræ, ſed vt illius cauſa meritoria efficiente, mihi ſuadet ipſe, qui perpetuus eſt *in tota hac tertia parte, potiſſimum quæſtione ſeptima, de Chriſti gratia* in oſtendendo Chriſtum fuiſſe perpetuum caput myſticum prædeſtinatorum omnium. Sed de oratione capitis eſt, omnem gratiam, & donum ſupernaturale in ſua myſtica membra moraliter influere. Ergo iuxta ſanctum Thomam merita Chriſti, nedum ſolùm, vt finem gratiæ Patribus collatæ ſunt ſtatuenda, ſed vt vera cauſa moralis eorumdem effectiua ſunt exiſtimanda.

Iam quòd hic doctor doctrinam patrum veritati conſonam inuoluat, mihi ſuadet ipſa veritas à cunctis authoribus admiſſa; quia ſi merita Chriſti tantùm ſunt cauſa finalis gratiæ antiquis Patribus elargitæ. Ergo hæc eſt vera: Chriſtus non meruit illis Patribus gratiam, probo conſequentiam clarè, quia cauſa finalis, præciſè vt talis, non eſt meritoria, Sed per te Chriſtus ſolùm extitit finis gratiæ Patribus. Ergo illius non adfuit Chriſtus meritoria cauſa. Maior patet; aliàs ſi finis eſſet cauſa meritoria, fieret, quòd actus præcedens ex primo auxilio gratiæ eſſet meritorius illius. Ergo finis non meretur. Sequelam probo, quia auxilium datur ex intentione operis boni faciendi. Ergo opus bonum eſt finis auxilij. Ergo ſi finis poſſet eſſe meritorius eius, reſpectu cuius eſt finis, nihil obeſſet, quominus per actum ex auxilio eliciendum poſſemus ipſum auxilium promereri, atque adeo homines promererentur primum auxilium, ſeu primam vocationem; quod reſpuunt Patres ſancti, & quod ipſe cupit, & tenetur vitare, Ergo Chriſti merita non ſolùm per modum finis fuerunt cauſa meritoria gratiæ ſanctis Patribus collatæ, ſed per modum cauſæ meritoriæ, quæ debet neceſſariò exiſtens præuideri pro priori naturæ in aliqua differentia temporis, ſiue prioris, ſiue poſterioris collatione præmij, iuxta ea quæ ſuprà hac ſectione annotaui, conſtituens diſcrimen inter cauſam moralem, & finalem. 16.

Sectio III.

Sancti Patres antiqui non potuerunt mereri incarnationem de condigno.

17. HÆc præfixa concluſio, nempe, non potuiſſe de condigno incarnationem promereri, procedit de facto, de merito verò de congruo ſectione ſequenti erit ſermo, dum modum, quo tale meritum cum gratia ex meritis collata componatur, oſtendam. Hæc concluſio quoad omnia eius eſt intelligenda de omni pura creatura, de angelica, & humana, ſed claritatis gratiâ, de antiquis à Doctoribus tractatur, quia in eis poteſt eſſe aliqua ratio dubitandi, tamen reſolutio noſtra, & ratio, quæ illi innixa eſt, generalem vim habet in omnem creaturam puram. Hæc concluſio, videlicet, non eſſe poſſibile creaturæ puræ meritum condignum incarnationis, abundè fulciri poterat ſumma ſcripturæ & SS.PP. locorum, pro nunc ſat ſit referre Irenæum *l. 5. contra hæreſes cap. 2.* vbi inquit, *reſpectu peccati, redemiſſe nos Chriſtum, ſumma iuſtitia, reſpectu verò noſtri, ſumma benignitate, quia nihil illi antea dare poteramus.* Ratio concluſionis deſumitur ex diuo Thoma hîc quam in ſequendis magis eleuabimus, merita ſanctorum Patrum habuerunt æquale, & condignum præmium in augmento gratiæ, & gloriæ illis correſpondente. Ergo non meruerunt de condigno altius præmium, qualis eſt incarnatio. Antecedens ſuppono ex his quæ dictaui *ſectione prima, numero decimo dubij antecedentis*, & ſuppono cum ſancto Thoma, *quæſtione* 114. vbi dedimus ex communi, quòd reſpectu noſtrorum meritorum tale augmentum eſt condigniſſimum præmium. At merita Patrum antiquorum non erant altioris ſphæræ, quàm ſint merita iuſtorum poſt aduentum Chriſti. Ergo condigniſſimè præmiabantur collatione augmenti gratiæ, & gloriæ illis correſpondentis. Rurſum, hæc ratio incrementum ſumit ex his, quæ inuenimus *tractatu de ſatisfactione pro peccato alieno*, iuxta ea quæ fuſiùs *dicto loco de merito* cum ſancto Thoma ſcripſimus, nempe, vnum hominem non mereri alteri primam gratiam de condigno, quod generaliter de omnibus iuſtis intelligendum eſſe ſanciuimus. Ergo multò minùs poterit creatura pura mereri Chriſto gratiam vnionis, quæ in illo fuit prima, & taliter ex vi præſentis prouidentiæ, vt illius collationem nullum præceſſerit meritum etiam in Chriſto. Si enim hoc Chriſto negatur, auſus erit quis creaturæ puræ illud concedere?

18. Adeo efficaces has rationes exiſtimo, vt etiamſi intercederet Dei promiſſio, adhuc concluſionem efficaciter deuincere, iudicem. Hoc ſic explico; quia ſi conſiderentur gratia & opera ex illis procedentia, ſecundùm ſe tantùm, & intrinſecam naturam, ſolùm habent proportionem, & condignitatem cum gloria, cuius ſemen recenſetur gratia; at cum vnione nullam condignam proportionem retinent, cùm gratia, nec ſemen eius ſit, nec ex natura ſua ad illam ordinatur, ſed ſemper inferioris ordinis ſit vnione ipſa. Iam ſi ſuperadditam promiſſionem ponas ſub conditione operis, tunc in illis meritis inueniretur ſolùm ad vmbram ratio meriti condigni, ad hunc ſenſum, quòd homini ſic operanti ſub tali promiſſione debitum eſſet incarnationis præmium, & quia illa opera ſub diuina ordinatione, & facta ſub fide, & ſpe illius promiſſionis antecedentis, haberent maiorem valorem, ſaltem extrinſecum, pertinentem quodammodo ad vnionem hypoſtaticam. Verùm cum hoc ſtare debet, quòd etiamſi hæc promiſſio præcederet, à qua in illis operibus hæc extrinſeca ordinatio ad vnionem promanaret, adhuc non participarent veram, & ſtrictam rationem meriti condigni ex iuſtitia. Quia meritum proprium condignum inter alia, duo exposcere neceſſariò *ex tractatu de merito* reſoluimus & *tractatu de iuſtitia inter Deum & homines*, & quod præcedat promiſſio ſub conditione oneroſa operis eliciendi, & quòd in opere elicito adſit valor & condignitas æqualis cum bonitate præmij promeriti. At licèt præceſſiſſet promiſſio à Deo PP. facta incarnationis ſub conditione, operum ab ipſis eliciendorum, adhuc talibus meritis deeſſet valor, & condigna proportio cum incarnatione. Ergo etiam ſuppoſita promiſſione oneroſa, merita illa non euaderent condigna incarnatione. Minor patet, quia, quauis ſuppoſita promiſſione, ſemper manerent opera illa à pura creatura facta. Ergo finita intenſiuè. At incarnatio eſt valoris ſimpliciter infiniti. Ergo, quauis promiſſione antecedenti, merita ſanctorum Patrum eſſent inæqualis valoris cum incarnatione. Vnde defectu huius conditionis, caſu, quo Deus denegaret incarnationis exiſtentiam, etiamſi homines ſancti conditionem purificarent, nullam committeret Deus iniuſtitiam, lege quæ citato loco de iuſtificatione dedimus.

Sed occurres, has rationes adeo efficaces 19.
eſſe æſtimandas, vt non ſolùm condignum meritum incarnationis SS.PP. auferant, verùm & congruum ab omnibus admiſſum funditus euertant. Probatur, etenim tota vis illarum eſt, quia prædictis SS. PP. meritis deficit proportio cum incarnatione. Sed defectus proportionis cum præmio tollit ab illo rationem meriti congrui ad illud. Ergo iſtæ rationes vtrumque meritum ſanctorum Patrum auferunt reſpectu incarnationis. Maior eſt doctrina noſtra. Minor probatur, quia plus excedit vnio hypoſtatica actus hominis iuſti, quàm gratia habitualis actus bonos naturales. At improportio, quam habent actus naturales cum gratia habituali, tollit ab illis omnem rationem meriti, etiam de congruo reſpectu illius. Ergo improportio operum SS. PP. cum vnione, cùm ſit maior, auferet potiori titulo ab illis omnem rationem meriti, etiam congrui reſpectu prædictæ vnionis. Maiorem admittunt vniuerſaliter tot, quot in gratia vnionis valorem ſimpliciter infinitum agnoſcunt, & illud operibus creaturæ puræ inficiátur, hi enim improportionem cunctis maiorem iſtis decernere debent, cum finitum, & infinitum nulla proportione adumbrentur. Minor eſt certa, & de fide, contra

Pela

Pelagium tenentem operibus naturæ ineſſe valorem meritorium gratiæ. Conſequentia ingentem vim continet.

20. Hoc argumentum neruoſo robore viget; & licèt eius enodationem non ſuſceperint plures, decreui illud ad vnguem examinare. Reuerendi quidam exiſtimant, argumentum hoc nimis probare, quia ſi, impensè perpendatur, conuincit, adhuc Chriſto non ſupereſſe valorem, vt, mediis ſuis actibus ſupernis, promereri poſſet vnionem hypoſtaticam alteri naturæ conferendam. Mouetur, quia ſi actus naturales habent talem improportionem, & ita ſunt improportionati ad merendam gratiam, vt nec etiam homo iuſtus poſſet de facto per actus naturales mereri gratiam ſibi, nec alteri, vt communiter ſuſtinuimus *tractatu de merito:* ſi aliàs id fieri poſſet, de facto eſſent plura merita ab homine iuſto patrata meritoria de condigno, quæ ex fide ortum non contraxiſſent, ſed lumine naturali regulata, quod ſancti Patres & Theologi cuncti exprobrant. Ergo ſimiliter erit dicendum propter maiorem improportionem, quam actus boni etiam ſuperni habent cum gratia vnionis, eos neque etiam in Chriſto eſſe proportionatos ad promerendum aliam vnionem.

21. Hæc dnctrina vim argumenti non declinat, quia licèt efficaciam habeat ad denegandum ſanctorum Patrum meritum de congruo, nullam tamen, nec minimam portionem roboris continet, aduersùs condignitatem operum Chriſti honeſtorum, reſpectu vnionis alteri naturæ conferendæ. Etenim, vt infrà innuemus, *tomo ſecundo, tractatu de valore operum Chriſti* illis operibus adeſſet valor infinitus, ita vt talis infinitudo ab eiſdem non poſſit præſcindi, quia eo ipſo, quòd nata eſſent à Chriſto, à perſonalitate informarentur. Ergo impræſcindibilis eſſet ab illis infinitus valor, & adeo excellens, vt nullo modo exequabilis foret, quacunque præmij infiniti collatione, quia de ratione conſtitutiua meriti infiniti ſimpliciter, non eſt præmium ſimpliciter infinitum promereri, ſed promereri infinities infinitum. Vnde vt latè dedimus, *tractatu de valore operum Chriſti*, etiamſi Chriſtus prometitus fuiſſet vnionem hypoſtaticam alteri naturæ, quæ infinitum præmium indicatur, adhuc Chriſti operibus ſupereſſet valor ad promerendum aliam vnionem, & hoc cur? quia actiones Chriſti ſunt meritoriæ ſimpliciter infinitæ à ſanctitate Dei increata. Ergo cùm hic valor, dum primum opera fiunt à Chriſto, inſit illis, fit, quòd ſit intelligibile, hunc actum honeſtum eſſe à Chriſto, & illi deeſſe valorem condignum ad promerendam vnionem alteri naturæ conferendam. Ergo actus honeſti ſupernaturales Chriſti erant meritorij de condigno alterius vnionis, quia cum illa haberent omnimodam proportionem, qualem non habent actus naturales hominis iuſti cum habituali gratia. Perperam ergo hic recens conatur hanc improportionem retorquere in opera Chriſti, reſpectu vnionis alteri naturæ conferendæ.

Hoc ipſum ſic pondero, quia in quolibet Chriſti opere duplex reſplendet valor. Vnus ab vnionis gratia profectus. Alter à gratia habituali ortus. Vterque inſeparabilis ab illo, nedum realiter, ſed neque ex libera attentione præmiantis, non realiter, vtpote ab vtraque indiuiſibiliter eſſentialiter promanans; non ex attentione præmiantis ad hunc ſenſum, quòd actus Chriſti poſſit attendi in ordine ad præmium ad vnum valorem, & non ad alium, ex vi cuius, ſi attendatur ſecundùm valorem à gratia habituali acceptum, non ſit meritorius de condigno alterius vnionis hypoſtaticæ, alteri naturæ conferendæ. Siquidem talis attentio non eſt ſufficiens auferre condignitatem ab opere Chriſti ex alio latere vnionis ſcilicet gratiæ aduenientis vt ſtatim dicam, vnde ſi Chriſti opera eſſent talia, vt valorem in illis inuentum, ſolùm à gratia habituali participarent, eodem modo ab illis meritum condignum reſpectu alterius vnionis ſubmouerem, ac actibus naturalibus hominis iuſti coodignitas ad gratiam habitualem denegatur.

22. Sed quia iſta doctrinæ valde ſubtilis ſunt excitamenta, immorari in illis decreui, ſicque ex aqua pulnerem excotere videar, ioſtabis. Ergo potiſſimùm contra ponderationem allatam; tametſi operi Chriſti duplex ille valor eſſentialiter inſit, poteſt attendi in ordine ad præmium ad vnum valorem, & non alium. Ergo hic duplex valor non tollit, quin præmium conferatur tantùm intuitu operis Chriſti præcisè, vt dignitati per gratiam habitualem, ſub qua ratione præciſa, non eſt condignum reſpectu vnionis alteri naturæ conferendæ, ſed tantùm congruum. Antecedens probo, etiamſi opus placeat Deo ſecundùm vtrumque valorem, quem habet; poteſt Deus à neutro moueri ad præmium conferendum, quia neuter eorum neceſſitat Deum ad collationem præmij. Rurſum, eorum quilibet ſufficit, vt Deum moueat, quia ſi vnus ab alio ſeparetur, poſſet Deum allicere ad præmiandum. Ergo poteſt Deus moueri ex complacentia cuiuſuis, pro libero ſui arbitratu, ad præmium conferendum. Ergo quamuis cuilibet Chriſti operi ille duplex valor eſſentialiter inſit, poterit Deus, ex complacentia illius, vt dignificati gratia habituali, non habita ratione in ordine ad præmimm dignitatis infinitæ, quam habet ratione deitatis moueri, ſed ſi Deus ſic moueretur ad collationem vnionis alteri naturæ, præmium non eſſet de condigno, ſed de congruo, quia non reciperet dignitatem fundantem meritum de condigno.

23. Semper enim difficillimam iudicaui hanc præciſionem in motione diuina, ſi enim eius impoſſibilitatem oſtenderim, ſolidiùs totam hanc doctrinam eneruemus. Sed non ita facilè eſt rationem inuenire, qua conuincamus iſtam præciſionem repugnare, quam verò coniectaui, propono. Certum enim eſt, vt notabimus *ex tractatu de merito, diſputatione de valore operum Chriſti*, actus intelligi valoroſos, ſanctos, iuſtos, & excellentes, non

eſſe idem, ac ipſos in ſe phyſicè, immediatè habere receptam gratiam, hoc enim eſt falſum, cùm gratia, & quodlibet principium dignificans immediatè, ſolùm in anima ſubiectari dicatur, ſed ad hunc ſenſum, quia procedunt à principio vitali dignificato, & excellenti tales actus dignificati recenſentur, iuxta hæc, quæ communiter circunferuntur, debes alias propoſitiones veras iudicare, actus ſcilicet honeſtos gratiaque dignificatus, necnon actus gratia vnionis dignificatos Deo placere, nihil aliud eſſe, quàm eoſdem immediatè oriri à ſubiecto, quod pro priori naturæ ad eorum elicientiam ſupponatur, vel cum gratia habituali, vel cum vnionis gratia, atque adeo placere Deo hos actus, vt iuſtos, & gratos, idem ſonat, ac placere illos, vt procedentes à ſubiecto tali, vel tali dignitate exornato. Vnde ſi ponantur in homine vno, qualiter in Chriſto, dignitates plures, tametſi inter ſe valde diſtinctæ, tamen in actu, vt valoroſo, identificantur, quia in ordine ad dignificandum actum omnes illæ dignitates ſub eadem ratione ſuum munus exequuntur, quia ſi quæras de qualibet cur hunc dignificet actum? reſpondebitur, quia talis actus immediatè procedit ab hoc ſubiecto tali dignitate inſtructo. Idem de qualibet tibi quærenti dabitur reſponſio. Ergo omnes iſtæ dignitates ſub eadem ratione identificantur, in ordine ad dignificandum actum ortum à ſubiecto, quod inhabitant. Ex his infero. Ergo hoc ipſo, quòd aliquis actus, gratia habituali condignificatus, immediatè procedens à ſubiecto, ſanctitatem infinitam habente, placeat Deo, debet placere illi, vt dignificatus infinita ſanctitate, ratio eſt iam data, quia eſſe gratum, & dignum habituali gratia, non impedit dignitatem, quam habet ex gratia vnionis, quia eſſe gratia habituali gratum, eſt procedere ab homine talem dignitatem habente; Sed hunc actum procedere ab homine habente ſimilem dignitatem, non impedit, quin idem actus ex vi eiuſdem elicientiæ naſcatur ab homine habente aliam infinitam dignitatem. Ergo hunc actum eſſe dignum gratia habituali non impedit dignitatem, quam ex gratia vnionis habet. Ergo non poteſt Deo placere actus hic, quia dignus habituali gratia, quin placeat eidem actus ille, quia gratia vnionis dignus, quia non aliter actus hic Deo placet, niſi quia naſcitur ab homine hoc. Ergo debet illi placere ſecundùm latitudinem totam dignitatis, quam habet homo. Ergo ſi hic ſupponitur vtraque dignitate munitus, qualiter noſter Redemptor, actus placens Deo, vt ab illo gratia habituali prædito, & placere etiam debet, vt ab illo gratiam vnionis habente procedit. Quia per eamdem rationem indiuiſibilem, nempe, quia procedit, vtraque dignitas refunditur in actum.

24. Explico ſic doctrinam hanc, tametſi actus liber ſupernaturalis procedat à duplici principio, charitate ſcilicet, & libero arbitrio, & ex parte illorum ſecundùm ſe diſtinctio, & ſeparabilitas detur; tamen in actu, libertas, & ſupernaturalitas impræſcindibiles ſunt. Et hoc cur? quia quaſi identificantur in homine, in ordine ad communicandum actui libertatem, & ſupernaturalitatem; & ſic perinde eſt in actu, ſupernaturalem eſſe, ac proinde à voluntate, vt cum charitate coniuncta, & illum eſſe liberum, ac procedere à charitate cum libero arbitrio copulata. Quod eſt in cauſa, vt in ordine ad has formalitates, libertatis ſcilicet, & ſupernaturalitatis, liberum arbitrium, & charitas, quaſi identificari dicantur, quia taliter coeunt, vt illas actui communicent, vt in iſto realiter non diſtinguantur, ſed realiter identificentur, taliter, quòd vtraque formalitas impræſcindibilis ſit, non enim portio datur in actu, quæ ſuperna ſit, & non libera, nec aliam dabis liberam, quæ ſupernaturalis non exter, tota entitas ſuperna, & libera, promiſcuè cum omnimoda entitate iudicatur. Et hæc eſt ratio, cur ſi Deo placet actus, vt liber, placere debet eidem, vt ſupernaturalis. Applica exemplum quia aptiſſimum inſtituto noſtro, & tota hac fulcitus doctrina negabis omnes propoſitiones, in quibus dicatur, Deo placere poſſe actum Chriſti, vt dignificatum gratia habituali, præſcindendo à complacentia eiuſdem, vt dignificati vnionis gratia; atque adeo ſemper Deum mouere debet ſecundùm vtramque dignitatem, vi cuius habet neceſſariò æqualem proportionem, cum quocunque præmio, quantumuis ſimpliciter infinito.

Verùm ne videar ſolùm vni opinioni innixus, ſolutionem huic argumento præſtare, reſpondere illi iuxta alia principia decreui. Admiſſo, poſſibilem eſſe Deo hanc motionem præciſiuam, reſpectu actus à Chriſto eliciti, ita vt valeat attendere illum in ordine ad valorem, quem ex gratia habituali deſumit, nullo modo attendendo ad valorem ex vnionis gratia in ipſo deriuatum; aſſerimus, Deum rependentem vnionem hypoſtaticam, intuitu actus Chriſti motus, vel allectus ex ſolo valore, vel dignitate ex gratia habituali in illo reſplendente, præmiaret de condigno ipſum actum; atque adeo hanc ponimus regulam generalem, quodcunque præmium, collatum intuitu operis condignè condignificati, in ordine ad illud ipſi reſpondere tanquam merito de condigno, etiamſi ipſa præmians non moueatur ad collationem præmij honeſtate operis, vt condignè dignificata, ſed honeſtate operis, quæ ſa ſola meritum condignum non fundaret. Ratio huius non eſt alia, niſi alia regula, qua cum ſancto Thoma ſtabiliri ſolet, circa diſtinctiuum meriti condigni à congruo. Etenim meritum condignum, vt à congruo diſtinguitur, non pendet ex eo, quòd præmians moueatur ad præmium conferendum operis condignitate, ſeu opere, vt condigno: ſed ex eo, quòd meritum habeat in ſe ſufficientem condignitatem; 25.

tatem ; ſi enim illam poſſederit, & de facto præmium obtineat, illi tale præmium, tamquam merito condigno reſpondebit, etiamſi in eius collatione præmians nullo modo ad eius condignitatem attenderit ; ſi verò tale meritum condignitate caruerit, vt meritum ſolum de congruo præmium poſſidebit. Atque adeo hæc eſt generalis regula, quòd licèt ratio præmij dependeat ab actu interno præmiantis, quo meritum contnetur, intuitu cuius præmium confert, tamen præmium illud eſſe congruum, vel condignum reſpectu meriti, nullo modo pendet ex voluntate præmiantis, ſed ex dignitate, quam meritum habet ſecundùm ſe, & ex prædicatis intrinſecis, atque adeo ſine hoc, vel illud motiuum ſibi præfixerit præmians, præmium erit condignum, ſi ceciderit ſupra meritum ex ſe, & eius natura condignitatem continens.

26. Iuxta principia hæc ſolutionem propono replicæ, procedebat arguens ſic, poteſt Deus vnionem hypoſtaticam alteri naturæ dare, intuitu operum Chriſti, præcisè vt dignificatorum gratia habituali, nullo modo attendendo in hac collatione ad dignitatem infinitam eorumdem ex ſanctitate diuina. Ergo poterit hæc collatio reſpondere Chriſti operibus, vt meritis de congruo, & non vt meritis de condigno. Reſpondendum eſt, dando antecedens gratis, & negando conſequentiam, quia licèt dignificatio gratiæ habitualis non ſufficiat ad meritum condignum ſtatuendum, ſi talis dignitas ſit ſeparata in actu à dignitate infinita, tamen ſi illam in eodem actu coniungas cum dignitate infinita, ſufficiens eſt. Ex quo illa propoſitio, quæ poteſt eſſe noſtræ ſolutionis replica, videlicet, dignificatio gratiæ habitualis præcisè ſumpta in motione voluntatis, non ſufficit ad meritum de condigno reſpectu vnionis hypoſtaticæ alteri naturæ conferendæ, eſt diſtinguenda. Præcisè ſumpta in motione voluntatis, & à parte rei cum dignificatione infinita non coniuncta, eſt concedenda, qualiter ſic in quouis homine puro inuenitur. Præcisè verò ſumpta in motione voluntatis ſolùm, & aliàs in re coniuncta cum dignificatione infinita, neganda eſt, hoc modo à Chriſto eliciuntur actus meritorij, quorum dignitas à gratia habituali orta eſt coniuncta cum dignitate ſanctitatis infinitæ.

Rem hanc expendit exemplum, quo vſus ſum *tractatu de emptione §. decimo nono*, vt oſtenderem conceptum emptionis iuſti pretij. Vendat quis gemmam optima arte perpolitam. Accedat emptor, & allectus ſolùm valore intrinſeco gemmæ, nulla attentione facta ſupra artis ſtructuram, centum aureos conferat pro illa, & aliunde licèt valor intrinſecus gemmæ ex ſe ad illos centum aureos minimè perueniat, tamen vt coniunctus cum arte, quod noſtra phraſis æquiualet *alas manos*, æſtimationem illorum centum attingit. Hoc caſu poſito, vendens diceretur pro gemma iuſtum pretium recepiſſe, & emens non diceretur aureos illos pro gemma ſupra iuſtum pretium elargitum fuiſſe. Atqui in hoc caſu emens ſolùm fuit motus valore intrinſeco gemmæ, nullo modo ex ſe centum aureos attingentis, quia vt ſupponitur, non attendit emens ad artem ; ſimul cum qua venditio iuſta conſtituebatur, & hoc non obſtante illa venditio eſt iuſta, quia quamuis id, quod emens præſcindit, minus valeat, quàm centum aurei, tamen quia reipſa ille valor diminutus gemmæ coniungitur cum valore artis, cum quo centum aureis æquiualet, ille contractus venditionis iuſtus eſt, & ratus. Ecce quo modo ementis præciſio à valore requiſito ad iuſtam venditionem, non impedit, vt venditio illa iuſtiſſima exiſtimetur. Similiter ergo dato, quòd Deus præmians præſcindat ab actu Chriſti dignitatem infinitam, condignum meritum conſtituentem, & ſolùm moueretur ad conferendum vnionem hypoſtaticam alteri ſola dignitate gratiæ habitualis, adhuc condignum præmium illis meritis conferret, quia etſi dignitas infinita, motione voluntatis præmiantis, à dignitate gratiæ in illo actu præſcinderetur, tamen in re ambæ dignitates in illo realiter eſſent copulatæ.

Deuicto igitur hoc modo occurrendi rationi dubitandi in principio allatæ, quæſituri ſumus viam ſecuriorem, qua diſparitas inter actus naturales & gratiam habitualem ex vna parte, & actus ſupernaturales ſanctorum Patrum, & vnionis gratiam ex alia, apparere poſſit. 27.

Pater Suarez *tomo primo in tertiam partem, diſputatione decima, ſectione ſexta, §. dico tertio*, hanc rem licèt tranſeunter tetigerit, aſſerit, maximam eſſe diſparitatem inter iſta, vi cuius homo nequeat, per opera merè naturalia, de congruo promereri gratiam habitualem, tametſi valeat per opera, à gratia habituali profecta, gratiam vnionis promereri, cuius diſparitatis radicem aſſerit eſſe ex duplici capite deſumendam. Primo ex eo, quòd licèt gratia habitualis non petat vnionem, tamen ſuppoſito, quòd vnio futura ſit ex diuina ordinatione, non poteſt eſſe conuenientior diſpoſitio ad eius executionem, quàm per iuſtitiam & bona opera ex illa. 28.

Sed adhuc reſtat ſcrupulus, quia eodem modo poterit quis dicere, quòd ſuppoſito, quòd Deus velit producere gratiam, vel dare ſupernaturalia auxilia, non poteſt eſſe conuenientior diſpoſitio, quàm per iuſtitiam naturalem, & bona naturalia opera, quia ſicut ad vnionem hypoſtaticam nequit diſponi humanitas per aliam vnionem ; ita nec ad primum auxilium ſupernaturale nequit diſponi homo per alia ſupernaturalia auxilia, atque adeo conuenienter diſponetur per naturalia opera viribus naturæ elicita.

Aliud tamen adducit Suarez caput, vnde 29.
naſcitur diſparitas hæc, quia videlicet homo

per actus naturales purè tales, naturali lumine productos, non poteſt attingere etiam obiectiuè perfecto modo ordinem ſupernaturalem; at verò gratia poteſt hoc modo attingere vnionem hypoſtaticam, credendo ſcilicet, & ſperando illam.

Pluribus impugnatur ab eminentiſſimo Lugo caput hoc diſparitatis, & relictis aliis, quæ debilia præſumo, vnam ſolam illius impugnationem adducam. Etenim ſtante ex parte intellectus perfecta cognitione præmij ſtat improportio inter actus meritorios, & præmium; ergo poſſe, vel non poſſe perfectè obiectiuè præmium cognoſcere, nihil intereſt ad conſtituendam, vel non, proportionem inter præmium, & meritum. Antecedens oſtenditur, quia hæreticus æquè perfectè cognoſcit beatitudinem eſſentialem, ac homo, in pura natura conditus, beatitudinem naturalem perciperet, hic poſſet illam per actus naturales mereri, non tamen per eoſdem hanc. Ergo obſtante ex parte intellectus perfecta cognitione præmij, ſtat improportio inter actus meritorios & præmium.

30. Non examino rationis huius vim, vt celeriùs ad modum dicendi Lugi accedam. Aſſerit enim *diſputatione octaua, ſectione tertia, numero vigeſimo octauo*, gratiam habitualem, & hypoſtaticam vnionem, maiorem proportionem habere, quàm actus naturales cum ipſa gratia, quia ſunt intra idem genus ſupernaturalitatis. Hoc probat, quia vtraque facit concines eiuſdem cœleſtis ciuitatis, in qua Chriſtus eſt caput, reliqui verò ſunt membra illius reipublicæ, caput autem, & membra debent habere aliquam proportionem inter ſe. Hæc attulit Cardinalis Lugus, & bene, ſed miror relatum Suarez impugnaſſe tali induſtria, vt ſolutionis filum præcidens, vnam partem reticuiſſet, ſicque alteram mediam falſitate contorqueret, & quod maioris momenti eſt, ſolutionis partem, qam impugnando omiſerat, proprio labori mirabiliter aſciuit. Dixerat ibi Suarez relatus à Lugo; ideo actus ſupernaturales proportionari vnioni hypoſtaticæ, quatenus per fidem, ſpem, & ſupernaturalem amorem huius myſterij eleuatur homo, & quodammodo vnitur ipſi Chriſto. Lugus ex Suarez hoc reticuit, & reſoluit proportionem hanc fundari in eo, quòd gratia habitualis facit homines membra Chriſti, & gratia vnionis facit horum membrorum caput, quod eſſe idem, ac media ſupernaturali gratia, homines Chriſto vniri, quod Suarez dixerat, & ſubſiluerat Lugus, in quod recidit ipſe, quiſque videbit. Hac inquam vnione cum deſtituantur naturalia pura opera, reſpectu ſupernaturalium, fit illa nullam habere proportionem cum habituali gratia.

Rurſum huius proportionis cauſam, inter gratiam, & hypoſtaticam vnionem inuentam, penitùs idem Lugus ſcripſit; aſſeritque eam collocari debere in eo, quòd vtraque ad eumdem finem ordinetur, ſcilicet ad viſionem beatam, quælibet enim ſubiectum, cui ineſt, ad videndum Deum ordinat, licèt vnaquæque ad eam, quæ ſuam excellentiam decet, gratia ad inferiorem, ad ſuperiorem verò hypoſtatica vnio: tamen hæc differentia non extrahit vnionem ad aliam ſphæram adæquatam; ſicut metaphyſicè magis, & minùs præcisè non mutat ſpeciem. Conueniunt enim ambæ in perducendo homine ad vnum finem. Sicut enim naturæ ſtatus ad felicitatem naturalem eueheret ibi ſiſtendo, ſic gratia habitualis ad videndum clarè Deum ſupernaturalem authorem impellit. Hoc munere potitur hypoſtatica vnio. Hacque ratione, ait Lugus, vnio hypoſtatica, & gratia habitualis vnum corpus adſtruere videntur, quodque ex variis contextum vnitatem quamdam ſapere videatur, faciuntque media viſione, ad quam perducunt homines iuſtos & Chriſtum concines. Nihil verò iſtorum inuenies in natura reſpectu gratiæ, quia nec reſpicit eumdem finem, quem ſibi præfixit gratia, nec cum illa conſortium aliquod admittit, quod eſt in cauſa, vt non ſit potens mereri aliquid ad gratiam pertinens, ſiquidem ea merentur, quæ ad ſuum finem ordinantur, cúmque gratiæ finis non ſit eorum, quæ naturæ ſunt propria, ideo hæc illam mereri non poteſt.

31. Verùm inſiſtes, hæc omnia, licèt vocibus multiplicatis, idem ſonant, ac naturam gratiam mereri non poſſe, quia natura ſuperatur à gratia, ex hoc enim naſcitur illas habere diuerſos fines, vnum alium excedentem. At adhuc remanet eadem difficultas in limine propoſita, magis diſtat gratia habitualis ab vnione, quàm ab illa diſtet natura. Ergo fines iſtis gratus correſpondentes debent eſſe tales, vt vnus magis alium ſuperet, quàm finis gratiæ finem naturæ excedere videatur. Nec refert ſi cum Lugo dicas, exceſſum hunc eſſe intra eumdem ordinem, ſcilicet videndi Deum. Non inquam refert, quia de hoc eſt quæſtio, an exceſſus ille, quo viſio Dei correſpondet vnioni, ſit ita egregius, vt ſit alterius ſphæræ ſufficientis, vt ad eum pertingere non valeat gratia, nec cum illo proportionetur, ſicut concedit Lugus, quòd exceſſus felicitatis correſpondentis gratiæ adeo eminens eſt, vt extrahat illam ad eum perfectionis gradum, vt ad eam peruenire non valeat natura? de hoc eſt quæſtio: ampliori igitur eget examine.

32. Fateor quacunque ſolutione data acutam ſemper ſuppullulare ſpinam, quæ te pungat. Sed laborem communem ſupra humeros, quis patienter non reponet? Argumentum hoc proponitur ex officio contra reſolutiones varias theologiæ, potiſſimùm aduerſùs eam, in qua communiter defenditur, homini poſſibilem eſſe viſionem claram Dei. In hanc procedit argumentum factum ſub hac forma, homo nequit oculo corporeo videre Angelum. Ergo nec Deum. Probant, quia magis diſtat infinitum, quale eſt Deus, à finito, qualis eſt intellectus beati, quàm viſio corporea diſtet ab Angelo & tamen hic, quia diſtans, nequit ab oculo tangi, ita & potiùs Deus non poterit ab intellectu percipi, quia magis ab eodem diſtans. Ab hoc argumento ſe

expe

expedire tenentur cuncti Theologi, cùm primùm de fide tamquam Catholici ſuſtineant, & aliud vt Philoſophi inficientur, vt diſparitatem aliquam augurentur, ſupponunt proportionem eſſe geminam, ſicut & diſtantiam entitatiuam vnam, & habitudinis aliam, iſtarum explicatio præter proprias alias voces non agnoſcit, ſed experimur plura magis entitatiuè inter ſe diſtare, quàm alia, & tamen iſtis denegatur mutua habitudo, quæ primis conceditur. Suppetebant exempla, ſic enim vbicatio lapidis, & animæ magis in perfectione diſtant, quàm Angelus, & viſio, & iſtis habitudinis conditiones vnius ad alium denegatur, quæ conceditur primis. Signum ergo eſt, quòd proportioni, vel improportioni entitatiuæ non eſt annexa proportio, vel improportio habitudinis vnius ad aliud, atque adeo, ſicut hæc doctrina ſufficit ad concedendum Deum, vtpote infinitum, magis diſtare diſtantiâ entitatiuâ ab intellectu finito, quàm diſtent inter ſe Angelus, & oculus, vtpote finiti, & hoc non abſtante intellectui conceditur habitudo intentionalis reſpectu Dei, quæ oculo corporeo denegatur reſpectu Angeli, ſic licèt admittamus gratiam habitualem magis entitatiuè diſtare, vtpote finitam, à gratia vnionis, vtpote infinita, quàm ab illa entitatiuè diſtet natura, cùm ambæ finitæ ſint, poterimus denegare naturæ proportionem habitudinis meriti de congruo reſpectu gratiæ, & huic illam concedere reſpectu vnionis hypoſtaticæ. Quæcunque verò in hæc repoſueris, in te retorta ſtatim patieris, tibi obſiſtens cum exemplo adducto, quod negare non audebis, ſi theologiam ſanam profiteri præſumas.

Sectio IV.

Sancti Patres meruerunt de congruo ſubſtantiam incarnationis quoad executionem.

33. IN epigraphe dubij, notatum habeo, incarnationem ſuſcipere duplicem ſtatum, vnum in intentione Dei, qua illam præintendere Deus decreuit in primo ſigno, alterum in exequutione, non alio diſſimili modo, quo ceteræ res hos duos ſtatus ſubire communiter dicuntur. Sectione antecedenti reſoluimus, merita ſanctorum non valuiſſe incarnationem ſub vllo ſtatu de condigno promereri. Nunc ſolùm quæſtionem intrat meritum de congruo, non abſolutè reſpectu ſubſtantiæ incarnationis ſub omni ſtatu executionis, quia prout intentioni diuinæ ſubditur, certum apud omnes eſt, nullo modo ſub aliquod meritum cadere poteſt: ratio breuis, quam *hîc articulo vndecimo* ſcribit ſanctus Thomas, nam prædeſtinatio incarnationis eſt prior omni gratia, & bono motu ſanctorum Patrum, & eſt radix illius. Ergo non poteſt eſſe ex illorum meritis vllo modo. Confirmatur, quia omne meritum ſanctis patribus in fide Chriſti venturi fundabatur. Ergo ſupponebat venturum Chriſtum. Ergo prædeſtinatum. Rurſum, teſte ſancto Thoma, ſancti patres non petebant à Deo, vt Chriſtum prædeſtinaret, potiſſimùm in principijs noſtris *dubio primo* allatis. Vbi conſtituimus ex ſanctis Patribus Chriſtum in primo decretorum ſigno redemptorem. Ergo talis prædeſtinatio non potuit ſub meritum ſanctorum veterum cadere.

Verùm vt omnia, quæ huic doctrinæ, quam communem ſupponimus, obſiſtere poſſunt, ſimul & ſemel reſerata relinquam, notare debes, hoc quod dicimus de prædeſtinatione incarnationis, non ſolùm eſſe verum ſecundùm prouidentiam exiſtentem, verumetiam nec de potentia abſoluta, ſuppoſito ordine, quo Deus ſtatuit, vt omnia hominum merita, in gratia, & chriſti meritis profecta, fundarentur, aliter euenire poſſe, quia, ſuppoſito hoc rerum ordine, prædeſtinatio Chriſti eſt omnino gratuita. Ergo, ſuppoſito hoc rerum ordine, non potuit ex meritis contingere, etiam de abſoluta potentia, quia hæc duplex contradictorium verificari nequit. Cum hoc tamen ſtat, quòd ſi res aliter diſponere Deus decreuiſſet, fortaſſis hæc contradictio non ſequeretur, poterit enim res ita meditari Deus, vt ex meritis aliquorum hominum præuiſis Deus incarnationem fieri voluiſſet, ita vt talia merita præuiſa, vi quorum moueretur Deus ad prædeſtinandam incarnationem, nullo modo dependerent à Chriſto prædefinito. In hoc ordine concedendo nullam video repugnantiam, nec aliquid quod Deum non deceat, vel ſummæ rectitudini repugnet, & aliàs Deus ſit in agendo infinitè liber, fit, quòd omnia prout illi magis libuerit, diſponere queat.

34. Sed vt tacitum ſcrupulum aboleas, ſupponere. Dupliciter poſſet hanc prouidentiam condere Deus. Primò, vt gratia, quæ illis hominibus conferretur ad merendum, ſaltem imperfectè incarnationem, daretur illis ex intentione faciendi incarnationem ipſam, non inquam in intentione efficaci, aliàs non poſſet in meritis ipſis fundari, ſed intentione ſimplici, vel antecedenti, quam alij conditionalem vocant, qualiter in ſententia Patrum Ieſuitarum omnis gratia, quæ hîc & nunc Deus prædeſtinatis elargitur, ab eadem voluntate antecedenti, & inefficaci, qua vult omnes homines ſaluos fieri, proficiſcitur. In hoc enim caſu prædeſtinatio Chriſti non eſſet ſecundùm ſe totam fundata in meritis prædictorum hominum, quia talia merita ſupponunt neceſſariò gratiam aliquam gratis collatam, & non ex meritis. Alio verò modo intelligi poſſet, gratiam, & merita illis hominibus collata nullatenus oriri ex voluntate incarnationis, nec beneplaciti, nec antecedente, ſed ſolùm ex voluntate ſaluandi ipſos. Deum tamen viſis talibus meritis, occaſione illorum veluti excitari, & moueri ad decernendam incarnationem, & diſponendum de medijs, quibus poſſet executioni mandari; hoc tamen decreto poſito, fit conſpicuũ, totam incarnationis prædeſtinationem niti in illis meritis, quia illa prior gratia, illa merita antecedẽs, nullo modo ad prædeſtinationis incarnationem pertinere videtur, quia non eſſet medium ad illam exequendam cùm nullo modo eſſet

ex voluntate, ſeu intentione eius profecta. Hic enim modus ex ſe imperfectionem contradictionis minimè inuoluit. Sed quidquid ſit de eo, quod eſſet ex vi altetius prouidentiæ aſſerimus, de facto incarnationis prædeſtinationem nullo modo inniti in meritis ſanctorum Patrum, imo nec, ſtante hac decretorum ſerie, poſſe etiam de abſoluta potentia ſub meritum cadere.

35. Statuta hac parte de incarnationis ſubſtantia quoad prædeſtinationem, reſoluimus, poſſe eamdem cadere ſub merita ſanctorum Patrum, quoad eius executionem. Hanc reſolutionem amplector potiùs propter authoritatem ſancti Thomæ, quem cuncti eius diſcipuli ſectantur, quàm aliqua ratione efficaci motus. Sanctus ergo Thomas hîc; eodem modo, quo PP. negat meritum condignum reſpectu incarnationis, illis concedit reſpectu eiuſdem meritum congruum. Atqui negat meritum de condigno reſpectu ſubſtantiæ incarnationis in executione. Ergo concedit meritum de congruo reſpectu eiuſdem vt executioni mandata,

36. Hæc reſolutio non aliam probationẽ, quàm explicationem à ſimili ſuſtinet. Pro quo notare debes doctrinam, quæ apud diſcipulos ſancti Thomæ eſt dogma ſecurum, vt vidimus *tractatu de prædeſtinatione, quæſtione* 23. *diſputatione* 1. *dubio vnico*. & parat viam, quo argumento præcipuo contrario occurrere poſſimus. Igitur ibi tratum firmiter habemus, electionem ad gloriam ante præuiſa merita optimè cohærere cum intentione dandi gloriam per modum coronæ in determinato gradu, quam vt probaremus, annotabamus doctrinam, quam ſimiliter *tractatu de iuſtificatione Chriſti* proſequemur, virtutem vnam poſſe eſſe alterius virtutis materiam, quo in caſu, licet exercitium illud in materia talis virtutis habeatur, non dicitur actus illius, ſed alterius aſſumentis, & illius ex proprio motiuo imperantis. Verbi gratiâ, iniuncta eſt mihi pœnitentia pro peccatis de aliquo opere bono peragendo, quod mihi placuerit, eligo eleemoſynam, vt debitum ſatisfactionis perſoluam; talis elargitionis motiuum materialiter tunc ſe habet, quia ibi motiuum pœnitentiæ imperantis regnat. Idem *de charitate* 11. cum ſancto Thoma, & *de prudentia, tractatu de fide* ediſſeruimus. Ex quo deduximus, *tractatu citato de prædeſtinatione*, quòd licèt gloria in intentione ante omnia merita conſideretur, vt corona ſub determinato gradu, poteſt Deus decernere illam dare prædeſtinatis, vt coronam, ita quòd motiuum talis voluntatis ſit, vel miſericordiæ, vel liberalitatis, ita vt donatio ipſa gloriæ, vt corona, ſit materia, circa quam, & non motiuum; atque adeo optimè cohæret, quòd Deus ex miſericordia velit dare gloriam, vt coronam, & de iuſtitia, quid enim inconuenientis notat, quòd Deus velit ex miſericordia decernere exequi iuſtitiam; experimur enim quotidie, homines timoratæ conſcientiæ, dum vident Conſulem iuſtitiam minimè exercere in republica, eo vel maximè, quia aut iniuriâ piger, aut pecuniis corruptus, nec punit prauos, nec bonos præmiat, miſericordia motus, ne tota labaſcat ciuitas, & gens pereat, ipſi ſe exponunt, vt in iudices eligantur. In hoc enim caſu, illa voluntas acceptandi officium præfecturæ, ad virtutem miſericordiæ pertinet, & materia ipſa in executione eſt actus iuſtitiæ. Similiter ergo poterit Deus habere actum hunc miſericordiæ, vel liberalitatis erga prædeſtinatos: volo cum illis exercere actum iuſtitiæ, conferendo illis gloriam in executione per modum coronæ iuſtitiæ. Ad hunc ergo modum dicimus, Deum ſe geſſiſſe in prædeſtinatione Chriſti, quòd ſcilicet Deus, priùs Chriſtum prædeſtinauerit, & propter merita ſic præuiſa in Chriſto dederit gratiam ſanctis Patribus, & poſtea ſancti Patres promeriti ſaltem de congruo ipſius incarnationis executionem.

Nec refert, ſi occurras cum Caſtillo *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *in* 3 *part.* eſſe magnam diſparitatem in prædeſtinatione hominis ad gloriam, & in prædeſtinatione incarnationis iuxta noſtra principia. Etenim dum dicitur hominem mereri gloriam in executione, ad quam fuit liberaliter prædeſtinatus in intentione, eam meretur per opera antecedenter executa ad gloriam, vt in executione poſitam, & ſic habent ſufficienter actualitatem, ad mouendum voluntatem Dei ad gloriam exequendam, intuitu meritorum prædeſtinati. At merita Chriſti, iuxta noſtra principia, non poſſunt mouere ad exequendum ipſam incarnationem, nec ad merendum gratiam PP. vt executa, quia vt ſic ſubſequuntur ad executionem incarnationis, & ad gratiam ſanctis Patribus collatam; atque adeo merita Chriſti ſolùm, quia præcedunt in intentione, poſſunt executionem incarnationis præcedere; ceterùm vt ſic, ſunt incapacia promereri, quia vt ſic non habent ſufficientem actualitatem, ad mouendum voluntatem diuinam. 37.

Sed contra, quia merita illa in intentione ſufficientem habent actualitatem, vt mouere poſſint voluntatem diuinam ad conferendam gratiam SS. PP. ergo ruit ſolutio, antecedens patet, quia merita Chriſti pro illo ſtatu, habent ſufficientem actualitatem ad terminandum actum ſcientiæ viſionis. Ergo habent ſufficientem actualitatem ad mouendum voluntatem diuinam, vt intuitu illorum, præmium gratiæ ſanctis Patribus conferret. Antecedens eſt certum, quia cognitio ſupponens, vel regulans decretum liberum voluntatis, quo exiſtentia obiecti efficaciter prædiffinitur, ſcientia viſionis recenſetur, vt conſtans doctrina eſt etiam apud Caſtillum, & potiſſimùm iuxta mentem S. Th, 1. *p.* *q.* 14. *art.* 5. conſequentia patet, quia eo ipſo, quòd merita Chriſti in intentione terminent ſcientiam viſionis, intelliguntur habitura exiſtentiam pro aliqua temporis differentia, ſed actualitas exiſtentiæ obiecti, pro aliqua differentia temporis, ſufficit mouere voluntatem Dei, vt ipſe Caſtillo cum cõmuni defendit *in tota q.* 3. Ergo talia merita Chriſti in intentione, eo ipſo, quòd habeant actualitatem ſufficientem ad terminandum ſcientiã viſionis, habent actualitatem ſufficientem ad mouendũ voluntatem 38.

diui

diuinam, vt intuitu illorum decernere poſſit gratiam SS.PP. conferre.

39. Confirmo rurſum rationem concluſionis, iuxta principia, quæ communiter à Theologis admittutur. Hæc enim ſunt vera. Primum, Patres antiqui diſponebantur, vt Chriſtum ſuſciperent, & præſertim Maria ſanctiſſima, & tamen principium & fundamentum illius diſpoſitionis, erat Chriſtus, diſponebantur ergo, vt principium ſuæ diſpoſitionis reipſa ſuſciperent. Ergo ſic illud de congruo mereri poterant, quia re vera hoc meritum teſte ſanctiſſimo Thoma *in 3. diſp. 4. quæſt. 3. art. 1. in fine corporis*, non eſt niſi per modum cuiuſdam diſpoſitionis conuenientis, ſeu præparationis. Ruſum, hoc eſt certum, PP. medijs ſuis orationibus, impetrauerunt à Deo executionem incarnationis, quia in orationibus, quas ipſi fuderunt, inueniuntur omnes conditiones requiſitæ ad orationis efficaciam. At non minùs habet à Chriſto oratio efficaciam, quàm meritum, cùm tam gratia, & auxilium ad dignè orandum, & acceptatio orationis, & fides, qua niti debet, vt accepta ſit, à Chriſto profluxere; atque adeo, ſicut Chriſtus eſt principium, & fundamentum omnis meriti, ita & omnis orationis, & impetrationis, ergo ſancti Patres impetrabant, & orabant principium, & fundamentum, quod dabat valorem eorum orationi. Ergo meruerunt de congruo ipſum principium ſui meriti. Conſequentia eſt euidens; quia nos non aliud meritum reſpectu incarnationis in ſanctis Patribus agnoſcimus, præter dictas orationes, atque adeo, ſi nomen meriti inuidiam parit, illud nega, & admitte orationem, impetrationem, & diſpoſitionem, vt decenter Patres Chriſtum ſuſcipere poſſent; quia ſiue hoc, ſiue alio vtaris nomine, eamdem rem nobiſcum amplecteris, & eaſdem difficultates ſubibis, admiſſis orationibus reſpectu incarnationis, ac ſi meritum congruum reſpectu illius admitteres, cùm tam difficile ſit intellectu, defendere orationem pro eo, quod eſt orationis radix, ac meritum illius, quod eſt ipſius meriti principium, ſi tamen vtrumque inficiari velis, tibi obſunt infinita ſcripturæ & ſanctorum Patrum placita, quibus prædictæ orationes commendantur.

Sectio V.

Argumenta ſoluuntur.

40. ARgues potiſſimùm ratione dubitandi in limine dubij propoſita, quæ ad hanc breuem formam reducitur. Principium meriti non poteſt cadere ſub meritum, cuius eſt principium. Sed incarnatio eſt principium, & radix meriti ſanctorum Patrum, tam de congruo, quàm de condigno. Ergo ſancti Patres non potuerunt mereri incarnationem nec de congruo nec de condigno.

Vt reſpondeam, explicaturus ſum illud axioma ſæpe repetitum; quo explicato hæc ratio, quæ ſemper & iure omnibus eſt viſa ſpinoſa, euertetur. Axioma hoc, nempe principium meriti non poteſt cadere ſub meritum, duas limitationes patitur, vnam apud diſcipulos S. Th. communiorem, alteram eius principiis non diſſonam. Prima eſt debere intelligi de principio ſecundùm eam rationem, qua principium eſt, iuxta quam limitationem diſtinguendum eſt, nam principium meriti, quod ſupponitur actu exiſtens priùs, quàm fundet meritum, illud ſub hoc cadere nequit, huius generis eſt prima vocatio, quæ quia nedum morale, ſed phyſicum principium eſt meriti, debet præcedere illud, nedum in præuiſione, verùm vt executa in ſua exiſtentia. At quando principium ſolum eſt morale, non petit, quòd præcedat vt exiſtens exiſtentia exercita & executa, ſufficit, quòd præcedat in præuiſione exiſtens, poteſt conſideratum vt reipſa factum cadere ſub meritum idem, quod in præuiſione antecedenter etſi moraliter tantùm, cauſauerat, quia vt executum non præcedit meritum, ſed ſubſequitur; hac enim limitatione poteſt ſub diuerſis rationibus eſſe principium, & aliquo modo præmium prædictorum meritorum.

Hanc rem præter exempla ſectione antecedenti allata, duo vel tria apprimè commendant; 41.
ſuprà vidimus Mariam ſanctiſſimam fuiſſe realem & phyſicam ſaltem paſſiuam cauſam Chriſti, quia vt de fide habemus, fuit vera mater eius, at in ſententia communi ex meritis Chriſti habuit, quòd decenter eſſet mater eius, & quòd debito modo munus illud exercuerit, etſi fortaſſe habuit aliquem ſupernaturalem concurſum in filij conceptione; etiam ille datus eſt ex meritis Chriſti præuiſis in ſententia communi & catholica. Similiter in præſenti, licèt meritum hoc naſcatur ex Chriſti meritis, vt in intentione præuiſis, non tollit, quin poſſit mereri ipſum Chriſtum vt executum. Aliud exemplum apud omnes familiare, Mariæ virginis ſanctiſſimæ conſenſus, quem dedit Angelo incarnationem nuncianti, fuit medium indiſpenſabile ad executionem ipſius, at ille ipſe conſenſus fuit datus Mariæ ſanctiſſimæ propter merita Chriſti præuiſa. Ecce quomodo idem actus fuit medium ad executionem ſui principij per modum meriti.

Sed contra hæc occurres cum Caſtillo vbi 42.
ſuprà, & innumeris aliis, merita Chriſti in intentione eſſe incapacia influendi in merita SS. PP. quibus ipſum Chriſtum mereantur exequi. Etenim meritum cauſare debet, quia eſt, ſed merita Chriſti in intentione non poſſunt cauſare, quia ſunt. Ergo merita Chriſti in intentione fictitia ſunt. Maiorem explicuimus ſuprà, minor patet, quia merita in intentione ſupponunt præcisè decretum illorum intentiuum. Ergo in intentione non habent illa merita eſſe, vi cuius dicantur cauſare, quia ſunt. Probo conſequentiam; decretum intentiuum ſolùm dare poteſt illis eſſe virtuale. Ergo in tali ſtatu non habent eſſe ſufficiens, vt dicantur cauſare, quia ſunt. Antecedens probo ex differentia, quam vt certam dedimus iuxta S. Th. *tr. de prædeſt. diſp. 2. dub. inter decretum intentiuum, & executiuum*, quòd intentiuum ſolùm præſtet futuritionem, & exiſtentiam virtualem, quatenus ex vi illius decreti tenetur Deus habere aliud decretum executiuum actualitatis, vi cuius talia merita habeant eſſe actuale, & formale.

Nunc

Nunc minorem probo; quia ſolum id, quod habet eſſe formale, & actuale poteſt operari, quia eſt, ſed per nos merita Chriſti in intentione non habent eſſe actuale & formale. Ergo talia merita non poſſunt operari, quia ſunt; ergo non poſſunt ſortiri rationem meriti poſtulantis ex natura ſua exercere ſuam cauſalitatem, quia eſt.

Hoc argumentum præoccupatum eſt *ſect.* 4. *numero* 38. iuxta ea ſemper ſtare debemus, opera quæuis in intentione ſolùm, ſecundùm ſuum eſſe virtuale ſufficere ad mouendam voluntatem diuinam, vt præmium conferat, quia tunc iam verificabitur de illis operari, quia ſunt, ſaltem ſecundùm eſſe virtuale.

43. Sed ſtatim replicabis cum Lugo *diſputat.*8. *ſectione* 4. *numero* 30. Ergo poterit aliquis mereri ſibi primum auxilium gratiæ, per conſenſum nimirum præuiſum in intentione, poterit mereri auxilium ad executionem eiuſdem conſenſus, ſequela patet, quia conſenſus eſt finis, gratiâ cuius cõfertur auxilium in executione. Ergo conſenſus præuiſus poterit mouere voluntatem Dei ad conferendum auxilium in executione. Etenim non minùs præuideri poteſt in intentione cũ ſuo eſſe virtuali bonus conſenſus, ac præuidentur merita Chriſti in intentione. Sed hæc quia præuiſa cum ſuo eſſe virtuali, mouerunt voluntatem Dei ad cauſandum merita ſanctorum Patrum, quibus ipſe Chriſtus, & merita in executione ponerentur, idem fateri licebit de conſenſu in intentione præuiſo reſpectu primi auxilij in executione conferendi.

44. Huic replicæ, commodiori calamo fiet ſatis, in explicatione ſecundi axiomatis, iuxta verò doctrinam allatam, hanc aſſigno diſparitatem. Primò, merita ſanctorum Patrum mereri poſſunt Chriſtum, ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam ipſe Chriſtus non cenſetur eſſe cauſa eorumdem; necnon Chriſtus eſt illorum cauſa, ea ſcilicet ratione, ſecundùm quam non eſt illorum effectus, & cùm Chriſtus, vt executus, non ſit cauſa meritorum Patrum, hæc poterunt illum promereri vt exiſtentem. Rurſum, cùm Chriſtus in intentione ſit à meritis independens, cenſebitur cauſa meritorum Patrum, & ſui ipſius vt in executione ponendi. At bonus vſus non poteſt vt præuiſus, eſſe cauſa primæ vocationis, vt in executione ponendæ, quia bonus vſus in executione pẽdet eſſentialiter à prima vocatione, vt in intentione etiam à vocatione dependet, quia in intentione intenditur bonus vſus ſupernaturalis, quòd adhuc in intentione inuoluit ſupernaturalitatem, petentem pro priori ſupernaturale auxilium. Ergo nunquam conſiderabilis eſt bonus vſus in aliquo ſtatu, ſub quo non dependeat à vocatione prima: atque adeo illius non poterit eſſe cauſa. Contrarium autem inuenitur in Chriſto, & meritis SS. Patrum, vt diſcurſus vſque huc factus patefecit.

45. Secundò, quia ſi conſenſus in intentione præuiſus poſſet mereri vocationem primam, cuius eſt vſus, deſtrueretur principium aliud apud authores certiſſimum. Axioma eſt vulgare, vt ſuprà *ſect.* 2. *num.* 12. annotaui, quòd meritum debet habere pro præmio aliquid aliud, præter id, quod merens iam cenſetur habere, atque adeo non poſſe meritum habere pro præmio principium meriti, quod ſecundùm quemcunque ſtatum, quo conſideretur à merente iam intelligitur poſſeſſum. Hoc inquam axioma impedit, ne bonus vſus ſupernaturalis, etiam vt præuiſus poſſit pro præmio primum auxilium agnoſcere, quia ſub quocunque ſtatu, ſub quo bonum vſum conſideres, iam intelligitur auxilium ab ipſo merente poſſeſſum. Si in intentione, ſupponitur auxilium, vel ſimul cum vſu prædiffinitum, ſi in executione, præcedit illud in merente pro priori naturæ, antequam intelligatur eius bonus ſupernaturalis vſus. At Chriſtus in intentione eſt poſſeſſus à PP. quia in intentione illorum merita præcedit, nec in executione, cùm Chriſtus vt executus, ſubſequatur tempore ad merita ipſorum patrum. Ergo optimè poterant Chriſti merita, vt præuiſa cauſare merita illorum, & rurſum hoc ipſum Chriſtum, vt executum, promereri.

Alteram, præter ſuperiùs allatam limitationem, patitur commune illud axioma, nempe principium meriti non cadit ſub meritum, cuius eſt principium. Limitandum ergo eſt iuxta doctrinam à Ioanne à ſancto Thoma *tomo* 2. *in p.p. quæſt.* 23. *diſput.*8. *artic.* 5. *num* 30. de principio meriti illi valorem conferenti, ita vt in merito non detur alius diſtinctus valor ab eo, quod à principio participare valet, non verò de principio meriti valorem formalem neceſſariò conferenti, taliter, quòd in merito valor formalis inueniatur diſtinctus ab eo, quem à principio emendicat. Vnde quando intercedunt duo principia merendi, quorum vnum dat valorem diſtinctum ab alio, optimè poteſt eſſe vnum alterius cauſa in diuerſo genere cauſæ. Ad rem ergo; gratia collata ſanctis Patribus, tametſi intuitu incarnationis præuiſæ illis data, tamen valorem merendi non habet formaliter ab illa, ſed diſtinctus valor ineſt illi, ac ſit ille, qui incarnationi adeſt. Hoc patet, quia ſi gratia illis intuitu incarnationis non daretur, ſicut in ſententia probabili, gratia in ſtatu innocentiæ Adamo fuit collata independenter à Chriſti meritis, haberet intrinſecam vim dandi valorem actibus ab illa profectis, ac habet nunc, cùm ex meritis Chriſti confertur, hoc eſt in cauſa, vt incarnatio præuiſa eſt principium, vt detur gratia PP & gratia per ſuum valorem eſt cauſa congrua, vt incarnatio executioni mandetur. 46.

Quo monito quando arguit quis, incarnatio eſt principium meritorum Patrum, quæ proueniunt à gratia. Ergo iſta merita nequeunt incarnationem promereri, aliàs principium meriti, nempe incarnatio, caderet ſub merita ſanctorum Patrum quorum eſt principium ipſa incarnatio. Reſponſurus es diſtinguens maiorem: incarnatio eſt principium meritorum Patrum dans illis valorem, nega, vt dans illis exiſtentiam, concede, & diſtingue conſequens. Ergo merita iſta non poſſunt mereri incarnationem per modum meriti efficientis tendentis in illam, vt primò producendam, nega, per modum meriti diſponentis ſubiectum ad illius

reci

recipiendam executionem, concede cooſequentiam. Vnde aliqua merita ſunt, quæ à ſuis principiis trahunt valorem, vt actus bonus à gratia ortus, & actua Chriſti ab ipſa iocarnatione profecti, iſti enim actua nequeunt eſſe cauſà ſui principij, à quo fluunt. Alia verò quæ ſunt ab illo principio, à quo dependent in eſſe, valorem non habent merendi, iſta enim ſolùm comparaotur ad tale principium, vt effectus, & præmium illius, oon verò vt opera ab eo nata, huiuſmodi eſt gratia nobis & antiquis collata reſpectn incarnationis, à qua ex vi exiſtentia prouidentiæ dependent io eſſe, eſt enim effectus, & præmium meritorom Chriſti, non tamen ab illo formaliter habet valorem, ſed in ſe illum continet, diſtinctum à valore incarnationis, atque adeo licèt gratia ſanctorom Patrum, & noſtra hìc & nunc extra cauſas pooatur intuitu incarnationis, tamen ſemel collata ex ſuo valore dat congruitatem operibua ſufficientem ad promerendam incarnationis execntionem.

47. Hæc doctrina aliquas, & noo leues, patitur difficultates, quas oon dicto, vtpote ex prima huius axiomatis limitatione deuictas. Quod verò non omittam, eſt, illam regulam generalem, qua axioma vulgare limitabatur, nempe intelligendum eſſe de principio meriti valorem non conferenti, nec ab hoc Authore probari, aliqua ratione apparenti, ſed propria authoritate prolatam legenti tradidiſſe ſub ooere, quòd ſine indagine aſſentiretur. Quid intereſt, principinm non dare valorem merito, vt poſſit ſub illnd cadere, ſi ex alia parte admittit Author hic, tale meritum oullo modo habitorum exiſtentiam, niſi dependenter à tali principio? Fateri poteſt, gratiam ſaoctiſſimis Patribus collatam, habere à ſe valorem, & oegari opera ex illa orta, mereri poſſe incarnationem, qoia licèt valor relucens in prædictis meritis formaliter ab incarnatione non pendeat, tamen, vt fatetur hic Author, iſta merita hìc & nunc, & ex vi iſtius prouidentiæ, exiſteoriam non haberent independeoter ab incarnatione, quia cùm dependeant in valore, & exiſtentia, à gratia, & hæc data fuerit ſanctiſſimis Patribus dependenter ab incarnatione, fit, merita illorum ſaltem mediatè dependere ab ipſa incarnatione, quoad eorum exiſtentiam. Nuoc intrat litigium axiomati illi innixum, nempe, principium meriti non cadit ſub idem meritum, qnod quidem iotelligendum eſſe, tam de principio immediato conferenti valorem, & exiſtentiam merito, quàm de principio mediato exiſtentiam, & valorem merito præſtante latè dedimos *ſectione prima*, *dubio quinto*. Ergo cùm ſuppoſita hac limitatione maneat in ſua vi axioma argumenti aduerſùs noſtram reſolutionem, fit; eam legitimè non eſſe allatam, fateor, qnòd ſi huic adiungatur limitatio prima, non parum conducit ad emolliendam difficultatem axiomatis adducti.

48. Argues ſecundò, ex ooſtra ſententia ſequi Chriſtum meruiſſe incarnationem ipſam, falſitatem ſequelæ quilibet cognoſcit. Sequelam verò probo. Sanctiſſimi Patrea meruerant incarnationem. Sed Chriſtus fuit cauſa meritorum ſanctorom Patrum. Ergo meruit Chriſtus incarnationem. Cooſequentia patet, quia quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Reſpondeo diſtinguens maiorem. Sancti Patres meruerunt incarnationem in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ, concedo maiorem, meruerunt quaſi in genere efficientis incarnationem, vt primò producendam, nego maiorem, & concedo minorem, & nego conſequentiam, ad probationem explicaturus ſum axioma hoc iuxta duplicem modum, quo poteſt intelligi meritum hoc ſanctorum Patrum reſpectu incarnationis adductum *tractatu de prædeſtinatione* quibus explicatis tota natura horum meritorum explicata, ſimul manebit. Notare igitur debes. Aliud eſſe loqui de ſubſtantia incarnationis, pront io exercitio danda, & alind, prout in exercitio recipienda. Rurſum nota, meritum de congruo eſſe geminum. Aliud enim ſe tenet ex parte merentis ad impetrandum aliquid, vt primò dandum à præmiante. Exemplum eſt in iuſtorum precibus, quæ pro peccatorum conuerſione funduntur, quæque merentur de congruo talem coouerſionem, vt primò dandam. Aliud eſt, meritom de congruo teneus ſe ex partè merentis, noo tam vt primò producatur à præmiante præmium, quàm ad congruè ſuſcipiendum illud, quando donatum fuerit; Hoc genus meriti colligo ex ſanctiſſimo Thoma *in 2. ad Anibaldum*, *diſtinctione vigeſima ſeptima*, *quæſtione prima*, *articulo quarto*, *ad illud verbum Auguſtini ſuprà pſalmum trigeſimum primum*, *motus fidei meretur iuſtificationem*, hoc eſt, meretur illam de congruo, noo quidem vt primò detur ea, ſed ad conuenienter recipiendum illam, quando donata fuerit, eſt enim motus fidei congruentiſſima præparatio ad iuſtificationem recipiendam. Huius rei eſt acceptiſſimum exemplum Mariæ ſanctiſſimæ meritom reſpectu maternitatis ſuæ. Mariam enim ſanctiſſimam meruiſſe de congruo eſſe Dei Matrem, idem ſonat, ac ipſam ſe diſpoſuiſſe, & præparaſſe ad recipiendam dignitatem illam, quam Deus liberaliter voluit conferre ei. His notatis poteris argumento reſpondere. Sanctos Patres non meruiſſe incarnationem Chriſti, vt à Deo actiuè exequendam, & vt primo dandam. Ratio hnius eſt ipſa dubitandi ratio, cuius vim auget coonexio Chriſti, vt exequuti actiuè, & vt ſubeſt decreto executiuo cum ipſo Chriſto, vt primò intento, & vt primo intentiuo decreto ſubiacet: poſito enim decreto efficaci ſubſtantiæ incarnationis intentiuo, neceſſariò, hoc eſt, infallibiliter, eſt ipſa incarnationis ſubſtantia ſequutura in exequutione, ſicut poſito decreto intentiuo efficaci alicuius rei, infallibiliter ſequendum eſt decretum einſdem rei exequotiuum: atque adeo ipſa ſubſtantia rei vt exequuta, nec decretum illius executiuum poterunt eſſe materia ſufficiens ad præmium intuitu meritorum ſanctiſſimorom Patrum propter rationem, *tractatu de merito Chriſti*, *diſputatione ſecunda dandam*, *dubio ſecundo*. Verùm cum his compatitur, quòd ſanctiſſimi Patres meruiſſent ſubſtantiam incarnationis, vt congruè recipiendam ab eis, vt innotabili

explicui. Vnde licèt Chriſtus ſit cauſa meritoria gratiæ. Sanctiſſ. Patres, iſti poterunt eſſe cauſa incarnationis eius, ſed tamen in diuerſo genere cauſæ, ita vt merita Sanctorum Patrum tantùm ſint cauſa materialis diſponens, non quidem ad incarnationem, vt exequendam, quaſi actiuè exequendam, & vt primò dandam, ſeu ad merita Chriſti, vt executioni mandanda, ſed tantùm congruè à Sanctis Patribus recipienda. Itaque vtrumque meritum in ſuo genere cauſæ eſt alio prius; in genere cauſæ efficientis merita Chriſti fuerunt priora meritis Sanctorum Patrum, & iſta in genere cauſæ materialis præceſſerunt illa, vt exequuta, quaſi paſſiuè, & hac ratione ipſum Chriſtum.

49. Argues cum Vaſquio, & ſuis aſſeclis. Patres antiqui credebant futuram eſſe incarnationem. Ergo non offerebant ſua merita pro illa. Reſpondeo conſequentiam non inferri, quia etiam Chriſtus ſciebat futuram eſſe ſibi gloriam corporis, & non obſtante hac notitia offerebat pro illa acquirenda ſua merita. Ratio vtriuſque, quia ſufficit, quòd id, quod debet cadere ſub meritùm nondum ſit in re exhibitum, & pendeat eius executio ex libera Dei voluntate; vt poſtulari poſſit, & diu deſiderari, hoc autem deſiderium appellamus meritum de congruo. Vnde iam executio illius, quæ piè deſideratur, duplici titulo fiet, nempe eo, quo faciendum erat ex decreto Dei independenter ab illo merito, & etiam intuitu illius meriti, vt patet in exemplo gloriæ corporis Chriſti.

50. Argues rurſum, ex hac noſtra reſolutione ſequitur aliquid excellentius meruiſſe Sanctiſſ. Patres ſaltem de congruo, quàm ipſe Chriſtus vllo modo meruiſſet, cùm nihil promeruit Chriſtus in actu ſecundo, quòd ſit æquale in perfectione cum incarnatione, quam de facto meruiſſe Sanctos Patres de congruo ſuſtinemus. Reſpondeo concedens ſequelam de merito de congruo, conſiſtente in diſpoſitione ad recipiendum ipſum Chriſtum, vt exequendum, quod non detrahit aliquid perfectionis Chriſti. Etenim Patres ſe diſpoſuiſſe ad recipiendam incarnationem, ad quam ipſe Chriſtus non ſe præparauit, nullam Chriſto auferimus perfectionem, ſicut ex eo, quòd Maria ſe diſpoſuit, vt dignè Chriſtum ſuſciperet, qualiter ſic Chriſtus non ſe diſpoſuiſſet, nullam Chriſto demimus perfectionem: iam enim notauimus, meritum in Patribus, & Maria Sanctiſſima, reſpectu incarnationis, nihil aliud eſſe, quàm ipſos ſe diſponere in genere cauſæ materialis ad recipiendum ipſam incarnationem.

51. Argues rurſum, ſequi ex noſtra reſolutione, Antiquos Patres meruiſſe ſibi primam gratiam. Sequela eſt damnata vt vidimus ex Sancto Thoma 1.2. *tract. de gratia, diſputat.* 1. *dub.* 2. *num.* Sequelam probo. Sanctiſſimi Patres per nos meruerunt incarnationem. Sed incarnatio eſt principium, à quo in illis habuit exiſtentiam gratia Prima. Ergo meruerunt primam gratiam. Conſequentia fundatur in vulgari proloquio, qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa termini ab illa producti, quod debere intelligi tam de eo, qui eſt cauſa phyſica cauſæ, quàm de cauſa morali latiſſimè reſoluimus *dub.* 5. *ſect.* 1. *per totam*, contra P. Erice.

Reſpondeo negans ſequelam. Ad probationem diſtinguo maiorem, Patres meruerunt incarnationem quoad eius intentionem per modum meriti efficientis, nego, meruerunt incarnationem quoad executionem per modum meriti diſpoſitiui ſubiecti ad illam recipiendam, concedo, & diſtinguo minorem, ſed incarnatio eſt principium, à quo in illis habuit exiſtentiam prima gratia incarnatio quoad intentionem, concedo. Quoad executionem ſumpta, nego, & nego conſequentiam. Ad probationem fateor illud axioma vim eamdem habere in linea morali, & phyſica, verum eſt limitanda iuxta quæ diximus ſuprà in ſolutione primi argumenti, & vnico verbo, illud, quod eſt cauſa moralis cauſæ per modum meriti, illam quaſi efficienter in prima ſui prædefinitione cauſando, eſt cauſa termini producti, eſt verum, quod eſt moralis cauſa per modum meriti diſponentis ſubiectum ad illam cauſam in executione recipiendam, eſt cauſa moralis termini producti, eſt falſum. Merita iſto, & non illo modo ſunt cauſa incarnationis, quæ eſt cauſa primæ gratiæ Sanctis Patribus collatæ; atque adeo non comprehenduntur ſub axiomate illo. Hoc ipſum clariùs expendo, quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, ſi ſit cauſa cauſæ ea ratione, qua illa eſt cauſa cauſati, eſt verum, ſi tamen ſit cauſa cauſæ, non ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam illa eſt cauſa cauſati, eſt falſum. Cùm autem merita Sanctorum Patrum ſint ſolùm cauſa incarnationis, non ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam incarnatio eſt cauſa primæ gratiæ, fit, quòd tametſi illam cauſent, non dicantur cauſare primam gratiam, quæ eſt effectus incarnationis. Prima enim gratia Patribus collata eſt effectus incarnationis in intentione, at merita Sanctorum Patrum non ſunt cauſa incarnationis in intentione ſumptæ. Ergo non ſunt cauſa incarnationis ea ratione, quæ eſt cauſa primæ gratiæ Sanctis Patribus collatæ.

Rurſum argues, ex noſtra reſolutione ſequi Sanctiſſ. Patres meruiſſe de congruo totius humanæ vniuerſitatis reparationem, & omnem gratiam, tam ſibi, quàm aliis collatam, & exinde meruiſſe ipſa merita Chriſti, & quidquid ille meruit, necnon & promiſſionem, quam fecerat de mittendo Meſſia, & incarnatione, ſui facienda. Sequela ſeipſam probat, & falſitatem deuincit eius prolatio. Reſpondeo ad omnia ſimul Patres Sanctiſſ. de congruo meruiſſe omnem gratiam, quæ erat effectus incarnationis eo modo, quo ipſam incarnationem promeruerunt, atque adeo promeriti fuerunt de congruo omnem gratiam in aliis exequutam, necnon omnia recenſita in argumento, quod tam procul eſt à falſitate, vt iuxta noſtra aſſerta ſit neceſſariò pronuntiandum. 52.

DVBIVM

DUBIUM SEPTIMUM.

An SS. Patres meruerint incarnationis circumſtantias?

SECTIO I.

Status quæſtionis, notabilia, & ſententia.

1. NOtare debes nomine circunſtantiarum incarnationis, intelligi prædeſtinari Chriſtum hoc tempore potiùs quàm illo, fieri ex his potiùs, quàm illis Parentibus, ex hac, vel illa Matre naſci. Nota rurſum has circunſtantias, vel ſumi ordine intentionis, vel ordine exequutionis, atque adeo ſicut ſubſtantia incarnationis geminè vſurpata fuit dubio antecedenti, vno quoad intentionem, alio modo quoad executionem; ſimiliter in præſenti proponitur de circunſtantiis duplex earum vſurpatiu, vna quoad earum prædeſtinationem æternam, & alia quoad ipſarum temporalem exequutionem.

2. Nota vlteriùs circa circunſtantiam accelerationis temporis, dum enim in præſenti quæritur. An Sancti Patres potuerint mereri accelerationem incarnationis, non reddere hunc ſenſum, an ſcilicet ſuppoſita incarnatione determinatè futura in hoc inſtanti, verbi gratia, C, Patres potuerint promereri, vt retenta in eo inſtanti, C, exiſtentia præextiterit in aliis inſtantibus antecedentibus, A, & B, ita vt faceret hunc ſenſum, quòd potuerint promereri nouam partem durationis à parte ante, ſicut dici poſſet, quòd promererentur à parte poſt in hypotheſi, quòd incarnationis continuatio caderet ſub meritum, retenta ſemper in Chriſto independenter à Sanctiſſimorum Patrum meritis aliqua duratione, quam Deus cum ſubſtantia incarnationis ſimul ſine meritis prædiffinierit? In hoc ſenſu non patitur difficultatem titulus, quia ſi credimus pluribus non ignobilis notæ Authoribus, eſt valde probabilis opinio Chriſtum Dominum potuiſſe promereri hoc modo aſſignato incarnationis anticipationem; atque adeo ſimili modo poſſe Sanctos Patres mereri illam, nullum mihi negotium faceſſit, potiſſimùm mediis auxiliis, Sanctis Patribus collatis ex meritis Chriſti, exiſtentibus in ea duratione ſcilicet, C, quam Chriſtus haberet independenter à meritis Sanctorum Patrum. Senſus ergo tituli eſt præfigendus ſic, An Patres antiqui promeriti ſint accelerationem incarnationis ſecundùm totam ſuam durationem, quam Chriſtus habuit ante ipſius interitum, ad hunc ſenſum, quòd Deus prædefinierit incarnationem abſque eo, quòd ex vi talis decreti aliqua determinata duratio temporis, in qua foret, fuerit prædefinita, & Patres promeruerint incarnationem fieri in hac determinata duratione, hoc eſt, quòd meruerint ne amplius incarnatio differretur? Quam quæſtionem aliæ voces clariùs proponunt, an videlicet Deus incarnationem prædefinierit certo tempore ſub conditione, quòd Patres eam maturiorem non depoſtularent, & poſtea in altero ſigno, viſis Patrum meritis, illam Deus maturiorem decerneret, taliter, quòd tempus, ſub quo eſt exequuta, fuerit anticipata ſaltem per triginta tres annos, quos Chriſtus apud nos in mortali vita percurrit. Vel vt alij prædefinita in primo intentionis ſigno incarnationis ſubſtantia, nulla habita detentione ad determinatum tempus, potuerint Sancti Patres mereri illam eamdem durationem, qua in hac vita menſuratus fuit Chriſtus.

Nota rurſum, tres eſſe incarnationis circunſtantias, de quibus poteſt eſſe inter Authores concertatio. Prima, quòd ſcilicet Chriſtus natus eſſet ex hac progenie. Secunda, circunſtantia loci. Tertia, circunſtantia temporis. De circunſtantia illa prima, nempe, quòd Chriſtus ex hac progenie naſceretur, ſunt varij Authores. Quidam vniuerſaliter aſſeruerunt, plures Sanctos fuiſſe promeritos eſſe Chriſti progenitores, ſeu quòd ex illis naſceretur. Ita Bonauentura *in 3. diſtinctione 4. articulo 2. quæſtione* 1. Gabriel *articulo 3. dubio* 3. Ricardus *articulo 3. quæſtione* 1. Almainus *quæſtione 1. dubio* 3. Marſilius *quæſtione 5. articulo 2. concluſione 3. & quæſtione 4. articulo 3. dubio 1. concluſione* 1. Alenſis *3. parte, quæſtione 8. membro 3. articulo* 2. Subtilis Scotus *in 4. diſtinctione 2. quæſtione 1. ad tertium.* Expreſsè Sanctiſſimus Thomas *hîc & in 3. diſtinctione 4. quæſtione 3. articulo 1. ad quartum,* quem communiter omnes eius diſcipuli ſequuntur. Soto *libro 2. de iuſt. & iure, quæſtione 2. articulo 3. concluſione* 3. Aluarez & Araujo *hic.* Alij verò abſolutè concedunt aliquibus Sanctis de quibus in Scriptura fundamentum habetur, meruiſſe, quòd Chriſtus ex illorum ſtirpe traxiſſet ortum, id tamen tenaciter Mariæ Sanctiſſimæ negat, dicens abſolutè Mariam Sanctiſſimam nullo modo meruiſſe, quòd ex illa Chriſtus naſceretur. Ita Lorca *diſputatione 22. num. 9.* Alij autem defendunt vniuerſaliter eſſe concedendum, tam Mariam Sanctiſſ. quàm alios SS. antiquos potuiſſe promereri hanc circunſtantiam, quòd ex illis naſceretur Chriſtus. Ita Caſtillo *diſputatione 9. de cauſis incarnationis, quæſt. numero* 28. 3.

Hæc ſunt placita Authorum, circa primam circunſtantiam progenitorum Chriſti. Circa quam nihil ſpeciale occurrit addendum iis, quæ dedimus latiſſimo calamo *dubio tertio,* vbi contra Lorcam ſtatuimus, Mariam Sanctiſſimam de congruo fuiſſe ſibi promeritam maternitatem Chriſti, necnon plures Patres quos ibi ex Sacra Scriptura deduximus, fuiſſe promeritos, quòd ex illis naſceretur Chriſtus. 4.

De ſecunda circunſtantia Loci, vix nulla verſatur lis inter Doctores, & idem ipſi, qui meritum Sanctis Patribus reſpectu primæ circunſtantiæ denegant, concedunt meruiſſe, quòd Chriſtus in hoc loco vitam inciperet. 5.

Circa tertiam circunſtantiam de tempore, eſt tota inter Authores concertatio. In hac enim re Lorca, Caſtillo citati ſuprà, & Cardinalis Lugus abſolutè inficiantur Sanctos Pa- 6.

tres potuiſſe mereri incarnationem, quoad circunſtantiam accelerationis temporis.

7. Ex aduerſo ſtat Sanctiſſimus Thomas ſuprà citatus, quem ſequuntur præter eos, quos dedimus pro prima circunſtantia, Vaſquez *diſputatione 21. capite 4.* Suarez *diſputatione decima ſexta*, vterque Hurtadus *hic.* Amicus *tomo de incarnatione diſputatione 16. ſectione 8.* & Bernalius *tomo de incarnatione, diſputatione 17. ſectione 3. §. 2. numero 62.* qui ſingulariter defendit, quòd licet Sancti Patres promeriti fuerint hanc temporis circunſtantiam, non tamen integram. Inter placita ſequendum exiſtimo vltimum, vtpotè à SS. Thoma edoctum, & noſtris principiis conformius. Pro quo.

Sectio II.

Sancti Patres meruerunt de congruo accelerationem incarnationis.

8. PRæfixa hæc concluſio duplici fundamento innititur, & eius ſcilicet explicationi, & ſolutioni argumentorum. Sic igitur exponenda venit, etenim cùm in ea reſoluimus Patres meruiſſe incarnationis accelerationem, nolumus decernere, quòd poſſint mereri, quòd Deus mutaret decretum ſuum, quod in prima prædiffinitione habuit, hoc enim eſt impoſſibile, ſed volumus dicere, Deum ita in ſua prædiffinitione diſpoſuiſſe executionem incarnationis, vt voluerit ipſos homines ita diſponi, & præparari ad hoc beneficium recipiendum, vt ex vi talis diſpoſitionis mererentur de congruo, ne amplius hoc tantum beneficium differretur. Hoc ipſum videtur innuere Caietanus *Geneſ.* 27. Vbi dicit propter peccata filiorum Iacob dilatam fuiſſe incarnationem, non quòd diuinum decretum mutaretur taliter, quòd nouam habens voluntatem, incarnationem maturius definitam differret ad aliud tempus; ſed ad hunc ſenſum, quòd hominum peccata digna erant illa dilatione, quam Deus ante prædefinierat. Huc etiam facit illud Gregorij ſupra illud *Pſalm.* 50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Vbi aſſeruit Sanctus Doctor: *Dauidem timore correptum, ne propter peccatum, quod commiſerat, impediretur promiſſio ſibi facta de Chriſto ex ſua ſtirpe venturo, à Deo poſtulaſſe, ne tam ingenti pœna incuteretur.* Vbi ponderandum eſt, Dauidem, aliàs diuinæ veracitatis conſcium, & fidelitatis ſupremæ maximè ſecurum, nullam fuiſſe paſſum ſuſpicionem de certitudine promiſſionis; atque adeo ſolùm eſt de illo ſuſpicandum, quòd in illis verbis repræſentare voluerit dignitatem ſui peccati, qua dignum ex ſe tali pœna præſumebat, & quòd medium vnicum, & congruentius, vt Dei promiſſio ſibi facta adimpleretur fuiſſe pœnitentiam. Atque adeo Sanctos Patres congruè promeruiſſe circunſtantiam hanc accelerationis, nihil aliud eſſe, quàm SS. Patres mediis actibus ſuis iuſtis, ſe diſpoſuiſſe ad ipſam accelerationem recipiendam.

9. Hanc reſolutionem munire poſſem pluribus Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ ſanctionibus, vnam, vel alteram adducam, quæ fuerit vrgentior viſa. Colligi enim poteſt ex illo *Danielis* 6. Vbi apparuit Gabriel Danieli oranti, cui hæc dixit: *Nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres, ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es, tu autem animaduerte ſermonem, & intellige viſionem, ſeptuaginta Hebdomada abbreuiata ſunt ſuper populum tuum, &c.* Vbi duo ſunt ponderanda. Primum, ly *abbreuiata*, quæ verba ſufficienter innuunt, quaſi acceleratum fuiſſe tempus aduentus Chriſti, qui liberaturus erat populum Iſraël, pro quo Daniel preces ardenter mittebat. Secundum, per ly *ab exordio precum tuarum*, oſtenditur meritum Danielis orantis pro redemptione Iſraël. Nec enim per hæc intelligendum præſumimus orationes, & merita Danielis fuiſſe efficacia, ad mutandum aliquid de diuina prædeſtinatione, ſed quia Deus in ſua diuina præſcientia tempus illud decreuerit, intuitu meritorum Danielis, & aliorum Patrum perorantium. Sumit enim incrementum interpretatio hæc illius vocis *abbreuiata.* Ex alia apud *Matthæum* 24. habita de tempore Antichriſti, vbi, *Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur.* In quibus datur intelligi, Deum in æterna ſua præſcientia ordinaſſe, vt dies illæ non eſſent plures intuitu meritorum electorum, ſed breuiori dierum ſumma vitam agerent, abſque vlla mutatione diuini decreti. Etenim licèt hæc duo, nempe incarnationis ſubſtantia, & illius tempus ſimul extiterint in diuina præſcientia, tamen cùm illa ſint inter ſe diſtincta, bene compatitur, quod vnum liberaliter, & ſine præuiſione meritorum prædefiniatur, & alterum minimè, ſed dependenter à meritis. Sicut dubio ſecundo reſoluimus. Incarnatio enim quoad ſubſtantiam, & incarnatio ex hac Mariæ ſimul in diuina præſcientia extiterunt, & tamen illa independenter à meritis, & hæc dependenter à meritis Mariæ Sanctiſſimæ fuit præuiſa.

10. Hæc eadem veritas ex illo *Lucæ* 2. confirmatur, vbi de Simeone dicitur, *Reſponſum acceperat Simeon ab Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Dominum.* Quod interpretantur Authores de merito Simeonis, quo promeritus fuit Chriſtum videre. Id ipſum affirmandum exiſtimo de Anna, eo quod tot ieiuniis peractis, & orationibus effuſis, templum Dei vſque ad annos octoginta deuotiſſimè inhabitaſſet. Quem locum explicans Diuus Ambroſius *capite de Simeone & Anna*, aliquod genus meriti in aduentum Chriſti Annæ præſtitit, per hæc verba: *Et ideo Anna, & ſtipendiis viduitatis, & moribus talibus inducitur, vt digna planè fuiſſe credatur, quæ Redemptorem veniſſe omnium crederetur.* Ex his clarè fit certum, Simeonem, & Annam promeruiſſe ipſum Chriſtum videre, ſiue hoc tantùm ſit mereri incarnationem quoad prædeſtinationem, vt vnus, vel alter falsò ſunt exiſtimati, vel ſolùm incarnationis ſubſtantiam, quoad eius exhibitionem, vt nos cum Sanctiſſimo Thoma *dubio antecedenti* defendimus.

dimos. Iam quòd ex iſtis verbis colligatur meritum in Simeoue, & Anna reſpectu accelerationis incarnationis facillimè coniectamus. Etenim vt ex contextu ſacro conſtat. Simeon, & Anna meruerunt Chriſtum videre, hoc autem dupliciter poteſt intelligi, vel quòd ipſi meruerunt viuere vſque ad tempus, in quo Chriſtus venturus erat in templum, cùm tamen morituri eſſent ex cauſis naturalibus, aut quòd ipſi promeriti fuiſſent, quòd tali tempore incarnatio fieret, in quo attentis cauſis naturalibus ipſi vitam adhuc egiſſent, ſicque peruenturi ad tempus illud, quo Chriſtum conſpicerent. Primum nequit intelligi ſtantibus rebus in ſuo pondere, non enim eſt dicendum ipſos promeruiſſe viuere vſque ad tempus illod aduentus Chriſti ad templum, cùm antea ex cauſis naturalibus morituri fuiſſent. Hoc enim eſſet obicem parare naturalium cauſarum curſui, quod ſine miraculo peragi non poteſt, illud tamen concedere ſine neceſſitate, eſt otioſum. Ergo meritum illod Sanctorum eò tetendit, vt mererentur, quòd Chriſtus eo tempore naſceretur, quo poſſet ab ipſis ocolis ſuis conſpici. Cùm enim totum hoc pendeat ex libera volontate Dei, hoc, vel illud, ſic, vel aliter diſponentis, potuit prædictum Chriſti aduentum in templo dependenter à meritis decernere. Sic eſſe peractum ex dictis facilè hauriri poteſt præſumptio, & maior, cùm ſoluta maneant aduerſantium argumenta.

11. Lorca vbi ſuprà *numero trigeſimo quarto*, locum illum ex Daniele deſumptum, nihil adducere noſtræ reſolutioni proficuum teſtatur, quem, aſſerit, ſic eſſe intelligendum, quòd ly *abbreuiata*, ſi conferatur cum originali hebræo, non ſignificat diminutionem, & accelerationem temporis, ſed potiùs ſtatutum, & diffinitum, nam verbum hebræum, *Nectat*. quod illi reſpondet, diſtinire, & ſtatuere ſignificat, atque adeo *abbreuiata ſunt*, idem eſt, *ac ſtatuta ſunt, vel diffinita*. Rurſum addit; dato, quòd ly *abbeuiata* propriè ſonatur, adhuc intelligi non poteſt in rigore, quem ſonat, nam ſi ita intelligeretur, hedomadæ dicerentur abbreuiatæ, vel quia eis aliquid detractum eſt, vel quia ipſæ detractæ ſunt ex tempore ſtatuto aduentus Meſſiæ, nam abbreuiatum latinè hoc ſignificat, ſcilicet ex quo aliquid detractum eſt, vel quod ex alio eſt detractum. Hic autem ſenſus eſt falſos, nam hebdomadæ illæ integræ excurrerunt. Vnde ly *abbreuiata*, inquit, ſunt intelligendæ, quòd ſenſus ſit, ſeptuaginta illas hebdomadas ſupereſſe vſque ad Chriſti aduentum, & dicuntur abbreuiatæ, quaſi diceret Angelus Danieli, tempus eſt iam breuè, & non multum ſupereſt, quia ſolùm ſuperſunt ſeptuaginta hebdomadæ. Hæc Lorca.

12. Sed contra. Quia ſtando in ly *abbreuiata*, vt collatæ cum originali hebræo iam admittit Lorca, quòd ſignificare voluit Angelus, incarnationem fuiſſe ſtatutam poſt illas ſeptuaginta hebdomadas, quia vt bene notat ly *abbreuiata* in originali hebræo idem eſt, *ac nectat*, quod ſtatuere, & diffinire innuit. Hoc ipſum in re fatemur; quia nos non aliter reſolutionem adſtruimus; niſi quòd Sancti Patres meruerunt tempus, quod Deus præfixit incarnationi; taliter, quòd vel præfixerit Deus tempus determinatum incarnationis, ſi maturiùs non poſtulauerint Patres, vel in primo ſigno ſolùm ſtatuerit incarnationis ſubſtantiam, & poſtea in ſecundo ſigno, videns orationes Patrum, illis motus hoc tempus incarnationis deſignauit, cùm aliud vlterius ſupereſſet illi, quo poſſet illam præfinire. Iuxta hos modos dicendi ſemper defendimus, tempora incarnationis eſſe abbreuiata, intuitu meritorum Patrum, nihil aliud importare, quàm Deum hoc tempus intuitu Patrum incarnationi præfixiſſe, cùm poſſet ad aliud longius protrahere, & quia id facere noluit, dicitur incarnationem abbreuiaſſe.

Nec vim facit illud ex etymologia Latina decerptum, quia iuxta illam *abbreuiatum* idem ſonat, quàm aliquid ex tempore, in quo incarnatio determinata erat, detrahere, vel minuere, quod non poſſet Deus facere, niſi nouo decreto, quo tempus, in quo eſſet prædefinita incarnatio, ex vi meritorum Patrum minueretur: Iam enim diximus, Patres meruiſſe incarnationis accelerationem non facere ſenſum, quòd, ſemel ſuppoſitâ incarnationis ſubſtantia, hoc determinato tempore, verbi gratia, C, prædefinitâ, potuerint Patres promereri, quòd exiſtentia eiuſdem incarnationis prædefiniatur tempore A, vel B; ſed adhunc ſenſum, an Patres antiqui promeriti ſint accelerationem incarnationis ſecundùm totam ſuam durationem, illi à Deo præfixam ab æterno, taliter, quòd Deus prædiffinierit incarnationem abſque eo, quòd ex vi talis decreti aliqua determinata temporis duratio, in qua foret, ex vi talis decreti fuerit præuoliſa, & Patres meruerint incarnationem fieri in hac determinata duratione, & quia Deus, talibus meritis annuens, illam eamdem præſignauit, dicitur acceleraſſe tempus, cùm ad aliud longius poſſet remittere eam, & noluit. Contra hæc nihil video alicuius momenti in explicatione Lorcæ; imò nonnihil aduerſùs textum in eius explicatione reperio; quia licèt proprietatem vocis, *abbreuiata*, non intorqueat, tamen minimè ſua explicatione ſaluatur verbum aliud ſcripturæ, videlicet, *ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, nempe abbreuiata ſunt ſeptuaginta hebdomadæ*. Verba hæc faciunt hunc ſenſum deſignationem hanc, quam Deus iodidit incarnationi exordium ſumpſiſſe à precibus Danielis. Hoc enim meritum Danielis non ſaluat Lorcæ interpretatio, dicens. Idem eſſe dicere, Angelum Danieli abbreuiatas eſſe hebdomadas aduentus Chriſti, ac ſi diceret illi, tempus breue eſt, non multum ſupereſt, quia ſolùm ſeptuaginta ſuperſunt hebdomadæ. In his enim vbi componitur meritum Danielis in litera ſignificatum, vi cuius Decerneret amplius vltra ſeptuaginta hebdomadas incarnationem non differre? 13

Sed quæres, an noſtra reſolutio intelligenda ſit de merito Sanctorum Patrum, reſpectu circunſtantiæ, quoad æternam accelerationis prædeſtinationem, an ſolùm intelligatur de merito circunſtantiæ, quoad executionem acceptæ. Reſpondeo, vtrumque poſſe iux- 14

ta noſtra principia defendi. Si enim innitamur concluſioni adductæ *dubio præcedenti*, dum de ſubſtantia incarnationis ſermonem retexuimus, eodem modo philoſophaturi ſumus de circunſtantia temporis, & eius accelerationis; atque adeo eiſdem fundamentis, quibus illam concluſionem fulciuimus, hanc protegere debemus: Vnde ſicut ibi decreuimus, Patres antiquos prometitos fuiſſe incarnationis ſubſtantiam, non quoad æternam prædeſtinationem, ita interrogati de circunſtantia accelerationis, ſi ad ea conſequenter eſt parandus ſermo, reſponſuri ſumus, ſolùm quoad executionem fuiſſe illam promeritos Sanctos Patres.

15. Si vero reſponſio ſit adſtruenda iuxta à nobis data *dubio ſecundo*, contrarium hic defendendum ſuſpicamur, dicentes Sanctos Patres promeruiſſe accelerationem temporis incarnationis quoad æternam eius prædeſtinationem, ſeu electionem; ratio, quia circunſtantiæ ſunt, ſine quibus ſaluatur tota rei ſubſtantia. Ergo potuit Deus prædeſtinare incarnationem independenter à meritis Sanctorum Patrum quoad ſubſtantiam, circunſtantia verò non niſi dependenter à meritis eorumdem. Conſequentia patet, quia ſicut potuit incarnatio fieri ſine his, vel illis circunſtantiis determinatè, & in particulari, ita potuit ſine his determinatè prædeſtinari, atque adeo prædeſtinatâ incarnationis ſubſtantiâ, potuit Deus dependenter ab illa, gratiam conferre Patribus, dependenter à quorum meritis prædeſtinare potuit has, vel illas circunſtantias in particulari; ſicut enim merita Chriſti per ſe tantùm pendent ab incarnationis ſubſtantia, ita ex meritis Chriſti, ſupponentibus tantùm incarnationem quoad ſubſtantiam, decerni potuit gratia Patrum, ex quorum meritis poſtea prædeſtinari potuerunt circunſtantiæ determinatæ, & in particulari.

16. Sed occurres huic vltimæ reſponſioni; non ob alia merita Chriſti Deus prædeſtinauit gratiam Sanctorum Patrum, & dependenter ab eorum meritis circunſtantias incarnationis, quàm quæ de facto fuerunt, ſed quæ de facto fuerunt, ſupponebant incarnationis circunſtantias iam prædiffinitas, quia merita non mouent, niſi vt actu præuiſa exhibita extra cauſas. Sed merita vt actu exhibita, & executa ſupponunt determinatam Matrem, & determinatum tempus. Ergo merita Sanctorum Patrum non promeruerunt circunſtantias incarnationis quoad earum æternam prædeſtinationem. Præterea, quia eſſe Matrem Chriſti Mariam Sanctiſſimam, necnon Sanctos Patres eſſe illius progenitores, eſt circunſtantia incarnationis. Atqui *ſupra dubio tertio tertia partis concluſionis* in titulo præfixæ ſtatuimus, nec Mariam Sanctiſſ. nec Sanctos Patres meruiſſe, quòd eligerentur quoad prædeſtinationem in eſſe progenitorum Chriſti. Ergo ſimiliter hîc diſcurſuri ſumus de merito circunſtantiæ temporis. aliàs inconſequentiæ nota inurendi ſumus.

17. Reſpondeo ex doctrina ſatis latè loco citato ſcripta, diſtinguens minorem, merita, quæ de facto fuerunt, ſupponebant incarnationis circunſtantias prædeſtinatas vi prioris decreti, quo prædeſtinata fuit ſubſtantia ipſa incarnationis, nego. Supponebant incarnationis circunſtantias prædeſtinatas vi poſterioris decreti, quo ſubſtantia ipſa incarnationis cum omnibus ſuis circunſtantiis fuit adæquatè prædeſtinata, concedo. Rurſum illud, quod poteſt eſſe probatio, eſt falſum, quia merita non ſolùm mouent, quia exhibita, & ſolùm vt actu exercita, ſed etiam poſſunt mouere antequam videantur, vt reipſa in actu ſecundo exhibita, ſed tantùm vt exhibenda vi prioris decreti abſoluti, quo prædeſtinata fuit incarnationis ſubſtantia, vt ſuprà expendimus. Ad illud verò quod dicit de inconſequentia facilè reſpondebimus. Imprimis iuxta aliorum placita, non valet, maternitatem Chriſti, & eſſe Patres antiquos eiuſdem progenitores, Maria Sanctiſſima, nec Patres promeruerunt quoad prædeſtinationem. Ergo nec circunſtantiam temporis Patres promeruerunt, quia plures concedunt antecedens, & negant conſequentiam propter maiorem dependentiam, quam habet incarnatio à maternitate, quàm à temporis circunſtantia. Verùm negandum eſſe antecedens iuxta aſſerta à nobis *ſuprà dubio tertio*, & licèt ibi ſtatuerimus Mariam Sanctiſſimam (idem intellige de Patribus) meruiſſe ſuam maternitatem ſolùm quo ad executionem, id diximus iuxta modum probabilem diſcurrendi Diui Thomæ, nunc verò ſolùm probabiliter defendimus eamdem Maternitatem quoad intentionem poſſe Mariam Sanctiſſimam promereri, cuius rationem dedit dubium ſecundum per totum. Argumenta verò quibus perſuadebamus contrarium *dubio tertio*, ex ſola terminorum expenſione manebunt ſatisfacta.

18. Collige. Bernalinm citatum ſuprà, licèt nobiſcum veniat in concedendo merito Mariæ Sanctiſſimæ, & Patrum Sanctorum in ordine ad incarnationem quoad temporis circunſtantiam, quo fuit conceptus Chriſtus, non tamen integram temporis circunſtantiam fateri meruiſſe. Mouebatur, quia Chriſtus primò fuit præuiſus exiſtens, & merens in illa circunſtantia temporis, quo pendebat à ſolo Deo, atque adeo præuiſus eſt antequam decerneretur concipiendus, nedum concipiendus hoc determinato tempore. Ergo propter illud meritum decreta ſunt Patrum auxilia, quibus mererentur illum tali tempore concipere; cùm autem ante præuiſionem illius meriti, iam eſſet decretus Chriſtus pro illo determinato tempoe, verbi gratia diuturnioris inediæ, ideo non meruerunt Patres circunſtantiam temporis integram, quia non meruerunt, quòd incarnatio non differretur vltra tempus inediæ, ſed cùm Deus incarnari potuiſſet proximè ante illud tempus, vel illo ipſo, meruerunt vt incarnaretur triginta annis ante illud. Hæc Bernalins & bene dicta in vi illationis conſequenter ad ea, quæ dixerat in ſerie decretorum; verùm cùm eam eſſe falſam oſtenderimus *dub*. 2. *ſect*. 8. ideo hæc illatio penitus corruit.

SECTIO

SECTIO III.

Argumenta.

19. VAriè Recentiores impetunt veritatem concluſionis propoſitæ. Cabrera hîc duabus rationibus mouetur; prima, quia duplici modo, ait, pnſuerunt Patres accelerationem incarnationis promereri. Primò, quòd per Patrum merita prius veniret Christus in mundum, quàm per diuinum conſilium prædefinitum erat; Secundò vt priori decreto tantùm fuiſſet prædiffinita ſubſtantia incarnationis, cui inniterentur merita Patrum, quibus promererentur illi exequutionem fieri in hoc tempore. Primo modo Patres accelerationem non promeruiſſe aſſerit, eſſe dogma de Fide iuxta illud Pauli *ad Galatas* 4. dicentis: *At cùm venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum*, &c. Atqui hæc temporis plenitudo indicat tempus incarnationis à diuino conſilio præfixum. Ergo per Pattum merita non priùs veniret Christus in mundum, quàm per diuinum conſilium erat præordinatum. Nec ſecundo modo valebant Patres accelerationem prædictam promereri, quia circunſtantia temporis eſt requiſitum ad indiuiduationem. Ergo eo ipſo, quòd Chriſti merita præuiderentur ante merita ſuorum progenitorum, debebant præuideri ſub hac determinata duratione, ſub qua Christum præuideri eſt neceſſarium. Ergo ante Patrum merita hæc Chriſti duratio erat à diuino conſilio præfixa. Ergo non potuit cadere ſub meritum Sanctorum Patrum.

20. Reſpondeo ad primam partem: Minimè reſolutioni noſtræ refragari, quia vt ſæpe & millies repetiuimus, extra controuerſiam eſſe, tempus diuinam incarnationem menſurans eſſe ab æterno Dei decreto prædeterminatum, de hoc enim dubitauit nemo; ſolùm eſt contentio ſuppoſita hac veritate, an hæc diuina temporis præſignatio fuerit ante, vel poſt præuiſa Sanctorum Patrum merita; non aliter, ac ſubit examen quæſtio illa de electione ad gloriam. Nullus enim eſt, qui dubitet, Petrum ad tantam, vel tantam gloriam euectum eſſe, fuiſſe ab æterno Dei decreto prædefinitum: at ſuppoſita veritate illa, quæſtioni datur ab Authoribus, an electio hæc Petri ad gloriam ſit facta à Deo antecedenter ad merita Petri præuiſa, vel poſt eorum præuiſionem. Sic ſimiliter in præſenti. Imponere verò cenſuram ſententiæ affirmanti, eſt controuerſiæ ſtatum accuratè non indagaſſe. Per hæc explicatur Pauli teſtimonium hîc extra rem contra noſtrum placitum è Cabrera inductum.

21. Ad alteram partem æquè eſt facilis exitus. Nego enim indiuiduationem effectus à circunſtantia temporis depromendam fore, iuxta ea, quæ *libro primo de generatione tractatu de indiuiduatione rerum legi.*

22. Confirmatio nobis non nocet, nec ſcio eni obeſſe poſſit, cùm non ſit inuentus Anthor, noſtram reſolutionem fouens, qui defendat, Patres potuiſſe promereri, vt poſtquam Deus determinatè prædefinierit tempus, in quo eſſet incarnatio exequenda, alio tempore exequeretur, quia hoc eſſet admittere, potuiſſe Deum ſemel habitum decretum mutare. Solùm enim eſt ſenſus noſter, & quem noſtri tuentur, potuiſſe Deum, hoc determinatum tempus prædefinire, decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti, ſub condirione ſcilicet, ſi maturius aliud tempus Patres non depoſtulaſſent, & poſtea viſis Sanctorum Patrum meritis ante illud tempus incarnationem prædefinire, ex quo non ſequitur Deum mutare poſſe decretum, imò eſſet ex vi decreti habiti effectum decernere, quia conforme ad conditionem in primo decreto inuolutam, ipſa purificata effectum prædefiniret.

23. Mouetur ſecundò Cabrera, quia ſi Patres promeruiſſent incarnationis tempus, ſequeretur illius ſubſtantiam promeruiſſe. Conſequens eſt falſum iuxta ſuperiùs aſſerta. Ergo, &c. Sequelam probat, Chriſtus exiſtere non poterat abſque temporis duratione. Ergo ſi hæc non determinaretur, nullo modo Chriſtus exiſteret. Ergo ex eo quòd Patres promeruiſſent determinatam durationem, ſequitur, ipſos promereri poſſe ipſam ſubſtantiam incarnationis, & eius exiſtentiam

24. Reſpondeo ſequelam negans, & diſtinguo iuxta dicta *dub.* 2. Primum antecedens. Chriſtus non poterat exiſtere ſine hac duratione intrinſeca in hoc determinato tempore, nego antecedens; ſine hac, aut alia loco illius, concedo antecedens; & concedens primam conſequentiam, in qua dicitur, quòd ſi duratio non determinaretur, Chriſtus non exiſteret, diſtinguo ſecundum conſequens, ſi Patres promeruiſſent determinatam durationem taliter, quòd ablato eorum merito, neque hæc, vel alia erat futura duratio, promeruiſſent incarnationis ſubſtantiam, concedo; ſi Patres meruiſſent hanc determinatam temporis durationem, ſuppoſito ex parte Dei decreto, quo priùs erat determinatus Deus ad hanc, vel illam durationem ſub diſiunctione producendam, vel ad producendum Chriſtum ſub hac, vel illa temporis duratione, meruiſſent ipſam incarnationem quoad ſubſtantiam, & eius exiſtentiam, nego conſequentiam. Cùm enim Deus ex vi prioris decreti Chriſti decreuiſſet incarnationem ſub hac determinata temporis duratione, ſub conditione, quòd Patres aliam maturiorem in ſecundo ſigno non depoſtulauerint, fit, quòd Patribus ſolùm relinquatur tamquam præmium, quòd poſſint promereri in ſecundo ſigno, non ipſam incarnationem quoad ſubſtantiam, quia hanc ſupponimus eſſe in primo ſigno decretam, nec omnem durationem, quia aliquam determinatam præfixerat Deus, ſaltem ſub conditione, quòd aliam Patres non efflagitarent; atque adeo ſi in ſecundo ſigno conditio illa non purificaretur, hoc eſt, ſi Sancti Patres breuiorem durationem non peterent, eodem modo veniret Chriſtus ex vi prioris decreti in determinata illa duratione, quam ſub negatione orationis alius durationis à Patribus faciendæ, præfixerat conditionatè Deus.

25. Arguit Lorca vbi ſuprà *num.* 33. & Caſtillo

diſputatione nona, quæſtione ſeptima, numero tertio, vbi aſſerunt, quòd nulla facta eſt acceleratio aduentus Chriſti, ſed quo tempore ſtatutum eſt, eodem eſt impletum, nulla in illo mutatione facta. Quodque vt intelligatur, memoria aſſerit, recolendum eſſe, ſtatutum fuiſſe incarnationis tempus, determinando illud, quod erat conuenientius ad finem ipſum incarnationis, & ad communem ſalutem hominum; cùm igitur tempus hoc fuerit definitum ob finem communem, & tanti momenti, non fuit conueniens, vt propter finem particularem, & propter conſolationem particularis perſonæ inuerteretur.

26. Verùm Author hic mouetur ratione, quam *n.* 32. vitare conabatur; noſtra reſolutio nō ſupponit, incarnationis durationē in primo ſigno decretam, inuerti debere per hoc quòd dependenter à meritis Sanctorum Patrum determinata hæc duratio, in ſigno ſequenti prædefiniatur: quia iam monuimus, illam antecedentem durationem, in primo ſigno decretam, non decreuerat abſolutè efficaciter, tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti, ſed abſolutè ex parte actus, & conditionatè ex parte obiecti, dependenter à conditione ſæpè, & millies perfricata. Diceret enim Deus, volo, quòd incarnatio fiat tempor e C, ſi Patres Sancti non expoſtulauerint, quòd fiat in inſtanti, A, ſi tamen id petiuerint, incarnatio fiet in tempore, A, Hoc totum obiectum correſpondet primo decreto Dei, de tempore incarnationis habito. Acceſſit ſecundum ſignum, in quo Patres anxiè depoſtularunt, quòd incarnatio fieret in inſtanti, A. Ecce conditio primi decreti purificata, & ecce incarnatio in inſtanti, A, definita abſolutè eo modo, quo volita fuit ex vi primi decreti. Poſſe autem Deum incarnationem, aliàs ob finem communem volitam, illam dependenter à meritis decernere, eorum precibus annuentem, nullum eſt incōueniens, cùm orationes, quas Sancti Patres fuderunt pro incarnatione acceleranda, poſſent ab illis ordinari, ſicut de facto ordinauerunt, propter finem vniuerſalem ſalutis communis, vt Interpretes cuncti explicant Danielis preces, quas fuiſſe factas pro liberando populo Iſraël, vnanimiter defendunt commentarij.

27. Cardinalis Lugus vbi ſuprà *num.* 34. de hac temporis circunſtantia magnam pati dubitationem profitetur, an eam poſſent Patres promereri. Mouetur, quia licèt alij effectus non indiuiduentur in ordine ad circunſtantiam temporis; cæterùm meritum in ratione meriti includit temporis durationem, nam actio & rei duratio non diſtinguuntur inter ſe; meritum autem in ratione meriti, eſt actio voluntaris, vel ſaltem includit actionem, & per conſequens hoc meritum, in ratione meriti, includit hanc durationem. Quæ non proſequitur, quia alibi tractanda promittit

28. Sed vt impugnationem iuxta communia principia aduersùs nos proponeret, aſſerit, quòd independenter ab illa ſententia, identificante actionem cum duratione, omnes debent admittere meritum, in ratione meriti, includere durationem, cuius rationem dat, quia eadem operatio voluntatis, habens maiorem durationem, cenſetur duplex meritum. Ergo in ratione meriti non includit ſolam entitatem, præſcindentem à duratione, ſed includit durationem, & per conſequens hanc durationem includit hoc meritum. Ergo non potuerunt præuideri hæc Chriſti merita, vt hæc ſunt, niſi vt præuiderentur cum hac duratione. Ergo antecedenter ad Patrum merita, iam erat præfiſa determinata incarnationis duratio. Ergo illam non poterant promereri Patres antiqui.

29. Aiunt quidam, quòd hæc ratio Lugi, ſi ſententia, quam ſuppoſuerat, de identificanda duratione cum actione rei productiua, eſſet firma, optimè conuinceret, Patres non potuiſſe promereri incarnationis durationem, quia eo ipſo, quòd duratio non diſtinguatur ab actione, qua producitur res durans, fit, quòd ſi Patres mererentur durationem incarnationis quòd etiam mererentur actionem incarnationis productiuam cum duratione ipſa identificatam, quod eſſet idem, ac promereri ſubſtantiam incarnationis, quod eſſe falſum ſuperque ſupponitur.

30. Verùm nec firmo figitur lapide, & illo ſtante, adhuc vi caret in noſtram reſolutionem. Primum, quia principium illud identificans durationem cum actione productiua rei durantis, non ſemel apud Authores eſt derelictum, vt vidimus *tractatu ſexto de tempore, necnon tractatu de prædicamento, quando.* Sed adhuc eo admiſſo noſtræ reſolutioni non obuiat, intellectæ quoad ſenſum valde probabilem Sanctiſſimi Thomæ, iuxta quem defendimus Sanctos Patres, ſolùm promeritos fuiſſe durationem, ſeu accelerationem temporis incarnationis quoad eius executionem illis, temporique ſuo coexiſtentem. Hoc ſuppoſito ex hoc principio, durationem cum actione productiua rei durantis identificante admiſſo, ſolùm infertur, Sanctos Patres promeritos fuiſſe actionem productiuam incarnationis, & ipſam incarnationis ſubſtantiam quoad executionem præcisè, quod minimè nobis refragatur, vt dubio proximo dedimus, & in præſenti.

31. Illa verò, quæ addidit Cardinalis Lugus, latum petebant examen, quòd ſi calamum non diuerteret ad ea, quæ alijs tractatibus inſeruiunt, potiſſimùm materiæ de merito, illud ſubiicerem hîc. Sed neceſſaria eius reſponſioni non renuam: breuiter explicaturi ſumus propoſitionem illam, ſcilicet, meritum includit durationem, cui vnicè fidit Lugus. Ex hac enim propoſitione ſtatim expendenda, ſolùm inferri videtur, merita Sanctorum Patrum non poſſe mereri inſtans breuiſſimum, quod ad minùs ad merendum requiritur, quoque menſurarentur merita Chriſti præuiſa, non tamen infertur, promereri non poſſe durationem temporis, ipſi Chriſto, & eius meritis correſpondentem. Quod vt oſtendam, retrotrahere oportet doctrinam *ex tractatu de merito* iuxta Sancti Thomæ placita, ibi enim ſcripſimus eſſe certum, quòd ex maiori duratione operis honeſti creſcit in illo ratio meriti, & hoc modo verificari, poteſt, quòd meritum durationem inuoluit. Verùm

ibi

ibi monuimus, & iuxta illa *tractatu de Chriſti merito* dabimus, non eſſe durationem temporis aliquid neceſſariò pertinens ad rationem conſtitutiuam meriti; imò neque conditionem ſine qua non. Cùm certum ſit eſſe dabile proprium meritum in actione, ſolùm pro vnico inſtanti durante. Vnde *loco citato* animaduertimus, in actione meritoria, per tempus durante, duplex meritum reperiri. Alterum, conſiſtens in ipſius actionis ſubſtantia, ſecundùm ſua prædicata entitatiua conſiderata, quod inquam meritum ipſam operis ſubſtantiam comitatur, ſiue tale opus vnico inſtanti menſuretur, ſiue multo tempore duret. Aliud meritum eidem operi ineſt, correſpondens eius durationi, & permanentiæ. Inter hæc merita hoc inuenies diſcrimen, quòd primum ſemper eſt operis neceſſariò comes, quodque incipit in ipſa exequutione ſubſtantiæ operis, Alterum verò, cùm innitatur durationi, & hæc ſeparabilis ſit à ſubſtantia operis, vt videre eſſet, ſi opus pro vnico inſtanti duraret, fit, quòd meritum illi correſpondens, ſit etiam à ſubſtantia operis ſeparabile. Ex quo deduces, quod in hypotheſi, qua actio tantùm in vnico inſtanti exiſtentiam haberet, in ea ſolùm inuenies meritum, quod in ſubſtantia actionis fundatur, non verò meritum fundatum in illius duratione, nec iſti præmium aliquod correſponderet, cùm in tali hypotheſi prædicta duratio non exiſteret. Iuxta hæc non erit verum Lugi Cardinalis aſſertum, videlicet, quòd meritum inuoluit neceſſariò durationem. Iam ex eius diſcurſu ſolùm conuinci videtur, quòd auxilia, & gratia Sanctis Patribus præſtita, fundari poſſent in merito reſpondenre ſubſtantiæ actionis Chriſti in primo ſigno præuiſæ; minimè verò in merito, quod correſponderet durationi actionis, nullo modo pro illo ſigno priori præordinatæ, ſed ad illud ſubſequutæ; atque adeo cùm talem durationem non ſupponant merita Sanctorum Patrum, prædefinitam in primo ſigno, optimè poterant illam promereri, & tamquam in præmium eorumdem meritorum efficaciter ipſam decernere.

32. Reſponde nunc in forma Cardinalis argumento, diſtinguens propoſitionem illam, meritum in ratione talis, inuoluit durationem tamquam rationem conſtitutiuam illius, aut conditionem neceſſariam ſine qua non, nego, inuoluit durationem vt creſcat, & augeat meritum, concedo: & diſtinguo conſequens. Ergo in ratione meriti non inuoluit ſolam entitatem præſcindentem à duratione, ſi ſermo ſit, de merito correſpondente actioni ratione ſuæ ſubſtantiæ, nego; ſi ſit ſermo de merito correſpondente actioni ratione permanentiæ, concedo; & diſtinguo immediatum conſequens. Ergo hanc durationem inuoluunt Chriſti merita in primo ſigno, quo præuiſa ſunt, nego; in aliis ſignis poſterioribus, concedo; Et ſub eadem diſtinctione vltimum conſequens diſtingues. Huic formæ materiam inducet notabile antecedens.

33. Secundò, reſponderi poſſumus Cardinali iuxta principia, quæ ſuprà dedimus, & infrà dabimus probabilia. Certum enim eſt, meritum quod correſpondet actioni ratione durationis, non illi correſpondere ratione durationis; quia talis duratio diſtincta eſt ab alia duratione. Pone me elicere actionem honeſtam in hoc tempore, durante per ſex inſtantia, iam dixi meritum duplex prædictæ actioni correſpondere, nunc dicimus, quòd illud meritum reſpondens actioni, vt ſic duranti, non correſpondet illi, ratione prædictæ durationis, quia comprehendentis hæc numero ſex inſtantia, & vt diſtinguitur ab alia duratione, alia ſex numero diſtincta inſtantia complectente; etenim idem meritum correſpondens actioni, ratione primæ durationis, correſponderet eidem, ſi per alia inſtantia ſolo numero diſtincta menſuraretur. Quid igitur plus laudabilitatis accreſcit actioni, quia elicitæ hodie, quam non haberet, ſi cætera eſſent paria, ſi craſtina die, & non hodie produceretur. Atque adeo hæc debet eſſe regula generalis. Meritum fundari debet in tanta, vel tanta duratione; non verò in eo, quòd hæc tanta duratio ſit hæc potiùs, quàm alia omnino alteri ſimilis, & æqualis. Iuxta hæc dici poteſt, quòd merita Chriſti poſſent præuideri ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſine duratione hac, vel illa determinata, quibus præuiſis poſſet diuina voluntas moueri ad conferendam gratiam Patrum, abſque eo, quòd videretur eum hac numero duratione, vt ab alia condiſtincta, quod minimè ad meritum conducit, & poſtea in alio ſigno, viſis Sanctorum meritis, decernere Deum hanc præ alia duratione incarnationis.

Iuxta hæc reſpondere poteris argumento 34.
in forma. Meritum, in ratione talis, inuoluit durationem hanc vel illam, do antecedens; hanc determinatam, ſubdiſtinguo, in præuiſione Dei, nego; in executione, do iuxta quam diſtinctionem es reſponſurus cæteris, quæ ſubſequuntur. Hæc principia latè dedit dubium ſecundum, ſtatim de illis iterum redibit ſermo.

Sed replicabis contra hanc ſolutionem. Non 35.
alia Chriſti merita præuidere potuit Deus, quàm quæ reipſa in tempore extitura erant. Sed quæ reipſa extitura erant in tempore, omnia pendebant ab hac determinata duratione, quæ de facto menſurauit illa. Ergo non potuit Deus merita Chriſti, vt futura præuidere, niſi vt menſurata hac determinata duratione, & conſequenter non potuit hæc determinata duratio, Chriſtum menſurans, deſignari in præmium meritorum Patrum, cùm nihil promereri poſſit, quod ſupponitur independenter à merito iam exiſtens. Maior autem eſt conſpicua, nam Deus ſcientia viſionis non videt, niſi quæ aliquando extitura ſunt in tempore, & eiſdemmet modis, & circunſtantiis, quibus extitura ſunt in tempore, cùm ſcientia viſionis ſit intuitiua rei exiſtentis, vt exiſtentis, atque adeo ſupponit rem exiſtentem, vt illam intuitiuè repræſentare poſſit. Minor verò probatur; nam quæ in tempore extitura erant, de facto erant pro-

du

ducenda ab homine Deo exiſtente, atque adeo vt determinatè exiſtente ſub hac determinata duratione. Quis vnquam operationem hîc & nunc exercuit, quin præcederet hîc & nunc in hac determinata duratione exiſtens. Conſequentia inter arguendum fuit probata.

35. Reſpondeo diſtinguens maiorem; non alia merita præuidere potuit Deus vt abſolutè futura, quàm quæ reipſa erant futura in tempore, quoad ſubſtantiam, concedo; Quoad omnem modum, & circunſtantias, cum quibus erant in tempore extitura, nego; quia vt ſuprà dubio ſecundo reſoluimus, potuit Deus in primo ſigno ſubſtantiam rei nudam præordinare, & ex vi alterius ſigni eamdem variis circunſtantiis veſtire, cum quibus prædicta res à parte rei eſt ſocietatem neceſſariò habitura, quarum prædiffinitio ſuperfluit pro primo ſigno, vt ſubſtantia rei intelligatur futura. Eo enim ipſo, quòd pro illo priori intelligatur efficax decretum Dei illam præamans, intelligitur exinde futuritio eiuſdem ſubſtantiæ rei; ad quod neceſſe non eſt expectare decretum ſubſequens circunſtantiarum, quia ſicut ex illo non haurit efficaciam primum Dei decretum, ita nec vt intelligatur futura rei ſubſtantia ex vi primi efficacis decreti, neceſſarium non exiſtimabitur ſubſequens decretum circunſtantiarum deſignatiuum: ratio, quia futuritio rei ea petit præuideri, quæ eſſentialiter ad ſuum eſſe numero petuntur. At à primo decreto, quo futuritio ſubſtantiæ rei decernitur, ſunt volita omnia principia, ſine quibus hoc numero eſſe rei intelligi nequit. Ergo illo ſuppoſito, aliis non intellectis, poterit rei ſubſtantia vt futura præuideri.

36. Ex hoc deduc, potuiſſe Deum præuidere Chriſti merita, vt abſolutè futura antequam præuidiſſet illa ſub determinata eorum duratione, tametſi Chriſtus ſua merita, non niſi ſub determinata temporis duratione, habere potuerit à parte rei: ratio, quia, vt ſuprà diximus, natura à parte rei nequit à quibuſdam circunſtantiis præſcindere, à quibus præſcindere poteſt in mente diuina: Hoc enim duplex inſtantia patefacit: tam deſideratur locus quem occupet merens, vt actionem à parte rei meritoriam eliciat, quàm duratio qua menſuretur: atqui eſt communis ſententia docens, mentem diuinam præſcindere Chriſtum, quem merentem præuidet, à loco determinato. Ergo quæ à parte rei impræſcindibilia ſunt, præſcindi à præuiſione diuina valebunt. Rurſum probabiliter docetur teſte Tannero *diſputatione prima, quæſtione tertia, numero ducenteſimo quadrageſimo quinto*, quòd voluntas Dei præmiantis opera Chriſti, poteſt præſcindere à valore vnionis illorum, ita vt moueatur ad præmium conferendum ex valore, à gratia habituali in illis deriuato, non attendendo ad valorem deſcendentem in illis, ex vnionis gratia. Atqui à parte rei vterque valor ab alio inſeparabilis eſt. Ergo res minimè ſeruant eumdem modum à parte rei, quem ſeruare videntur in diuina præuiſione, quoad hoc, quòd eſt plura præſcindere, vel non præſcindere. Ergo quamuis à parte rei merita Chriſti elicita, annexam ſibi habeant determinatam durationem, qua menſuretur eorum principium, nempe Chriſtus, poterunt tamen eſſe præuolita efficaciter, præſcindendo in illo priori à determinata duratione, ſicut à determinato loco. Ratio omnium eſt, quia eatenus aliquid præſcindibile eſt ab alio, quatenus ab illo eſt independens, cúmque res à parte rei, nedum dependeat à principio, in eam per ſe formaliter influente, ſed & ab omni eo, quod concomitanter ad illam deſideratur, fit, quòd à nullo eorum à parte rei præſcindere iudicetur. In mente verò diuina, cùm morem præſcindentium gerat, fit, quòd dum res per ſe ab hoc principio dependere non videt, ab illa pro ſuo delectu præſcindere valeat, & quidem ſubſtantiam incarnationis hanc minimè eſſentialiter à circunſtantiis determinatis pendere eſt conſtans, vt de ſe patet, & patuit ratione adhibita *dubio ſecundo, numero vndecimo*. Ergo poterit eſſe volita præſcindendo à circunſtantia determinatæ durationis, volendo tamen principia, à quibus per ſe, & eſſentialiter hæc numero ſubſtantia humanitatis Chriſti dependet, quod ſufficit, vt ex vi talis decreti præuideatur, ſaltem quoad ſubſtantiam futura, licèt non quoad circunſtantias.

Ad probationem maioris concedo, Deum ſcientia viſionis non potuiſſe videre alia, quàm quæ in tempore erant extitura, nego; tamen ea in quouis ſigno videre potuiſſe cum omni modo, & conditione, qua in tempore extitura erant, cùm potuiſſent in aliquo ſigno præſcindere ab his, cum quibus in tempore erant aſſocianda. Pro quò ante oculos pone. Aliud eſſe, Deum in aliquo ſigno non præuidere rem futuram cum modo, quo eſt futura, quia nondum in tali ſigno res eſt cum tali modo decreta. Aliud, in aliquo ſigno præuidere rem futuram aliter, ac eſt futura. Primum eſſe verum vidimus. Secundum eſt falſum: nam ex eo, quòd Deus præſcindat in priori ſigno à modo, cum quo de facto eſt res futura, non propterea videt illam futuram aliter, ac de facto eſt futura, ſed ſolùm non videt illam cum determinato modo, cum quo eſt futura. 37.

Rurſum fateor, ſcientiam viſionis eſſe puram intuitionem rei, aut extituræ vi decreti, aut actu exiſtentis in ſeipſa, in certa temporis duratione. Etenim priuſquam videatur res in ſeipſa actu exiſtens, videtur extitura vi decreti efficaciter illam decernentis. Nam ſicut priùs eſt, rem à Deo decerni, quàm eamdem rem ſub determinato loco, & tempore exiſtere, ita priùs ex vi decreti cognoſcitur extitura, quàm vt ſub determinato loco, & tempore actu exiſtens; quia poſito decreto purificante conditionem, ſub qua res viſa fuerat ſub conditione futura, eadem cognitio conditionata ſtatim tranſit 38.

tranſit in abſoluram, vt dicunt plures ex aduerſaris; Vnde illa prapoſitio, ideo Deus nouit rem futuram, quia ſupponebat illam in tempore caiſtentem, falſa eſt de cauſa vnica, & adæquata, cùm etiam illam noſcat Deus futuram vi ſui decreti abſoluti, antequam videat illam actu caiſtentem in ſeipſa ſub certa, & determinara temporis, & loci circunſtantia; vera tamen eſt de cauſa ſufficienti, cùm non ſolùm cognoſcat Deus rem futuram vi ſni decreti abſolnti, ſed etiam in ſeipſa ſub certa loci præſentia, ac tempotis determinata duratione.

39. Vltimò arguunt Recentiores. Etenim eo ipſo, quòd ante merita Sanctorum Patrum ſupponatur exiſtens incamatio, ſupponitur determinatè ad hanc durationem; per eamdem enim actionem, qua Deus determinatur ad dandam caiſtentiam rei, per eamdem determinatur ad dandam exiſtentiam cum hac duratione, & poſtquam illam produxit, non manet poſtea indifferens ad dandam entitati productæ, hanc, vel illam durstionem in hoc, vel in illo tempore. Rationem dant, quia in opinione non diſtinguente durationem à re durante per aliquid intrinſecum ſupperadditum, eo modo Deus determinat dnrationem in hoc tempore imaginario, ſeu cum hac diſtantia, ſeu ordine prioris, & poſteriotis; cùm enim ipſe imaginarium tempns noo prodncat, ad ponendam coexiſtenriam creaturæ cum hoc tempore imaginario, nihil aliud poteſt facere, quàm ponere, ſeu producere entitatem, dum aliàs videt hoc tempus imaginarium fluere. Ergo poſtquam Deus produxit entitatem, totam ſuam libertatem exercuit ad durationem.

40. Rem hanc explicant exemplo vulgari; in mea poteſtate non eſt, quod Petrus curtat, vel ſedeat; eſt tamen in mea libertate ſimul cum illo currere, aut ſedere, hanc libertatem non alio modo poſſum ad actum ſecundum reducere, quàm currendo, vel ſedendo, quando aliàs video illum currentem, ant ſedentem; vnde poſtquam poſui meum curſum, aut ſeſſionem, nulla eſt io me libertas, vt mens curſus coexiſtat curſui Petri, neque vt mea ſeſſio coexiſtat Petri ſeſſioni, ſic aſſerunt contingere in Deo reſpectu durationis effectus prodncti: effectum habere hanc durationem, nihil aliud eſt, quàm coexiſtere huic tempori imaginario, tempus enim imaginarium cùm nihil ſit, diuinæ omnipoteotiæ non ſnbditur, atque adeo nullo alio modo Deus dicitur liber ad ponendam coexiſtentiam effectus cum hoc tempore imaginario, niſi quatenus eſt liber ad ponendam exiſtentiam effectus, dum aliàs videt tempus hoc imaginarium fluere: quapropter caiſtentiâ effectus ſemel poſitâ extra cauſas, iam oon manet indifferentia ad hoc, vt huic potiùs, quàm illi tempori imaginario coeaiſtat.

41. Eamdem vim, hanc rationem habere aſſerunt Reuerendiſſimi, etiam in caſu, quo duratio ſit accidens intrinſecum, phyſicè ſuperadditum rei duranti, quia ſecundùm hanc ſententiam hæc duratio ſuperaddita, quam ego habeo in hoc inſtanti imaginario, B, non potuit antea produci io inſtanti imaginario, A, nec poterit in inſtanti imaginario, B, quia eſſentialiter eſt affixa huic ſpatio, B, vnde eo ipſo, quòd Deus produxit effectum cum aliàs exiſtebat inſtans, B, ſpatij imaginarij, determinatus fuit ad producendam illam cum duratione ſuperaddita, reſpondente ſpatio imaginario, B, & non potuit illam producere cum alia duratione, reſpondente inſtanti imaginario, C, aut, A, quæ tunc non exiſtunt. Vnde tota libertas, quam Deus habebat ad producendam entitatem cum duratiooe reſpondente huic, vel illi ſpatio imaginario; quod tunc fluit, & non eſt io poteſtate Dei, quòd fluat potiùs hoc inſtans ſpatij imaginarij, quàm illud. Vnde ſecundùm hanc ſententiam ponentem durationem ſuperadditam, poſtquam Deus entitatem produxit, indifferens erit ad producendam hanc, vel illam durationem ea pluribus poſſibilibus reſpondentibus eidem inſtanti temporis imaginarij, & determinatur ad vnam ea illis neceſſariò producendam, ita vt non poſſit producere loco illius aliquam ea his, quæ in alus inſtantibus ſpatij imaginarij produci poſſunt, quia vnaquæque eſt affixa ſuo ſpatio, & ita tantùm poteſt produci, dum illud fluit.

Ex his coocludunt Recenriores Complutenſes, non poſſe componi cum gratia Patribus collata intuitu meritorum Chriſti, eoſdem ea eadem Chriſti gratia promeruiſſe accelerationem, ſeu durationem illam, ſub qua Chriſtus præextitit. 42.

Argumentum hoc, ſi rectè inſpiciatur rem noſtram non pungit: Etenim non ſemel ſuppoſuimus exiſtentiam Chriſti, & eius merita à parte rei minimè poſſe præſcindere à circunſtantia determinatæ duratioois, quod optimè conuincere argumentum non diffiteor, ſed in hoc non eſt ſita lis, ſed in eo, an ſuppoſito, quòd à parte rei duratio determinata impræſcindibilis ſit à decreto executiuo Chriſti; poſſit præſcindi à decreto antecedenti illius intentiuo. Affirmamus nos, & iſti Reuereodiſſimi negant, quòd hoc argumento non probant, cùm tota vis eius eò tendat, vt oſtendat impræſcindibilitatem determioatæ durationis ab exiſtentia Chriſti à parte rei executa, quod libenter concedimus, quia tunc iam præceſſit decretum diffiniens circunſtantias incamatioois, cuius ſubſtantiam ſolum primum decretum præordioauerat. Nec vim facit ſententia identificans durationem cum re durante, vtpotè falſo innixa fundamento, vt vidimus *in prædicamento quando, & tractatu ſexto ſuper librum Phyſicorum.* Vbi cum Sanctiſſimo Thoma ſanciuimus, durationem eſſe modum realiter rei duranti ſuperadditum. 43.

Colliges ex toto hoc dubio Authores plures, qui aduerſantur noſtræ reſolutioni allatæ, ſolùm verbis diſſidere à nobis, & vt 44.

ad

ad rem accedere videantur, fingunt hoſtem, cui occurrant. Vide Caſtillo vbi ſuprà, Lorcam contrariæ ſententiæ patronum ſequutum, qui ſic ſuam reſolutionem proponit, *numero tertio*, ſecunda, & verior ſententia negat antiquos Patres meruiſſe circunſtantiam temporis, ſeu accelerationem incarnationis, prout acceleratio ſignificat abbreuiationem temporis iam efficaciter ſtatuti à Deo. Et ibi citat Lorca: & poſtea *numero ſexto*, inquirens an dato, quòd Patres non potuerint mereri accelerationem incarnationis, prout acceleratio ſignificat abbreuiationem temporis iam determinati, potuerint-ne mereri, quòd Christus veniret in hoc tempore, & non in alio longiori definibili à Deo? Reſpondet, quòd ſic, in quo ſenſu, ait, reputo eſſe veram primam ſententiam, quæ eſt noſtra, & locutum eſſe Scotum, licèt ſub dubio, quia loquebatur in ſpeciali de Beata Virgine, cuius merita, ſaltem de congruo vt mihi videtur, ait, meruerunt, quòd in illo tempore fieret incarnatio, quod noſtra argumenta, & Sacræ Scripturæ loca, aſſerit, optimè probant, non tamen quòd meruerunt tempus, prout acceleratum, ita vt poſtulet mutationem diuini decreti iam facti. Hæc Caſtillo, quæque & Lorcæ ſunt, vt ex eius proceſſu ſententiæ conſtare poteſt.

Libuit hæc ex Caſtillo, & Lorca tran-
ſcribere, vt appareat quam inutiliter tot fo- 45.
lia in impugnanda noſtra ſententia conſumpſerint, & tamdem in eam ambabus vlnis deuenerint; machinantur aduerſarium, cui refragentur, cùm ex noſtris nemo deſipuerit adeo, vt defenderet meritum accelerationis, prout hæc importat abbreuiationem temporis iam efficaciter à Deo prædefiniti, promerendo mutationem decreti iam facti, nullus inuenietur Author ſententiæ noſtræ, cui hæc ita barbara inſederit ignorantia. Vide Authores, & experieris.

TRA

TRACTATVS TERTIVS, DE CAVSA FORMALI intrinſeca Incarnationis, eius termino & proprietatibus.

VIDIMVS *tractatu antecedenti* motiuum, quod eſt cauſa extrinſeca, qua fuit Deus motus ad ſe incarnandum, nunc deſcendere concertatio tenetur, ad inueſtigandam quidditatem cauſæ intrinſecæ eiuſdem incarnationis, quamque vnionem hypoſtaticam eſſe, cuncti recenſent. Plura tractarus iſte dabit, in tribus diſputationibus, duodecim articulis quæſtionis ſecundæ Sanctiſſimi Præceptoris correſpondentibus, & licèt ſex primi de termino, & ſex alij de quidditate ipſius vnionis apud Sanctiſſimum Doctorem Inſeruerint ſermonem; tamen vt Tyronibus indulgeam (quibus notior fit res per ea, quæ dicit in recto, quàm per ea, quæ in obliquo deſignat) methodum aliqualiter inuertam, incipiens à quidditate, & deinceps de proprietatibus illius, & terminis diſquiram; & quia ea, quæ Sanctiſſimus Doctor *quæſt.* 3. *&* 4. reſoluit, maximè cum his connectuntur; ideo omnia illa tractatus iſte complectetur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Vnione hypoſtatica quoad quidditatem.

DVBIVM PRIMVM.

In quo conſiſtat eſſentialiter hypoſtatica vnio?

NOTARE debes, vnionem hypoſtaticam triplicem ſumere acceptionem. Primam, pro actione vnitiua, ſecundùm quam idem erit, ac vnitio, & magis propriè, quàm vnio, vt diſcurſus noſter futurus monſtrabit. Secundam, pro nexu, quo realiter nectuntur extrema. Tertiam, pro relatione prædicamentali ſecuta ad extrema vnita. Acceptiones has vnionis tradit Sanctiſſimus Doctor *hic quæſtione ſecunda, articulo octauo, & in alijs.* Controuerſia inter Doctores mota eſt, in deſignando eo, quod eſſentialiter vnionem hypoſtaticam conſtituat, ſupponentes vnanimiter, vnioni hypoſtaticæ formaliùs, & eſſentialiùs conuenire eſſe nexum extremorum, quippe participanti rationem formalem vnionis in communi, cuius eſſentiam conceptus nexus duorum conſtituit. Solùm igitur quæſtioni datur, an actioni productiuæ humanitatis, quam dicimus vnionem eſſe, competat eſſe nexum humanitatis cum verbo? quod eſt idem, ac quærere, an vnio hypoſtatica, præter rationem nexus, formaliter, vel realiter importet rationem productionis humanitatis?

Notare ſecundò debes, quadrupliciter poteſt ſumi, incarnationem eſſe actionem productiuam, ſimul vnitiuam humanitatis cum verbo. Primò, vt ſit productiua humanitatis, & ſimul ſeipſa copulatiua eiuſdem cum verbo, non abſimiliter, ac Metaphyſici docent, actionem productiuam ſubſiſtentiæ creatæ eſſe eiuſdem productiuam, & ſimul ipſius vnitiuam cum natura propria abſque media vnione producta. Secundò, taliter, quòd eadem actio non ſolùm productiua ſit humanitatis, ſed etiam cauſatiua ſit vnionis diſtinctæ, per quam humanitas verbo copuletur. Tertiò, ita vt ſit vna actio compoſita ex duabus, quarum vna ſolùm humanitatem producat, altera ipſam humanitatem vniat cum verbo, verùm cum hac conditione, quòd vtraque exigat eſſentialiter al-

teruttram ; ita quòd productiua ſine vnitiua nequeat ſubſiſtere, nec è contrà, vnitiua ſine productiua conſiſtere valeat ; non alia ratione, ac actio productiua formæ materialis in ſubiecto, necnon productio accidentis in illo; quælibet enim iſtarum actionum eſt compoſita ex duplici, vnitiua ſcilicet, & productiua, taliter ſe viciſſim exigentibus, vt productiua non poſſit eſſe ſine vnitiua, quippè à ſubiecto eſſentialiter ſit dependens, nec vnitiua ſine productiua, ſiquidem hæc eſſentialiter formam exiſtentem depoſcat. Quartò, ita vt ſit actio compoſita ex productiua, & altera vnitiua humanitatis, taliter, quòd iſtæ actiones eſſentialem & naturalem connexionem inter ſe non habeant, ſed ſolùm connexionem ex diuino decreto illas ordinante in compoſitionem illius actionis, quæ dicitur incarnatio.

Nota tertiò, incarnationem veram, & realem actionem eſſe; ratio, quia cùm in hoc myſterio ſit aliquid reale de nouo productum, nempe Deum eſſe hominem, ſeu Verbum caro factum, quod antea non erat, fit, veram, & realem actionem nouam deſiderandam eſſe, quam incarnationem nuncupamus. Verùm nota, prædictam actionem poſſe conſiderari reduplicatiuè, quatenus actio vnitiua eſt humanitatis cum Verbo, vt ſe tenet ex parte Dei, vel vt eſt paſſio recepta in ſubiecto, vel vt ſe tenet ex parte termini, & cum illo identificatur; certum eſt, incarnationem primo modo ſumptam, eſſe aliquid increatum, quia cùm defendamus iuxta doctrinam Sanctiſſimi Doctoris *1.p. q.25. art.1. & q.45. art.3. & 2.contra g. c.26. & c.35. ad 2. & de potent. q.3. art.3. ad 5.* actionea omnes, quibus Deus res extra ſe producit, eſſe actus formaliter immanentes ſuæ diuinæ voluntatis, aut intellectus, & præciſè virtualiter tranſeuntes, fit, actionem illam, qua Deus ſeipſum humanitati vniuit, & è contrà, debere eſſe in ſeipſa increatam ſumptam quoad ea, ſecundùm quæ ex parte Dei actiuè ſe tenet : at verò ſi talis actio ſumatur ſecundo modo, quatenus eſt paſſio recepta in ſubiecto, vel vt ſe tenet ex parte termini, cum illoque identificati, quid creatum eſt, & eſt ſubiectum huius quæſtionis, an videlicet talis actio paſſiuè accepta, & quæ vnitiua eſt humanitatis cum Verbo, ſimul ſit humanitatis productiua.

Nota quartò, actionem hanc, etiam paſſiuè acceptam, nullo modo ſubituram rationem veræ mutationis ; ratio, quia mutatio ſtricta petit, vt ſubiectum priùs tempore exiteret in potentia ad formam, vel terminum, cuius cum priuatione ſupponeretur exiſtens ; at incarnatio in humanitate recepta, eſt facta in eodem temporis momento cum animæ creatione, & humanitatis ſtructura; cum his tamen cohærere ſuſpicor, quòd ſi mutationem velis nimis latè concipere, ea ſcilicet ratione, quòd ex vi alicuius actionis ſubiectum aliter nunc ſe habeat, quàm priùs natura ſe habebat, vel alio modo, quem ſubiecti natura depoſcit, poteris actioni huic incarnationis paſſiuè ſumptæ rationem mutationis huius exhibere; ratio, nam duo hæc extrema, *Verbum, & humanitas*, ex propriis ſibi intrinſecis vnita intrinſecè non ſunt ; Rurſum, prædicta extrema nequeunt incipere intrinſecè eſſe vnita abſque eo, quòd vnum ex illis veram aliquam mutationem ſubeat, vt latè dedimus *tractatu primo*, taliter, quòd ſi vtrumque extremum immutatum maneret poſita incarnatione, ac ante illam, minimè vnita intrinſecè dicerentur, atque adeo nullum myſterium reſultare de nouo diceretur.

Sectio I.

Actio vnitiua non eſt actio humanitatis productiua.

Molina *prima parte, quæſtione decima quarta, articulo tertio, diſputatione decima octaua, membr. quarto, §. ad verò vt melius*, docet actionem vnitiuam humanitatis fuiſſe influxum in ipſam humanitatem, Valentia *quæſtione ſecunda, puncto quinto, & quæſtione 1. puncto ſecundo ad quintum & ſextum*, affirmat, humanam Chriſti naturam eadem actione fuiſſe productam, & ad Verbum attractam. Vuandignus *diſputatione 4. dubio 3. §. 3.* eamdem ſententiam defendit, ſed qui vberiorem illius præſtitit defenſionem fuit Bernal *tomo de incarnatione, diſputatione 15. ſectione 2. & deinceps*, qui §. 1. *numero* 46. iſtam ſententiam his verbis pronuntiat : ſicut humanitas dicit materiam, & animam rationalem, & vtriuſque nexum generatione productum, proptereaque integra productio totius humanitatis dicit, & productionem materiæ, & productionem animæ rationalis, & productionem vnionis illas inter ſe vnientis ; ita ſenſum ſui placiti eſſe ait, integram vnionem hypoſtaticam eſſe aggregatum ex tribus actionibus, per quas Chriſti humanitas in inſtanti incarnationis ſuum eſſe habuit, ita nimirum, vt productio animæ fuerit eiuſdem vnio cum diuino Verbo, & conſeruatio materiæ, fuerit etiam eiuſmodi materiæ vnio cum illo, & productio vnionis ambas inter ſe nectentis, eamdem vnionem cum eodem Verbo copulauerit. Pro hac ſententia vocat etiam plures diſcipulos Sanctiſſimi Doctoris eos videlicet, qui non admittunt hypoſtaticam vnionem in facto eſſe, ſiue productam. Etenim cum nequeant abſolutè negare exiſtentiam veræ vnionis inter humanitatem, & Verbum, neceſſe eſt, ait, quòd eam conſtituant, quæ ſit productio humanitatis, & eiuſdem cum verbo nexus. 1.

Verùm noſtra reſolutio in titulo præfixa defenditur ab Alenſi 3. *part. ſumma, q.8. memb. 2.* Araujo *q.2. dub.1.* Scoto *in 3. diſt. 1. q.1.* Durando *diſt.5. q.2.* Gabriel *ibidem.* Ochamo *ibidem*, Capreolo *d.6. q.1. ad 3.* Nacario *hic contr. 1. Aln. q.6. diſp.3.* Ex aliis Recentioribus. Defenditur à Martino Perez *t. de incarn. diſp.6. ſect.1.* à Lugo *t. de incarn. diſp.11. ſect.1.* ab Amico *diſp.8. de incarnat.* Et licèt omnes iſti concluſionem hanc veriſſimam exiſtimauerint, tamen non ita efficaciter ſinguli, ſicut par erat, eo his probatam dederunt, rationes illorum producam, & eam tandem, quæ mihi viſa fuerit efficacior iuxta principia Sanctiſſimi Doctoris ſcribam. 2.

3. Cipullus hic *queſtione ſecunda*, *articulo octauo*, *dubio primo*, *§. primo*, *numero ſecundo*, concluſionem allatam probat ratione communi, quam prius formauerant Araujo citatus *numero antecedenti*, Martinus Perez *vbi ſuprà*, *ſectione ſecunda*, *numero ſecundo*, & Amicus *vbi ſuprà*, *numero decimo*, hi omnes ſic concluſionem probant, implicat, vt vna, & eadem indiuiſibilis actio terminetur ad eſſe naturale, & ſupernaturale rei. Ergo implicat vt vna & eadem indiuiſibilis actio terminetur ad humanitatem, & hypoſtaticam vnionem cum Deo. Conſequentia patet, nam humanitas eſt naturalis, vnio verò hypoſtatica cum Deo ſupernaturalis quoad eſſentiam. Antecedens probant; implicat, eamdem actionem eſſe naturalem, qua ſupernaturalem quoad eſſentiam; nam qua naturalis, haberet terminum naturalem, qua ſupernaturalis, haberet terminum ſupernaturalem: cùm actio tamquam via debeat continere ſuum effectum. Atqui ſi eadem indiuiſibilis actio ſimul produceret humanitatem, & hypoſtaticam vnionem ipſius cum Verbo, reſpectu humanitatis, eſſet quoad eſſentiam naturalis; reſpectu vero vnionis cum Verbo, eſſet quoad eſſentiam ſupernaturalis. Igitur eadem indiuiſibilis actio ſimul eſſet naturalis, & ſupernaturalis quoad eſſentiam.

4. Nec declinabis vim diſcurſus, ſi dicas, minimè implicare, vnam & eamdem actionem fore naturalem, & ſupernaturalem reſpectu diuerſorum: Tum, quia, cùm naturalitas, & ſupernaturalitas quoad eſſentiam ſint differentiæ intrinſecæ rei, implicat, eas ſimul in eamdem indiuiſibilem actionem conuenire; implicat enim, eamdem indiuiſibilem rem ſimul eſſe quoad eſſentiam naturalem, & quoad eſſentiam ſupernaturalem. Tum etiam, aliàs eadem indiuiſibilis actio ſimul eſſet debita, & non debita humanitati, debita, vt naturalis productio ipſius, indebita, vt ſupernaturalis vnio, vel vt productio ſupernaturalis hypoſtaticæ vnionis cum Deo. Nam quatenus communicaret eſſe naturale humanitati, eſſet debita humanitati, tamquam actio productiua, & conſeruatiua ipſius eſſe naturalis; quatenus verò communicaret eſſe ſupernaturale vnioni hypoſtaticæ, eſſet ſupra debitum, & naturalem exigentiam humanitatis; atque adeo eadem indiuiſibilis actio eſſet debita, & non debita, naturaliter exigeretur, & non naturaliter exigeretur ab eadem humanitate.

5. Nec vim argumenti effugies, dicens talem actionem abſolutè, & ſolùm cenſendam eſſe ſupernaturalem, non aliter, ac accidentis creationem; ratio?, nam tota actio illa eſt ſupra totius ſubſtantiæ creabilis, & paſſiuum illi connaturalium natiuam exigentiam, & vim.

6. Contra hoc poſſunt ſic proſequi diſcurſum allatum; ſiquidem productio quælibet debet habere proportionem cum ſuo termino; Ergo actio, quæ eſt productio humanitatis, quæ naturalis eſt non poterit ſupernaturalis eſſe, Antecedens, & conſequens ſimul probantur; ſiquidem ob prædictam proportionem productionis cum termino, actio ſubſtantialis nequit eſſe productio termini accidentalis, nec accidentalis actio poteſt eſſe productio termini ſubſtantialis. Ergo inter productionem, & terminum debet inueniri proportio, quod erat antecedens; Ergo actio productiua humanitatis, quæ naturalis eſt; nequit ſupernaturalis eſſe. Igitur non ſubſiſtit effugium.

7. Verùm ratio iſta, tametſi à Doctiſſimis Viris allata, efficaciter veritatem concluſionis adductæ non conuincit, & vt ab hoc vltimo numero antecedenti tradito, cui vis eius tota fidit, incipiam, nota, productionem, & terminum ab illa productum dupliciter poſſe dici inter ſe proportionem habere. Primò, ita vt talis, proportio innuat conuenientiam inter illa, ad hunc ſcilicet ſenſum, quòd ambo ſpecificam, aut numericam conuenientiam obtineant, taliter, quòd hæc ſpecie productio non poſſit terminari, niſi ad hunc terminum in ſpecie, neque numero hæc actio, niſi ad hunc numero terminum; & hanc proportionem dicimus habere debere productionem quamlibet cum ſuo termino producto. Secundò, ita vt proportio illa arguat adæquationem in conuenientia actionis cum termino, & ſenſus hic ſubſiſtere nequit; nam experimur, quòd ſtante termino in ſpecie vno poteſt dari duplex actio ſpecie diſtincta; ſic contingere in Euchariſtia cuique conſtat. Ibi enim vna perſiſtit in ſpecie quantitas ante & poſt conſecrationem, & actiones ſpecie diſtinctas ante, & poſt conſecrationem ſucceſſiuè dicitur apud omnes terminare. Præterea, nam iterum ac iterum videmus vnum terminum numero, duas numero actiones diſtinctas verè terminare; calor enim ab vno agente productus per vnam actionem, conſeruari ſolet ab alio media alia actione numericè à prima diſtincta Ergo proportio, quam communis inter productionem, & terminum deſignat, non arguit omnimodam adæquationem inter illa. Ergo ſtabit bene, quòd actio productiua humanitatis, quæ naturalis eſt, ſupernaturalis exiſtat abſolutè, ſiquidem poſt conſecrationem quantitas, quæ naturalis eſt, abſolutè terminat actionem ſimpliciter ſupernaturalem. Præterea, non eſt par argumentum: terminus hic ſubſtantialis nequit produci ab actione accidentali. Ergo nec terminus naturalis produci nequit media ſupernaturali actione. Non inquam eſt paritas, ſiquidem hac inſtantia dirimitur in ſimili forma: terminus non continetur in virtute alicuius cauſæ creatæ; nec eſt ipſi ſimpliciter connaturalis. Ergo prædictus terminus non poteſt terminare actionem minimè contentam in virtute cauſæ creatæ, & eidem minimè connaturalem. Non enim valet illatio hæc; nam quantitas in virtute cauſæ creatæ, panis videlicet, continetur, tamquam quid illi ſimpliciter connaturale; & hoc non obſtat, quominùs eadem quantitas terminare valeat actionem creatiuam poſt conſecrationem, quæ nullo modo continetur in virtute alicuius cauſæ creatæ.

8. Iam præſto eſt ratio diſcriminis, qua-

re non valeat, terminus eſt naturalis; Ergo non poteſt terminare actionem ſupernaturalem; tametſi bene inſeratur, eſt terminus ſubſtantialis. Ergo nequit terminare actionem accidentalem, qua fiat. Ratio igitur deſumitur ex radice diuerſa, vnde ſumit actio ſupernaturalitatem, & ſubſtantialitatem: radix ergo, vnde actioni prouenit ſupernaturalitas, non eſt ipſa entitas ſupernaturalis termini, vt patet in actione conſeruatiua quantitatis poſt conſecrationem, cuius entitas intrinſecè naturalis eſt, & tamen actio illa, quam terminat, exiſtit ſupernaturalis; ſed ſolùm ex ratione indebitæ cuilibet ſubſtantiæ creabili; atque adeo ex eo præciſè quòd actio aliqua terminum, quem producit, collocet ſupra naturalem exigentiam ſubſtantiæ creabilis, euadit ſupernaturalis ſimpliciter: radix verò, à qua prouenit actionis ſubſtantialem eſſe, non eſt alia, quàm entitas intrinſeca termini, quem producit, ſi enim hic eſt accidentalis, actio, per quam fit, accidentalis eſt, ſi verò ſubſtantialis fuerit, ſubſtantialis actio conſurgit; nec aliud caput Philoſophi inuenere ad deſignandum, quando actio, iam accidentalis, iam ſubſtantialis ſit nuncupanda, præter adductum. Et iure prædictæ radices annotantur; ſiquidem eo modo, quo repugnat accidenti ſubſtantiam eſſe, ita repugnat ſubſtantiæ agnoſcere cauſam ſui. vt productiuam accidentis; Verùm licèt aliquis terminus intrinſecè naturalis ſit, taliter, vt repugnet ei ſimul ſupernaturalem eſſe, quia tamen ab intrinſeco illi conuenit potentia obedientialis, ratione cuius ſubiicitur Deo, tam vt potenti cauſare iuxta totius naturæ vim, & ſupra illam totam; exinde fit, quòd ſicut enim reſpicit terminus Deum, vt agentem iuxta rerum exigentias, actio, à qua fit, naturalis eſt, ita dum idem terminus contuetur Deum, vt agentem ſupra exigentias naturæ, talis actio eius productiua erit ſupernaturalis.

9. Per hæc ſatis ſuperque oſtenſa relinquitur inefficacia rationis adductæ, etenim facilè contrarij poterunt illi reſpondere dicentes, actionem illam humanitatis productiuam, ſimpliciter, & ſolùm ſupernaturalem eſſe, ſiquidem cùm defendant, actionem illam eſſe ſimul vnitiuam humanitatis cum Verbo, quod ſupernaturale eſt, fit, conſequenter aſſerturos, talem actionem ſupernaturalem eſſe ſolùm: ſiquidem talis actio reſpiceret humanitatem, quæ eſt eius terminus, præciſè vt obedientialiter ſubiectam Deo agenti ſupra omnes naturæ natiuas exigentias; quod ſufficere, & requiri, vt actio aliqua ſupernaturalitatem, etiam reſpectu termini naturalis entitatiuè ſortiatur, manifeſtarunt numeri antecedentes.

10. Aliter eamdem concluſionem probant alij: actio creatiua realiter differt ab actione, quæ non eſt creatio. Sed productio animæ rationalis in Chriſto, erat vera actio creatiua; aſſumptio verò non erat actio creatiua, quia non erat ex nihilo, ſed ex præſuppoſito ſubiecto, ſcilicet ex humanitate, quæ non vnita fit per illam actionem vnita Verbo. Ergo actio creatiua animæ non fuit eius cum Verbo vnio. Confirmatur, etenim ſi productio animæ Chriſti eſſet eiuſdem cum Verbo vnio, differret ſpecie à productione animæ rationalis cuiuſque hominis, cui eſſe vnionem animæ rationalis minimè conuenit. At hoc eſſe falſum docet Sanctiſſimus Doctor *infrà quæſtione ſexta, articulo tertio.* Ergo actio productiua humanitatis, vel creatiua animæ rationalis in Chriſto, non eſt realiter eadem cum Verbo vnio.

Sed ab hac ratione facilè ſe expedire poſſunt contrarij, docentes actionem creatiuam identificari poſſe cum actione ſupernaturaliter eductiua. Vnde diſtinguere valent duplex genus creationis, Primum, comprehendens ſolùm creationes ſimplicium entitatum, nempe Angeli, vel animæ rationalis, vel cuiuſlibet indiuiſibilis materiæ primæ, vel accidentis euchariſtici; iſtæ enim creationes ſolùm pendent ab agente, à quo procedunt, & à termino, quem efficiunt. Secundum, earum, creationum, videlicet, quæ vltra dependentiam, quam habent ab agente, & termino, dependentiam aliam agnoſcant ab alio, tamquam ab extremo vnibili. Exemplum rem declaret; creatio vnionis materiam continuantis, à triplici dependet, ab agente, ab ipſo termino producto, nempe ab vnione, & à partibus, quas copulat, tamquam ab extremis vnibilibus; Hoc vltimum eſt euidens, ſiquidem à prædictis partibus pendere nequit, vt à ſubiecto inhæſionis, quia talis dependentia pugnat cum conceptu creationis, qualem cenſemus eſſe productionem vnionis continuantis partes materiæ primæ. Ergo ſolùm pendere poteſt à prædictis partibus, tamquam ab extremis vnibilibus ob generalem rationem vnionis cuiuſlibet, vt ſic. Nec enim, datâ prædictâ dependentiâ, aufertur prædictæ productioni vnionis, continuantis partes materiæ, ratio ſtrictiſſimæ creationis, ſiquidem dependentia, quæ officit creationi, eſt dependentia ab alio, tamquam à ſubiecto inhæſionis, non verò dependentia ab alio, tamquam ab extremo vnibili; iſtæ enim dependentiæ ſunt valdè diſtinctæ, vt patet; Etenim productio vnionis humanæ pendet neceſſario ab anima rationali, à qua minimè pendet, tamquam à ſubiecto inhæſionis, cùm non ab illa, ſed à materia dicatur educi. Ergo ſtat benè, quòd aliquid dependeat ab alio (ſuppoſitâ dependentiâ ab agente, & termino) tamquam ab extremo vnibili, & quòd ab eo non dependeat tamquam à ſubiecto inhæſionis. His notatis aſſerunt, actionem illam animæ productiuam in Chriſto, ex qua parte eſt independens ab alio, tamquam à ſubiecto inhæſionis, eſſe eſſentialiter creatiuam, & ex qua parte pendet in primo eius fieri ab alio, ſeu fit eſſentialiter in alio, tamquam in ſuppoſito diuino, poſſe appellari ſupernaturalem eductionem, licèt quouis modo eſſentialiter ſit dicenda creatio, quippe huic non repugnat dependentia ab alio, tamquam à ſuppoſito, vt extremo vnibili, ſicut oſtenſum eſt. Vnde produ- 11.

ctio

ctio animæ in Chriſto apud hos Authores, eſt ſpecie diſtincta à creatione Animæ noſtræ ; ſiquidem illa eſſentialiter ſibi identificat conceptum aſſumptionis , ſecus verò hæc.

12. Nec ex eo, quòd productio animæ in Chriſto, ſit creatio ſpecie diſtincta à creatione animæ noſtræ, ſequitur aliquod abſurdum, vt contendebat confirmatio *n.* 10. etenim poterunt reſpondere id inſolitum non eſſe apud Recentiores, ſiquidem Molina docet 1. *parte, vbi ſuprà* actionem productiuam animæ in Chriſto eſſe ſupernaturalem intrinſecè. Et rurſum Suarez aſſerit, accidens produci , & vniri mediis duabus actionibus partialibus , ita eſſentialiter connexis , vt quauis mutata neceſſariò, aliam fore mutandam. Ex hac doctrina neceſſariò infertur ; Authores iſtos admittere actionem creaturam animæ in Chriſto , eſſe ſpecie diſtinctam à creatione animæ ; ſiquidem in huius ſententia , quem alij ſequuntur etiam ex Thomiſtis , vt infrà videbimus, ſemel impeditâ in albedine inhærentiâ , vel huius productione , eſſentialiter variatur productio albedinis. Ergo ſimiliter fateri tenebimur , quòd impeditâ in ſubſtantia ſua propriâ ſubſiſtentiâ, vel eius productione , neceſſariò variari debeat productio ſubſtantiæ. Conſequentia patet, quia tam eſſentialiter depoſcit ſubſtantia propriam ſubſiſtentiam, quàm petat quantitas ſuam inhærentiam , vt infra ex communi videbimus.

13. Reſpondebis ; conſequentiam iſtam non inferri, ſiquidem quouis modo ſubſtantia ſubſiſtat, ſiue per ſe, ſiue in alio, perſeuerat ſemper eius productio in eſſe creationis , ſiquidem perſeuerat ſemper idem terminus, nempe ſubſtantia.

14. Sed replicare poteris ; Ergo ſimiliter potero dicere , eamdem accidentis productionem perſeuerare, ſiue adiungatur cum actione vnitiua illius in ſubiecto , ſiue talis vnitio non ponatur, nam ſiue inhæreat , ſiue non, terminus idem illius productionis, nempe accidens , perſeuerat , eadem enim quantitas poſt conſecrationem , in ſpecie , & numero manet , & ſi ſubiecto inhæreat , ac ante conſecrationem , quando inhærebat ſubiecto. Hoc autem admiſit nemo , quia licèt maneat terminus idem , quia tamen deficit actio productiua inhærentiæ , etiam in ſpecie mutatur actio. Ergo ſimiliter , licèt ſubſtantia maneat eadem ſiue habeat , ſiue non , propriam ſubſiſtentiam , tamen dum illam non habet , eius productio erit ſpecie diſtincta ab illa productione , quæ ſecum affert productionem propriæ ſubſiſtentiæ. Vel ſi hoc non. Cur illud ? Non eſt facilis diſparitas iuxta principia Thomiſtica , infrà ex Philoſophia danda.

15. Iam , quòd admiſſa diſtinctione inter productionem Animæ Chriſti , & noſtram , nullum abſurdum inferatur , nam exinde non deducitur , vt inſinuant plures, animam Chriſti eſſe ſpecie diſtinctam à noſtris animabus , nec materiam , à Virgine miniſtratam ad Chriſti conceptionem , eamdem non perſeueraſſe in inſtanti incarnationis. Siquidem illibata veritas docet , quantitatem Euchariſticam eamdem in ſpecie , & numero , manere , ac ante conſecrationem quamuis poſt iſtam conſeruetur media actione , ſpecie diſtincta à productionibus aliarum quantitatum , necnon ab actione primò ſui eductiua. Vnde diuerſitas actionis ſpecifica non refundit ſpecificam diuerſitatem in terminum productum ; vt vidimus *numero ſeptimo*. Rurſum , quia ſi productionem animæ Chriſti eſſe ſpecie diſtinctam à productionibus cæterarum animarum , ſufficeret , illam diſtinguere in ſpecie ab illis , etiam abſtrahendo à diſtinctione ſpecifica iſtarum actionum , ſtatuta veritate Catholica docente , animam Chriſti , & eius humanitatem eſſe orbatas propria ſubſiſtentia , manebit ſufficiens radix diſtinctionis ſpecificæ inter animam, & Chriſti humanitatem à cæteris ; ratio ſiquidem non magis eſt actio de quidditate termini , quem producit , quam ſubſiſtentia dicatur eſſe de quidditate naturæ , quam complet. Ergo ſi diſtinctio ſpecifica actionum ſufficit diſtinguere in ſpecie animam Chriſti à cæteris , etiam diſtinctio pluſquam ſpecifica ſubſiſtentiæ illam complentis, diſtinguet eam pluſquam ſpecie à reliquis. Vel ſi hoc non, cur illud ?

Vt enim directo tramite incedamus , probantes concluſionem deſignatam, & oppoſitam ſententiam rectiùs impugnemus, animaduertere licèt , aliud eſſe , an actio productiua humanitatis ſit eius vnitiua cum Verbo , & aliud , an talis humanitatis Chriſti productio ſit formaliter illius cum perſonalitate vnio : Etenim ſunt , qui aſſerant primum , & negant ſecundum , vt videre eſt in his , qui defendunt , eamdem actionem indiuiſibilem , eſſe duorum terminorum productiuam , primariò humanitatis , & ſecundariò, vnionis , quam eſſe modum profitentur : iſti enim tenent , eamdem actionem eſſe productionem humanitatis , & eius vnitionem effectiuè , non verò formaliter , effectiuè , quia ſimul humanitatem , & eius vnionem producit , non formaliter , quia tale munus exercet in facto eſſe modus quidem ille, qui vnio appellatur , & ab illa actione producitur. At verò Bernal vltra hoc defendit , actionem productiuam humanitatis eſſe formaliſſimè vnionem in facto eſſe , vi cuius humanitas nedum effectiuè , ſed formaliſſimè dicitur diuino Verbo copulata eo pari modo, ac ſi per productum modum ſubſtantialem vniri diceretur illi. 16.

Noſtra igitur reſolutio vtrumque dictum tenuit, & illis ſimul opponitur, quapropter ſingulas ſum impugnaturus. Primum , videlicet, actionem productiuam humanitatis non eſſe realiter illius vnitionem, ſic oſtendo: vbi datur inter extrema prioritas , & poſterioritas realis, pugnat identitas realis. Sed inter actionem humanitatis productiuam , & eius vnitionem datur prioritas , & realis poſterioritas. Ergo illis repugnat identitas. Minor probo : prioritas , & realis terminorum poſterioritas ſupponit neceſſariò prioritatem , & poſterioritatem in actionibus correſpondentibus illis. Sed 17.

inter terminos correſpondentes actioni productiuæ, & vnitiuæ humanitatis, datur prioritas, & poſterioritas. Ergo & in ipſis actionibus prædictus ordo ſupponi debet. Minor patet, examinando quid & quis ordo reperiatur in partibus humanitatem componentibus: materia enim prior eſt natura anima rationali, & eius vnione, cùm ſit illorum ſubiectum; & conſequenter anima, & eius cum materia vnio ſunt materia ipſa natura poſteriores. Ergo termini correſpondentes actioni productiuæ, & vnitiuæ habent realem inter ſe prioritatem, & poſterioritatem. Ergo & actiones illis correſpondentes ſimilem ordinem obſeruabunt. Aliàs eadem actio eſſet ſeipſa prior, & poſterior realiter; nam vt productio eſt materiæ, eſſet realiter natura prior ſeipſa, vt eſt vnio illius cum forma, quia vt productio eſt materiæ, eſt productio termini eſſentialiter natura prioris anima, & vt eſt vnio animæ, eſſet poſterior, quia terminus eius, nempe anima, eſt poſterior natura materia prima, quæ quia eius ſubiectum, eſt realiter prior.

18. Rúrſum hoc ipſum expenditur in productione animæ rationalis Chriſti; etenim eo modo ſumus loquuturi de productione illius, & eius vnione cum ſubſiſtentia verbi, ac de productione animæ noſtræ, & emanatione ſubſiſtentiæ propriæ, nam cùm totus labor in Scholas inductus eò tendat, vt ſaluet in aſſumptione, & diuina incarnatione veritatem naturæ humanæ, quæ aſſumpta à diuino Verbo eſt, fit, diſcurſum eumdem parandum eſſe in explicando modo, & ordine, quem ſeruauit incarnatio ſimilem ei, quem productio noſtræ humanæ naturæ cuſtodiuit, & cuſtodit, niſi velimus miracula noua confingere, & rerum ſeriem inutiliter inuertere. Nunc ſic; ſed animæ noſtræ productio realiter præcedit, prioritate ſaltem naturæ, emanationem propriæ ſubſiſtentiæ. Ergo & productio animæ Chriſti præcedere debuit productionem vnionis cum ſubſiſtentia aliena. Minor patet, nam terminus correſpondens productioni animæ eſt ipſa anima, à qua, tamquam ab eſſentia, profluit ſubſiſtentia propria, atque adeo hanc debet præcedere realiter illa, & cùm eumdem ordinem prioris, & poſterioris ſeruent actiones, quem ſui termini obtinent, fit, productionem animæ eſſe priorem realiter emanatione propriæ ſubſiſtentiæ. Nunc conſequentia primum probatur, ſiquidem vnio hypoſtatica cum diuino Verbo facta fuit in momento illo, in quo debuiſſet reſultare propria ſubſiſtentia, caſu, quo diuina illius emanationem non impediret. At, vt vidimus, productio propriæ ſubſiſtentiæ fuit poſterior productione animæ. Ergo & productio animæ Chriſti præcedere debuit productionem vnionis cum diuino Verbo.

19. Præterea, quia hæc eadem ratio ſuadet, non eſſe eamdem actionem, quæ productiua eſt corporis, & vnitiua humanitatis cum Verbo; ſiquidem in cæteris Perſonis, prioritate reali intelliguntur partes Phyſicæ eſſentiales inter ſe vnitæ, & compoſitum phyſicum ex illis conſtans, quàm intelligatur ſubſiſtentiæ emanatio, vt videre eſt apud omnes, docentes ſubſiſtentiam connexionem non habere cum partibus ſubſtantialibus ſecundùm ſe ſumptis, ſed illis, vt reduplicatiuè acceptis, nempe vt vnitis, quæ ſunt idem ac compoſitum. At eodem prorſus modo ſumus loquuturi de prædicatis phyſicis Chriſtum componentibus, & de ordine, quem in illo componendo ſeruant, niſi aliàs par iſta conſideratio prohibeatur, ac de partibus quemcumque hominem componentibus, ac de ordine ab illis in tali compoſitione cuſtodito. Ergo tota humanitas Chriſti prior eſſe debuit realiter vnione hypoſtatica, atque adeo vnio materiæ cum forma præcedere debuit vnionem earumdem cum verbo. Ergo actio, quæ fuit productiua corporis, præceſſit realiter actionem vnitiuam humanitatis cum Verbo, ob rationem aſſignatam ſæpe, nempe quia eamdem prioritatem, & poſterioritatem ſeruant actiones inter ſe, quem ſeruare dicuntur termini ipſis correſpondentes. Confirmatur, ſiquidem apud omnes æquè certum eſt, vnionem ipſas partes humanitatis Chriſti, videlicet, materiam, & formam nectentem, eſſe vnitam immediatè verbo, ac materiam & formam Chriſti vnitas eſſe hypoſtaticè eidem. Ergo vnio materiæ cum forma prior debuit eſſe vnione hypoſtatica, atque adeo humanitas hanc præcedere debuit, nam in illomet ſigno, quo materiæ, & formæ vnio intelligitur, humanitas exiſtit, quia hæc nihil aliud eſt, quàm materia, forma, & vnio. Probo primam conſequentiam: ſiquidem eo ipſo, quòd vnio partium ſit vnita Verbo, debuit vniri illi media vnione hypoſtatica, illamet, qua partes, nempe, materia, & forma fuerunt vnitæ eidem, non enim ſunt multiplicandæ hypoſtaticæ vniones ad multiplicationem extremorum vnitorum; niſi velis miraculis ſuperfluis ſtudere. Ergo vnio partium fuit ſubiectum recipiens in ſe hypoſtaticam vnionem, qua Verbo copularetur, non minùs, ac materia, & forma fuerunt ſubiectum eiuſdem receptiuum, vt redderentur ipſi verbo vnitæ. Ergo vnio partium præceſſit prior, in genere cauſæ materialis, vnionem hypoſtaticam, quam materialiter cauſabat. Ergo actio, qua producta fuit vnio, partes inter ſe nectens, præceſſit realiter actionem, quæ vnionem hypoſtaticam produxit, ratione cuius fuit ipſa vnioni hypoſtaticæ copulata. Conſequentiam probat repetita probatio ordinis inuenti inter actiones ſimilis ordinis quem ſeruant termini illis correſpondentes.

Ratio hæc, qua probata manet pars prima noſtri aſſerti, innititur verbis Sanctiſſimi Doctoris *in hac tertia parte, quæſtione quarta, articulo ſecundo, initio corporis*, Vbi hæc: *Reſpondeo dicendum, quòd aliquid dicitur aſſumi ex eo, quòd aliquid ſumitur; vnde illud, quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni, ſicut illud, quod mouetur localiter, præintelligitur ipſi motui. Perſona autem non præintelligitur in humana natura aſſumptioni, ſed magis ſe habet, vt terminus aſſumptionis*, &c. Pondero, Sanctiſſimus Præceptor hunc articulum inſeripſerat, *Vtrum Filius Dei aſſumpſerit Perſonam*; 20.

Et

Et negatiuè reſpondens probat, quia *Perſona non præintelligitur in humana natura aſſumptioni*, quod neceſſarium exiſtimat, vt perſona aſſumpta diceretur, vt patet in illis verbis: *illud, quod aſſumitur, oportet præintelligi aſſumptioni*. Ergo ſentit ſanctiſſimus doctor illud ſolum capax fuiſſe de facto aſſumptionis à filio, quod ſolum præceſſit de facto talem aſſumptionem. At de facto Chriſti humanitas fuit à filio aſſumpta, vt fides dat. Ergo hæc realiter præceſſit aſſumptionem à filio. Tunc vltra: ſed aſſumptio à filio humanitatis, contigit per actionem, qua producta fuit vnio humanitatis cum filio, vt docent cuncti. Ergo in ſententia ſanctiſſimi doctoris actio, qua producta eſt humanitas, non fuit realiter actio, qua producta eſt vnio humanitatis cum filio.

21. Cum his tamen cohærere præſumo, quòd attenta potentia Dei poſſit vnica indiuiſibilis actio, & humanitatem producere, & eius vnionem cum verbo, ſiquidem implicans non eſt, quòd vnica indiuiſibilis actio duplicem producat terminum, niſi fortè talis implicatio in terminis ipſis vigeat. At ſimultas realis naturæ inter humanitatem, & eius cum verbo vnionem minimè implicatione laborat, vt de ſe patere videtur; ergo ſaltem de poſſibili non implicat, quòd eadem actio productiua ſit humanitatis, & vnitiua illius cum verbo. Vnde talis actio poterat ſic exiſtimari, vel quòd talis actio ſit etiam formaliter ſimplex potens vtrumque terminum cauſare. Vel quòd realiter eſſet ſimplex, formaliter tamen compoſita ex duabus, quarum vna ſit tantùm productiua humanitatis, altera tantùm vnitiua eiuſdem cum verbo, cum eſſentiali tamen vtriuſque exigentia, vt nec productiua eſſe queat ſine vnitiua; nec hæc ſine illa; non aliter, ac actio producens formam materialem in ſubiecto eſt vna realiter, ſimplex, ſed formaliter compoſita ex productiua, & vnitiua ſimul, taliter quòd neutra ſine altera conſiſtere valeat; non ſine vnitiua, cùm dependeat eſſentialiter à ſubiecto; non ſine productiua, cùm vnitiua ſupponat eſſentialiter formam exiſtentem. Vel denique vt talis actio eſſet ex productiua, & vnitiua compoſita, taliter, quòd neutra eſſentialiter alteram, ſed ſolùm ex ordinatione diuina exigeret.

22. Sed occurres, nam quouis modo aſtruatur actio hæc, implicare videtur. Ergo nec de poſſibili eſt concedenda. Antecedens probat amicus *vbi ſuprà num.* 57. ſiquidem termini correſpondentes illi actioni arguerent illam implicantem, ſiquidem vnus illorum eſſet quoad ſubſtantiam naturalis, alius quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Ergo talis actio eos producens, eſſet quoad ſubſtantiam ſimul naturalis, & ſupernaturalis. Sed occurſum hunc vim non habere abundè dedimus *à num.* 7. *ibidem* dedimus, actionem hanc ſolùm ſupernaturalem euaſuram. Vide illa, & ea ſaltem de poſſibili eſſe vera, comperies.

23. Argues primò contra iſtam primam partem aſſerti, intendens probare per eamdem actionem, qua humanitas producitur, vniri hypoſtaticè verbo. Per nos eo modo ſumus loquuturi, (quando non datur aliud caput prohibens paritatem) de productione humanitatis, & eiuſdem cum verbo vnione, ac loquimur de productione cuiuſque alterius humanitatis, & ipſius cum ſua propria ſubſiſtentia vnione, vt diximus *num.* 18. At in nobis eadem actio, quæ productiua eſt humanitatis, eſt etiam vnitiua eiuſdem cum propria ſubſiſtentia. Ergo eadem actio humanitatem Chriſti producens, fuit humanitatis cum ſubſiſtentia verbi vnitiua. Minor patet, ſiquidem humanitas non vnitur propriæ ſubſiſtentiæ media aliqua vnione ab illis diſtincta. Ergo vnitur illi media actione, qua producitur, quia inuenibile eſt aliud, per quod illi copuletur.

24. Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Aliud enim eſt, ſubſiſtentiæ non vniri humanitatem noſtram media vnione diſtincta ab ipſis, & aliud, actionem productiuam humanitatis eſſe realiter vnitiuam illius cum propria ſubſiſtentia. Primum eſt verum, quia ſubſiſtentia propria, cùm ſit modus, non eget, vt immediatè humanitati vniatur, aliquo diſtincto nexu, ſed ſeipſa immediatè humanitatem afficit. Secundum verò eſt falſum, nam exinde ſequeretur, quòd actio, cùm ſit eſſentialiter modus, conſiſtit eſſentialiter in actuali modificatione; atque adeo ſi eadem actio productiua eſſet humanitatis, & vnitiua eiuſdem cum ſubſiſtentia propria, iam eadem actio eſſentialiter tenderet in humanitatem, & ſubſiſtentiam. Ergo hæc numero actio taliter hanc numero ſubſiſtentiam exigeret, vt ab hac numero ſubſiſtentia minimè ſeparari poſſit, ſiquidem hoc eſt proprium vnionis, vt ab hoc numero extremo, quod copulat ſeparari nequeat; ergo ſi actio illa eſt ſimul vnitiua humanitatis cum propria ſubſiſtentia, hunc numero eſſentialiter reſpiceret, ita vt ab hac numero ſubſiſtentia talis humanitatis productio non poſſet ſeparari. Ex quo fieret item, quòd humanitas hæc pendens ab hac actione ſeparari non poſſet ab hac numero ſubſiſtentia; ſiquidem hæc humanitas, ex ea parte, qua eſt effectus productus ab illa actione, debet cum illa proportionem habere. Sed actio illa ſeparari non poſſet ab hac numero ſubſiſtentia. Ergo nec humanitas hæc eſſentialiter pendens ab hac actione ſeparari poſſet ab hac numero ſubſiſtentia. Quodquam falſum ſit patet ex philoſophia vera, aſſerente ſubſiſtentiam minimè ſeparari poſſe à natura quam modificat, natura verò à quacunque determinata ſubſiſtentia ſeparabilis iudicatur. Ergo ex eo, quòd ſubſiſtentia propria, vt vniatur naturæ, quam complet, non egeat vnione diſtincta, tam bene inferunt, actionem productiuam humanitatis cuiuſlibet, eſſe ſimul vnitiuam illius cum ſua propria ſubſiſtentia.

25. Sed replicabis: igitur per nos repugnat, vt vi eiuſdem actionis quælibet ſubſiſtentia propria, ſicut quiſuis alius modus, ſimul producatur, & vniatur. Ergo nec repugnabit, quòd quælibet alia natura ſimul ex vi vnius actionis producatur, & alteri copuletur. Ergo nec in noſtro caſu. Reſpondeo primò, replicam hanc minimè noſtrum placitum impugnare; ſiquidem ſolùm pars prima noſtri placiti defendit,

de facto non eſſe eamdem actionem, quæ productiua ſit, & vnitiua ſimul humanitatis cum verbo; nihil tamen reſoluit de poſſibili; an verò id repugnet, vel non, diuina virtute, dedit *numerus* 21. Verùm quia replica hæc poteſt intorqueri ad quæſtionem de facto; reſpondeo ſecundò concedens antecedens, & negans conſequentiam: diſparitas philoſophis & metaphyſicis nota eſt ex diſcrimine reperto inter modum, & rem abſolutam; quòd ille vt naturæ copuletur, nexu diſtincto à ſe non eget, iſta verò eget. Vnde ſubſiſtentia eſt modus, natura verò eſt res abſoluta; ergo ex eo, quòd admittamus de facto, eamdem actionem eſſe productiuam, & vnitiuam ſubſiſtentiæ cum natura, non bene infertur, etiam de facto eamdem actionem productiuam humanitatis debere eſſe vnitiuam illius cum altero.

26. Argues ſecundò, intendens probare incarnationem eſſe compoſitam ex productiua humanitatis, & vnionis hypoſtaticæ cum exigentia eſſentiali vtriuſque actionis, de facto productio humanitatis dependet à productione propriæ ſubſiſtentiæ, vel vnionis cum alieno ſuppoſito. Ergo productio humanitatis Chriſti ſimpliciter non eſt naturalis, quod eſt contra communem ſenſum Patrum, & noſtra principia, ſtatuentia actionem productiuam humanitatis eſſe ſimplicem, & ſimpliciter naturalem. Ergo & ſequela patet, nam productio cuiuſuis rei ſecum affert, quidquid ſufficit conſeruare rem in ſuo eſſe perfecto. At per nos productio humanitatis Chriſti non poteſt conſeruare illam abſque actione vnitiua illa poſteriori. Ergo de facto illa actio productiua humanitatis exigeret aliam, videlicet vnitiuam cum diuino verbo. Ergo euaderet ſupernaturalis, cum nihil naturale ex ſua natura exigat aliquid ſupernaturale quoad ſubſtantiam, qualis eſt actio vnitiua humanitatis Chriſti. Confirmatur, eductio ideo eſſentialiter inuoluit actionem vnitiuam formæ eductæ in ſubiecto, quia ſine iſta nequit illa conſeruare formam eductam in rerum natura. Sed per nos actio productiua humanitatis, non ſufficit conſeruare illam abſque actione vnitiua illius cum verbo. Ergo vnum è duobus, vel debemus admittere vnicam actionem indiuiſibilem eſſe productiuam, & vnitiuam humanitatis, compoſitam ex duabus formaliter, illamque ſupernaturalem, quod negamus, vel concedere actionem illam ſimplicem productiuam humanitatis eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, quod tenuimus.

27. Vt reſpondeas, notare debes, actionem productiuam humanitatis Chriſti poſſe bifariam ſumi. Primò, adæquatè in genere creationis. Secundò adæquatè in omni genere, pro actione ſcilicet rem conſeruante extra omnia ſua principia, à quibus dependere valet. Primo modo ſumpta productio humanitatis Chriſti, ſolùm eſt purè naturalis, ſiquidem ſic accepta, ſolùm competit ei id, quod ex meritis puræ creationis exoptat habere, nempe independentiam ab alio tanquam ſubiecto inhæſionis, ſiquidem creatio, vt creatio ex ſe abſtrahit ab actione propriæ ſubſiſtentiæ productiua, & ab actione vnitiua cum aliena; ratio, nam creatio poteſt ſaluari ſeparata ab actione, quæ ſit productiua propriæ ſubſiſtentiæ vel vnitiuæ cum aliena; pone caſum, quòd humanitas produceretur, & conſeruaretur extra ſuppoſitum proprium, & alienum; Cum hoc tamen ſtat, quod ſi accipiatur productio humanitatis, tam ſecundùm ea, quæ in recto & ex meritis propriis importat, quam ſecundùm ea, quæ quaſi de connotato dicit, non eſt dicenda ſimpliciter naturalis hic & nunc, ratio, quia hîc & nunc, & de facto includit actionem vnitiuam humanitatis cum verbo, quam pro poſteriori infert, & de connotato importat, quamque eſſe ſupernaturalem, non ambigit.

Nunc reſpondeo in forma argumento, concedendo, & diſtinguens conſequens. Ergo productio humanitatis Chriſti ſimpliciter non eſt naturalis, quantùm ad ea, quæ dicit in recto, nego; Quoad id, quod dicit in obliquo, concedo conſequentiam. Applica notabile. Ad confirmationem reſpondeo, quòd eductio non quomodocunque connotat actionem vnitiuam, ſed eſſentialem habet cum illa connexionem, & habitudinem; ſiquidem implicat conceptus actionis eductiuæ, quin determinatè inferat actionem vnitiuam; at verò actio creatiua, licèt aliquando connotet, ſaltem permiſſiuè (vt noſtro myſterio euenit) actionem vnitiuam: tamen illam eſſentialiter non connotat, nec cum illa habet eſſentialem connexionem, ſiquidem totus creationis conceptus ſaluaretur illæſus, ſeparatus ab actione vnitiua. Nunc in forma reſpondeo, diſtinguo maiorem, eductio ideo eſſentialiter inuoluit actionem vnitiuam formæ eductæ quia ſine iſtâ nequit conſeruare illa formam eductam, & vltra hoc, quia nequit ſaluari conceptus eſſentialis actionis eductiuæ ſine actione vnitiua, concedo, quia præciſè nequit conſeruare formam eductam ſine actione vnitiua, nego, & diſtinguo minorem: ſed per nos actio productiua humanitatis, non ſufficit conſeruare illam abſque actione vnitiua illius cum verbo, ita vt illa iſtam eſſentialiter exigat, nego, ita vt hoc naſcatur ex decreto Dei, connectente actionem productiuam humanitatis cum actione vnitiua einſdem cum verbo, concedo, & nego primam partem conſequentiæ, & diſtinguo ſecundam: vel concedere actionem illam ſimplicem productiuam humanitatis eſſe ſimpliciter ſupernaturalem quoad ea, quæ dicit in recto, & ex meritis creationis, nego, quoad id, quod dicit in obliquo, concedo. 28.

Ex his colliges veritatem primæ partis aſſerti noſtri, videlicet, actionem productiuam humanitatis non eſſe, nec formaliter, nec realiter actionem vnitiuam eiuſdem cum verbo, & per hæc ſimiliter ſatisfit quæſtioni illi; an videlicet productio humanitatis ſit ipſius cum verbo vnio: nunc tamen conandum ſumus partem aliam aſſerti, nempe, an actio productiua humanitatis formaliſſimè ſit eius vnio cum verbo, cui negatur tacitè reſpondimus in titulo actionis. Verùm quia prædicta reſolutio plura petit examinanda, quorum diſcuſſio longiſſimam tractationem exoptat, ne ſi tota vnius ſectionis periodum claudatur, 29.

confu

confuſionem progignat, libuit procreare, in qua indaginem ſubeat.

Sectio II.

Vnio hypoſtatica, nec realiter, nec formaliter eſt actio humanitatis productiua.

30. Reſolutio iſta eſt potiſſimùm contra Bernal *ſectione antecedenti, num.* 1. citatum, & contra alios, docentes inter humanitatem, & verbum nullam fuiſſe interiectam vnionem, prædicta extrema copulantem, qui licèt aliam viam ſint aggreſſi ab ea, per quam inceſſit Bernal, & noſtra contentio inſtituta ſit primariò contra iſtum Authorem, tamen calamum diuertam contra cæteros; Hanc reſolutionem defendere tenentur quotquot inter humanitatem, & verbum aliquem modum, qui ſit productus per incarnationem, quóque viciſſim copulentur, agnoſcunt; ita Ochamus *in* 1. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 4. *poſt tertiam concluſionem.* Gabriel *in* 3 *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Alenſ. 3. *part. quæſt.* 7. *memb.* 2. *art.* 1. Albertus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. Scotus *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *part. ad primum dico* Lichetus *ibidem* Matronus *quæſt.* 2. Aureolus *diſtinct.* 2. *art.* 2. Durandus *diſtinct.* 5. *quæſt.* 2. Argent. *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 4. Vaſquez *diſp.* 58. 3. *part. cap.* 3. Suarez 3. *part. diſput.* 8. *ſect.* 3. quos ſequuntur Recentes. Becanus *de incarnatione, cap.* 2. *quæſt.* 2. Bonacina *diſput.* 2. *quæſt.* 2. *puncto* 2. Iannetus *diſp. quæſt.* 3. *dub.* 5. Lugus *diſp.* 11. *ſect.* 1. Raguſa *diſput.* 39. Cabrera *hic quæſt.* 4. *diſput.* 8. Vuigers *articul.* 7. *&* 8. Relliſonus *art.* 8. *dub.* 2. Amicus *diſp.* 8. *ſect.* 2. Auerſa *quæſt.* 2. *ſect.* 5. Arauio *dubio vnico, concluſ.* 3. & tandem Martinus Perez, *ſectione antecedenti* citatus, nec non omnes illi, qui inter materiam, & formam docent interiiciendum eſſe modum quemdam vnionis ſubſtantialis, illas intrinſecè, & actua ſubſtantialiter copulantis.

31. Probatur primò, authoritate ſanctiſſimi doctoris, de cuius mente non pauci dubitarunt, imo nec deſunt, qui credant ex eius diſcipulis Angelicum magiſtrum contrariæ ſententiæ fuiſſe pluries ſuffragatum; de quo in ſolutione obiectionum, Igitur ſanctiſſimus doctor *hic quæſt.* 2. *art.* 7. quærens, vtrum vnio naturæ diuinæ, & humanæ ſit aliquid creatum, & reſpondens affirmatiuè, habet hæc in ſui aſſerti probationem; *Reſpondeo dicendum, quòd vnio, de qua loquimur, eſt relatio quædam, quæ conſideratur inter diuinam naturam, & humanam, ſecundùm quod conueniunt in perſona filij Dei. Sicut autem in prima parte dictum eſt, (nempe* 1. *part. quæſt.* 13. *articulo* 7.*) omnis relatio, quæ conſideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem eſt increata (per cuius mutationem talis relatio innaſcitur) non autem eſt realiter in Deo, ſed ſecundùm rationem tantùm, quia non innaſcitur ſecundùm mutationem Dei. Si ergo dicendum eſt (concludit Angelicus doctor) quòd hæc vnio, de qua loquimur, non eſt in Deo realiter, ſed ſecundùm rationem tantùm; in humana autem natura, quæ creatura quædam eſt, realiter eſt; & ideo oportet dicere, quòd ſit quiddam creatum.* Et æquè clarè, & expreſſiùs vt vim præſtet ponderationi noſtræ ſtatim ſubiiciendæ, *articulo* 8. *ibidem in corporis initio*, vbi hæc: *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, vnio importat relationem aliquam diuinæ naturæ, & humanæ, ſecundùm quod conueniunt in vna perſona: omnis autem relatio, quæ incipit eſſe ex tempore, ex aliqua mutatione cauſatur, mutatio autem conſiſtit in actione & paſſione.*

32. Pondero iſta, ſupponit ſanctiſſimus doctor, quòd poſita actione vnitiua, ſequuta eſt relatio inter humanitatem, & verbum, ſed enim hoc diſcrimine, quòd relatio illa, vniti videlicet, eſt realis, vt ſe tenens ex parte humanitatis, non verò, vt ſe tenet ex parte verbi, cuius rationem dedit, quia actio illa, in qua fundatur prædicta relatio, ſolam humanitatem intrinſecè realiter immutauit, non verò verbum. Ergo ſentit Angelicus doctor, quòd actio illa vnitiua aliquam entitatem realem in humanitate intrinſecè receptam produxit, vi cuius intrinſecè, & realiter humanitas diceretur mutata, & defectu cuius verbum intrinſecè mutatum negatur. Conſequentia patet, quia ſi nihil intrinſecè in humanitate receptum actio iſta vnitiua produceret. Ergo ſola actio vnitiua illius cum verbo ſufficeret illam intrinſecè mutare, & reddere illam compotem relationis realis vnitæ ad verbum; quia nihil aliud præter actionem, & terminum productum aſſignabile eſt, potens iſta præſtare: At per vos non datur, ex vi actionis vnitiuæ, terminus aliquis productus in humanitate receptus, vt illa intrinſecè immutetur. Ergo ſola actio vnitiua talem mutationem intrinſecam cauſabit. Tunc ſic: Ergo verbum pariter dicet realem relationem vniti ad humanitatem. Patet hoc: ſi quid obſtaret, maximè illud, eſſe incapax mutationis intrinſecæ, ex qua reſultaret talis relatio, at humanitas ſine mutatione intrinſeca, ſolum in actione vnitiua ex parte Dei, eſt capax realis relationis vnitæ intrinſecè verbo. Ergo eſſe hoc incapax mutationis intrinſecæ non impedit, vt euadat capax realis relationis vniti ad humanitatem. Ergo vnum è duobus eſt concedendum, vel verbum mutari intrinſecè, & reddi ſic capax realis relationis vniti, ſi ſola actio vnitiua ſine termini alicuius productione ſufficit illam mutare, & ſi eamdem reddere capacem realis relationis vnitæ, quod negat ſanctiſſimus doctor, vel actionem vnitiuam humanitatem intrinſecè immutantem, & non verbum, vt in illa, & non in hoc reſultet relatio realis vnionis producere aliquid intrinſecè receptum in humanitate, defectu cuius verbum incapax eſt realis relationis vniti ad humanitatem.

33. Ponderatur hoc ipſum, ex ſanctiſſimo Thoma; ideo verbum non refertur reali relatione vniti, quia ex vi actionis vnitiuæ non mutatur, bene verò humanitas. Ergo ex vi actionis vnitiuæ producitur, ex mente ſanctiſſimi doctoris aliquid in humanitate, & non in verbo, vi cuius illa intrinſecè mutetur, & fiat capax realis relationis vnitæ; non verò iſtud. Conſequentia patet; quia ſi humanitas poſſet intelligi perfectè mutata ex vi actionis vnitiuæ, quamuis

hæc

hæc nihil intrinſecum de nouo in illa produceret, Ergo ſimiliter verificabitur, eam de nouo intrinſecè mutari, quin de nouo aliquid reciperet intrinſecè, quod antea non habebat. Iſtæ conſequentiæ ſunt doctrina ipſa aduerſarium. Ergo qui aſſereret impoſſibilem eſſe incarnationem ob periculum admittendi in verbo mutationem intrinſecam, difficile de falſitate conuinceretur; imo aderit illi aditus, vt ſe à communi, etſi efficaciſſimo argumento liberaret, etenim ſi quis in illum ageret, illud intrinſecè capax eſt mutationis, quod capax eſt receptionis alicuius formæ de nouo in eo productæ. Sed verbum eſt incapax recipere aliquid intrinſecum de nouo. Ergo verbum eſt incapax intrinſecæ mutationis. Poterit enim reſpondere, maiorem eſſe falſam, quia conceptus mutationis intrinſecæ integer eſt poſſibilis, abſtractus ab omni receptione alicuius formæ de nouo productæ, & in confirmationem huius adducere ſententiam horum Authorum docentium, humanitatem verè mutari per actionem vnitiuam, cùm ex vi huius reſultet in ea relatio realis vnitæ, quin talis actio producat aliquid de nouo in humanitate intrinſecè receptum in ea.

34\. Ratio ſumitur ex ipſiſſimis verbis ſanctiſſimi doctoris, humanitas ex vi actionis vnitiuæ intrinſecè mutatur. Ergo ex vi actionis vnitiuæ producitur de nouo in ea aliquid intrinſecum, quod antea non habebat. Antecedens eſt dogma theologicum, & doctrina contraria. Conſequentiam probo: mutatio intrinſeca de nouo affert ſecum alietatem intrinſecam de nouo. Ergo ſi ex vi actionis vnitiuæ infertur in humanitate mutatio intrinſeca de nouo, etiam ex vi illius debet in ipſa inferri intrinſeca alietas noua. Totum entimema concedunt. At alietas noua intrinſeca fit in ſubiecto per receptionem nouæ formæ intrinſecæ in illo, quam antea non habebat. Ergo ſi actio humanitatis vnitiua infert alietatem in ea, etiam debet in ipſa inferre aliquid intrinſecè receptum in illa, quod antea non habebat. At hoc eſt vnio. Ergo hæc formaliter non eſt actio humanitatis vnitiua.

35\. Reſpondebis primò diſtinguens duplicem alietatem in ſubiecto, cui aduenit mutatio; aliam prouenientem illi ex aduentu nouæ entitatis in illo receptæ, quam antea non poſſidebat, vt contingit frequenter in mutationibus, quas experimur ad oculum. Aliam prouenientem ei per aduentum nouæ denominationis, dicunt enim, humanitatem vi actionis vnitiuæ verè mutari, & conſequenter vi illius in humanitate inferri nouam alietatem non prouenientem ei ex aduentu nouæ entitatis, ex vi actionis vnitiuæ productæ, & in ea receptæ, quam antea humanitas non haberet; ſed prouenientem illi ex noua denominatione vnitæ ad verbum, cui antecedenter ad actionem vnitiuam minimè conueniebat. Iam quòd vera ſit alietas ad mutationem perfectam arguendam illa, quæ ſolo aduentu denominationis ſubiecto aduenire dicitur, pluribus inſtantiis in vtraque ſchola poteſt muniri. Imprimis in ſententia extra ſcholam ſanctiſſimi doctoris defenditur, rem alietatem in ſui duratione poſſe nouiter habere, quin adueniat illi noua entitas, ſed ſola intrinſeca denominatio, quia apud iſtos Authores duratio à re durante non differe, atque adeo poteſt tranſire de non durare ad durare abſque receptione noua intrinſecæ entitatis, licèt non ſine noua denominatione. Item apud eoſdem, cùm relatio prædicamentalis ſimilitudinis minimè à fundamento, & termino diſſideat, aſſerunt, fundamentum tranſire de non relato, ad eſſe relati, quin talis alietas inferat in eo receptionem nouæ formæ, ſed ſolam denominationem relati, ex ſola poſitione termini, tamquam connotato ab ipſa eſſentialiter petito.

Nec vim harum inſtantiarum declinabis, ſi cum aliquibus iſtorum authorum occurras, alietatem verbi gratia relationis ſimilitudinis, ſolam denominationem nouam petere, non tamen alietatem relationis vnitæ in humanitate, ſiquidem in hac, non tamen in illa datur ſignum diſtinctionis formæ, à qua talis denominatio habeat ortum; ſiquidem relatio ſimilitudinis, ſemel exiſtentibus fundamento, & termino, non poteſt non exiſtere, licèt ſeparabilis ſit à fundamento exiſtente, termino non poſito. Vnde ibidem non apparet ſignum potiſſimum diſtinctionis formæ à fundamento, & termino, quod eſt realis ſeparabilitas; atque adeo dum fundamentum tranſit de non relato ad eſſe relati, non patitur alietatem prouenientem illi ex aduentu nouæ entitatis relatiuæ, ſed ſolius denominationis relati. In noſtro verò caſu datur ſignum diſtinctionis relationis vnitæ ab humanitate, & verbo; ſiquidem non ſolùm vnio poteſt non eſſe in rerum natura, exiſtente humanitate, vel exiſtente verbo ſeorſim ab humanitate, ſed etiam poteſt vnio non exiſtere, etiamſi humanitas, & verbum exiſtentiam ſubeant? quapropter alietas, quam patitur humanitas ex vi actionis vnitiuæ, non ſolùm inuoluit nouam denominationem, ſed aduentum nouæ formæ entitatiuæ, quæ ſit vnio. 36.

Verùm iſti Authores efficaciam inſtantiarum minimè ſuſtulerunt. Siquidem poteſt ex ipſorum doctrina incrementum ſumere ſolutio contrariorum *n.* 35 adducta: etenim eſto, quòd humanitas, & verbum ſimul in rerum natura exiſtere poſſint, quin vnio exiſtat, tamen in aduerſantium ſententia nequit complexum hoc, *humanitas, verbum, & actio vnitiua* exiſtere, quin vnio exiſtentiam habeat, non aliter ac ipſi dicunt, quòd exiſtentibus fundamento, & termino exiſtere neceſſariò debet ſimilitudinis relatio. Vnde tam inſeparabilis eſt vnio humanitatis ad verbum, ab hoc complexo, *humanitas, verbum, & actio vnitiua* in aduerſantium opinione, ac inſeparabilis eſt ſimilitudinis relatio ab altero complexo, *fundamentum, terminus, & relatio ſimilitudinis*. Ergo tam deficit vni, ac alteri complexo ſignum diſtinctionis à formis dantibus denominationes vniti, & ſimilis. Ergo licebit aduerſariis dicere, humanitatem tranſire de non eſſe vnitam ad verbum, ad eſſe illi vnitam, inuoluendo alietatem, non ex connotatione 37.

actio

actionis vnitiuæ, ſicut iſti Authores aſſerunt, fundamentum tranſire de non eſſe relatum ad eſſe relati, media alietate, orta ex connotatione termini de nouo exiſtentis. Conſequentia patet, quia hoc ideo eſt verum in horum ſententia, quia relatio ſimilitudinis eſt ab hoc complexo, ſemel exiſtente fundamento ſcilicet, & termino. Ergo illud etiam erit verum in ſententia, quam impugnamus, quia iuxta illam, relatio vnitæ humanitatis ad verbum, inſeparabilis eſt ab hoc complexo, humanitate ſcilicet, verbo, & actione vnitiua. Ergo vtrobique contingit mutatio ſine alietate ſubiecti proueniente ex aduentu nouæ entitatis, ſed ſolùm ex aduentu nouæ denominationis; atque adeo ſolutio, & eius inſtantiæ *n.* 35. allatæ ex aduerſariis eamdem vim retinent.

38. Replicabis igitur aliter contra prædictam ſolutionem. Mutatio intrinſeca eſſentialiter inuoluit alietatem, nedum ex denominatione, ſed ex entitate noua prouenientem. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo, alietas ſolùm proueniens ſubiecto ex denominatione intrinſeca non ſufficit ſtatuere in illo mutationem veram intrinſecam. Ergo mutatio intrinſeca alietatem inuoluit eſſentialiter ex nouitate formæ intrinſece prouenientem. Antecedens probo ex dictis *num.* 33. verbum diuinum etſi in tempore habeat alietatem, ortam ex noua denominatione intrinſeca terminantis humanitatem, intrinſecè mutatum non euadit, quia in tempore non habet alietatem, ortam ex noua entitate in ipſo nouiter recepta. Ergo ſtante alietate quoad nouam intrinſecam denominationem, præciſa ab alietate, ex nouitate formæ proueniente, mutatio intrinſeca non ſubſiſtit. Ergo ſi humanitas per vos, vi actionis vnitiuæ intrinſecè mutatur, ex illa, nedum in humanitate intrinſecæ denominationis alietas, ſed & alietas formæ intrinſecæ reſultare debet.

39. Confirmo hoc ex doctrina ſanctiſſimi doctoris, quam omnes eius diſcipuli tuentur, *part.* 1. *quæſt.* 19. docent cum Angelico præceptore Deum in tempore non poſſe habere nouum decretum circa aliquam creaturam, ea videlicet ratione, quia ſequeretur intrinſeca mutatio Dei, non ſolùm proueniens ex denominatione intrinſeca (hæc enim vt poſtea ponderabo fortaſſis inconueniens non eſſet) ſed ex nouo alicuius entitatis aduentu orta; videlicet cognitione libera, cuius dant rationem; nam licèt cognitio libera ſupra neceſſariam, ſolùm reſpectum rationis addat, tamen talis reſpectus rationis de nouo reſultare nequit, niſi accedat nouitas, vel in entitate diuinæ cognitionis, vel in ipſo obiecto, & cùm obiectum diuinæ cognitionis reduplicatiuè vt obiectum illius eſt, nequeat alietatem & varietatem habere, iuxta ſanctiſſimum doctorem 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 15. *ad* 1. vbi hæc: *id namque quod in Deo continetur, inuariabiliter continetur, nam ſicut vnumquodque recipitur ad modum recipientis, ita etiam debet contineri ad modum continentis. Vnde cum Deus inuariabilis ſit, quidquid continetur in illo, inuariabiliter debet in illo contineri.* Et rurſum, cùm cognitio diuina terminetur ad obiectum creatum, vt contentum in Deo iuxta illud, cognitio fit per hoc, quòd cognitum ſit in cognoſcente, inferunt, obiectum diuinæ cognitionis, vt obiectum eſt illius, omnino eſſe inuariabile, atque adeo reſpectum illum rationis in tempore non poſſe Deo conuenire, cùm ex nouitate entitatis cognitionis, neque ex nouitate facta in obiecto reſultare deberet, quæ varietates impoſſibiles ſunt.

Ponderatur hoc, quia Deo repugnat alietas 40.
ex cognitione quoad entitatem nouam parta, & alietas ex parte obiecti, repugnat ipſi in tempore nouus reſpectus rationis. Ergo repugnabit Deo noua actio in tempore vnitiua, ſi non datur alietas quoad entitatem, ſaltem ex parte termini tali actioni correſpondentis. Vel ſi ſine prædicta alietate eſt dabilis in Deo in tempore noua libera actio vnitiua: cur in Deo non reſultabit in tempore nouus reſpectus rationis ſine prædicta alietate etiam ex parte termini ſe tenente.

Nec inſtantiæ adductæ vim in doctrinam 41.
iſtam habent, quod in relatione (idem alteri ex duratione applicabis) dicitur, fauet rationi noſtræ, ſiquidem apud veritatem relatio, quæ ſecundùm eſſe eſt talis, eſſentialiter conſtituitur in actuali exercitio referendi, quapropter deficiente termino, cùm deficiat fundamento exercitium illud actuale referendi ſe ad terminum, qui euanuit, deficit illi, non ſolùm denominatio illa actualiter relati, ſed entitas vera relationis, qua formaliter intrinſecè ad terminum referebatur. Idem ergo dicimus de vnione, quæ ſicut relatio, conſiſtit in actuali exercitio vniendi extrema, atque adeo dum deficit illis tale exercitium, etiam deficit eis, nedum intrinſeca denominatio, ſed realis, & intrinſeca entitas, media qua formaliter & intrinſecè vnita denominantur. Ergo vtrobique extremum illud, quod intrinſecè mutatur, patitur veram alietatem, non ſolùm ex denominatione intrinſeca, ſed ex aduentu nouæ entitatis ſubortam.

Reſpondebis, vnionis entitati minimè eſſe 42.
conſtitutiuum actuale exercitium vniendi extrema, ſed eo modo illi competere, ac relationi conuenit ſuum exercitium referendi, vt patet ex noſtra doctrina: at relationi, non vtcunque acceptæ, conuenit prædictum exercitium referendi; ſiquidem poteſt conſiderari relatio dupliciter, vel quoad entitatem, vel vt dans denominationem relati. Si primo modo, non eſt de eſſentia relationis actualiter referre; ſiquidem integra eius entitas ſaluatur ſine tali exercitio; ſi ſecundo modo conſideretur, petit exercitium referendi, vt ſuum conſtitutiuum; ſed hoc non requirit relationem eſſe nouam entitatem à fundamento, & termino, ſed nouam denominationem in fundamento reſultantem poſito termino. Similiter diſcurrendum eſt in vnione, cuius eſſentia, entitatiuè accepta, non conſiſtit in actuali exercitio vniendi; cùm eius entitas integra ſaluetur in ipſis extremis, licèt tale exercitium eam, vt dantem illis denominationem vnitorum, eſſentialiter conſtituat, ſed hoc non arguit in illis additamentum nouæ entitatis, ſed nouæ denominationis ex noua Dei actione vnitiua prouenientis.

Sed replicabis, ſolutionem hanc ſupponere

doctri

doctrinam minimè conſonam principiis ſanctiſſimi doctoris *ſuper caput de relatione* datis; ibi enim eſt dogma Angelici doctoris relationem eſſe modum entitatiuè diſtinctum à fundamento, & termino; atque adeo exercitium nouum referendi minimè entitatiuè cum extremis identificari: quapropter *numero* 41. vnionem relationi paſificauimus. Fateor valde premendos eſſe eos, qui ex vna parte defendentes nouam intrinſecam denominationem relati, compati poſſe in extremis abſque additione nouæ formæ, intendunt ex alia, dandum eſſe nouum modum vnionis inter extrema vnibilia, vt in illis aduenıat noua denominatio intrinſeca vnitorum: ſiquidem paritas denominationis relati valde connectitur, cum denominatione intrinſeca vniti. Sed quid in eorum opinione reſpondeant, videant ipſi.

44. Aliter iuxta principia nunc inſinuata replicabis, contra prædictam ſolutionem *n.* 42. datam. Etenim actualiter hîc & nunc extrema aliqua referri, eſſentialiter dicit duo, & denominationem intrinſecam relatorum, & formam nouam talem denominationem cauſantem. Ergo extrema aliqua eſſe hîc & nunc actualiter vnita, eſſentialiter importabit duo, & denominationem intrinſecam actualiter vnitorum, & formam intrinſecam talem denominationem cauſantem.

45. Reſpondebis cum aliquibus diſcipulis ſanctiſſimi doctoris complutenſibus, negandam eſſe conſequentiam; diſparitas ſumitur ex diuerſo modo, quo vnio comparatur ad extrema, quæ vnita denominat actualiter ab eo, quo relatio ſimilitudinis cum ſuo fundamento confertur; etenim hæc aduenit fundamento, vt prædicatum ſpectans ad diſtinctam lineam categoriæ ab ea, in qua collocatur fundamentum ipſum; taliter quod ſub iſtius linea prædicamentali, nec directè, nec indirectè relatio illa reponatur, quare mirandum non eſt, ſi denominatio intrinſeca relati, illa duo recenſita neceſſariò inuoluat. Contrarium tamen inuenitur in vnione, hæc enim ſapit conditionem extremi, quod copulat, quapropter ad eamdem lineam prædicamentalem ſpectat ſaltem indirectè, & ſic in ea nullum datur ſignum diſtinctæ entitatis ab entitate extremorum, quæ vnit, tametſi ſecum ferat intrinſecam nouam denominationem illorum.

46. Sed replicabis, imprimis afferens omnia, quæ ſuprà præſtiterunt numeri antecedentes, ad probandum impoſſibilem eſſe denominationem intrinſecam, & nouam, quæ in ſubiecto non ſupponat alietatem nouæ entitatis, talem denominationem præſtantis? Rurſum quia in promptu adeſt inſtantia, à qua difficulter ſe expedient vnquam. Etenim hæc propoſitio eſt apud Authores iſtos contra Scotum vera. *Subſiſtentia aduenit naturæ tamquam quid, ſaltem reductiuè ſpectans ad eamdem lineam prædicamentalem, nempe ſubſtantia, ſub qua natura directè collocatur.* Rurſum hæc eſt vera apud omnes, *denominatio intrinſeca ſubſiſtentis dicit eſſentialiter formam aliquam in natura ab ipſa diſtinctam, a qua illi prouenıat talis denominatio.* Nunc ſic argumentor: Hæc vltima propoſitio eſſet falſa, ſi ſolutio illa eſſet vera. Ergo &c.

Antecedens probo, ideo aſſeritis, denominationem intrinſecam actualiter vniti, non petere nouam intrinſecam entitatem vnionis, à qua ſit, quia vnio ſpectat ad eamdem lineam prædicamentalem ſubſtantiæ, ſaltem indirectè. Sed per vos, contra Scotum, ſubſiſtentia ſpectat ad eamdem lineam, ſaltem indirectè, ad quam ipſa natura ſpectat directè. Ergo ſi ob hanc cauſam denominatio intrinſeca vniti non importat nouam intrinſecam entitatem vnionis, ob eamdem, nec denominatio intrinſeca ſubſiſtentis importabit nouam entitatem ſubſiſtentiæ: vel ſi hæc illam affert, cur non altera.

Confirmatur, nam aliud eſt dicere, vnionem hypoſtaticam (idem tene de vnione inter materiam, & formam muenta) diſtingui ab extremis, quæ vnit, quia ſpectat ad diſtinctam categoriam, & aliud, eam ſic diſtinctam abſolutè defendere. Primum nunquam diximus, nec rationabiliter id aſſerere poteramus, quia iuxta principia cunctis communia, quærentia ſigna diſtinctionis realis aliquorum extremorum non datur recurſus ad diſtinctam categoriam prædicamentalem, ad quam ſpectent, nam ſignum hoc talem diſtinctionem realem ſemper minimè inducit, vt videre eſt exemplo communiſſimo actionis, paſſionis, & motus, quæ ad diſtinctas lineas categoriales ſpectant, & identitatem realem inter ſe cuſtodiunt. Signum ergo diſtinguendi realiter extrema, eſt ſeparabilitas realis mutua, vel non mutua illorum, & ſignum cognoſcendi proximè diſtinctionem realem formæ à ſubiecto, eſt denominatio intrinſeca noua de nouo illi adueniens. Intellige hoc de denominatione intrinſeca nouiter adueniente ſubiecto mutationis intrinſecę capaci; ſic intellecta prædicta regula eſt firmiſſimæ veritatis. Cúmque experiamur, humanitatem intrinſecè actualiter, & de nouo incipere eſſe vnitam verbo, & aliàs ſit mutationis capax, colligimus talem denominationem humanitati accreſcere, ex aduentu formæ intrinſecæ, nouiter in illa receptæ. Ergo de primo ad vltimum, impoſſibile erit concipere nunc humanitatem intrinſecè vnitam, quam inunitam antea experiebamur, quin forma noua intrinſecè illi accedens intelligatur. 47.

Reſpondebis, formam iſtam denominationem præſtantem, eſſe nouam entitatem relatiuam, qua humanitas refertur nunc intrinſecè ad verbum, ad quod ſic antea non referebatur, & relatio hæc in ipſa reſultat poſita ex parte Dei actione vnitiua. 48.

Sed replicabis, impoſſibile eſt concipere realem, humanitatem ad verbum referentem, quin ſupponat pro priori humanitatem recepiſſe, ex vi actionis vnitiuæ, formam aliquam ſubſtantialem. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo: impoſſibile eſt concipere realem relationem in aliquo ſubiecto reſultare, quin ſupponat realem mutationem in eodem ſubiecto. Ergo impoſſibile eſt concipere realem relationem humanitatis ad verbum, quin ſupponat pro priori humanitatem recepiſſe, ex vi actionis vnitiuæ, formam aliquam ſubſtantialem. Antecedens eſt illibatum apud ſanctiſſimum doctorem, vbi ſuprà *num.* 31. *&* 39. vbi regulam 49.

hanc

hanc ſtatuit, nempe, omnis realis relatio ex mutatione innaſcitur. Conſequentia patet, quia impoſſibile eſt, mutationem aliquam intrinſecam concipere, in aliquo ſubiecto, quin iſtud aliquid intrinſecum de nouo, à quo in ipſo mutatio fiat, recipiat; taliter, quòd ſi mutatio accidentalis fuerit, includat receptionem accidentalis formæ; ſin ſubſtantialis, receptionem ſubſtantialis formæ inuoluat, lege à *num.* 38. At per vos ex vi actionis vnitiuæ, nihil reale ſubſtantiale recipit de nouo humanitas. Ergo ex vi actionis vnitiuæ, ſubſtantialiter non ſupponitur mutata. Ergo ex vi actionis vnitiuæ, non poterit reſultare in humanitate realis relatio prædicamentalis vnitæ ad verbum; quòd ſi hæc in ea reſultaret, quamuis talem mutationem non ſupponeret, etiam in verbo reſultare diceretur, à quo illam propter ſolam mutationem, quam affert, excludunt Theologi, vt vidimus *n.* 32. *&* 33.

50. Reſpondebis cum Thomiſtis Complutenſibus, ſequutis Caietanum ex doctrina ſimili, quam afferunt in philoſophia, excludentes vnionem inter materiam, & formam; aſſerunt enim relationem hanc referentem humanitatem ad verbum, ſupponere mutationem humanitatis in ratione extremi, terminari intrinſecè à verbo, nam ex vi actionis vnitiuæ, humanitas eſt in verbo, qualiter antea non erat, quod explicari poteſt exemplo materiæ, & formæ; etenim formam eſſe in materia nunc ex vi generationis, nihil aliud importat, quam materiam exercere officium ſubiecti, & formam officium actus, ad quod nullo ſuperaddito indigent, quia hoc illis per eſſentiam conuenit; exigitur tamen mutatio paſſiua, & per iſtam variatur ſtatus interior materiæ, & formæ; & licèt actio vnitiua nullam partem, aut modum ſubſtantiæ producat, immutat tamen, & alium ſtatum dat partibus, dum facit, quòd materia recipiat, & forma informet, & paſſionem, ſeu mutationem recipiendo fit totum de nouo, ſicut artifex opus artificiale facit, nullam partem faciendo, ſed ſolùm illarum ſitum variando vnde iam aſſignatur fundamentum relationis in fieri, actio ſcilicet, in facto eſſe, paſſio, vel mutatio paſſiua. Pariter, dicunt, diſcurri debere in vnionis relatione humanitatis ad verbum.

51. Sed replicabis, rem hanc explicare exemplo materiæ, & formæ, eſt, lapidem vnum alterius ictibus emollire: æquè durum eſt intelligere materiam, & formam eſſe vnitas nunc, & non antea, quin ex vi generationis vnitiuæ producatur modus quidam, per quem formaliter ambæ partes tranſeant intrinſecè de non eſſe vnitas, ad eſſe intrinſecè vnitas, ac intelligere humanitatem tranſire intrinſecè de non vnita cum verbo ad eſſe cum illo vnitam, abſque eo, quòd ex vi actionis vnitiuæ, aliquis modus producatur, qui illam formaliter vnitam reddat cum verbo: imo ſiqua in hoc apparet durities, ex philoſophica illa paritate mutuatam experimur; atque adeo cum vtrobique regnet difficultas ipſiſſima, ideo ſimul vtrumque impugnandum aggredimur. Humanitas ſecundùm ſe eſt intrinſecè indifferens vt ſit in verbo, ab ipſoque ſit, vel non ſit actualiter terminata. Ergo aliquid intrinſecum in ea receptum debet dari determinans illius indifferentiam ad vnum ex extremis prædictæ contradictionis. Ergo ſola actio vnitiua non ſufficit id præſtare. Antecedens eſt veritas ſecuriſſima. Prima conſequentia probatur, quia quando voluntas eſt intrinſecè indifferens ad vtrumque extremum contradictionis, & contrarietatis, ponitur aliquod in ea receptum intrinſecè, per quod ad vnum ex illis determinetur formaliter antecedenter ad ipſum operationis exitum: Ergo humanitas, quæ ex natura ipſa indifferens eſt ad recenſita contradictionis extrema; vt formaliter ad eſſe vnitam cum verbo tranſeat, egebit aliquo in ea recepto, per quod formaliter determinetur. Antecedens eſt potiſſima ratio Thomiſtarum omnium, prædeterminationem in voluntate receptam aſtruentium, vt conuincant eius neceſſitatem eſſe inſupplebilem. Conſequentiam docet ſimillima paritas, quam ſubiicienda confirmatio ponderabit.

Confirmatur, finge tibi voluntatem, ita eſſe ad amorem determinatam ad hunc ſcilicet, A, 52. vt ſine iſtius exiſtentia, adhuc de potentia abſoluta, voluntas ſubſiſtere non poſſit: in tali hypotheſi prædeterminationem non deſiderabis, vt ab ea indifferẽtiam ſubmoueas ad vnum ex extremis contradictionis; eſto, quòd prædeterminatio etiam in illo caſu neceſſaria ſit, ad ſaluandam dependentiam cauſæ, & operationis, de quo hîc minimè curo; Hoc tamen debet eſſe certum, neceſſitatem prædeterminationis in illo euentu, non eſſe petendam ex tot capitibus, quæ hîc & nunc neceſſitatem illius in noſtram voluntatem inducunt; ſiquidem in præſenti prædeterminatio ad amorem in voluntate deſideratur, tum vt ſaluetur dependentia illius à motore primo; Tum etiam vt in illo priori ad amorem, in quo ipſa indifferens eſt ad illum, & eius carentiam, intelligatur formaliter determinata ad vnum ex prædictis extremis contradictionis. Similiter finge tibi humanitatem aliquam, ita vnioni actuali cum verbo connexam, vt repugnet illi cum verbo actualiter non vniri, taliter quòd de potentia abſoluta ſubſiſtere nequeat, vt actualiter verbo non vnita, in tali caſu nullum haberemus fundamentum ad ſuadendam neceſſitatem vnionis diſtinctæ ab humanitate, & verbo (ſuppone etiam verbum ſimiliter ex ſe determinatum ſic ad prædictam vnionem actualem cum humanitate) media qua formaliter ad ſe vniendum determinarentur. Ergo ſicut quia hîc & nunc voluntas eſt indifferens ad amorem, & eius carentiam, fundamentum habemus ad ſtatuendam in illa prædeterminationem, tollentem ab ipſa pro illo priori indifferentiam ad vtrumque contradictionis extremum; ita humanitatem ſemel productam eſſe eſſentialiter indifferentem ad eſſe, & non eſſe actualiter cum verbo vnitam, ſufficiens fundamentum erit, ad ſuadendam entitatem aliquam in illa receptam, tollentem ab ipſa indifferentiam ad vtrumque illud contradictionis extremum.

Confirmatur ſecundò indifferentia intentionalis, quam intellectus habet ad hoc potiùs, quàm illud obiectum cognoſcendum, 53.

ſufficiens ratio eſt admittendi entitatem intentionalem ab ipſo diſtinctam, à qua formaliter determinetur ad hoc potiùs præ alio obiecto attingendum. Ergo ſimiliter in præſenti, idem licebit diſcurrere. Ergo ſicut tranſire nequit intellectus de non eſſe intrinſecè determinatum ad cognoſcendum obiectum hoc, ad eſſe determinatum ad idem cognoſcendum, quin recipiat in ſe aliquid ab ipſo entitatiuè diſtinctum; ita humanitas tranſire non poterit de non eſſe actualiter cum verbo vnitam, ad eſſe ſic vnitam cum illo, quin recipiat in ſe aliquid, à quo determinetur, ab ipſa diſtinctum.

54. Confirmatur tertiò, nam licèt falſum exiſtimauerim ſemper, materiam, & formam ſeipſis ſine entitate intermedia ab eis diſtincta vniri, tamen aliqualem inuenio rationem diſparem in noſtro caſu, qua munitus, negata vnione diſtincta, inter materiam, & formam, adhuc concedendam præſumpſerim vnionem inter humanitatem, & verbum. Siquidem in primo caſu datur aliquid, ſaltem quoad vmbram, per quod ſaluetur mutatio paſſiua ſubſtantialis, ſiquidem licèt vnitiua actio generantis nihil producat à materia, & forma diſtinctum, tamen poſita illa materia verè recipit intrinſecè formam, & hæc intrinſeca informat eam, quorum neutrum antecedenter de alterutra verificabatur antea. Quæ enim maior ſubſtantialis mutatio eſt deſiderabilis, ea, quæ in receptione actus ſubſtantialis primi contingere aſt neceſſe; At in noſtro caſu, ſi actio vnitiua humanitatis cum verbo, modum ſubſtantialem vnionis non produxerit in humanitate receptum, nec vmbra adeſt, qua mutatio ſubſtantialis, (quamque Catholici omnes in noſtro myſterio colere tenentur) augurari poſſit: ſiquidem hîc ſicut ibi, nihil reale intrinſecum alicui extremo talis actio vnitiua producit; Rurſum poſita actione vnitiua impoſſibilis eſt illa varietas ſtatus humanitatis, nempe quòd ſit in verbo, qualiter non erat antea, ſicut de forma alterius compoſiti confingunt, quam tranſire dicunt, poſita actione vnitiua, de non eſſe in materia, ad hoc, quòd in materia ſit, ſiquidem ideo hoc de forma diſcurrunt, licèt falsò, prædicti authores, quia defendunt, formam, poſita actione vnitiua, ſeipſa recipi in materia, & hanc illam intrinſecè recipere. At in præſenti fides monet, humanitatem minimè recipi in verbo, nec hoc ſe habere reſpectu illius, vt verum ſubiectum receptiuum. Ergo ex eo, quòd materiæ, & formæ negetur intermedia vnio, qua copulentur, neganda non eſt humanitati, & verbo media, qua intrinſecè vniantur.

55. Reſpondebis, admittens humanitatem ſubſtantialiter mutari intrinſecè ex vi ſolius actionis vnitiuæ, atque adeo hac ſemel poſita, tranſire humanitatem, de non vnitam verbo, ad eſſe illi vnitam. Vnde antecedenter ad poſitiuem actionis vnitiuæ, tota entitas vnionis aderat, cùm ante illam extiterint humanitas, & verbum, cum quibus identificatur vnio entitatiuè accepta; tamen antecedenter ad poſitionem actionis vnitiuæ non exiſtebat vnio ſub formalitate vnionis, hoc eſt, ſub munere actualiter vniendi, & hoc non ob defectum entitatis vnionis, ſed ob defectum conditionis, nempe actionis vnitiuæ, qua tamen poſita, incipit eſſe vnio ſub munere, & formalitate vniendi. Quod explicari ſolet exemplo diuinæ cognitionis, qua obiectum contingens attingit; illa enim cognitio, ſi obiectum deficeret, tota exiſteret ſecundùm entitatem, quia cùm ſit intrinſeca, deficere quoad entitatem nequit; ſi tamen obiectum, quod antecedenter potuit non eſſe, deficeret, cognitio illa non exiſteret ſecundùm formalitatem, nec Deum conſtitueret cognoſcentem, & iudicantem exiſtere prædictum obiectum, præcisè ex defectu obiecti, minimè ad conſtitutionem diuinæ cognitionis ſpectantis, ſed tantùm conditionis munus gerentis.

56. Plura inuoluit ſolutio hæc, quæ ſerium vocant examen, verùm nullius oblitus præcingam cuncta, ſiue actio vnitiua tantùm ſit conditio ad effectum formalem vniendi humanitatem cum verbo, ſiue ſit ratio formalis intra conceptum eſſentialem vnionis, repugnat humanitati ſubſtantialiter per illam mutari. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo: Actio illa vnitiua, quomodolibet ſumpta, eſt quid extrinſecum humanitati. Ergo actione vnitiua ſolùm intrinſecè nequit humanitas mutari. Antecedens probo: actio illa vnitiua, eſt actio immanens Dei. Ergo eſt extrinſeca humanitati. Antecedens eſt dogma ſecurius inter diſcipulos ſanctiſſimi doctoris cum quibus hîc & nunc decerto: etenim apud illos, citantes Caietanum, docentem in Deo dari actionem formaliter tranſeuntem, illum ex ipſo 1. *part. quæſt.* 25. *art.* 1. hunc habet ſenſum, quòd actio Dei, ſicut & cuiuſlibet operantis, ſit eſſentialiter in Deo, quamuis effectus, & motus ſit in paſſo. Ita Naçarius *ibi.* Flandria *lib.* 5. *meth. quæſt.* 22. *art.* 2. Pergomenſis *in concordantiis ſanctiſſimi doctoris dub.* 35. quoſque nobiliſſimi Patres Bañez & Cano ſequuntur. Rurſum Capreolus *in* 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. Soncinas *lib.* 5. *metaph. quæſt.* 1. *art* 4. & laudatiſſimi Patres Carmelitani *in phyſ. diſp.* 17. *quæſt.* 4. *&* 5. docentes actionem tranſeuntem eſſe formaliter in paſſo, aſſerunt, Deum non agere ad extra, actione formaliter tranſeunte, ſed potiùs formaliter immanente, & virtualiter tranſeunte: omnes enim conueniunt in hoc, quòd nulla Dei actio intrinſecè & quoad ſuam entitatem in creatura recipiatur. Ergo in ſententia omnium citatorum actio vnitiua, cùm ſit Dei actio, erit intrinſeca humanitati, cùm in illa intrinſecè minimè recipiatur. Ergo talis actio non poterit ſe ipſa formaliter humanitatem mutare intrinſecè ſubſtantialiter. Conſequentia hæc eſt lux ipſa. Quorſum intrinſeca rei mutatio per id, quod in totum eſt illi extrinſecum.

Reſpondebis: actionem illam vnitiuam, ſicut quamlibet Dei, poſſe conſiderari, vel vt formaliter immanentem, vel vt virtualiter tranſeuntem. Primo modo penitus eſt humanitati intrinſeca, & ideo impotens illam intrinſecè immutare. Secundo verò modo eſt intrinſeca humanitati, & potens intrinſecè mutare illam; 57.

quia

ſic concipitur actio illa prout eſt in paſſo.

Sed replicabis, fatens doctrinam hanc eſſe veriſſimam, ſed efficacem impugnationem contra illos; ſume tibi actionem hanc vnitiuam, prout conceptam in paſſo, & vt virtualiter tranſeuntem: pero, an duas actiones vnitiuas deſignes, quarum vna ſit in Deo; Alia in creatura; vel vnicam, quæ ſimul ſit in Deo, & in creatura; vel tandem vnicam actionem in Deo perſiſtentem, talis roboris, vt effectus ab ipſa procedens ſit in creatura, & ratione talis effectus virtutem Dei, à qua fit, quaſi deferentis, dicatur actio Dei in creaturam tranſire. Primum eſt procul à cunctis. Secundum eſt impoſſibile, cùm repugnet cuique intrinſeco prædicato Dei in aliqua creatura recipi, vt fatentur omnes ſcholaſtici. Ergo debes admittere tertium, quod cuncti Thomiſtæ admittunt. Tunc ſic: ſed in tua ſententia, nihil producit actio illa vnitiua, quod ſit intrinſecũ humanitati. Ergo nec ratione ſui, nec ratione effectus, illã ad humanitaté quaſi deferẽtis, poterit actio illa vnitiua eſſe humanitati intrinſeca. Quomodo ergo illam intrinſecè mutabit? non ſequor.

58. Confirmatur, nam in ſententia omnium, quos *n.* 56. citauimus, omnis actio, ſiue ſit formaliter tranſiens, ſiue virtualiter, ſolùm effectiuè valet immutare paſſum; ſiquidem ſi ſequaris docentes actionem manere formaliter in agente, nullus illi adeſt aditus ad immutandum paſſum, niſi aliquid in eo producendo, vt fatentur eius Authores; ſi verò actio recipiatur in paſſo, adeſt illi duplex aditus ad illud mutandum; vnus per ſui receptionem intrinſecam, & alius per terminum, quem in illo producit. Nunc pero ab his Authoribus, qui, cùm veri Thomiſtæ ſint, vnam, vel alteram ſententiam ex aſſignatis ſequuturi ſunt, an actionem iſtam vnitiuam reducant ad genus actionis formaliter in agente manentis, & virtualiter? & ſi hoc, nec formaliter ſeipſa, nec effectiuè poterit humanitatem immutare. Non formaliter ſeipſa, quia ipſa in agente manet, non effectiuè, quia nihil in humanitate cauſat, vt aiunt. Vel reducunt illam ad genus actionis formaliter immanentis, & virtualiter tranſeuntis? & hoc pugnat cum eorum placito, de quo eſt concertatio. Siquidem actionem Dei eſſe virtualiter tranſeuntem, nihil aliud importat, quàm actionem Dei in ipſo formaliter manentem, & non potentem ſeipſa terminos diuinos tranſilire, ratione termini in creatura producti, ipſam actionem Dei quaſi in fructu deferentis, ad ipſam creaturam deſcendere. At iſti Authores defendunt, actionem Dei vnitiuam, quia Dei, formaliter, & quoad ſuam entitatem manere in Deo, & aliunde illi negant effectum ab ipſa noniter productum. Quomodo ergo poterunt defendere illam eſſe virtualiter tranſeuntem, & potentem intrinſecè humanitatem immutare.

59. Reſpondebis inſiſtens ſemper in ſolutione *n.* 55. allata, quòd ex poſitione actionis Dei vnitiuæ, ſolùm extrinſecè reſpectu humanitatis ſe habentis, contingere poteſt mutatio intrinſeca in humanitate, quod præter exemplum cognitionis diuinæ ibidem adductum poteſt explicari aliter ex doctrina, *tr. de Eucharistia* adduci ſolita; ibi enim docetur, corpus Chriſti ratione actionis conuerſiuæ, intrinſecè realiter mutari nam cùm de fide ſit, corpus Chriſti verè terminare actionem conuerſiuam panis in ipſum, ſeipſum, vi actionis conuerſiuæ, verè mutatum intrinſecè euadere, ſiquidem ideo aſſerit SS. D. Deum non poſſe terminare actionem aliquam conuerſiuam, quia in ſe immutabilis eſt; ergo qui fide credat, corpus Chriſti veram actionem conuerſiuam terminaſſe, & aliunde SS. D. adhæſerit, tenebitur admittere, corpus Chriſti, ex vi actionis conuerſiuæ, verè intrinſecè mutatum eſſe: at in ſententia communi Thomiſtarum, actio illa conuerſiua nihil intrinſecum producit in corpore Chriſti receptum. Ergo quamuis admittatur, actionem vnitiuam nihil intrinſecum de nouo in humanitate Chriſti receptum produxiſſe, non tenebimur negare prædictam actionem, humanitatem intrinſecè non mutauiſſe.

Sed replicabis: exemplum hoc eſſe eidem liti, cum re, de qua contendimus, ſubiectum; nec enim licèt, rem difficilé per aliam difficiliorem, vel æquè difficilé expendere, potiſſimũ, ſi ratio dubitandi in vtramq; eidem fundamẽto innitatur, vt in exẽplo ſolutionis, & noſtra re venire, cuiq; apparebit. Siquidé æquè inſuperabile eſt cognitu, mutari corpus Chriſti intrinſecè, ex vi actionis conuerſiuæ, abſq; aliquo ſubſtantiali, ab illa in prædicto corpore producto, ac inintelligibile eſt, humanitaté intrinſecè mutari, ex vi actionis vnitiuæ, quin in ipſa aliquid ſubſtãtiale receptũ de nouo talis actio produxerit: quia in illud pariter, ac in hoc, dirigitur tota ratio dubitandi huc vſq; põderata. Illud alterum exẽplũ, quod ex *n.* 55. innuit ſolutio, ex diuina cognitione accerſitũ, ſeipſum diruit; ſiquidem id ſolum eſt propriũ perfectionib. diuinis, quæ quia immutationũ intrinſecarũ ſũt incapaces, ideo de illis, propter ſuã eminentiã, de vno contradictorio in aliud trãſire valẽt; at cũ humanitas ſit mutationis capax, & de facto intrinſecè ex vi actionis vnitiuę mutetur, ſit, inintelligibile eſſe illã hîc & nũc mutatã eſſe intrinſecè, de nouo vnitã verbo, ad eſſe illi vnitã, quin in tali tranſitu aliquid de nouo recipiat, aliàs tãta eminentialis perfectio adſcribi oporteret entitatibus creatis, ac diuinis, quarum celſitudo reſplendet in eo maximè, quòd tranſitum faciant de vno in aliud contradictorium, quin aliquid deperdant, vel acquirant intrinſecum de nouo. 60.

Reſpondebis cum Gippullo, ſolutionem antecedentem ſequuto, & eam hoc exemplo muniente, vbi ſuprà citato. Sufficienter intelligi humanitatem trãſire de non vnita, ad eſſe vnitam verbo, penes hoc, quòd verbum tranſeat de non vnito actualiter, ad eſſe vnitum actualiter, humanitati; cùm igitur verbum eſſe vnitum humanitati nihil aliud ſit, quàm verbum hîc & nunc terminare illam, idipſum quod ſufficit, vt verbum terminet actualiter humanitatem, ſufficiet etiam, vt illud ipſi ſit vnitum. Atqui vt verbum incipiat hîc & nunc humanitatem terminare, ſolùm deſideratur ponere determinationem diuinæ voluntatis id decernentis, nam ex qua parte verbum diuinum eſt ſumma actualitas in ratione terminandi, non eget aliquo nouiter producto, per quod dicatur actu humanitatem termi- 61.

nare:ex qua parte ipſum neceſſariò non terminet humanitatem, ſed liberè, eget decreto libero Dei, quod decernat, vt actu terminet, quo præcisè poſito, ſine alia entitate noniter producta, protinus verbum humanitatem terminabit, & hæc tranſibit de non terminata, ad eſſe terminatam, Hoc ſic explicat, eſſentia diuina, quia ſeipſa eſt ſumma actualitas, quantùm eſt ex ſe, habet rationem ſpeciei intelligibilis, ſed quia actualiter per modum ſpeciei vniri intellectui non conuenit illi neceſſariò, ſed liberè, ideo neceſſarium eſt liberum Dei decretum ſtatuens, quòd vniatur hîc & nunc intellectui per modum ſpeciei impreſſæ, abſque eo, quòd ex vi decreti aliqua noua entitas producatur.

62. Sed replicabis, retrotrahens impugnationem ex dictis *num.* 53. etenim ſi huic ſolutioni fideremus, plura abſurda ſine ſcrupulo liceret admittere: Primum, humanitatem ex vi actionis vnitiuæ, minimè mutari, quod negat, & iure Cippullus. Probo ſequelam, nam illud idem per te, quod ſufficit, vt verbum ſit vnitum, & terminans humanitatem, ſufficit, vt hæc ſit vnita illi, & ab ipſo terminata. At fides monet, quòd vt verbum ſit vnitum intrinſecè humanitati, & illam terminans, non deſideratur, quòd mutetur. Ergo vt humanitas ſit verbo vnita, non egebit mutationem pati. Secundum, eſſe ſuperfluas productiones plurium formarum, ad dandas intrinſecas denominationes ſubiectis mutationum capacibus, quia ad vitandam prolixitatem obiectionum, adeſſet in promptu recurſus ad liberam Dei determinationem decernentis, vt hoc ſubiectum nunc ſic denominetur intrinſecè. Tertium, nam ex doctrina iſta infertur, poſſibilem eſſe, imo de facto dabilem mutationem intrinſecam hîc & nunc exercitam in ſubiecto, aliàs capaci recipiendi formam de nouo productam, quin hîc & nunc illam recipiat. Quod philoſophia non ſenſit vnquam; vel exhibeas, precor caſum.

63. Nec exemplum eſt illi ſuffragium; imo refragatur illi, nam vt vidimus *tom. 2. tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti*, quamuis diuina eſſentia ſeipſa ſine additione gerat munus ſpeciei intelligibilis, quia tamen in tempore tranſit de non eſſe vnitam intentionaliter actu, ad eſſe actu vnitam intentionaliter huic intellectui, & non alteri, & aliunde intellectus ſimilem tranſitum peragit, ideo decretum illud, quo vult Deus nunc vniri actu intentionaliter intellectui iſti, eſt productiuum alicuius entitatis, non quæ in diuina eſſentia recipiatur, ſed quæ intrinſecè recipiatur in intellectu: nam cum ex vi vnionis vnitiuæ diuinæ eſſentiæ, tamquam ſpeciei, non mutetur phyſicè eſſentia, ſed intellectus, ideo actio vnitiua eſſentiæ, eſt productiua luminis gloriæ in intellectu recepti; quia intelligibile eſt, creatum ens tranſiens de vno extremo contradictorio ad aliud, quin mutationem patiatur, quia eo ipſo quòd creatū eſt, capax eſt receptionis alicuius, per quod intrinſecè mutetur: quapropter quidam diſcipuli ſanctiſſimi doctoris concedunt, inter eſſentiam, & intellectum quemdam modum vnionis intentionalis, intrinſecè terminatæ ad eſſentiam, & receptum in intellectu, ex vi actionis vnitiuæ Dei intentionaliter productum; ſed quidquid ſit de hoc, omnes fatentur, actionem illam vnitiuam eſſe ſimul productiuam alicuius entitatis, nempe luminis, ratione cuius verificetur de illo intrinſecus tranſitus de non eſſe, ad eſſe intētionaliter Deo vnitum, vt latiſſimè dicto loco expendemus. Vnde productio luminis in iſto caſu, ſicut productio vnionis hypoſtaticæ in noſtro non deſiderantur, vt eſſentiam diuinam, & verbum conſtituant formaliter in ratione ſpeciei impreſſæ, & in ratione perſonalitatis terminantis: quia iſta munia antecedenter ad productionem illarum conueniunt illis actu quantùm eſt ex ſe; deſiderantur tamen ob mutationes intrinſecas tam intellectus, quam humanitatis, quæ in ipſis reipſa ab Authoribus conceduntur.

Ex his ergo patet veritas reſolutionis tituli ſectionis, nempe vnionem hypoſtaticam, nec realiter, nec formaliter eſſe actionem humanitatis productiuam; imo nec actionem vnitiuam, cùm probauerimus, talem vnionem debere eſſe quemdam terminum productum de nouo ab actione vnitiua, quam eſſe poſteriorem actione humanitatis productiua dedit ſectio prima, ſicque vna vice impugnati manent tam illi, qui cum Bernalio vnionem hanc identificant cum actione, quæ ſimul eſt productiua, & vnitiua humanitatis cum verbo, quàm cæteri, qui rationem formalem vnionis in ipſis partibus componentibus Chriſtum reponunt, agnoſcentes, tanquam conditionem, ipſam actionem vnitiuam, vel liberam Dei determinationem. Nunc argumenta ſingulorum ſumus examinaturi. 64.

Sectio III.

Argumenta ſententiæ identificantis vnionem hypoſtaticam, cum actione humanitatis productiua.

PEtrus Bernal onus ſibi impoſuit defendendi duo; Primum, actionem productiuam humanitatis, eſſe vnitiuam eiuſdem cum verbo. Secundum, eamdem actionem, qua producitur humanitas, eſſe formaliſſimè eiuſdem cum verbo vnionem: atque adeo apud ipſum eadem argumenta, quæ primum probant, ſecundum etiam conuincunt. Arguit primò, vbi ſuprà magna SS. Patrum copia munitus. Sanctus Auguſtinus *in Enchiridio capite trigeſimo ſexto. Nunquid & ille prius vixit filius hominis, & bene viuendo factus eſt filius Dei? Quaſi dicat*, ait Bernal, *minimè verò.* Huius dicti rationem dedit ſanctus Auguſtinus *ibidem, inde incæpit, & ſuſceptione factus eſt.* Vbi clariſſimus eſt ſenſus, ait Author, ſuſceptione factum eſſe filium hominis, tum, quia inde probat Auguſtinus, ante ſuſceptionem non vixiſſe filium hominis. Tum etiam, quia hunc ſenſum eſſe Auguſtini, ipſe ſanctus doctor declarat *libro contra ſermonem Arrianorum capite octauo, ſtatim initio*: vbi ſic: *ipſe namque vnus Chriſtus eſt, & Dei filius ſemper natura, & hominis filius qui ex tempore aſſumptus eſt* 65.

gratiâ

gratiâ, nec ſic aſſumptus eſt, vt prius creatus, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.

66. Reſpondebis, ſanctum Auguſtinum loqui valde materialiter, ſolùm nimirum ſignificando, creationem, & aſſumptionem in eodem inſtanti fuiſſe reali.

67. Sed replicabis cum ipſo *numero nonageſimo nono*, quoniam in proximis verbis formaliſſimè loquitur ſanctus Auguſtinus dè homine, vt homine, ſcilicèt, ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam ſolam aſſumptus eſt. Ergo non eſt cur in aliis, non ſolùm materialem, ſed materialiſſimum ſenſum illi adſcribamus. Secundò, quia ſenſus formalis horum verborum efficaciſſimam continet probationem aſſertionis, ab Auguſtino propoſitæ; ſcilicet, ideo non fuiſſe priùs creatam humanitatem illam, & poſtea aſſumptam, quia per ipſam aſſumptionem creata fuit. Tertiò, quia ſenſus, quem aduerſarij cogitant, non cadit in locutionem illam Auguſtini, vt probatum à ſe relinquit Author. quarò, quoniam illius loci præcipua quæſtio non erat, an Chriſti humanitas priùs tempore producta, quàm aſſumpta fuerit; Auguſtini ſcopus in poſtremis verbis eſt, rationem reddere proximè præcedentium, ſcilicet, *ex tempore aſſumptus eſt gratiâ.* Probat enim Auguſtinus, aſſumptum eſſe gratiâ, & non ex meritis, quia merita debent ſaltem priùs natura præcedere; proinde vt Chriſti humanitas mereretur aſſumptionem, debuiſſet cum ſuis meritis, naturæ ſaltem prioritate, ipſam aſſumptionem præcedere; non autem præceſſit, quoniam humanitatis creatio fuit einſdem aſſumptio. Quæ ſanè probatio validiſſima eſt: infirma verò, quæ diſtingueret humanitatis creationem, & aſſumptionem, vt conſtat in illorum ſententia, qui tuentur, potuiſſe Chriſti humanitatem, per actus priùs tantum natura præcedentes, vnionem iſtam promereri. Alia adducit teſtimonia ex Leone primo, & Ioanne ſecundo, & ex Auguſtino *in ſexta ſynode* citato; ſed potiſſimùm *capite duodecimo ad finem; quoniam iam inde à primo conceptionis momento in ipſo verbo exiſtentiam habuit.* Ex Fulgentio *libro de incarnatione, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vbi dedit hæc *capite ſecundo, in fine. Non accepit conceptam, ſed in ea eſt ipſe conceptus.* Quæ ponderat Author, nam in noſtra ſententia inepta eſſet hæc locutio, quia, quamtumuis humanitas naturâ & tempore præſupponeretur concepta, potuiſſet verbum in ea concipi, ſiue illam ſic terminare, vt verè diceretur Deus, à fœmina fuiſſe conceptus. Apud ſententiam verò authoris, validiſſima eſt ratio Fulgentij, quia ſenſus eſt, fuiſſe verbum conceptum in carne, id eſt, eadem actione, per quam fit caro concepta. Quemadmodum dicimus, peccaſſe in Adamo, ſcilicet eodem actu, quo Adamus. Vnde ſic diſcurſum ſancti Fulgentij format: *Deus qui conceptus à virgine fuit, non accepit carnem conceptam, quoniam ipſe, & caro eadem actione concepti fuerunt.*

68. Præterea, nam idem ſanctus Fulgentius *capite tertio*, habet hæc: *ipſa quippe acceptio carnis fuit conceptio virginalis.* Et paulò poſt, *vna quippe fuit in vtero Mariæ virginis, conceptio diuinitatis, & carnis, & vnus eſt Chriſtus.* Quæ ponderat Author: ſanè concipi carnem, fuit animam, & materiam inter ſe vniri, concipi verò diuinitatem, fuit vniri diuinitatem cum carne: ſi autem vnio materiæ, & animæ inter ſe, non fuit vnitio carnis cum diuinitate, quomodo vna, & eadem conceptio diuinitatis, & carnis.

Reſpondeo inſiſtens in reſolutione, quam dedit *numerus 66.* ſanctorum iſtorum aſſerta intelligenda eſſe de vnitate durationis, qua ſimul humanitas fuit producta, & verbo vnita; nullo modo intelligenda de identitate actionum, quibus fuerit producta humanitas, & verbo vnita. Vnde hæc interpretatio ſumpſerit veritatem, non erit difficile aſſignare ex ipſis ſanctiſſimis Patribus. Etenim Fulgentius ante relata verba ab Authore, habet hæc: *non eſt igitur aliquod interuallum temporis exiſtimandum, inter concepta carnis initium, & concipienda maieſtatis aduentum: vna quippe fuit in vtero Mariæ virginis conceptio diuinitatis, & carnis.* Quare verba vltima, vnitatem inſinuantia, intelligenda ſunt de illa vnitate, temporis ſcilicet, quæ in antecedentibus expreſſerat idem ſanctus, per illa, *non eſt igitur aliquod interuallum temporis* Præterea hunc ſenſum ſuſcipere debere cætera teſtimonia, patet ex Leone, qui confutans eos, qui aſſerebant, animam Chriſti, antequam eſſet verbo vnita, fuiſſe in cælo; aſſerit: *nihil ſecum Dominus de cælo veniens noſtræ conditionis exhibuit, nec animam, quæ anterior extitiſſet; nec carnem, quæ non materni corporis eſſet, accepit.* Ecce mens Leonis; ſicque interpretandum venite S. Auguſt. facilè ſuadet ſimilis materia, de qua in dictis locis contra eundem errorem, ſermonem inſtituerat. Nec vt ſaluetur Aug. aſſertum negans, humanitatem fuiſſe aſſumptam meritis, recurrendum eſt ad identitatem actionum, quibus creata, & aſſumpta ſit; quia etiamſi prioritate naturæ præceſſerit humanitas producta, ſui aſſumptionem à verbo, ad huic negandum eſt, illam de facto ſui aſſumptionem promeruiſſe. de quo t. 2. *tr. de ſpectantib. ad volunt. Chriſti*, diſp. de his, quæ ſibi & aliis promeruit Chriſtus de facto.

Sed replicabis ponderans verba Leonis s. *in epiſt. decretali 11. quæ eſt ad Iulianum longè poſt medium:* Vbi licèt damnet errorem Eutichetis aſſerentis, humanam Chriſti naturam priùs duratione creatam, & poſtea verbo vnitam, tamen ſimul docet prædictam actionum identitatem: verba ſunt hæc, *natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt prius creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Pondera ſic: verba priora damnant errorem Euthichetis, nempe, *non ſic aſſumpta eſt, vt prius creata.* Poſteriora autem edocét talium actionum identitatem, videlicet, *ſed vt ipſa creatione crearetur;* imo vt haberetur ratio efficax illius dogmatis contra hæreſim citatam, aſſignauit ſanctus Leo identitatem talium actionum; etenim ſi Chriſti humanitas creata fuit ipſa aſſumptione, neceſſe eſt, eius aſſumptionem, creationem; & eius creationem, aſſumptionem extitiſſe: nec illius dogmatis poterant adducere Catholici rationem æquè efficacem, & conſpicuam 70.

adiungere dicendo, non fuiſſe naturam illam priùs creatam, quàm aſſumptam, quoniam ipſius creatio, eiuſdem aſſumptio fuit: cùm ſit certum, non poſſe eamdem ſeipſam reali duratione præcedere.

72. Reſpondebis eamdem ſolutionem incæptam proſequens: Sanctiſſ. Doctorem & ſimul Auguſtinum, ex quo talia verba Leo decerpſit, eò talia verba attuliſſe, vt in totū errorem Eutich. euerterent; & non amplius intendiſſe, & licèt Verborum cortex innueret identitatem actionum illarum; tamen illam minimè aſtruxerunt; Mos enim eſt apud Sanctos, qui ab erroribus hæreticorum aliena contendunt, in eorumdem errorum partem magis ab ipſis diſtantem animum noſtrum intorquere: ſicque à contagio magis liberos aſtruant. Cumque identitas prædictarum actionum magis recedat ab hæreſi Eutichetis, quàm alia quæuis ratio, ideo vſi fuerunt Sanctiſſ. Patres verbis denotantibus actionum iſtarum identitatem; non quòd ſic rem contigiſſe præſumant, Tum quia illis præſens diſputatio de diſtinctione, Vel de actionum identitate non fuit ſoluta. Tum etiam, quia, vt Catholici haberent ſufficientem rationem, qua veritatem dogmatis contra Eutichetem tuerentur, ſatque ſuperque aderat ea, quam ex Sanctiſſimo Doctore *ſectione prima*, ponderauimus, quæ efficaciter conuincens diſtinctionem iſtarum actionum ſimul probat ſimultatem temporis eas menſurantis. Tum etiam, quia identitas illarum eſt medium inutile ad conuincendum Eutichetem, ſiquidem poterat hic reſpondere, prædictas actiones hîc & nunc eſſe diſtinctas, & vt id defenderet, poterat muniri rationibus, quibus Authores Catholici earum diſtinctionem efficaciter conuincunt. Tum denique, quia verba illa; *ſed ut ipſa aſſumptione crearetur* minimè tales actiones identificant. Nam ſimilibus vſus eſt Bernardus *ſermone ſecundo de natiuitate Domini ad calcem*, vbi diſſerens de anima rationali habet hæc: *Non ex deliberatione propria carni miſcetur, ſed creando immittitur, immittendo creatur.* Certiſſimum enim apud Doctores frequenter, creationem animæ rationalis realiter differre ab eius immiſſione, ſiue vnione ad materiam: atque adeo verba illa Bernardi, *creando immittitur, immittendo creatur*, ſolum denotant, creationem animæ & ipſius vnionem cum materia eidem reali inſtanti temporis coexiſtere. Sic in præſenti de Leonis verbis diſcurrendum præſumo.

73. Replicabis, latiſſimum diſcrimen verſari inter locutionem Leonis, & Bernardi; nam iſte vtitur his vocibus *creando, & immittendo*, quæ quidem ſunt gerundia finita in, *do*, & ſignificant tempus, & ſic optimè loquitur Bernardus, vt loqueretur, qui diceret, *Petrus videndo currit, & currendo videt*, nam faceret hunc ſenſum verum, dum videt Petrus, currit, & dum currit videt. At verò Leonis verba, non ſolùm identitatem temporis, ſed & actionum denotant, vt ponderanti erit conſpicuum.

74. Reſpondebis, replicam hanc nimis grammaticalem, & nominalem: quapropter vtrobique quoad rem ſignificatam, eadem venit interpretatio, potiſſimùm cùm oſtenſa ſit ſuprà *ſect.* 1. diſtinctio realis inter actiones creatiuam & humanitatis vnitiuam ſicut eadem reperitur inter actiones videndi, & currendi. Quare ambo SS. teſtimonia interpretanda ſunt de identitate temporis; tametſi ſanctus Bernardus in modo loquendi magis illam expreſſerit, quam ſanctus Leo.

Arguit primò Bernal ratione §. 4. *n.* 76. Per nos, & eſt commune apud Authores, humanitas pendet à verbo tanquam à ſuſtentante, ſed hoc eſſet falſum, ſi productio humanitatis non penderet eſſentialiter à verbo, tanquā ab extremo vnibili. Ergo productio humanitatis ſic à verbo pendet. Minor patet; nam ſi conſeruatio materiæ, & productio animæ, & productio vnionis ipſas inter ſe coniungentis, nec ſunt vnio formaliter cum verbo, nec ex natura ſua petūt vnionem ſuorum terminorum cum verbo, planè ſunt actiones omnino independentes a verbo. Ergo etiam ipſarum termini: atque adeo tota humanitas ex illis coaleſcens: ergo nullam cum proprietate dicetur, illa humanitas pendere à verbo, & dependere ab illo tanquam à ſuſtentante. 75.

Reſponde concedens maiorem, & nega minorem, vel diſtingue illam: ſi productio humanitatis non penderet eſſentialiter à verbo, tanquam ab extremo vnibili, immediatè, & ratione ſui, nega minorem; mediatè ratione termini actionis vnitiuæ, cum qua connectitur, concede minorem, & nega, vel diſtingue ſimili modo conſequens. Ad probationem minoris, reſponde, ex dictis *ſect.* 1. *num.* 27. actionem productiuam humanitatis ex ſe abſtrahere ab actione productiua propriæ ſubſiſtentiæ, & vnitiua cum aliena; at ſi conſideretur ſecundùm ea, quæ neceſſariò hîc & nunc connotat, inuoluit dependentiam eiuſdem humanitatis à verbo, quia hîc & nunc connectitur pro poſteriori cum vnione, quæ eſt terminus actionis vnitiuæ cum verbo, cum qua actio productiua humanitatis hîc & nunc connectitur. 76.

Sed replicabis; ex hac ſolutione deducitur, quòd licet humanitas ſecundùm ſuam entitatem, hoc eſt, ex meritis productionis ſuæ entitatis à verbo non pendeat, tamen ipſa humanitas, vt ſubſiſtens, eſſentialiter dependet à verbo: At hoc non ſufficit, vt humanitas dependeat à verbo tanquam à forma ſuſtentante. Ergo vel dicendum eſt, humanitatem, ex vi ſuæ productionis immediatè pendere à verbo, tanquā ab extremo vnibili; vel negandū abſolutè, humanitatem pendere à verbo, tanquam à ſuſtentante. Probatur minor, non minùs verbum conſtituitur in eſſe hominis per humanitatem, ac humanitas conſtituatur ſubſiſtens per verbum. At hoc non ſufficit, vt verbum dicatur aliquo modo dependens ab humanitate. Ergo nec illud ſufficiet, vt humanitas dicatur pendere à verbo. 77.

Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Ratio diſpar ſumitur ex diuerſo modo, quo humanitas per Verbum ſubſiſtens redditur ab eo, quo Verbum per humanitatem redditur homo. Humanitas enim conſtituitur ſubſiſtens per Verbum, tamquam per id, quod humanitatem 78.

tatem complet in eſſe: Verbum verò conſtituitur in eſſe hominis per humanitatem, tamquam per aliquid minimè Verbum complens in eſſe, quapropter humanitas, licèt ex meritis propriæ ſuæ productionis, non dependeat à Verbo, tamen, quia talis productio hic & nunc ſecum inuoluit actionem vnitiuam humanitatis cum Verbo, tamquam cum aliquo complente humanitatem in eſſe, ideo adeſt ratio ſufficiens ad ſaluandam dependentiam humanitatis cum Verbo. Cùm autem id in Verbo reſpectu humanitatis non reperiatur, hinc fit, Verbum minimè ab humanitate pendere.

79. Sed replicabis, negato ſemel, humanitatem ex meritis ſuæ productionis dependere à Verbo, non adeſt ratio, quare dicatur humanitas pendere à Verbo. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo. Ratio, quæ aſſignatur, eſt, humanitatem fieri ſubſiſtentem per Verbum, tamquam per complens eſſe humanitatis. Sed hæc non ſufficit. Ergo. Minorem probo: etiam humanitas Petri fit ſubſiſtens per ſuam propriam ſubſiſtentiam, ſuum eſſe complentem, At hoc non ſufficit, vt humanitas pendeat à propria ſubſiſtentia. Ergo humanitatem Chriſti fieri ſubſiſtentem per Verbum, tamquam complens illius eſſe, non ſufficiet, vt humanitas dependeat à Verbo. Probatur minor: Nam compleri naturam per ſubſiſtentiam propriam, arguit potiùs iſtam indigere illa, quàm è contrà. Ergo non arguit dependentiam illius ab iſta. Antecedens patet, ſiquidem natura eſt cauſa propriæ ſubſiſtentiæ Ergo naturam compleri per ſuam ſubſiſtentiam, arguit indigentiam iſtius ab illa, non huius ab iſta. Ergo cùm Verbum ſubſtituatur loco ſubſiſtentiæ propriæ, etſi compleat humanitatem, in hac ab illo nullam dependentiam importabit, ſi ſemel negatur, quod productio humanitatis ſit formalis, & immediata dependentia, & vnio humanitatis cum Verbo.

80. Reſpondeo notans actionem productiuam naturæ cuiuſlibet, pendere eſſentialiter ab actione productiua propriæ ſubſiſtentiæ; nam eamdem dependentiam habent actiones inter ſe, qualem agnoſcunt termini illis correſpondentes. At humanitas, quæ eſt terminus actionis productiuæ, dependet eſſentialiter hic & nunc à ſubſiſtentia vagè ſumpta, bene ex eo infertur, quòd actio productiua naturæ dependeat ab actione productiua ſubſiſtentiæ. Quòd natura dependeat in ſuo eſſe à ſubſiſtentia, pluribus validari poteram, ſi calamus ad alia non deflecteretur; breuiter tamen oſtenditur; quia natura ſubſiſtentiam exigit, tamquam complementum ſui in eodem genere ſubſtantiæ, atque adeo ſine illa natura non eſt in ſuo eſſe eſſentialiter ſubſtantialiter completa. Ergo in aliquo genere pendebit ab illa natura. Nunc in forma: nego antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem nego antecedens: ad probationem, nego antecedens (per quod occurritur replicæ tacitæ, nempe cauſam nullo modo pendere poſſe à ſuo effectu) ratio, quia ſubſiſtentia ab eodem agente, à quo natura, quam complet, habet eſſe, producitur: ſiquidem virtus illa producens rem producere debet eius complementum ſubſtantiale: Hoc patet in accidente, in quo eius inhærentia, quæ eſt illius complementum, producitur ab ipſo agente, à quo tale accidens fit. Vnde etiamſi negemus humanitatem ex vi ſuæ productionis formaliter à Verbo dependere, non obligamur negare, ipſam abſolutè dependere à Verbo ex vi vnionis, quæ eſt terminus actionis vnitiuæ, connexæ eſſentialiter hic & nunc cum actione humanitatis productiua.

81. Secundò arguit Bernal citatus *n* 81. Nã creatio animæ Petri, ideo eſt propria illius animæ ſubſiſtentia, quoniam eſt ſubſtãtialis productio illius independens à ſuppoſito, Ergo vt creatio animæ Chriſti non ſit propria illius ſubſiſtentia, neceſſe eſt, ſit actio pendens à ſuppoſito, & proinde à ſuppoſito diuino; cùm in Chriſto non ſit humanum ſuppoſitum. Tunc ſic: eſt actio pendens à ſuppoſito diuino. Ergo eſt vnio ſui termini cum illo. Patet conſequentia. Tum, quia ſtante huiuſmodi actione, & quocumque alio ſublato, non poteſt eius terminus non eſſe connexus phyſicè, & vnitus cum ſuppoſito diuino. Tum etiam, nam actio pendens eſſentialiter à ſubiecto, eſt realis, ac phyſica vnio ſui termini cum eodem ſubiecto.

82. Reſpondeo. Antecedens ſupponere doctrinam falſam, vt latè *tractatu primo, diſputatione prima, dubio vnico, ſectione ſeptima per totam* dedimus: Rurſum, non bene infertur, actio humanitatis productiua eſt pendens à ſuppoſito diuino. Ergo eſt formaliter eius vnio cum illo; ſiquidem productio humanitatis ſolum eſt pendens mediatè à diuino ſuppoſito, quatenus hic & nunc eſſentialiter connectitur cum actione vnitiua, quæ dependens eſt à ſuppoſito diuino immediatè ſaltem effectiuè, quatenus immediatè producit vnionem, quæ formalis eſt dependentia humanitatis à Verbo, in genere cauſæ formalis hypoſtaticæ, ſiquidem vnio hypoſtatica, non ſolùm eſt copulatiua humanitatis cum perſonalitate diuina, ſed etiam & completiua eiuſdem; nam cùm ſuccedat loco ſubſiſtentiæ propriæ, à qua humanitas completur in eſſe, non ſolùm debebit copulare, ſed etiam debet eſſe via ad ſubſtantiale complementum; quod mediante vnione humanitas à Verbo recipit; ex quo fit, quòd humanitas pro illo priori, pro quo non intelligitur terminans actionem vnitiuam, nullo modo intelligitur immediatè dependens à Verbo: quia tunc non eſt terminus incarnationis; ratio, nam tunc ſolùm dicitur terminus productus, non tamen terminus, vel extremum vnitum, ratio, quia vſque dum pro poſteriori intelligitur incarnatio, humanitas non ſubit denominationem extremi vniti, quia formalis hæc denominatio aduenit ei ab vnione, quæ eſt terminus incarnationis; ratio, quia, vt ſuprà diximus *ſectione prima*, ſicut ſubſiſtentia diuina ſuccedit loco ſubſiſtentiæ propriæ, ita incarnatio, quæ eſt via ad recipiendam ſubſiſtentiam Verbi, ſuccedit loco productionis ſubſiſtentiæ propriæ. At productio propriæ ſubſiſtentiæ non eſt productio huma-

nitatis, ſed ſolius ſubſiſtentiæ; ſiquidem productio humanitatis eſt creatio, productio verò ſubſiſtentiæ eſt eductio; eſt enim actio dependens à ſubiecto, nequit enim actio eadem eſſe ſimul creatio, & eductio, atque adeo non poterit productio ſubſiſtentiæ propriæ, eſſe productio humanitatis, & conſequenter nec incarnatio poterit eſſe humanitatis productio, cùm incarnatio ſit eductio vnionis hypoſtaticæ ex potentia obedientiali humanitatis, quæ eſſentialiter debet ſupponere ipſam humanitatem productam. Ergo vſque dum intelligatur pro poſteriori vnio hæc educta ex potentia obedientiali humanitatis, hæc non intelligetur, vt extremum formaliter vnitum. Ergo nec vt formaliter dependens à Verbo. Ergo in illo priori humanitas formaliter, & immediatè ex vi, & ex meritis ſuæ productionis non eſt formaliter dependens poſitiuè à Verbo, nec poſitiuè independens ab illo, ſed ab vtroque pro illo priori abſtrahit.

83. Ad illud, quod in impugnationem horum adducit, nempe, quòd ſtante huiuſmodi actione, & ſublato quouis alio, non poteſt eius terminus, videlicet humanitas, non eſſe vnitus cum Verbo diuino: Reſpondeo ex nuper dictis eſſe falſum, nam ſublata actione incarnatiua pro poſteriori, non poſſet actio illa, primò humanitatis productiua, humanitatem reddere Verbo formaliter vnitam, ſeu à Verbo dependentem, vt numerus antecedens dedit.

84. Ad illam alteram probationem, Reſpondeo etiam ſupponere falſum, nempe actionem productiuam accidentis dependentis à ſubiecto, eſſe formaliter vnionem illius cum ſubiecto. Siquidem penitus euertit modum actualis inhærentiæ in facto eſſe, realiter diſtinctum ab entitate accidentis, & ab actione eius productiua: quod communiter edocent Authores; & iure, à paritate ſubſtantiæ; ſiquidem in hac, præter ſuam entitatem, in potentia eſſendi per ſe conſiſtentem, datur alius modus, qui dicitur ſubſiſtentia, vt in facto eſſe reddatur ſubſtantia ſubſiſtens formaliter, vt dedimus *tractatu primo citato ſuprà*. Ergo ſimiliter in accidente poſitum ſumus alium modum, qui inhærentia ſit, ratione cuius accidens dicatur in facto eſſe formaliter à ſubiecto dependens, cùm eius entitas conſiſtat in potentia dependendi à ſubiecto inhæſionis, ſiquidem non minùs inhærentia exercita, & in facto eſſe eſt complementum accidentis, ac modus ille ſubſiſtentiæ dicatur complementum ſubſtantiæ: nam vtriuſque eſſentia conſiſtens in poteſtate ad eſſendum per ſe, & ad eſſendum in alio, complebitur perfectè per modos actualiter illas reddentes, ſubſiſtentem vnam per ſe, & aliam exiſtentem in alio.

85. Ruſum, nam non bene arguitur, actio productiua accidentis, eſt actio rei dependentis à ſubiecto. Ergo actio illa eſt formaliter vnio illius cum ſubiecto. Sicut non bene arguitur: actio productiua ſubſtantiæ eſt actio productiua rei independentis à ſubiecto: Ergo eſt actio illa vera ſubſiſtentia illius, vt latiſſimè dedimus *citato loco* contra eumdem Bernalium. Ergo ſicut præter actionem productiuam ſubſtantiæ, damus modum quemdam, illam in facto eſſe reddentem formaliter independentem ab alio, tamquam à ſuppoſito alieno: ita præter actionem, accidens producentem, conceſſuri ſumus modum, reddentem formaliter, & in facto eſſe illud accidens à ſubiecto dependens.

86. Sed replicabis: actio productiua accidentis eſt actualis dependentia accidentis à ſubiecto. Ergo eſt formalis vnio, vel inhærentia illius cum ſubiecto. Conſequentia patet, quia vnio hypoſtatica in noſtra ſententia eſt formalis dependentia humanitatis cum Verbo, intulimus dandum eſſe modum qui formalis vnio ſit humanitatis cum Verbo. Antecedens probo actio productiua accidentis eſſentialiter eſt eductio. Ergo ſeipſa eſt actualis dependentia accidentis à ſubiecto. Conſequẽtia patet, creatio eſt formalis independentia termini à ſubiecto. Ergo ſi productio accidentis eſt illius eductio, debet eſſe formalis dependentia accidentis à ſubiecto. Patet conſequentia: nam creatio, & eductio eſſentialiter diſtinguuntur. Ergo debent conſtitui per conceptus eſſentialiter diſtinctos. Ergo ſi creatio conſtituitur per hoc, quòd ſit formalis independentia termini à ſubiecto, ita productio accidentis, cùm ſit illius eductio, conſtitui eſſentialiter debet per hoc, quod ſit formalis dependentia accidentis à ſubiecto. Ergo cùm hîc, & nunc productio humanitatis Chriſti ſit productio rei dependentis à Verbo, erit ſaltem quaſi ſupernaturalis eductio, & eductionis moneri aſſimilabitur, Ergo ſeipſa erit actualis dependentia humanitatis à Verbo; atque adeo eius vnio cum illo.

87. Reſpondeo ex dictis *tractatu primo citato numero* 150. diſtinguendo maiorem, actio productiua accidentis eſt actualis depẽdentia illius à ſubiecto, formaliter realiter, nego; realiter connexiuè concedo. Et nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo ipſa eſt actualis dependentia accidentis à ſubiecto, ſeipſa, hoc eſt formaliter, & quouis alio ſublato, nego. Seipſa, hoc eſt, connexiuè, concedo conſequentiam. Ad probationem conſequentiæ, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo ſi actio productiua accidentis eſt illius eductio, debet eſſe formalis dependentia à ſubiecto, formalis, hoc eſt, ſe ſola, omni alio ſemoto, nego conſequentiam, formalis, hoc eſt, ſeipſa eſt connexa, cum quo eſt formalis dependentia accidentis à ſubiecto, do conſequens. Ad probationem conſequentiæ concedo antecedens, & primam conſequentiam, & diſtinguo ſecundum conſequens ſub eadem diſtinctione, qua cætera diſtinxi: quaque diſtinctione es vſurus ad tertiam conſequens, & negabis vltimam. Vnde eo ipſo, quòd defendamus, accidentis complementum eſſe diſtinctum realiter ab eius entitate, ſicut contingit in complemento ſubſtantiæ; tenemur defendere pari modo diſtinctas actiones correſpondere debere entitati accidentis, & eius complemento, nempe innocentiæ, ſicut id ipſum profitemur de productione ſubſtantiæ, & eius complemento, quod

ſubſi

ſubſiſtentia eſt. Vnde ſicut productio ſubſtantiæ, ſeipſa formaliter, & ſecluſa alia actione non eſt formalis independentia illius ab alieno ſuppoſito; ita nec productio accidentis, ſeipſa, & ſecluſa quauis alia actione eſt formalis dependentia illius à ſubiecto: & tandem, ſicut, pro poſteriori naturæ, adueniente actione productiua ſubſiſtentiæ intelligitur ſubſtantia formaliter à ſuppoſito independens; ita adueniente, pro poſteriori naturæ, actione productiua inhærentiæ, intelligetur accidens formaliter à ſubiecto dependens. Itaque fateor actionem accidentis productiuam eſſe eſſentialiter diuerſam à creatione, ſed hæc diſtinctio ſufficienter ſaluatur, penes hoc, quòd creatio, nec ſeipſa ſit ſui termini formalis dependentia à ſubiecto, nec ſeipſa exigat aliquid, quod ſit ſui termini à ſubiecto dependentia; at eductio, licèt ſeipſa formalis dependentia non ſit à ſubiecto, in quo cum creatione conuenientiam habere videatur, tamen ſeipſa exigit ſibi comitem, pro poſteriori, actionem aliam, nempe productionem inhærentiæ, quæ eſt formalis dependentia à ſubiecto.

88. Tertiò arguit *num.* 82. entitas, quæ naturaliter eſt in alio, per eamdem actionem, qua fit, vnitur illi. Ergo entitas, quæ ſupernaturaliter eſt in alio, vt Chriſti humanitas eſt in Verbo, per eamdem actionem producitur, & vnitur cum illo. Sed obiectio hæc ruit, negato antecedenti, cuius rationem dedit numerus antecedens.

89. Quartò arguit *num.* 83. Res illa, quæ naturaliter eſt in alio, nempe quantitas, aut albedo, ſeu quoduis aliud productum accidens, per eamdem actionem ſupernaturaliter producitur, & exiſtit ſupernaturaliter per ſe. Ergo res, quæ naturaliter exiſtit per ſe, qualis eſt humanitas, per eamdem actionem producitur, & exiſtit ſupernaturaliter in alio. Conſequentiam probat primò, quia oppoſitorum eadem eſt ratio. Secundò quia numquam diſcrimen aſſignabitur; res enim, quæ naturaliter eſt per ſe, non magis extrahitur à ſuo connaturali modo exiſtendi, dum fit exiſtens in alio, quam res, quæ naturaliter eſt in alio, extrahatur à ſuo connaturali modo exiſtendi, dum fit exiſtens per ſe. Ergo ſi hac, nimirum euchariſtica albedo, per eamdem actionem, qua producitur, exiſtit per ſe, ſanè illa, nempe Chriſti humanitas, per eamdem actionem, qua producitur, exiſtit in alio.

90. Confirmat hoc *num.* 84. in probationem eiuſdem conſequentiæ primæ, in accidente ſeparato, verbi gratià in albedine panis conſecratione deſtructi, vel vltra creationem ipſius conſeruatiuam, requiritur alius modus ad complendam albedinem, vel ad eam reddendam independentem à ſubiecto, vel ad vtrumque munus. Nihil horum dici poteſt, nam ſi admittitur doctrina Vaſquij, cùm naturalis productio accidentis ſit eiuſdem inhærentia, fit, quòd ſi albedo complementum à ſe diſtinctum requirit, complebitur ſufficientiſſimè per inhærentiam, atque adeo per actionem, qua naturaliter producitur dependenter à ſubiecto, & in ſubiecto. Ergo ſimiliter complebitur per ipſam actionem, qua ſupernaturaliter producitur independenter à ſubiecto, ſiue extra ſubiectum: eamdem vim habet probatio hæc in quauis ſententia; Vnde in albedine illa Euchariſtica, ſolùm poteſt deſiderari modus diſtinctus ab ipſa albedine, & eius creatione conſeruatiua, vt illam redderet independentem à ſubiecto. At ad iſtum effectum eſt omnino ſuperfluus talis modus, diſtinctus à creatione, & termino. Ergo talis albedo præcisè, ratione creationis conſeruatiuæ illius, eſt independens à ſubiecto. Ergo dum naturaliter exiſtit, præcisè ratione eductionis, à qua fit, à ſubiecto dependebit.

Reſpondeo primò, negando ſuppoſitum antecedentis, quatenus aſſerit, actionem illam, qua Euchariſtica quantitas conſeruatur ſeparata, eſſe ſupernaturalem creatiuam; ſiquidem eadem actione eductiua numero, qua conſeruabatur in proprio ſubiecto, tametſi illi tunc coniungatur alia actio productiua modi vnionis ſuſtentatiuæ, qua ſuſtentetur à corpore Chriſti abſque inhærentia: Atque adeo antecedens illud duobus à veritate deuiat. Primùm, quatenus defendit, actionem conſeruatiuam quantitatis ſeparatæ eſſe creatiuam. Secundùm, quatenus negat modum ſuperadditum quantitati, vi cuius formaliter reddatur independens à ſubiecto. 91.

Secundò reſpondeo negans idem antecedens, etenim iuxta mentem Caietani *in hac 3. part. quæſt.* 77. *art.* 1. & Ferraræ 4. *contra gent. cap.* 66. quos ſequuti ſunt Suarez *diſp.* 56. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 184. *cap.* 2. Coninch 3. *part. quæſt.* 77. *art.* 1. *dub.* 1. & 2. ſatis probabiliter defenditur, duplicem mutationem fieri in quantitate Euchariſtica, vnam ex parte actionis, variata eductione, qua antea conſeruabatur in ſubiecto, in creationem, qua conſeruatur extra ſubiectum, alteram ex parte modi tribuentis quantitati eſſe per ſe, ſimilis modo, quo ſubſtantia per ſubſiſtentiam exiſtit per ſe. Iuxta modum iſtum dicendi, falſum eſt illud antecedens quoad vnum, nempe quantitatem Euchariſticam formaliter reddi independentem, & exiſtentem per ſe, ex vi actionis creatiuæ, ſecluſo omni alio ab ipſa in quantitate producto; Hoc inquam antecedenti negato, tota vis argumenti perit; fateor, admiſſo illo vim efficacem habere eius conſequentiam, vt bene eius probationes cum confirmatione demonſtrant. 92.

Quintò arguit Bernal. *n.* 85. ex commodis, iiſque cedentibus in multiplex decus, tum Beatiſſimæ Mariæ, tum etiam Chriſti. Nam imprimis in opere, ſeu miniſterio incarnationis, peculiarem habebit dignitatem actio Deiparæ, ſi nullo modo, vel in nullo ſigno, intelligatur tetendiſſe ad vniendas inter ſe materiam, & formam, niſi iam infinitè ſanctificatas, & deificatas, ſeu Verbo vnitas. At in opinione, quam ipſe Bernalius defendit, id euidentiſſimum eſt, ita vt à nemine negari poſſit, quod in noſtra ſententia non contingit, cùm dicamus, priùs natura fuiſſe partes humanitatis vnitas inter ſe, quàm cum Verbo; in ſententia autem Bernalij productio partium illarum eſt earumdem vnio cum Verbo, proinde maximè neceſſariò præcedens ipſarum vnionem 93.

nem inter ſe. Ergo in hac ſententia, pluſquam in omni alia; imo in hac ſola clariſſimum eſt, actionem Beatæ Mariæ eam habuiſſe dignitatem, vt in nullo ſigno, nulloque modo, conſiderari poſſit, eas vniuiſſe partes inter ſe, niſi iam infinitè ſanctificatas, & ipſa Deitate perfuſas.

94. Reſpondeo, bene compati in noſtra ſententia, diſtinguente actionem productiuam humanitatis, ab actione eiuſdem vnitiua, & ipſa vnione, quòd priùs fuerint vnitæ Verbo, quàm inter ſe fuerint vnitæ partes, Chriſtum componentes; in hoc enim, quæ repugnantia? Itaque aliud eſt, loqui de prioritate vnionis partium ad Verbum, reſpectu vnionis partium inter ſe, & aliud de prioritate productionis partium, reſpectu vnionis ad Verbum: dicimus ergo, quòd partes humanitatis priùs prioritate naturæ fuerunt in ſe productæ, quàm fuerint Verbo vnitæ; quod neceſſe eſt dicere in ſententia noſtra, diſtinguente actionem productiuam illarum, ab actione earumdem vnitiua. At cum hoc bene componitur, quòd ipſæ partes, tum, vt productæ, tum etiam, vt vnitæ Verbo præcedant pro priori naturæ vnionem, qua influente Maria Sanctiſſima, copulantur prædictæ partes inter ſe. Quare ſic æquali euidentia fit, Virginem Mariam, producentem vnionem partium inter ſe, vniuiſſe partes, quæ antecedenter præceſſerant infinitè ſanctificatæ, & deificatæ. Vnde Beata Maria partes pro priori naturæ vnitas Verbo, & in illo ſubſiſtentes copulauit inter ſe, quod deſiderabatur & ſufficiebat, vt de illa verificaretur, genuiſſe hominem Deum, ſicut in ſententia Bernalij vnire materiam, & formam naturalem ſubſiſtentes priùs natura, eſt idem, ac purum compoſitum naturale gignere, & hominem generare.

Sectio IV.

Argumenta identificantium vnionem hypoſtaticam cum entitatibus Verbi, & humanitatis.

95. ARguit primò Cippullus *quæſtione ſecunda, articulo octauo, dubio ſecundo, §. 3. numero ſexto*, non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate: at nulla eſt neceſſitas ponendi huiuſmodi modum ſubſtantialem, ad vniendam humanitatem cum Verbo. Ergo, &c. Minorem probat exemplo vnionis animæ rationalis cum corpore; ſiquidem animus noſter, & materia ſeipſis vniuntur abſque modo ſuperaddito. Ergo & Verbum, & humanitas ſine alterius modi interuentione copulabuntur. Antecedens probat §. 4, *num.* 16. Etenim ſi vltra entitates, materiæ, & formæ ponendus eſſet prædictus modus, vel hic eſſet ſimplex, vel duplex, vnus ſcilicet in anima, & alter in materia. Neutrum poteſt dici. Ergo, &c. Probo minorem quoad vltimam partem; quia hic modus ponitur nexus, & vt vinculum duorum extremorum, & vnit extrema, quorum eſt vnio. Ergo vnus ſufficeret ad ea copulanda. Secundò, nam inintelligibile eſt, quòd materia intelligatur vnita formæ, & quòd hæc eo ipſo non intelligatur vnita, Et è contrà: ſicut eſt impoſſibile, quòd vnum extremum ſit alteri indiſtans loco, & quòd alterum ipſi ſimiliter non ſit loco indiſtans. Explicat hoc, vel modus, qui in materia eſt, vnit eam animæ, vel non. Si hoc; Ergo eadem ratione nec modus ille vnionis, qui in anima eſt, vniet illam cum materia: & ſic etiam nec cum vtroque modo vnionis manebunt anima, & materia vnitæ. Si dicas primum, nempe vnionem in materia exiſtentem vnire illam cum anima. Ergo ad talem vnionem omnino ſuperfluet alter modus vnionis, ſe tenens ex parte animæ. Ergo modus vnionis materiam, & formam vniens non poteſt eſſe duplex. Ecce vna pars illius minoris probata. Secundam probat, nempe, quòd talis modus ſit vnus & ſimplex, Nam vel hic modus eſt receptus in materia præciſè, vel in anima præciſè, vel in vtraque ſimul. Non primum, neque ſecundum, quia non eſt maior ratio, quare ſit in materia, & non in anima, vel è contrà, cùm non magis materia vniatur animæ, quàm anima materiæ, & è contrà. Neque tertium; quia aliàs talis modus ſimul eſſet corporeus, materialis & ſpiritualis, nam ſecundùm quòd eſſet in anima, quæ eſt ſpiritualis, eſſet ſpiritualis, eo quòd modus debeat proportionari cum re, cuius eſt modus, ſecundùm verò quòd eſſet in materia, dependeretque ab illa in eſſe, & fieri, eſſet materialis. At implicat, quòd eadem ſimplex entitas, vel modus, ſimul ſit ſpiritualis, & materialis, incorporeus. Ergo, &c.

Reſpondeo primò concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem quoad ſecundam partem. Ad eius probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo vnus ſufficeret ad ea copulanda, vtcumque, concedo: perficiendo illa, nego. Ad ſecundam impugnationem, diſtinguo illud aſſertum, inintelligibile eſt, quòd materia vniatur formæ, & quòd hæc illi vnita non ſit, vtcumque, concedo, ita vt hæc intelligatur vnita media ſubiectiua perfectione, nego. Ad explicationem iſtius aſſerti. Reſpondeo, modum illum vnionis, qui eſt in materia, vnire illam animæ ſolùm intrinſecè terminatiuè; itaque vnio illa, quæ eſt in materia, eam, & animam vnit, ſed aliter, ac aliter, materiam, illam perficiendo, & ei intrinſecè inhærendo, & ſolùm terminatiuè intrinſecè animam cum materia copulare. Rurſum vnio, quæ eſt in anima, illam & materiam coniungit cum eadem differentia aſſignata, animam intrinſecè immutando, materiam adhæſiuè terminando. Ratio vtriuſque, nam quidquid mutatur, & perficitur intrinſecè, quod immutat, & perficit, debet hærere ei, quod per illud mutari, & perfici dicitur: ergo vt per vnionem anima, vel materia mutetur, debet in qualibet recipi: cùmque modus vnus accidentalis nequeat in vtraque recipi, quia ſi ſpiritualis eſt, in materia eſt irreceptibilis, & ab illa ineducibilis, ſi corporeus, 96.

poreus, nequit recipi in anima, nec ab illa educi: fit, neceſſariò conſtituendum duplicem vnionis modum inter materiam, & formam, præſtantem illa munia nuper explicata. In noſtro caſu; vnam vnionem ſufficere, quæ humanitati inhæreat, & quaſi adhæreat Verbo, mutabilitas humanitatis, & Verbi immutabilitas exprimant.

67. Reſpondeo ſecundò concedendo ſimiliter maiorem, & negando minorem, ad probationem, nego antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem quoad primam partem. Ad eius probationem; aſſero vnionem illam recipi ſolùm in materia. Ad impugnationem huius reſpondeo, maiorem rationem dari, quare in materia, & non in anima rationali recipiatur, & eſt materialitas vnionis & ſi petatur ratio, quare talis vnio ſit materialis, & non ſpiritualis, in promptu eſt, quia talis vnio eſt effectus generantis materialis, atque adeo ex potentialitate materiæ eductus. Vnde talis vnio eſt in materia, tamquam in ſubiecto inhæſionis, in anima rationali tamquam in ſubiecto denominationis, & nihil amplius ratio huius Authoris deuincit. Similiter in præſenti, vnio humanitatem, tamquam ſubiectum inhæſionis reſpicit, Verbum verò, quaſi vt ſubiectum denominationis, contuetur.

68. Sed replicare poteris cum Authore iſto: humanitas poteſt vniri cum diuino Verbo abſque aliqua vnione in ipſa recepta. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probat: per nos Verbum vnitur humanitati ſine vnione in ipſo recepta. Ergo & humanitas: Probat conſequentiam, non minùs intrinſecè Verbum humanitati vnitur, quàm hæc illi. Ergo vel ex parte vtriuſque debet dari vnio in quolibet recepta, vel in neutro.

69. Reſpondeo negans antecedens, ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo antecedens, non minùs Verbum vnitur humanitati, quàm hæc illi, præcisè quoad denominationem vniri, concedo: quoad denominationem ſimul & mutationem, nego antecedens; & nego conſequentiam. Sicut non valet. Deus de nouo inhabitat animam iuſti ſine aliquo in ipſo recepto. Ergo & anima iuſti de nouo denominatur inhabitata à Deo ſine aliquo in ipſa recepto. Non valet; nec bene arguitur: Deus de nouo intrinſecè intentionaliter denominatur vnitus intellectui per modum ſpeciei intelligibilis, ſine aliquo in ipſo recepto intrinſecè. Ergo intellectus denominabitur intentionaliter de nouo vnitus Deo, abſque noua forma intrinſecè illi ſuperaddita. Non valet: Etenim in primo caſu recipit anima gratiam, vi cuius dicitur à Deo noniter inhabitata, & in ſecundo recipit intellectum lumen gloriæ, vt in ipſo reſultet denominatio vniti intentionaliter cum Deo: & omnium eſt eadem ratio, ſiquidem vtrobique datur duplex extremum, quorum vnum eſt capax, & alterum incapax, mutationis; quapropter denominatio intrinſeca in vno, quod mutatur, ſupponit receptionem formæ intrinſecè, nempe in anima, & in intellectu; in altero verò, quod non mutatur, qui eſt Deus, minimè receptionem formæ ſupponit. Applica doctrinam inſtituto.

Arguit ſecundò Cippullus *ibid. n.* 7. Si Pater, 100.
vel Spiritus Sanctus vnirentur hypoſtaticè humanitati, vel alteri naturæ creatæ, fieret iſtorum vnio ſine aliquo modo ſubſtantiali medio, vniente ipſam naturam creatam cum illis. At eadem eſſe videtur ratio de vnione diuini Verbi cum humanitate Chriſti. Ergo, &c. Maior probatur; ſi ad hoc, vt Pater (idem intellige de Spiritu Sancto) vniretur hypoſtaticè naturæ creatæ, eſſet neceſſarius prædictus modus, quæro, an ille modus eſſet eiuſdem rationis cum iſto, qui de facto reperitur, in vnione diuini Verbi, vel diuerſæ? Neutrum dici poteſt. Ergo Pater, vt vniretur, non egeret modo illo vnionis. Minorem, vt probet, ſupponit hic Author, modũ illum quo Pater vniretur, non eſſe hunc, qui de facto vnit Verbũ cum humanitate, aliàs hîc & nunc eſſet, ſicut Verbum, humanitati vnitus. Nunc minorem probat; & primò quoad primam partem, nempe, quòd iſti modi non eſſent eiuſdem ſpeciei: ſiquidem tales modi haberent terminos diuerſæ rationis, ſiquidem Perſonæ diuinæ licèt ſint eiuſdem eſſentiæ, tamen in ratione Perſonæ, formaliter, & quaſi ſpecificè diſtinguuntur, cùm conſtituantur proprietatibus perſonalibus relatiuis diuerſæ rationis; vnio autem naturæ creatæ ad Perſonã diuinam, non fit immediatè ſecundùm naturam, ſed ſecundùm proprietates perſonales. Ergo iſti modi vnionum non poſſent eſſe eiuſdem rationis. Sicut nec in ſententia eorum, ponentiũ vnionem mediam vnientem formam cum materia, modus ille, qui vniret formam rationalem cum materia, eſt eiuſdem rationis cum illo materiam cum forma equi copulante; ſiquidem modi vnionũ ſpecificantur à terminis, quos vniunt inter ſe. Ecce pars prima minoris probata. Nunc probat ſecundam, nempe, quòd nequeant eſſe diuerſæ rationis prædicti modi vnionum; ſiquidem in creatis ſemper inter ea, quæ ſunt diuerſæ rationis, eſt exceſſus, & defectus ſecundùm intrinſecam perfectionem ſpecificam; etenim ſi inter aliqua duo non eſt exceſſus prædictus, vel defectus ſecundùm ſpeciem, iam inter illa erit conuenientia, ſeu identitas formalis, ſicut reperitur æqualitas inter duo corpora. ſi non ſe excedunt ſecundùm extenſionem; dixi in creatis, quia quòd Perſonæ diuinæ ſint æquales in perfectione, licèt ſint aliàs diuerſæ rationis, hoc habent, quia quælibet includit eſſentiam diuinam, quæ eſt ſummè, & infinitè perfecta. Sed in his vnionum modis non poſſent eſſe exceſſus, & defectus ſecundùm illorum ſpecificã rationem, ſed tam perfectus eſſet vnus, ac alter. Ergo non eſſent diuerſæ rationis ſpecificæ. Minor probatur, quia diuinæ Perſonæ ſunt æquales in perfectione, ita vt non ſit vna magis perfecta, quàm alia. Ergo neque modi iſti vnionum, quibus creatæ naturæ vnirentur: vnio enim cum ſpecificetur à termino, non poteſt eſſe magis, vel minùs perfecta eſſentialiter, niſi propter maiorem, vel minorem perfectionem ipſius termini, & certè ſtante hac æqualitate diuinarum Perſonarum, nõ videtur aſſignabilis ratio, quomodo vna iſtarum vnionum ſit alia perfectior, maximè quando fieret in eadem natura, cùm per quamlibet illarum vniatur diuina Perſona,

vs

vt eſt in ſe, & non magis vna, ac altera, talem naturam dignificaret. Præterea, nam vnio hypoſtatica eſt ſumma Dei communicatio ad extra. Ergo nequit eſſe vna vnio magis perfecta eſſentialiter, quàm alia; aliàs illa, quæ minùs perfecta eſſet, ſumma non eſſet. Ergo tales vniones non eſſent diuerſæ rationis, aliunde non poſſent eſſe eiuſdem rationis. Ergo Pater, & Spiritus Sanctus vnirentur ſeipſis ſine vnionibus intermediis. Ergo & Verbum ſic vnitur.

101. Imprimis argumentum hoc pariter inſtantiam in ipſum Authorem, qui etſi neget vnionem, qui ſit modus ſubſtantialis, humanitatem, & Verbum nectens ab illis, & ab actione vnitiua diſtinctus, tamen defendit vnionem, quæ ſit relatio, conſequens huiuſmodi actionem vnitiuam, vt videre eſt apud Sanctiſſimum Doctorem *in hac quæſtione 2. & in 3. ad Anibaldum, quæſtione vnica, art. 3. in corpore.* Suppoſito hoc; argumentum ſic in dictum Authorem intorqueri poteſt. Si Pater & Spiritus Sanctus vnirentur humanitati, vel alteri naturæ creatæ, id exequerentur ſine relationis vnione ad actionem vnitiuam ſequuta. Ergo de facto Verbum vnitur humanitati ſine prædicta relationis vnione. Antecedens probatur, ſiquidem talis relatio vel eſſet eiuſdem, vel alterius ſpecificæ rationis ab ea, quæ inter humanitatem, & Verbum de facto à re ponitur. At neutrum poteſt dici; Ergo, &c. Minor quoad vtramque partem, ſimilibus probationibus, quibus contra noſtrum modum, fuit ab Authore munita, eſt contra ipſum à nobis probanda. Etenim talium relationum ſpecificam vnitatem deſtrueret ſpecifica diuerſitas terminorum, nempe Perſonarum diuinarum in ratione talium: at non ſtat vnitas ſpecifica relationum cum terminorum ſpecifica diſtinctione, vt de ſe patet. Ergo non eſſent eiuſdem rationis ſpecificæ. Rurſum, nec diuerſas ſpecie probat eadem Authoris impugnatio contra noſtrum modum, vt ponderanti patebit. Ergo tales relationes, nec eſſent eiuſdem, nec diſtinctæ ſpeciei. Ergo Pater & Spiritus Sanctus poſſent alteri naturæ vniri, quin inter talia extrema reſultaret vnionis relatio, quod & contra Sanctiſſimum Doctorem, & omnes eius diſcipulos, quos hic Author ſequitur. Ergo de facto humanitati Verbum vnitur ſine talis relationis reſultantia. Eiuſdem Argumentum, quo impetiuit nos, ſimilem vim in illum habet.

102. Reſpondeo ergo notans, argumentum hoc poſſe in duplici caſu procedere. Primus eſt, in quo Pater, & Spiritus Sanctus eamdem humanitatem, quam aſſumpſerat Verbum, terminarent. Secundus eſt, in quo aliam naturam ſpecie, vel numero diſtinctam ab ea, quæ à Verbo hic & nunc fuit aſſumpta, ſuppoſitarent. In hoc ſecundo caſu patet, talem modum vnionis eamdem diſtinctionem tunc habiturum à modo vnionis hypoſtatico noſtro, quæ intercederet inter naturam à duabus Perſonis aſſumptam, & naturam, quam hic & nunc aſſumpſit Verbum. Si vero loquatur in ſecundo caſu, aſſerimus vniones illas eſſe eiuſdem, vel alterius ſpeciei ea pari ratione, qua Perſonæ diuinæ vnitatem, & diuerſitatem ſpecificam, ſecundùm Theologos dicuntur habere: ratio, nam cùm vnio ſeipſa affigatur extremis vnibilibus, ita vt destructo quolibet, & pereat ipſa, fit, quòd eius vnitas, vel diuerſitas metiatur iuxta vnitatem, vel ſpecificam diuerſitatem terminorum, quibus eſſentialiter affigitur. Nunc aſſignet Author genus vnitatis, vel diuerſitatis diuinis Perſonis. Et idem talibus vnionibus impingam, & ego. Vnde ſicut ſtante omnimoda æqualitate, & ſpecifica ratione perfectionis in diuinis Perſonis, iuxta Sanctiſſimum Doctorem *prima parte, quæſtione quadrageſima ſecunda*, ratione eſſentiæ, quam inuoluunt, agnoſcis in illis diſtinctionem, pluſquam ſpecificam in ratione diuinæ Perſonæ; ita eamdem, & diuerſam perfectionem talibus vnionibus præſtabo.

103. Sed poteris replicare, hoc eſſe ſpeciale diuinis Perſonis, quibus propter eſſentiam vnam conuenit eadem in ſpecie, & numero perfectio, & ratione perſonalitatum, quibus conſtituuntur, competit pluſquam ſpecifica diuerſitas, quæ arguunt eminentiſſimam perfectionem in diuinis; at verò vnio eſt, quid creatum; inter creata entia, dabilis non eſt diſtinctio ſpecifica, quin refundat in illa, vel exceſſum, vel defectum, qui cum vnitate pugnant.

104. Reſpondeo, Entia creata eſſe gemina. Quædam ſunt res abſolutæ, & alia ſunt eſſentialiter modi. Illa eo ipſo, quòd in ſe vnitatem determinatè, vel diſtinctionem ab aliis poſſideant, ab vnitate cum aliis, vel diſtinctione ab illis nequeunt cadere; nec ſi diſtinctionem ſpecificam habent, non poſſunt non vel excedere, vel excedi ab illis, à quibus diſtinguuntur ſpecificè; at verò entitates modales, cùm earum eſſe, ſit affixio ad eſſe aliarum rerum, ſapiunt neceſſariò conditiones illarum; vnio enim hypoſtatica eſt modus eſſentialiter affixus ad Perſonas diuinas; de quibus verificatur vnitas ſpecifica perfectionis, & numerica propter eſſentiam vnam diuinam, quam imbibunt, & diſtinctio metaphyſica quoad conſtitutionem, pluſquam ſpecificè, ideo vniones illæ, copulantes tres Perſonas in eadem natura metaphyſicè, quoad earum conſtitutiones, haberent ſpecificam diſtinctionem, & in linea perfectionis ſpecificam vnitatem; taliter, quòd tam perfecta eſſet etiam numero vnio, quæ Patrem copularet, ac vnio, quæ Filium, & vnio, quæ Spiritum Sanctum vniret, ſicut Perſona Patris eſt in perfectione ſpecifica, & numerica Filio, & Spiritui Sancto æqualis, & è contrà. Quod manifeſtè inſtatur in relationis vnione, ſequuta ad actionem vnitiuam cuiuſlibet Perſonæ, quam eſſe dandam in illo caſu, ſicut hîc datur de facto humanitatem, & Verbum, confiteri tenetur Author hic, contra quam militare argumentum iactum, vidimus *numero centeſimo primo.*

105. Arguit tertiò Cippullus *numero nono* per illud. Perſona Verbi eſt actu vnita humanitati Chriſti, per quod habet illam terminare actu; ſed habet illam terminare actu per ſeipſam; & non per aliquẽ modum ſubſtantialem, qui ſit actualis terminatio ipſius perſonalitatis. Ergo & per ſeipſam, & non per aliud, quod ſit modalis vnio,

vnio, eſt illi actu vnita. Maior patet, nam perſonalitas diuini Verbi non alio modo vnitur Chriſti humanitati, quàm per modum termini. Minorem probat, nihil creatum poteſt eſſe exercitium, atque actus ſecundus virtutis terminatiuæ ad extra ipſius perſonalitatis diuini Verbi. At ſi daretur hic, modus, qui ſit actualis terminatio diuini Verbi perſonalitatis, iam aliquid creatum eſſet actuale exercitium, & actus ſecundus virtutis terminatiuæ ad extra ipſius perſonalitatis diuini Verbi. Ergo Verbum habet humanitatem terminare actu per ſeipſam, & non per aliquem modum, qui ſit vnio. Maior patet à ſimili, de virtute productiua Dei ad extra, cuius nihil creatum poteſt eſſe actuale exercitium, & actus ſecundus iuxta ea, quæ communiter Thomiſtæ docent, Deum ad extra nullo modo operari per actionem formaliter tranſeuntem; & ratio vtriuſque, eſt eadem; ſiquidem Deus in ratione principij productiui eſt actus purus. At hæc ratio conuincit in noſtro propoſito, ſiquidem etiam diuinum Verbum, in ratione terminatiui ad extra, eſt actus purus. Ergo nihil creatum poteſt eſſe actuale exercitium, & actus ſecundus huius virtutis terminatiuæ.

106. Reſpondeo diſtinguens maiorem, per illud perſona Verbi eſt actu vnita humanitati, per quod habet illam terminate actu, tamquam per rationem formalem præſtantem illi actualitatem, nego; tamquam per conditionem, do maiorem; & diſtinguo minorem, ſed habet illam actu terminate per ſeipſam, excludendo aliud, tamquam rationem formalem, actualitatē præſtantem, & in perſonalitate receptam, do minorem: excludendo aliud tamquam conditionem, non in illa, ſed in humanitate receptā, nego minorem; & ſub eadem diſtinctione concedo, & nego conſequentiam. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem: quam non probat Author, ſed maiorem, in qua nulla eſt difficultas: itaque defendimus, vnionem hanc, nec præſtare diuino Verbo actualitatem, nec eius cauſalitatem eſſe; Primum de ſe eſt certum; Secundum patet; ſiquidem illius eſt vnio cauſalitas, cuius eſt ſubiectum, cúmque Verbum ſolum ſit illius terminus, humanitas verò ſubiectum ipſius ſit, fit, vnionem non Verbi, ſed humanitatis præciſè cauſalitatem eſſe. Nec bene infertur, vnio deſideratur, vt Verbum humanitati actualiter vniatur. Ergo Verbum ſeipſo illam non terminat: quia poſita vnione inter illam, & humanitatem non mediat aliquid, dans Verbo eſſe ſubſiſtentiale, & Perſonale; ſicut in ſententia aduerſaria, inter humanitatem, & Verbum mediat relationis vnio. Et tamen non bene infertur. Ergo Verbum ſeipſo immediatè non terminat humanitatem, vt ad ſe relatam. Sed de his infrà redibit ſermo.

107. Arguit vlteriùs *ibid. n.* 10. ſubſiſtentia creata habet per ſeipſam actualiter terminate propriam naturam, eſtque ſua actualis terminatio per nos. Ergo multò magis hoc habebit perſonalitas diuini Verbi, quæ eſt in infinitū actualior; & perfectior. Probat conſequentiam, quia ſi aliqua eſſet diſparitas, maximè, quia ſubſiſtentia creata eſt modus, de cuius ratione eſt ſeipſo rem modificare. Sed hæc diſparitas eſt nulla. Ergo, &c. Probat minorem; etenim ſi ſubſiſtentia, quæ eſt modus, ac proinde realitas valdè imperfecta & potentialis, id habet, vt ſeipſa, ſine vnione ſuperaddita, vniatur; potiori iure id habebit ſubſiſtentia diuini Verbi, quæ eſt actualiſſima, & continet omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ.

108. Reſpondebis, argumentum hoc ſolum probare, modum hunc vnionis requiſitum, vt Chriſti humanitas ſit vnita diuino Verbo, & ab eo ſuſtentata, nullo modo deſiderari ex indigentia ipſius diuinæ perſonalitatis, tamen non probare, illum modum neceſſarium non eſſe ex indigentia humanitatis, quæ propter ſuam potentialitatem nequit eſſe ſuipſius actualis vnio.

109. Sed replicabis cum Cippullo *num.* 11. nam ſi diuinum Verbum, vt actu vniatur intrinſecè naturæ creatæ, non eget aliquo modo vnionis ab ipſo realiter diſtincto, ſed per ſeipſum poteſt illi actu vniri. Ergo neque ipſa humanitas egebit illo, ſed per ſeipſam Verbo vnietur. Probat conſequentiam, nam eo ipſo, quòd diuinum Verbum intelligitur actu intrinſecè vnitum humanitati, intelligitur hæc etiam intrinſecè vnita. Explicat hoc: Nam vel ipſa perſonalitas vnit ſe intrinſecè actu humanitati, vel non, ſed per aliquid à ſe diſtinctum: Si hoc. Recurrit argumentum *n.* 105. factum, quòd ſcilicet nihil creatum poſſit eſſe actuale exercitium, & actus ſecundus virtutis terminatiuæ diuini Verbi. Si dicas primum. Ergo vt humanitas ſit actu intrinſecè vnita diuino Verbo, ſuperfluit quiuis alius modus ab illa diſtinctus, ſe tenens ex parte humanitatis: Implicat enim quòd diuinum Verbum ſit intrinſecè vnitum humanitati, & quòd ipſa humanitas non ſit ei pariter vnita.

110. Reſpondeo primò proſequens ſolutionem *n.* 108. aduertens eodem modo philoſophari debere in vnione, qua ſubſiſtentia creata propriæ naturæ copulatur, ac philoſophamur de Verbo, & humanitate: itaque ſicut in humanitate datur vnio ſubiectiuè in illa recepta, & ad Verbum intrinſece terminata: ita natura creata habet in ſe receptam vnionem, quæ ſimul intrinſecè ad propriam ſubſiſtentiam terminetur. Iuxta quam doctrinam ſunt omnes propoſitiones argumenti diſtinguendæ. Ad replicam *numero antecedenti* allatam diſtinguo iuxta nuper data antecedens: Verbum diuinum, vt actu vniatur, non eget aliquo modo à ſe realiter diſtincto, qui in illo recipiatur; concedo, qui terminetur ad ſe, nego; & nego conſequentiam. Ad probationem, vel explicationem, aſſero Verbum eo ipſo, quòd intelligatur vnitum humanitati, hæc etiam intelligitur vnita illi, verùm vt Verbum intelligatur vnitum humanitati, ita vt hæc de nouo intrinſecè dicatur illi vniri, neceſſe eſt, quòd Verbum connotet vnionem ad ſe terminatam, & in humanitate receptam; ſi autem talis vnio, ſic humanitati inhærens, non intelligeretur, nec Verbum illi intelligeretur vnitum, taliter, quòd humanitas tranſiret de non vnita intrinſecè, ad eſſe intrinſecè verbo vnitam,

111. Sed replicabis, etenim permiſſo, quòd eodem modo ſit reſpondendum inſtantiæ ex vnione ſubſiſtentiæ ad naturam propriam, ac vnioni humanitatis ad Verbum; etiam replica

pariter in ambas vniones eſt obiicienda. Per nos ſubſiſtentia creata, vt propriæ naturæ vniatur, vnione ſuperaddita in ſe recepta non eget, Ergo nec natura creata egebit vnione ſuperaddita in ſe recepta, vt propriæ ſubſiſtentiæ copuletur, Probo conſequentiã: Siquidem de conceptu vnionis eſt ratio nexus, & vinculi duorum; Ergo impoſſibile eſt, quòd ſubſiſtentia ſit ex ſe, & ſine modo ſuæ ſubſiſtentiæ vnita, & quòd natura pariter illi vnita non intelligatur. Præterea, quia non eſt maior ratio ponẽdi ex parte naturæ modum vnionis in illa receptum, vt ſubiectiuè vnita ſuæ ſubſiſtentiæ dicatur, & non ponendi ſimilem modum vnionis in ſubſiſtentia, vt hæc ſimiliter propriæ naturæ concipiatur vnita: At per nos ſubiectiuè dicitur ſubſiſtentia creata vnita ſuæ naturæ ſine modo ſuperaddito; Ergo ſecluſo iſto, natura ſimiliter dicetur vnita ſubiectiuè ſuæ ſubſiſtentiæ. Eumdem diſcurſum formabis de vnione humanitatis ad Verbum, & è contrà Verbi ad humanitatem.

112. Reſpondeo cõcedo antecedens, & diſtinguo conſequẽs. Ergo nec natura creata egebit modo ſuperaddito in ſe recepto, vt propriæ ſuſiſtẽtiæ copuletur, ſubiectiuè, nego, terminatiuè, concedo. Ad probationem, diſtinguo antecedens; de conceptu vnionis eſt eſſe nexum duorum, quorum vnum ſubiectiuè, & alterum terminatiuè vniatur, cõcedo; quòd vtrumque ſubiectiuè, vel vtrumque ſolùm terminatiuè ſit vnitum, nego antecedens; & diſtinguo vltimam partem conſequentis, quin natura intelligatur propriæ ſubſiſtentiæ vnita ſubiectiuè ſine modo ſuperaddito, nego conſequentiam: Quin ſine illo intelligatur vnita, ſaltem terminatiuè, concedo conſequentiam. Ad illud, quòd in probationem poteſt afferri, nempe nõ eſſe maiorem rationem ponendi modum ſuperadditum, ſe tenentem ex parte naturæ, non verò ex parte ſubſiſtentiæ; aſſero, maiorem rationem quærendam eſſe ex maiori, quia eſſentiali, connexione, quam habet ſubſiſtentia creata cum propria ſua natura cuius hæc eſt expers reſpectu vnionis cum ſua creata ſubſiſtentia; ratio eſt, quia ſubſiſtentia, eſt virtualis vnio ſui cum natura; ratio, quia extra cauſas nequit ſine illa exiſtentiam habere; & non vnita cum illa conſeruari; ex quo fit: quòd ſubſiſtentia collata cum vnione ad naturam, nulla vi poſſit ſeparari adhuc non mutua ſeparatione; atque adeo æquè impoſſibile eſt, dari ſubſiſtentiam ſine vnione ad naturam; ac dari prædictam vnionem ſine ſubſiſtentia; & conſequenter ex parte ſubſiſtentiæ dabilis non eſt vnio diſtincta, per quam naturæ copuletur, quia nihil ſubiectiuè propriè eſt in alio, quod ab eo non diſtinguitur, & tunc diſtinctio non eſt, quando extrema adhuc non mutuò ſeparabilia non ſunt: Contrarium autem inuenio in natura, quæ perfectè, exiſtere valet ſine vnione cum propria ſubſiſtentia. Ergo maior ratio adeſt ponendi modum vnionis, tenentem ſe ex parte naturæ, vt hæc ſubiectiuè ſuæ ſubſiſtentiæ copulari dicatur, quæ non ſufficit, ad ponendam illam ex parte ſubſiſtentiæ, vt hæc illi dicatur vnita.

113. Reſpondeo ſecundò eidem argumento Cipulli *n.* 107. poſito aduertens illud pari æquiuocationem: Nam aliud eſt, creatam ſubſiſtentiam eſſe terminum, & complementum naturæ, & aliud eſſe vnionem nectentem ſe cum natura. Primum eſt verum, & vt illud ſubſiſtentia præſtet naturæ, non eget aliquo modo ſibi ſuperaddito, nam ſeipſa eſt ratio terminandi naturam, & illam reddendi ſubſtantialiter completam, & vltimò terminatam. Secundum verò non eſt ita certum: quia licèt defendamus *tr.* 1. *d.* 1. ſubſiſtentiam eſſe modum; non tamen de eſſentia cuiuſuis modi eſt eſſe vnionem ſui per ſuam entitatem cum natura, quam modificat, ſed ſolùm alio modo nõ egere ad præſtandum illi eum effectum, ad lineam ſuam ſpectantem; atque adeo, cùm ſubſiſtentiæ linea ſit terminare, & complere, ſeipſa ſine alio adiuncto talem effectum præſtabit naturæ: officium verò vniendi eſt extra lineam terminandi, quapropter ſtare poterit, ſubſiſtentiam egere modo ſibi addito, vt naturæ copuletur, quamuis ad illam reddendam vltimò terminatam & completam, alio à ſe diſtincto minimè indigeat. Iuxta quam doctrinam primum entimema argumenti eſt verum; Cæteræ verò propoſitiones docentes, ſubſiſtentiam ſeipſa eſſe vnionem ſui cum natura, ſunt falſæ propter dicta. Sed his non obſtantibus primæ ſolutioni eſt fidendum.

Arguunt alij: vnio hæc neceſſaria non eſt, vt compoſitum hoc, *Chriſtus*, in rerum natura ſit. Ergo non eſt ponenda. Conſequentia patet, ſiquidem ob ſimilem rationem ponitur neceſſaria vnio inter materiam, & formam, vt poſità illà, compoſitum ex illis ponatur. Antecedens patet, quia nunc aliquid neceſſarium non eſt ad aliud, quando, poſito illo, hoc poteſt non poni, & illo ſublato, nec auferri hoc, eſt neceſſe. Sed poſita vnione, poteſt non poni Chriſtus, & illa ſublata, conſiſtere poteſt. Ergo vnio hæc neceſſaria non eſt, vt compoſitum hoc, *Chriſtus*, in rerum natura ſit. Minor patet quoad primam partem, quia vnione hac in humanitate producta, poſſet Verbum non præſtare humanitati influxum hypoſtaticum. Ergo adhuc poſito modo vnionis, poſſet ex Verbo, & humanitate non fieri compoſitum. Antecedens ſupponitur. Conſequentia patet, nam compoſitum hoc, *Chriſtus*, formaliter ſolùm pendet ex influxu hypoſtatico Verbi, quo poſito, ponitur, quóque ablato, tale compoſitum tollitur. Sic probata manet pars prima minoris, nempe quòd vnione hypoſtatica poſita, poſſet non poni compoſitum, *Chriſtus*; Nunc probo ſecundam partem eiuſdem minoris, videlicet, quòd illa vnione ſublata, non auferatur compoſitum illud; etenim influxus hypoſtaticus Verbi diſtinctus eſt ab effectiuo quo talis vnio producitur. Ergo poterit hæc tolli, vt dependens ab actione ſui productiua, & exiſtere influxus hypoſtaticus Verbi. Antecedens eſt certum; ſiquidem influxus productiuus vnionis eſt communis toti Trinitati: influxus verò hypoſtaticus eſt ſpecialis Verbi. Nunc conſequentiam probo; ſiquidem, vt probanimus pro parte prima minoris, influxus effectiuus vnionis neceſſariò non infert influxum hypoſtaticum Verbi. Ergo ſublatio vnionis & eius influxus conſeruatiui, non infert neceſſariò 114.

abla

ablationem influxus hypoſtatici Verbi. Ergo ſublata vnione, non tollitur influxus hypoſtaticus Verbi. In veritate maioris conſiſtit cæterorum veritas; & licèt iam ſuprà ſit probata, iterum probandam ſumo. Primò, quia vnio eſt effectus ad extra, liberè à tota Trinitate productus. Sed nullus effectus ad extra, neceſſitare poteſt Deum ad terminandam hypoſtaticè humanitatem, in quo conſiſtit hypoſtaticus influxus Verbi. Ergo poſitio influxus effectiui vnionis, neceſſariò non infert poſitionem hypoſtatici influxus Verbi. Secundò, quia ſi vnio neceſſariò induceret exiſtentiam influxus hypoſtatici, maximè tamquam connotatum ſibi extrinſecum; ſed non datur repugnantia in hoc, quòd tota quidditas rei reſpectiuæ conſeruetur, ſine exiſtentia ſui termini extrinſecè connotati, ſicut in ſententia probabili, viſus, & viſionis eſſentia conſiſtere valet ſine colore exiſtente. Ergo nulla repugnantia erit in hoc, quòd tota vnionis eſſentia conſeruetur, quin exiſtat influxus hypoſtaticus Verbi, quem connotat. Ergo poſitio vnionis neceſſariò non inducit poſitionem influxus hypoſtatici Verbi. Ergo nec ſublatio vnionis neceſſariò infert ablationem influxus hypoſtatici Verbi, quia non habet maiorem connexionem vnionis ablatio, cum ablatione prædicti influxus, quàm habeat poſitio vnionis cùm talis influxus poſitione. Ergo ad nihil neceſſaria eſt vnio hypoſtatica, diſtincta ab extremis vnitis.

115. Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem quoad vtramque partem. Ad probationem primæ, nego antecedens; ſiquidem licèt influxus in vnionem effectiuus ſit diſtinctus ab hypoſtatico, tamen ita cum hoc connexus, vt illius eſſentia nequeat integra ſaluari, ſine huius poſitione; ratio, nam apud omnes, nihil aliud eſt influxus hypoſtaticus Verbi, quàm hoc actualiter terminare vnionem, media qua humanitatem complere dicitur. Vnde ea ratione connectitur vnio hæc producta cum tali terminatione, qua actio vnitiua cum exiſtentia vnionis: Ergo ſicut, vt ſaluetur tota quidditas actionis vnitiuæ, neceſſaria eſt vnionis exiſtentia; ita vt poſitio illius neceſſariò iſtius exiſtentiam inducat: Pariter vnionis quidditatis integritas, depoſcet exiſtentiam actualis terminationis Verbi, taliter, quòd illius poſitio inducat poſitionem prædictæ terminationis in Verbo; quia ſicut inintelligibile eſt concipere actionem vnitiuam hîc & nunc exercitam, & non concipere vnionem, vt terminum hîc & nunc ab illa productum, ita inintelligibile eſt, concipere vnionem terminatam ad Verbum, & hoc illam actualiter terminans non eſſe. Ad probationem ſecundæ partis minoris, concedo antecedens; & nego conſequentiam. Ad huius probationes, quæ potiùs ſunt probationes prioris partis minoris reſpondeo ad primum, nego antecedens. Ad primam probationem, concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ſed nullus effectus creatus neceſſitare poteſt Deum ad terminandam humanitatem, nullus effectus eſſentialiter diuinam perſonam non reſpiciens, concedo; nullus effectus, qui eſſentialiter Perſonam diuinam reſpiciat, nego minorem; & nego conſequentiam: itaque vnio hæc neceſſariò non inducit influxum hypoſtaticum Verbi, ſeu eius terminationem, ex ea præciſa ratione, qua talis vnio eſt effectus à tota Trinitate liberè productus, ſed quia natura dictæ vnionis eſſentialiter ſaluari nequit ſine prædicto influxu, ſeu terminatione vt notauimus: Vnde liberum eſt toti Trinitati vnionem hanc producere, & non producere ad extra; at ſemel producta, liberum non eſt ponere, aut non ponere Verbum diuinum; ſuum hypoſtaticum influxum, ſeu terminationem ad illam. Sicut liberum eſt Deo aliquid ad extra promittere, necnon exercere actionem vnitiuam, & influxum effectiuum in viſionem Beatam, & tandem actionem productiuam luminis: Verùm his ſemel ab ipſo volitis, non eſt liberum illi, promiſſa non adimplere, vnionem non producere, & influxum obiectiuum, ſeu intentionaliter terminatiuum cohibere, & tandem vnionem, per modum ſpeciei intelligibilis, cum intellectu impedire; ſiquidem omnia illa eſſentialiter ſaluari nequeunt ſine iſtis.

Ad vltimam probationem, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: Sed non implicat, totam quidditatem rei reſpectiuæ conſeruari, quin ſuum connotatum, quod reſpicit, ponatur exiſtens, ſi illud eſſentialiter reſpiciat, nego minorem; ſi ſic illud non reſpiciat, concedo minorem; doctrinam dederunt exempla nuper relata *numero antecedenti*: & nego conſequentiam. Ad probationem minoris, deſumptam ex potentia viſiua, & actuali viſione, eſt diſparitas. Primò in potentia viſiua, quia hæc non eſt actualis, ſed aptitudinalis tendentia ad coloratum; quapropter eius tota eſſentia ſaluatur ſine coloris exiſtentia. Actualis verò viſio, etſi ſit actualis tendentia in colorem, tamen illum vt exiſtentem, ſed vt merè poſſibilem reſpicit: ſiquidem viſio eſſentialiter non reſpicit obiectum, vt eſt à parte rei, ſed vt in ipſa viſione repræſentatur, tamquam in imagine; ſiquidem variatis tantùm ſpeciebus viſiuis variatur obiectum in ratione obiecti, reduplicatiuè in ratione obiecti, quin talis variatio refundatur in entitatem illius ad extra exiſtentem; Quod eſſe verum, plures non contemnendæ inſtantiæ comprobant. Prima in multiplicatione ſpecierum, obiectum multiplex videmus, tametſi re ipſa à parte rei vnum ſit exiſtens, vt in multangularibus conſpicilis experimur. Secunda, quando ſpecies viſibiles maximè intenduntur, tunc reipſa videmus obiectum magis craſſum, quamtumuis in ſe languidum ſit. Tertia, in eo qui magno temporis interuallo deditus fuit luci ingenti videndæ, & poſtmodum in locum obſcurum ſe conijcit, etiam in iſto tenebroſo loco conſtitutus experitur, ſe aliquam lucem proſpicere; necnon ille qui diuerſatus eſt in videndo colore aliquo nimis intenſo, & retrahit oculum, vt ad alium colorem diuerſæ rationis contueatur, licèt reipſa colorem, diuerſum à primo, conſpiciat, adhuc tamen aliquo tempore, iſte ſecundus 116.

color apparet videnti eiuſdem rationis cum colore, quem priùs inſpexerat. Quæ omnia denotant, viſionem eſſentialiter non eſſe connexam cum obiecto præciſè, vt reipſa exiſtente à parte rei. Contrarium tamen euenit in vnione hac, quam eſſentialiter connotare terminationem, quaſi paſſiuam verbi, in quo hypoſtaticus influxus verbi conſiſtit, oſtendimus non ſemel, potiſſimùm *num.* 115.

117. Arguunt alij: ſi vnio hæc poſſibilis eſſet, dabilis eſſet exigentia in aliquo ente creato ad Deum, vt terminum illius intrinſecum; at implicat ens aliquod creatum, talem exigentiam includens. Ergo implicat vnio ab extremis in hoc myſterio diſtincta. Maiorem dederunt *numero antecedentes*, Minorem probant; exigentia vnius extremi ad aliud, inuoluit eſſentialiter in ambobus extremis eundem ordinem. At repugnat cuilibet enti creato, in eodem ordine cum Deo reponi. Ergo implicat, ens creatum, talem exigentiam habere. Confirmari poteſt ex doctrina communi diſcipulorum ſanctiſſimi Thomæ, vt dabit latiſſimè *tomus ſecundus, tractatu de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſputatione ſecunda*, ideo repugnat ſpecies creata quidditatiua Dei, quia implicat, ens creatum in eodem ordine reponi cum Deo; at eo ipſo, quòd talis ſpecies dabilis eſſet, iam in eodem ordine collocaretur cum Deo, quod aliter probari nequit, niſi quia talis ſpecies, cùm eſſet quidditatiua repræſentatio Dei, ipſum eſſentialiter exigeret, tanquam terminum intentionalem ſui. Ergo cùm talis vnio, ſi daretur, deberet exigere Deum, tamquam terminum intrinſecum ſui, fit neceſſariò, talem vnionem neceſſariò collocandam fore in eodem ordine cum Deo; at hoc implicat. Ergo, & vnio.

118. Reſpondebis cum communi, eſſe certum, implicare ens creatum, *vt quod*, exigere eſſentialiter Deum, vt terminum intrinſecum ſui: non tamen implicare talem exigentiam in aliquo ente creato *vt quo*. Cùmque vnio ſit ens, quo medio Deus, vt terminus hypoſtaticus, vnitur, ideo non implicat, nec quòd in eodem ordine cum Deo reponatur; ſiquidem talis repoſitio ſubiecti creato, *vt quod*, repugnat.

119. Sed replicabis: ergo non repugnat enti creato *vt quo*, exigere Deum, vt terminum ſui, nec cum ipſo in eodem ordine collocari. Ergo vnum è duobus, vel poſſibilis eſt ſpecies creata quidditatiua Dei, vel impoſſibilis eſt vnio diſtincta ab extremis huius myſterij. Antecedens eſt ſolutio à cunctis admiſſa. Probo conſequentiam quoad eius primam partem: tota ratio implicantiæ ſpeciei quidditatiuæ Dei, apud diſcipulos ſanctiſſimi doctoris, deſumitur ex eo, quòd implicet aliquid creatum eſſe in eodem ordine cum Deo; & cùm ſpecies quidditatiua obiecti, exigat vniocari in ordine cum ſuo obiecto, fit, repugnare ſpeciem impreſſam creatam Dei quidditatiuam. At hæc ratio facilè eneruari poterit ab aduerſariis dicentibus, implicantiam ſolùm eſſe in concedendo aliquo ente creato, cui tamquam *quod* competat exigere Deum, eſſentialiter vt terminum intentionalem intuitiuè vnitum, & cui conueniat collocari ſub eodem ordine cum Deo; non tamen implicare iſta enti creato vt *quo*, qualiter eſt ſpecies quælibet intentionalis, quodque inſtare poterunt in vnione hypoſtatica, quæ quia eſſentialiter eſt entitas, vt *quo*, poteſt, in ſententia omnium, & exigere eſſentialiter Deum, tamquam terminum ſui intrinſecum, & cum illo ſub eodem ordine collocari: imò & exinde incrementum ſumere rationes eorum, vt probent poſſibilitatem ſpeciei quidditatiuæ Dei; ſiquidem magis diſtat à quouis ente creato, vt *quod*, & *vt quo*, accepto Deus, vt terminus intrinſecus entitatiuè conſideratus, ad componendum vnum ens per ſe ſubſtantiale, quàm diſtet idem Deus, vt terminus intentionalis, ad componendum vnum ens in eſſe intelligibili, ab ente quouis creato quomodolibet accepto. Necnon magis diſtat à creatura, poni in eodem ordine cum Deo omnium nobiliſſimo, qualis eſt ordo hypoſtaticus, quàm ab ea diſtet poni ſub eodem ordine cum Deo omnium magis diminuto, qualis eſt ordo in eſſe intelligibili. At non obſtante diſtantia illa, conceditur de facto ens quoddam creatum, nempe hypoſtatica vnio, exigens eſſentialiter Deum, vt terminum ſui, ad componendum vnum compoſitum phyſicè per ſe, & ſimul collocatum ſub eodem ordine hypoſtatico cum Deo. Ergo non obſtante iſta altera diſtantia minori, poſſibile etiam erit aliquod ens creatum repoſitum ſub eodem ordine intentionali cum Deo, exigens ipſum, vt terminum intrinſecum ſui in linea intelligibili; ad componendum vnum per accidens in eſſe intentionali, & hoc ens eſſet ſpecies impreſſa quidditatiua Dei. Ecce pars prima primæ conſequentiæ, videlicet, poſſibilem eſſe ſpeciem, Deum quidditatiuè repræſentantem. Secunda verò illius pars, nempe, impoſſibilem eſſe vnionem diſtinctam ab extremis huius myſterij, facilè ex paritate impoſſibilitatis ſpeciei poteſt muniri.

Reſpondeo proſequens ſolutionem *numeri* 119. allatam; Aliud eſſe aliquod ens creatum, *vt quo*, exigere Deum, vt ſui terminum, & aliud, tale ens debere conſtitui ſub eodem ordine cum Deo. Primum eſt certum. Secundum eſt falſum. Et vtrumque experimur in viſione clara Dei, quæ exigit eſſentialiter ipſum Deum, vt terminum ſui, & nihilominùs non collocatur in eodem ordine entis increati cum Deo: ratio eſt, nam eo ipſo, quòd ſit ens creatum, *vt quo*, non debet eſſe in eodem ordine cum termino, quem exigit, quia ens, *vt quo*, eſſentialiter debet eſſe via ad prædictum terminum, via autem ſemper eſt imperfectior eo, cuius eſt via, quod enim eſt imperfectius alio, non collocatur in eodem ordine cum illo: & hoc eſt commune omni rationi formali *ſub qua*; Hæc enim, nec eſt æquè perfecta cum ratione, *qua*, quam exigit, nec eſt in eodem ordine cum illa. Hoc notato, reſpondeo in forma argumento *numero centeſimo decimo ſeptimo*, adducto. Diſtinguens antecedens: Si vnio hæc poſſibilis eſſet, dabilis eſſet in aliquo ente creato exigentia ad Deum, vt terminum illius intrinſecum, in aliquo ente creato, *vt quo*. Concedo; in aliquo ente creato, *vt* I 20.

quod,

quod, oego. Et ſub eadem diſtinctione minoris reſpondebis, & nega conſequentiam. Ad probationem minoris, diſtingu omaiorem, exigeotia vnius extremi ad aliud, inuoluit eomdem ordinem in ambobus, ſi ſit exigentia vnius eatremi, *vt quod*, concedo maiorem, ſi ſit exigeotia extremi, *vt quo*, nego maiorem; & concedo minorem; & diſtinguo conſequens. Ergo implicat, ens creatum, talem exigentiam habere; ens creatum, *vt quod*, concedo; ens creatum, *vt quo*, nego. Inſtantia eſt in viſione Beata exigente Deum.

121. Ad confirmationem, reſpondeo, rationem, quare impoſſibilis eſt ſpecies quidditatiua Dei, nó eſſe, quia exiode fieret, dabilem eſſe creatum ens, quod Deum eſſentialiter exigeret, & quod cum illo in eodem ordine reponeretur: rationem verò impoſſibilitatis illius dabit lariſſimè citatus locus in ipſa confirmatione; fateor, Authores ea ratione motos, vt impoſſibilitatem ſpeciei comprobent, aliqualiter fore premendos à paritate ſpeciei impoſſibilis: quapropter cùm alia via, infrà oſtendenda, impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam ſuadeamus, non licebit nunc immorari pro diſparitate reddenda, nec pro ſolutione danda replicæ *numero centeſimo decimo nono* cùm totum illius robur conſiſtat, in ponderatione prædictæ paritatis.

122. Arguunt aliter alij: non ſtat poni actionem vnitiuam, & Verbum humanitatem non vniri. Ergo ſuperfluit vnio diſtincta ab humanitate, & Verbo. Reſpondeo diſtinguens antecedens: non ſtat, poni actionem vnitiuam, & Verbum humanitati oon vniri, ita vt arguat, quòd actione vnitiua Verbum humanitati effectiuè vniatur, concedo; quòd ex vi illius formaliter voiatur, & nego; Et nego conſequentiam.

123. Argues cum aliis, impugnaotibus rationem reſolutioois noſtræ: diximus ex communi, inter probandum reſolutionem, ſignum eſſe diſtinctionis realis vnionis ab extremis, Hæc ſeparabilia eſſe ab illa: Nunc argues, quia cohæret bene ſeparabilitas non mutua duorum, cum indiſtinctione eorumdem inter ſe. Ergo inefficax eſt doctrina allata. Aotecedens probant exemplis. Primò: Etenim Perſonalitatem Verbi actualiter humanitatem termioate, eſt ſeparabile à Verbo: at dum illam de facto terminat, nullam importat entitatem Verbo intrinſecam, & ab illo diſtioctam. Ergo cum ſeparabilitate non mutua ſtat bene indiſtinctio realis. Secundò ex doctrina inter Thomiſtas valdè familiari: nam communiter defenditur, Patrem relatum ad primum Filium, eadem Paternitatis relatione referri ad ſecundum Filium, poſtmodum genitum; & conſequenter pereunte ſecundo Filio, ſuperſtite tamen Filio primo, ſeparatur à Patre illud exercitium relationis, quo ſecundum Filium reſpiciebat. Ecce ſeparabilitas non mutua in tali exercitio, reſpectu Patris quamuis tale exercitium nullam entitatem addat paternitati ipſi. Tertiò denique, nam certum eſt apud omnes, amorem amicitiæ, quem habet Ioannes ad Petrum, & eſſe in Ioanne aliquid reale, & ab illo ſeparabile eſſe, abſque eo, quòd Ioannes aliquid ſibi intrinſecum amittat: nam apud ſententiam communem ab Ariſtotele 5. *ethic. textu decimo tertio* edoctam. Ille idem amor, quo in inſtanti, A, Ioannes erga Petrum flagrabat, rationem amicitiæ perdit, præciſè; ex eo, quòd Petrus in inſtanti, B, Ioanoem non redamet. Ergo ſimiliter in præſenti, Verbum eſſe vnitiuo humanitati, aliquid reale eſt in Verbo, verùm ab hoc poterit ſeparari ratio vniti, quin aliquid ſibi intrinſecum deperdat, præciſè ex eo, quòd ceſſet actio vnitiua illi extrinſeca.

Reſpondeo, diſtinguens antecedens, cohæret bene ſeparabilitas non mutua duorum, cum indiſtinctione reali eorumdem inter ſe, ſeparabilitas puræ denominationis, do; ſeparabilitas denominationis, & entitatis, nego; & nego conſequentiam. Ad probationem primam antecedentis, diſtinguo maiorem, eſt ſeparabile à Verbo actualiter humanitatem terminare, ſeparatione puræ denominationis, concedo maiorem; ſeparatione quoad denominationem, & ſimul quoad entitatem, nego maiorem, & concedo minorem, & diſtinguo conſequens ſub eadem diſtinctione; qua maiorem diſtinxeram. Vnde ratio concluſionis non innitebatur illi axiomati abſolutè ſumpto, videlicet ſeparabilitati non mutuæ duorum, ſiue talis ſeparabilitas ſit quoad denominationem, ſiue quoad illam, & entitatem ſimul; etenim vt latè dedimus, ſeparabilitas puræ denominationis non arguit diſtinctionem intrinſecam in omni ente, vt expeodimus in decurſu eorum, quæ in probationem cooclusioois dedimus: nam quotidie amittit Deus denominationes intrinſecas, quin diſtinguatur intrinſecè ab aliquo intrinſeco, ſibi tales denominationes Deo præſtante; tametſi veritatem habeat axioma illud de ſeparatione non mutua, intellecta quoad intrinſecam denominationem, reſpectu cuiuſque entis creati, quod ob ſuam maximam imperfectionem nequit ſeparari ab intrinſeca denominatione, quam habet, niſi per amiſſionem intrinſecæ entitatis, à qua talis intrinſeca denominatio illi proueniebat. Vtrumque leges in probatione concluſionis, necnon *numero nonageſimo nono*. 124.

Ad ſecundam probatiooem admitto partem doctrinæ illius, & diſtinguo alteram, nempe, ſeparatur à Patre tale exercitium, ſeparatione ſolius denominationis, do antecedens; ſeparatione denominationis & entitatis ſimul, nego. Itaque ſicut eadem relatio Paternitatis ex primo Filio reſultans, ſine receptione nouæ entitatis, intrinſecè ſe extendit ad ſecundum Filium nouiter productum; ita cùm perit ſecundus Filius, ſuperſtite tamen Filio priori, vel aliquo Filio, nihil intrinſecum Paternitas deperdit, ſed puram denominationem. 125.

Sed replicabis. Ergo iam ſeparabilitas non mutua, quoad denominationem intrinſecam reſpectu creati entis, qualis eſt paternitas, compoſſibilis erit cum indiſtinctione reali entitatis, quod eſt contra ſolutionem ad primam probationem *numero centeſimo vigeſimo quarto*. 126.

to, datam. Et rurſum fieret, humanitatem vnitam hîc & nunc Verbo poſſe amittere, ſicut Verbum, denominationem intrinſecam vnitæ illi, quin aliquam entitatem ſibi intrinſecam amittat, ſed ſolam puram intrinſecam denominationem vnitæ. Quod eſt totam noſtram doctrinam deſtruere.

127. Reſpondeo, notans duo ex principiis familiaribus Thomiſtarum. Primum, formas reſpicientes plures effectus cum ſubordinatione inter ſe ſe habentes, quorum vnus ſit effectus, vel terminus formalis primarius, & alter ſecundarius, & materialis, nullo modo multiplicari quoad entitatem ex multiplicatione terminorum materialium, ſi immutatus quoad entitatem maneat primarius, quamuis multiplicatis ſecundariis valeant multiplicari denominationes. Hoc, quia commune, amplius non pondero. Secundum, relationem Paternitatis ſolùm reſpicere, tamquam terminum primarium, Filium hunc vagè acceptum; hunc ſcilicet, vel illum ſub diſiunctione; iſtum verò determinatè, & illum ſolùm, tamquam terminos ſecundarios conſpicere: Ex quo fit, quòd ex multiplicatione illorum, relatio paternitatis minimè multiplicetur; atque adeo, quòd pereunte quolibet determinatè, & manente alio, tota paternitatis relatio quoad entitatem perſeueret, licèt intrinſecam denominationem exercitij ad Filium, qui periit, amittat. Contrarium autem inuenitur in vnione hypoſtatica, ex generali ratione vnionis in communi; in ea enim ſolùm eſt conſiderabilis vnus reſpectus, ad vnum terminum primarium, quin illi deſignabiles ſint termini materiales multiplicabiles; quapropter pereunte tali termino, quem nectit, & peribit totaliter vnio, nedum quoad denominationem, ſed quoad ipſius entitatem.

128. Ad tertiam probationem illius antecedentis reſponde, ex dictis latè in prælectione de *querelis in amicitia*; quam prælo dedimus, ad cathedram Philoſophiæ Moralis, eſſe ab omnibus admiſſum, denominationem amicitiæ partim intrinſecam, & partim extrinſecam eſſe, quapropter perire poteſt abſque deperditione alicuius intrinſecæ entitatis: Vnde amor amicitiæ reſpicit alterius amorem, non vt purè terminum, ſed etiam vt formam; at in noſtro caſu, licèt vnio hypoſtatica, ſicut quæuis alia vnio, reſpiciat ſua extrema tamquam terminos, non verò tamquam formas, ad præſtandum denominationem vniti illis: Vnde denominatio vniti morem gerit denominationum relati, & vbicati, &c. Atque adeo licèt deſideret terminum, ab eo tamen non ſumitur, quapropter perire nequit denominatio hæc, quin inuoluat amiſſionem intrinſecæ entitatis, à qua talis denominatio ortum habet.

129. Vltimò arguit infinita ſumma authoritatum Sanctiſſimi Doctoris: ab hoc ſuperſedeo, exiſtimans, Angelicum Doctorem vtramque ſententiam variis in locis, vt valdè probabilem, in Scholas induxiſſe; cuius ſignum eſt diuiſio ſuorum diſcipulorum, illum iam pro vna, iamque pro altera ſuffragatorem pertrahentium: lege Recentiores, & vera experieris iſta.

DVBIVM II.

An hypoſtatica vnio eſſentialiter ſit influxus actiuus, proprius Verbi in Chriſti humanitatem?

Sectio I.

Notabilia generalia, etſi breuiter, parantur.

NOta, hæc eſſe vera dogmata. Primum, Patrem, nec Spiritum Sanctum hypoſtaticè eſſe humanitati vnitos. Secundum, Verbum diuinum humanitati vinculo ſubſtantiali ſe innexuiſſe. Iſta decernit Fides, quam vox Catholica euulgat. Iuxta quæ etiam iſtæ aliæ propoſitiones adhærent Fidei. Prima, Pater, & Spiritus Sanctus non ſunt termini hypoſtaticæ vnionis. Secunda. Solus Filius eſt immediatus terminus vnionis hypoſtaticæ. 1.

Ex his notabis, Verbum diuinum ſpecialiter aſſiſtere humanitati, media prædicta vnione, qualiter ſic cæteræ Perſonæ diuinæ minimè illi aſſiſtere dicantur. Vnde aliud ſuboritur dogma; nempe, humanitatem ſpeciali modo à Verbo pendere, quo ab aliis diuinis ſic non dependeat. 2.

Vlteriùs nota: Tres omnes diuinas Perſonas eſſe intimè humanitati Chriſti præſentes. Ratio. Nam cùm ratio coexiſtendi in loco ſit immenſitas, & hæc omnibus diuinis Perſonis æqualiter inſideat; quia ſunt coæternæ, & coomnipotentes, ita (liceat ſic loqui) eſſe debent commenſæ; quapropter, nihil exiſtens in loco erit, cui tres Perſonæ non coextiterint ſecum illo in ſuo loco penetratæ. His datis. 3.

Quæſtio igitur ſic deuoluitur? An vnio hypoſtatica ſit influxus actiuus, proprius Verbi in Chriſti humanitatem? Volumus dicere; an ſpecialior illa dependentia, quam agnoſcimus in humanitate à Verbo, quam non habet ſic à cæteris Perſonis, petat in Verbo influxum effectiuum ſpecialem circa humanitatem, minimè tamen deriuatum à cæteris diuinis Perſonis? Vterque dubitandi modus in idem recidit. Etenim qui admiſerit ſpecialem concurſum actiuum in Verbo circa humanitatem, tacitè etiam teneret, illum influxum eſſe à Verbo, minimè ab aliis Perſonis ortum ducentem: aliàs non ſpecialis diceretur influxus Verbi in humanitatem, ſed illi, & aliis communis. 4.

Sectio II.

Sententia conſtituens eſſentialiter vnionem in influxu ſpeciali Verbi in humanitatem Chriſti, examinatur.

5. Carolus Franciſcus de Abra de Rachonis *tractatu primo de incarnatione, capite tertio, quæſtione tertia* inquirens vnionis hypoſtaticæ quidditatiuum conceptum, poſtquam modos Authorum vtriuſque ſcholæ examini tradidit, & eorum momenta perpendit, videos nullibi (vt ſibi videbatur) rem hanc, inter difficiles ſacræ Theologiæ obſtruſiorem, parum lucis ſibi nuncupare; imo inintelligibiliorem, & denſiori vmbrarum apparatu obſeratam eſſe à cunctis Authoribus redditam; ab illis omnibus diſcedens, & incedens ſolus ſingulariſſimam ſemitam fuit aggreſſus; & quia eius modus dicendi eſt in illo natus, & ſimul adultus, & aliunde res ſit magni ponderis, quippe dogmata noſtra fidei à primo aſpectu collidens, ideo ſuum modum dicendi eiſdem verbis, nec apici interiecto parcens, quibus fœtum iſtum progenuit, producam.

6. Aſſerit ergo Author hic, quòd controuertitur, eſt, an aliquid ponatur de nouo reale in natura humana, per quod dicatur realiter vniri verbo. Fateor, me multùm in hac re laboraſſe, varia apud varios ea de re legiſſe, & perpendiſſe, ſed quantò magis proceſſi, tantò minùs profeci, quantò magis moui, tantò minùs promoui. Eſt modus realis, inquiunt Authores communiter, per quem natura ſpecialiter eſt in verbo. Audio verba, non capio myſteria; neſcio enim quid ſit modus ille, qualiter afficiat naturam, quid illi conferat? dicent fortè conferre, vt ſit vnita verbo: adhuc magis dubito, qualiter per illum modum realem natura humana ſit, & dicatur vnita verbo, niſi ipſum etiam verbum attingat, & in eo recipiatur: non concipio vinculum, quod in vno tantùm extremo eſt, poſſe realiter ipſum cum alio extremo, in quo non eſt, coniungere, & non video, quomodo vinculum dici poſſit. Præterea, ſi non attingat verbum, non video, cur potiùs verbum dicatur vniri humanitati, quam Pater, vel Spiritus ſanctus. Supplet, inquient, verbum vicem, & abſentiam propriæ perſonalitatis, naturæ humanæ, quod non faciunt Pater, aut Spiritus ſanctus. Adhuc non quieſcit animus, ſed magis ſollicitè quærit, quid ſit illud, quod præſtat verbum circa humanitatem, ſupplendo propriam perſonalitatem eius, & quo genere cauſalitatis; non enim in genere cauſæ materialis, quia verbum non fuit ſubiectum humanitatis; nec in genere cauſæ formalis, quia verbum nequit dici forma humanitatis; nec in genere cauſæ finalis, & exemplaris tantùm, vt apud omnes conſtat. Reſtat igitur, vt ſi verbum aliquid præſtiterit circa humanitatem, illud fecerit in genere efficientis. Sed hoc opus, & labor eſt. Summa difficultas eſt, quomodo aliquid poſſet eſſe in genere cauſæ efficientis à verbo, quod non fuerit à Patre, & Filio. Ratio difficultatis eſt hæc: omnia opera ad extra ſunt indiuiſa, & communia toti Trinitati ex communi axiomate Theologorum. Sed incarnatio eſt opus Dei ad extra; non enim in Deo eſt. Ergo debet eſſe communis toti Trinitati, Patri, Verbo, & Spiritui ſancto. Ergo non poteſt attribui ſpecialiter verbo, ratione alicuius ſpecialis influxus.

7. Non eſt vt fatent, aſpernenda hæc ratio, quæ omnium ferè Theologorum firmatur authoritate: quia tamen videtur, quaſi intercludere viam ad intelligendam incarnationem, ſi ſtrictius ſumatur, ideo, ait hic Author benigniùs explicanda eſt.

8. Quando igitur, Reſpondet, dicunt Theologi, opera Trinitatis ad extra eſſe communia, & indiuiſa à tota Trinitate, id intelligunt de ipſis operibus, quæ fiunt à Deo, vt vnus eſt in tribus Perſonis, & vt operans per eſſentiam communem, quatenus communis eſt, vt in creatione, gubernatione, &c. Non autem loquuntur, ſiue affirmando, ſiue negando de operibus, quæ manare poſſunt à Perſonis per proprias, & peculiares ipſarum Perſonarum proprietates, & Perſonalitates, quod intenditur.

9. Vt igitur, eò pertingamus, proſequitur Rachonis, hoc præſupponimus fundamentum, nihil eſſe in Perſonis diuinis, quod non ſit actiuum, nihil, quod non ſit perfectiſſimum; perfectio autem eſt agere. Hoc ſuppoſito, cùm in qualibet Perſona duo inueniantur, licèt non realiter, aut formaliter, ſed ſolùm ratione ratiocinata diſtincta, eſſentia diuina communis, & Perſonalitas in Verbo, diuinitas, & filiatio diſtingui poſſunt, ſicut proportione ſeruata, in ſubſtantia, ens, & ſubſtantialitas. Prius, nempe, eſſentia eſt aliquid commune toti Trinitati. Poſterius Perſonæ Verbi peculiare.

10. Ad propoſitum ergo dico (ſic concluſionem ſuam ſcribit) incarnationem propriè in eo conſiſtere, quòd Verbum intimè præſens humanitati per ſuam Perſonalitatem peculiarem aliquem influxum præbeat ipſi, ad eam ſine ſubiecto conſeruandam, ratione cuius eius ſuppoſitum dicitur, & ex eo, & ipſa natura humana reſultat vnus Chriſtus.

11. Hanc concluſionem probat primò: quia omnis alius modus, ſcilicet, qui ſit per vnionem aliquam realem, eſt penitus inintelligibilis, nec tantùm inexplicabilis, quia vel ſolùm recipitur in natura humana, & Verbo, vt ipſa vniat, & ſic infert mutationem Verbo; vel eſt in ſola natura humana, & non in Verbo, & ſic, vt dixi, concipi non poteſt, vt eius interuentu natura humana, & Verbum vniantur.

12. Secunda ſuæ concluſionis probatio ſic proce-

dit: Sicut ex probabiliori ſententia, informatio animæ rationalis nihil aliud eſt, quàm eius præſentia ipſi corpori humano, cum ſpeciali influxu, quem adhibet circa ipſum corpus bene diſpoſitum, ad eius operationes exercendas, qua recedente diſpenſatione, nihil operatur, & ideo recedit, & quò ex Dei diſpoſitione ire debet, pergit, abſque vllo modo reali, qui recipiatur, tam in corpore, quàm in anima. Ita incarnatio, ſeu vnio hypoſtatica, nihil erit aliud, quàm intima diuini verbi præſentia in humanitate, cum ſpeciali influxu, quem præbebit ad eam extra ſuppoſitum proprium ſuſtentandam

13. Nunc ſibi iſta argumenta obiicit: omnis influxus perſonalitatis diuinæ, ſiue Patris, ſiue Filij, ſiue Spiritus ſancti, eſt ſemper ab eſſentia communi, quia ipſa includitur eſſentialiter in Perſonalitatibus, ex doctrina Theologorum *tr. de Trinitate*. Ergo nullu. huiuſmodi influxus poteſt eſſe peculiaris alicuius perſonæ, ſed eſt communis tribus. Ergo verbum per nullum influxum peculiarem, poteſt ſupplere abſentiam ſubſiſtentiæ in natura humana. Ergo in hoc non conſiſtit incarnatio, quòd verbum per ſpecialem influxum ſuppleat abſentiam perſonalitatis naturæ.

14. Reſpondet Author, diſtinguens antecedens, omnis influxus perſonalitatis diuinæ, eſt ſemper ab eſſentia communi, vt determinata eſt ad aliquam perſonalitatem, verbi gratia, Verbi, aut Patris, concedo, vt communis eſt, nego. Et ad primam conſequentiam dicit, eſſe falſam; ſicut enim licèt eſſentia diuina includatur in diuinis perſonalitatibus; perſonalitates tamen illæ non deſinunt conſtituere, & diſtinguere perſonas, illiſque eſſe propriæ, paternitas Patri, filiatio Filio, & ſpiratio paſſiua Spiritui ſancto: ſic influxus manans à propria perſonalitate alicuius perſonæ, non deſinit eſſe illi peculiaris, licèt oriatur etiam ab eſſentia diuina, quatenus in tali perſonalitate incluſa; nec poteſt aliquid afferri contra proprietatem iſtius influxus in tali perſona, quod etiam non pugnet contra proprietatem perſonalem in eadem perſona.

15. Secundò ſibi obiicit: eſſentia communis, & perſonalitas non diſtinguuntur, nec realiter, nec formaliter, ſed tantùm ratione ratiocinata. Ergo non ſunt duo realiter diſtincta principia. Ergo influxus, qui erit à perſonalitate, erit ab eſſentia communis: ergo verbum per ſuam perſonalitatem, nullum poteſt habere ſpecialem influxum circa humanitatem, ratione cuius ſpecialiter eam dicatur aſſumpſiſſe.

16. Reſpondet Author: concedendo conſequentiam primam, & eadem, ac ſuperiori diſtinctione diſtinguens ſecundum conſequens; nempe influxus, qui erit à perſonalitate, erit ab eſſentia communi, vt eſſentia communis eſt determinata ad propriam perſonalitatem, verum eſt, vt ſpectatur tanquam communis, nego; & ſic tertia conſequentia ſuo pondere ruit, vt patet ex prædictis, nam ſicut propter excluſionem eſſentiæ in perſonalitate, non deſinit ipſa perſonalitas eſſe propria perſonæ, quam conſtituit: ſic influxus, qui manat à perſonalitate, eidem perſonæ non deſinit eſſe peculiaris, tametſi dici poſſet, manare ab eſſentia, vt incluſa in tali perſonalitate.

17. Denique ſibi obiicit: ſe ad nouum dogma inſtituendum nullius Theologi authoritate duci, imo etiam omnibus, & PP. videre refragari; qui nunquam meminerunt alicuius peculiaris influxus, manantis à propria perſonalitate diuinarum perſonarum: ſed è contrario, hoc axioma ſemper pro vero habuerunt, nempe, omnem influxum, omniaque generatim opera ad extra, eſſe indiuiſa, & communia toti Trinitati, vt ſuprà diximus, quod in re tanti momenti fieri non debuit.

18. Reſpondet Author his verbis: me quidem in hoc dogmate aſſerendo nullius Authoris mentem conſuluiſſe, ſed ſolam rationem in auxilium propriæ imbecillitatis aduocaſſe, quæ, vtcunque oſtendat quomodo, & qua ratione illud altiſſimum incarnationis myſterium fuiſſet peractum, cùm nullis modis videtur poſſe concipi. Quod verò additur, me repugnaſſe omnibus Theologis, ab hoc crimine me facilè vindico, quia licèt in ea ſententia non fuerit apud illos inuenta, non tamen contraria, aut definita eſt, aut ipſa mea condemnata. Axioma autem allatum, opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ſuprà explicatum eſt de operibus, quæ ſunt à Deo in tribus perſonis, vt indicat vocabulum, *Trinitatis*, non autem à propria perſonalitate. Quod ſi inſtes, ait Author, hoc poſterius eſſe contra eorum mentem; hoc nego; fateor fortaſſe, non eſſe ad eorum mentem, quia mea ſententia, quæ hoc ſtatuit, illis fortaſſe non venit in mentem, quod valde mirum videri non debet, cùm multa in dies inueniantur, quæ non fuerunt prioribus ſæculis cognita. Nego tamen eſſe contra eorum mentem, quaſi quod aſſero ego, ipſi condemnarint. Saltem poſſem confidenter affirmare, me tale quid apud eos nunquam legiſſe, quòd ſi legiſſem, aut ab alio didiciſſem, eorum decretis lubens adhæſiſſem, ſicut adhærere paratus ſum, quotieſcunque demonſtrabitur. Hæc Rachonis.

19. Author hic venit ad manus poſt multum temporis, quo ſententiam ipſam, vnionem hypoſtaticam in influxu ſpeciali verbi circa humanitatem conſtituentem, tum in Sertoriana, tum & in hac Complutenſi academia, tuendam non ſemel arripui; nondum in Hiſpania liber hic affulſerat, qui primus eum prælo curatum dedit, fuit Bernalius; imo & primus ex noſtratibus, qui præſentem litem ab Authoribus publicè enodandam in ſcholas induxit: quapropter dictum Carolum ſedulà curâ quæſiui, iterum, atque iterum legi, & præter ea, quæ ex illo tranſtuli in defenſionem prædicti influxus, nihil apud ipſum reperi: ea cuncta ex eius libro exſcripſi; an ſufficiant ad talem operationem firmandam, *ſect.* 4 producam; nūc libuit ea, quæ antiquitus in huius ſpecialis influxus verbi ſuffragium me pertraxerunt, ſcribere, quod ſectio iſta immediata peraget: poſtmodum argumenta, quæ in meipſum ſui architectatus, recitare, & ſoluere, quibus *ſectio tertia* inſudabit, & tandem *ſectione* 4. ſententiam Theologis communem; & ideo probabiliorem, negantem vnionem hypoſtaticam

conſi

conſiſtere poſſe in influxu ſpeciali verbi circa humanitatem,proponam.Pro quo.

Sectio III.

Rationes aliæ pro ſententia conſtituente, vnionem hypoſtaticam in influxu ſpeciali verbi in humanitatem.

20. SEntentiam igitur iamdiu, dum imberbis Theologiam apud Hoxenſes dictabam, à me propugnatam, & à viris doctiſſimis Compluccoſibus laudatam, tametſi aliis, nec minoris notæ ſemper inuiſam,his terminis ſcribo: iſtam ſpecialem vnionem verbi,& humanitatis dependentiam à verbo explicari poſſe,aiebam, ſi dicamus; verbum ſpeciali influxu(aliis perſonis minimè ſic concurrentibus) humanitatem cauſaniſſe, quo ſuppoſito,rectè intelligetur, humanitatem ſpecialiter dependere à verbo, qualiter ſic ab aliis non dependeat;quæ maiorem lucem hauriebant ex alia opinione, quam ſupponebam, nempe productionem ipſam humanitatis in verbo formaliſſimè eſſe vnionem illius cum verbo. Ex quo optimè inferri videtur, humanitatem ſpecialiter vniri verbo, & non aliis perſonis,quod docet fides; ſiquidem ſupponitur à verbo ſolùm producta, & aliàs productio illius eſt formaliſſimè eius vnio.

21. Tota huius dicendi modi probabilitas, duplici capiti inniti videtur: primum eſt difficultas ingens, quam patitur mens in explicanda iſta ſpeciali vnione humanitatis ad verbum, qualiter ſic aliis perſonis vnita non ſit, ſi talis vnio conſiſtat in modo. Secundum eſt, in ſaluando illo axiomate Theologorum, nempe omnia opera Dei ad extra eſſe toti Trinitati communia. His enim capitibus præciſis, tali opinioni probabilitatem aliquam imungebam.

22. Iam quòd primum caput ſoffragium præſtet huic modo dicendi ponderabam ſic: etenim in hoc noſtro myſterio hæc ſunt certa; humanitatem ſpecialiùs à verbo, ac ab aliis perſonis pendere, necnon verbum diuinum eſſe immediatiùs, & ſingularius vnitum humanitati, quàm cæteræ perſonæ vniantur ei, vt *ſectio prima in notabilibus* ex cunctis dedit. Nunc petebam à concedentibus vnionem eſſe modum in humanitate receptum; in quo conſiſtat, humanitatem ſpecialiùs à verbo dependere, & verbum ſpecialiter humanitati vniri? Reſpondent ad primam, per ſecundam interrogationis partem, ideo ſcilicet humanitatem à verbo dependere, quia hoc per modum termini illis ſpecialiter vnitur. Sed contra replicabam, de hoc iterum quæro, quid ſit in verbo,& non in aliis perſonis,ratione cuius dicatur eſſe vnitum humanitati per modum termini? Reſpondebit communis, in verbo nihil aliud eſſe, quàm connotare in humanitate vnionem talis conditionis, quòd petat terminari ad verbum, & non alias perſonas. Sed replicabam, iterum petens, vnde habeat vnio illa talem conditionem ſtringentem ſuam terminationem ad verbum, & non ad alias perſonas? non à verbi maiori intimitate. Tum,quia committeretur circulus; tum etiam, quia phyſicè æqualiter, quippe coimmenſæ, penetrantur cum loco, cui correſpondet humanitas. Nec ratione cauſæ efficientis illam vnionem, nam in communi ſententia, cauſa per ſe vnionis illius eſt, tota Trinitas, non verbum. Ergo à cauſa efficienti præciſè non habet vnio, quòd terminetur ad verbum potiùs, quàm ad alias, imo à cauſa efficienti habebit ad tres terminari,cum à tribus cauſetur.

23. Confirmabam hoc ipſum, nam ſi vnitas omnipotentiæ, quæ eſt perſonis indiuiſa ratio producendi vnionem hypoſtaticam, & quoduis aliud ad extra producenda opus,eſt cauſa, quòd tres ſimul ſumptæ illam operentur, ita vt, in ſententia communi,non ſit liberum illis ſuum concurſum ſuſpendere, & in illam ſimul non erumpere: ita coniectare poterit,non eſſe in poteſtate illarum, non terminare illam vnionem ſemel ad verbum terminatam, tum ob indiuiſionem, & vnitatem immenſitatis illis neceſſaria æqualitate competentis, vi cuius, ſicut cæteris rebus, ipſi humanitati, ſicut verbum dicuntur præſentes, & ſunt, vt ex Hugo Cardinali *in ſpeculo Eccleſiæ §. poſt hæc igitur*, aſſerente non alium ſpecialem modum eſſendi in humanitate diuinis perſonis (dempto verbo, de quo nunc eſt lis)aſcribendum eſſe,præter illos tres communes eſſendi in cæteris rebus. Tum etiam propter æqualem connexionem, & cum eadem natura diuina identitatem, quam tres diuinæ perſonæ æqualiter poſſident; ex vi cuius connexionis, in ſententia Gabrielis Viguerij *inſtitutionum theologicarum, cap.16.§ 3.verſ.*4.Suarez *3.part.tom.*1.Vaſquez *diſput.*28. *cap.* 2. dicuntur ſpecialiori modo pater, & Spiritus ſanctus humanitati præſentes,quàm in aliis rebus.

24. Addebam ad hæc, & ſupra hæc: vnionem hanc ſpecialiter vniri verbo, qualiter non ſic cæteris perſonis vniatur, nihil aliud facit, quàm verbum conſtituere terminum illius intrinſecum. Sed hoc illi competere nequit, quin cæteris perſonis conueniat, ſi omnes talem vnionem indiuiſibiliter cauſant. Ergo vt ſaluetur, vnionem ſpecialiùs ad verbum,quàm ad alias perſonas terminari, neceſſe eſt,recurrere ad influxum ſpecialem verbi in humanitatem. Minor probatur: eſſe aliquid terminum intrinſecum alterius, vel notat, illud in ſe recipere iſtud,vel per informationem, vt contingit ſubiecto formam recipiente; vel per inhæſionem, vt competit eidem per ordinem ad accidentia.Hoc modo non dicitur verbum terminus intrinſecus vnionis humanitatis, ſicut nec vlla Dei diuina portio, vt fide credimus. Sed quidquid aliud ſit, æqualiter conuenit omnibus diuinis perſonis, eſſe terminum intrinſecum vnionis hypoſtaticæ. Ergo eſſe terminum intrinſecum vnionis, nequit verbo conuenire, quin cæteris perſonis competat, ſi omnes talem vnionem indiuiſibiliter cauſant. Probo minorem, nam, præter recenſita in illa maiori, eſſe aliquid terminum intrinſecum alterius, non poteſt eſſe aliud, quàm penetrari cum illo in eodem loco, vel dicant quid;imo

aliquid

aliquid eſſe in alio per informationem, & inhærentiam, nihil aliud eſt, quàm penetrari cum illo in eodem loco, cum mutua vnius ab alio dependentia; ergo vnum eſſe terminum intrinſecum alterius ſine dependentia ab illo, nihil addere poterit, præter penetrationem in eodem loco cum illo: vel dicant quid. Ergo verbum eſſe terminum intrinſecum humanitatis, abſque dependentia ab illa, nihil amplius importabit, præter penetrationem verbi in eodem loco, cui correſpondet humanitas, & eius vnio. Tunc ſic: ſed dicta penetratio cum humanitate, & vnione æqualiter cæteris perſonis, ac verbo competit. Ergo æqualiter illis cum verbo, eſſe terminum intrinſecum humanitatis, & vnionis conueniet. Minor patet, nam dicta penetratio conuenit verbo, quia immenſum, potens, & intelligens. At iſta æquè aliis competunt. Ergo & penetratio cum humanitate, & vnione.

25. Sed reſpondebis, iſta ſolùm concludere, penetrationem identicam, materialem, & nimis concomitantem cum vnione, & humanitate, cæteris perſonis conuenire, eo ipſo, quòd verbum immediatè, quod eſt terminus intrinſecus vnionis, ſit cum perſonis in eſſentia idem; non tamen conuenire, ita immediatam vnionem illis, ac verbo competere debere.

26. Replicabam primò, quid plus inueniatur in verbi penetratione cum humanitate, & non in penetratione aliarum perſonarum cum ipſa, ratione cuius penetratio verbi dicatur immediata, & aliarum perſonarum ſolùm mediata, & concomitans cum eadem humanitate dicatur coniunctio? ſecundò, omnes ſunt immediatè immenſæ, potentes, & intelligentes. Ergo omnes æquè immediatè in humanitate erunt. Probo conſequentiam, quia hæc eſt vera apud omnes, cum quibus diſputabam, tres diuinæ Perſonæ ſunt immediatè potentes, colligunt Authores, ergo omnes æquè immediatè vnionem, & humanitatem producunt; non vna mediatè, materialiter, & purè concomitanter cauſando, & alia immediatè & per ſe illas producendo. Ergo quia hæc altera propoſitio apud omnes eſt catholica, omnes Perſonæ diuinæ ſunt immediatè immenſæ, licebit colligere, omnes eas æquè immediatè eſſe humanitati præſentes, & cum illa penetratas, non vnã immediatè, & formaliter per ſe, & alias mediatè ratione alterius. Tunc ſic: ſed verbum eſſe ſpecialem terminum humanitatis intrinſecum, nihil amplius ſonat, (vel dicant quid amplius) quàm verbum eſſe cum illa, ſine dependentia ab ipſa penetratum. Ergo cæteræ Perſonæ æquè erunt termini intrinſeci humanitatis, & vnionis, cùm omnes æquè, ac verbum cum illis immediatè penetrentur. Ergo iuxta communem modum, non ita facile ſaluatur, verbum diuinum ſpecialiùs, quàm aliæ perſonæ ſint, eſſe terminum intrinſecum humanitatis, & vnionis, & has ſpecialiùs à verbo in ratione terminantis dependere, qualiter ab aliis perſonis ſic non dependere dicatur. Quapropter difficultas maxima, quæ in communi modo dicendi inuoluitur, non parum probabilitatis influxui ſpeciali verbi circa humanitatem, qualis cæteris perſonis denegatur, exhibere videtur.

Sed ſtatim ſe offert difficultas, nam eadem perſeuerat, conceſſo iſto ſpeciali influxu verbi, ſiquidem permiſſo, quòd verbum ſe ſolo humanitatem, vel vnionem produceret, adhuc humanitas non diceretur ſpecialiter à verbo, in ratione terminantis, intrinſecè dependere, nec verbum eſſe ſpecialiorem terminum humanitatis, qualiter ſic cæteræ perſonæ non euaſerint. Ergo inaniter talis ſpecialis influxus confingitur. Probatur antecedens, nam produci à ſolo verbo non tolleret, quominus vniatur immediatè poſtea cum aliis perſonis, ſicut non tolleret ab illis immenſitatem, ratione cuius penetrarentur cum humanitate, & vnione in loco, vbi producerentur à ſolo verbo. Ergo licèt à verbo ſolùm produci, extraheret humanitatem à dependentia in genere efficientis à cæteris perſonis, non tamen illam extraheret à dependentia ab ipſis perſonis, in ratione termini. Conſequentia eamdem agnoſcit probationem, qua modus communis impugnabatur ſuprà. Tunc ſic: ſed totalis fundabatur in ſaluanda ſpeciali dependentia vnionis à verbo, in ratione terminantis, qualiter ſic à cæteris perſonis nõ dependeat humanitas, quamque docent, concilia, PP. & Theologi, malè ergo confingitur modus nouas difficultates adaugens, & principale aſſumptum in eadem difficultate laborans, relinquens. 27.

Sed ab obiectione iſta, quæ inter omnes, ad uersùs iſtiuſmodi inuentionem, & eius vtilitatem, maximo robore viget: ſic me expedire conuitebar. Docent Authores cum Mag. *in 1. diſt.* 37. & cum ſanctiſſimo doctore 1. *part. quæſt.* 9. Deum (ſic de perſonis diſcurrunt) eſſe omnibus rebus præſentem triſariam: per potentiam videlicet, quia omnia operatur. Per præſentiam, quia omnia callet. Per ſuum eſſe, quia media ſua immenſitate omnia loca replet. Eſſe autem modos iſtos diſtinctos, docent cuncti, ſiquidem modi iſti fundantur in attributis, ratione, & virtualiter diſtinctis. Primus in omnipotentia. Secundus in ſcientia. Tertius in immenſitate; atque adeo ſicut hæc virtualem diſtinctionem patiuntur, eamdem in prædictos modos eſſendi Dei in cunctis rebus refundent. Hoc ſuppoſito, aſſerebam, poſſe vnum ex iſtis modis alicui perſonæ conuenire, qui cæteris non competat; vnde in hypotheſi, qua verbum diuinum produceret efficienter humanitatem, & non aliæ perſonæ, eſſet in humanitate per immenſitatem, & præſentiam ſimul cum aliis perſonis, quia ſicut eam verbum cognoſceret, & ſuo loco, quippe immenſum coexiſteret, ita de aliis perſonis idipſum verificarètur: non tamen Pater, & Spiritus ſanctus eſſent in humanitate per omnipotentiam in actu ſecundo, atque adeo immediatus iſte modus vniendi ſe humanitati deficeret neceſſariò illis. 28.

Sed replicabis, hoc ſolùm probare, verbum eſſe cauſam efficientem, non tamen cæteras perſonas; verùm non conuincere, illud ſolum eſſe intrinſecum terminum vnionis, 29.

poſt

poſtquam ab illo eſt producta; quia iuxta modum hunc dicendi, omnes tres perſonæ, cùm æqualiter ſint immenſæ, æqualiter cum illa penetrabuntur, & erunt illius termini æquè intrinſeci.

30. Reſpondebam huic replicæ admittens lubens, ex vi prædicti dicendi modi, immediatè ſequi verbum eſſe ſpecialiſſimam cauſam effectiuam humanitatis, & vnionis illius cum ipſo, verùm & hoc ſufficere, vt dicatur verbum ſpecialis terminus humanitatis, rationem dabam, nam cùm productionem humanitatis ſupponamus, in hoc dicendi modo, eſſe formaliſſimè vnionem illius cum verbo, fit, quòd productio illius à ſolo verbo ſit ſufficiens fundamentum, vt illi attribuatur ſpecialiter vnio, quamuis aliæ perſonæ ſint illi alio titulo penetratæ. Sicut in ſententia omnium, quamuis Deus dicatur eſſe in omnibus rebus per immenſitatem, ſpecialiter dicitur inhabitare in Iuſtis, quia producit gratiam, & conſeruat in illis. Ita dicebam, quòd quamuis omnes perſonæ dicantur penetratæ cum vnione per immenſitatem, ſpecialiter dicetur eſſe humanitas verbo vnita, quia ipſam ſolum verbum producit in ſe. Præterea, nam defendentes productionem humanitatis eſſe vnionem iſtius cum illo, ſuſtinent, verbum eſſe ſpecialiorem terminum talis vnionis, qualiter ſi cæteræ perſonæ non iudicentur, quamuis ex alia parte defendant, humanitatem eſſe à tota Trinitate productam. Ita plures, quos ſequitur Bernalius citatus *dubio antecedenti, ſect.* 1. *&* 2. necnon omnes eſſe cum illa æqualiter penetratas. Ergo potiori titulo ſaluabitur hoc ipſum, ſi dicamus, verbum diuinum ſe ſolo (aliis perſonis non concurrentibus ſic) humanitatem in ipſo verbo producere, quamuis omnes tres perſonæ cum humanitate producta penetrentur.

Sectio IV.

Ratio intendens componere, ſpecialem influxum vnius Perſonæ, in effectum ad extra, non concurrentibus ſic aliis Perſonis, cum æqualitate omnipotentiæ in omnibus illis.

32. SEcundum caput, vnde probabilitatem influxui ſpeciali in humanitatem hauriebam, erat oſtendere, ex illo, nullo modo inferri Patrem, & Spiritum minimè in humanitatem influxum præſtantes, aliquod decrementum in omnipotentia paſſuros; nec verbum omnipotentius euadere, ex eo, quòd influxum humanitatis productiuum ſe ſolo præſtaret, non concurrentibus cæteris perſonis diuinis; quod non aliter adumbrari præſumebam, niſi oſtenſione poſſibilitatis effectus ad extra, qui ſolùm ab vna perſona productus, in quem ſub illo influxu non influant aliæ, nullo modo detrahat illis aliquid omnipotentiæ illarum; ſed quòd ita omnipotentes ſine prædicto influxu remaneant, ac ſi ſimul cum alia perſona, talem effectum producente concurriſſent.

Rationem huius ſic efformabam, etenim ſi aliquid eſſet obuians prædicti influxus poſſibilitati, maximè, quòd iſte influxus, cùm effectiuus eſſet, deberet ab omnibus perſonis, quibus æqualiter inſidet eadem virtus, & omnipotentia, ortum habere, aliàs media vna virtute ad extra non dicerentur operari, & in vi producendi aliquid inæqualitatis ſuſciperent perſonæ. At influxus iſte ſpecialis prædictum inconueniens non infert. Ergo &c. Minorem probo oſtendendo, componi poſſe cum vnitate prorſus omnipotentiæ, diuiſionem influxus in opera externa, ſaltem de poſſibili. Pro quo 33.

Nota, eſſe duo quaſi dogmata in omni ſchola, ſine exceptione vera. Primum, quòd obiectum, vt terminet cognitionem, priùs mouere debeat potentiam, vel per ſe ipſam, ſi in debita ſit proportione, & indiſtantia cum illa. Qualiter ſic dicunt communiter diſcipuli ſanctiſſimi Thomæ, & Exteri *tomo* 2. *tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti diſp.* 1. citandi, mouere de facto eſſentiam diuinam, intellectum beati, & ſubſtantiam Angelicam, propriam mentem. Vlteriùs, vel mediante ſpecie intelligibili, diſtincta ob obiecto, illud cum potentia intimante, & proportionante, vt contingit omnibus obiectis naturalibus craſſis, non valentibus ſeipſis inſtare potentiis. Lege Ariſt. *lib.* 3. *de anima, text.* 13. necnon ſanctiſſimum Thomam, *quæſt. illa* 54. 1. *partis:* vbi Animaſtici docent, obiecta materialia per interiectas ſpecies, potentias intentionales immutare, & Theologi per infuſionem ſpecierum, docent, Angelicas mentes, cætera obiecta mouere in ſui cognitionem. Quæ adeo certa iudicant Authores, vt impoſſibile cenſeant, aliquod obiectum poſſe terminare cognitionem certam, quin priùs ipſum per ſe, vel media ſpecie non mouerit ſic potentiam, & illam priùs non conſtituerit determinatam, quaſi in actu primo ad ſui cognitionem. 34.

Secundum dogma ſcholaſticum eſt illatum ex primo, illud nempe, mouere obiecta potentias ad ſui cognitionem, ſpectare, tum ad genus cauſæ formalis; tumque ad efficientem; ita vt eadem ſpecies, vel obiectum, conſtituens in actu primo ex parte obiecti determinatam potentiam, id præſtat, vel vt forma ſtricta, ſi eſt ſpecies, vel quaſi forma ſi ſit ipſum obiectum: Poſtquam verò eſt immutata potentia vel per ſpeciem, vel per obiectum, ambo concurrunt in genere cauſæ efficientis ad eius obiecti viſionem; ita vt illa cauſalitas formalis ſit propter efficientiam viſionis; taliter, quòd impoſſibilis ſit viſio ſine influxu vtroque; ſiquidem, ſi deficit determinatio formalis in illo priori, potentia erit indeterminata ad hoc potiùs, quàm ad illud obiectum, atque adeo non poterit attingere obiectum hoc determinatum præ alio. Si verò deficit influxus obiecti, vel ſpeciei loco illius, qui effectiuus ſit, in viſionem, quomodo hæc dicetur partus intentionalis, & fœtus, de cuius ratione eſt pendere effectiuè à matri, ſeu 35.

viros

viro, qui eſt obiectum, cuius ſemen eſt ſpecies, & à fœmina, nempe potentia; ſicut in fœtu naturali diſcurrunt naturales; imo ſi res attentè inſpiciatur, exiſtimauerim, inſupplebiliorem eſſe concurſum effectiuum ſpeciei, vel obiecti in viſionem, quàm potentiæ. Ratio, nam licèt fœtus naturalis congreſſum viri, & fœminæ depoſcat, tamen aliter, ac aliter; nam extat opinio probabilis defendens, maſculum in genere cauſæ efficientis concurrere; fœminam verò ſolùm, vt cauſam materialem, adminiſtrando videlicet materiam in vtero. Ita communis ſententia ſanctiſſimi Thomæ, vt vidimus *tract. 2. de cauſis intrinſecis incarnationis ex lib. 1. de penetratione*: Ergo ſimiliter licebit coniectare in fœtu iſto intentionali, qualis eſt cognitio æmula, quæ eſt partus naturalis, taliter illam efflagitare concurſum actiuum in ſpecie, ſeu obiecto, quod correſpondet mari, & eius ſemini, vt indiſpenſabilior ſit in genere efficientis, quàm influxus actiuus potentiæ. Doctrina hæc, quippe communis, citatos non petit Authores.

36. Ex hoc deducebam, non poſſe dici, hoc obiectum eſſe terminum huius cognitionis, niſi priùs in illam effectiuè concurrerit, vel immediatè per ſeipſum, ſi præceſſerit indiſtans potentiæ, & illi proportionatum, vel mediante ſpecie diſtincta, ſi obiectum tales conditiones non ſeruauerit. Quapropter Authores cuncti *1. part. quæſt. 12.* colligunt, diuinam eſſentiam habere influxum effectiuum, non ſolùm in genere cauſæ vniuerſalis, ſed per modum particularis principij, influxum effectiuum intentionalem præſtantis in viſionem; cuius rationem dant, quia videlicet ipſa in ſe eſt obiectum terminans beatum intuitum. Sic doctiſſimi Patres Salmanticenſes *tom. 1. in 1. p. quæſt. 12. diſp. 2. dub. 3.* Gonzales, Bannes, Ioannes à ſancto Thoma, & Arauius cum Zumel & Machinio ibidem. Similem doctrinam edocent Patres Ieſuitæ. Vide Arrubalium, Heritium, Granadum, Ruicium, Martinomium, & Amicum. Ex diſcipulis ſubtilis doctoris Fabrum *in 2. diſt. 3.* Radamque *controu. 5. tom. 2.* Vbi diſtinguunt duplicem concurſum effectiuum in viſionem à Deo præſtitum. Vnum, generalem tanquam à cauſa prima ortum. Alium, particularem ab ipſa, vt obiectum motiuum eſt, profectum.

37. Aliud dogma eſt euidenter probabile apud Authores plures, quos *numero antecedenti* citauimus, videlicet, vnam perſonam diuinam poſſe ſine alia videri, ſaltem dependentia Dei abſoluta; & idem ſuſtinent de diuinis attributis.

Ex omnibus his, rationem in fauorem concurſus effectiui ſpecialis vnius perſonæ ſic efformabam: poteſt dari cognitio attingens Patrem, non attingens Spiritum ſanctum. Ergo vna perſona poteſt eſſe obiectum terminatiuum formale huius cognitionis beatæ, quin formaliter alia recenſeatur talis. Iſta illatio eſt euidens. Ergo ad illam viſionem eliciendam ſolùm effectiuè influxit pater, non concurrente Spiritu ſancto. Probabam iſtam: obiectum illud terminat cognitionem, quod efficienter in illam influxit. Ergo ſi de poſſibili, vna perſona terminat ſola viſionem, & non alia, illa influxit in vnionem, & non hæc. Antecedens probo ex notabilibus: illud obiectum videtur, ſeu terminat cognitionem, quod vel immediatè per ſe, ſi eſt proportionatum potentiæ, & illi indiſtans, vel mediatè per ſpeciem, ſi improportionatum, & indiſtans, determinauit formaliter potentiam, ex ſe indifferentem in actu primo. Ergo illud obiectum terminat cognitionem formaliter, quod in illam influxit efficienter. Antecedens admittunt omnes tametſi parum in Theologia adulti, & experientia nobis conſtat, tunc aliquod obiectum non videri, quando potentia noſtra non ſupponitur determinata in actu primo, determinata per ſpeciem illius. Conſequentiam nunc probo: illa eadem ſpecies (vel obiectum loco ſpeciei) quæ vt cauſa formalis determinat potentiam in actu primo, neceſſariò concurrit efficienter in viſionem. Ergo ſi per te obiectum, quòd priùs, vel per ſe ipſum, vel mediante ſpecie, conſtituent potentiam in actu primo determinatam, vt cauſam formalem, etiam petet, quòd pro poſteriori influxerit poſtea, vt cauſa partialis efficiens in viſionem. Antecedens patet, nam ſpecies, & obiectum debent cauſare viſionem, ſed illam non cauſant, vt forma intrinſeca, nec vt materialis, vt de ſe liquet: nec vt finalis, quin potiùs viſio ſit finis ſpeciei, & potentiæ, cùm vtraque ſit propter viſionem. Ergo vt efficiens cauſa ad viſionem comparabuntur.

Hanc efficientem cauſalitatem obiecti, vel ſpeciei in viſionem, aliter ponderabam: ſi- 38.
quidem obiectum, potentis, ſpecies, & viſio correſpondent mari, fœminæ, ſemini, & fœtui naturalibus. Mas eſt obiectum, ſpecies eſt ſemen, fœmina eſt potentia, & viſio fœtus. At in naturalibus tam mas, quàm ſemen, ille vt cauſa principalis, & hoc vti inſtrumentum concurrunt efficienter ad producendum fœtum, vt docet communis philoſophia. Ergo ſpecies, & obiectum debent concurrere efficienter ad cognitionem, partum aliàs intentionalem intelligibiliter gignendum. Nunc vltra. Ergo ſicut in naturalibus fœtus ille terminatur, tanquam filius ad Petrum, tanquam Patrem, & non ad Paulum, quando Petrus, & non Paulus effectiuè erupit per ſemen in illum; ita cognitio, quæ intentionalis fœtus eſt, terminabitur, tanquam mentalis filius ad hoc obiectum, *A*, & non ad, *B*, quando, *A*, & non, *B*, concurrerit effectiuè ad illam. Ergo ſicut in naturalibus deducitur; hic homo terminatur, vt filius ad Petrum, & non ad Paulum. Ergo hic non concurrit effectiuè ad illum producendum, bene autem Petrus. ita licebit coniectare; viſio hæc terminatur ad obiectum *A*. & non ad, *B*, ergo, *A*, & non, *B*, concurrit effectiuè ad illius productionem; par enim eſt vtriuſque ratio: quia ideo in naturalibus, paternis relatio petit concurſum effectiuum, quia, vt fert communis phraſis, fundatur relatio illa, vti in conditione fundandi neceſſaria, in actione generantis. Vnde frequenter dicitur, quòd relationes prædicamentales ſecundi generis, vt paternitas, & filiatio, fundantur neceſſariò in actione, & paſſione. Ex quo fit: Petri paternitatem erga Franciſcum ſuum filium, petere

actio

actionem in Petro, ſupra quam fundetur relatio Paternitatis in Petro: & Franciſci filiationem petere paſſionem, quæ ſit terminus inſiti ab actione illa Petri ortus, ſupra quam fundetur Franciſci filiationis relatio. Ergo ſimiliter, vt abſolutè cognitio hæc dicatur intentionalis filia, terminata ad obiectum hoc, *A*, tanquam ad ſuum patrem, & non ad obiectum, *B*, requiret in ſe quandam quaſi paſſionem ab actione illius obiecti, *A*, & non obiecti, *B*, productam, ſupra quam fundetur relatio illa intelligibilis filiationis. Similiter vt obiectum hoc, *A*, dicatur Pater iſtius cognitionis, & non alius, requirit in ſe actionem exercere in illam, ſupra quam fundetur ſua paternitatis intentionalis relatio. Nunc ſic: ergo ſi cognitio beata ſolùm terminatur ad primam perſonam, & non ad Spiritum ſanctum. Ergo ſolùm habet cognitio beata illa, quaſi paſſionem, dependentem ab actione ſolius primæ perſonæ, & non ab actione Spiritus ſancti, ſupra quam fundetur, quòd cognitio illa eſt filia intentionalis intentionaliter relata, ſeu terminata ad primam perſonam ſolùm, & non ad Spiritum ſanctum.

39. Diſcurſu iſto, oſtendebam poſſibilitatem influxus effectiui in aliquod opus ad extra, dimanantis ab vna perſona non concurrentibus aliis, cuius poſſibilitatem ſuppoſitâ doctrinâ, quam probabiliter ſuſtinent plures Patres doctiſſimi ex ſocietate Ieſu, exiſtimo eſſe irrefragabilem; etenim ipſi negare nequeunt, viſionem illam ad vnam perſonam terminatam, effectiuè non naſci ab aliis, ad quas non terminata ſupponitur, tanquam à principio particulari per modum obiecti, medio vero influxo effectiuo intentionali, vt ex notabilibus illis, & aliis authoribus communibus oſtendimus: ſolùm enim adeſſe poteſt refugium, vt componant, perſonas, quibus talis influxus negatur, omnipotentes manere æqualiter cum illa perſona tunc in viſionem influente, quòd ſcilicet, viſionem illam cauſent medio alio influxu, omnibus generali, & communi titulo cauſæ primæ debito ipſis; verùm hoc minimè ſufficere, vt eis aliquis influxus, ſuppoſitâ doctrinâ illorum, in prædictam viſionem non deficiat, Etenim idipſum nos experimur, ſiquidem nunc Deus concurrit ad viſionem hanc, qua papyrum video, & tamen per illam Deus non videtur. Ratio, quia ſolùm Deus concurrit vt generalis cauſa, medio concurſu generali, qui non ſufficit, vt ſit terminus viſionis huius, ad hanc enim deſideratur alius ſpecialior, videlicet intentionalis influxus in viſionem. Ergo licèt dum videtur perſona Patris, aliâ non viſâ, ad talem viſionem concurrant cæteræ per concurſum generalem, non tamen vt cauſa particularis obiectiua, aliàs iam viderentur omnes, quod eſt contra ſuppoſitionem: ſiquidem tam certum eſt, rem videri per viſionem, ad quam per ſe ipſam, vel per ſpeciem, per modum obiecti influxit, ac non videri per viſionem, ad quam ſic non influxit, tametſi ei ad talem cognitionem producendam, influxum vniuerſalem cauſæ primæ conceſſerimus.

40. Rurſum nec authoritate grauium doctorum deſtituitur, particularis influxus in aliquem effectum ad extra, alicui perſonæ competens, qui denegetur aliis, tametſi omnes aliæ, quibus talis influxus denegatur, æqualiter omnipotentes maneant. Magiſter Arauio olim primarius apud Salmanticos, nunc illuſtriſſimus Epiſcopus Segouienſis, *tom. 1. in part. 3. quæſt. 1. articulo 2. dubio 5.* aſſerit duo. Primum valorem infinitum operum Chriſti eſſe quendam modum realem intrinſecum, conſiſtentem in intrinſeca condignitate eorumdem operum; Quodque multis probat. Secundum, nam indagans principium, à quo talis modus in operationibus cauſetur, habet hæc verba §: *ex quo ad obiectiones. Ad primam obiectionem reſpondetur, prædictum valorem deriuari à ſola perſona verbi immediatè, per naturalem veluti reſultantiam, vt dictum eſt: quamuis enim relatio non ſit propriè operatiua per veram efficientiam, tamen poteſt eſſe id, ex quo aliquis modus reſultet, ſaltem moralis. Nec eſt inconueniens, huiuſmodi effectum moralem, non eſſe communem toti Trinitati, ſed ſoli perſona verbi conuenire, à qua, ſuppoſita prædicta vnione (quam ſuprà explicuerat ipſe) reſultat. Et deinde ad ſecundum habet hæc: ſimiliter dicendum eſt, quòd licèt perſonalitas verbi per ſe primò ſolùm habeat terminare humanitatem, & terminare non ſit efficere, tamen, ſuppoſita huiuſmodi terminatione, bene poteſt eſſe principium modi moralis per naturalem reſultantiam, cuius tamen tota Trinitas eſt cauſa per efficientiam.* Hæc Epiſcopus ille. Vbi ponderanda ſunt tria. Primum, modum illum moralem eſſe verum ens reale intrinſecum, vt ipſe acriter defendit contra Scotum *in 3. diſtinct. 19. quæſtione 1.* Vaſquium *1. 2. diſput. 95. capite 10. & hîc in hac 3. part. diſputat. 6. cap. 2. & 3.* & Suarez *ibidem diſputatione 4. ſectione 4.* aſſerentes, valorem infinitum in operibus Chriſti, tam vt ſatisfactoriis, quàm vt meritoriis, eſſe denominationem quamdam extrinſecam, ſiue reſpectum rationis ad perſonam infinitam, qui inquam Authores hanc denominationem extrinſecam diuerſimodè explicant, vt videbimus latè *tomo 2. tractatu de ſpectantibus ad Chriſti voluntatem.* Secundum, influxum illum, medio quo, in operibus Chriſti intrinſecè reſultat, eſſe proprium perſonalitati verbi, ſic minimè aliis perſonis influentibus in illum. Tertium, influxum illum, quem vocat reſultantiam, ſpectare ad categoriam actionis veræ, quæ eſt cauſalitas cauſæ efficicientis, quia, iuxta communem phraſim diſcipulorum ſanctiſſimi Thomæ, & plurium præter illos; emanatio, ſeu reſultantia paſſionum à natura, veri influxus effectiui rationem participat; & ratio ipſa demonſtrat, ſiquidem omnis effectus verus, hîc & nunc extra cauſas poſitus veram actionem, & realem, ſicut veram, & realem cauſam ſui, de poſcit eſſentialiter, ſiue talem influxum, medio quo, extra cauſas ponitur, voces emanationem, aut reſultantiam, ſiue actionem vocites. Ex his deprehendes illationem hanc: Ergo dabilis eſt influxus verus, & realis, reſpectu alicuius effectus realis, qui ſpecialis ſit verbo, taliter, quòd ortum non habeat, ſaltem per reſultantiam ab aliis perſonis. Modum hunc, medio hoc influxu ſpecialiſſimo verbi, defenderunt Salmanticenſes

celeberrimi Thomiſtæ, ex dominicana, & ex noſtra familia.

41. Deinde Amicus *tomo de incarnatione, diſp.* 1. *de poſſibilit. incarnat. ſect.* 5. *num.* 153. habet hæc verba formalia: *deducitur tertiò: verbum habere aliquam cauſalitatem propriam ad extra, quam non habent reliquæ perſonæ diuinæ*, & hanc cauſalitatem notionalem proprietatem ipſius verbi ad extra. Sed non multum fidi poteſt in aſſerto iſto, cùm Author hic talem cauſalitatem non reducat ad genus cauſæ efficientis, vt ipſe ſatis ſe explicat.

42. Ex his omnibus aliqua probabilitate influxum hunc ſpecialem adumbrari exiſtimabam. Sed quod magis me in eius tutamen impellebat, erat, Authorum tam languida in re ita perdifficili meditatio, vt iure Bernalius, *vbi ſuprà*, cunctos Authores increpauerit, eo quòd præſentem litem ſine diſcuſſione aliqua prætermiſerint; & quod plus eſt, ita animati illi celebri adhærentes (omnia opera ad extra eſſe communia Trinitati) vt nec in eius fauorem, nec aduersùs illud, vt eius veritas magis eluceret, aliquid in ſcholas induxerint. Quapropter quæ iamdiu contra ſpecialem hunc influxum vnius perſonæ meditatus fui, ſectio ſequens perhibebit.

Sectio V.

Obiectiones contra influxum ſpecialem effectiuum vnius perſonæ in effectum ad extra.

43. Arguebam primò: tres perſonæ ſunt æqualiter omnipotentes. Ergo ad quemlibet effectum vnius ad extra omnes concurrere debent. Conſequentia patet. Quia eſt omnipotens Deus, omnia, quæ fiunt, à Deo fiunt. Ergo quia tres perſonæ omnipotentes ſunt, quidquid ad extra fit, à cunctis debet fieri.

44. Reſpondebis, omnes manere omnipotentes, quia in his manet vis producendi quemuis effectum, quamuis hic & nunc liberè aliqua ex illis talem effectum non cauſaret. Sicut Deus vtraque ratione, vt vnus ſcilicet, & trinus, eſt abſolutè omnipotens, quia licèt plura poſſibilia non produxerit de facto, tamen ea producere poteſt, & liberè eorum productionem omiſit.

45. Sed replicabis, etenim ita officit omnipotentiæ non concurrere ad effectum, qui de facto producitur, ac non poſſe producere, quod ex ſe producibile erat. At perſonæ duæ (vt ſupponimus) non influerent in effectum, qui de facto ab alia produceretur. Ergo quamuis poſſent producere, quia tamen de facto non producerent illum, omnipotentes non erunt.

46. Reſpondebis, maiorem eſſe veram, quia aliàs cauſa prima non eſſet Deus, ſi aliquis effectus hic & nunc exiſteret in rerum natura ſine aliquo eius concurſu. Sed tamen vt omnipotens dicatur Deus, neceſſe non eſt, quòd eius concurſus in illum effectum, à triplici ſuppoſito diuino promanet, quia ſola vna diuina perſona concurrente, cùm illa ſit verè Deus, iam verificaretur de Deo eſſe cauſam primam, & omnipotentem, taliter vt nullus effectus ad extra ſuam cauſalitatem effectiuam fugeret.

Sed replicabis, quia ſolutio hæc licèt illæſum relinqueret conceptum omnipotentis, & cauſæ primæ in Deo, ſub ratione abſoluti indiuidui, necnon ſub ratione vnius perſonæ; non tamē ſub ratione trini. Atqui fides docet, Deum omnipotentem eſſe ſub vtraque ratione. Ergo ſolutio hæc non ſufficit. Maiorem probo, nam ſolutio ſupponit, Deum, vt eſt indiuiduum vnum deitatis, ſuum concurſum in effectum illum præſtare. Ergo præcisè ſecundùm illam rationem eſſet omnipotens. Probo conſequentiam, nam cæteris perſonis ſolutio hæc negat in effectum influxum, & eum vni perſonæ exhibet. Ergo hanc ſolùm admittit omnipotentem, & alias eſſe negat. Probo conſequentiam. Si ſolutio illa negaret virtuti abſolutæ Dei, vt eſt in illa perſona, quod in effectum illum erumperet, non maneret Deus omnipotens, prout in tribus eſt perſonis. Ergo ſi ſolutio negat prædictum influxum Deo, prout eſt in duabus, multò meliùs negabit, Deum eſſe omnipotentem, prout in tribus. 47.

Fulcio hoc ipſum, fides docet, quòd licèt eſſentia diuina in tribus perſonis ſit eadem, & indiuiſa, tamen prout in patre, & filio eſt fæcunda, & omnipotens ad intra, at prout in Spiritu ſancto, minimè ad intra fæcunda eſt: cuius rationem dant communiter ex SS. PP. Theologi, quia eſſentiæ, vt eſt in duabus perſonis, conceditur productio ad intra ad quamlibet perſonam, quæ ad intra procedit; at eſſentiæ diuinæ prout eſt in Spiritu ſancto, talis operatio ad intra negatur. Ergo ſimiliter, ſi ſolutio data, Deo ſolum, vt exiſtenti in vna perſona, conceditur influxum præſtare effectui ad extra producto, & Deo, vt in aliis perſonis, talis influxus negatur: fiet, Deum ſolum eſſe omnipotentem ad extra, vt eſt in vna perſona, non verò, vt eſt in duabus perſonis aliis. Conſequentia videtur euidens. Etenim negatio concurſus in terminum ad intra, negat Perſonæ fæcunditatem ad intra. Ergo negatio influxus in terminum ad extra, negabit duabus perſonis fæcunditatem, & omnipotentiam ad extra: par eſt caſus vterque. 48.

Reſpondebis ſolutionem admittens, iuxta quam negabis maioris ſequelam argumenti & vt clarior fiat proceſſus, nota; Deum poſſe concipi, vt quoddam eſt indiuiduum Dei talis, ſubſiſtentiâ abſolutâ terminatum, nulla conſideratione facta ad relatiuas perſonalitates; conſiderato ſic Deo, ſuppone, ipſum velle concurrere ad aliquem effectum ad extra, nullo modo concurrente ipſo, vt eſt in tribus perſonis; quod fieri poſſe, conſultâ eius abſolutâ potentiâ, deducebam, tum ea ſententia probabili ſuprà allata, edocente, poſſe eſſentiam intuitiuè videri, non viſis perſonis, ex qua deducitur, vt vidimus, ſolam eſſentiam præſtituram effectiuum influxum in viſionem illam ſui, nullo modo ad perſonas terminatam. Tum etiam ex probabilitate alterius ſententiæ, quam infrà examinabimus *diſputat.* 3. 49.

vide

videlicet, Deum abſolutè ſubſiſtentem, & vt eſt indiuiduum deitatis præintellectum ad perſonas, poſſe naturæ humanæ ſpecialiter vniri, qualiter ſic minimè dicantur vnitæ perſonæ. Ex hac opinione deducitur, humanitatem hanc ſpecialiter ſolùm à deitate, & non à perſonis dependere, vt colligi poteſt ex ratione, quam dedit *ſectio tertia* pro ſpeciali influxu verbi in humanitatem, aliis perſonis denegato. Vnde fit, quòd Deus, vt abſolutè ſubſiſtens, & vt indiuiduum deitatis eſt, poſſit effectum ad extra ſe ſolo producere non concurrentibus perſonis, cuius probabilitatem deducebam ex prætactis probabilibus opinionibus. Cum hoc tamen ſtare aſſeuerabam, non poſſe aliquam perſonam influere in effectum ad extra. nec ad intra, quin etiam Deus vt eſt indiuiduum deitatis, in tale opus influeret: ita vt hæc eſſet vera, operante qualibet perſona, *Deus illud opus operatur*. Ratio, quia cùm operetur Dei ſuppoſitum, perſona quauis operante, & iam iſta influente, operabitur deitatis indiuiduum, quia hoc intrat eſſentialiter conceptum perſonæ, iuxta huius Boetianam definitionem. Vnde in caſu, quo tale indiuiduum deitatis operetur, non concurrentibus perſonis, non tolleretur omnipotentia ab illis, ſicut nec in caſu, de quo eſt lis, nempe, quòd vna ſolùm producente effectum ad extra, aliis non concurrentibus, denegaretur eis omnipotentiæ æqualis virtus. Rationem dabam, quia negatio concurſus non naſceretur tunc ex impoſſibilitate virtutis productiuæ, ſed ex libera voluntate, determinante potentiam (quæ aliàs in omnibus reperitur) vt aſſiſtat vni perſonæ, & non aſſiſtat aliis quoad exercitium influendi. Hoc tamen de facto non euenit (ſic reſpondebam confirmationi *numeri* 48.) in negatione concurſus ad intra, conceſſa Spiritui S. nam hunc non concurrere, naſcitur ex impoſſibilitate virtutis proximæ productiuæ, & ex impoſſibilitate termini; nam vt docet communis *tract. de Trinitate*, perſonæ diuinæ producentes ad intra, medio intellectu, & voluntate operantur, & cùm iſtæ virtutes proximæ maneant ad intra exhauſtæ ſemel verbo, & Spiritu ſancto productis, fit, quòd in Spiritu ſancto non maneat virtus proxima ad producendum ad intra; atque adeo eſſentia, prout in tribus perſonis, non erit ad intra proximè fœcunda; non præcisè, quia illi negatur concurſus, ſed quia talis negatio naſcitur in Spiritu ſancto, ex defectu proximæ virtutis ad aliquem terminum producendum ad intra.

50. Sed replicabis, non poteſt Deus habere decretum applicandi ſuam omnipotentiam liberè, vt in exercitio operetur effectum ad extra, prout eſt in vna perſona, & illam non applicare, prout eſt in aliis. Ergo ſi ſemel concedatur, perſonam vnam, effectum ad extra producere, non concurrentibus aliis, erit ob defectum virtutis operatiuæ in illis inuentum, ſicut in Spiritu ſancto reſpectu termini producendi ad intra. Antecedens probo: non poteſt Deus decernere id, quod derogat denominationi omnipotentis in perſona. Sed applicare omnipotentiam vni, vt influat ad extra, & illam aliis perſonis non applicare, derogat denominationi omnipotentis in illis. Ergo talem applicationem Deus liberè nequit decernere. Probo minorem, nam ſi Deus liberè applicare vellet vim cognoſcitiuam vni perſonæ, vt hîc & nunc aliquod obiectum calleat, & eam non applicare aliis diuinis perſonis, decerneret id, quod derogaret denominationi omniſcij in dictis perſonis. Ergo ſi applicaret omnipotentiam vni perſonæ, vt in hunc effectum influat, & illam non applicaret aliis, decerneret id, quod ipſarum denominationi omnipotentis derogaret. Conſequentiam docet paritas, quia ſi negatio cognitionis obiecti permiſſa alicui perſonæ, derogat in illa rationi omniſciæ cognitionis, cur negatio influxus in aliquem effectum, volita alicui perſonæ, non derogabit in ea rationi omnipotentis? vnde ex veritate inſtantiæ allatæ ortum eſt apud Theologos proloquium, ſcilicet, non eſſe ſub poteſtate voluntatis imperare alicui perſonæ, quòd obiectum aliquod non cognoſcat, ſi aliàs ab aliis cognoſcitur. Ergo ſimiliter non erit ſub libertate voluntatis imperare, vel decernere, ne duæ perſonæ influant in hunc effectum ad extra, qui hîc & nunc ab alia perſona dicitur cauſari. Ergo ſi vna illum producente, cæteræ in ipſum non influunt, prouenire id non poterit ex libera Dei voluntate decernente, ſed ex defectu aliquo virtutis in illis inuento, qualiter in Spiritu ſancto reſpectu influxus ad intra, dicunt Theologi, reperiri. Quod eſt admittere, perſonas, caſu, quo alicui illarum concedatur ſpecialis influxus in aliquem effectum ad extra, minimè relinqui in omnipotentia æquales.

Reſpondebis negans antecedens. Ad cuius probationem, diſtingues antecedens, ſi negaretur alicui perſonæ omnis cognitio, eſt verum, ſi negaretur aliqua, eſt falſum. Pro quo notabam 1 in diuinis vnam ſolùm, quoad entitatem, cognitionem reperiri, ſed tamen, quidam in illa plures formalitates, alij vnam formalitatem cum diuerſis denominationibus, iam ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, iam ſcientiæ viſionis ſimul & approbationis, iam ſcientiæ viſionis præcisè ponunt. Hoc notato, dici poteſt, non eſſe ſub poteſtate voluntatis diuinæ imperare, vel applicare vnam perſonam, ne abſolutè cognoſcat obiectum ab alia cognitum; bene tamen eſſe ſub poteſtate voluntatis impedire, ne vna perſona habeat cognitionem eamdem, vel quoad formalitatem, vel quoad denominationem, quam alia perſona de eodem obiecto habet. Ratio, nam ex ſuppoſitione, quòd vna perſona vnum effectum producat, & non aliæ; cùm illud operetur mediante cognitione, quam vocant quidam, *viſionis*, & alij approbationis ſcientiam, de cuius ratione eſt connotare duo. Primum, actum voluntatis producentem. Secundum, effectum ab illa productum ad extra; fit, quòd hanc cognitionem approbationis habeat de illo obiecto aliqua diuina perſona, & non alia, quæ illum ſola producere dicatur. Vnde cùm ſupponat ſententia hæc, quòd vna perſona ſola effectum illum cauſet, & non aliæ ex imperio, ſeu applicatione diuinæ voluntatis; fit, quòd ſub tali imperio cadere poſſit, ne perſonæ duæ non 51.

concurrentes habeant cognitionem illam, ſaltem quoad denominationem, ſeu formalitatem, quam habet alia perſona de effectu, quem cauſare dicitur non concurrentibus aliis: licèt cum hoc ſtet, quòd non poſſint, non cæteræ perſonæ cognoſcere talem effectum cognitione diuerſa; aliàs enim deficeret illis aliqua perfectio in ratione cognoſcendi.

52. Sed replicabis: ergo in ſimili poterit quis arguere, quòd licèt cadat ſub applicationē voluntatis, quòd duæ perſonæ non præſtent eumdem concurſum, quem circa effectum habet perſona particulariter influens, non tamen cadere poterit ſub eamdem applicationem voluntatis, quòd nullo modo concurrant aliæ perſonæ; aliter deficeret illis perfectio alia in ratione producendi.

53. Reſpondebis, negando conſequentiam, cuius diſparitas apparebit ſi oſtendatur, negationem omnis cognitionis alicuius obiecti reddere perſonas finitè, & imperfectè cognoſcentes; negationem verò omnis influxus in effectum, quem vna perſona cauſat, relinquere perſonas, quæ nullo modo influunt, omnipotentes. Pro quo notabam, viſibilia cognita eſſe viam, qua ſecluſis inperfectionibus ducatur mens in inuiſibilium cognitionem: ita vt ex illis captis callere quis poſſit, licèt in vmbra, inuiſibilium naturas. In creatis igitur geminas rerum inuenimus quidditates. Quaſdam conſiſtentes in actu ſecundo, & in vltimo ſuæ actualitatis exercitio, vt videre licet in ſubſiſtentia, & relatione prædicamentali, & generaliter in omnibus modis, taliter quòd ab actuali modificatione cadere nequeant. Aliæ autem rerum creatarum dantur eſſentiæ, de quarum ratione non eſt ſuæ operationis principalis actuale exercitium, & actus ſecundus, ſed ſufficienter intelliguntur conſtitutæ per potentiam producendi illam, verbi gratiâ homo optimè conſtituitur per vim radicalem diſcurrendi, taliter, quòd ſine læſione eſſentiæ ſuæ, poſſit ab actu ſecundo cadere.

54. His igitur à nobis ſic viſis, diuina non diſſimiliter capturi ſumus, ita vt ſint in Deo aliqua prædicata, quæ per exercitium, & actum ſecundum conſtituantur, taliter, quòd ſi illis dicta actualitas negetur, prorſus euaneſcere dicantur; alia autem eſſe cenſeo non ita in vltima actualitate conſiſtentia, ſed quaſi in actu primo, & in potentia ad ſuum principalem actum conſtituta; ita vt ſi ab illis aliunde dictum exercitium impediatur, nullam in ſua quidditate patiantur læſionem, ſed integra conſiſtet.

55. Ex differentia iſta oritur in illis alia, ſcilicet, quòd prædicata primi generis non ſubduntur libertati diuinæ, quantùm ad exercere, vel non exercere ſuam actualitatem; benè autem prædicata poſterioris generis. Ratio, quia eſſentiæ rerū non dependent à libertate extrinſeca Dei, & cùm prædicata priora conſiſtant eſſentialiter in actuali exercitio ſuæ actualitatis, hinc fit, quòd nequeāt ſubdi voluntati in habendo vel non habēdo illo. Secus euenit in poſterioribus prædicatis, de quorum ratione eſſentiali non eſt actus ſecundus exercitus, vt ad omnia terminatus, ob rationem contrariam facilè à quouis dandam, ideo iſtorum actus ſecundi, ſaltem quoad terminationem hîc & nunc exercitam, poteſt à libero voluntatis nutu dependere. Exemplis res iſta collucebit, intelligere Dei v.g. eſt vnum ex prædicatis primi generis, conſtituiturque in vltima puritate, & terminatione à ſua linea depoſtulata; omnipotentia verò eſt ex prædicatis ſecundi generis: quod ſuadere videntur aliquæ coniecturæ. Primo, quia Deus metaphyſicè conſtituitur in actuali cognitione omnium perfectiſſima, atque adeo comprehenſiua, de cuius ratione eſſentiali eſt, ad omnia obiecta actualiter terminari, ita vt ſtante obiecto, quouis modo cognoſcibili, ad illud neceſſariò terminari debet, taliter, quòd non ſit liberum Deo cohibere diuinam cognitionem, ne ad hoc obiectum terminetur. Ratio, quia cùm illa cognitio, vt conſtituat Deum, non ſubdatur voluntati, & vt conſtituat Deum, debeat eſſe comprehenſiua in vltima actualitate, & de ratione comprehenſiuæ cognitionis ſit eſſentialiter eſſe tendentiam actualem omnium intelligibilium, fit, exinde non poſſe impediri à voluntate libera Dei ſuam actualem terminationem ad omnia recenſita obiecta.

56. Hoc ipſum ſuadet alia coniectura; etenim Authores explicantes conceptum omnipotentiæ, docent, intrare illum diuinam cognitionem, ſed addunt, hanc poſſe conſiderari bifariam. Primò, vt eſt pura ſui obiecti contemplatio, & ſpeculatio, ſic enim eſt actus ſecundus. Secundò, vt eſt formaliter omnipotentia, ſic enim eſt actus primus, & vis rerum productiua: ita communiter Authores, quapropter non citantur; ex quibus omnibus fit, cognoſcere Dei non poſſe cadere à ſua actualitate, puritate, imo nec à ſua terminatione in cuncta cognoſcibilia tendente: at verò ipſum cognoſcere, prout intrat conceptum omnipotentiæ, & ipſa omnipotentia, cùm conſiſtat in vi productiua rerum per modum principij, fit, poſſe arceri à voluntate, ne influxum præſtet in hunc effectum quem aliàs valet producere, vt fide credimus, id de facto contigiſſe illi circa poſſibilia, quæ non produxit, nec productura eſt cohibente Dei voluntate ſuam terminationem & influxum.

57. His notatis, reſpondebam vix vnico verbo ad argumentum, & eius replicam vltimam. In Deo terminari, & non terminari actualiter diuinam cognitionem ad omnia obiecta aliqua terminatione, vel ſimplicis intelligentiæ, viſionis & approbationis ſimul, vel puræ viſionis, non eſſe ſub libera applicatione voluntatis; itaque ſemel cognoſcente vna diuina perſona hoc obiectum, *A*, non poterit voluntas impedire, ne illud capiant cæteræ perſonæ, ſaltem ſub aliqua ex illis ſcientiis. Ratio; quia vidimus, Deus conſtituitur cognitione eius comprehenſiua, atque adeo, vt tangente omnia cognoſcibilia, & cùm quælibet perſona formaliſſimè ſit Deus, independenter à libero nutu voluntatis, etiam independenter ab illa ſuam terminationem ad omnia cognoſcibilia exercebit. Vnde terminari ad omnia obiecta ſub aliqua formalitate, vel terminatione ſcientiæ, eſt cuilibet diuinæ perſonæ perneceſſarium.

rium, quippe conueniens ei, tanquam conſtitutio neceſſariò diuinitatis. Itaque ſi per poſſibile, vel impoſſibile, aliqua perſona arceretur à cognitione diſiunctiuè accepta, in ordine ad obiectum ab alia cognitum, non eſſet Deus, quia deficeret illi conſtitutio deitatis conſiſtentis in actuali exercitio cognoſcendi quidquid cognoſcibile eſt; contrarium euenit in omnipotentia, quæ integra inueniri poteſt, & illibata in aliqua perſona, quantùm ad ea, quæ notat in recto, etſi prout eſt in ea, non operetur effectum, quem, prout eſt in alia, producit, quia cum non conſiſtat quidditas eius in exercitio, & in actuali cauſalitate; ſed in vi, & in actu primo, fit, nullam læſionem paſſuram fore omnipotentiam, ſi, prout eſt in vna perſona, priuetur cauſalitate; influxu in effectum, quem, vt in alia, operatur: ſicut eadem omnipotentia in omnibus regnaret, in caſu, quo Deus nihil producere decerneret. Signum ergo eſt, omnipotentiam non conſtitui eſſentialiter, per exercitam cauſalitatem.

58. Ad illud verò, quod adduxit replica *numero* 52. videlicet, duas alias perſonas debere alio concurſu in effectum erumpere diſtincto ab eo, quem perſonæ damus ſpecialem in illum; ſicut talem effectum cognoſcunt diſtincta cognitione ab ea, qua eumdem calleret perſona producens. Reſpondebam annotans, effectus productos à Deo, & à nobis, ad geminas lineas ſpectare, ad intentionalem videlicet, & phyſicam, ad primam, vt viſio, qua beatus Deum videt, necnon viſio illa, qua vnam perſonam, alia non viſa, in ſententia probabili, calleret. Ad ſecundam ſpectant omnes effectus ad obiectum, & potentias nullum reſpectum importantes; dicebam ergo, quòd in ordine ad illum effectum viſionis beatæ videlicet, vnam perſonam, & non aliam attingentes, poſſumus rem ſic meditari, vt ibi daretur duplex influxus. Vnus intentionalis, & particularis illi perſonæ ſoli viſæ proprius. Alius generalis, & quaſi phyſicus, omnibus perſonis communis. Quod vna, vel altera exiſtimatio ſuadere poteſt. Prima, communis vox diſtinguens de facto duplicem influxum in viſionem beatam, cuius rationem ex ipſa viſionis exiſtentia *tractatu de viſione* deduxi, nam in viſione beata eſt duplex formalitatum genus. Vnum phyſicum, ad quod ſpectat ratio entis, accidentis, & talis accidentis, nempe qualitatis, de cuius ratione non eſt determinatum, & particulare effectiuum principium; atque adeo ſic accepta viſio non exigit ſpecialem influxum, ſed ſolùm generalem, hoc eſt, cauſam primam, à qua pendeat in ſuo eſſe per participationem tali. At verò eadem viſio, vt ſpectans ad genus intentionale, petit determinatum principium, illud videlicet, quod ipſa cognoſcit, iuxta ea, quæ *ſectio* 4. dictauit. Vnde in caſu, quo vna perſona cognoſceretur, aliis non viſis, tunc ad viſionem duplex influxus haberetur; vnus particularis, illius videlicet perſonæ cognitæ, petitus à formalitate intentionali, filiationis eiuſdem viſionis. Alius generalis, & omnibus perſonis communis, poſtulatus à phyſicis formalitatibus, in tali viſione repertis. Hunc eumdem duplicem influxum agnoſcit expreſsè Araujus ſuprà citatus, reſpectu illius modi intrinſeci moralis in operibus Chriſti inuenti; licèt aliis principiis innixus; ibi enim dicit reſpectu talis modi, dari in Deo influxum duplicem, vnum pro prium perſonæ Verbi, quem reſultantiam vocat, ſeu emanationem. Alium generalem toti Trinitati communem. His igitur adductis.

Si ſermo ſit de genere effectuum phyſicorum, prorſus intentionalis lineæ reſpectu Dei expertium, affirmabam, quòd ſemel data hypotheſi, in qua omnipotentia vni perſonæ aſſiſtat ad illum producendum, neceſſitas nulla adeſt concedendi perſonis aliis influxum alium omnibus communem. Ratio, quia effectus iſti ſolùm ſpectant ad vnam lineam phyſicitatis, atque adeo ſolùm in ea apparet vna quaſi dependentia paſſiua; & ideo ex parte primi producentis vna ſola debet correſpondere cauſalitas actiua; nam in Deo formalitates, ſeu denominationes multiplicantur per ordinem ad connotata ad diuerſas lineas ſpectantia, vt phraſis Thomiſtarum fert, quam mirificè illuſtrarunt Salmanticenſe collegium pluribus in locis. Vnde ſi ſemel eſt verum, quòd vnus effectus purè phyſicus fit ab vna perſona, non eſt conſulendus alius generalis influxus generalis, cæteris perſonis communis, quo in eumdem cauſandum influant. 59.

Contrarium autem diſcurri poteſt in diuina cognitione, nam hæc cùm per connotata diuerſa ſubinduat varias denominationes, poterit ſecundùm vnam vni, & ſecundum aliam alteri perſonæ conuenire. Vnde in caſu, quo perſona Patris effectum phyſicum ederet ſolus, ipſum tam Pater, quàm Filius, & Spiritus ſanctus cognoſcerent, quia tres Perſonæ ſunt Deus, licèt non dij: tamen aliter, ac aliter; nam cognitio illa, prout in Patre producente, denominaretur approbationis, & viſionis ſimul, quia connotaret actum voluntatis inferentem effectum ad extra; at cognitio illa, prout in Filio, & in Spiritu ſancto, denominaretur viſionis purè, de ratione cuius eſt ſolùm connotare obiectum, vt phyſicè exiſtens, vel vt in aliqua differentia temporis extiturum non connotato actu voluntatis effectus productiuo, ab illa in executione regulato per modum imperij practici. Ex quo rurſum fit facile intellectu, quomodo cognoſcente vna perſona obiectum aliquod, non ſtet ſub imperio, vel libera applicatione voluntatis impedire, ne illud cæteræ perſonæ, in illud non influentes, non cognoſcant: & quòd ſtet ſub determinatione voluntatis applicare Dei omnipotentiam vni perſonæ, & non aliis ad aliquem effectum ad extra cauſandum; & tandem, quòd maneant æqualiter omnipotentes. 60.

Sed replicabis, eo ipſo quòd omnipotentiæ applicatio permittatur vni perſonæ, & aliis denegetur reſpectu effectus producendi ad extra, tollitur ab iſtis omnipotentiæ virtus. Ergo ruit ſolutio tota. Antecedens patet. Permiſſa negatione iſtius applicationis omnipotentiæ duabus perſonis, iam effectus ille ab vna perſona factus non dependeret ab omnipotentia, prout in duabus perſonis. Ergo permiſſa tali 61.

omnipotentiæ applicationa, non manerent aliæ perſonæ omnipotentes. Antecedens eſt doctrina ipſa. Conſequentia patet, quia ſi aliquis effectus ad extra produceretur, qui ab omnipotentia, prout eſt in Deo, non dependeret, Deus omnipotens non eſſet. Ergo ſi in hac hypotheſi effectus ille ab vna perſona productus, nullo modo à duabus perſonis dependeret, iam iſtæ omnipotentes non eſſent. Conſequentiam probo, nam ideo in caſu antecedenti, Deus omnipotens non eſſet, quia de ratione omnipotentiæ non ſolùm eſt eſſe vim productiuam cuiuſque producibilis ad extra, quaſi in actu primo, ſed taliter eſſe vim, vt nihil ad extra producatur, quòd in exercitio ab omnipotentia non dependeat. At hæc ratio currit in caſu conſequenti. Ergo ſi independentia effectus producti ad extra, ab omnipotentia, vt eſt in deo, inferret à poſteriori, Deum omnipotentem non eſſe: ita independentia effectus ab omnipotentia, vt eſt in duabus perſonis, inferret à poſteriori, illas omnipotentes non eſſe.

62. Reſpondebam negans antecedens, ad probationem diſtinguo antecedens. Permiſſa &c. iam ille effectus ab vna perſona factus non dependeret ab omnipotentia, prout eſt in duabus aliis perſonis, reduplicatiuè, prout in illis, concedo, ab omnipotentia ſpecificatiuè accepta, quæ eſt in illis, & vt, prout reduplicatiuè eſt in vna, nego antecedens, & nego conſequentiam. Ad huius probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam; & vt probationi illius reſponderem, notabam cum ipſo arguente; omnipotentiam duo dicere, & eſſe vim producendi quidquid producibile eſt, & ſecundum, quod ex illo infertur, nempe, actualiter producere quidquid ad extra producitur, ita vt quolibet deficiente, omnipotentiam deſtrui, eſt neceſſe. Verùm iſta in hypotheſi integra manent, nam, vt ſupponimus, effectus ille pendet ab omnipotentia, quæ eſt in perſona illum producente; & cum eadem ſit in aliis, vt fides monet, iam talis effectus pendebit ab omnipotentia, quæ eſt in aliis perſonis, tametſi prout eſt in illis, cum ab ipſis non producatur, ab illa non dependeat.

63. Sed replicabis inintelligibile eſt effectum aliquem pendere à virtute, quæ eſt in vno ſuppoſito, & quòd ab iſto non dependeat. Ergo inintelligibile eſt, ſemel concedere, effectum illum ab vna perſona productum, & ab illa actualiter dependentem, dependere etiam ab omnipotentia, quæ eſt in aliis perſonis, & quòd ab iſtis nullo modo dependeat.

64. Reſpondebam, hoc inintelligibile eſſe in creatis, quia myſterium hoc eſſendi vnam virtutem in triplici ſuppoſito non contingit; in noſtro enim myſterio res poterat ſic concipi, quòd effectus ille penderet à virtute, quæ eſſet in aliis perſonis, non prout eſt in illis, quia, vt ſupponitur, penderet à prima perſona ſolùm mediante virtute, quæ etſi ſimul ſit in aliis duabus, ſolùm eſt applicata ad operandum in vna, non tamen in aliis. Itaque eadem omnipotentiæ virtus diuerſis perſonis diſtinctas denominationes, in ordine ad eundem effectum præſtaret: nam perſonæ, cui aſſiſteret applicata ad operandum, daret denominationem actualiter producentis effectum; aliis autem, quibus inapplicata aſſiſteret, ſolùm daret denominationem potentium illum effectum cauſare: ex quibus fit: nullum dari effectum ad extra, qui non dependeret ab omnipotentia, ſiue, prout eſſet in cunctis perſonis, ſi aſſiſteret illis applicata, ſiue, prout eſſet in vna, ſi illi ſolum applicata aſſiſteret media libera Dei applicatione.

Sed replicabis, hanc diſtinctam applicationem reſpectu eiuſdem omnipotentiæ, eſſe omnino inintelligibilem. Ergo recurſus ad illam, rem magis confundit. Antecedens patet, nam inintelligibile eſt, quòd ſemel fateamur, omnipotentiam eſſe virtutem indiuiſam in tribus perſonis, & quòd reſpectu vnius & non reſpectu aliarum applicationem ſubeat. 65.

Reſpondebam, quòd licèt diuina omnipotentia eſſet vna in tribus, omnes tamen non denominaret applicatas ad operandum, nec illa vt in omnibus talem denominationem ſubiret, quia licèt ex hoc inferatur diuerſitas denominationum in omnipotentia reſpectu perſonarum diuerſarum, tamen inintelligibiles non ſunt diſtinctæ denominationes in vna indiuiſa forma, quando adſunt diſtincta connotata, ſecundùm quæ denominationes variæ reſultant à forma; de facto quidquid eſt in vna perſona, eſt etiam in alia, non ſolùm in eo, in quo conueniunt, ſed etiam in eo, in quo differunt, ita vt pater ſit in filio, è contrà, nedum quoad eſſentialia, ſed quoad notionalia, taliter, quòd paternitas ipſa ſit in filio: & tamen paternitas primam perſonam, & non ſecundam denominat patrem, nec è contrà filiatio inuenta in patre, eum filium non denominat, ſed ſolùm ſecundam perſonam. Rurſum eadem eſſentia in omnibus perſonis indiuiſa manet, & primam, & ſecundam perſonam fœcundas, & omnipotentes ad intra, & non Spiritum ſanctum denominat, & ſolùm in illis, & non in tertia denominatur, & eſt applicata ad operandum ad intra, & hoc cur? ob diſtincta connotata, quæ talia prædicata in vna, & non alia perſona diuina importat. Sic in præſenti, omnipotentia vna eſt in tribus, ſed vt eſt in omnipotentia producente, connotat pro priori decretum diuinæ voluntatis, à quo determinatur, & applicatur, vt operetur, ſecundùm quod eſt in vna, & non prout eſt in aliis perſonis, vi cuius connotati ſubit omnipotentia diſtinctas denominationes, vt conferunt cum diſtinctis perſonis. 66.

Sed replicabis: perſonam eſſe applicatam ad producendum effectum, eſt aliquid in illa, quod non habeant cæteræ, ratione cuius de illa verificetur, eſſe verè applicatam ſolùm ad illum effectum producendum; vel non eſt aliquid ſpeciale, quod aliæ perſonæ non habeant; Hoc nequit dici, aliàs cùm tres æquales eſſent in vi producendi, æqualiter ſe gererent in ordine ad prædictum effectum; atque adeo iſte à tribus ex æquo penderet: quia idem principium manendo idem, vt idem ſemper facit idem. Si dicit aliquod connotatum ſpeciale 67.

ciale in vna, quod non ſit in aliis, cùm illud ſpeciale ſit in ordine ad producendum effectum, neceſſe eſt, quòd ſit virtus aliqua effectiua ſpecialis, & cùm ſit ſpecialis virtus effectius ad extra, erit partialis virtus omnipotentiæ. Ergo cùm hæc ſolùm ſit in vna perſona, & non in aliis, iam illis deficiet aliqua omnipotentiæ pars: atque adeo hæc non erit vna, & indiuiſa formaliter, quod eſt abſurdum. Rurſum, cùm prædicatum illud ſit abſoluta vis effectiua, fiet, prædicata abſoluta non eſſe communia toti Trinitati. Vnde explicandum eſt, quid ſit illud ſpeciale, quod ratione illius perſona dicitur, effectum illum producere, quia ſi ſolùm eſt in illa, aliquid deeſt aliis perſonis, attinens ad vim productiuam effectus ad extra, ſicque non erunt æqualiter omnipotentes, ſi eſt illis commune, ab illis etiam produceretur effectus.

68. Reſpondebam notans, iſtum modum defendendi influxum ſpecialem vnius perſonæ non concurrentibus aliis, inſtitutum eſſe ad explicandam ſpecialem dependentiam, quam fides ponit, in humanitate à diuino verbo; atque adeo ex vi ſuæ inſtitutionis non eſſe protrahendum ad alios effectus, in quibus non reperiatur difficultas ipſa vincenda, quam expendit *ſect.* 3. Vlteriùs nota, perſonam producentem ſe ſola humanitatem, duplicem habere virtutem, vnam ſibi propriam, ſecum formaliter identificatam, & quaſi notionalem, & hæc eſt ipſa perſonalitas verbi. Alteram generalem, ipſi, & aliis communem, virtualiter à ſe diſtinctam, & hæc eſt omnipotentia; ab vtraque igitur illa humanitas Chriſti fit; necnon & ipſe modus ſpecialis paſſiuus, quo à virtute ſpeciali verbi dependet, ne dicamus, de facto dari effectum ad extra, qui ab omnipotentia, omnibus modis, etiam vt eſt in omnibus perſonis, non fiat, quod eſſet axiomati conciliorum obuiam ire (nam doctrina hucuſque ſolùm de poſſibili verſabatur (verùm cum hoc ordine, quòd effectus ille nempe humanitas, fiat ab hac perſonalitate, vt ſubordinata virtuti generali omnipotentiæ, quæ licèt communis ſit tribus perſonis, tamen non dicitur, effectum illum operari, prout eſt in illis, quia hoc ſonat, tres alias perſonalitates tanquam virtutes particulares effectiuas ſimul influere in illius effectus productionem, quod non habet locum in hypotheſi iſta, in qua ſupponitur, ſolam vnam perſonalitatem eſſe cauſam ſpecialem illius effectus. Ex quo fit, quod dum dicitur, vnam perſonam ſolam humanitatem producere, aliquid eſt in perſona ſpeciale, quod in aliis non ſit, nempe ſua perſonalitas, quæ realiter ab aliis differt, & quia hæc ſola eſt, quæ operatur effectum illum, dicitur de omnipotentia, illum effectum cauſare, prout in tali perſona eſt.

69. Sed replicabis: ergo perſonalitas quæuis diuina habet in ſe virtutem effectiuam ad producendum effectus ad extra. Reſpondebis diſtinguens conſequens; virtutem effectiuam, reſpectu effectus, de quo dicitur à ſanctis, & conciliis ſpecialiter pendere ab illa perſona diuina, concedo: reſpectu omnium, nego. Vnde cùm humanitatem pendere ſpecialiter à verbo doceatur à cunctis, & iſta dependentia nequeat aliter explicari ita facile, niſi ab illo fiat, & non ab aliis perſonis, vt vidimus *ſect.* 3. Præterea & cum hoc nequeat ſaluari ſine eo, quod habeat illa perſona vim ſpecialem, quæ in aliis reperiatur, fit, in illa reperiri virtutem ſpecialem in aliis non inuentam. Nec inſolita apparere debet virtus hæc ſpecialis cuilibet perſonalitati diuinæ propria, & cum illa identificata; cùm eam agnoſcere teneatur Arauio, & quotquot eum ſequuntur in defenſione illius modi intrinſeci, operationes Chriſti dignificantis, & à perſonalitate verbi ſola medio influxu emanatiuo, ſed verè effectiuo, reſultantis in humanitate, quos citauimus *tom.* 2. *tractatu de ſpectantibus ad volunt. Chriſti.* Iſti enim defendunt modum hunc reſultare ſpecialiter à perſona verbi, & non ab aliis perſonis. Ergo ſupponunt, verbum ſeipſo habere ſpecialem hanc virtutem, ſaltem emanatiuam illius modi, quæ non eſt in aliis, illa numero eadem: tametſi teneantur admittere in cæteris ſuas virtutes cauſatiuas ſimiles ei, quæ in verbo admittitur, nam ſi pater vniretur (idem dic de Spiritu ſancto) humanitati, eius operationes intrinſecè dignificaret per modum intrinſecum à ſolo patre in operationes humanitatis reſultantem; tametſi talis modus produceretur ab omnibus media illa virtute omnibus communi, quæ eſt omnipotentia. Ergo inſolita non eſt exiſtimanda virtus ſpecialis cuilibet perſonalitati propria reſpectu effectus ſaltem, de quo Patres commendant, dependere ſpecialiter ab vna perſona, qualiter ſic non dependeat ab aliis.

Concludebam argumenti ſolutionem dicens, incompatibile non eſſe cum inſtabilitate omnipotentiæ, quòd vnum effectum producat, prout eſt in vna perſona, & non prout eſt in aliis; nam vt ſuprà innuimus, eſſentia diuina æquè eſt indiuiſibilis in proceſſionibus ad intra, ac indiuiſibilis ſit omnipotentia in operationibus ad extra. Atqui eſſentia diuina, vt connotans vnam perſonalitatem, eſt communicatiua in exercitio, vt eſt in illa perſona: & vt connotans aliam perſonalitatem, non eſt communicatiua in exercitio, prout eſt in illa perſona; quamuis vt in omnibus exiſtens ſit eſſentialiter communicatiua; ita omnipotentia, vt connotans hanc perſonalitatem, quæ iſtum effectum ſpecialem producit, vt particularis cauſa, erit prout in illa productiua in exercitio, & vt connotat aliam perſonalitatem, vel perſonam effectum illum non producentem non erit, prout eſt in illa, productiua in exercitio, quamuis vt in omnibus exiſtens maneat omnipotentia, vt virtus in actu primo ad extra productiua. 70.

Sed replicabis, diſparem eſſe rationem in eſſentia & omnipotentia; ſiquidem vt eſſeramus de eſſentia diuina eſſe in exercitio communicatiuam ad intra, & non eſſe ſic in exercitio communicatiuam, conſideratam, prout eſt in diuerſis perſonis, habemus fundamentum ex fide docente, in Patre, & Filio eſſe actualiter communicatam cum virtute ſe communicandi Spiritui ſancto, cui ſemel communicatam, non eſſe amplius communicabilem; hoc autem fundamentum non reperitur in omnipo- 71.

tentia; imo ſi attentè res inſpiciatur, in SS. PP. & CC. contrarium fundamentum inuenitur, cum decernant, omnia opera ad extra eſſe toti Trinitati communia.

72. Reſpondebam: æqualem offerre occaſionem placitum ab Eccleſia ſancitum, vt de omnipotentia in ordine ad aliquem ad minùs effectum ad extra diſcurramus, ac de eſſentia diuina, reſpectu terminorum ad intra diſcurri ſolet: quia Eccleſia monet, humanitatem eſſe ſpecialiter vnitam cum Verbo, qualiter ſic vnita non ſit cum cæteris Perſonis, Hoc eſſe ſufficiens fundamentum, vt præbeatur omnipotentiæ, vt eſt in Verbo, ſpecialis influxus in humanitatem, vi cuius omnipotentia, prout eſt in Verbo, dicatur ſpecialiter in exercitio ad extra productiua humanitatis, qualiter ſic non denominetur, vt eſt in aliis Perſonis, ſatis & ſuperque commendat ingens difficultas, & via inexplicabilis, quæ adeſt apud communem dicendi modum in explicando Eccleſiæ placito de ſpeciali vnione ad Verbum, qualiter ſic humanitas minimè dicatur vnita ad cæteras perſonas, vt dedit *ſect.* 3. Axioma enim illud Theologorum exceptionem poteſt ſuſcipere in noſtro myſterio, in quo ſtante communi Perſonarum influxu in humanitatem, omnis præcluditur via ſaluandi placitum Eccleſiæ decernentis, humanitatem eſſe Verbo ſpecialiter vnitam, qualiter ſic vnita non ſit cæteris Perſonis. Vnde axioma illud firmiſſimam habere certitudinem, reſpectu omnium effectuum ad extra productorum, dempta humanitate vt vnita ſpecialiter verbo, totus diſcurſus ante habitus aliqua probabilitate ſuadere videtur.

73. Secundò arguebam contra ſpecialem influxum alicuius Perſonæ diuinæ. Ratio illa pro influxu ſpeciali vnius Perſonæ, quam *ſect.* 4. formauimus, eſt inefficax. Ergo, &c. Probo antecedens, ſi efficax eſſet, ſequeretur, poſſe dari effectum ad extra independentem abſolutè ab omnipotentia; hoc eſſe falſum cuique apparet. Ergo ratio illa efficax non eſt. Probo ſequelam: ideo ibidem aſſeritur, poſſibilem eſſe influxum, & effectum pendentem ab vna Perſona, & non ab alia, quia ſuppoſita opinione ſtatuente, poſſibilem eſſe viſionem beatam, attingentem vnam Perſonam non attingendo aliam; iam effectus ille viſionis fieret effectiuè ab ipſa Perſona viſa, & non ab aliis non viſis. Sed eadem opinio defendit, poſſe vnum attributum Dei videri, aliis minimè viſis, demus, quòd videatur iuſtitia, non tamen omnipotentia, in hoc caſu, ſi ratio illa eſt efficax, omnipotentia non concurreret, quia, vt ſupponit opinio, ab illa viſione non videretur. Ergo poſſet dari effectus ad extra productus independenter ab omnipotentia Si dicas, omnipotentiam tunc etiam concurſuram, etſi non viſam, contra; nam etiam tibi dicam, Perſonam non viſam: etiam concurſuram, & ſic fundamentum ruit. Si dicas, nullum eſſe inconueniens dari aliquem effectum ad extra independentem ab omnipotentia, vt à cauſa particulari, cùm certum ſit ab illa pendere debere, vt à cauſa vniuerſali, non dices bene, quia repugnat, omnipotentiam eſſe, & omnia non facere omnibus modis, quibus factibilia ſunt. Ergo ſi talis viſio ab omnipotentia non penderet, vt à cauſa particulari, iam ſecundùm aliquem modum, quo factibilis eſt, & fieret ad extra, ſubterfugeret omnipotentiæ cauſalitatem.

Reſpondebam, non eſſe incommodum dari effectū ad extra, qui non dependeat ab omnipotentia, vt à cauſa particulari, imò omnes effectus vitales, vt tales, & liberi, vt liberi ab omnipotentia, vt à cauſa particulari non pendent. Solùm enim eſt de ratione omnipotentiæ nihil ad extra produci, quod ab omnipotentia non pendeat, omnibus modis ſe tenentibus ex parte termini producti. 74.

Solutio hæc ex hoc notabili latiùs *tomo ſecundo, tractatu de ſpectantibus ad intellectum Chriſti* explicando probabilitatē ſumet. Quamlibet ſcilicet Dei perfectionem ſeipſa habere concurſum ſpecialem, per modum obiecti independenter ab omnipotentia diuina, ratio, quia quælibet Dei perfectio, quia Dei, eſt ſufficiens ad ſe vniendum potentiæ lumine gloriæ ſuffultæ; ratio, nam quælibet diuina perfectio ſeipſa, & independenter ab omnipotentia eſt intelligibilis, & indiſtans potentiæ lumine gloriæ illuſtratæ; ratio, nam quælibet perfectio diuina immediatè, & ſeipſa habet ſummam intelligibilitatem ab eſſentia, non vna perfectio habet illam mediante alia, atque adeo independenter ab omnipotentia; ſicut enim ab eſſentia vnaquæque independenter ab omnipotentia ſuum eſſe immaterialitatis ſumit, à qua intelligibilitas illarum nec ratione differt, fit, quòd ſummam intelligibilitatem independenter ab omnipotentia pariter ab eſſentia mutuare dicantur. Ergo etiam independenter ab omnipotentia habebit vnaquæque diuina perfectio, ſuam ſpecialem vim motiuam potentiæ, per modum obiecti in viſionem; ratio, quia vis per modum obiecti in viſionem influens, eſt intelligibilitas obiecti vnita potentiæ, ſed independenter ab omnipotentia quælibet diuina perfectio habet ſummam intelligibilitatem, fundatam in ſua formalitate, diſtincta virtualiter ab intelligibilitate omnipotentiæ, in ſuiipſius formalitate, fundata. Ergo quælibet independenter ab omnipotentia poterit particulari influxu in viſionem ſui erumpere. Ex quo fit, quòd in hypotheſi, qua viſio Beata attingeret iuſtitiam Dei ſolam intacta omnipotentia, talis viſio non penderet ab omnipotentia, vt à cauſa particulari, tametſi ab illa pendere diceretur, vt à cauſa vniuerſali, in quidquid ad extra producibile influente. Recole dicta *n.* 58. & vt probabilitatem concedendi omnipotentiæ influxum generalem in aliquem effectum ad extra, denegato illi influxu ſpeciali in eumdem, habens lege *num.* 69.

Tertiò arguebam contra dictum ſpecialem influxum, quod poteſt inſeruire in replicam ſolutionum primo argumento adhibitarum: Deus nequit liberè impedire, quòd vna Perſona aliquem realem locum exiſtentem ſemel occupante, ne aliæ duæ Perſonæ dictum locum occupent; Ergo nec poteſt Deus liberè decernere efficaciter, quòd vna Perſona iſtum effectum ad extra producente, ne aliæ duæ Perſonæ in talem effectum influant. Antecedens 75.

dens explico, vt paritas notior ſit: quia ſemel aliquo loco extra poſſibilitatem ad eſſe exiſtentis deducto, ſtatim in illud relabitur immenſitas, quia hæc, quantùm eſt de ſe, habet quidquid ad penetrationem cum illo cupitùr, quòd ſi poſſibilia non occupat, naſcitur ex eo, quia producta non ſunt; itaque producto quolibet reali loco ad extra ſine aliqua ſui mutatione, in ipſum ſe inſinuat immenſitas. Ergo Deus nequit impedire, ſemel vna Perſona locum exiſtentem occupante, quòd illum met cæteræ non repleant.

76. Reſpondebis: immenſitatem, quantùm eſt de ſe, habere in tribus Perſonis ſufficientem actualitatem ad occupandum in exercitio omnia exiſtentia loca; imò in noſtro caſu, producto iam loco, illum replet, non prout eſt in tribus, ſed prout eſt in Patre, verbi gratia.

77. Sed replicabis, & petes, quid immenſitati deſit prout eſt in tribus Perſonis, arcena illam, ne, prout in illis, talem occupet locum, quem prout in alia replere dicitur? Si dicas, illi nihil deficere eorum, quæ dicit in recto, etiam prout in tribus eſt; deficere tamen ei aliquid in obliquo, nempe applicationem, quæ debebat oriri ex actu libero Dei; ſed contra, quia producto ſemel prædicto loco, actus ille Dei liber impediens, ne immenſitas, prout eſt in duabus Perſonis, illum occupet, eſt impoſſibilis, ſicut iſte alter, ſemel exiſtente obiecto, A, volo, me illud ſcientia viſionis non cognoſcere. Sicut implicat, ſemel obiecto in debita diſtantia poſito, medio illuminato, potentia viſiua expedita, & concurſu generali Dei protecta, poſſe Deum ſtatuere: volo, quòd oculus tale obiectum non videat. Ergo ſimiliter videns Deus, quòd locus eſt exiſtens, & Perſonas diuinas eſſe æqualiter immenſas, non poterit habere hoc decretum, volo, quòd locum illum occupet vna Perſona diuina, non verò aliæ.

78. Præterea, nam permiſſo decreto iſto, peto, quid reſultaret ex illo impediens repletionem actualem illius loci in Perſonis duabus? nihil, nam ſi reſultaret, vel immutaret immenſitatem, vel locum ipſum, vi cuius hic ſubterfugeret immenſitatem. Primum non, vel aſſigna quid, & quidquid hoc ſit, vel diminuit immenſitatis virtutem repletiuam locorum, vel non. Hoc non dices, quia nihil detrahi poteſt immenſitati impediens repletionem, quod non pertineat ad illam. Si dicas, pertinere, & aufertur; Ergo non manet infinita, & vlteriùs, aliqua perfectio diuina poſſet abeſſe realiter à Deo, necnon ipſe Deus ſtrictiſſimè mutaretur. Ergo illa libera volitio Dei non impediret repletionem loci ex poſitione alicuius immutantis, vel diminuentis immenſitatem, vt exiſtentem in Perſonis. Rurſum, nec poneret aliquid in Perſonis impediens, quia ſi in earum immenſitate, quæ eſt ratio formalis in illis replendi loca, non ponitur, nec ponetur in Perſonis. Si propter hoc dicas, aliquid ex parte loci impediens dictam repletionem, non rectè id aſſeres, quia vt ſupponimus, locus ille realiter exiſtit, etiam poſita illa Dei volitione. Ergo habet ex ſe quidquid requiritur ad terminandum repletionem actiuam immenſitatis, prout eſt in omnibus Perſonis.

Reſpondebam huic argumento notans, omnipotentiam, & immenſitatem in vno conuenire, in alio valdè differre. Conueniunt, quòd ſcilicet in illis conſiderabilis ſit duplex formalitas. Vna, quæ ſit potentia, & actus primus. Alia, quæ actus ſecundus ſit, & illarum exercitium. De omnipotentia iam vidimus *in ſolutione ad primum* de immenſitate paritas ipſa demonſtrat, etenim immenſitas reſpectu poſſibilium locorum, eſt vis repletiua, reſpectu verò exiſtentium, eſt actualis repletio. Verùm in hoc ipſo differunt, nam licèt eſſe vim, tam locorum poſſibilium repletiuam, quàm eorumdem poſſibilium productiuam, non cadat ſub libertatē Dei; aliàs poſſe producere, & poſſe occupare loca caderet ſub nutuum liberū diuinæ voluntatis, quod eſt falſum; tamen aliter diſcurſuri ſumus de exercitio iſtarum virtutum, quia actus ſecundus omnipotentiæ eſt formaliter liber, imò eſt ipſa libertas in actu ſecundo iuxta communem ſententiam docentem, volitionem diuinam, quatenus eſt actus ſecundus reſpectu Dei, fuiſſe quaſi virtutem in actu primo reſpectu creaturarum; ita vt exercitium illius ſit exercitium diuinæ libertatis. Contrarium enim contemplor in exercitio immenſitatis Dei, nam hæc nec eſt libera formaliter, quia non eſt actua voluntatis, nec ſubditur imperio voluntatis proximè, quia ſuppoſito loco reali exiſtente, nequit immenſitas cohiberi à volunte, ne illum occupet, vt argumentum deuincit. 79.

Verùm differentia hæc naſcitur ex alia, quæ in illis collucet, nam omnipotentia vltra hoc, quod eſt eſſe liberam formaliter, & proximè in exercitio ſuæ terminationis, eſt ſpeciale attributum Dei, ab aliis diſtinctum, ſaltem virtualiter, & in illis minimè formaliter imbibitum; ſic Authores communiter. At immenſitas attributum non eſt, ſed prædicatum tranſcendens omnes diuinas formalitates, ſiquidem eius eſſentialis conceptus id ſuadere videtur: nam ratio increata formaliter, & per ſeipſam poſtulans eſſe in omni ſpatio, tota in toto, & tota in qualibet parte, & immenſitas. Atqui eſſentia diuina, & quoduis aliud attributum Dei, formaliter ſeipſis per ſuas formalitates petunt eſſe, tota in toto, & tota in qualibet parte; ratio, nam eſſentia diuina, ſicut quælibet eius increata perfectio, eſt ſpiritualis, & diuina, atque adeo debet poſtulare, quia ſpiritualis, eſſe in ſpatio, tota in toto, & tota in qualibet parte, & quia diuina, reperiri in omni ſpatio. Ergo tam eſſentia, quàm eius quælibet diuina perfectio eſt ſuipſius formalis immenſitas. Ex quo bene inferes, immenſitatem non eſſe Dei attributum, ſed prædicatum tranſcendens, eomodo, quo exiſtentia in Deo non eſt eius attributum. Hæc inquam differentia eſt radix, à qua fluit exercitium immenſitatis, libero Dei nutui minimè ſubdi, ſicut nec exiſtentiæ exercitium. Vnde ſicut nequit cadere ſub liberā Dei determinationem, quòd aliqua eſſentialis Dei perfectio, vel attributalis ſit actualis, & quòd non habeat exiſtentiam: ita nec quòd aliquis locus realis ſit ad extra productus, & quòd aliqua eſſentialis, vel attributalis perfectio talem locum non repleat. 80.

Ex

81. Ex quibus deinde inferes, quòd licèt poſſit voluntas Dei impedire exercitium immenſitatis abſolutè poteſtate antecedenti, quatenus potuit hunc locum, & nullum producere, & productum annihilare, tamen locis ad extra ſemel à Deo conſeruatis, non poteſt Deus pro libitu impedire exercitium immenſitatis, ne illa actualiter occupet; Sicut ſtante vera rerum poſſibilitate impedire valet, ne iſta, vel illa cauſet omnipotentia ad extra. Ratio, quia exercitium neceſſarium eſt immenſitati, quippe à prædicato tráſcendenti ortum, de cuius ratione non eſt, poſſe eſſe, & non eſſe poſitis omnibus requiſitis ad eſſendum, ſed eſſe actualiter, appoſitis ſemel ad eſſendum requiſitis, non tamen ſic euenit in omnipotentia, cuius exercitium, cùm ſit liberum proximè, imò ipſa libertas, vt quidam, etiamſi ponantur omnia deſiderata ad agendum, poterit etiam ea ſuppoſitione illorum non agere ad extra; Vnde tandem fit ad rem noſtram, quòd cùm ipſe Deus poſſit liberè non agere, quamuis omnia requiſita ad agendum ſupponantur expedita, illæſa manente ſua omnipotentia; imo & ſi nihil egiſſet, æqualiter omnipotens eſſet; & optimè intelligibile ſit, quòd operante vna Perſona, & omnibus requiſitis poſitis ad operandum in aliis, poſſit voluntas Dei liberè impedire, ne aliæ Perſonæ operentur; etenim ſi Deus abſolutè liberè ſe impedit, quamuis ſint parata omnia ad operandum requiſita, manente apud Deum illæſa omnipotentia: Cur ipſe non valeret impedire, ne vna, vel alia Perſona operetur effectum, quem producit, altera manente in omnibus æqualiter illibata diuina omnipotentia. Cùm verò Deus ſtante requiſito ad locum occupandum, quod iuxta omnes eſt ipſius loci actualis exiſtentia, nequeat impedire ſe à prædicti loci repletione, inintelligibile ſit, quòd exiſtente hîc & nunc loco, A, & ab vna Perſona occupato, ne aliæ duæ Perſonæ prædictum locum occupent. Per hæc declinari poteſt vis huius argumenti in prædicta paritate conſiſtentis.

Hæc iamdiu diſcutti, non vt iudicium ferrem, nec pro aſſertiua reſolutione huius ſpecialis influxus Verbi in humanitatem ſententiam progignerem; ſed vt altercationis Paleſtræ indulgerem, confitens cum communi Theologorum aſſerto, Patrum, & Conciliorum, humanitatem eſſe ſpecialiter vnitam Verbo, fuiſſe opus à tota Trinitate factum, & quidquid ad extra productum, vt ſectio immediata contra Carolum de Abra proſequemur.

Sectio VI.

Vnio humanitatis ad Verbum, non eſt ſpecialis effectiuus influxus Verbi in humanitatem.

88. NEmo enim eſt in diuinis ſtudiis adeo hoſpes, vt eum fugiat, quantæ ſint tenebræ in humanæ, ac diuinæ naturæ, in eiuſdem compoſiti ſubſtantialis conflationem concordia, quanta, quamque denſa nox omnium retro ſeculorum ſapientibus ſit offuſa, in fœderatione duarum tam inter ſe diſſidêtium naturarum eruenda. Tantò enim profundiores circa Deum tenebras viſibus noſtris offundi, quantò eſt Deus aliis quibuſuis rebus altior, & ſupra captus noſtros elatus. Sed in hoc ligamine ſuæ ſplendeſcentis ſuppoſitalitatis cum noſtræ fæcis humanæ ignobilitate, quàm maximè? taliter, vt deſperanda videri poſſit tantæ tenebricoſitatis diſcuſſio, nihil enim proſunt ad eas pellendas tenebras noſtræ quæuis cicindelæ, quo enim alio nomine Authorum tam multas, tam pugnantes inter ſeſe, tam parum intellectui ſatisfacientes apellem? Alij, nexum iſtum, actionem humanitatis productiuam eſſe, adacti ſunt dicere: Alij relationem ad actionem ſubſequutam, vnionem iſtam conſtituere, profitentur. Alij in ipſis extremis connotantibus actionem vnitiuam eſſe vnionem, euulgant. Cæteri verò, quos ſequuti ſumus, illam, docent, eſſentialiter conſiſtere in modo quodam ſubſtantiali inter Verbum, & humanitatem interiecto. Sunt alij præterea in hac re opinationum ſtolones, verius quam rami, quos ſi quis ſubeat, eò inumbretur, & tenebreſcat magis. Nec opinationes dico, quaſcumque infœliciter enitentium abortiones. Doctorum tamen ſapientiſſimorum Virorum præterea varias potiùs retulerim. His quamquam ineffabilis hæc vnio ita expendatur, vt diuinis quibuſuis perfectionibus conſulatur, tamen exigua ab eis intellectui quies, lux in tanta caligine, aut pertenuis, aut nulla. Cœcutiunt omnes profectò. Nec mirandum cùm omnes homines ſimus. Quam bene Prudentius *libro* 2. *contra Symmachum, ſectione ſecunda.*

Nos cum diuinis agimus de rebus, & illum.
Qui, vel principio caruit, vel fine carebit,
Coniectare animo contendimus, exigua eſt vis.
Humani ingenij, tantoque anguſta labori.
Quippe minor natura, aciem ſi intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi,
Quis dubitet victo fragilem laceſſere viſu,
Vimque fatigata mentis ſub pectore paruo
Turbari, inualidiſque hebetem ſuccumbere curis?

Igitur denſiſſimam noctem circa conſtitutionem mirandæ hypoſtaticæ vnionis, omnium retrò Theologorum ingeniis, tot ſæculorum decurſu incubantem, eamque caliginem acuto lumine, quod hactenus admotum eſt, nec leuiter quidem depulſam, ingenuè confiteri libet, quàm luſciis noſtris oculis abblandiendo inficiari.

Verùm nouus Sol de Theologico Cœlo affulſit ætati noſtræ, Carolus ſcilicet Franciſcus de Abra, citatus ſuprà, qui ab aliorum luce deflectens, recentibus, & nondum præ nouitate, obrugatis radiis, ſic enim de ſemetipſo fatur: *Me quidem in hoc dogmate aſſerendo nullius Authoris mentem conſuluiſſe, ſed ſolam rationem in auxilium propria imbecillitatis aduocaſſe, qua oſtendas, quomodo, & qua ratione illud altiſſimum incarnationis myſterium fuiſſet peractum.* Ineffabilis vnionis ſtructuram nobis intelligendam propinat. Quid enim aut ad vſum aptius, aut ad poſteritatis memoriam glorioſius, quàm contrucidata tot ſæculorum nocte, 89.

noćte, illuxiſſe denique nouæ doćtrinæ beneficio diem, qua non modo inacceſſum illum venerabiliſſimæ vnionis aditum, ſed & abditiſſima plurima Theologicarum difficultatum ſpelea, conſpicati propalam, & peruadere ſiquidò liceat?

90. Aſſerit igitur Carolus, incarnationem propriè in eo conſiſtere, quòd Verbum intimè præſens humanitati per ſuam perſonalitatem, peculiarem aliquem influxum præbeat ipſi ad eam ſine ſubiecto conſeruandam, ratione cuius, eius ſuppoſitum dicitur, in cuius placiti ſingulariſſimi quidem, ſuffragium nullum ex authoritate Sanctiſſ. Concil. Theologorum aſſertum allegat; imò nullius menti, niſi ſuæ, affulſiſſe gloriatur; rationes, quibus ad id aſſerendum, & deſerendum aliorum dicendi modos, adeo leues, vt præ leuitate calamus eas deprehendere ſit impos.

91. Imprimis Authorem hunc impugno notæ nouitatis inurens. Elatio enim animi, ad deſpiciendas alienorum ingeniorum fruges, propria autem inuenta magni facienda, inconſultos animos abripit. Et quàm perbella eſt Syneſij ad rem hanc ſimilitudo? Matres enim præ amore viſa prole propria, quantumcumque fœdiſſima, rariſſimæ pulchritudinis velut paradigma autumant, quia videlicet amamus omnes inſito naturæ impetu, noſtra, & quia amor in bonum fertur, iis, quæ amare fixum habemus, boni, ac pulchri acceſſionem facimus, abblandientes nobis, & quæ ad nos ſpectant amplificantes. Sed audiat quæſo Carolus pro alienorum inuentorum quantumuis antiquorum deprecatione ex Sancto Gregorio 5. *Moralium, cap.* 18. Vbi de hypocritis diſſerens præter alia extulit hæc: *Communem ſcientiam habere refugiunt, nec cæteris æquales æſtimentur. Occulta, vel noua ſemper exquirunt, qua dum alii neſciunt, apud imperitorum mentes, ipſi de ſcientia ſingularitate gloriantur.*

92. Præterea, nam ipſe Carolus exiſtimat, antiquam ſententiam, componentem integram vnionis hypoſtaticæ eſſentiam cum influxu effectiuo generali, & communi omnibus perſonis, non modò quaſſam, ſed & funditus in intelligibilitatis chaos eſſe detruſam: verùm reſolutio hæc imbecillitatem iudicij redolet; etenim iudicij imbecillitatem conſequitur exiſtimatio de infirmitate alienarum ſentententiarum, & perfacili earum expugnabilitate; ſiquidem attendentes ad pauca, facilè pronunciant: è, contrà verò, quoad propria placita, nihil procliuius eſt, quàm vt homo ſpiritu pauper (ſic elegantiſſimè Caietanus iocatur) & exiguo iudicio, ſibi abblandiens, & ſenſorum ſuorum venuſtati lenocinans, occupetur cogitatione de expedita, & vix vllis difficultatibus patente eorum veritate.

93. Secundò ago in hunc Authorem eiſdem ipſis telis, quibus antiquam ſententiam impetere connititur, illud Eucherij *homilia ſecunda de Paſchate* vim argumento præſtans: *Validis*, inquit, *abſque dubio nititur priuilegiis, qui cauſam de aduerſarij aſſerit inſtrumentis. Speciosa victoria eſt, contrariam partem cartulis ſuis velut propriis laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis euincere, vt propugnatoris tui argumenta, tuis probentur vtilitatibus militare.* Videamus numerationes adeo iſtius egregias, quæ à communi Theologorum ſerie deflexerunt Authorem, & licèt *ſectione ſecunda* adduxerimus illas, iterum libuit reſcribere.

94. Prima ſupponit doctrinam generalem, nihil eſſe in Perſonis diuinis quod non ſit actiuum, nihil, quod non ſit perfectiſſimum; perfectio autem eſt agere. Hoc ſuppoſito proſequitur, cùm in qualibet Perſona duo inueniantur, eſſentia ſcilicet, & Perſonalitas, eſſentia erit communis, & Perſonalitas, cui competit actiuitas ſpecialis, poterit influxum in effectum ad extra præſtare.

95. Argumentor ſic: ſuppoſitionem hanc, doctrinam inuoluere omnibus Theologis inuiſam; ſiquidem eo ipſo, quòd eſſe vim ad extra productiuam, ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, & ob hanc cauſam, illam cuilibet Perſonalitati aſcribat Author: ſit, eodem iure talem vim aſcribendam fore cuique diuino prædicato; atque adeo eſſentiæ diuinæ, vt à cæteris virtualiter diſtinctæ. Quia non eſt maior ratio, quare Perſonalitati talis perfectio agendi ad extra competat; & cæteris denegetur; cùm omnibus æqualiter conueniat eſſe ſummè perfectas, quod nequiret ſaluari, ſi aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex, qualem eſſe vim ad extra productiuam, exiſtimat Author, alicui ex illis deficeret. Etenim eadem ratio, qua ſuadet Carolus, vim iſtam cuique Perſonalitati eſſe adhibendam, conuincere illum debet, vt eam eſſentiæ diuinæ præbeat: vel enim eſſe vim actiuam ad extra, eſt formaliter perfectio ſimpliciter ſimplex, vel non. Si hoc. Ergo poterit intelligi ſine illa quænis Perſonalitas diuina ſummè perfecta in ſua linea, quod obuiat tuo aſſerto. Si Primum. Ergo ſicut ex eo Carolus infert, Perſonalitati cuilibet debere illi formaliter competere eſſe vim ad extra productiuam, ita inferri licebit, talem vim debere formaliter competere eſſentiæ diuinæ, vt virtualiter diſtinctæ à cæteris diuinis perfectionibus, & cuilibet perfectioni, vt in ſua linea ab alia diſtinguitur. At concedere eſſentiæ vim hanc immediatè & formaliter competere, eſt nedum præter, ſed contra omnes Theologos, quorum plures maioris notæ illi denegant immediatam vim ad intra productiuam. Ergo aſſertum hoc pugnat cum ſententia omnium Scholaſticorum.

96. Confirmatur. Authores cuncti docent, eſſentiam diuinam immediatè ſe ſolam, non eſſe adæquatè vim productiuam ad intra alicuius termini. Ergo nec illi competere debet eſſe immediatam vim productiuam termini ad extra. Antecedens experieris verum, ſi Authores legeris cum Magiſtro *in primum ſententiarum, diſtinctione vigeſima*, in quo defendendo conueniunt omnes, ſolum diſſidium inter illos eſt, an exigat eſſentia, vt ſit immediatè ad intra operatiua alicuius, quod cum illa importetur in recto, vel ſaltem illud in obliquo connotet. Conſequentiam

docet

docet paritas, & augetur, nam maior perfectio eſt, ad intra agere, quàm agere ad extra. Ergo ſi illa excellentior perfectio non arguit in eſſentia diuina, eſſe vim ſe ſola immediatè operatiuam termini ad intra; minor iſta perfectio minus in illa arguet, ſe ſolam eſſe immediatam vim formaliter operatiuam termini ad extra.

97. Confirmatur: Et permittamus Authori, tam eſſentiæ, & cuique perfectioni abſolutæ, necnon Perſonalitati cuilibet conuenire, eſſe vim productiuam termini ad extra; adhuc ex hoc aliud aſſertum, cunctis Theologis inuiſum, ſequeretur. Ergo ſententia illius inuoluit ſententiam Theologorum cœtui aduerſariam. Antecedens probo, ſequeretur vnum ex tribus. Vel tot eſſe omnipotentias, quot perfectiones. Vel varias dari partes omnipotentiæ vnam omnipotentiam componentes, vel quod infertur ex hoc, omnipotentiam non eſſe Dei attributum, ſed prædicatum tranſcendens. Quæ eſſe cunctis Theologis contraria, quiſque videat. Ergo. Antecedens vno impetu quoad omnes partes probatur, ſume vim actiuam ad extra conuenientem, verbi gratia, Perſonalitati Patris, de illa à te peto, an tanta vis ſit, vt quidquid valet omnipotentia producere, valeat cauſare, & illa, vel non, ſi poteſt; Ergo talis vis ſortietur veram rationem omnipotentiæ ſecundùm totum ambitum actiuitatis omnipotentiæ conuenientis. Tunc vltra, ſume aliam vim actiuam, quam Perſonalitati Filij idem Author præſtat, & pete, an ſit compos producere quidquid factibile eſt ad extra, vel non. Si poteſt. Ergo tali ſpeciali virtuti formaliter conueniet proprius conceptus omnipotentiæ. Tum vltra, ſume quamlibet vim ad extra productiuam; quæ in ſententia Authoris, cuique diuinæ perfectioni dicitur conuenire, & de qualibet formabis eamdem interrogationem, & affirmatiuè reſpondenti, inferes ſimiliter talem vim propriam omnipotentiæ rationem habere. Nunc euidenter inferes, tot in Deo dabiles eſſe omnipotentias, quot in Deo deſignantur diuinæ Perfectiones, cum cuilibet concedatur vis ad extra productiua cuiuſque non repugnantis ad extra fieri, quod omnipotentiam conſtituit: Si propter hoc aſſeras, talem vim cuique diuinæ perfectioni conuenientem producere non poſſe ſeorſim ſumptam ab alijs, quidquid factibile eſt ad extra. Impugnaberis, primò, quia cùm non ſit maior ratio, quare vnius effectus, potiùs quàm alterius, & quare huius numeri determinati effectus, potiùs quàm infinitorum, & ſincategorematicè in infinitum multiplicabilium ſit illa vis productiua ad extra, fiet, quòd ſi cuilibet perfectioni diuinæ concedatur vis ad extra productiua, debeat concedi tantæ actiuitatis, vt poſſit, ſe extendere ad quidquid fieri non repugnet; Et ſic recidit argumentum factum. Secundò, quia ſi talis vis, vni perfectioni competens, nequit quidquid producibile eſt, cauſare, vt ab aliis ſeorſim ſumitur, peto, an id poſſit, vt coniuncta eſt ſimul cum aliis perfectionibus diuinis? Si poteſt vt coniuncta. Ergo omnes ſimul conſtituent omnipotentiam, cùm illis omnibus vt ſimul ſumptis conueniat virtus producendi quidquid factibile eſt ad extra. Ergo omnipotentia erit perfectio ex pluribus partibus compoſita. Si propter hoc dicas, collectionem harum omnium virtutum non poſſe producere quidquid ad extra eſt producibile, quod ſolùm omnipotentiæ conuenit. Sed contra, & peto, an admittas in Deo perfectionem aliquam, quæ omnipotentia ſit, diſtincta ab illis virtutibus, ſingulis perfectionibus correſpondentibus ſimul ſumptis, vel non. Hoc, eſſet totam Theologiam euertere. Si primum, peto item, an illa perfectio ab illis diſtincta, ſe ſola poſſit facere quidquid factibile eſt, vel non poteſt. Si hoc, quorſum omnipotentiam appellas? Si illud; Ergo poterit facere quidquid præſtare poſſunt illæ virtutes ſimul ſumptæ, quæ illis perfectionibus ſimul acceptis correſpondent. Ad quid igitur tales virtutes inſeruient? Tertiò, quia vel quæuis illa vis ad extra productiua, poteſt ad quidquid factibile eſt, ſe extendere, vel non poteſt. Si primum, iam concedis tot omnipotentias, quot perfectiones diuinæ ſunt, vt vidimus, atque adeo, omnipotentia non erit attributum à reliquis diſtinctum, ſed tranſcendens, multiplicatum ad multiplicationem formalitatum diuinarum, in quibus imbibitur, quod eſt totius Theologiæ diſſipatio. Si non poteſt; Ergo illas vis æquè imperfectam relinquit diuinam perfectionem, cui ab Authore datur, ac dum ſine illa conſideratur, Ergo ſuperfluè talis vis actiua conceditur. Conſequentia patet, quia ideo Author hic talem vim perhibet perſonalitati, & cuique diuinæ perfectioni, quia cùm quælibet ſit ſummè perfecta, & poſſe agere ad extra ſit perfectio, debet illi concedi, aliàs ſine tali virtute non eſſet ſummè perfecta diuina Perſonalitas. Ergo ſi æquè illi deficeret perfectio alia, ſuppoſita in illa prædicta virtute, ac ſi ipſi denegata eſſet, iam ſuperfluè talis virtus in Perſonalitate collocaretur. Nunc illud antecedens probo, Poſſe agere quidquid factibile eſt, maior perfectio eſt, quàm aliquod factibile poſſe. At per te vis illa actiua, quam cuique perfectioni diuinæ das, non poteſt ad quidquid factibile ſe extendere. Ergo ſuppoſita prædicta ſpeciali virtute actiua in qualibet perſonalitate, adhuc hæc manet cum æquali alicuius perfectionis carentia, ac ſi talis virtus illi denegaretur.

98. Præterea, nam permiſſa virtute iſta ad extra productiua, peto, qua de cauſa illam multiplicat Author ad multiplicationem omnium diuinarum perfectionum? Dicet, quia agere ad extra eſt perfectio, quæ debet conuenire enti cuilibet, quod ſummè perfectum eſt, qualiter creditur eſſe vnaquæque diuina perfectio. Ergo ſimiliter poteris concedere cuilibet diuinæ perfectioni vim ſpecialem miſeriæ alienæ ſubleuatiuam, eamque multiplicare ad multiplicationem diuinarum perfectionum. Conſequentiam probo. Nam miſeriam alienam ſubleuare perfectio ſimplici-

ter

ter eſt in Deo non minus, quàm aliquid ad extra agere, aliàs miſericordiam Dei tanquam egregium eius attributum minimè ea Fide coleremus. Quod horret. At quia agere ad extra aliquid, eſt perfectio ſimpliciter, multiplicat Author talem vim ad extra productiuam ad numerum diuinarum perfectionum. Ergo ſimiliter debebit in illis multiplicare totidem virtutes miſeriæ alienæ ſubleuatiuas, quot ſunt diuinæ perfectiones, ſiquidem hæ ſunt ſummè perfectæ, & miſeriam alienam ſubleuare eſſentialem dicit perfectionem in ſua linea ſimpliciter ſimplicem. Ergo dabis in Deo plures miſericordias attributales, virtualiter diſtinctas, iuxta diſtinctionem virtualem perfectionum, quibus correſpondent. Quiſnam ex Theologis deſipuit adeo, vt in tam inſcium deueniret iudicium. Idem argumentum poteris formare de ſingulis attributis Dei.

99. Præterea, permiſſo iſto ſpeciali influxu Verbi in humanitatem, adhuc eadem difficultas ſupereſt vincenda, quam vt deliniret, talem influxum confinxit Author. Ergo tanquam inutilis eſt deſerendus. Probo antecedens, ideo vt vidimus *ſectione prima, numero ſexto* deſeruit communem Theologorum ſententiam Author hic: quia per vnionem quouis modo datam, non explicatur, qualiter natura ſit ſpecialiter vnita Verbo, quin ſit vnita ſic Patri, & Spiritui Sancto. Atqui permiſſo influxu à te dato, adhuc ſpecialis hæc vnio ad Verbum, & non ad cæteras perſonas æquè inexplicata manet. Ergo illo influxu permiſſo, eadem difficultas manet, ac ſine illo. Minor probatur. Etenim ab Authore peto, an talis influxus ſimul ſit effectiuus & vnitiuus, vel ſolùm effectiuus. Quidquid dicas, eadem difficultate premeris, quæ cunctos premit. Ergo, &c. Probo minorem quoad primam partem, nam ſi effectiuus, & ſimul vnitiuus ſit, ex qua parte eſt vnitiuus, aliquid ſecum ferre debet, quare ex vi illius vnitionis, humanitas potiùs ad Verbum, quàm ad reliquas Perſonas vnita dicatur. Quid eſt hoc? Quid datur ex parte iſtius influxus, qui vnitiuus eſt, quod ſuam vnitionem reſtringat ad Verbum, & non ad Patrem, & Spiritum Sanctum? Aſſignet Carolus. Nunc probo minorem, quoad ſecundam partem; Etenim ſi effectiuus eſt, Ergo ex hac parte aliquid debet producere, nam impoſſibilis eſt actio Dei etiam, ſaltem ad extra, quæ termini alicuius non ſit actualiter productiua, vt latè *dubio primo, ſectione ſecunda* dedimus. Nunc peto, quòd Author hic aſſignet terminum iſtius influxus ſpecialis Verbi? Aſſignat modum quemdam in humanitate receptum, quem vocat modum independentiæ à ſubiecto. Nunc quæro ab illo rationem, quare modus hic ſpecialiter terminetur ad Verbum, & non ad reliquas Perſonas? Hæc eſt difficultas, quam deuincere connitebatur. Ergo quouis modo talis influxus permittatur, non aſſequitur Author ſuum votum.

100. Præterea aliter inſtantatur id ipſum. Siquidem ideo vltra id, quod aſſignauimus nuper, modum communem reliquit, quia non bene percipitur, qualiter per noſtram vnionem humanitas ſit Verbo vnita, *Niſi talis vnio etiam ipſum Verbum attingat, & in eo recipiatur, non concipio, ait, vinculum, quod in vno tantùm extremo eſt, poſſe realiter ipſum cum alio extremo, in quo non eſt, coniungere, & non video, ait, quomodo vinculum dici poſſit.* Sed hæc ratio æquè impetit ipſum permiſſo prædicto influxu. Ergo inutiliter confingitur. Probo minorem: Etenim, vt vidimus *numero antecedenti*, talis influxus, quia productiuus in ſententia Authoris, produxit in humanitate modum quemdam independentiæ à ſubjecto. Nunc quæro, vel iſte modus attingit Verbum, vel non. Si hoc, dicam ego, me non percipere qualiter Verbum vniatur humanitati medio vinculo non attingente Verbum, nec in illo recepto. Si dicas attingere Verbum, reſponde quomodo Verbum per tale vinculum non mutetur.

101. Reſtat, vt rationibus, quibus ſibi ſuaſit hunc ſpecialem influxum Verbi in humanitatem, reſpondeam. Mouebatur primò vt vidimus *ſectione prima, numero vndecimo*, quia omnis alius modus à communi edoctus, qui fit per vnionem aliquam realem, eſt penitus inintelligibilis, nec tantùm inexplicabilis, quia vel ſolum recipitur in humanitate, & non in Verbo, & ſic, concipi nequit, vt eius interuentu natura humana, & Verbum vniantur. Verùm ratio ex denuo dictis, & in toto dubij antecedentis proceſſu, necnon & *tractatu primo, diſputatione prima per totam* manet ſatisfacta.

102. Secundò mouebatur, vt vidimus *numero duodecimo*, nam ſicut in probabiliori ſententia, informatio animæ nihil eſt aliud, quàm eius præſentia ipſi humano corpori cum ſpeciali influxu, quem adhibet circa ipſum corpus bene diſpoſitum ad eius operationes exercendas qua recedente diſpoſitione nihil operatur, & ideo recedit, & hoc totum euenit abſque vllo modo reali, qui recipiatur, tam in corpore, quàm in anima; ita incarnatio, ſeu vnio hypoſtatica, nihil eſt aliud, quàm intima diuini Verbi præſentia in humanitate cum ſpeciali influxu, quem præbebit ad eam extra ſuppoſitum proprium ſuſtentandam.

103. Sed ratio ipſa terminorum prolatione ruit. Et peto ab Authore iſto, vnde ſit conſcius, ſententiam illam de anima eſſe probabiliorem? Sed relicta iſta conficta probabilitate iterum peto ab illo, vt aſſignet terminum illius actionis, quam anima rationalis in materiam, cui eſt præſens, exercet? Nihil eſt aſſignabile. Ergo chimerica eſt illa actio ab anima in materiam diſpoſitam, cùm repugnet ſine termino actio. Etſi aliquid eſt aſſignabile erit aliquis modus independentiæ, quo materia dicatur à ſubiecto non dependere, ſimilis ei in humanitate ab influxu Verbi producto, quo humanitas ab Authore dicitur à ſubiecto non dependere. Sed modus hic repugnat ab anima in materia produci. Patet, nam materia realiter præcedit animam rationalem: Ergo ex ſe habet pro illo priori à ſubiecto non dependere.

104. Hæc ſunt fundamenta Caroli in ſuffragium in

influxus ſpecialis Verbi in humanitatem, eo fine ab ipſo meditati, vt aptiùs ex illo quidditatem vnionis hypoſtaricæ perciperemus, an ſint efficacia, nec ne? tota ſectio hæc ſuperque reſpondet. An verò aliqua cenſura mereatur inuri, ex qua arte defendit, ſpecialem influxum effectiuum de facto eſſe ab vna Perſona ortum, qui non proficiſcatur à cæteris, aliis relinquo iudicium de hac re ferendum.

105. Argumenta verò, quæ in defenſionem poſſibilitatis huius ſpecialis influxus, ſectio tertia attulit, ex qua parte ſumuntur ex difficultate intelligendi, qualiter vnio humanitatis ſpecialiter terminetur ad Verbum, & non ad Patrem, & Spiritum Sanctum, ipſa difficultas ex ineffabilitate tam eximij myſterij ſuborta, ſit illorum congruentior ſolutio, ſat eſt nobiſcum Fide reſpondere, vnionem hanc taliter ad Verbum terminari, vt ex illo, & humanitate vnum compoſitum per ſe ſubſtantiale reſultet, quod non reſultat ex humanitate, & cæteris Perſonis. Et ſi de hoc iteretur petitio. Reſpondeat Fides id ſtatuens. Ex qua verò parte ſumuntur prædicta argumenta ex hypotheſi, quòd vna Perſona diuina ſine aliis videatur. Videant, quid reſpondeant, qui caſum hypotheſis ambabus vlnis admittunt, nos verò illum impoſſibilem iudicamus *tomo ſecundo, tractatu de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſputatione ſecunda*, tametſi aliqua adumbrari poſſit ſolutio ex aſſertis *ſectione quinta*.

DVBIVM VI.

Corollaria varia ex dubiis.

Incarnatio non ſolùm eſt actio eductiua vnionis ex potentia obedientiali humanitatis, & vnitiua cum Verbo, ſed via ad dependentiam humanitatis à Verbo, vt à termino, intrinſecè illam terminante.

106. INfertur placitum hoc ex dubiorum proceſſu, & vt clareſcat, noto, incarnationem trifariam ſumi poſſe, vt actio eſt, vt paſſio, & vt via. Vt actio totam Trinitatem, à qua effectiuè profluit, reſpicit. Vt paſſio humanitatem, ex cuius obedientiali potentia educitur; vt via, hypoſtaticam vnionem, quam tanquam ſui terminum agnoſcit. Verùm quia vnio hæc non ſolùm humanitatem, & Verbum nectit, ſed ſimul conſtituit humanitatem à Verbo formaliter dependentem, tanquam à termino hypoſtatico, ideo diximus in titulo, incarnationem eſſe viam productiuam dependentiæ humanitatis à Verbo, vt à termino intrinſecè terminante, ac ſuſtentante in genere cauſæ formalis, ad lineam ſupernaturalem hypoſtaticam pertinentis.

107. Declaramus partes iſtius aſſerti. Imprimis, incarnationem, vt actionem, totam Trinitatem reſpicere, & non præcisè Verbum, ſatis ex ſectionibus immediatis conſtare videtur, ſiquidem docuerunt illæ, actionem nullam ad extra oriri poſſe ab vna ſola diuina Perſona, ſed à tota Trinitate proficiſci debere. Ergo incarnatio, vt actio, non ſolum Verbum, ſed Trinitatem totam reſpicere debet. Secunda verò pars notabilis, nempe incarnationem, vt eſt paſſio, humanitatem ſolam reſpicere, Philoſophia docet, ex qua patet, paſſionem quamque eſſentialiter reſpicere ſubiectum eductionis, & inhæſionis. Ergo incarnatio, vt paſſio illud reſpiciet, quod fuerit ſubiectum eductionis, & inhæſionis illius. Cùmque humanitas, ſolùm ſaltem ſecundùm ſuam potentiam obedientialem, ſit ſubiectum eductionis illius, fit, humanitatem ſolam reſpici ab incarnatione, vt paſſio eſt.

108. Iam quòd incarnatio, vt via reſpiciat vnionem, patet, quia cum illa connectitur, vt cum eo, cui dat eſſe, at hypoſtatica vnio eſt terminus, cui dat eſſe incarnatio, vt via conſiderata; Ergo vt via accepta vnionem, tanquam terminum, reſpicit: Vnde terminus eſſentialiter inſpectus ab incarnatione, vt via, eſt hypoſtatica vnio, vt nexus eſt humanitatis cum Verbo, medio quo natura humana ſubſiſtit; tunc vltra, & cùm natura humana, vt non ſemel annotauimus, dependeat in ſuo eſſe à propria ſubſiſtentia, tanquam ab hypoſtatico termino, & ex alia parte Verbum dicatur, eius locum occupare, dicetur ab hoc humanitas dependere tanquam à termino hypoſtatico. Sed notanda eſt differentia, quòd noſtra humana natura non pendet à propria ſua ſubſiſtentia, mediante vnione, & formali dependentia, diſtincta ab ipſa ſubſiſtentia, ratio, nam hæc eſt virtualis ſui cum humanitate vnio, atque adeo dependentia virtualis humanitatis ab ipſa; ratio, nam cum ſubſiſtentia ſit modus, de cuius ratione eſt, ſeipſum immediatè vniri rei, quam modificat, fit, ſubſiſtentiam creatam eſſe ſuiipſius cum natura vnionem virtualem.

109. Sed occurres, vnio, vt vnio, ſolum eſſentialiter habet eſſe nexum vnibilium, non verò dicit, dependentiam eſſe formaliter, vt conſtare videtur in pluribus exemplis, & potiſſimùm in vnione, qua anima noſtra vnitur materiæ. Ergo malè diximus, vnionem hypoſtaticam eſſe dependentiam formalem humanitatis à Verbo.

110. Reſpondemus, vnionem formaliter, & ex meritis vnionis minimè dependentiam formaliter eſſe, quod in noſtro myſterio comperimus, nam Verbum, eſt verè vnitum formaliter, & ex vi vnionis minimè dependere dicitur: Cum his tamen ſtat, quòd quando vnio eſt formaliter completiua termini, eſt formaliter illius dependentia; ob cuius defectum vnio animæ noſtræ non eſt formalis dependentia illius à materia; quia talis vnio minimè complet animam, quoad ſuum eſſe, anima enim in hoc differt à forma materiali, quòd hæc in ſuo eſſe pendet à materia,

quia

quia ſuum eſſe per materiam completur; At cùm Verbum diuinum ſuccedat loco ſubſiſtentiæ creatæ, à qua in ſuo eſſe ſubſtantiali compleretur humanitas, & ideo hæc ab illa penderet, fit, quòd vnio ad Verbum debeat eſſe completiua humanitatis quoad ſuum eſſe ſubſtantiale, quod accipit à Verbo humanitas; atque adeo vnio hypoſtatica, quia talis, eſt non ſolùm vnio, ſeu vnibilium nexus, verùm & formalis dependentia humanitatis à Verbo.

112. Vnde inferes differentiam communiter ab Authoribus allatam inter aſſumptionem, incarnationem, & vnionem, quòd hæc formaliter ſolum terminum notat. Voces iſtæ, *incarnatio*, & *aſſumptio*, ex vi prolationis verborum actiones exprimere videntur. Rurſum alia eſt vox, nempe; *vnitio*, & hæc ab incarnatione, & aſſumptione differt. Etenim incarnatio quod exprimit, eſt extremum carnis, cui facta eſt coniunctio ad Verbum, vnitio verò præcisè ſua extrema indifferenter declarat, tam enim importat, teſte Sanctiſſimo Thoma, ſecundam perſonam humanitati vnitam, quàm humanitatem vnitam Verbo; In hoc enim ab vnitione differt vox hæc, *deificatio*, Nam hæc determinatè exprimit extremum Deitatis, quæ humanitati copulatur. Rurſum vnitio differt ab aſſumptione, nam, vt dixi, vnitio indifferentia æquali vtrumque vnibile extremum manifeſtat; Aſſumptio verò licèt vtrumque deſignet, tamen modus exprimendi quaſi paſſiuus eſt diuerſus, quia vnum exprimit ad inſtar agentis, & alterum quaſi patientis. Vnde iſta ſunt vera, vniens eſt vnitum, vt patet in Verbo, quod ſimul cum aliis Perſonis eſt vniens, & eſt propriè, & ſolum vnitum. Tamen hæc eſt falſa: aſſumens, eſt aſſumptum, quia aſſumens inuoluit actionem ex parte Verbi, & paſſionem ex parte humanitatis denotat vox hæc aſſumptum. Quapropter etiam iſta propoſitio eſt falſa, tres Perſonæ ſunt aſſumentes, & vera hæc, tres Perſonæ ſunt vnientes: quia videlicet, diuerſa exprimere dicuntur voces iſtæ vniens, & aſſumens, nam illud pro formali dicit vnitionem, hæc denotat actionem, qua vnum alteri copulatur, & cùm omnes Perſonæ vnionem operentur, qua humanitas, & Verbum vniuntur, fit, eſſe veram propoſitionem hanc; tres Perſonæ ſunt vnientes; At verò aſſumens connotat aſſumptionem, hæc eſt idem alterius ad ſe ſumptio: atque adeo inuoluit identitatem principij cum termino: qua de cauſa propoſitio hæc eſt falſa: tres Perſonæ ſunt aſſumentes, ſiquidem de duabus non verificatur, quòd ſimul ſint principium, & aſſumptionis terminus, cùm de fide ſit, id ſoli Verbo competiuiſſe.

Corollarium ſecundum.

Inter Verbum, & humanitatem duplex datur per æquiualentiam vnio.

Rem hanc modo iſto reſoluo, vt in concordiam vocem aliquorum Recentiorum aſſerta, non quia præſumam aliquid de re ab aliis diſtinctum, ſed rem ipſam ab aliis admiſſam intendere in medium pronuntiare. Quodque vt faciliùs exequar, notare debes, Authores cunctos ex Fide tenentes, Verbum, dum humanitati vnitur, nullo modo mutationi ſubeſſe, aſſerunt, Verbum in tempore non fuiſſe ſubiectum vnionis hypoſtaticæ receptiuum; quia exinde euidenter inferretur, Verbum ſtrictiſſimè mutatum fuiſſe, vt ex toto dubiorum proceſſu conſpicuè colligitur. In hoc puncto conueniunt omnes, in quo verò differre videantur, ſequentes numeri ad vnguem explanabunt. 113.

Cùm tota diſputatio de vnione iſta lucem mutuet ex philoſophicis principiis, vnuſquiſque iuxta ea, quæ ibi ſtetit, ſuam reſolutionem in præſenti perhibere conatur. Cùm ergo in Philoſophia admittentes vnionem inter materiam, & formam ab illis diſtinctam, adhuc ſint diuiſi, nam illorum quidam ſimplicem vnionem aſtruentes inter partes compoſiti, vnicam ſimiliter vnionem hypoſtaticam humanitatem, & Verbum copulantem, ſufficientem eſſe affirmant. Alij verò; cùm vnam vnionem inſufficientem præſumant copulare materiam, & formam; ſed duplicem neceſſariam iudicent, quarum vna in materia recepta, ad formam terminetur, & alia recepta in forma, terminetur ſimul ad materiam, parem diſcurſum parant in re noſtra docentes, duplicem eſſe dabilem vnionem in myſterio iſto, vnam ex parte humanitatis, & aliam ex parte Verbi ſe tenentem; verùm vt mutationem euitent in Verbo, aiunt, vnionem ſubiectiuè exiſtentem in verbo, non eſſe diſtinctam realiter à Verbo, ſed ab illo realiter indiſtinctam, atque adeo eſſe ipſam entitatem Verbi, vt munus vnionis exercentis; vnionem verò, quam ex parte humanitatis ſubiectiuè aſtruunt, eſſe à Verbo, & humanitate realiter diſtinctam, & in illa receptam exiſtimant, & exinde inferunt in hac veram mutationem, & eam inficiantur verbo. 114.

Inter ſententias, quam iudico veriorem, quippe affiniorem principiis, quæ in Philoſophia ſui ſectatus, eſt ſecunda ſententia, tametſi prima ſit adeo communis, vt aſſerat Suarez infrà citandus, ſententiam noſtram eſſe omnino falſam, & improbabilem. Verùm litigium hoc quoad præſens, & iuxta modum quo præſentem vnionem ſubiectiuè ſe tenentem ex parte Verbi explicat, nouiſſimè in manuſcriptis doctus quidam diſcipulus Sanctiſſimi Thomæ Salmanticæ, eſt puris vocibus adhærens. Nam quæſitus de diſtinctione vnionis, à Verbo, quam in illo ſubiectiuè po- 115.

nit, aſſerit, eſſe ipſam entitatem Verbi, vt munus vnionis exercentis. Si autem iterum ab illo petatur, an in Verbo exequi munus vnionis ſit aliquid diſtinctum à Verbi entitate? Reſpondet, nihil addere diſtinctum realiter à Verbi entitate. Et ſi fortaſſe iterum petatur, an addat aliquid, ſi non realiter, ſaltem virtualiter diſtinctum à Verbo? Id tamen non explicat, defendens ſemper ex parte Verbi dabilem eſſe vnionem ſubiectiuam, indiſtinctam tamen ab entitate Verbi. Verùm hoc in re non differt à ſententia contraria; ſiquidem Authores illius conſtanter defendunt, Verbum ſeipſo, & per ſuam actualitatem ſummam, humanitati dici vnitum nihil addat ſupra illius entitatem, ſecundùm ſe acceptam, intrinſecè ab ipſa diſtinctum; ſed ad ſummum connotationem vnionis in humanitate receptæ. Iſta enim minimè in re differunt à ſententia contraria, modo dicto explicata; ſolùm in illis eſt differentia, quòd hæc non admittit has voces, vnionem ſcilicet in Verbo ſubiectiuam; Contraria tamen eas defendit. Verùm quæſtio hæc voces tantùm modò redolet.

116. Igitur ſi aliqua ſupereſt contentio de re, conſiſtere debet, in admittenda aliqua formalitate, virtualiter à formalitate Verbi diſtincta realiter, tamen cum illa identificata, vi cuius dicatur Verbum ſubiectiuè vnitum humanitati; hac enim data optimè intelligitur diſſidium de re, quod inter prædictas ſententias adumbrari poteſt; quapropter explicaturi ſumus poſſibilitatem formalitatis, quæ vnioni æquiualens creatæ, virtualiter diſtinguatur in diuino Verbo ab eius formalitate Verbi, & cum illa realem identitatem vendicet.

117. Notare debes, aliqua prædicata ſeorſim ab aliis nullatenus eſſe Deo tribuibilia, ob defectum perfectionis, quam cætera prædicata, à quibus ſeparantur, important, ſi tamen cum illis coniungantur, poſſunt à nobis tribui Deo. Sit exemplum, in ſententia probabili diſcipulorum Sanctiſſimi Doctoris, conceptus potentiæ non poteſt à nobis Deo concedi, vt diſtinctus realiter à conceptu actus, quia, aiunt, vt ſic ab illo diſtinctus, realiter non dicit perfectionem actualitatis, quam ipſe actus eſſentialiter imbibit, à quo que diſtinguitur, ſi tamen vt indiſtinctam ab actu realiter talem potentiam prædicemus, poſſe Deo tribui, aſſerunt, quamuis ratio actus ſit formalitas virtualiter diſtincta à formalitate potentiæ; id ipſum edocent de virtutibus affectiuis, miſericordiæ ſcilicet & diuinæ iuſtitiæ, necnon generaliter in omnibus attributis, quæ ſi illa realiter diſtinguerentur, prorſus Deo deneganda forent, quia propter realem diſtinctionem vnumquodque traheret ſecum defectum realis perfectionis in Deo, quam diceret aliud prædicatum, à quo realiter differret.

118. Nota rurſum, plura prædicata eſſe inter ſe incohæribilia, quæ ſi ad ſuperiorem ſpeciem, vel naturam transferantur, optimè coniunguntur. Hoc ita verum eſt, vt ſi permitteremus ad id exprimendum Metaphyſica, & Phyſica exempla, in illis adducendis non ſuppeteſſet papyrus. Sufficiant nobis rem iſtam theologicè exprimere. Sententia eſt communis, ſubſiſtentiam ita in creatis diſtingui à natura, vt eis identitas realis repugnet: necnon communiter dicitur, intellectionem adeo à potentia intellectiua in creatis differre, vt nequeant ambæ in identitatem venire: Cum hoc tamen ſtat, quòd hæc omnia prædicata tranſlata ad diuina, identitatem realem obtineant, ita vt ad ſummum inter intellectionem, & naturam, ſolam virtualem diſtinctionem reponant, vt aliqui philoſophantur, non abſimiliter, ac Authores cuncti, ſubſiſtentiam diuinam à natura increata virtualiter diſtingui, docent.

Nota item, regulam dignoſcendi diſtinctionem virtualem inter aliqua diuina prædicata deſignarunt plures ſequuti Patres Salmanticenſes, in æquiualentia diuini prædicati, reſpectu plurium creatorum prædicatorum, ad diſtinctas lineas ſpectantium, ex qua regula deducunt, ſpeciem intelligibilem, vim radicalem intellectiuam, & proximam, intellectionem, & obiectum minimè in diuinis virtualiter diſtingui: ſed eſſe vnam, & indiuiſam formalitatem, adeo eminentem, vt æquiualeat omnibus illis, quæ in increatis realiter actualiter diſtinguntur, quorum creata, & realis diſtinctio non ſufficit refundere virtualem diſtinctionem in ipſis, prout ad diuina tranſmittuntur, quia licèt ibidem detur æquiualentia ad prædicta prædicata, quæ in creatis realiter differunt, tamen quia hæc, vt in creatis, non ſpectant ad diſtinctas lineas, ſed ad vnam, nempe intelligibilem, fit, quòd eorum æquiualentia non inuoluat in diuinis diſtinctionem virtualem: Ob contrariam verò rationem diſcurrunt in diuina æquiualentia ad naturam, & ſubſiſtentiam relatiuam; quas virtualiter diſtinctas, licèt entitatiuè identificatas, pronuntiant, quia videlicet, cùm in creatis eſſe abſolutum, & eſſe relatiuum, nedum in creatis realiter differant, ſed ſimul ad diſtinctas lineas categoriales, ſubſtantiæ ſcilicet, & relationis ſpectare dicantur, ideo in diuinis ratio naturæ, licèt ſit eminens, tamen virtualiter ſecernitur à ratione ſubſiſtentiæ. 119.

His notatis principiis probabilibus valdè conſonis, ab intento in titulo præfixo facilè expediemur. Aſſerimus ergo Verbum intrinſecè vniri humanitati mediante vnione, duplici. Vna, ſe tenente ex parte humanitatis ſubiectiuè, ab illa diſtincta realiter, & in ea recepta; alia, ſe tenente ex parte Verbi ſubiectiuè cum illo realiter identificata, & ab eo virtualiter diſtincta. Aſſertum hoc plura inſerit probanda. Primum eſt, neceſſitas ponendi vnionem hanc ſubiectiuam in Verbo. Secundum, prædictam vnionem eſſe à Verbo virtualiter diſtinctam. Primum docent quotquot inter Verbum, & humanitatem nullum admittunt vnionis modum intermedium, docentes, Verbum ſubire munus vnionis 120.

nis ſuiipſius. Secundum tenentur admittere ipſimet, & quilibet, qui defendentes primum, placitum de re contra cæteros Authores prætendunt defendere. Singula probemus.

121. Primum agnoſcit probationem ex aſſertis Philoſophiæ, vbi diximus, neceſſarias eſſe vniones duas partiales inter materiam, & formam, cuilibet partium correſpondentes; taliter, quòd vna ſola nectens non ſufficiat aſtruere ambas partes intrinſecè, & ſubiectiuè vnitas, ſed ſolùm eam, in qua tanquam in ſubiecto reciperetur; Hæc eadem ratio currit in myſterio iſto, atque adeo vt tam Verbum intrinſecè dicatur humanitati vnitum, quàm hæc illi dicitur vnita, neceſſarium præſumpſi ponere duplicem vnionem per æquiualentiam, quarum vna ſe teneat ex parte humunitatis, realiter actualiter ab illa diſtincta, & in ea recepta; & alia ex parte Verbi ſe tenens, & cum illo identificata, ita vt illa humanitatem, & iſta Verbum denominet intrinſecè vnità. Confirmo hoc, reddens rationem breuem vtriuſque. Siquidem tam ex humanitate, & Verbo reſultat vnum compoſitum per ſe, ac ex materia, & forma reſultare dicitur. Ergo ex illis vt intrinſecè vnitis. Ergo nulla illarum debet eſſe terminus extrinſecus alterius, ſed intrinſecus. Ergo vnaquæque debet alteri vniri per vnionem ſibi, & non alteri propriam. Probo conſequentiam. Etenim per vnionem in forma, & humanitate recepta ſolum poteſt conſtitui forma ſubſtantialis, & diuinum Verbum terminus extrinſecus. Ergo præter vnionem receptam in materia, & humanitate, danda eſt alia vnio in forma, & in Verbo, illa recepta in forma, hæc cum Verbo identificata. Antecedens probo, nam ſi ex parte vtrorumque extremorum non deſignetur vnio, ex vi præcisè vnionis in vno extremo, ſolum poteſt conſtitui alterum extremum terminus talis vnionis. At non fit terminus vnionis ſe tenentis ex parte illius. Ergo terminus vnionis ſe tenentis ex parte alterius. Ergo ſolùm vt terminus extrinſecus illius. Probo conſequentiam: quia negata vnione ex parte vtriuſque extremi ſe tenente, impoſſibile eſt diſcernere, quando extremum aliquod eſt intrinſecus terminus alterius, quando verò ſolum extrinſecus? Ergo ex vi vnionis ſe tenentis ex parte alterius extremi, non poterit alterum dici terminus illius intrinſecus.

122. Reſpondebis, vt Verbum non dicatur terminus purè extrinſecus humanitatis, ſufficit, quòd terminet vnionem intrinſecam humanitatis; quod componi poteſt, quin ex parte Verbi aſtruatur vnio quaſi ſubiectiuè; ſiquidem impoſſibile eſt, quòd detur vnio in humanitate recepta, quin Verbum illam terminare dicatur Ad quid ergo ſtatuenda eſt alia vnio?

123. Sed replicabis, reſponſionem hanc, etſi communem, eſſe quæſtionem ipſam, etenim dicimus nos vnionem vnam in extremo vnò receptam non ſufficere, vt alterum extremum dicatur terminus intrinſecus, & deinde petimus diſcrimen termini intrinſeci ab extrinſeco, & reſpondent, vnionem ſolam, & ſimplicem hæc omnia præſtare poſſe. Nec ſuffragatur reſponſioni, illud commune aſſertum, nempe, impoſſibile eſſe ponere vnionem ex parte humanitatis, quin Verbum terminet illam. Siquidem hoc verum eſt non tamen ſufficiens inferre. Ergo ex parte Verbi non eſt ponenda vnio alia cum ipſo Verbo identificata. Sicut in ſententia, quam ex diſcipulis Sanctiſſimi Thomæ *tom. 2. tract. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti* legam; licèt lumine gloriæ intellectus ſit ſufficienter intentionaliter, ex parte potentiæ diuinæ, eſſentiæ vnitus, taliter, vt nequeat Deus non vniri per modum ſpeciei, tamen nón ex hoc infertur. Ergo eſſentia diuina non vnitur intellectui, vt gerit munus ſpeciei; ita vt vnio intentionalis per modum ſpeciei, non ſit diſtincta ab vnione ſe tenente ex parte intellectus, illi ex lumine prouenience. Rurſum in ſententia valdè apud eoſdem familiari non bene infertur. Pater nequit realiter referri ad Filium, quin iſte paternitatem illius terminet. Ergo Filius terminat paternitatem per ipſam paternitatem Ergo ſimiliter non bene infertur, nequit vnio humanitatis exiſtere, quin Verbum illam terminare dicatur. Ergo ex parte Verbi non eſt ponenda alia vnio.

Confirmatur quaſi à priori, Nos cum probabiliori ſententia *ſectione antecedenti* decreuimus, humanitatem à priori dependere à Verbo, tanquam à cauſa veluti formali complente illam intra genus ſubſtantiæ. Nunc ſic argumentor. Ergo cauſalitas, quam in humanitatem exequitur Verbum, erit vnio, qua Verbum humanitati annectitur. Conſequentiam hanc negabit nemo: Nam in Phyſicis, cauſalitas, media qua, materia formam cauſat, eſt vnio, media qua, materia formæ copulatur. Tunc vltra, ſed cauſalitas Verbi nequit eſſe vnio in homanitate recepta. Ergo alia debet aſſignari ex parte Verbi vnio, quæ ſit illius in humanitatem cauſalitas Probo minorem. Nam vnioni in humanitate receptæ repugnat conceptus cauſalitatis Verbi in humanitatem Ergo vnio in humanitate recepta non eſt cauſalitas Verbi in humanitatem. Antecedens probo, repugnat alicui prædicato cauſalitatem eſſe alicuius cauſæ, quando in illa non recipitur, vel cum illa non identificatur. At vnioni receptæ in homanitate repugnat recipi in Verbo, & cum illo identificari. Ergo vnioni receptæ in humanitate repugnat conceptus cauſalitatis Verbi in humanitatem. Maior intellecta de cauſis creatis materiali, & formali, ſupponitur vera ex Philoſophia, quam docuimus *lib. 1. Phyſic.* intellecta verò de cauſa efficiente in creatis, etiam eſt probabilior ſententia docens, cauſalitatem agentis eſſe in ipſo agente receptam. Si verò maior illa intelligatur de cauſalitate cauſæ increatæ, adhuc veritatem habet, quantùm ad hoc, quòd cum ſua cauſa debeat identificari cauſalitas: Et probatur primò, Etenim ſi in creatis omnis cauſalitas eſſentialiter petit receptionem intrinſecam ſui in cauſa per illam cauſante; Quare cauſalitas diuina non petet identitatem ſui ipſius cum cauſa increata, quæ dicitur per illam cauſare? Secundò: Nam in ſententia probabiliori Deus ad extra in genere efficientis operans non agit media cauſalitate alibi recepta, & ſecum minimè identificata. Ergo Deus ad extra in genere 124.

cauſæ formalis operans, non operabitur media cauſalitate alibi recepta, & ſecum minimè identificata. Antecedens ſuppono ex doctrina communi diſcipulorum Sanctiſſimi Doctoris, docentium, Deum ad extra non producere effectus media actione formaliter tranſeunte. Conſequentiam probat paritas. Nam ideo primum negatur Deo, quia cùm in linea efficiendi ad extra ſit ſummè perfectus à ſe, nequit reddi actualiter ad extra effectiuè operans per aliquam cauſalitatem creatam, & cùm, ſi per actionem formaliter tranſeuntem & in termino receptam operaretur, iam talis actio eſſet eſſentialiter quid creatum, quia quod increatum eſt, eſſentialiter eſt irreceptibile in aliquo creato, fit, impoſſibile eſſe, Deum in genere efficientis aliquem effectum operari ad extra media cauſalitate alibi recepta, & ſecum minimè formaliter identificata. At non minùs eſt diuinum Verbum cauſa quaſi formalis humanitatis ad extra in ſummo perfectionis gradu. Ergo non poterit illam ſic cauſare intrinſecè media cauſalitate in humanitate recepta, & ſecum minimè identificata. Tunc ſic: ſed vnio, qua Verbum humanitati copulatur, eſt cauſalitas Verbi in humanitatem, vt ſupponimus; Ergo vnio hæc recipi non debet in humanitate, ſed cum Verbo identificari debet.

125. Confirmatur hoc idem ex doctrina, quam ex Sanctiſſimo Thoma *tomo ſecundo, tractatu de ſpectantibus ad intellectum Chriſti* latiſſimè ſcribam: Ibi enim fert ſententia probabiliſſima Thomiſtarum, Deum per modum obiecti vniri intellectui Chriſti, & cuiuſlibet Beati non contingere formaliter per vnionem receptam in intellectu Chriſti, ſed per vnionem ſibi identificatam. Itaque decretum, ſeu actio vnitiua Dei, ad inſtar ſpeciei, effectiuè eſt nexus ipſius eſſentiæ intentionalis ſecum identificatus, connotans eſſentialiter vnionem aliam in intellectu creato, illi ex lumine per tale decretum producto prouenientem. Vnde licèt lumen hoc indiſpenſabiliter deſideretur receptum in intellectu Beati, vt Deus dicatur illi, tamquam ſpecies, vnitus, tamen per receptionem luminis ſolùm dicitur intellectus formaliter, & in recto vnitus Deo, non verò Deus: cuius dant rationem, quia Deus vt intellectui Beati intentionaliter vnitus formaliter importat ſeipſum, vt ſpeciem, atque adeo vt cauſam quaſi formalem intellectus ad extra completiuam in actu primo, & conſequenter impotem reddi formaliter cauſantem intellectum per id, quod formaliter alibi intrinſecè recipitur, & ſibi minimè identificatur. Ergo ſimiliter actio vnitiua Verbi cum humanitate tamquam ſubſiſtentiæ, effectiuè eſt nexus Phyſicus identificatus cum Verbo, connotans eſſentialiter vnionem aliam in humanitate receptam, in ea ex vi actionis vnitiuæ productam: vnde licèt talis vnio indiſpenſabiliter petatur in humanitate recepta, vt Verbum hîc & nunc dicatur ad extra humanitati vnitum vt eius ſubſiſtentia, tamen per illam vnionem formaliter, ſolùm dicitur humanitas in recto vnita Verbo; non tamen Verbum; cuius ratio eſt eadem, quia Verbum eſſe ſic phyſicè humanitati vnitum, ſonat, Verbum eſſe veram quaſi cauſam formalem humanitatis completiuam ſubſtantialiter hypoſtaticè; atque adeo impos reddi formaliter cauſans humanitatem per id, quod formaliter alibi intrinſecè recipitur, & ſibi minimè identificatur.

Sed argues, diuerſa eſt ratio in materia, & forma, quæ in noſtro myſterio non militat. Ergo permiſſa duplici vnione inter illas, adhuc neganda eſt duplex hæc vnio inter humanitatem, & Verbum. Antecedens probo, ſiquidem materia, cùm ſit ens incompletum eſſentialiter, vnitur, vt perficiatur per formam; & forma ob eamdem rationem eſt perfectibilis à materia; atque adeo vnitur, vt à materia compleatur: Cùm ergo vnaquæque ſit alterutrius cauſa mediante vnione, quæ eſt earum cauſalitas, fit: vnamquamque petere ſuam peculiarem vnionem, ſicut quæuis cauſa propriam ſibi vendicat cauſalitatem: At ratio hæc minimè currit in re noſtra; ſiquidem Verbum, quippè ens completiſſimum, per vnionem ad humanitatem minimè perficitur; Ergo ex parte ſui vnionem non deſiderabit ſubiectiuè; ſat illi erit, ſi terminet intrinſecè vnionem in humanitate receptam. Atque adeo licèt inferatur vnio ex parte humanitatis ſe tenens ſubiectiuè, admiſſa duplici illa vnione inter materiam, & formam; nulla tamen vnio ſubiectiua Verbi infertur ex illa. 126.

Reſpondeo, nos minimè intuliſſe vnionem ſubiectiuam Verbi ex vnione illa duplici in materia, & forma inuenta abſolutè accepta: Sed ex ea præciſa ratione, quia vnio materiæ ad formam eſt cauſalitas materiæ in formam; Vnde ſi hæc nullam cauſalitatem in materiam exerceret, non eſſet illi concedenda vnio ſubiectiua ex parte illius ſe tenens: cùm ergo defendat opinio probabiliſſima dari in materia, & forma mutuam in diuerſo genere cauſæ dependentiam: fit, in ambabus dandas eſſe ſuas ſpeciales cauſalitates, quæ ſunt vniones. Ex quibus bene deducimus, concedendam eſſe vnionem ſubiectiuam Verbi, cui tamquam cauſalitas erga humanitatem inſeruiat, vt explicuit *numero* 124. 127.

Sed replicabis. Vniones materiæ, & formæ eſſe cauſalitates earum, argumentum efficax non eſt deducendi vnionem ſubiectiuam Verbi. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo. Eſſe vniones illas cauſalitates non infert, vnionem eſſe cauſalitatem Verbi. Ergo non infert, vnionem ſubiectiuam Verbi. Antecedens patet, vniones prædictas eſſe cauſalitates non infert vnionem Verbi ſubiectiuam eſſe aliquid realiter diſtinctum à Verbo, vt nos defendimus. Ergo eſſe cauſalitates prædictas vniones non infert, vnionem ſubiectiuam Verbi eſſe cauſalitatem Verbi. Conſequentia patet, nam ſi tales vniones non eſſent realiter diſtinctæ à ſuis cauſis, nempe à materia, & forma, non cenſerentur cauſalitates veræ illarum. Ergo eo ipſo, quòd tales vniones inferant vnionem ſubiectiuam Verbi, quia ſunt veræ cauſalitates, debent inferre talem vnionem in Verbo debere eſſe cauſalitatem realiter diſtinctam ab illo. Hoc ne- 128.

gamus, & iure. Ergo ex eo, quòd concedatur duplex vnio ſubiectiua in materia, & forma, tanquam veræ cauſalitates illarum, non bene intulimus duas alias vniones ſubiectiuas in humanitate, & verbo.

129. Reſpondeo retorquens argumentum in communem. Familiaris eſt hæc illatio à poſteriori, dantur in creatis veræ proprietates reſpectu eſſentiæ. Ergo ſimiliter ſunt admittendæ in Deo. Rurſus illatio hæc eſt bona, datur in creatis actio, quæ ſit cauſalitas agentis. Ergo in diuinis danda eſt ad extra actio, quæ ſit cauſalitas Dei operantis. Illationes iſtas admittunt frequenter Authores: nunc contra illos dirigitur præcedens ratio. Proprietates in creatis dari non arguit in Deo eſſe concedendas. Ergo &c. Antecedens probo: proprietates creatæ non arguunt, in Deo danda eſſe prædicata, quæ realiter actualiter diſtinguantur ab eſſentia diuina. Ergo dari in creatis proprietates non arguit, eſſe in Deo admittendas. Probo conſequentiam: quia ſi in creatis non darentur prædicata realiter actualiter diſtincta ab eſſentia, admittendæ non eſſent creatæ proprietates. Ergo ſi proprietates creatæ non inferunt in Deo prædicata, quæ realiter diſtinguantur ab eſſentia, nec inferent in Deo proprietates reales. Similis inſtantia fit in actione, quæ eſt cauſalitas cuiuſque creati agentis, petentis diſtingui realiter ab illa. Ergo concedere illam in creatis non arguit admittendam eſſe in diuinis, vbi cauſalitas in probabiliori ſententia nequit realiter actualiter ab agente increato diſtingui.

130. Nunc iuxta principia iacta reſpondeo in forma argumento. Nego antecedens. Ad probationem nego antecedens. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiã; ratio eſt clara, quia conceptus vnionis abſtractus à creata, & increata vnione præſcindit à diſtinctione, vel indiſtinctione reali actuali ab extremo, quod copulat, vnde contractus ad creatam vnionem, diſtinctionem realem actualem importat, contractus verò ad vnionem increatam, identitatem cum extremo, quod ſubiectiuè copulat, dicit. Sicut conceptus proprietatis à creata, & increata abſtractus, & conceptus abſtractus à cauſalitate creata, & increata efficiente, præſcindunt à diſtinctione, vel identitate reali ab eſſentia, cuius eſt proprietas, & à cauſa, cuius eſt cauſalitas, quia non eſt maior ratio vnius, ac alterius. Atque adeo ſicut ex proprietatibus creatis, & cauſalitate creata inferunt omnes, in diuinis dari proprietates, & cauſalitatem efficientem veram; cum hoc, quod eſt, proprietatem creatam, & creatam cauſalitatem diſtingui realiter actualiter ab eſſentia, & ſuo principio effectiuo; proprietatem verò diuinam, & increatam actionem identificari cum eſſentia, & principio effectiuo increato, ita dicemus nos; vnionem ſubiectiuam creatam inferre vnionem ſubiectiuam increatam in verbo (idem affirma in aliis perſonis) non vtcunque, ſed cum illo identificatam; tum ob paritatem adductam; tum etiam ob rationem inſinuatam *num.* 117. quia prædicata, quæ ex creatis transferimus ad diuina, non ſecum ferunt imperfectiones illas, quæ dum in creatis ſunt, comitantur ea, vide *numerum citatum*.

Vnde poſitio vnionis ſubiectiuæ in qualibet parte compoſiti oritur ex eo, quòd vtriuſque eſt cauſalitas, per quam viciſſim ſe cauſant, quòd verò tales vniones realiter ab extremis differant, naſcitur ex eo, quòd creatæ ſunt cauſalitates: poſitio verò vnionis ſubiectiuæ in verbo habet ortum ex generali ratione cauſalitatis, vt ponderauit *numerus* 124. quia tamen eſt cauſalitas cauſæ increatæ non patitur diſtinctionem realem actualem ab extremo diuino, cuius eſt cauſalitas, ſed identitatem cum illo exoptat. 131.

Sed adhuc inſtabis, vnio ſubiectiua petit in extremo, in quo eſt, conditionem verbo repugnantem. Ergo talis vnio ſubiectiua repugnat verbo. Antecedens probo, vnio ſubiectiua petit, ſubiectum, in quo eſt, eſſe eſſentialiter complebile. At verbo eſſentialiter completo repugnat eſſe complebile. Ergo vnio ſubiectiua petit, ſubiectum, in quo eſt, habere conditionem verbo repugnantem. Maior patet experientiâ, nullibi inuenietur vnio ſubiectiua talem conditionem in ſuo extremo non depoſcens; nec enim licet ad fundandas opiniones alia prædicata ſine fundamento confingere. 132.

Reſpondeo breuiter, negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem, vnio ſubiectiua petit, ſubiectum, in quo eſt, eſſe eſſentialiter complebile, vnio, quæ eſt cauſalitas creata, concedo; vnio, quæ eſt increata cauſalitas, nego, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Ad probationem, aſſerimus, nos prædicata noua minimè confingere, ſed ex principiis communiter admiſſis, deducimus prædicata ſimilia illis, quæ frequenter ſuſtinent Authores. Communis vox eſt, Deum eſſe cauſam ad extra mediante actione ſubiectiua, quæ licèt dum cauſalitas eſt creata, ſuum agens ſupponat, vt per illam perfectibile, tamen quatenus increata, minimè, vt perfectibile per illam, ipſum operans ſupponit. Applica hoc ipſum ad vnionem. 133.

Arguit ſecundò Cardinalis Lugo *tom. de incarnat. diſput.* 11. *ſect.* 6. *num.* 65. nam ex modo iſto ſequeretur, verbum vnitum eſſe humanitati, etiam pereunte vnione creata, tenente ſe ex parte humanitatis, ſicut materia maneret vnita formæ, ſi maneret ſua vnio cum forma, etiamſi periret vnio formæ cum materia. Et confirmat ratione à priori: quia repugnat manere formam adæquatè, quin tribuat ſuum effectum formalem. Ergo ſi vnio increata verbi eſt forma adæquata vniens verbum cum humanitate, manente illa vnione manebit verbum, licèt cætera alia deſint, vel dicendum erit, illam vnionem increatam non eſſe formam adæquatam, à qua verbum denominetur vnitum, ſed ſolùm partialem, & tunc redit difficultas, quam ſuperare intendimus, quomodo ſcilicet dicatur verbum intrinſecè vnitum, cùm non ſit in verbo intrinſecè vnio tribuens hanc denominationem. 134.

Reſpondeo negans ſequelam, ad probationem ibidem imbibitam de vnione formæ cum materia pereunte iſtius vnione, etiam eſſe 135.

falſum,

falſum, vt patet ex doctrina, quam ex philoſophia ſupponimus, iuxta quæ caſu, quo poſita vnione in materia ad formam, & huius vnio periret, tunc forma ſolùm eſſet terminus vnionis materiæ extrinſecè à ſua vnione denominatus vnitus.

136. Ad rationem à priori reſpondeo, vnionem ex parte verbi ſe tenentem eſſe adæquatam ſubiectiuè, non tamen terminatiuè. Nec inde ſequitur ex hoc, verbum manere humanitati vnitum deficientibus aliis, nempe humanitate ipſa, & eius creata vnione; vnde diſtinguo antecedens: repugnat manere formam adæquatam, quin ſuum effectum formalem communicet, ſi cætera requiſita adſint in ſubiecto ad talem effectum, concedo, ſi illa abſint, nego; & diſtinguo conſequens. Ergo ſi vnio increata verbi eſt forma adæquata vniens verbum cum humanitate, manente illa vnione, manebit verbum vnitum, licèt cætera alia deſint, manebit verbum vnitum, ſumpto ly, *vnitum*, entitatiuè, concedo conſequentiam, ſumpto ly, vnitum, denominatiuè, nego. Ad improbationem huius ibidem incluſam, aſſero, vnionem ſe tenentem ex parte verbi eſſe adæquatam ſubiectiuè in ratione cauſalitatis verbi; verùm ſi humanitas non extiterit, nec eius vnio, minimè verbum denominabitur vnitum per ſuam increatam vnionem; ratio: quia cùm idem ſit vnitum denominari verbum cum humanitate, ac in iſtam, ſuam cauſalitatem in ratione quaſi cauſæ formalis exercere, & de ratione cuiuſlibet cauſalitatis ſit exigere terminum actualiter exercitum in ſuo eſſe exiſtentiæ, fit, impoſſibile eſſe, verbum intelligi formaliter vnitum humanitati, ſi hæc ſuam exiſtentiam exercitam non habeat, rurſum & cum vt humanitas hîc & nunc nequeat dici terminus intrinſecus vnionis verbi, quin intrinſece mutetur, fit, neceſſariò inuoluere vnionem ex parte ſui ſubiectiuam, per quam vnita intrinſecè reddatur. Nec inſolens eſt apud Theologos, formam aliquam adæquatam in aliquo ſubiecto repertam illi ſuum effectum non præſtare, ob defectum alicuius requiſiti ad talem denominationem deſiderati. Nam ipſe Cardinalis de Lugo & Suarez, à quo prædictam rationem mutuauit, defendunt, adæquatam formam præſtantem effectum formalem filiationis adoptiuæ eſſe gratiam habitualem, illamque admittentes in Chriſto, negant ipſi communicare talem effectum formalem, ea ſolà ratione, quia deeſt Chriſto conditio, nempe negatio filiationis naturalis, neceſſariò deſiderata ad talem effectum præſtandum, vt latè dabimus *tomo 2. tract. de ſpectantibus ad animam Chriſti*. Sed de his iterum redibit ſermo, cùm Suarez reſpondebimus.

137. Argues tertiò cum eodem Cardinali: etenim adhuc poſita prædicta vnione ſubiectiua ex parte verbi, nodus præcipuæ difficultatis non ſoluitur, quia ſi per illam vnionem intrinſecam verbum denominatur intrinſecè vnitum humanitati. Ergo ipſa humanitas erit intrinſeca verbo, atque adeo ab illa intrinſecè denominabitur. Probat conſequentiam, nam repugnat, formam vniri intrinſecè materiæ per vnionem intrinſecam materiæ, quin forma etiam ipſa ſit intrinſeca materiæ; imò non eſt alio modo intrinſeca forma, niſi quatenus materia habet intrinſecam vnionem cum forma; ſeu intrinſecè vnitur cum illa. Si ergo verbum habet intrinſecam vnionem cum humanitate. Ergo humanitas eſt intrinſeca verbo. Nunc redit difficultas in hoc myſterio maxima; nam ſi eſt maximum abſurdum ponere vnionem creatam intrinſecam verbo, idem erit abſurdum ponere humanitatem intrinſecam verbo, quia ſi humanitas eſt verè illi intrinſeca, videtur, quòd verbum aliter ſe habeat intrinſecè nunc, quàm antea.

Reſpondeo negans ſequelam. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem, nego antecedens, cuius rationem dedimus in probatione reſolutionis, vbi ſuppoſuimus ex phyſicis, materiam eſſe intrinſecam formæ per vnionem in illa receptam, & formam eſſe vnitam intrinſecè materiæ media vnione, quæ in illa intrinſecè recipitur. Vnde vt verbum ſit intrinſecum humanitati, petit in ſe ſaltem identificatam habere vnionem, media qua humanitas nequit dici intrinſeca verbo; ſed neceſſe eſt, illam in ſe habere receptam vnionem. Ratio omnium eſt eadem, quam dedimus *num.* 124. 138.

Argues cum aliis quartò independenter ab vnione hac ſubiectiua verbi, hoc intelligitur vnitum humanitati ex vi vnionis ſe tenentis ex parte iſtius. Ergo neceſſaria non eſt vnio illa ſubiectiua ex parte verbi cum illo identificata. Antecedens probant, quia eſſe diuinum verbum humanitati vnitum, nihil aliud eſt, quàm eſſe illius intrinſecum terminum. Sed ex vi vnionis in humanitate receptæ conſtituitur verbum intrinſecus terminus humanitatis. Ergo independenter ab vnione ſubiectiua verbi, intelligitur hoc vnitum humanitati ex vi vnionis in illa receptæ. Maior eſt clara, nam verbum eſſe vnitum humanitati non ſonat, verbum eſſe ſubiectum illius. Ergo ſolùm importat eſſe illius terminum. 139.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem, verbum eſſe vnitum humanitati nihil aliud eſt, quàm eſſe illius intrinſecum terminum, ſi per hoc notetur præcisè, verbum ſolum eſſe terminum vnionis humanitatem afficientis, nego; ſi per hoc notetur, verbum eſſe terminum media cauſalitate cauſæ quaſi formalis in humanitatem exercita, concedo maiorem, & diſtinguo minorem. Sed ex vi vnionis in humanitate receptæ conſtituitur verbum intrinſecus terminus illius, terminus intrinſecus, hoc eſt, exercens cauſalitatem dictam in humanitatem, nego minorem; terminus intrinſecus, hoc eſt, vt purè terminans vnionem in humanitate receptam, nego ſuppoſitum, quia implicat concipere verbum, vt terminum intrinſecum humanitatis, quin inuoluat cauſalitatem verbi in humanitatem, vt expendimus, & cùm talis cauſalitas ſit eius vnio ſecum identificata, fit, impoſſibile eſſe verbum conſiderare vt terminum intrinſecum humanitatis, ex eo præcisè, quòd verbum terminet 140.

vnio

vnionem in humanitate receptam. Vnde ne vox iſta, *vnio verbi ſubiectiua* inuidiam aliquam conciliet alicui, exiſtimando, per illam ſignificari, quòd verbum ſit ſubiectum reale actuale humanitatis, vel alicuius modi, aduerto, ly, *vnionem ſubiectiuam* denotare, verbum eſſe ſubiectum virtuale cuiuſdam formalitatis, æquiualentis vnioni creatæ extremorum, & virtualiter diſtinctæ à verbo, tametſi realiter cum illo ſit identificata, de quo in ſecunda parte reſolutionis tituli me videbo.

141. Sed replicabis in hanc ſolutionem: nam verbum non plus petit, vt ſit terminus intrinſecus humanitatis, quàm petat, vt intrinſecè verbum ſit, & denominetur homo. Sed ad hoc ſufficit, quòd præcisè terminet vnionem in humanitate receptam. Ergo vt ſit terminus intrinſecus humanitatis, ſufficit, vt verbum terminet vnionem in humanitate receptam: minor patet, nam verbum non eſt humanitatis ſubiectum, & hoc non obſtante eſt verus homo intrinſecè. Ergo quia præcisè terminat vnionem in humanitate receptam.

142. Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo maiorem & minorem imbibitam, & nego conſequentiam. Itaque idem eſt, verbum denominari intrinſecè vnitum humanitati, ac intrinſecè denominari hominem, & vtrumque eſt idem, ac verbum intrinſecè cauſare in genere quaſi cauſæ formalis hypoſtaticæ ipſam humanitatem, illam intrinſecè ſubſtantialiter complendo: cùm ergo, vt verbum ſit hîc & nunc cauſa quaſi formalis humanitatis, non ſufficiat, verbum terminare vnionem in humanitate receptam, ſed neceſſarium eſt in illo concipere exercitium cauſalitatis in humanitatem, & hæc cauſalitas ex generali ratione cauſalitatis formæ, debeat eſſe vnio, & tunc vltrà omnis cauſalitas Dei etiam ad extra debeat ſecum realiter identificari, fit, quòd verbum eſſe vnitum, & terminum intrinſecum humanitatis, nec non & eſſe hominem, neceſſariò importet, præter terminare porum vnionis receptæ in humanitate, quod concipiatur vt ſubiectum ſaltem virtuale alicuius vnionis, quæ ſit illius cauſalitas in ipſam humanitatem exercita.

143. Argues vltimò cum Suarez *tom. 1. de incarnat. ſuper quaſt. 2. & art. 8. diſput. 8. ſect. 4. §. addunt aliqui:* vbi aſſerit, opinionem hanc omnino eſſe falſam, & improbabilem; fortaſſe ita acriter Author hic in ſententiam iſtam fuit inuectus, quia in illo tempore tam longum non ſubiuit examen; imo Recentes noſtri parum de illa curarunt, & neminem vidi præter Salmantinum quemdam doctore.. ex illuſtri dominicana familia, rem hanc perſcrutantem. Arguit igitur ſic Suarez. Primò, quia noſtra reſolutio eſt contra Theologos omnes. Secundò, quia inuoluit repugnantiam, quòd ſit actualis vnio, & non denominet vnitum, nec actu faciat vnum cum alio, cùm in hoc eius formalis ratio, & effectus formalis conſiſtat. Tertiò, quia ratio vnionis eſt imperfecta, dicit enim connaturalem habitudinem ad componendum aliquod tertium, ſine quo, vel eſſe non poteſt, vel ſaltem non modo connaturali: hæc autem imperfectio non poteſt formaliter in Deo reperiri. Quartò, aliàs in perſona Patris, & Spiritus ſancti eſſent ſimiles vniones æternæ, quod dicere, ridiculum eſſet.

Plura inconluit Suarez latum examen petentia; verùm præſtringam aliqua, vt attingam cuncta. Ad primum reſpondeo, ſententiam hanc Authoribus non eſſe deſtitutam, eam enim defendere tenentur quotquot negantes modum interiectum copulantem humanitatem, & verbum, aſſerunt, hoc ſubire munus vnionis reſpectu ſuiipſius cum humanitate; verùm ingenuè fateor, illos rem hanc diſertis vocibus minimè edocuiſſe, & minùs explicuiſſe, an verbum ſubire munus vnionis denotet aliquid ſuperadditum ſaltem virtualiter ſupra ipſius verbi formalitatem. 144.

Ad 2. vt reſpondeam, noto, obiectionem hanc ſupponere ex noſtra ſententia, in verbo reperiri ab æterno prædictam vnionem, quamuis ab æterno per illam vnitum minimè denominetur, donec humanitas illi vniatur. Contra hoc obiectio procedit. Sed facilè poteſt declinari; nam conceſſo, vt debet admitti, ab æterno dari in verbo vnionem hanc, nulla eſt ratio, quæ conuincat, ipſum ab æterno eſſe denominandum vnitum, nec exinde colligi ab æterno talem vnionem in verbo non inueniri: quæ vt concilientur, notare debes, geminas eſſe dandas Deo denominationes; quædam ſunt ipſi tandiu conuenientes, quandiu connotata extrinſeca dicuntur durare, taliter, vt prædictæ determinationes non intelligantur Deo conuenire, quouſque talia connotata in rerum natura ponantur actu. Aliæ tamen ſunt denominationes, quæ licèt, vt Deo conueniant, extrinſeca connotata petant, tamen illorum exiſtentiam actu exercitam non depoſcunt, quapropter Deo æternaliter conueniunt, tametſi ab æterno talia connotata exiſtentiam in propria menſuratione ſubeant. Vnde iſtæ denominationes conueniunt ab æterno Deo, ita vt de nouo in tempore ipſi non dicantur ſuperaddi, quamuis in tempore ſua connotata de nouo ſuſcipiant exiſtentiam. Harum denominationum diuerſitatis rationem colligo ex ſanctiſſimo Thoma, 1. *part. quaſt.* 13. Vbi aſſerit, quòd omnis denominatio fundata in actione, quæ ſolùm per modum immanentis explicatur, eſt æterna; denominatio verò, quæ innititur actioni, quæ per modum tranſeuntis exprimitur, eſt temporalis. Exemplum primæ eſt denominatio cognoſcentis, & volentis. Poſterioris verò eſt denominatio creantis, & gubernantis. Vnde ſicut quia cunctis rebus exiſtentibus pereuntibus perſeueraret denominatio Dei cognoſcentis, colligitur, independenter ab illis ab æterno prædictam denominationem cognoſcentis Deo conuenire; ita ex eo, quòd denominatio gubernantis, & creantis perſeuerare non poſſet in caſu, quo res exiſtentes perirent, optimè infertur, tales denominationes Deo conuenire non poſſe ab æterno independenter ab exiſtentiis rerum. Vnde licèt priores, & poſteriores denominationes conueniant in hoc, quòd earum formæ competant Deo ab æterno; tamen differunt, quòd priores denominationes conueniunt Deo ab æterno, non tamen poſteriores. 145.

Ad

146. Ad rem ergo, admittimus, conuenire verbo illud prædicatum vnionis ab æterno, negamus tamen illud denominari vnitum ab æterno humanitati. Ratio, oam denominatio vniti eſt ea genere denominationum petentium extremum connotatum exiſteos, nempe ipſam humanitatem; ratio eſt, qnia talis denominatio oon fundatur in actione, ſeu forma vitali, vt denominatio cognoſcentis, & voleotis, ſed connotat eſſentialiter actionem ad extra vnitiuam virtualiter tranſeuntem, & producentem voionem in humanitate. Ergo quonſque in tempore extiterint prædicta connotata, licèt ab æteroo ſit illa vnio in verbo, ipſum ab æterno minimè denominabit vnitum. Rem hanc expendunt mirabiliter inſtantiæ allatæ, cùm non minùs ſint ab æterno formæ, à quibus prouenit Deo denominatio creantis, & gubernantis, ac ſit ab æterno forma hæc vnionis, à qua naſcitur vniti denominatio. At rebus non exiſtentibos ab æterno, tsles denominationes creantis, & gubernantis, Deo prædictæ formæ ab æterno non præſtant. Ergo ſine humanitate exiſtente talis voio in verbo ab æterno exiſtens, denominationem vniti verbo minimè exhibebit: atque adeo nec inferre licebit, non eſt in verbo denominatio vniti ab æterno. Ergo non eſt in verbo ab æterno prædicta vnio; ſicut io cæteris denominationibus adductis talis illatio deficere experimur.

147. Tertia verò obiectio vim non habet, nam ea, quæ enumerat de vnioe, ſolùm conuenire debent vnioni creatæ, quæ quia eſſentialiter eſt modus, admixtas habet prædictas imperfectiones, nullo modo vnioni abſtractæ à creata, & increata. Quarta verò obiectio nihil deuincit, cùm id neceſſariò ſequatur admittendum, ſemel admiſſa in verbo ab æterno vnione ſubiectiua.

148. Semel ergo poſita dicta vnioue ſobiectiua in verbo, reſtat, partem aliam examinare, nempe, an talis vnio ſit prædicatum virtualiter diſtinctum à formalitate verbi, qualiter probabiliter docent diſcipuli ſanctiſſimi doctoris, quos ſequuntur Salmanticeoſes Patres diſcalceati, de miſericordia, & iuſtitia &c. virtualiter diſtinctis à formalitate voluntatis diuinæ? dixi ſuprà *num.* 115. affirmatiuam partem magis conſulere quæſtioni de re inter vtramque ſententiam decertantem de hac vnione ſubiectiua in verbo ponenda: ibi poſui dubitandi rationem, & licèt non animo quæſtionem hanc reſoluendi, ſed oſtendendi modum, quo talis diſtinctio virtualis inter vnionem verbi, & iſtius formalitatem diſcurri poſſit, ſequentem rationem (ſuppoſita ratiooe dubitandi) propono.

149. Ea prædicata virtualiter diſtinguuntur io diuiois, quorum entitas æquiualet in diuina pluribus prædicatis realibus creatis. At ita ſe habet entitas indiuiſa verbi & eius ſubiectiuæ vnionis. Ergo verbum, & eius vnio virtualiter diſtinguuntur. Maior ſupponitur ex notabili facto *num.* 119. minor probatur ex dictis *dub.* 1. *num.* 113. vbi diximus, lineam vniendi, & lineam terminandi eſſe diuerſas, iuxta quæ diximus, ſubſiſtentiam non eſſe vnionem ſuiipſius cum propria natura, licèt ſeipſa ſit complementum illam ſubſtantialiter terminans, quare vt ſuæ oaturæ voiatur, eget vnione à ſe diſtincta, vt verò illam compleat, ſeipſam ſufficere. Ergo in creatis eſſe ſubſiſtentiam naturæ & eſſe vnionem ſubſiſtentiæ cum natura ſunt duo prædicata realia, diſtincta realiter actualiter inter ſe, & ad diſtinctas lineas ſpectantia. Tunc vltra: ſed verbum humanitati vnitum æquiualet præadductis prædicatis creatis. Ergo entitas indiuiſa verbi æquiualet pluribus prædicatis realibus, etiam ad diſtinctas lineas ſpectantibus. Ergo formalitas ſubſiſtentiæ verbi, & formalitas voionis cum oatura aliena virtualiter diſtinguuntur.

150. Sed argues: formalitas verbi eſt iofinita in lioea terminandi, ergo ſeipſa immediatè quamcunque naturam terminabit. Ergo vt intrinſecè humanitatem terminet, non egebit alia formalitate virtualiter ab illa diſtincta. Hæc conſequentia patet, quia ſi alla formalitate à ſe diſtincta virtualiter egeret, vt naturam aliquam terminaret, iam talis formalitas verbi in ſua linea iofinita non eſſet.

151. Reſpondeo, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo ſeipſa immediatè quamcumque naturam terminabit, immediatione extremi terminantis, & complentis naturam, coocedo; immediatione cauſalitatis, vel quaſi cauſalitatis, nego. Quod eſt idem, ac dicere terminabit complens naturam, non medio alio complemento à formalitate verbi; non tamen complebit illam ſine cauſalitate, media qua terminando naturam complet formalitas verbi. Sit inſtantia: nam quando arguitur pro ſententia negante modum vnionis à materia, & forma diſtinctum; materia, & forma ſunt partes immediatæ totius. Ergo per ſe immediatè illud componunt, & ooo medio alio modo vnioois, conceditur antecedeos, & diſtinguitur cooſequens. Ergo materia, & forma per ſe immediatè componunt totum, immediatione partium, & immediatione componentium, conceditur, immediatione cauſalitatis, negatur conſequentia: quod eſt dicere: componunt non media parte, nec medio alio componente, conceditur, componunt non media compoſitione, negatur. Applicate. Nec infinitas formalitatis verbi decreſcit ex poſitione iſtius alterius formalitatis vnionis. Nam ſua infinitas eſt in certa linea, & genere terminandi conſtituta, non verò in linea vniendi, & cauſalitatis, vt explicuit *n.* 149.

152. Argues ſecondò formalitas hæc vnionis, vt diſtincta virtualiter à formalitate verbi, vel eſt prædicatum abſolutum, vel relatiuum. Neutrum eſt. Ergo. Minorem quoad primam partem, probo: oam inter prædicata diuina abſoluta talis vnio non eſt numerata huсuſque. Quoad ſecundam, patet, nam ſi eſt prædicatum relatiuum. Ergo notionale. Ergo dabuntur in diuinis plures ootiones præter eas, quas Theologi cognouerunt, quod eſſe falſom, ex terminis patet.

153. Reſpondeo, talem formalitatem eſſe prædicatum diuinum abſolutum, ſed quia æquiualens minutiſſimo enti creato, quale ceoſetur vnio modalis, ideo Theologi de illo ſpecialem meotionem ooo fecerunt. Vel qnia neceſſariò

idem

identificatum cum qnolibet diuino prædicato nobis magis noto, & ab illo virtualiter diſtincto, ideo non tam numeratur, ſed à Theologis ſupponitur. Vel quia cùm ſolùm inſeruiat ad vniendam intrinſecè formalitatem verbi cum humanitate, cui muneri non ſeruiant cætera, ideo dum de iſtis commemorant Authores, illud omittant.

154. Argues 3. formalitas verbi ſe ipſa ſine alio etiam virtualiter diſtincto naturam diuinam terminat. Ergo & humanitatem. Nego antecedens, nam eadem ratio, quæ conuincit poſitionem vnionis virtualiter diſtinctæ à formalitate verbi, vt hæc terminet humanitatem, conuincit etiam ad ponendam vnionem virtualiter diſtinctam à formalitate verbi, vt hæc naturam diuinam terminet; non vt illam perficiat, ſicut humanitatem complet, ſed præciſè, vt illi vniatur virtualiter, etenim eo modo, quo aliqua diſtinguuntur, debent poſtmodum vniri, cumque formalitas verbi virtualiter diſtinguatur ab eſſentia, fit, quòd vt intelligatur realiter illi vnita, debet neceſſariò dari inter illa realis vnio, non actualiter, ſed ſolùm ab extremis virtualiter diſtincta: & hoc ipſum fit conſequenter verum de cæteris prædicatis diuinis abſolutis, ſi ſemel ponuntur virtualiter diſtincta ab eſſentia.

DVBIVM III.

An vnio hypoſtatica ſit beatitudo formalis, animam Chriſti formaliter beans?

SVppoſita vnionis hypoſtaticæ dabilitate, & exiſtentia, reſtat, eius qualitates, & perfectiones edere, vt ex omni parte eius quidditas eluceſcat; dubium hoc prætermiſerunt Priſci; imo & Moderni, ſolus Ripalda illud mouit, & typis dedit, anno 1645. ſed ante ipſum anno 1634. apud Sertorianos in publico certamine prædictam quæſtionem ad examen vocaui, & poſtmodum anno 1639. in noſtra Complutenſi academia, dum extemporaneam prælectionem ad cathedram primariam Scoti recitarem, ſimilem quæſtionem elicui. Momenta, quæ in affirmatiuam partem Ripaldam traxerunt, & quæ in eamdem me induxerunt, referam: & tandem reſolutionem communem in calce proponam.

SECTIO I.

Momenta Ripaldæ pro parte affirmante.

1. RIpalda *t. de ente ſupernaturali diſput.* 100. *ſect.* 10. *num.* 90. defendit in Deo, & in Chriſto ratione vnionis cum diuinitate ſeorſim à viſione, & amore Dei reperiri beatitudinem formalem; id priùs de Deo, & poſtmodum de Chriſto munit. Arguit igitur primò de Deo *num.* 91. formalis beatitudo ſubſtantiæ intellectiuæ eſt poſſeſſio, & adeptio ſummi boni. Vnio identitatis formalis cum natura diuina præcedens in Deo actualem intellectionem, & amorem Dei eſt perfectiſſima poſſeſſio, & adeptio ſummi boni. Ergo talis vnio identitatis cum natura diuina erit formalis beatitudo Dei ſeorſim à viſione, & amore ipſius. Diſcurſus limitationem non patitur; nam ſummum bonum habetur & poſſidetur per vnionem cum illo, & quò altior eſt poſſeſſio. At quæ vnio cum ſummo bono altior, & perfectior, quàm formalis identitas cum eſſentia ipſius? Ergo Deus priùs, quàm ſeipſum intueatur, & amet, altiſſimè, & perfectiſſimè ſuam eſſentiam poſſidet.

Confirmat hoc *num.* 92. viſio creata Dei eſt poſſeſſio ſummi boni, quia eſt intentionalis quædam vnio cum illo, ratione cuius Deus metaphoricè & per imaginationem dicitur eſſe in vidente ipſum. At maior, & perfectior eſt vnio identitatis, qua ſubſtantia verè, & eſſentialiter conſtituitur Deus, quàm ſola intentionalis, & metaphorica. Ergo ſi illa vnione, & poſſeſſione deitatis redditur ſubſtantia intellectiua formaliter beata, perfectius, & veriùs reddetur vnione perfectiori deitatis per identitatem formalem. Confirmat vlteriùs, demus, Deo eſſe liberam ſui viſionem, & amorem, & cohibere vtrumque actum pro libito. Conferamus nunc Deum ſe non videntem, nec amantem cum creatura rationali vidente, & amante Deum. Quis potiùs, & veriùs habet, ſeu poſſidet deitatem? An creatura, quæ ſolùm metaphoricè, & intentionaliter habet illam? an Deus, qui omni veritate, & identitate illam habet? Ergo ſi creatura videns Deum eſt formaliter beata, quia Deum habet ſolùm intentionaliter, & impropriè, potiùs, ac veriùs erit formaliter beatus Deus ſe non videns, quia illam habet cum omni proprietate, & identitate. Rurſus, quis felicior? Angelus videns actu Deum, an Deus ſe non videns? complectens tamen omnis perfectionis & bonitatis abyſſum cum iure, & facultate ſe videndi, & amandi cum ſibi libuerit? Ego, ait Author, non poſſum non apprehendere potiorem, & altiorem felicitatem Dei poſſeſſione reali, & identica ſui, quàm Angeli felicitatem cum ſula intentionali.

Nec vim declinabis, ſi reſpondeas, præſtantiorem eſſe poſſeſſionem deitatis per identitatem cum illa, quàm per intentionalem coniunctionem. Cæterum illam non eſſe beatitudinem formalem, quia hæc non eſt poſſeſſio deitatis quæcunque, ſed intentionalis. Nam replicat Ripalda *num.* 93. aſſerens ſolutionem iſtam arbitrariam eſſe. Etenim actus intentionalis viſionis Dei eo ſolùm probatur à Theologis beatitudo formalis creaturæ, quia ea ſola eſt poſſeſſio deitatis. Ergo in Deo, in quo eſt alia poſſeſſio præſtantior, alia quoque erit præſtantior beatitudo. In creatura quidem rectè definitur beatitudo formalis poſſeſſione intentionali, quia creatura non poteſt aliter, quàm per actus intentionales poſſidere deitatem. At Deus aliter, & perfectiſſimè illam habet. Ergo in Deo aliter, quàm poſſeſſione intentionali poteſt admitti beatitudo. Si beatitudo obiectiua eſſet conſtituta in diuitiis, aut aliis

aliis temporalibus bonis, formalis beatitudo non ſolùm admitteretur in viſione, & amore eorum, ſed in poſſeſſione morali dominij, qua eis poſſet frui pro arbitrio, quia talia bona aliter, quàm per actus intentionales haberi poſſunt. Quare etiam dormientes diuites, ſeu potentes haberentur beati! Ergo cùm bonitas diuina, quæ eſt noſtra beatitudo obiectiua, poſſideatur à Deo formaliter, ſeorſim à viſione, & amore ipſius, formalis quidem beatitudo Dei apprehendi poteſt, ſeorſim ab eis actibus, quamuis non poſſit formalis beatitudo creaturæ, quæ ſine illis nequit diuinam bonitatem poſſidere.

4. Nec effugies robur, ſi aſſeras, beatitudinem formalem eſſe poſſeſſionem vltimam deitatis: at poſſeſſionem deitatis per identitatem non eſſe vltimam, cùm eam ſequatur poſſeſſio intentionalis per actus viſionis, & amoris, quorum quilibet eſt vltimus ſuæ potentiæ; nam eodem fundamento, ait Author, ſolutionem hanc eſſe voluntariam.

5. Aliter intentum probat *num.* 95. deitas obiectiuè beat creaturam, quia vnitur illi obiectiuè. Ergo Deum beat formaliter, quia vnitur illi formaliter. Quemadmodum deitas ſanctificat Deum formaliter, quia gratia nos ſanctificat participatione deitatis. Item, ſi homo eſſet beatus viſione naturæ Angelicæ, non poſſet natura angelica ſeorſim à ſui viſione non eſſe formaliter beata; aut ſaltem in eo genere felicitatis, quæ homini contingit ex viſione naturæ angelicæ, non poteſt non eſſe altior felicitas Angeli habentis formaliter eam naturam.

6. Demum id probat *num.* 95. deitas ſeipſa formaliter ſeorſim à viſione, & amore repugnat omni miſeriæ & malo, tam phyſico, quàm morali; aliunde annectitur formaliter omni bono, tam phyſico, quàm morali, tam honeſto, quàm delectabili. Ergo ſeipſa formaliter Deum reddit beatum. Nam perfectio, cui annectitur neceſſariò cumulus omnium bonorum, repugnat atque cumulus omnium malorum, non poteſt non eſſe beatitudo; etenim conſtituit Deum eſſentialiter diuerſum ab omni ſubſtantia intellectiua non beata, & radix eſt omnis ſtatus beatifici, qui cumulo omnium bonorum, & defectu omnium malorum conſtituitur. Explicat hoc ipſum, id quod continet de re controuerſia de beatitudine formali & eſſentiali ſubſtantiæ intellectiuæ, ſolùm eſt ea peculiaris coniunctio cum Deo, quæ ſolùm ſubſtantiis intellectiuis beatis, & in termino conſtitutis conueniat, radixque ſit, cui ex natura rei annectantur omnia bona; quæ communiter admittuntur ſtatus beatifici propria. At id competit deitati ante actualem intellectionem, & amorem. Ergo competit in re conceptus eſſentialis beatitudinis formalis.

7. Hunc gradum promouet Ripalda ad probandum *num.* 103. & iam in Chriſto dari formalem beatitudinem ſeorſim à viſione, & amore, nempe humanitatem Chriſti eſſe formaliter beatam per vnionem hypoſtaticam cum Deo; Primò, quia per vnionem hypoſtaticam verè poſſidetur diuinitas, & perfectiùs, quàm per vnionem intentionalem, cùm per illam homo verè & propriè ſit Deus, per iſtam verò ſolum metaphoricè & impropriè. Confirmatur, quia ſi componatur homo Deus non videns, nec amans Deum cum puro homine vidente, & amante ipſum, potiùs & veriùs dicitur ille habere deitatem, quàm iſte; item longè felicior erit illa poſſeſſio, quàm iſta.

Secundò idipſum probat *num.* 104. quia per vnionem hypoſtaticam conſtituitur homo in ſtatu felicitatis, in quo ei debentur omnia bona ſtatus beatifici propria, & remouentur omnia mala tali conditioni contraria, debentur enim ei viſio beata, amor, & gaudium de Deo; corporis gloria, & omnis triſtitiæ, atque doloris immunitas: quare non ſolùm viſioni beatæ, ſed etiam ipſi vnioni hypoſtaticæ immediatè vis illata fuit de facto in Chriſto per corporis paſſiones, necnon triſtitiam, atque dolorem animæ; at re vera beatitudo eſſentialis eſt illa coniunctio cum Deo, quæ ſibi annectat omnia bona ſtatus beatifici propria, remoueatque omnia mala ei contraria, vt probatum relinquit. Igitur Chriſtus, qua homo priuatus viſione, & amore Dei, adhuc eſſet eſſentialiter beatus, quamuis non integraliter, & completè. Quippe differret poſſeſſione Dei, & neceſſitate naturali habendi bona beatitudinis propria, ab omni homine non beato, & conueniret cum omni homine beato. 8.

Plura obiici poſſunt contra modum hunc ab iſto acutiſſimo Authore confectum, quæ partim ſoluit ipſe, quæ verò alij recentes poſt ipſum obiecerunt, *ſectione ſequenti* afferam, & ſoluam, vnus tamen mihi ſcrupulus adeſt contra rationem, qua probat Deum eſſe formaliter beatum, ſeorſim à viſione, & amore ſui, videtur eſſe ita vniuerſa, vt facilè declinari poſſit iuxta principia probabiliſſima diſcipulorum ſanctiſſimi doctoris. Etenim vt dedi *tract.* 1. *de ſcientia Dei*, antecedenter ad diuinam intellectionem, quam eſſe Dei conſtitutiuam aſſerui, nullo modo intelligitur Deus, ſicut antecedenter ad rationale prædicatum minimè percipitur homo. Ex quo fit; nihil dari de deitate ſeorſim à viſione tanquam ſubiectum, quod beari poſſit, atque adeo iuxta principia hæc nullo modo admittendum eſt ſuppoſitum quæſtionis. Verùm in hypotheſi probabilis opinionis conſtituentis Deum per anteriora prædicata ad intellectionem, ſubiectum quæſtionis non deerit, & eam efficaciam habet pro tali beatitudine Deo aſcribenda, quam obtinet ratio in ſuffragium beatitudinis Chriſti ab ipſo adducta. 9.

Sectio II.

Momenta Authoris pro parte affirmatiua.

Tametſi principium, cui innixus eamdem partem iam diu ſubſtinueram, ſit in re idem cum eo, cui fidit Ripalda, tamen libuit idipſum amplius iuxta principia communia

diffun

diffundere, vt conſtet, identitati conceptum, temporum viciſſitudinem, & mentium diuerſitatem minimè refragari: & vt rationem eliciam pro parte affirmante, priùs deſideranda ſunt notabilia ex familiari Authorum omnium calculo deprompta.

10. Nota primò: definitionem Boetij, quæ deſcripſit beatitudinem 3. *de conſolatione proſa* 3: admittunt cuncti, videlicet, *beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, quam explicant diſtinguentes duo, nempe ſtatum, & beatitudinis eſſentiam, ſeu formam; vnde aliud eſt ſtatus beatitudinis, & aliud forma beans teſte ſanctiſſimo Thoma 1. 2. *quæſt.* 4. ſtatus ergo illius eſt omnium bonorum etiam accidentalium collectio: beatitudo verò formalis eſt vltimi finis conſecutio: addunt tamen aiente Monteſinos ibidem, quòd definitio Boetiana etiam verificetur tota de beatitudine formali, taliter vt hæc etiam ſit cumulus omnium bonorum radicaliter ſaltem, quatenus ex conſecutione vltimi finis, quæ eſt beatitudo formalis tanquam ex radice ortum ducant bona omnia. Sicque explicant ſanctum Anſelmum *lib. de ſimilitudinibus cap.* 47. aſſerentem: *beatitudinem eſſe ſufficientiam omnium bonorum, & commodorum* Hoc ſic explicato concludunt omnes cum Angelico doctore vbi ſuprà, quòd formalis beatitudo eſt conſecutio vltimi finis: ſic etiam tenet Scotus *in* 4. *diſtinct.* 49. *cap.* 5. nec abſunt nominales May. *eadem diſtinct. quæſt.* 5. Henricus *quotlib.* 1. *quæſt.* 14. & *quotlib.* 13. *quæſt.* 22. licèt iſtæ cholæ diſſideant in aſſignando eo, quod ſit formalis conſecutio vltimi finis: etenim ſanctiſſimus Thomas & omnes eius diſcipuli docent, viſionem Dei eſſe formalem conſecutionem illius. Scotus verò, & ſui Aſſeclæ deſignant amorem amicitiæ in patria. Alij autem, vt Aureolus amorem concupiſcentiæ defendunt: omnes tamen in vno conueniunt, nempe quòd beatitudo formalis ſit id, per quod formaliter dicatur Deus conſequutus à beato, & intimè poſſeſſus.

11. Nota ſecundò; ex prædicta doctrina colligunt Authores communiter, beatitudinem formalem eſſe perfectiſſimam vnionem, & coniunctionem cum Deo. Vnde ſpecialiori modo eſt Deus per beatitudinem in homine, quàm dicatur eſſe in omnibus rebus, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus, tam in his, quæ ſunt ordinis naturalis, quàm in his, quæ ordinis gratiæ ſunt, per eſſentiam ſcilicet, præſentiam, & potentiam; nam iſte modus ſe vniendi Deum cum rebus eſt cunctis communis, quatenus per ſuam ſubſtantiam producit, & conſeruat omnia, necnon quia omnia videt, & denique quia omnia ſunt eius poteſtati ſubdita. Præter iſtos modos generales, quibus ſe Deus creaturis innectit, alij dantur modi preſſiùs vnientes Deum cum aliquibus creaturis: ſicut in hoſtia conſecrata eſt ſpecialiter ſub accidentibus, taliter, quòd verificetur, hoc eſt corpus Chriſti, qui alias verus Deus eſt. Rurſum, ſpecialiori modo eſt etiam Deus in omnibus iuſtis per gratiam, & per amicitiam, & per affectiuam vnionem. Denique etiam eſt Deus ſpecialiori modo in humanitate Chriſti, & tota Trinitas per concomitantiam ad verbum; ſicut in Sacramento altaris per eamdem concomitantiam natura, attributa, & perſonæ cæteræ dicuntur eſſe ſpecialiori modo. Idem docent de beatis, in quibus eſt Deus bifariam, & generali omnibus communi, & ſpeciali modo per vnionem intentionalem. Ita docent Authores cuncti triplicis chriſtianæ ſcholæ *in* 3. & *in* 4. *ſent.* necnon cum ſanctiſſimo doctore 1. *part. quæſt.* 64. de miſſione inuiſibili perſonarum.

Nota tertiò: Authores omnes hîc dubitant, 12.
an inter omnes vniones hypoſtatica ſit maxima? quam quæſtionem reſoluunt multifariam per ordinem ad plures vniones, cum quibus vnio hæc conferri valet: vel enim comparatur cum vnione, qua materia, & forma inter ſe copulantur, & ſic Durandus *in* 3. *diſtinct.* 5. *quæſt.* 3. negat, vnionem hanc eſſe maximam, rationem dat, quia maior eſt vnio, qua duo in eſſentia vniuntur, ſicut materia, & forma, quam ea, qua in perſona copulantur ſolùm, vt contingit in vnione hypoſtatica; verùm in modum hunc dicendi Authores communiter inuehuntur teſte Suarez 3. *part. quæſt.* 2. *a* 9. *diſp.* 9. *ſect.* 7. ita vt aſſerant, maiorem eſſe vnionem, qua aliqua vniuntur in perſona, vt euenit in noſtro caſu, quàm quæ vniuntur in natura, vt contingit in materia, & forma vnitis, licèt contrarium doceat Vaſquez *hic quæſt.* 2. *art.* 9. *diſp.* 20. *num* 31. & communis aſſerti hæc eſt ratio, quia ex illa vnione maior vnitas, & ſimplicitas reſultat, quàm ex vnione materiæ, & formæ; ſiquidem eſt ſufficiens, vt extrema hypoſtaticè vnita ad inuicem prædicentur, quod in materia & forma non euenit: iſtæ enim mutuò non prædicantur. Sed quidquid ſit de hoc, vtrumque videtur probabile, eo quòd in aliquo ſe viciſſim prædictæ vniones excedere videntur.

Secundò poteſt comparari hæc vnio hypo- 13.
ſtatica cum vnione, qua natura diuina cum ſuis perſonis vnitur; verùm comparatio hæc non eſt ad rem, ſiquidem non vnio, ſed identitas appellari debet, cum extrema, natura ſcilicet diuina, & perſona Patris realiter non diſtinguantur. In præſenti autem ſolùm inter vniones eſt aſtruenda comparatio, quia videlicet ſupponunt realem diſtinctionem in extremis, quæ copulant. Tertiù poteſt vnio hypoſtatica comparari cum vnione, qua ſubſiſtentia propria ſuæ vnitur naturæ. Sed hæc comparatio probat vnionem hypoſtaticam eſſe maximam, quia vnio, qua ſubſiſtentia creata vnitur naturæ, eſt inter creatas maxima. Ergo vnio hypoſtatica, quæ ſubſtituit illam, cēſebitur maxima.

Quartò poteſt comparari hypoſtatica vnio cum vnione, qua obiectum intellectui dicitur copulari quæ videtur eſſe maior iuxta phraſim Auerrois, nempe ex intellectu, & intelligibili fieri maximum vnum, quia videlicet intellectus fit ipſum intelligibile. Verùm vnionem hanc vincit noſtra vnio teſte Salmanticenſi collegio *tom.* 1. *tract. de ſcientia Dei* cum communi Thomiſtarum claſſe; nam hæc vnio eſt intentionalis, metaphorica, diminuta, & accidentalis, noſtra autem vnio eſt ſubſtantialis, phyſica, & perſonalis.

Quintò poteſt comparari cum vnione, qua 14.
dicitur, Deum vniri hominibus ſanctis me-

diante gratia in via, & mediante viſione, & amore in patria. Sed etiam iſtas vniones excedit noſtra; de quo notabili immediatè venturo; itaque omnes doctores infra ſtatim citandi (demptis vno vel altero cum Durando) tenent, vnionem hypoſtaticam in ratione vnionis eſſe maximam inter omnes alias vniones exiſtimabiles, quibus aliqua duo inter ſe realiter diſtincta copulantur.

15. Nota quartò ex triplici deſignata ſchola, vnionem hypoſtaticam in genere doni eſſe omnium maximam, ita vt conſiderando id, quod per talem vnionem confertur naturæ aſſumptæ, illud ſit maius, & perfectius quocunque Dei dono creaturæ præſtito. Notabile hoc pariter oſtenditur ex comparatione ad ea, quæ mediis aliis vnionibus hominibus impertitur. Imprimis, & præcipuè collatio fit cum donis, quæ dantur hominibus iuſtis media vnione gratiæ, necnon & beatis media viſione. Etenim illis datur Spiritus ſanctus, & iſtis datur eſſentia diuina. Verum hoc non impedit communem reſolutionem; ſiquidem prædictæ vniones ſunt accidentales. Gratia enim & viſio qualitates ſunt, vt fere communis tuetur; ſtum mediis illis vnionibus non datur ipſe Deus, vt per ipſum quaſi formaliter, neque vt cum illo vnum ens verè componat; ſed dicitur dari illo ſpeciali modo explicato *numero vndecimo*, nempe aut per modum obiecti, aut per modum principij ſupernaturaliter efficientis, aut perficientis animam, aut certè ſecundùm aliquam affectiuam præſentiam ea amicitia ortam, at verò per hanc vnionem hypoſtaticam ipſamet perſona verbi per ſe coniungitur verè phyſicè humanitati, illamque deificat, ac denique cum illa vnam ſubſtantiam verè, at ineffabiliter componere credimus.

16. Vlteriùs hoc ipſum illuſtratur, quia ratione iſtius vnionis humanitati debetur maior reuerentia, & cultus, quàm debeatur illi perſonæ creatæ ratione cuiuſque excellentiæ ortæ in beato, & in iuſto viatore, virtute vnionum gratiæ, & gloriæ. Huc ſpectat illud Auguſtini *libro de prædeſtinatione ſanctorum, capite decimo quinto*. vbi vnionem hanc vocat excellentiſſimam tanquam naturæ humanæ euectionem, vt quò altiùs attolleretur, non haberet. Præterea exceſſum iſtum aliter explicari valet; etenim vnio hypoſtatica, licèt in ſe ſit modus quidam; tamen quatenus attingit Deum in ſe, & illi intimè, & ſubſtantialiter coniungit naturam humanam, & facit, quòd ille, qui eſt verus homo, ſit etiam verus Deus, nedum participatiuè, ſed perſonaliter, & per eſſentiam, pertinet ad altiorem ordinem rerum, quem non pertingunt gratia habitualis, & viſio. Et vlteriùs res eadem ponderatur: ſiquidem illud eminentiùs iudicatur, naturam creatam, & creabilem ſuperans, quod creaturæ nulli poteſt eſſe connaturale; & è contra, illud non ita eminere præſumitur, quando creabilis eſt natura, cui tale prædicatum connaturale ſit; at datur opinio probabilis tametſi extra ſcholam ſanctiſſimi doctoris docens, poſſe Deum creare ſubſtantiam aliquam, cui connaturales ſint viſio beata, & gratia habitualis, imo ſubſtantia, quæ per identitatem ſit gratia; rurſum ex alia parte nullus adeo deſipuit, nec inuentus eſt adeo amens, qui teneat, poſſe creari ſubſtantiam, cui connaturalis ſit vnio hypoſtatica. Ergo coniunctio cum Deo, quæ fit per hypoſtaticam vnionem, altioris, & eminentioris ordinis eſt, quàm vnio cum ipſo Deo, quæ media gratia, & viſione beata contingit.

17. His prælactis ſic probabam partem iſtam affirmatiuam, natura rationalis à verbo aſſumpta, Deum non videns, eſſet vnita hypoſtaticè illi. Ergo eſſet beata. Probo conſequentiam, vnio hypoſtatica eſt forma beans. Ergo talis natura eſſet beata. Antecedens probo: vnio hypoſtatica eſt formalis conſecutio vltimi finis. Ergo talis vnio eſt forma beans, conſequentia patet ex notabili primo, vbi docent omnes, beatitudinem formalem eſſe coniunctionem cum ſummo bono. Antecedens patet nam ratione vnionis fit natura in concreto vltimus finis, ſummum bonum, & Deus ipſe. Ergo vnio eſt conſecutio vltimi finis.

18. Reſpondebis: beatitudinem formalem eſſe ſummi boni conſecutionem media apprehenſione, iuxta ſententiam communiter familiarem; vnio autem hypoſtatica non eſt apprehenſio, nec operatio intentionalis, atque adeo defectu huius, licèt ſit vltimi finis aſſecutio, non erit formalis beatitudo.

Sed replicabis, nam ideo in ſententia ſanctiſſimi doctoris, & Thomiſtarum, viſio eſt formalis beatitudo, quia eſt formalis ſummi boni aſſecutio & poſſeſſio: & in ſententia Scoti, & Suorum, ideo fruitio, & charitatis amor eſt beatitudo, quia in illorũ ſententia per amorem homo aptiùs, quàm per viſionem, finem vltimum aſſequitur, vt notabilia dederunt. At in ſententia omnium Authorum, meliùs, & intimiùs poſſidetur Deus à natura aſſumpta mediante vnione hypoſtatica, quàm per amorem & viſionem. Ergo vnio erit forma beans.

19. Reſpondebis adhuc cum communi; beatitudinem formalem neceſſariò petere eſſe actum ſecundum, & operationem intentionalem, quod vnioni non competit.

20. Sed replicabis petens rationem, quare beatitudo formalis, vt ſic, petat eſſe operationem intentionalem elicitam à quouis beato, ſiue hic ſit pura creatura, vt nos, ſiue creatura ſimul & Deus, vt Chriſtus? nullam hucuſque vidi ab aliquo datam; & ſi quæ fingatur, ſolum vim habebit circa beatitudinem noſtram, non verò circa beatitudinem Chriſti, quod ſic notabile iſtud patefaciet.

21. Diſtingue beatitudinem in communi, & vt ſic, in duplicem, quarum vna ſit intentionalis, accidentalis, & diminuta, & alia ſubſtantialis, & ineffabilis. Illa ad lineam operandi, hæc ad lineam quaſi eſſendi ſpectans, inter has hæc eſt differentia, quòd prima eſſentialiter ſit operatio, ſiue ad intellectum, vt ſanctiſſimus doctor, ſiue ad voluntatem vt Scotus, & Aureolus defendunt, ſiue ad vtrumque cum non paucis. Secunda autem id non petit. Ratio autem huius differentiæ colligi poteſt ex natura vtriuſque, nam quod attinet ſolum ad lineam eſſendi, ad ſui conſtitutionem, operationem non deſiderat. Vnio hypoſtatica ſolùm eò tendit,

dit,vt naturam perſonet,illam in ſuo eſſe perficiendo; ſecus autem contingit in his, quæ eſſentialiter reducuntur ad lineam operandi; imo eſſentialiter ſunt ipſa operatio; iſta enim ſine operatione nequeunt concipi. Vnde beatitudo formalis, vt ſic, analogicè quaſi abſtracta à ſubſtantiali,& accidentali,abſtrahit eſſentialiter ab illarum modis, atque adeo nec erit ſecundùm ſe operatio, nec illam poſitiuè excludet, ſed indifferenter ad vtrumque ſe geret, & vtrumque extremum determinatè erit,quando ad illa contractam conſpiciamus.

22. Sed ne miremini, me iſtas voces induxiſſe ad litem hanc palliandam, nam ad eas inſcribendas me mouent duæ inſtantiæ à cunctis authoribus admiſſæ. Imprimis dicunt in notabilibus allatis ex fide, geminam eſſe coniunctionem Dei ſummi boni cum creaturis. Vnam ſubſtantialem, vt contingit in Chriſto, cuius humanitas ſubſtantialiter eſt vnita Deo vltimo fini,& ſummo bono. Aliam accidentalem, qualis euenit in creaturis per gratiam,& viſionem beatam, ita docent cuncti. Quòd ſi ab illis petieris: an coniunctio cum ſummo bono ſecundùm ſe ſit ſubſtantialis,vel accidentalis? reſpondebunt, neutrum eſſe poſitiuè, ſed ab vtroque determinatè abſtrahere, & vtrumque eſſe poſitiuè, quando concipitur contracta ad vnionem hypoſtaticam, quæ eſt in Chriſto, & ad viſionem Dei,& gratiam, quæ eſt in beatis, & in iuſtis in via. Ergo iuxta omnes, voces iſtæ, coniunctio ſubſtantialis Dei cum natura,& accidentalis, ſeu intentionalis cùm eadem admittuntur à cunctis in omni proprietate. Ergo tenebuntur admittere æquè propriè has voces, beatitudinem ſcilicet ſubſtantialem, & beatitudinem accidentalem, hoc eſt, intentionalem. Conſequentia patet, nam beatitudo formalis eſt coniunctio formalis cum ſummo bono. At eſt duplex coniunctio formalis cum ſummo bono, alia ſubſtantialis, accidentalis alia. Ergo duplex eſt danda beatitudo formalis, ſubſtantialis, ſcilicet, & accidentalis, atque adeo ſicut datur coniunctio cum ſummo bono, quæ operatio non eſt, & alia, quæ eſſentialiter eſt operatio, ita danda eſt beatitudo, quæ operatio non ſit,& alia quæ ſit operatio eſſentialiter.

23. Secunda inſtantia, quæ rem hanc illuſtrat, eſt hæc: ſententia eſt valde communis, vt docebimus *tom. 2. tract. de ſpectantibus ad animam Chriſti diſp. 1. dub. 1.* aſſerens, in Chriſto duplicem dari ſanctitatem formalem. Vnam ſubſtantialem, & per ſe ſtantem,& aliam accidentalem, & inhærentem. Rurſum, ſi ab authoribus petieris, an ſanctitas vt ſic petat inhærere vel quaſi per ſe ſtare? reſpondebunt, neutrum petere determinatè, ſed abſtrahere in ſuo conceptu, vtrumque tamen eſſe poſitiuè vt contractam ad ſanctitatem, quæ eſt ſubſtantialis,& ad aliam, quæ accidens eſt. Ergo ſimiles voces poteris transferre ad beatitudinem, ita vt vnam appelles ſubſtantialem, minimè in operatione conſiſtentem, & aliam accidentalem, ſeu intentionalem, eſſentialiter in operatione conſtitutam, illa erit vnio hypoſtatica, & hæc beata viſio, quia vtraque eſt cum ſummo bono copulatio.

24. Argues primò cum Ouiedo 1. 2. *tract.* 1. *controuer. 2. puncto 5. numero* 49. qui poſt Ripaldam ſcripſit. Vnio hypoſtatica licèt ſit maxima coniunctio cum ſummo bono, non tamen eſt vltima, quia poſitâ illâ, adhuc Chriſti anima eſt per viſionem cum ſummo bono coniungibilis. At beatitudo formalis non tam eſt perfecta, quàm vltima cum ſummo bono coniunctio. Ergo vnio hypoſtatica non eſt formalis beatitudo.

25. Reſpondeo, argumentum hoc ſolùm vim habere aliquam in beatitudinem creaturæ puræ, in qua cùm antecedenter ad vltimum potentiæ intellectiuæ non detur perfectior, nec æquè perfecta cum ſummo bono coniunctio; ideo in illa beatitudo formalis conſiſtit in actu ſecundo vltimo illius. Nec tamen habere vim in beatitudinem Dei, vel Dei hominis, qui eſt Chriſtus, cùm in vtroque antecedenter ad actum vltimum virtutis intelligendi detur coniunctio cum ſummo bono. Præterea, quia non eſt ita certum, beatitudinem adhuc noſtram intentionalem conſiſtere debere in vltima cum ſummo bono coniunctione, ſiquidem extat ſententia probabilis aſſerens, viſionem eſſe formalem beatitudinem,& ſimul defendit beatum per illam vltimò non perfici, nec vltimò cum ſummo bono coniungi, cùm per fruitionem ad viſionem ſubſecutam vlteriùs cum ſummo bono coniungatur. Præterea in ſententia probabili, quam defendit Hurtado Puente, gratia habitualis eſt eſſentialiter formalis beatitudo, & tamen per illam homo vltimò non coniungitur cum ſummo bono, cùm de fide ſit, per viſionem vlteriùs cum illo beatum coniungi. Præterea dato caſu, quòd beatitudo debeat eſſe vltima cum Deo coniunctio, adhuc vis argumenti minuitur. Nam ly, *vltima*, eſt accommodandum cuilibet beatitudini in ſua linea; ita vt vnaquæque in ſua linea ſit vltima, taliterque ſubiectum vltimò cum ſummo bono coniungatur, vt poſitâ vnâ, non reſtet alia ad eamdem lineam ſpectans, per quam cum ſummo bono copuletur, & hoc verum eſt, & verificatur de omni beatitudine ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali de illa, quia ita annectit humanitatem verbo ſubſtantialiter, vt poſt illam nihil detur, quod ſubſtantialiter illam cum illo copulet, tametſi vlteriùs in alia linea, intentionali ſcilicet, & accidentali, per viſionem cum Deo coniungatur. Et de viſione idipſum efficitur, etenim hæc in linea intentionali intellectiua ita coniungit beatum cum Deo, vt licèt ſubſequatur amor, illum cum Deo coniungens, non tamen ſit in eadem linea intellectiua coniunctio per illum, ſed in linea affectiua. Vnde ſi beatitudo oporteret eſſe vltimam coniunctionem abſolutè & in omni genere, ſeu in ordine, ſolus amor fruitionis cenſeretur beatitudo, cùm ſolus ille ſit vltimus in ordine.

26. Patres Salmanticenſes *tom. 4. tract. 9. diſp. 1. dub. 1 §. 1 num. 6.* licèt rem hanc tranſeunter tetigerint, arguunt ſic in partem affirmantem. Nullus Theologus dixit, beatitudinem conſiſtere in vnione hypoſtatica, quia talis vnio de facto ſolùm exiſtit in Chriſto, vnio autem in qua conſiſtit beatitudo communis eſt omni-

bus beatis. Fateor, Patres iſtos argumentum hoc nullo modo contra iſtam ſententiam direxiſſe, ſed contra aliam fortè defendentem beatitudinem in communi conſiſtere debere in vnione, qua perſonaliter natura creata cum Deo coniungitur: contra hoc vim habet obiectio, non tamen contra noſtram partem, in qua abſolutè non defenditur, beatitudinem conſiſtere eſſentialiter in vnione hypoſtatica, aliàs ſolus Chriſtus eſſet beatus, quod damnat fides, ſed quòd vnio hypoſtatica in Chriſto verè rationem beatitudinis formalis participat, quod minimè argumentum iſtud impugnat. Illud tamen non prætermittam, in quo dicitur, nullum Theologum dixiſſe, vnionem hypoſtaticam eſſe beatitudinem, quod verum eſt, ſi intelligatur de beatitudine nobis, & Chriſto communi, non tamen de beatitudine quæ Chriſto ſit propria.

27. Argues rurſum cum ipſis Patribus, qui nec de poſſibili probant, vnionem hypoſtaticam fore beatitudinem formalem. Etenim hæc vnio poteſt fieri ad creaturas irrationales, ſicut in triduo mortis Chriſti permanſit in eius ſacroſancto cadauere. Ergo vnio hæc nequit eſſe beatitudo. Probant conſequentiam, nam creaturæ irrationales capaces non ſunt beatificandi. Ergo nec vnionis, in qua beatitudo conſiſtit.

28. Reſpondeo facilè, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam. & inſto in ſimili forma: ſubſiſtentia verbi poteſt vniri cum irrationabili. Ergo ſubſiſtentia hæc non eſt formalis ſanctitas. Probo conſequentiam, nam irrationabilia incapacia ſunt ſanctificandi. Ergo nec terminandi ſubſiſtentiam, in qua ſanctitas conſiſtit. Quid reſpondeant Patres iſti, ſcio, quòd ſcilicet ſubſiſtentia diuina præſtaret ſolùm effectum terminandi, cuius eſſet irrationale capax, non tamen ſanctificationis, cuius eſt incapax. Ita reſpondeo eorum argumento, quòd in tali hypotheſi vnio præſtaret irrationali effectum vniri, non tamen beatificati, quia illius, & non iſtius effectus eſſet capax irrationalis creatura.

29. Hæc dixerim non animo inducendi in ſcholas doctrinam nouam, nec eam defendendi, ſed vt diſcurſus in re ab Authoribus parum perfricata aliqua probabilitate acueretur. Quapropter cum communi ſentio, vnionem hypoſtaticam non eſſe formalem beatitudinem Chriſti, quia nec id fuit à ſanctiſſimo doctore edoctum, ſi id verum eſſet, non omitteret, cùm in rebus de incarnatione fuit inter omnes doctores exactiſſimos indagator. Ad ſummum poteſt in hoc puncto dici cum communi, vnionem hypoſtaticam eſſe radicalem beatitudinem Chriſti, quippe ab Angelico Præceptore appellatam radicem omnium perfectionum, quæ in Chriſto eluxerunt.

Sectio III.

Vnio hypoſtatica non eſt qualitas, eſt reſpectus, non prædicamentalis, ſed tranſcendentalis.

30. Sectio hæc proſequitur qualitates ſeu perfectiones quaſi eſſentiales hypoſtaticæ vnionis, plura complectitur examinanda. Primum, vnionem iſtam nullo modo eſſe qualitatem, ſeu accidens, ſecundum eſſe tranſcendentalem reſpectum, non verò prædicamentalem. Singula ſuo ordine abſoluam. Primum, ſcilicet qualitatem non eſſe, ſeu accidens, vna vice indaginem ſubibit, eſtque aſſertum hoc contra Gabrielem *in 3. diſtinct. 1. quæſt.* 1. ſentientem hypoſtaticam vnionem eſſe qualitatem ſupernaturalem, quamque appellat gratiam vnionis, & contra Durandum aſſerentem, verbum non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter eſſe humanitati vnitum, ita ille *in 3. diſp. 6. quæſt.* 4. cui ſubſcripſiſſe docent aliqui Paludanum ea ducti ratione, quòd ſententiam Durandi retulerit *ibidem num* 1. *art.* 3. & eam non refellerit; verùm ſi attentè inſpiciatur latenter prædictam ſententiam impugnauit; ſed quidquid hoc ſit.

31. Noſtra reſolutio negans vnionem hypoſtaticam accidens, ſeu qualitatem eſſe, valde à SS. PP. & Conciliis munitur. Imprimis docetur à SS. D. *hic art.* 6. qui abſolutè vnioné iſtam ſubſtantialem appellat, concilia plura eodem modo illam vocant, nam Calcedonenſe *act.* 1. approbauit verba illa Cyrilli videlicet, *ſed quod ex ea natum ſit ſacrum illud corpus animatum anima rationali, cui ſubſtantialiter adunatum Dei verbum, carnaliter natum eſſe dicitur*. Et licèt aliqui exiſtiment, epiſtolam hanc parum, aut nihil reſolutioni noſtræ ſuffragari, qui notatum habent, in originalibus verbum illud, *ſubſtantialiter*, non eſſe inuentum, tamen in illis inueniuntur alia verba ly *ſubſtantialiter* in re equiualentia, videlicet *ſecundum* ſubſiſtentiam, quod ſufficit, vt ſuadeamur, ſanctum Cyrillum tenuiſſe vnionem hypoſtaticam eſſe ſubſtantialem, & non accidens. Nam hac ratione ſimili frequenter Theologi deducunt ex verbis lateraneoſis illud reſolutioni noſtræ fauere; nam licèt in priſcis codicibus non apponantur verba hæc, *ſubſtantialiter, ſeu ſubſtantialis vnio*, tamen ibidem repetiuntur alia, quæ ipſis æquiualent, videlicet *ſecundùm ſubſtantiam, ſeu ſecundùm hypoſtaſim*. Rurſum veritas hæc comprobari poteſt ex Conſtantinopolitano 5. *act.* 8 *can.* 4. citato à ſanctiſſimo doctore *hic articulo ſexto*, cuius canones habentur in edicto fidei à Iuſtiniano Imperatore edito, & habent *in ſecundo tomo, Conciliorum*. Vbi dicitur, vnionem hanc factam fuiſſe ſecundùm hypoſtaſim.

32. Reſpondere poterit pro Durando, ſibi minimè aduerſari decreta iſta; quia nullum eorum decreuit expreſsè vnionem hanc duarum naturarum eſſe ſubſtantialem, ſed ſolùm ſecundùm hypoſtaſim, quodque ipſe libenter admittit, ſed cum hoc ſtat, vnionem hanc fore

acci

accidentalem ſecundùm aliquem ſenſum. Vnde vt patet ex eius aſſertis, quadrupliciter poteſt dici humanitas accidentaliter verbo vnita. Primò, ita vt natura humana in naturam accidentalem tranſiret, & ſic minimè accidentaliter humanitas fuit vnita verbo. Secundò, taliter quòd humanitas verbo inhæreat, ſicut accidens quodlibet ſubiecto ſuo inhæret, nec iſto modo accidentario fuit humanitas verbo vnita. Tertiò, quòd licèt media vnione in accidens non tranſiret humanitas, ex vi tamen vnionis quaſi indueret quamdam rationem accidentis, non abſimili modo, quo veſtis, tametſi in ſe ſubſtantia ſit, etiam poſtquam eſt homini vnita, tamen rationem aliquam accidentis ſortitur, facta comparatione cum eo, qui illa veſtitur. Nec iſto modo accidentaria dicitur vnio humanitatis cum verbo in ſententia Durandi. Quartò accidentariè vnum alteri vnitur quatenus quod vnitur, ſupponit alterum conſtitutum in actu, etiam ſi ambo ſint vnita in eodem ſuppoſito, & hypoſtaſi. Concedit ergo Durandus, vt verus catholicus, humanitatem eſſe in eodem ſuppoſito vnitam verbo, ſicut decernunt concilia allata vnionem hanc eſſe ſecundùm hypoſtaſim, & fatetur eſſe accidentariam, quod non aduerſatur concilijs, quia in antiquioribus non ſtatuitur vnionem iſtam ſubſtantialem eſſe.

33. Sed replicabis, nam etſi verum ſit, in vetuſtioribus, verba illa *ſubſtantialiter adunatum* non reperiantur, tamen in tranſlatione epiſtolæ Cyrilli ab Epheſino compilato per Surium, leguntur verba illa formalia *ſubſtantialiter adunatum*. Ergo ex hac parte Durandus concilio opponitur. Præterea, dato verba illa tranſlata eſſe in alia, nempe ſecundùm *hypoſtaſim*, vt patet in noua editione huius concilij confecta à Peltano *tom*. 1. *cap*. 52. adhuc aſſertum Durandi aduerſatur concilio. Pro quo breuiter nota, verbum hoc græcum hypoſtaſis latinè ſonat ſubſiſtentiam, atque adeo idem eſt latinis ſubſiſtentia, quod græcis hypoſtaſis. Rurſum apud latinos frequens eſt ſumere ſubſiſtentiam pro ſubſtantia; *vt tract. de Trinitate* non ſemel cum communi annotauimus; imo in ſententia Durandi, vt vidimus *ſuprà tract*. 1. *diſp*. 1. *dub. vnico, ſect*. 4. *num*. 61. ſubſiſtentia eſt idem realiter cum ſubſtantia creata, ſolúmque differt per rationem ex diuerſo modo cognoſcendi. Hoc notato ſic ad hominem premendus eſt Durandus. Concilia aſſerunt vnionem hanc eſſe ſecundùm hypoſtaſim factam, quod eſt idem apud Latinos factam ſecundùm ſubſiſtentiam. At vox *ſubſiſtentia* à Latinis vſurpari eſt ſolita pro ſubſtantia; & quamuis apud Latinos vſurpatio hæc non eſſet ita frequens, apud Durandum identificantem ſubſiſtentiam cum ſubſtantia, talis vſurpatio præualere debet. Ergo verba illa concilij, & Cyrilli *ſecundùm hypoſtaſim* idem ſonare debent apud Latinos, & potiori iure apud Durandum *ac vnio ſecundùm ſubſtantiam*. Ergo dicere vnionem hanc eſſe factam ſecundùm accidens, ſeu accidentariò, quouis modo explicetur, locutioni conciliorum contradicit.

34. Hoc ipſum vim reſumit ex definitione Alexandri tertij in capitulo, *cum Chriſtus* de hæreticis, adducta à ſanctiſſimo Thoma, *in hoc art*. 6. qui viuebat docens in Sorbonenſi academia tempore, quo talis definitionis promulgatio Pariſiis fuit facta. Aſſeritque Alexander damnatum eſſe quempiam defendentem, Chriſtum vt hominem non eſſe aliquid; hoc eſt, non eſſe quid vertit SS. doctor. Ex quibus verbis apparet, humanitatem nullo modo accidētariò eſſe verbo diuino vnitam; ſiquidem vt ponderat Angel. præceptor hîc. Quod vnitur accidentaliter alicui, de illo in quid non prædicatur ad inſtar ſubſtantiæ, ſed ad minimum in quale. Sicut de Petro non dicitur veſtis in recto & ſubſtantiuè, ſed veſtitus, & per modum adiacentis, & per adiectiuam accommodationem. Atqui humanitas dicitur de verbo incarnato ad inſtar ſubſtantiæ, per modum ſubſtantiui per ſe ſtantis, nempe quod ſit homo. Ergo ſentit Alexan. vnionē illius cum verbo accidentariā non eſſe.

Tametſi locum iſtum ſic Ang. Præcept. interpretetur, viſum fuit Vaſquio, ex vi illius nullam poſſe adduci probationem contra aſſertum defendens vnionem hanc accidentariam eſſe; atque adeo exiſtimat alium eſſe ſenſum longè diuerſum illius decretalis ab eo, ad quem à SS. D. pertrahitur. 35. Aſſeritque Vaſq. *t*. 1. *in* 3. *p. art*. 6. *d*. 17. *c*. 5. definitionem Alex. deſumptam eſſe ex Lateranenſi magno *p*. 49. *c*. 20. vbi eſt integra epiſtola Alex. ad Remenſem Epiſcopum, in qua referuntur quidam DD. aſſerentes, Chriſtum ſecundùm quod eſt homo, non eſſe aliquid. Quapropter ſcripſit ad prædictum Epiſcop. vt conuocatis DD. Pariſienſibus, & Remenſibus, interdicat ſub anathemate, ne quis audeat dicere, Chriſtum, ſecundùm quod homo eſt, non eſſe aliquid. Cuius rationem dedit per hæc verba: *quia ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita verus homo ex anima rationali, & humanitate ſubſiſtens*. Ex quibus deducit, definitionem hanc non eſſe pertrahendam contra DD. docentes, humanitatem eſſe accidentariò vnitam verbo, nec ly *aliquid* vertendum eſt, eſſe *quid*. Nam definitiones decretales interpretantur omnes ex ipſis erroribus, quos damnare contendunt: At in tali rerum ſerie erat error quorumdam DD. aſſerentium, Chriſtum vt hominem non eſſe aliquid, hoc eſt, nihil eſſe, eo quòd dicerent, non eſſe verum hominē, ſed apparentem. Ergo definitio Alex. decernens Chriſtum vt hominem eſſe aliquid, eum ſēſum facit, ac ſi diceret, Chriſtum vt hominem non eſſe hominem apparentem: atque adeo non definiuit, Chriſtum vt hominem eſſe quid, vt denotaret vnionem ſubſtantialem, ſed eſſe aliquid, quod non tam opponitur vnioni accidentariæ, & prædicationi accidentis, quàm opinioni DD. aientium, Chriſtum vt hominem eſſe nihil, quia non eſſe aliquid, & eſſe nihil idem ſunt.

Præterea alius fuit error, quem illis verbis Alexander euertere fuit ratus, nam Hugo de ſancto victore aſtruxit apologiam quamdam de verbo incarnato contra illos, qui eo tempore aſſerebant, Chriſtum vt hominem, licèt veram animam, & corpus haberet, non verò propriam humanam naturam ex illis conſtitutam. Vnde diuerſus error eſt hic à Manichæiſmo, nam Manichæi negabant verum corpus in Chriſto, iſti doctores illud verum, & animam veram 36.

profitebantur, ſed tamen negabant in illo veram humanitatem ex corpore, & anima conſtitutam. Vnde concluditur, quòd cùm Alexander definit, Chriſtum vt hominem eſſe aliquid, ſolum priorem errorem damnat, nimirum in Chriſto non eſſe veram humanitatem. Cùm autem definit, Chriſtum eſſe verum hominem, ſicut eſt verus Deus, damnat poſteriorem errorem, videlicet verbum indiuiſè humanitatem illam, veluti veſtem, & eam in ſuppoſiti vnitatem minimè aſſumpſiſſe. Longè ergo diuerſus eſt ſenſus definitionis huius à quo valde diſceſſit ſententia Durandi.

27. Recentiores quidam magnæ notæ exiſtimant interpretationem hanc Vaſquij non eſſe conſonam textui, quia iſte nullo modo poterat inuehi contra errorem negantem Chriſto verum corpus, & concedentem apparens, nam error hic fuit Manichæorum iamdiu damnatus.

28. Replica hæc præoccupari facilè poterit, etenim nihil vetat, errorem vnum antiquitus eſſe prohibitum, & ſub anathemate concuſſum, & elapſo tempore præ malignitate cordis iterum reuiuiſcere, nec difficile erit id pluribus in caſibus oſtendere, ſed ſufficiat præſens noſter, in quo idemmet error iam multò ante quaſi ſuffocatus iterum reuixit tempore vicino Alexandro: ſiquidem vt teſtantur Lutzemburgenſis in ſuo catalogo hæreticorum, Sanderus 7. *lib. de viſibili Monarchia hereſi* 151. & Prateolus *in ſuo elencho hereſum*. Albigenſes, qui fuerunt tempore noſtri parentis ſancti Petri Nolaſci, fuerunt Manichæiſmo infecti, & licèt in plures diuerſos errores incidiſſent, tamen præcipuus fuit, aſſerere Chriſtum non eſſe verum, ſed apparentem hominem. Nec ſi occurras, Albigenſes iſtos fuiſſe tempore Innocentij tertij, qui multò poſt Alexandrum ſedem vrbis occupauit, atque adeo definitio Alexandri non potuit damnare errorem iſtum Albigenſem nondum natum, aliquid deuinces; ſiquidem etiam tempore Alexandri tertij initium habuit error noui Manichæiſmi, nam, vt patet ex Lateranenſi ſub eodem Alexandro ibidem, damnati fuere Cathari, & Paterani, & teſte Sandero Cathari illi noui dicti fuerunt Manichæi. Ergo ex eo quòd Manichæi damnati fuerunt ante tempus Alexandri, non inde colligitur, eius definitionem latam non eſſe contra eorum errorem, ſicut non rectè infertur, error Manichæus multò tempore retro fuit quaſi præciſus. Ergo poſtea reuiuiſcere non potuit, cuius contrarium oſtendimus.

29. Quapropter exiſtimo vtrumque errorem à Vaſquio deſignatum, fuiſſe condemnatum ab Alexandro tertio, quamuis contrarium, probabiliter tamen, ſentiat Cardinalis Lugo, & Cippullus cum communi. Verùm non obſtante hoc vna vice damnauit Catholicos, ſed non catholicè ſentientes vnionem humanitatis cum Verbo accidentariam fuiſſe, nam eo ipſo, quòd definierit Chriſtum eſſe verum hominem, & in eius probationem adduxerit illud ſymboli, *quia ſcilicet ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita verus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*, optimè colligitur, talem definitionem labefactaſſe macula erroris aſſertum eorum docentium, humanitatem fuiſſe accidentariò Verbo vnitam; ſiquidem, vt ſtatim videbimus, idem eſt concipere Chriſtum eſſe verum hominem, ac concipere eius humanitatem ſubſtantialiter vnitam Verbo.

Ratio ergo concluſionis eſt, quia tam vnio, quàm verbi perſonalitas ſuccedunt humanitati loco ſubſiſtentiæ propriæ. At tam propria ſubſiſtentia, quàm eius vnio cum humanitate ſunt aliquid ſubſtantiale. Ergo vnio humanitatis cum verbo eſt ſubſtantialis, & non accidentaria. Maior eſt theologicum principium. Minor probatur quoad vtramque partem, imprimis, quòd ſubſiſtentia propria ſit ſubſtantia ſuperque manet probatum *tract. 1. citata loco, numero* 23. iam quòd vnio illius cum humanitate ſit ſubſtantialis patet etiam ex ibidem dictis, necnon ex his, quæ dedimus *tract. 3. diſput. 1. dub. 1. ſect. 3. num.* 112. nam vnio propriæ ſubſiſtentiæ cum natura, indiſtincta eſt ab ipſa ſubſiſtentia; hæc enim eſt vnio virtualis ſuiipſius cum natura. Ergo eo ipſo, quòd ſemel admittatur, ſubſiſtentiam propriam eſſe ſubſtantiam, neceſſariò eſt fatendum, vnionem illius cum propria natura eſſe ſubſtantialem. Ergo tam vnio, quàm perſonalitas verbi, quæ ſuccedunt loco ſubſiſtentiæ propriæ, & eius vnioni, debent eſſe aliquid ſubſtantiale. 30.

Secunda reſolutio reſponſiua ſecundæ parti tituli eſt, vnionem hypoſtaticam non eſſe relationem prædicamentalem, conſequentem perſonalem vnitatem humanitatis cum verbo, ad quam non ordinatur motus per ſe primò, ſed ſequitur aſſumptionem naturæ humanæ ad verbi perſonalitatem, vt ſenſerunt cum diuo Bonauentura Caietanus, Capreolus, Richardus, & Medina. Probant enim non pauci reſolutionem hanc, quia ſuppoſito quòd decreuerimus, vnionem iſtam eſſe ſubſtantialem, optimè infertur, illam non poſſe relationem prædicamentalem eſſe. Verùm hæc ratio vim vniuerſalem in omnium opinione non habet, tametſi adiuncta cum alia ipſi non deficiat. Primum patet, nam vt vidimus *tract. de relatione* extat ſententia probabilis negans relationes prædicamentales, potiſſimùm primi generis, ſuperadditas fundamento, & termino, ita vt ſubſtantiæ duæ ſimiles formaliter dicantur ſeipſis, abſque eo quòd inter illas aliqua mediet relationis entitas, ſed vnaquæque ſit inadæquata relatio, qua referatur ad aliam; imo ibidem vidimus ſententiam vniuerſaliter negantem, relationes ſuperadditas in omni genere: vnde in iſtorum opinione, quòd vnio hæc ſubſtantialis ſit, non officit, vt relatio prædicamentalis indicetur, cùm ſententia illorum identificet relationem prædicamentalem cum ſubſtantia. 31.

Alij autem ſic reſolutionem probant, notantes duplicem denominationem ab vnione prouenientem, de quibus dubium eſſe poteſt, an relationes ſint prædicamentales. Vna eſt denominatio vnientis, qua ipſa vnio refertur ad ambo extrema. Alia eſt denominatio 32.

vni

vniti, quæ ſuprà ipſa extrema cadit. At neutra illarum relatio prædicamentalis eſt. Ergo vnio abſolutè relatio prædicamentalis nequit eſſe, minor patet quoad primam partem, etenim denominatio vnientis extrema, eſt relatio, qua ipſa ad extrema refertur. Ergo non eſt prædicamentalis. Patet conſequentia, nam prædicamentalis relatio, formaliter vt prædicamentalis accidentariè dicitur de ſubiecto, quod refert. Ergo vt relatio hæc ſit prædicamentalis vnioni, deberet de illa accidentaliter prædicari. At vnio non accidentaliter, ſed eſſentialiter ad extrema refertur, nam eſſentialiter in reſpectu ad extrema conſiſtit. Ergo denominatio illa vnientis, ſe tenens ex parte vnionis, non inuoluit relationem prædicamentalem. Nunc probanda eſt eadem minor quoad ſecundam partem, quæ maiorem difficultatem continet, ſiquidem denominatio vniti cùm cadat ſupra extrema, quibus accidentaliter logicè vniri conuenit, fit, ex hac parte talem relationem accidentalem eſſe, & conſequenter prædicamentalem; verùm hoc non ſufficit, vt denominatio vniti relatio prædicamentalis ſit. Ergo. Probatur minor. Etenim eadem relatio vnientis, qua refertur vnio ad extrema, eſt, qua referuntur extrema inter ſe in ratione vniti, ſiquidem eadem forma vnionis, quæ formaliter vniens denominatur, eſt, quæ extrema denominat vnita. Atqui relatio vnientis eſt tranſcendentalis, & eſſentialis, nullo verò modo prædicamentalis. Ergo relatio vniti erit etiam tranſcendentalis eſſentialis, & non prædicamentalis. Maior de ſe patet; minor fuit probata ſuprà. Conſequentia patet, quia repugnat quod vna, & eadem relatio tranſcendentalis, & prædicamentalis ſit.

33. Sed ratio hæc patitur difficultatem; nam eſto, quòd denominatio vnientis tranſcendentalis, & permiſſo denominationem vniti naſci ab eadem vnione, adhuc denominatio vniti poterit eſſe prædicamentalis. Ratio, quia licèt verum ſit, quòd repugnet, vnam & eamdem relationem eſſe ſimul tranſcendentalem, & prædicamentalem reſpectu vnius, & indiuiſibilis extremi, non tamen reſpectu diuerſorum, & hoc inſtari poteſt in ſententia valde probabili intra ſcholam ſanctiſſimi doctoris: communiter enim defenditur in hac opinione dabiles eſſe relationes prædicamentales additas extremis, quæ referuntur per illas. Vnum enim album ad aliud refertur media relatione ſimilitudinis, taliter quòd vnumquodque illorum prædicamentaliter referatur ad aliud media relatione ſimilitudinis, & tamen hæc ad illa tranſcendentaliter refertur; nam licèt cuique extremo accidat ad alterum referri vt ſimile; tamen ipſi relationi ſimilitudinis non accidit; ſed eſſentialiter conuenit ad prædicta extrema referri. Ergo cum identitate relationis ſtat duplex denominatio relatiua, quarum vna ſit eſſentialis, & tranſcendentalis reſpectu vnius extremi, & altera reſpectu alterius extremi ſit accidentalis, & prædicamentalis. Ergo ſemel his duobus conceſſis, nempe quòd ab vna & eadem vnione naſcatur duplex illa denominatio vnientis ſcilicet, & vniti, & quòd prima ſit tranſcendentalis, referens eſſentialiter vnionem ipſam ad extrema, adhuc compatitur, denominationem vniti eſſe accidentalem, & prædicamentalem reſpectu extremorum, quæ vnita denominari dicuntur.

Alij autem cum Cardinali Lugo excludunt à relatione prædicamentali denominationem hanc vniti per aliam viam. Notat ergo Cardinalis *hîc diſput.* 11. *ſect.* 2. *num.* 10. relatio prædicamentalis, iuxta communem, eſt illa ſolùm, quæ ita denominat accidentaliter ſubiectum, vt totum eius eſſe ſit purè ad aliud, ſeu quæ purè refert ad terminum, hoc eſt, quæ completur ex coexiſtentia termini; atque adèo vt talis nullum aliud munus exercet, ſed ſolùm refert: ſic filius vt filius refertur prædicamentaliter ad Patrem; non verò vt genitus, quia generatio, quæ eſt forma geniti, vt geniti, habet aliud munus, ſcilicet dare eſſe termino; vt filius verò addit coexiſtentiam Patris, per quam, vt additam ſupra generationem præteritam, nullum munus exercetur, ſed completur ſolùm illa denominatio filij, ſeu termini geniti coexiſtentis ei, à quo genitus fuit. Vnde fit, quòd relatio prædicamentalis ſemper compleatur per ipſam coexiſtentiam termini; tranſcendentalis verò nunquam, & ideo dicitur tranſcendentalis, quia tranſcendit, & imbibitur in eſſentia aliqua, nec habet aliquid admixtum de denominatione extrinſeca. Cuius tradit exempla in denominatione agentis, & in denominatione cognoſcentis, & cogniti &c. Hac ſuppoſita doctrina concludit *num.* 11. de illa denominatione vniti dicendum eſt conſequenter, non eſſe relatiuam prædicamentalem, ſed tranſcendentalem, quia prouenit à reſpectu quodam, qui adæquatè, & intrinſecè eſt in ipſa vnione, & non completur vllo modo à termino, neque ab aliquo alio, quare illa denominatio non eſt purè ad terminum, ſed importat aliquod munus, ſcilicet vnire intrinſecè humanitatem cum verbo; itaque non ſolùm vnio ipſa refertur tranſcendaliter ad extrema vnita, ſed etiam ipſa extrema per eamdem vnionem ad inuicem tranſcendaliter referuntur. 34.

Verum diſcurſus hic, nec doctrinam certiſſimam inuoluit de diſtinctione relationis prædicamentalis à tranſcendentali, nec permiſſa illa efficaciter, intentum aſſequitur. Primam partem omitto, ne in re purè metaphyſica, dum theologica eſt concertatio, tempus conſumamus. Permittimus ergo prædicamentalem relationem illa duo optare. Primùm, purè referre ad terminum. Secundum, compleri à termino. At hæc duo habet vnio iſta. Ergo eſt prædicamentalis relatio. Minor quoad primam partem patet, nam vnio nihil in termino, quem reſpicit, cauſat. Verbum, enim, quod eſt terminus vnionis hypoſtaticæ nihil ex illa, nec illam recipit. Ergo vnio hypoſtatica ſuum terminum reſpicit, vt purum terminum. 35.

Reſpondere poteris cum Suarez vnionem ſuum terminum conſtituere vnitum, ſicut cognitionem denominare terminum cognitum, quapropter iſtas relationes non reſpicere ſuos terminos, vt purè terminos, atque adeo non prædicamentales, ſed tranſcendentales cenſentur. 36.

37. Sed replicabis: vnionem attingere terminum, quem vnitum denominat, & cognitionem denominare terminum cognitum, non extrahit illas à ratione prædicamentalium. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo: nam in omnium ſententia, relatio ſimilitudinis eſt prædicamentalis, & tamen denominat terminum ſimilem. Ergo vnionem hanc denominante terminum ſuum vnitum, non oberit rationi prædicamentalis relationis, & omnium ratio eſt, quia cognitionem denominare terminum cognitum, & vnionem vnitum, & ſimilitudinem ſimilem, ſunt diuerſa genera reſpiciendi ſuos terminos, vt purè terminos.

38. Reſpondere poteris cum Ouiedo *controu.* 10. *metaph. puncto* 2. *num.* 8. ſimilitudinem phyſicam, quæ eſt prædicamentalis relatio non reſpicere terminum illum aſſimilando, ex eo præcisè, quòd relationem terminet, quia terminus ſimilitudinis ex eo formaliter dicitur ſimilis, quòd eamdem, quam terminat, vel aliam eiuſdem rationis ſimilitudinem fundet: terminus autem cognitionis ex eo præcisè, quòd terminet cognitionem, dicitur cognitus: ſicut vnionis terminus, ex eo, quòd illius terminus ſit, dicitur vnitus.

39. Sed replicabis, & fateor doctrinam illam de ſimilitudine phyſica eſſe veram, verùm eamdem mihi inſeruituram vti fundamentum in replicam, totum, quod das ſimilitudini phyſicæ, inuenitur potiſſimùm in vnione. Ergo vtraque euaſura eſt prædicamentalis. Antecedens probo. Sicut relatio ſimilitudinis terminum reſpiciens, eum ſimilem minimè denominat quaſi ſubiectiuè, ſed neceſſe eſt, vt ſimilis denominetur, quòd aliam relationem fundet in ſe, eum ſimilem denominans, & ideo relatio illa ipſum vt purè terminum contuetur; ita in mea ſententia, vnio hypoſtatica referens humanitatem ad verbum, solùm reſpicit hoc vt purum terminum, taliter quod iſtud, ex vi vnionis ſe tenentis ex parte humanitatis, perfectè non denominetur vnitum, quouſque in ipſo intelligamus aliam vnionem ſe tenentem quaſi ſubiectiuè ex parte ipſius, ab illo virtualiter diſtinctam, à qua vnitum denominetur, vt latè dedimus *in hoc tract. dub.* 2. *ſect.* 7. *Corollario* 2. *per totum*. Ergo ſicut relatio ſimilitudinis ſuum eſſe eſt referre ſuum fundamentum ad terminum, iſti aliam denominationem minimè præbendo, quapropter dicitis illam eſſe relationem prædicamentalem; ita vnio humanitatem refert ad verbum præcisè tanquam ad terminum, quin illi aliam denominationem conferat, quapropter dicam ego illam eſſe relationem prædicamentalem.

40. Ratio igitur probans vnionem hypoſtaticam prædicamentalem non eſſe procedit ex principiis iactis, tum in philoſophia, tum etiam in Theologia nuper allata. Imprimis apud diſcipulos ſanctiſſimi doctoris eſt certa doctrina, relationem prædicamentalem nullo modo in creatis identificari poſſe cum ſuo fundamento, ſed ab illo diſtinctam, & ex illo oriri debere, eidemque tamquam verum accidens adiacere. Hoc ſuppoſito currit ratio illa *num.* 30. adducta probans vnioni hypoſtaticæ repugnare abſolutè accidentariam eſſe: etenim hæc eſt vera, vnioni hypoſtaticæ repugnat eſſe accidens. At hæc etiam eſt vera: relatio prædicamentalis eſt accidens. Ergo hæc debet eſſe vera: vnioni hypoſtaticæ repugnat relationem prædicamentalem eſſe. Maiorem dedimus *n.* 30. Minorem docet thomiſtica phraſis. Conſequentiam docet Logica. Confirmatur ex repugnantia terminorum: etenim hæc eſt vera: vnio eſt ipſa ratio conſtitutiua compoſiti. Ergo nequit eſſe relatio conſequens compoſitum. Antecedens patet, nam vnio eſt ipſamet vnibilium compoſitio. Conſequentia patet, quia terminis repugnat ingredi eſſentiam alicuius, & illud ſubſequi.

41. Sed inquires, an concedenda ſit aliqua relatio prædicamentalis, per quam iſta extrema prædicamentaliter referantur? Reſpondeo, imprimis eſſe impoſſibilem relationem prædicamentalem, quæ illa extrema referat ſub denominatione vniti; nam hæc denominatio in illis formaliter prouenit ab vnione, quam relationem prædicamentalem eſſe diximus repugnare. Cum hoc tamen cohæret, quòd aliæ denominationes, quæ cuique occurrere poſſunt, prouenire valeant ex relationibus prædicamentalibus, vt denominatio coexiſtentis vniti, (permiſſo quòd denominatio coexiſtentiæ ſit prædicamentalis modo, quo à Lugo explicatur) etenim eo modo quo Filius dicitur productus à generatione præterita, & filius à relatione filiationis, ſic præter denominationem vniti, quæ ab vnione in extremis prouenit, poteſt excogitari denominatio coexiſtentis vniti, quæ proueniat formaliter partialiter ab exiſtentia alterius extremi. Ita diſcurrit Cardinalis Lugo, & conſequenter ad ſua principia in quibus relationes prædicamentales conſtituit partialiter per exiſtentiam termini, vt filius non ſolùm dicit eſſe genitum, ſed eſſe genitum ab homine coexiſtente adhuc; quam denominationem, ait, prouenire formaliter partialiter ab exiſtentia alterius extremi. Sed doctrina iſta hæret principiis contrariis doctrinæ ſanctiſſimi doctoris, & ideo eſt à nobis relinquenda.

42. Ex his colliges: inintelligibilem eſſe doctrinam ex vna parte admittentem, denominationem vniti eſſe ſubſtantialem, & prouenire tamquam ab vnica forma ab vnione; & ex alia docentem, admittendam eſſe denominatio- & relationem prædicamentalem in vnione nem fundatam, denominantem extrema vnita difficulter percipitur hoc, etenim ſi relatio hæc, vt aiunt, fundatur in vnione. Ergo hæc prior exiſtit illa. Ergo & eius denominatio præcedere debet denominationem à relatione, quæ eſt poſterior, ortam. Tunc ſic: ſed denominatio ab vnione priùs exiſtente denominat extrema vnita. Ergo denominatio à relatione poſteriùs exiſtente proueniens, non poterit extrema denominare vnita. Superfluere videtur hæc relatio prædicamentalis in vnione fundata, denominans extrema vnita: vel aſſigna illi diuerſam denominationem.

43. Fundamentum Durandi; vt ſuaderet, vnionem hanc eſſe accidens, eſt hoc: quod aduenit enti in actu, quod ſit completum, non vnitur illi ſubſtantialiter, ſed accidentaliter. At humani

manitas aduenit Verbo diuino, quod eſt omnino completum. Ergo. Reſpondeo cum communi, Vnionem aduenientem vtrique extremo omnino completo, eſſe quidem accidentariam; Cæterum ſi alterum extremum ſit incompletum in genere ſubſtantiæ, & completur per aliud etiam in ratione ſubſtantiæ, nequit eſſe vnio accidentalis, tametſi aliud extremum completum ſit, quia ex vi talis vnionis complet aliud in linea ſubſtantiæ, in qua incompletionem habebat. Explicatur hoc: Si humanitas ſuppoſito Angelico vniretur, quod dat opinio apud aliquos extra noſtram Scholam valdè probabilis, adueniret enti completo, non tamen accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, & per ſe. Vnde quamuis humanitas aueniat Perſonæ Verbi completæ, aduenit tamen illi tanquam termino ſubſtantiali. Nam vt ſæpè monuimus, Perſona Verbi ſe habet tanquam actus ſubſtantialis humanitatis aſſumptæ, eam terminans, complens in linea ſubſtantiæ, & ideo ſicut nulla res ad actum ſubſtantialem accedit, niſi media vnione ſubſtantiali; ita nec accedit humanitas ad Verbum, niſi per ſubſtantialem vnionem.

44. Reſolutio vltima parti vltimæ tituli correſpondens, vnio hypoſtatica appellari poteſt tranſcendentalis relatio. Explicatur, & explicatione ipſa probabitur reſolutio. Etenim extrema iſta, humanitas, & Verbum ſeipſis, vt vidimus, non ſunt vnita: Hanc denominationem vniti accipere diximus millies ab entitate vnionis: & ex hoc deducitur, vt deduximus, neceſſariam fuiſſe productionem vnionis, vt extrema illa dicerentur vnita: atque adeo finis, in quem deſtinata eſt vnio, eſt, vt extremis ſubſtantialiter ex ſe non vnitis, conſtitueret ſubſtantialiter vnita. Ex hoc fit, vnionem iſtam non eſſe entitatem omnino abſolutam: nam hæc eſt regula generalis, quotieſcumque aliquid in rerum natura fit eo fine, vt prædictam vel ſimilem aliam denominationem alicui, vel aliquibus extremis præſtet, de illa eſt vnum è duobus verificãdum. Vel quòd in ſe ſit habitudo formalis ad dicta extrema, vel debet ſibi annectere aliquid ſecum productum, vi cuius talia extrema reſpicere dicatur; ratio, ſi vtrumque horum illi deficeret, eſſet entitas omnino abſoluta, tam in recto, quàm in obliquo, atque adeo poterit prædicta forma produci, & exiſtere cum illis extremis, quin eis talem denominationem, & effectum præſtaret, & conſequenter otiaretur fine, ad quem lucrandum eſt inſtituta eius productio: Ergo vnum ex illis duobus tali formæ competere debet, At non eſt dicendum, ipſam productam eſſe cum aliqua habitudine à ſe diſtincta, per quam vnio reſpiciat talia extrema, quia cùm talis habitudo ſic fundaretur in vnione, iam morem accidentis imitaretur, & vltra hoc, ſuperfluè poneretur, cùm nulla ſit repugnantia, imò ſit neceſſarium, vt ſtatim dicam, quòd talis habitudo cum vnione identificetur, quod iam ſuadeo ex natura ipſius vnionis, ſiquidem impoſſibile eſt exiſtere vnionem hanc cum extremis, & quòd hæc non intelligantur vnita. Ergo quia talis vnio eſt talis, vt connectatur eſſentialiter cum extremis. Hanc connexionem eſſe habitudinem explicabo latè *tomo 2. tract. 2. diſp. 2. dub. 3.* Vbi de connexione eſſentiali omnipotentiæ cum poſſibilibus latiſſimè diſcurram, ibi enim monebo, eſſe de voce, an omnipotentia tranſcendentaliter poſſibilia reſpiciat, ſi ſemel admittitur, eam eſſe cum illis eſſentialiter connexam. Iam quòd talis habitudo in vnione ad hæc, & non alia extrema vnibilia ſit appellanda tranſcendentalis, patet ex diſcrimine huius à prædicamentali, quòd hæc realiter differt à ſubiecto, quod refert, illa verò cum ipſo identificatur; Cùm ergo excluſerimus relationem prædicamentalem ab vnione diſtinctam, fit, admittere debere talem relationem eſſe cum vnione identificatam, eo prorſus modo, quo creatura quæuis, etſi ſubſtantialis refertur ad Deum media relatione tranſcendentali ſecum identificata.

Sectio IV.

Vnio hæc abſolutè poteſt dici eſſentialis, & naturalis Chriſto, vt opponitur ſupernaturali, ratione compoſiti, & naturæ diuinæ, non verò ratione naturæ humanæ.

VT ſingula diſcutiam, notare debes, ens ſupernaturale eſſe duplex. Vnum quoad ſubſtantiam, & aliud quoad modum. Illud talis eſt conditionis, vt ſupernaturale cenſeatur quoad intrinſecam entitatem, ſecundùm quam omnem capacitatem naturalis ſubiecti in quibuſque circunſtantiis poſiti excedere dicitur. Iſtud verò eſt, quod naturalis ſubiecti capacitatem non per intrinſecam ſui entitatem, ſed per habitudinem extrinſecam ad Deum operantem vltra exigentiam naturalium cauſarum ſuperare dicitur. Exemplum eſt commune ex viſus reſtitutione accerſitum; Hæc enim quoad modum appellatur ſupernaturalis, reſpectu cæci, non ad hunc ſenſum, quòd viſus, qui reſtituitur illi, contineat aliquid ſubiecti cæci capacitatem ſuperans, ſiquidem tota oculi reſtituti entitas eſt ipſi recipienti connaturalis, ſed quia non debetur illi in prædictis circunſtantiis poſito, & cauſatur à Deo vltra omnium naturalium cauſarum exigentiam, nuncupatur prædicta oculi reſtitutio ſupernaturalis quoad modum. 45.

Nota ſecundò: Vnionem hanc quoad eſſentiam ſuam cenſendam eſſe ſupernaturalem, & cuilibet creaturæ indebitam. Eſt doctrina hæc à Sanctis Patribus communita: Etenim Patres in Epheſino congregati in certo Scholio Cyrilli Alexandrini *de vnigeniti incarnat. cap. 8.* & habetur *tom. 1. Concil. p. 2. pag. 366.* loquentes de vnione iſta habent hæc: *Ineffabilis eſt prorſus, & fortaſſe nulli penitus nota, niſi ſoli illi omnia ſcienti Deo.* Facilè ponderantur hæc: Siquidem conſtans eſt doctrina apud omnes; ineffabilitatem, & incognoſcibilitatem eſſe attributa, & proprietates entis, quod eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & eſſentiam ſuam: atque adeo appellantes Sancti. Patres 46.

vnio

vnionem hanc ineffabilem, & incognoſcibilem eo ipſo prædicant illam abſolutè ſupernaturalem quoad eſſentiam, & ſubſtantiam. Et ratio id ipſum ſuadet, ſiquidem quod Dei eſt maximè proprium per identitatem, nulli creato enti fieri valet proprium. At diuina perſonalitas eſt ita Dei propria, vt illam ſibi identificet. Ergo repugnat alicui creaturæ fieri propriam. Syllogiſmus iſte ſine obice currit. Maior eſt conſpicua: quia idem ſonat proprium, ac paſſio naturæ: Atque adeo ſicut certum eſt naturam vnius non poſſe fieri alterius propriam; ita verum eſt, paſſionem vnius non poſſe alterius propriam fieri, ratio, nam paſſio, ſeu proprietas eſſentialem dicit ordinem ad naturam, ex qua ortum ducit; atque adeo ab intrinſeco illam ſolùm naturam comitari petit, à qua per ſimplicem reſultantiam emanat, vel cum qua identitatem ſibi vendicat; & hoc eſt in cauſa, vt latè deduximus 1. *p. tractatu de viſione, diſput. 3. dub. vlt.* quòd lumen gloriæ nulli intellectui creato, vel creabili valeat connaturale eſſe, quia hoc, quod eſt Deum per modum actus puri pertingere, eſt propriiſſimum Deo, & quouſque natura vnius in natura alterius tranſmutatur, quod eſt impoſſibile, nunquam ſaluabitur poſſe, quod eſt proprium vnius, & eius paſſio, poſſe alterius paſſionem fieri. Minor verò ſyllogiſmi primi de ſe patet; nam quid magis Deo proprium, quod per identitatem eſt Deus, ſicut diuina perſonalitas? Conſequentiam docet Logica. Nunc ſic. Sed ſi vnio hypoſtatica eſſet alicui creaturæ connaturalis, iam diuina Perſonalitas fieret propria alicui creaturæ. Ergo vnio hypoſtatica quoad ſuam eſſentiam ſuperat omnem capacitatem creaturæ cuiuſlibet. Minorem ſubiunctam probo; nam vt ſuprà vidimus *numero* 44. vnio hypoſtatica eſt tranſcendentaliter ad Verbum reſpectiua, atque adeo eſſentialem cum illo habet connexionem. Ergo illi eidem erit Perſonalitas connaturalis, & propria, cui fuerit propria, & connaturalis vnio hypoſtatica.

47. Inſtabis, conceptui creaturæ minimè repugnat participare proprium Dei modum operandi, nam lumen gloriæ, vt inſtrumentum connaturale, modum proprium eſſendi Dei participat. Cur ergo impoſſibilis erit creatura, quæ præciſè, tanquam inſtrumentum connaturale, exigere valeat vnionem hypoſtaticam cum Deo.

Reſpondeo, non eſſe dabilem caſum, in quo ſi ſemel creatura aliqua exigat diuinam Perſonalitatem, illam vt ſolum inſtrumentum, & non vt cauſam principalem exigere dicatur: ratio eſt, nam de ratione inſtrumenti eſt, aliud à ſe diſtinctum perficere, vt de ſe patet; At eo ipſo, quòd creatura Perſonalitatem exigeret, eam, vt ſeipſam perficeret, efflagitaret.

48. Obiicies contra idem, eſt certum, Perſonalitatem diuinam naturaliter humanitatem terminare. Ergo & certum debet eſſe, humanitatem naturaliter à diuina Perſona terminari. Conſequentia patet, etenim terminare, & terminari cenſentur correlatiua: Ergo eorum debet eſſe ſimilis ratio, atque adeo ſi terminare humanitatem eſt naturale Perſonæ diuinæ, ita humanitati erit naturale ab ipſa terminari. Nunc antecedens primum patet: nam quidquid fit à Deo, nequit illi eſſe ſupernaturale.

Reſpondeo facilè, Argumentum hoc totam lineam entium ſupernaturalium funditus euertere; atque adeo nihil poſſe à Deo cauſari, quod ſecundùm ſuam entitatem creaturarum capacitatem ſuperet, ſiquidem de quolibet, quod aſſignes, peto, an reſpectu Dei eius productio ſit ſupernaturalis? Negabis, & bene. Ergo inferam ego, illud nec ſupernaturale erit creaturæ ipſum recipienti. Siquidem producere illud eſt per te Deo connaturale. Ergo & recipi in creatura, erit illi connaturale. Patet, nam producere, & recipere ſunt non minùs correlatiua, quàm terminare, & terminari à Perſona diuina. Quis vnquam dixit, recipere gratiam eſſe animæ noſtræ connaturale, quia illam producere eſt connaturale ipſi Deo. Nec enim terminare, & terminari à diuina Perſonalitate ſunt correlatiua ea correlatione, quæ ſufficiat, vt vtrumque ſit reſpectu cuiuſque extremi connaturale, ſuppoſitione, quòd alterum ſit: ſiquidem licèt correlatiua ſint, tamen correlatione diuerſi generis, & lineæ, ſicut producere gratiam, & illam recipere correlatiua ſunt correlatione diuerſi ordinis, & ideo non infertur, producere gratiam eſt Deo connaturale. Ergo illam recipere creaturam, erit iſti connaturale, ita in præſenti.

Obiicies plura Patrum teſtimonia, quibus dicitur vnio hypoſtatica naturalis Chriſto. 49.
Sanctus enim Auguſtinus *in Enchiridio, c. 40.* habet hæc de vnione: *Modus iſte, quo natus eſt Chriſtus de Spiritu Sancto, non ſicut Filius, & de Maria Virgine ſicut Filius, inſinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipſo exordio naturæ ſuæ, quo cœpit eſſe, Verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet Filius hominis, & Filius hominis, qui Filius Dei; ac ſic in natura humana ſuſceptione fieret quodammodo gratia ipſa illi homini naturalis, quæ nullum peccatum poſſit admittere.* Ponderant hæc: Vnio iſta abſolutè ab Auguſtino appellatur naturalis, ſed non eſt naturalis Chriſto ratione diuinæ naturæ. Ergo ratione naturæ humanæ, quia in Chriſto nulla præter has natura inuenitur, ratione cuius vnio dicatur illi naturalis. Minor probatur; nam ſupernaturale, & naturale ſunt prædicata reſpectiua ad illud ſolum ſubiectum, quod dicitur tale reſpectu illorum, cuius capacitatem dicuntur ſuperare, vel illam æquare. At hypoſtatica vnio humanam naturam, & non diuinam tanquam ſubiectum reſpicit. Ergo ſolùm eſt dicenda ab Auguſtino naturalis Chriſto ratione humanæ naturæ.

Præterea id ipſum muniunt ex Lateranenſi 50.
ſub Martino I. prope finem quartæ conſultationis, ita aientis: *Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt adunationem, ſola iungens ea coniunctione quæ eſt ſecundùm dignitatem, & authoritatem, vel potentiam, & non magis concurſu ſecundùm naturalem vnitionem, Anathema ſit.* Hæc Concilium, quæ eamdem ſubeunt, ac Auguſtini verba ponderationem.

Reſpondeo cum communi notandum; Vox 51.
hæc,

hæc, *naturalis*, duplicem ſenſum patitur, vnum, qui ſonet idem, quòd Phyſica, & non moralis per extrinſecam dignitatem, & authoritatem. Alium, qui ſonet idem, ac non ſupernaturalis. De vnione in primo ſenſu loquuntur Patres Concilij; ratio, quam congregati fuerunt vt Neſtorij errorem diuellerent; at iſtius error erat, ponere vnionem moralem, & affectiuam inter humanam, & diuinam Chriſti naturam. Ergo quando Patres Concilij appellant vnionem iſtam abſolutè naturalem, eam ſumunt pro Phyſica, & vera, ac ſi dicerent, vnio hypoſtatica eſt realis, & Phyſica per Phyſicam, & realem compoſitionem humanitatis cum Verbo, & non ſolùm moralis per affectum, & dignitatem, vt Neſtorius contendebat. Verbo autem Auguſtini interpretationem iſtam non admittunt, ſed explicata manebunt ex denuo dicendis in reſolutionibus venturis.

52. Reſolutio primæ parti tituli reſpondens: Vnio hypoſtatica poteſt dici naturalis Chriſto ratione compoſiti: eſt contra Durandum *in 3. diſtinctione quarta, quæſtione tertia*, aientem gratiam vnionis impropriè dici Chriſto naturalem, & idem ſentit de gratia habituali. Nec abeſſe ab hoc aſſerto videntur Bonauentura *ibidem diſtinctione quarta, articulo ſecundo, quæſtione tertia*. Ricardus *ibidem articulo tertio, quæſtione ſecunda*. Alexander *tertia parte, quæſtione octaua, membro tertio, articulo quarto*. Ratio breuis noſtri dicti eſt: ſiquidem vnio hæc reſpectu compoſiti ſumpti formaliter, comparatur vt forma reſpectu ſui formalis effectus. At forma quæuis reſpectu ſui formalis effectus dicitur ſimpliciter naturalis. Ergo vnio reſpectu compoſiti Chriſti dicetur illi ſimpliciter naturalis. Maior autem ex formis aliorum compoſitorum liquet, nam illorum vniones ſunt eorumdem formæ. Minor ex Philoſophia patet, ſiquidem effectus formalis formæ & ipſa forma non ponunt in numero, ſed ſunt ipſa forma exhibita ſubiecto. Ergo effectus formalis vnionis erit ipſa vnio eatenus communicata. Nunc quæro, quidnam alicui connaturalius, quàm idem ſibi ipſi? Ergo ſi compoſitum, vt compoſitum Chriſti, eſt effectus formalis vnionis, infertur clarè, ipſam vnionem eſſe naturalem ſimpliciter compoſito Chriſti, & huic ratione ipſius compoſiti formaliter ſumpti.

53. Reſpondebis, rationem hanc terminis ipſis implicari, nam eo ipſo, quòd vnio ſit forma compoſiti, vt talis, ſit, quod ipſum compoſitum, vt tale, ſit eius effectus formalis. Nunc ſic: ea qua parte compoſitum, vt compoſitum, eſt formalis effectus vnionis, implicat huic, eſſe compoſito connaturalem, ſiquidem ex qua parte compoſitum, vt tale, eſt formalis effectus vnionis, ab iſta non diſtinguitur, nam vt vidimus effectus formalis indiſtinctus eſt à forma; ſed nihil eſt ſibiipſi connaturale. Ergo implicat in terminis, vnionem eſſe ſuppoſito, vt ſuppoſito, connaturalem. Reſpondeo breuiter: quòd licèt forma nulla differat ab effectu formali ſecundùm ea, quæ pro formali importat effectus formalis, tamen diſtinguitur ab illo ſecundùm id, quod iſte concretinè dicit pro ſubſtracto, & de materiali, verbi gratia, albedo differt ab albo, quod eſt effectus eius formalis, non ſecundùm id, quod album pro formali denotat, etenim id eſt albedo ipſa, ſed ſecundùm id, quod de materiali dicit, nempe ſubiectum, quod inuoluit albedo: Vnde confirmatur ſolutio, nam in omnium ſententia calor eſt connaturalis calido, à quo ſolùm ratione ſubiecti differt, & numerus binarius eſt de natura quaternarij, à quo adæquatè non differt, & omnium ratio eſt vna, quia tam calidum per calorem, quàm quaternarius per binarium conſtituuntur; Cùm ergo nihil magis alicui connaturale, quàm id, per per quod in ſuo eſſe proprio conſtituitur, fit vnionem hypoſtaticam eſſe connaturaliſſimam Chriſto, quia talis vnio hypoſtatica quidditatinè conſtituit Chriſtum in ratione Chriſti.

Secunda reſolutio ſecundæ parti tituli reſponſiua aſſerit: hypoſtaticam vnionem poſſe dici ſimpliciter naturalem Chriſto, ratione naturæ diuinæ ipſum Chriſtum componentis. Ita Sanctiſſimus Doctor *hîc quæſtione ſecunda, articulo duodecimo*, quem tam diſcipuli, quàm exteri ſequuntur, & rationem huius deſignat Angel. Præceptor; nam vnio hypoſtatica ortum habet à natura Chriſtum componente. Ergo eſt illi connaturalis. Patet conſequentia: nam id, quod ex alio naſcitur, neceſſariò eſt illi connaturale; ratio, nam eo ipſo quòd ab illo oriatur, non ſuperat vires illius. Ergo ſi à natura diuina, quæ Chriſtum componit, oritur vnio, debet illi eſſe connaturalis; ratio ſumitur ex definitione connaturalitatis cunctis notæ. 54.

Sed in hanc rationem inuehitur Vaſquez *hîc quæſtione ſecunda, articulo duodecimo, diſputatione vigeſima quarta, capite ſecundo, numero ſexto*; Etenim vt dicatur aliquid eſſe connaturale alicui enti, non ſufficit, quòd ortum habeat ab aliquo, quod in tali ente ſit, ſed neceſſe eſt oriri à natura illius propria; hac enim ratione vnio non oritur à diuina natura, nam licèt ab ea originem ducat, non ab ea, vt eſt propria Chriſti, quia non naſcitur ex ea, vt coniuncta eſt cum humanitate, qualiter ſic ſolùm eſt natura propria Chriſti, ſed à natura diuina vt conſideratur ante vnionem, quod non ſufficit, vt verificetur de vnione, quòd oriatur ex principiis propriæ naturæ Chriſti. 55.

Reſpondeo, rationem allatam vtputè Sanctiſſimi Doctoris eſſe optimam, & validior euadet ex ſolutione argumenti: Pro quo nota, dupliciter poteſt intelligi, quod ait Sanctiſſimus Doctor, ſcilicet gratiam vnionis oriri à natura diuina, vt eſt propria natura Chriſti. Primò, in prima talis vnionis productione. Secundò, in eius conſeruatione pro vlteriori tempore. Primo modo implicat, vnionem à natura diuina, vt eſt propria Chriſti, ſiquidem ea ratione diuina natura eſt Chriſti propria, qua intelligitur vnita cum humanitate in eadem Perſona. At natura diuina formaliter per vnionem intelligitur humanitati vnita in eadem Perſona. Ergo vnio hæc ortum non trahit à diuina natura, vt propria Chriſti. Præmiſſæ ſunt euidentes. Conſequentia infertur ex Logica. Itaque ſemel ſtatuto, 56.

ſtatuto,

tuto, quòd dicas formaliter per vnionem iſtam humanitati vnitur, implicat, quòd eius vnionis prima productio naſcatur à Deitate, vt eſt propria Christi, nam Deitatem eſſe naturam propriam Chriſti, ſonat Deitatem coniunctam cum humanitate in Perſona eadem; atque adeo ſi vnio in ſui prima productione oriretur à Deitate, vt eſt Chriſti propria, iam ante vnionem Deitas eſſet natura Chriſti propria, atque adeo ante vnionem præcederet natura diuina humanitati vnita, quod implicat. At vnio in conſeruari dependet à diuina natura, vt eſt propria Chriſti, quia eius conſeruatio dependet ab illa vt coniuncta eſt humanitati, his notatis reſpondeo, rationem noſtram conuincere ſufficienter vnionem eſſe connaturalem Chriſto ſimpliciter, & abſolutè ratione naturæ diuinæ, ad quod neceſſarium non eſt, vnionem iſtam dum primò producitur, à natura diuina pendere, vt propria eſt ipſi Chriſto; ſufficit, ſi ſic dependeat ab illa talis vnio in ſui vlteriori conſeruatione, vel ſecunda productione. Rem explicet exemplum diſpoſitionum auri, quod illas primò non produxit, ſed Sol, bene tamen ab illo conſeruantur, & hoc ſufficit, vt tales diſpoſitiones dicantur connaturales auro.

57. Secundò arguit in prædictam rationem Vaſquez; nam vnio hæc prouenit liberè à natura diuina, & non naturaliter, Igitur abſolutè, & ſimpliciter nequit dici naturalis Chriſto ratione naturæ diuinæ.

58. Reſpondebis: rationem noſtram non procedere de naturali, ſeu connaturali, prout naturale opponitur libero, ſed prout opponitur ei, quod ſuperare vires dicitur, ſicut communiter dicitur, hominem liberè ridere, & nullus negabit, riſum eſſe naturalem homini.

59. Sed replicat Vaſquez *ibidem* per hæc verba: Quod dicebant Thomiſtæ de riſu, parum refert, quia ridere non ſemper liberè procedit ab homine, neque ſuapte natura eſt ſemper actus ſecundus, quinimò poſita cognitione rei ridiculæ, neceſſariò ſequitur riſus. At verò vnire ex ſuo genere liberum eſt; Deinde, quia ridere naſcitur à principio intrinſeco rei iam conſtitutæ, vnire autem naſcitur quidem à Deitate, quæ eſt natura Chriſti, ſed non naſcitur ab ea. prout iam vnita, & coniuncta cum natura humana in eadem Perſona.

60. Reſpondeo, optimè eſſe reſponſum inter arguendum. Ad primam replicam, aſſero, riſum aliquando liberè, & aliquando impetu naturæ irrefragabili habere ortum; verùm ipſe non ſolùm quando ineuitabiliter fluit, verùm quando liberè procedit, vtroque modo dicitur homini naturalis, ſicut frequenter ſolemus appellare actus liberos voluntatis eius vires non ſuperantes, ſimpliciter naturales illi. Ad ſecundam replicam, reſpondeo, quòd licèt vnio in prima ſui productione minimè oriatur à Deitate, vt propria natura Chriſti reduplicatiuè, ob rationem datam *n.* 56. tamen ab ea procedere in ſui conſeruatione vt natura eſt reduplicatiuè, & hoc ſufficere, vt abſolutè vnio ſit Chriſto naturalis ratione diuinæ naturæ, ibidem demonſtrauimus.

Argues cum aliis: Siquidem reſpectu illius naturæ dicitur aliquid naturale, vel ſupernaturale, ad quam comparatur vt proprietas ad ſubiectum, quam naturale, vel ſupernaturale dicitur reſpectu ſubiecti, cuius virtutem adæquat, vel excedit. Sed vnio hæc non reſpicit tanquam ſubiectum naturam diuinam, ſed humanam. Ergo nequit eſſe naturalis Chriſto ratione naturæ diuinæ. 61.

Reſpondeo, Maiorem non eſſe abſolutè veram, ſed pati limitationes, ſiquidem naturale, & ſupernaturale, non ſemper talia dici per ordinem ad ſubiectum, ſed etiam per ordinem ad principium. Actus enim liberi nedum ſunt naturales reſpectu voluntatis, quia illas recipit, ſed quia illos ſine alterius iuuamine elicit: imò ſine ordine ad ſubiectum poteſt aliquid eſſe alicui naturale; vt diuinæ Perſonalitates ſunt Deo naturales, & eum vt propriè ſubiectum non reſpiciunt. Ex quo fit: quòd licèt vnio non reſpiciat diuinam naturam, vt ſubiectum, eam tanquam proprietatem recipiens, comparatur tamen ad illam veluti effectus conſeruatus ad principium conſeruans, eius vires minimè ſuperans. 62.

Reſolutio tertia, Vnio non eſt naturalis ſimpliciter Chriſto ratione naturæ humanæ. Concluſio hæc patet ex dictis *numero quadrageſimo ſexto*, & ex ibi notatis probatur breuiter: nam vnio hypoſtatica eſt abſolutè indebita, & omnino ſupra naturalem exigentiam humanitatis. Ergo ratione illius nequit Chriſto dici naturalis. Antecedens patet, nam humanitas ex ſe, nec ratione alterius exigere poterat vnionem. Ergo, &c. Antecedens quoad primam partem dant termini illius. Quoad ſecundam probo: nam illud aliud, ratione cuius humanitas exigeret ſibi dari vnionem iſtam, vel erat naturale, vt ipſa humanitas. Vel ſupernaturale. Illud non ſufficere probat ipſa humanitas. Iſtud verò in hac rerum ſerie non eſt, patet, quia vt ſuppono ex communi, vnio hypoſtatica eſt primum donum ſupernaturale humanitati hic & nunc collatum. Ergo vnio nequit ſupponere in humanitate aliquod ſupernaturale donum, ratione cuius illa exigere poſſit exiſtentiam vnionis. Ergo huius collatio fuit ſupra exigentiam humanitatis. Ergo vnio hæc non potuit eſſe Chriſto connaturalis ratione naturæ humanæ. 63.

Sectio V.

Hypoſtatica vnio eſt in ratione doni maxima, & in ratione vnionis, tum in vi copulandi, tum in reddendo extrema inſeparabiliora, non verò in faciendo illa magis vnum.

Plura diſcutiet ſectio, ſed breuiter. Reſolutio ſit prima reſpondens parti pri- 64.

mæ

mæ tituli. Vnio hypoſtatica in genere donorum gratiæ, quæ intellectuali naturæ conferuntur, eſt maxima. Reſolutio hæc maniſeſtior fiet, ſi ſcrutemur, quæ vnio hypoſtatica importet. Itaque vnio trifariàm poteſt ſumi in ratione doni. Primò, pro ipſa vnionis entitate, de qua diximus eſſe ſubſtantialem modum ſupernaturalem tranſcendentaliter reſpectiuum. Secundò, pro eo, quod mediante ipſa vnione humanitati confertur. Tertiò, pro termino adæquato, qui ex ipſa reſultare dicitur. De his omnibus reſolutio iacta procedit, & ſingulis ſingulas ſuo ordine probationes afferam.

65. Ratio concluſionis; ſumpta vnione primo modo eſt hæc, & innititur potiſſimùm aſſerto Sancti Auguſtini, qui *lib. de prædeſt. Sanctorum, cap.* 15. differens de perfectione vnionis hypoſtaticæ dixit: *Tantam eſſe vnionis perfectionem, tam excellentem, & tam ſummam ſubiectionem naturæ humanæ, vt quo attolleretur amplius, non haberet.* Et iure hæc extulit Sanctus Auguſtinus de ineffabili hoc vinculo; ſiquidem non adeſt aliud in creatis præſtantiæ ſignum, quàm quòd aliquid magis ad Deum accedat, iuxta enim acceſſus ad Deitatem menſuram, taxantur gradus perfectionum creatarum. Quidnam inter creata, aut creabilia Deo coniunctius, quàm vnio? cùm hæc ex vltima eius eſſentiali differentia ſit nexus ſubſtantialis humanitatis cum perſona diuina, talis conditionis, vt vi illius humanitati diuina, & infinita perſonalitas communicetur.

66. Secunda reſolutio; ſumpta vnione ſecundo modo eſt excellentior cunctis gratiæ donis. Eſt facilis probatio. Vnio ſecundo modo accipitur pro dono, quod ex vi illius humanitati confertur, ſcrutemur nunc donum ex vi vnionis naturæ humanæ collatum, & modum quo ex vi illius ipſi humanitati confertur, & id verum experiemur. Confertur enim ex vi vnionis humanitati ipſa ſummè perfectiſſima, & infinities infinita ſecunda Perſona Trinitatis, taliter, vt ex vi vnionis dicatur natura humana verus Deus in concreto accepta. Ergo vnio ſecundo modo ſumpta ſuperat in perfectione omnia chariſmata ſupernaturalia hominibus collata, & dabilia. Conſequentia cuique patebit, ſi comparet bonum hoc ex vi vnionis exhibitum humanitati, cum collectione omnium bonorum intra ambitum omnipotentiæ contentorum.

67. Tertia reſolutio; Sumpta vnione tertio modo, ſcilicet pro termino adæquato, qui ex illa reſultat, ſuperare videtur cumulum donorum gratiæ poſſibilium. Ratio facilis, ſiquidem prædictus terminus eſt Perſona infinita Filij ſubſtantialiter, & intrinſecè humanitatem complens. Hanc totam donorum poſſibilitatem excedere, quis dubitat. Ergo vnio ſic accepta eſt maximum donum inter omnia dona gratiæ data, danda, & dabilia.

68. Sed argues contra omnes has reſolutiones cum Durando *diſtinctione ſecunda, quæſtione prima*, ſequuto Marſilium *in tertium quæſtione tertia, articulo tertio*, & alios docentes, viſionem beatam, & habitualem gratiam eſſe dona vnione præſtantiora. Arguunt primò: nam effectus à viſione ortus perfectior eſt effectu orto ab vnione. Ergo, &c. Antecedens patet: Nam effectus viſionis eſt reddere Beatum; effectus verò vnionis eſt reddere ſubſiſtens. Sed inter hos effectus ille iſto eſt perfectior. Ergo effectus ortus à viſione perfectior eſt effectu orto ab vnione. Ergo viſio beata perfectius donum eſt, quàm vnio. Reſpondeo breuiter effectum vnionis collatum cum viſionis effectu adhuc perfectiorem eſſe, ſiquidem illud ſubſiſtere, quod vnio tribuit, non eſt vtcumque humanitatis terminatio, ſed eſt terminatio, & ſimul Phyſica, & ſubſtantialis ſummi boni intrinſeca poſſeſſio, ſimulque radicale ius ad Deum clarè videndum. At eſſe Beatum eſt extrinſeca, & intentionalis ſummi boni poſſeſſio, quapropter in modo, quo ab vtroque effectu ſumma bonitas poſſidetur, excedit ſubſiſtere, qui eſt vnionis effectus, eſſe Beatum, qui cenſetur effectus viſionis.

Sed replicabis: Eſſe Beatum ſe extendit im- 69.
mediatè ad poſſidendum Deitatem, & omnes tres Perſonas. Ergo eſt perfectior Dei poſſeſſio ea, quæ ab vnione cauſatur, cùm hæc ſolam vnam Perſonam immediatè pertingat. Reſpondeo ex dictis, perfectionum gradus metiendi ſunt iuxta maiorem, vel minorem gradum intenſionis ſummum bonum poſſidendi; non verò iuxta latitudinem ſolùm extenſiuam: ex quo fit, quòd licèt beata viſio ſit immediatior attingentia, & poſſeſſio plurium diuinarum perfectionum, quàm vnio, tamen hæc eſt intenſior ſummi boni poſſeſſio, quia illa eſt accidentalis, & extrinſeca; hæc verò eſt intrinſeca, & ſubſtantialis.

Argues ſecundò, id, quod ex natura res eſt, 70.
excedit illud, quod ex natura ſua eſt modus. At vnio eſt modus licèt ſubſtantialis, & incompletus in linea ſubſtantiæ. Viſio verò beata eſt perfecta res, & in ſuo genere completa. Ergo hæc illam ſuperat. Confirmatur: Viſio beata Soli rationali creaturæ eſt propria; ita vt incommunicabilis ſit irrationali; Vnio verò communicabilis eſt vtrique, Ergo, &c. Reſpondeo, quòd eo ipſo, quod vnio ſit ſubſtãtialis, quamuis modus, ſpectat ad eminentiorem lineam, quàm viſio ſolùm ad accidentariam pertinens. Rurſum, nam vnio etſi modalis, eſt intrinſeca, & ſubſtantialis ſummi boni poſſeſſio, viſio verò ſolùm accidentalis, & non Phyſica, ſed diminuta, & intentionalis. Inter has poſſeſſiones quænam magis vires noſtras deuincet? Ad confirmationem, reſpondeo, quòd ſicut non bene infertur, anima rationalis communicatur materiæ per modum formæ illam perficientis. Ergo eſt imperfectior quolibet actu intellectus, & voluntatis, qui incommunicabiles ſunt materiæ per modum formæ illam perficientis; ita non bene arguitur, vnio hæc eſt irrationalibus communicabilis, per modum quaſi formæ, illa vnita denominantis, non verò beata viſio. Ergo hæc illam excedit.

Vltimò argues ex S. Auguſt *tract. 10. in Ioann.* 71.
aſſerente: *Maius, & melius eſt concipere Deum mente, quàm ventre.* At per gratiam, & viſionem vnimur Deo mente, & per hanc vnionem ſubſtantialiter. Ergo perfectior eſt viſio, & gratia, quàm vnio. Reſpondeo, S. Aug. longè à noſtra lite in tali loco abfuiſſe, ſiquidem ibidem non

conferet conceptionem Filij Dei mediante gratia, & viſione cum vnione hypoſtatica; ſed cum corporali conceptione Filij Dei. Et aſſerit, hanc cum illa comparatam, eſſe imperfectiorem; ſiquidem illa conceptio mentalis ſine peccato eſt, cum illo nequit euenire; at iſta corporalis poterat eſſe cum peccato, nam cum hoc non habet corporalis conceptio oppoſitionem ita ingentē, quam agnoſcimus inter viſionem beatam, & gratiam ex vna parte, & inter peccatum ex alia: ibi tamen nulla eſt facta collatio conceptionis corporalis Filij cū vnione; ſiquidem abſque dubio hæc ſuperat illam; nam Virgo Sanctiſſima ſanctificata non fuit per corporalem conceptionem, ſicut humanitas Chriſti media hypoſtatica vnione, adhuc vt diſtincta à perſonalitate Verbi, vt latè dabimus *t. 2. tract. 1. diſp. 2.* & hæc de vnionis perfectione in genere doni; nunc acturi ſumus de illa in ratione formaliſſima nexus, an ſcilicet in ratione talis omnes alias creatas vniones ſuperet, Pro quo.

72. Secunda reſolutio, quæ reſpondet ſecundæ parti tituli. Verùm quia perfectio vnionis in ratione talis diuerſimodè poteſt attendi, ideo notare debes, triplex quaſi munus cuilibet vnioni, ab extremis diſtinctæ competere. Primū robur & virtutem nectendi extrema. Secundò, reddere illa magis, minúſve inſeparabilia. Tertiū, conſtituere illa magis minúſve vnum inter ſe, de iſtis muneribus diſcurſuri ſumus. Igitur vnio hypoſtatica ſecūdùm prius munus excedit omnes creatos nexus. Ratio, nam menſura roboris, & virtutis vniendi in vnione eſt exiſtimanda penes diſtantiam, quam ad ſe vniendum habēt extrema, quæ ex vi alicuius copulantur. At inter extrema, quæ cæteræ creatæ vniones annectunt, & extrema ab hypoſtatica vnita, hæc magis diſtant inter ſe. Ergo vis vniendi, quæ in hypoſtatica relucet, excellentior eſt virtute vnitiua, quæ in aliis inuenitur. Singulas præmiſſas explicare debemus. Imprimis, maior eſt vera, nā quo plus extrema inter ſe diſtant in ratione quaſi perfectibilis, & perfectiui; & minùs coaptantur ad compoſitionem ex illis faciendam; ſiquidem receſſus inclinationis vnius ad aliud cauſat in illis receſſum à conuentu compoſitionis: & conſequenter tantò magis ſplendet virtus vnionis in ratione vniendi, quantò maior in extremis regnat diuiſio, & diſtātia ad ſe vniendum. Sicut in moralibus, quò magis inter duo præponderat tenacitas ad iram, eò maior authoritas apud illos in componente ad pacem deſideratur. Nunc minor patebit, cōferendo diſtantiam extremorum, quæ nectit vnio hypoſtatica, cum diſtantia intercedēte inter extrema, quæ cæteræ creatæ vniones coniungunt. Illam eſſe maiorem iſta negabit nemo. Nam Verbū, & humanitas diſtabit infinitè in ratione entis, & in eis adhuc non reperitur exigentia naturalis, vi cuius vnum alterum depoſcat, nam humanitas ſolùm ſecundùm obedientialem potentiam eſt per Verbum perfectibilis. At extrema cæterarum vnionum, vi quarum in compoſitionem coeunt, nec in infinitum diſtant in ratione entis, & aliundè vnum eſt ſecundùm naturalem potentiam per aliud perfectibile, vt diſcurrenti de ſingulis, quæ compoſitionem faciunt, apparebit. Conſequētia verò prima optimè infertur,

Tertia reſolutio, Vnio hypoſtatica etiam excedit alias ſecundùm alterum munus reddendi inſeparabiliora ſua extrema, quæ vnit. 73.
Ratio eſt, ſiquidem quantum habet vnio de immutabilitate, tantum habet de inſeparabilitate. Sed vnio hæc magis habet de immutabilitate, quàm cæteræ vniones. Ergo excedit illas in inſeparabilitate à ſuis extremis. Maior de ſe patet; nam eo gradu, ſecundùm quem alicui conuenit immutabilitas, conuenit indefectibilitas, & duratio; hac enim ratione cum Sanctiſſimo Thoma *prima parte, quæſtione nona*, probauimus Deo conuenire æternitatem, & indefectibilem durationem, quia illi competebat à ſe immutabilitas per eſſentiam: Indefectibilitas in durando arguit inſeparabilitatem in munere, in quo perenniter duratur. Nunc minorem probo, nam vnio hæc propinquior eſt cæteris vnionibus perfectiſſimo eſſe Dei. Ergo perfectiùs ex illo hauriret immutabilitatem, quæ eſt diuini eſſe attributum; Hac enim ratione probauimus vnionem hypoſtaticam eſſe maximum donum, quia eſt intimior ad eſſe Dei acceſſus cæteris aliis creatis entibus; atque adeo, ſicut qui magis ad fontem accedit, puriorem aquam ex illo ebibit, ita cùm vnio perfectiùs ad eſſe diuinum approximatur, ita excellentiùs ab illo ſuas proprietates exuget, at inter illas eſt immutabilitas Ergo, &c.

Explicatur ratio hæc; Nam nullum eſt caput, vnde hypoſtaticæ vnioni contingere poterat deſitio. 74.
Primò per peccatum, cum quo habet naturalem pugnam, quippe ſanctitas perfecta. Secundò, media introductione propriæ ſubſiſtentiæ in eadem natura humana, cum qua opponitur hypoſtatica vnio. Tertiò, media concurſus diuini ſubſtractione. Quartò, media annihilatione ſubiecti, in quo talis vnio eſt recepta. Non eſt alius modus, quo hypoſtatica vnio poterat deſinere eſſe. At nullo ex his modis poterat illi euenire deſitio Non primo modo, ſiquidem vt *t. 2. tract. 1. diſp. 3.* oſtendam latiſſimè, humanitati repugnabat peccare tam in ſenſu compoſito vnionis, quàm diuiſo, medio peccato, per quod vnio hypoſtatica deſtrueretur, & inter alia capita huius repugnantiæ, deſignare poſſumus rationē perfectæ ſanctitatis in ipſa vnione inuentæ, vt ibidem dabimus *diſp. 1.* Nec ſecundo modo, ſiquidē ſtante vnione hypoſtatica, eſſentialiter cōnexa cum diuina ſubſiſtentia, impoſſibilis eſt ſubſiſtentiæ creatæ ortus, ſiue hic ſolùm à Deo pendeat, ſiue ab ipſa ſola humanitate producta, vt dicemus *diſp. ventura.* Nec tertio modo: Quia talis vnio vnicè à ſolo Deo conſeruatur. Nec quarto: Siquidem ſubiectum immediatè vnionem illam recipiens eſt anima rationalis, & materia prima, quarum ſicut prima productio, ita & conſeruatio vnicè à ſolo Deo dependet. Nec refert, ſi dicas, etiam illius ſubiectū ſunt materiales partes ſubſtantiales, & integrātes media organizatione corporis humani Chriſti. Non tamē refert; nam iſtæ partes, etſi materiales, erant etiā incorruptibiles, ea ſcilicet ratione, qua à diuino Verbo fuerunt aſſumptæ ad minùs quoad portionem illam ſacratiſſimā primigeniam, quam Chriſtus ex puriſſimo Virginis vētre aſſumpſit. Ergo nullo ex his modis vnio hypoſtatica erat corruptibilis.

Sed

Sed arguit Cardinalis de Lugo *diſputatione illa vigeſima prima, ſectione quarta, numero quadrageſimo ſeptimo*, non enim bene arguitur, vnionem iſtam eſſe inter alias maximam ex eo, quòd arctiùs, & inſeparabiliùs coniungat vtrumque extremum; ſiquidem alia multa ſunt, quæ inſeparabiliter vniuntur, qualia ſunt materia, & quantitas, item forma cœleſtis cum ſua materia, intellectus cum ſubſtantia Angeli. Confirmat item: nam licèt vnio Verbi cum anima Chriſti ſit indiſſolubilis, non tamen cum hac portione materiæ, quam ſæpè per continuam nutritionem acquirebat, & dimittebat.

75. Reſpondeo rationem & reſolutionem noſtram, non negare alia eſſe creata entia inter ſe connexa inſeparabiliter; imò illa admittere, & à fortiori, cùm plura præter vnionem iſtam experiamur minimè diſſitioni obnoxia; ſed aſſerere, vnionem iſtam omnia iſta excedere in firmiori inſeparabilitate, quia omnia excedit in acceſſu ad ſummum Dei eſſe, ex quo haurit maiorem immutabilitatem, tanquam proprietatem ad illud eſſe diuinum ſubſequutam; itaque omnia, quæ recenſuit Cardinalis de Lugo, ſunt immutabilia, & inſeparabilia; verùm vnio hypoſtatica habet maiorem quaſi radicalem inſeparabilitatem, ex maiori vicinitate ad immutabilitatem per eſſentiam: Ad illud autem confirmationis, Reſpondeo, quòd partes illæ materiæ, & formæ materialis, quæ media nutritione Chriſti humanitati adgenerabantur, protinus ac adgeneratæ & humanitati adiunctæ propriam ſubſiſtentiam amittebant, & Verbo vniebantur ſicut cæteræ partes præexiſtentes.

76. Argues cum aliis: non bene infertur, vnio hypoſtatica participat immutabilitatem Dei. Ergo poſtulat æternam inſeparabilitatem. Ergo ruit ratio aſſertionis. Antecedens patet, nam etiam viſio beata eſt participatio viſionis increatæ, & ex hoc non infertur, viſionem beatam petere æternam durationem; vnde ex ſuppoſitione ſolùm, quòd talis viſio Beatis vt felicitas ſumma perhibetur, quæ perpetuitatem deſiderat, aliàs aliquid de felicitate deficeret illi, fit, quòd eo ipſo, quòd illis detur ſub hoc prædicatu, inuoluit decretum decernens eius perpetuitatem. Confirmatur, nam ſi viſio beata ex ſe perpetuitatem, & æternam durationem exigeret, nullo modo poſſet alicui viatori concedi, & ſine violentia illam annihilare, quod eſt falſum.

77. Reſpondeo negans antecedens, quia falſum eſt dicere viſionem beatam eſſe in æternum duraturam ratione ſolius decreti decernentis eius perpetuitatem ex ſuppoſitione, quòd detur tamquam felicitas Beatis, nam eius perpetuitas eſt de conceptu eſſentiali illius, vt teſtatur Sanctiſſimus Doctor *prima ſecunda, quæſtione quinta, articulo quarto*, Vbi ait poſtquam retuliſſet beatitudinem non eſſe æternam; addit hæc: *Sed hoc manifeſtè apparet eſſe falſum dupliciter. Primò ex ipſa ratione beatitudinis, &c.* ,& poſtea, *Secundò id apparet, ſi conſideretur ratio beatitudinis in ſpeciali, &c.* Itaque ex prædicatis intrinſecis beatitudinis conuenit illi perpetuitas, quatenus eſt participatio perfectæ increatæ Dei viſionis, ob cuius perfectiorem acceſſum, & vicinitatem haurit ex illa æternitatem. Contra hoc directa fuit confirmatio: cui reſpondetur annotans, quòd licèt viſio ex ſe depoſtulet perpetuitatem, aliquis dabilis eſt caſus, in quo eam non depoſcat, videlicet ſi detur impedimentum in ſubiecto, cui talis viſio communicatur: & cùm in viatoribus, quibus communicaretur, inueniret obicem ad lucrandam ſuam perpetuitatem, ideo prout in illis eam non exigeret; impedimentum enim eſſet huiuſmodi, nempe concretio, & immerſio in corpore, quæ non compatiuntur cum æterna duratione viſionis petentis ex ſe abſtractionem ab omni mole corporea, & materiali.

Nec replicabis aptè ex viſione beata, quæ anima Chriſti fuit communicata, dum erat in corpore; & in æternum durauit. Non bene argues, nam viſio illa fuit medio miraculo Chriſto viatori præſtita, nunc autem diſſerimus de his, quæ viſioni competunt citra omnia miracula. Nec enim mirandum eſt, beatitudinem in Patria connaturaliter exigere æternitatem, & eam connaturaliter minimè exigere, in hypotheſi, qua communicetur in via; Etenim in hoc experimur in Phyſicis: Vbi calor petit in igne connaturaliter conſeruari, & ſimul petit connaturaliter minimè conſeruari in aqua; & hoc naſcitur ob impedimentum, quod inuenit ſuæ conſeruationis in aqua, cui communicatur. 78.

Argues vltimò: quodlibet ens omni cum æqualitate conſeruatur à Deo, quia quodlibet æqualiter dependet à Deo in eſſe, fieri, & conſeruari. Ergo nullum datur excedens aliud in exigentia ad durandum. Malè ergo dicimus vnionem hypoſtaticam exigere maiorem inſeparabilitatem, & indemnitatem in ſuo eſſe, quàm cætera alia entia. Reſpondeo, rationem noſtram non concludere de his, quæ rebus competunt, vt ſe tenent ex parte Dei; nam ex hac parte æqualiter omnia entia conſeruantur; at cum hoc ſtat, quòd ex parte entitatum, quæ in mundo inueniuntur, detur inæqualitas quoad exigentiam ad durandum. Vnde certum eſt, Angelum maiorem durationem exigere, quàm hominem; & in donis ſupernis id habemus, nam qualitas, quam probabiliter admittunt Thomiſtæ ad quamlibet operationem eliciendam, quamque prædeterminantem vocant, non habet exigentiam ad tantam durationem, quantam exigit gratia habitualiter, & alij habitus permanentes; nec exinde inferas, decrementum paſſurum Deum in poteſtate omnia entia deſtruendi; ſiquidem cum Dominium habet pleniſſimum in omnia, poterit pro arbitratu non annuere exigentiæ ad durandum, quam habet Angelus, & illum deſtruere. 79.

Quarta denique pars titulo correſpondens; nempe vnionem non eſſe omnium maximam in munere faciendi vnum extrema, quæ nectit, & antequam probetur, nota, vnitatem, & indiuiſionem conuertibiliter ſe habere; ratio, nam ſi attendamus ad vnitatis conceptum, experiemur, illam conſiſtere in receſſu diuiſionis in ſe, vel aliis Verbis, in acceſſu ad indiuiſ- 80.

diuiſionem in ſe. Quapropter ſicut impoſſibile eſt, aliquid inuenire, quod recedat à diuiſione ſui, & non accedat ad ſui indiuiſionem; ita impoſſibile eſt, quòd aliquid recedat à ſui diuiſione, & ad indiuiſionem ſui accedat, & quod in ſe vnum non ſit. Quare gradus cognoſcendi vnitatem ſunt maior, vel minor acceſſus ad indiuiſionem, & à diuiſione receſſus. Hoc notato, probationem claudet vnicus ſyllogiſmus. Illa eſt maior vnitas, & perfectior in ratione vnitatis, quæ maiorem indiuiſionem importat in his, quæ copulari dicuntur. Sed extrema, quæ hypoſtatica vnio nectit, non important ſummam indiuiſionem. Ergo vnio hæc in munere faciendi vnum extrema, quæ vnit, non eſt omnium maxima. Maiorem docuit notabile, minor probatur: nam extrema, quæ vnit, non eſt omnium maxima, Maiorem docuit notabile, minor probatur: nam extrema per hanc vnionem copulata, mediatè dicuntur copulari. At quæ copulantur immediatè important ſummam indiuiſionem. Probo minorem, quæ copulantur mediatè important pluralitatem, quæ verò immediatè, minorem pluralitatem. Sed pluralitas vnitati opponitur, & negatio illius magis ad indiuiſionem accedit. Ergo quæ immediatè vniuntur magis de indiuiſione participant. Probo maiorem, nam quæ mediatè vniuntur ad minimum numerum ternarium componunt, verbi gratia, humanitas vnita Verbo, complexum hoc tria inuoluit, nempe humanitatem, Verbum, tanquam duas entitates, quæ ſunt veræ res abſolutæ, & vnionem ab illis realiter diſtinctam. At quæ immediatè vniuntur, ſolùm numerum binarium conſtant, nempe complexum hoc, natura Angeli, & propria ſubſiſtentia, inuoluit naturam, & ſubſiſtentiam, & nihil amplius, ſiquidem ſubſiſtentia eſt virtualis vnio ſui cum natura. Ergo quæ mediatè vniuntur maiorem important pluralitatem vnitati oppoſitam, quàm quæ immediatè vniantur.

81. Argues primò: quò extrema copulata maiorem ſimplicitatem redolent, ſimpliciùs cauſant compoſitum. Sed Verbum diuinum, quod eſt vnum extremum copulatum, eſt prorſus ſimplicius. Ergo ſimplicius peragit compoſitum; atque adeo tale, vt ſit maximè vnum. Patet hoc: nam vnitas compoſiti ſumitur ex ſimplicitate extremorum illud componentium. Ergo tunc erit maximè vnum, quando extrema fuerint maximè ſimplicia.

82. Reſpondeo concedens maiorem, & nego conſequentiam, quoad illam partem, nempe maximè vnum. Rationem do: Quia vnitas compoſiti non eſt æſtimanda ex ſimplicitate partium, Sed ex maiori inclinatione earumdem, & coaptatione; ratio: nam quantò extrema in ſe viciſſim inclinant, maiorem proportionem inter ſe cuſtodiunt, & conſequenter magis ad compoſitionem, & vnionem ſe impellunt, cùm ob proportionem, quam habent inter ſe, magis ad indiuiſionem ſui accedunt, & recedunt à diuiſione ſui. Vnde negabit nemo, naturam Angeli, & ſuam ſubſiſtentiam propriam maiorem habere proportionem, quàm humanitas, & Verbum habeant? Nam quiſque videbit, illa priora omnino naturaliter, poſteriora verò obedientialiter ſolùm, & quaſi per non repugnantiam ex parte humanitatis, & ex parte diuinæ Perſonæ eminentialiter.

Argues ſecundò: Compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia creatis eſt magis vnum, quàm compoſitum ex materia, & forma. Ergo compoſitum ex humanitate, & Verbo debet eſſe magis Vnum, quàm compoſitum ex materia, & forma, ſiquidem illud æquiualet compoſito naturaliter ex natura, & ſubſiſtentia creatis conſtante. Ergo etiam debet excedere in vnitate compoſitum ex ſubſiſtentia propria, & natura creata. Probo conſequentiam, ideo compoſitum ex ſubſiſtentia propria, & creata natura excedit aliud ex materia & forma, quia componentia illius ſunt magis indiuiſa, & ſimpliciora. Sed per nos, componentia compoſitum noſtrum conſtant extremis magis de indiuiſione, & ſimplicitate participantibus, quàm compoſitum ex ſubſiſtentia propria & natura Angelica. Ergo falsò decreuimus vnionem hanc non excedere quamlibet aliam alterius compoſiti in munere faciendi vnum. 83.

Reſpondeo concedens antecedens, & conſequentiam. Et nego ſecundam. Ad probationem, nego maiorem; imò diximus totam rationem maioris vnitatis in compoſitis non eſſe deducendam ex maiori, vel minori ſimplicitate extremorum componentium, ſed ex immediatiori vnione, qua ſibi viciſſim copulantur. Vnde inter omnes vniones ſubſtantiales quoad munus vniendi eſt, quæ inuenitur inter naturam Angeli, verbi gratia, & ſubſiſtentiam propriam; quia iſta ſolùm immediatius copulantur, vt vidimus *numero octogeſimo*, vnde licèt vnio hypoſtatica æquiualeat vnioni, qua copularetur ſubſiſtentia propria cum humanitate, tamen nunquam erit potens, vt Verbum habeat tantam proportionatam propenſionem ad ſe vniendum cum humanitate, quanta ineſſet ſubſiſtentiæ propriæ, ſi eſſet poſſibilis, ad ſe vniendum humanitati, propter rationem allatam; quapropter vnio hypoſtatica eſt minor, in munere faciendi vnum, vnionibus nectentibus, tum materiam, & formam, tumque ſubſiſtentiam propriam cum ſua natura. 84.

Argues tertiò Sanctiſſimus Doctor hîc, *quæſtione ſecunda, articulo nono* docet: vnionem hypoſtaticam eſſe minimam ex parte eorum, quæ vniuntur; eſſe autem maximam ex parte eius, in quo vniuntur, nempe in ſuppoſito & Perſona. 85.

Reſpondeo, vtrumque Angelici Doctoris aſſertum non eſſe intelligendum de vna, & eadem entitate vnionis, ſed de diuerſis, taliter quòd dum dixit, vnionem hanc eſſe minimam ex parte eorum, quæ vniuntur, intelligendus eſt de natura diuina, & humana, tanquam de terminis vnibilibus per hanc vnionem, & cum iſta ſint adeo diuerſi ordinis, vt infinito interuallo inter ſe diſtent, fit, vnionem illorum in munere faciendi vnum eſſe minimam; ſiquidem quælibet vnio in dicto munere eò minor 86.

exiſti

exiſtimatur, quò ſua extrema maiorem diſtantiam habent. Itaque ea, quæ magis inter ſe diſtant, minùs poterunt habere de vnitate; quia illa ſic inter ſe diſtantia minùs participabunt de ratione perfectiui, & perfectibilis, quæ verò ſic ſe habent, non habent tantam coaptationem ad compoſitionem, quæ in vnione conſiſtit. Quando verò Sanctiſſimus Doctor dixit: vnionem hanc eſſe maximam, interpretandus eſt, non de vnione hypoſtatica, quæ eſt modus, ſed de ipſa diuina Perſonalitate quæ ſecundùm Sanctiſſimos Patres eſt vinculum commune, naturam diuinam cum humana nectens. Nam vt ſuprà vidimus, Sanctiſſimi Patres dixerunt vnionem hanc factam fuiſſe ſecundùm hypoſtaſim; & Angelicus Præceptor *in 3. diſtinctione 5. quæſt. 1. artic. 1. ad ſecundum*, vbi aſſeruit, vnionem iſtam eſſe maximam ratione eius in quo fit, quod nihil aliud eſt, quàm diuina hypoſtaſis: ait ergo: *Quæ eſt vnitas increata, & ſimpliciſſima, proinde maximè vna, quia continet quidquid pertinet ad rationem vnitatis.* Vnde Perſonalitas diuina, & poteſt intelligi tanquam terminus formalis vnionis, & poteſt accipi pro vinculo communi formaliter, in quo facta eſt vnio ambarum naturarum; Quando ergo aſſerit Angelicus Præceptor vnionem hanc eſſe maximam, loquutus eſt, de Perſonalitate diuina, in qua eſt facta, quatenus ſecundùm iſtud munus poteſt dici vinculum, & vnio. Quando verò dixit, eſſe minimam ex parte eorum, quæ vniuntur, interpretandus venit de ambabus naturis propter illarum infinitam diſtantiam.

86. Argues quartò, Intimiùs Verbum humanitati innectitur, quàm ei vniretur propria ſua ſubſiſtentia. Ergo quia eius vnio eſt maior iſta in munere faciendi vnum. Reſpondeo. Ly *intimiùs*, in antecedenti pati æquiuocationem: nam poteſt accipi pro perfectiùs, & ſic eſt verum, ſiquidem vnio hæc eſt ſupernaturalis, &c. Vel accipi valet pro immediatiùs, & magis naturale, & ſic falſum eſt ob rationes ſæpè allatas, potiſſimùm *numero octogeſimo*.

87. Sed replicabis: ſi ideo intimior & maior in ratione faciendi vnum eſt vnio propriæ ſubſiſtentiæ cum natura, quia immediatiùs, & magis propenſè inclinatur ad componendum, fieret, intimiorem eſſe vnionem, qua accidens copulatur ſubſtantiæ, quàm ſit vnio Verbi cum humanitate. Hoc eſt negandum. Ergo & noſtra doctrina. Probo ſequelam; nam accidens magis inclinatur ad componendum cum ſubſtantia, quàm inclinetur Verbum ad componendum cum humanitate. Ergo ſi quia propria ſubſiſtentia magis inclinatur ad componendum cum natura quàm Verbum cum humanitate, illorum vnio eſt maior iſta, vnio accidentis cum ſubſtantia ob eandem rationem etiam ſuperabit illam ob eandem rationem. Probo antecedens, nam accidens, & ſubſtantia inclinantur naturaliter ad componendum: humanitas verò obedientialiter, & eminentialiter Verbum. Ergo magis naturaliter illa, quàm iſta inclinantur ad componendum.

88. Reſpondeo maiorem eſſe veram ſi ſimul cum inclinatione ad componendum ponatur vnitas in linea, ad quam ſpectant propria ſubſiſtentia, & natura; Vnde nec propenſio ad componendum ſola, nec vnitas ſola in linea, ſufficit in extremis, vt ex illorum vnione magis vnum conſurgat compoſitum, ſed neceſſarium eſt vtrumque; vnde ob defectum prioris conditionis, Verbum, & humanitas non faciunt ita perfectum vnum, ac ſubſiſtentia propria cum natura. Ob defectum poſterioris, accidens, & ſubſtantia licèt propenſionem habeant, tamen quia ad diuerſas lineas, ſeu genera pertinent, non adeo apta ſunt, vt ita perfectum vnum fiat ex illis: Et quia in ſubſiſtentia propria, & natura duplex conditio hæc inuenitur, ideo earum vnio excedit alias in munere faciendi vnum.

DVBIVM IV.

Quotuplex ſit vnio hypoſtatica in Chriſto, & quo ordine producta.

SECTIO I.

Vnio hypoſtatica non eſt ſimplex in anima ſubiectata, duplex eſt, vna in anima, alia in corpore, non tamen datur tertia in humanitate recepta, ab ambabus diſtincta.

89. PArs prima tituli eſt contra Gabrielem *in tertium, diſtinctione prima, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, concluſione ſecunda, & articulo tertio* aſſerentem: vnam tantùm reperiri hypoſtaticam vnionem in anima Chriſti receptam, ratione cuius cætera, quæ in Chriſto inueniuntur, indicantur Verbo ſuppoſitaliter vnita. Sed breuiter probatur: imprimis videndus eſt Angelus Doctor hanc partem mirificè, vt ſolet, explicans *tertia parte, quæſtione quinquageſima, articulo tertio*, ratio eſt hæc: nam quidquid eſt capax terminandi ſubſiſtentiam propriam, eſt capax recipiendi vnionem ad ſubſiſtentiam alienam, quando propria ſuppletur, ſed nedum anima, ſed corpus eſt capax terminandi ſubſiſtentiam propriam: Ergo eſt capax recipiendi vnionem ad alienam, propriam ſupplentem. Maiorem docent termini. Minorem Metaphyſica: Nam ſicut cuilibet accidenti eſt proprium inhærere ſubiecto proprio, ita cuilibet ſubſtantiæ eſt proprium exiſtere per ſe, quod illi præſtat ſubſiſtentia propria: Confirmatur ab inconuenienti, nam ex contrario aſſerto fieret, Corpus Chriſti in triduo non fuiſſe Verbo vnitum, quod damnat fides docens: Dei Filium ſepultum fuiſſe. At ſi corpus Verbo vnitum non eſſet tunc, non poſſet verificari de Filio Dei ſepultum fuiſſe, ſiquidem ſepeliri verificari nequit de ipſa ſecunda Perſona, quæ eſt Filius Dei, niſi ratione vnionis, qua ſibi in-

nexuit corpus, cui ſepeliri eſt proprium. Ergo ſignum eſt, Verbum diuinum vera vnione recepta in corpore fuiſſe illi copulatum. Ergo in Chriſto non ſola fuit vnio recepta in anima.

90. Argues cum Gabriele: Quod incapax eſt imperfectioris doni, incapax maioris eſt. Sed corpus eſt incapax doni imperfectioris vnione hypoſtatica. Ergo & iſtius fuit incapax. Maiorem docent termini. Minor probatur. Ex dictis *ſectione antecedenti* conſtat, vnionem hypoſtaticam in ratione doni excedere omnia dona ſuperna, atque adeo & gratiam. Sed corpus eſt incapax recipiendi gratiam ſanctificantem. Ergo corpus eſt incapax doni imperfectioris vnione hypoſtatica. Minor patet, nam quod incapax eſt effectus formalis formæ, & huius eſt incapax. Sed effectus formalis gratiæ eſt reddere ſubiectum gratum, & potens vt eliciat actus ad vitam æternam conducentes, & huius effectus eſt corpus incapax. Ergo & incapax gratiæ.

91. Reſpondeo diſtinguens maiorem: quod incapax eſt minoris doni, incapax eſt perfectioris ſi ambo ſint eiuſdem lineæ, ita vt minus ſub maiore contineatur, concedo: Aliter nego maiorem, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Sicut non valet, Chriſtus incapax eſt filiationis adoptiuæ, quæ imperfectior eſt filiatione naturali. Ergo incapax eſt huius. Necnon Petrus eſt incapax intuitus, qui imperfectior eſt diſcurſu. Ergo huius eſt incapax. Non valet ob eamdem rationem.

92. Arguit ſecundò: Quod incapax eſt prædicati priùs exiſtentis, eſt incapax poſterioris. Sed corpus eſt incapax gratiæ, cuius exiſtentia præcedit exiſtentiam vnionis. Ergo huius etiam eſt incapax. Reſpondeo quidquid ſit de maiori, quæ etiam plures limitationes patitur, nego minorem; imò contrarium eſt verum, vt latè *tom. 2.* plures dabimus.

93. Tertia pars tituli eſt priùs probanda, quàm ſecunda, quippè lucem ex illa ebibens. Pars igitur tertia tituli eſt contra Cardinalem de Lugo *diſputatione duodecima, ſectione tertia, imò & quarta.* Sequuntur Vaſquez *diſputatione trigeſima nona, capite tertio.* Et Durandum *quæſtione ſecunda.* Palatium *hîc diſputatione tertia.* Et Scotum *in tertium, diſtinctione ſecunda, quæſtione ſecunda, §. Ideo quantum.* Ratio iſtius partis potiſſimùm habet vim contra Lugum, & alios admittentes ſubſiſtentiam eſſe modum ſubſtantialem, afficientem ſubſtantialiter ſubiectum, quod terminat. Nunc currit ad hominem ratio: implicat quòd modus vnicus omnino indiuiſibilis cum partibus compoſitum componentibus identificetur, & ideo in ſententia iſtorum repugnat, quòd humanitas ſubſiſtat vnica, & indiuiſibili ſubſiſtentia totali, ſed terminari debet ex ſubſiſtentia, compoſita ex duplici partiali, quarum vna ſit materiæ, & alia ſit propria formæ, ex quibus ſubſiſtentiis vna totalis coagmentetur. Atqui Verbum diuinum ſupplet ſubſiſtentiam propriam humanitatis. Ergo illam ſolum ſupplebit, quæ partibus fuerit propria; & non aliam ab illa diſtinctam. Maior tota eſt doctrina aduerſariorum. Minor eſt Catholica. Conſequentia patet, nam eam ſolum ſubſiſtentiam Verbum ſupplere dicitur, quæ humanitatem terminaret, ſi à Verbo dimitteretur. Sed ſubſiſtentia propria, qua humanitas terminaretur, caſu, quò à Verbo dimitteretur, eſſet identificata ſolùm cum ſubſiſtentiis partium humanitatem componentium. Ergo illam ſolùm ſubſiſtentiam ſupplet, quæ partibus fuiſſet propria, & non aliam ab ea diſtinctam. Maior eſt certa, nam ea ſubſiſtentia reſultaret in humanitate, caſu, quò à Verbo dimitteretur, quæ reſultaret, in illo caſu, quo priùs in inſtanti primo à Verbo non terminaretur, ſed ſubſiſtentia, quæ tunc reſultaret, eſſet identificata cum partibus componentibus. Ergo & quæ reſultaret, ſi dimitteretur. Ergo hîc & nunc ſolùm ſupplet ſubſiſtentias partiales partium humanitatem componentium. Confirmatur, nam in ſententia iſtorum, cum quibus decerto, non dantur in humanitate quauis niſi duæ exiſtentiæ partiales Partium, quæ integrant vnam & adæquatam exiſtentiam. Ergo ſimiliter defendere tenentur ſolas duas partiales ſubſiſtentias partibus proprias, vnam & totalem ſubſiſtentiam integrantes. Non datur diſparitas, quæ facilè nequeat impugnari, ſed quia res eſt aliena, omittitur.

94. Confirmatur fortiùs ratio præcedens. Pone integrale totum ex partibus homogeneis conſtans; & peto, an in tali compoſitio ſit vna tantùm ſubſiſtentia, totum compoſitum ſubſiſtens reddens, ita vt non dentur partiales ſubſiſtentiæ, quæ nedum totum, ſed etiam eius partes ſubſiſtentes conſtituant, tam vt ſunt in ipſo, quam dum ſunt extra ipſum exiſtentes: vel tales ſubſiſtentiæ partiales illis partibus correſpondentes dantur? Si primum dicitis, inferam, Ergo quoties duæ partes aquæ ſeiungerentur à toto, acquirerent nouas ſubſiſtentias deperdita priori, qua ſubſiſtebant in toto, à quo ſeparantur. Et rurſum ſi illæ partes aquæ diuiſæ coniungerentur, perderent illas ſubſiſtentias, quas habebant ſegregatæ, & terminarentur aliâ ſubſiſtentiâ de nouo acquiſitâ. Si iſtas illationes admittas, vt plures ex ſententiæ contrariæ authoribus audiui illas amplecti, inferam rem difficillimam ab illis admittendam fore, nempe. Ergo quando minima maris gutta ab ipſo mari ſeiungitur, totius maris ſubſiſtentia corrumpitur, media qua ſubſiſtebat, & item, quòd quando eadem gutta mari iterum infunditur, amittere deberent tam mare, quàm gutta ſubſiſtentias: quibus ſeparata terminabantur, nouam aliam acquirendo. Si ſecundum dicitis, date rationem, quare partibus homogeneis correſpondeant partiales ſubſiſtentiæ, quibus mediantibus tam dum ſunt in toto, quàm dum ſunt extra totum ſubſiſtere dicantur, & partes humanitatis illas non habeant.

95. Sed argues cum Authoribus citatis. Hæc eſt certa Verbum ſuppleuit perſonalitatem propriam in humanitate. Sed in humanitate ſola eſt ſubſiſtentia totius, ipſi humanitati, qua totum eſt, correſpondens. Ergo hypoſtatica vnio

ſolùm

ſolùm eſt vna ad humanitatem indiuiſibiliter terminata. Maior eſt ſecura. Minorem probant: nam partes humanitatis, quia partes, ſolùm ſubſiſtentiâ totius ſubſiſtunt. Ergo vnitæ dicuntur ad ſubſiſtendum ſolùm ratione humanitatis, quæ eſt totum.

96. Reſpondeo concedens maiorem, & diſtinguo minorem: ſed in humanitate ſola eſt ſubſiſtentia totius, ita vt detur intelligi alia ſubſiſtentia in toto, quæ cum ſubſiſtentiis partium identificata non ſit, eſt falſa, ita vt faciat ſenſum, quòd ſubſiſtentia totius identificata ſit cum ſubſiſtentiis partium, eſt vera minor, & ſub eadem diſtinctione eſt neganda, & concedenda conſequentia. Itaque aſſerimus, partes humanitatis verbo copulari, non ſolùm vt ſeparatæ à toto, ſed vt ſunt viciſſim & in illo coniunctæ. Quod tamen negamus eſt, ad iſtud verificandum non ſufficere vniones in partibus receptas; quia idipſum, quòd ſi non eſſent aſſumptæ, ſufficeret in illis ad ſubſiſtendum, nempe per ſubſiſtentias partiales, ſufficiet, vt quando ſunt aſſumptę dicantur ſubſiſtere. At in ſententia aliquorum aduerſantium, ipſæ partes non aliter ſubſiſterent naturaliter, niſi mediis ſubſiſtentiis partialibus. Ergo ſufficienter, dum ſunt aſſumptæ, ſubſiſtent per duas vniones ad diuinam ſubſiſtentiam.

97. Secunda pars tituli, nempe duplex eſt ſtatuenda ſolùm hypoſtatica vnio, vna in corpore; alia in anima recepta, probatur: nam vt legi in phyſicis, etiam ex mente ſanctiſſimi doctoris, duplici partiali ſubſiſtentia materia, & anima rationalis ſubſiſtunt; tametſi fatear familiariter cenſeri; contrarium eſſe magis Angelico Præceptori conſonum, quapropter ſolùm rem hanc probabiliter teneo. Sed in omnium ſententia verbum propriam ſubſiſtentiam in humanitate ſupplet. Ergo verbum humanitati vnitur, mediante duplici inadæquata vnione, vna cum rationali parte, altera cum corpore, ſupplendo partiales ſubſiſtentias illorum, quibus naturaliter ſubſiſterent.

98. Replicabis, ſubſiſtens diuinum, ſeu perſonalitas diuina, eſt completa in linea ſubſiſtendi. Ergo impropriè dicitur ſupplere diuinum verbum partiales humanitatis ſubſiſtentias. Probo conſequentiam, quia verbum non aliter ſubſiſtentiam ſupplet, quàm media ſua entitate infinita. At hæc partialis non eſt, ſed adæquata, & totalis. Ergo impropriè aſſeritur, ipſum ſupplere partiales ſubſiſtentias, à qua improprietate ſaluabitur, ſi dicamus, verbum ſupplere totalem ſubſiſtentiam, & indiuiſibilem humanitatis. Reſpondeo facilè: aliud eſt, ſupplere partialem ſubſiſtentiam, & aliud, eam partialiter ſupplere. Sicut aliud eſt, Deum ſupplere vices formæ intelligibilis, & aliud, ipſum eſſe formam ſtrictam. Primum compatitur cum hoc, quod eſt Deum eſſe ſubſiſtens completum, ſicut & quòd Deus ſit completum intelligibile: & in hoc ſenſu, & non in poſteriori aſſerimus, verbum ſupplere ſubſiſtentiam in humanitate.

Sectio II.

Priùs prioritate finis anima & corpus fuerunt vnita inter ſe, quàm verbo, prioritate verò executionis priùs verbo, quàm inter ſe fuerunt vnita.

Nota, hîc non agere de ordine vnionis ſecundùm realem durationem, nam fides monet, partes humanitatis & ipſam ſimul tempore, ſine aliqua illius reali ſucceſſione à diuino verbo fuiſſe aſſumptas atque adeo ſimul & in eodem inſtanti, in quo fuit producta in Mariæ ſanctiſſimæ vtero humanitas Chriſti, & in quo fuit anima creata, & carni vnita, quæ humanitatem conſtruebant, fuerunt verbo diuino copulata. Non me latet Origenem contrarium de anima diſſeruiſſe, teſte Nicephoro *lib.17. hiſt. cap.27.* aientem, animam Chriſti cum aliis hominum animabus in exitu mundi primò fuiſſe creatam, & exinde promeruiſſe vnionem hypoſtaticam. Nec non Caluinum ſequntum alios ſuæ farinæ tenentes, carnem Chriſti fuiſſe priùs tempore aſſumptam, quàm anima Chriſti vniretur, teſtatur errorem hunc Caluini Caniſius *lib.3. de beata Virgine, cap.21.* eſſe damnatum *in 6. ſynodo generali*, & à Franco fordienſi *in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.* Sed omiſſis his, aſſerimus tamen ordinem eſſe ſeruandum ſecundùm proprietatem naturæ, quem in titulo præfiximus. 99.

Verùm reſolutio illa deducitur ex ſanctiſſimo doctore. Prima pars illius *hic quæſt. 6. art. 5. ad 1.* vbi expreſsè fatetur, aſſumptionem partium eſſe priorem in executione, quamuis in intentione prior ſit aſſumptio totius. Secunda verò pars docetur ab ipſo *hic art.4. in corp. & ad 3.* vbi hæc: *vnione perſonali priùs ſecundùm intellectum oportet, quòd caro vniatur animæ, quam verbo. quia ex vnione ad animam, habet quòd ſit vnibilis verbo in perſona. Quid clarius?* 100.

Prima ergo pars probatur ratione ſanctiſſimi doctoris breuiter ſic reducta. Nam illud eſt in intentione prius, quod ab agente principaliter intenditur. Sed Deus, qui huius myſterij eſt author, principaliter intendit totam humanitatem vnire verbo. Ergo in intentione prior fuit intenta humanitas & conſequenter priùs in intentione fuit volita vnio animæ & corporis, in quo humanitas conſiſtit, quàm vnio talium partium cum verbo. 101.

Secunda reſolutionis pars erat, partes humanitatis in executione priùs fuerunt verbo vnitæ, quàm inter ſe, ratio breuis: nam illud ſignum naturæ ordine executionis menſurauit vnionem partium cum verbo, quod menſurat et vnionem illarum cum propria ſubſiſtentia. Siquidem verbum diuinum ineffabiliter ſupplens in humanitate propriam ſubſiſtentiam, cum connaturaliori modo, quem deſignare poteſt ſuſpicio noſtra, eam ſuppleuit, ipſam ſupplere fuit ratum cum eadem prioritate, & poſterioritate quàm in propria natura obtineret. Sed partes humanitatis in executione priùs 102.

natura vniteutur propriæ ſubſiſtentiæ, quàm iotet ſe. Ergo partes humanitatis priùs io executione fuerunt vnitæ verbo, quàm inter ſe. Cooſequentia bene ioferrur, minor probatur, nam actio, qua produceretur ſubſiſteotia propria, eſſet natura prior iu executione, quàm actio vnitiua partis cum alia. Ergo ſubſiſtenria propria eſſet prior io executione, quàm vnio ipſius partis cum alis. Autecedens probo: nam actio, qua produceretur ſubſiſtentia propria, eſſet actio creatiua; actio verò, qua voio cauſaretur, eſſet eductius. Ergo actio, qua produceretur ſubſiſtentia propria eſſet prior ea qua produceretur voio partis cum alia. Confirmatur hoc, & abſtrahamus à quæſtione, an ſubſiſteotia propria producatur actione creatiua (quod mihi veriſſimum eſt, cùm animæ & mareriæ primæ actio productiua ſit creario, ſubſiſtentia verò ſit complementum earum & aliunde eadem actio, quæ rem producit, ſimul complemeotum eius potiſſimè ſubſtantiale producere debeat) vel non, hæc tameo eſt certa ex dictis ſuprà *in hoc tractatu, dubio* 1. actio productina humanitatis non identificatur cum actione eius vnitina cum verbo. Ergo vel debet eſſe illa prior, poſterior, aut ſimul. Sed oon poſterior, vt fatetis, & bene, noo ſimul, quia vt ex ibidem dictis ex Angelico præceptore conſtat, haoc eſſe cauſalem veram, ideo res voitur alteri ex ſuppoſitione, quòd vniatur, quia producta eſt, & iuxta phraſim ſanctiſſimi doctoris, actio productina humanitatis eſt in execntione prior eiuſdem aſſumptione, quæ eſt actio eiuſdem voitiua cum verbo. At in illo ſigno, in quo res producitur, cauſatur eius ſubſtantiale complemeotum, quod eſt ſubſtantia. Ergo bene infertur, ſi actio humaoitatis & earum partiom eſt in executione prior actione vnitiua earumdem ioter ſe, quòd productio ſubſiſteotiæ illarum ſit prior vnione earumdem inter ſe. At eodem ordine ſuppleuit verbum ſobſtantiam propriam, quem iſta ſetuaſſet; ergo partes humanitatis priùs io executiooe fueruot vnitæ verbo, quam inter ſe.

103. Pondetatur hoc amplius, nam ex veritate iſtius partis ſeeutiorem admittuot interpretatiooem verba illa Epheſioi *p. t. in epiſt. Cyrilli Alexandri pag.* 155. videlicet: *ſacra virgo, deum carni ſecundùm hypoſtaſim vnitum corporaliter genuit: ob id illam quoque Deiparam appellamus.* Io his enim commendatur maternitas Dei in beatiſſima Maria. Sed ſi defendamus, partes humanitatis priùs io executione eſſe vnitas verbo, quàm inter ſe, aptiùs maternitas Dei in ſanctiſſima Virgine aperitur, quàm cootrario modo. Ergo noſtra pars eſt vera. Minor probatur; nam ſuppoſita veritate partis huius, iam generatio materna, quæ fuit voitiua corporis cum anima Chriſti, terminata fuit ad Deum, tanquam ad termioum intrinſecum ſuæ tendentiæ, ſiquidem in ooſtra opioiooe fuit vnitiua partium, quæ ſupponebantur pro priori verbo copulatæ; quapropter relatio materoitatis Mariæ ſanctiſſimæ cùm fundaretur in actione vnitiua, quæ pertingeret partes hypoſtaticè deificatas, iure optimo cenſeretur maternitas Dei; nam illud idem materialiter quod eſt actioois generatiuæ termious, eſt terminus relatiooîs, quæ in tali actione fundatur; ita vt vltra illud relatio neqoeat ſe extendere. At ſi vice verſa ſuſtioeamus, partes humanitatis priùs in executiooe eſſe voitas ioter ſe, quàm verbo, ægrè percipietur, Virginem ſanctiſſimam eſſe veram Matrem Dei, ſiquidem io opinione iſta, generatio mariana, quæ eſſeotialiter fuit vnitiua partium illarum Chriſti ioter ſe, nullo modo, ad minùs formaliter, diceretur terminari ad Deum, ſed ad ſolam humanitatem; ratio, nam eatenus diceretur ad Deum, quatenus partes illæ eſſeot hypoſtaticè cum Deo vnitæ: at io hoc dicendi modo partes illæ oondum erant voitæ Deo hypoſtaticè. Ergo actio virginis, qua ionexuit inter ſe illas partes, non terminabatur ad Deum. Itaque io iſto dicendi modo nulla ratiooe ſaluatur, actiooem iſtam vnitiuam ad Deum terminari. Ergo noo poterit fuodare io Maria ſanctiſſima relationem maternitatis Dei. Conſequentia eſt clara: nam cauſalis hæc eſt vera; ideo geoerans hoc per actionem vnitiuam partium A, & B, præcisè, non fundat relatiooem parentis reſpectu totius integrati ex partibus, C, & D, quia actio illa noo habuit pro termioo niſi, A, & B, in quibus, C, & D, noo ſtringebaotur. Ergo ſi actio illa vnitiua partium humanitatis, inter ſe, nullo modo Deum taoquam terminum ſuum reſpiciebat, oon poterat in Maria ſanctiſſima fundare relationem Matris Dei. Nunc antecedens patet, nam actio illa voitiua in virgioe, vel fuit vnitiua partium inter ſe, & cum verbo, vel ſolùm fuit voitiua pro illo priori partium inter ſe, & oullo modo cum verbo. Si hoc. Ergo nullo modo Deus erat termious illius actionis voitiuæ. Si primum. Ergo eadem actio vnitiua, qua Maria ſanctiſſima vniuit partes humanitatis ioter ſe, fuit etiam vnitiua earumdem cum verbo. Hoc autem dixit nemo. Ergo ſiſtendum eſt io parte noſtra, videlicet, partes humanitatis priùs in execntione eſſe vnitas verbo, quàm ioter ſe.

Argueaex ooſtra reſolutione ſequuntur abſurda vitanda. Ergo &c. ſequelam probo: 104.
nam ex illa ſequeretur, quòd pro aliquo priori verbum non ſit homo. Probatur: per nos in aliquo priori verbum aſſumpſit partes, in quo iſtæ vnitæ inter ſe ooo erant. Ergo pro illo ſigno aſſumptionis partium verbum noo erat homo. Cooſequentia eſt clara. Siquidem io ſigno, in quo oon eſt aſſumpta humanitas, non datur homo. Sed in illo priori non fuit aſſumpta humanitas. Ergo in illo priori noo erat verbum homo. Probo minorem, nam humanitas oon eſt, in ſigoo illo, in quo partes eius oon ſunt vnitæ inter ſe. Sed per nos in illo priori non erant partes humaoitatis inter ſe voitæ. Ergo io illo priori oon dabatur humanitas, vt eſſet verbum homo in illo priori. Hæc certa ſuot. Tuoc ſic. Ergo nec in alio ſigoo verbum eſt homo. Probo cooſequentiam; non alio modo Deus eſt homo in vlterioribus ſignis poſt aſſumptionem io primo ſigno factam, quàm in illo primo ſigoo dicebatur Deus homo. Sed pro primo aſſumptionis ſigno oō dicebatur Deus homo. Ergo in nullo.

Reſpoo

105. Reſpondeo negans ſequelam. Ad probationem concedo totum entimema primum. Et nego conſequentiam ſubiunctam. Ad probationem diſtinguo antecedens: non alio modo dicitur Deus homo poſt primam aſſumptionem, quàm antea in inſtanti aſſumptionis, quantùm ad ea, quæ ſe tenent ex parte Dei aſſumentis, concedo, quantùm ad ea, quæ dicit in obliquo, nego, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque Deus in illo primo ſigno, quo partes inuotas inter ſe aſſumpſit, non dicebatur homo, quia vt bene arguens, in illo ſigno non dabatur humanitas. At in cæteris poſt ſignum illud dabatur humanitas, quia in poſteriori ſigno naturæ data fuit actio vnitiua Matris, qua partes inter ſe inneauit, in quo conſiſtit humanitas, & ideo in reliquis ſignis dicebatur Deus homo, non quia ex parte Dei mutatio aliqua daretur, ſed ea ſola mutatione, & noua productione vnionis nectentis partes illas, quas in primo ſigno aſſumpſerat. Quod patet in exemplo valde familiari, etenim Deus in triduo homo non erat, & erat homo poſt reſurrectionem, & hoc ſine ſui mutatione, ſed eo ſolùm, quòd deſiuit eſſe vnio inter partes, ceſſauit Deus eſſe homo in triduo; at quia in reſurrectione reunitæ fuerunt, iterum Deus fuit verus homo.

106. Sed replicabis. Per nos in illo primo ſigno Deus non erat homo. Ergo nunquam diceretur homo, quamuis addatur vnio partium inter ſe. Probo conſequentiam. Ponamus, quòd in illo ſigno aſſignato, in quo verbum aſſumpſit partes inunitas, res aliter componeretur, nempe, quòd filius animam ſolùm aſſumeret, & pater ſolùm corpus, in hoc caſu neuter diceretur homo. Ergo neque in noſtro Deus diceretur homo. Probo conſequentiam, ideo in illo caſu neuter homo diceretur, quia neuter humanitatem aſſumeret. Sed in noſtro caſu Filius humanitatem non aſſumpſit. Ergo nec in noſtro caſu Filius non diceretur homo.

107. Reſpondeo concedens antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem admitto caſum, & diſtinguo minorem, in illo caſu neuter diceretur homo, ſi partes illæ in nullo ſigno vniantur inter ſe, concedo: ſi in primo non vniantur, bene tamen in ſecundo non diceretur homo, iterum diſtinguo, non eſſet homo in ſigno in vnionis partium, concedo, in ſigno vnionis illarum, nego. Vnde nec obſtat, ſolam vnam partem immediatè ab vna perſona ſolùm eſſe aſſumptam, quia cum hoc ſtat, alteram mediatè illi vniri in illo ſigno, in quo ambæ partes vniantur inter ſe: nam hoc ipſo, quòd vnum extremum, A, vnitum cum alio, alteri tertio copuletur, dicitur hoc mediatè illi tertio vniri: atque adeo licèt vna pars humanitatis immediatè ab vna perſona aſſumeretur, diceretur homo in caſu, quo poſtmodum cum illa parte vniatur altera, quæ deficiebat, quia licèt mediatà hæc aſſumpta ab vna perſona diceretur, tamen vt ſupponimus eſſet illa immediatè vnita alteri, in quibus conſiſtit humanitas, qua poſita conſurgeret vnaquæque homo.

108. Sed replicabis, eo ipſo, quòd vnaquæque perſona vnam partem humanitatis aſſumeret, ſufficeret, vt nulla illarum homo diceretur. Ergo erit ſolutio. Probo antecedens. Ponamus, ſicut de facto euenit, quòd ſolus Filius humanitatem ſibi vniuerit, cæteræ perſonæ non dicuntur, humanitatem aſſumere. Ergo ex eo præcisè, quòd Filius vnam partem, nempe animam, & Pater aliam, nempe corpus, tantùm aſſumerent, in tali caſu neuter diceretur humanitatem aſſumere. Antecedens fides docet, conſequentiam paritas, imo ſi aliqua differentia deſignari poſſit, ex illa maiorem vim acquireret inſtantia: etenim ſi aliqua diſparitas eſſet, quare in caſu aſſumptionis vnius tantùm partis ab vna perſona, hæc diceretur aſſumens humanitatem, maximè, quia illa pars, nempe anima aſſumpta pro alio, vel pro eodem ſigno vnitur alteri parti, & ſic conflatur humanitas. Sed verbum hic & nunc humanitatem aſſumens eſt pro omni ſigno ratione naturæ diuinæ idem cum Patre. Ergo ſi hæc vnio per identitatem, quam habet ratione eſſentiæ Filius cum Patre, non ſufficit hic & nunc, vt Pater dicatur humanitatem aſſumere, quamuis filius hîc & nunc illam aſſumpſerit, ita nec corpus eſſe vnitum animæ pro poſteriori ſigno ſufficiet, vt patet aſſumens illud ſolùm in primo, & Filius ſolam animam, dicantur ambo humanitatem aſſumere.

Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens, neuter diceretur humanitatem aſſumens ſuppoſita vnione vnius partis cum alia, nego, illa non ſuppoſita, concedo conſequentiam. Ad probationem huius, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſed Pater ratione identitatis in eſſentia eſt idem cum Filio pro omni ſigno, ita vt aliquis eorum ſpectet ad conſtitutionem alterius, nego, non ſpectans ad alterius conſtitutionem, concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque quando admiſimus, quòd in caſu aſſumptionis vnius partis humanitatis ab vna perſona, & alterius ab altera, ambæ dicerentur aſſumpſiſſe humanitatem, ſupponebamus, quòd corpori à Patre aſſumpto accederet pro alio, vel pro eodem ſigno vnio, qua illi vniretur anima, & contra, data aſſumptione iſtius ab alia perſona, quòd poſtmodum illi adderetur vnio annectens eam cum corpore: ſicque de qualibet perſona verificaretur aſſumpſiſſe hominem, quamuis eius aſſumptio immediata ſolùm eſſet ad vnam partem humanitatis; ratio eſt, quia vt ſupponimus ſunt illæ partes vnitæ inter ſe, & cùm vnitæ faciant vnum compoſitum, nempe hominem; iam de qualibet perſona verificaretur hominem aſſumpſiſſe, ſiquidem quidquid verificatur de vna parte alteri copulata, verificatur de toto, nam hoc ab illis non differt quod adeo verum eſt, vt id manifeſtè experiamur, nam licèt anima ſit principium ſolùm radicale intelligendi, tamen totus homo denominatur intelligens, quia videlicet, hoc quod eſt intelligere, dicitur de anima vnita corpori. Contrarium inuenio in perſonis, nam cum hæ ſint inter ſe realiter diſtinctæ, & quamuis in vna eſſentia identificatæ, nulla intret in conſtitutionem alterius, hinc fit, quòd non dicatur vni illarum attributum, quod alteri conceditur, quod eſt in cauſa, vt hîc & nunc aſſumente 109.

Filio

filio humanitatem, nullo modo dicatur Pater humanitatem aſſumere, quamuis aſſumentibus Patre ſolam animam, & filio ſolum corpus, de quolibet verificetur aſſumere humanitatem totam, ſi in illomet ſigno aſſumptionis ponatur vnio cum altera parte, quæ immediatè non aſſumitur.

110. Sed nota, vt in omnibus noſtra doctrina principiis ſanctiſſimi doctoris, ita cohæreat, vt nec in apice ab illis diſſidere præſumat. Partem iſtam ſecundam duo membra habere. Primum, nempe animam aſſumptam priùs in executione eſſe à verbo, quàm ipſam humanitatem. Secundum, corpus etiam eſſe ſic à verbo aſſumptum antecedenter ad humanitatem. Fateor membrum primum eſſe valde commune inter diſcipulos ſanctiſſimi doctoris contra Scotum *in 3. diſtinct. 2. quæſt. 2.* Paludanum *ibidem* & Vaſquez *hic diſput. 30* & Cippullo *quæſt. 6. art. 5. dub. 3. §. 1. num. 2.* admittentibus, ordine executionis animam rationalem priùs natura fuiſſe aſſumptam, *vt quod*, quàm ipſam humanitatem, non verò corpus, quod ſolum dicitur ſubſiſtere priùs compoſito, *vt quo*. Fateor, rem hanc eſſe principiis Thomiſticis affiniorem, verùm nec diffiteor, partem noſtram illis affinem eſſe, nam ſi in aliquo deuiare videtur, eſt in ſupponenda propria exiſtentia, & ſubſiſtentia partiali corporis, diſtincta à ſubſiſtentia animæ, & totius; at hoc nec ita abſonum à ſanctiſſimo Thoma, vt ipſum non inutiliter *in phyſic. lib. 1.* pro illa ſtatuenda in ſuffragium vocauerim. Præterea, quia in defenſionem huius partis potiùs quàm alterius non ita ſum addictus, vt ab ea libenter non diſcederem, ſi ſolutionem efficacem argumento illi pro maternitate Dei Mariæ ſanctiſſimæ commendanda *num. 105. citato* præ manibus haberem. Sed adeo me impellit defenſio doctrinæ Thomiſticæ, vt exiſtimem illam eſſe ſecuriorem, quapropter pars iſta à nobis hucuſque data, ſuſtinenda eſt iuxta placitum Thomiſtis familiare, atque adeo defendimus: in executione animam priùs *vt quod* fuiſſe verbo vnitam, quàm humanitatem, corpus verò, non *vt quod*, ſed *vt quo*, quatenus eſt totius humanitatis cauſa. Argumenta, quæ in partem iſtam ſolent fieri, quia leuia, & quia in authoribus citatis ſcripta, omitto.

SECTIO III.

Præter aſſumptionem partium, datur immediata vnio aſſumptiua naturalis vnionis partium in hypotheſi, quòd tali vnioni correſpondeat naturaliter ſubſiſtentia propria.

111. Concluſio noſtra defenditur hypotheticè, nempe, quòd in caſu, quo vnioni naturali nectenti animam cum materia correſpondeat ſpecialis ſubſiſtentia, diſtincta ab ea, qua partes ſimul vnitæ ſubſiſtunt, vt plures Recentes defendunt, dabiles eſſe tres vniones hypoſtaticas partiales, quarum vna rationalem animam, alia materiam primam, & alia vnionem ipſas copulantem, vniat verbo diuino. Eſt contra Hurtadum Puente *diſput. 2. phyſic. ſect. 7. ſubſect. 2. num. 115.* & contra Raguſam *diſput. 66.* non tamen eſſe contra illos qui abſolutè hanc tertiam vnionem hypoſtaticam denegant, ſi ex alia parte, vnioni naturali nectenti materiam, & formam negant propriam ſubſiſtentiam, diſtinctam à ſubſiſtentia partium vnitarum, ſeu totius, vt fert opinio, quam ſequor, diſcipulorum ſanctiſſimi Thomæ; tametſi crediderim etiam, ſecluſa hypotheſi, partem hanc eſſe valde ſcholæ Thomiſticæ conſonam, cùm reperiam Capreolum negantem vnioni prædictæ ſubſiſtentiam propriam, & affirmantem, illam eſſe immediatè vnitam verbo diuino, ita docet *in 2. diſt. 15. quæſt. 1. art. 3.*

Ratio igitur partis eſt hæc: in hypotheſi noſtra vnio ſubſtantialis hominis puri ſubſiſtit ſubſiſtentiâ ſibi propriâ à totius ſubſiſtentia diſtincta inadæquatè. Ergo in homine Deo debet ſubſiſtere ſubſiſtentiâ verbi. Conſequentiam probo, quia verbi ſubſiſtentia ſuppleuit omnia, quæ præſtaret ſubſiſtentia propria; atque adeo cuncta immediatè ſuppoſitare debuit, quæ ſi ab illo relinquerentur, terminarentur immediatè ſubſiſtentia naturali propria. At in hypotheſi noſtra, vnio naturalis nectens materiam, & formam, propriâ ſubſiſtentiâ immediatè terminaretur. Ergo à verbo fuit immediatè terminata. 112.

Confirmatur: hæc eſt vera, verbum aſſumpſit immediatè completam humanitatem in ratione humanitatis completæ, ſaltem pro ſigno ſecundo ad aſſumptionem partium ſeorſim ſumptarum. Ergo immediatè aſſumpſit, ſaltem pro hoc ſigno poſteriori vnionem iſtam naturalem. Antecedens eſt ſecuriſſimum dogma. Nam propoſitio hæc, Deus homo factus eſt, non eſſet vera, niſi verbum aſſumeret totam humanitatem in aliquo ſigno, cùm ſine humanitate completa homo non detur. Conſequentia patet: nam vnio naturalis, vt nectens partes humanitatis, conſtituit eſſentialiter integram humanitatem vt completam. Ergo ſi immediatè totam humanitatem completam ſibi verbum vniuit, etiam immediatè ipſam vnionem naturalem ſibi copulauit. Antecedens explico ex aſſertis communiter admiſſis ſectione antecedenti. Ibi diximus, duo eſſe dabilia ſigna naturæ adhuc in ordine executionis. Primum, in quo partes, corpus, & anima, vel vt alij aſſerunt, anima ſolùm ſint vnita verbo. Secundum, in quo ſit, vel intelligatur humanitas tota verbo coniungi. Hoc ſuppoſito, vel vnio naturalis partium conſtituit eſſentialiter humanitatem completam in eſſe humanitatis. Vel ſine illa intelligitur humanitas completa intellectis præcisè partibus inter ſe non vnitis? ſi dicis hoc; ergo in primo illo ſigno naturæ, erit vnita humanitas completa verbo, cum in illo per te ſint partes inunitæ inter ſe, & vnitæ verbo, quod eſt contra te, vt vidimus; ſi dicas primum. Ergo vnio naturalis partes inter ſe nectens ingreditur conſtitutiuum humanitatis integræ & completæ, vt integræ & completæ. 113.

Quid

Quid enim mihi eſſentialius eo, ſine quo nec intelligi valeo? ecce antecedens illud expoſitum. Conſequentiam nunc probo: immediata aſſumptio conſtituti debet eſſe immediata aſſumptio conſtituentis, imo hæc infert illam à priori. Ergo ſi vnio eſt eſſentiale conſtitutiuum humanitatis integræ, & hæc in poſteriori ſigno executionis immediatè aſſumitur, à fortiori eſt in eodem ſigno aſſumenda à verbo naturalis vnio, quæ eſt conſtitutiuum humanitatis integræ, vt integræ. Pondero hoc: ſi verbum in illo ſigno primo non ſibi copularet animam, aut corpus, non diceretur verbum in illo ſigno aſſumpſiſſe aliquam partem ſubſtantialem humanitatis. Ergo ſi in ſecundo ſigno non ſibi immediatè copularet vnionem, non diceretur in illo humanitatem integram aſſumere. Probo conſequentiã æquè in intelligibilia ſunt concipere verbum aſſumens pro ſigno primo aliquam partem ſubſtantialem, ſemel negata illi pro illo ſigno aſſumptione alicuius partis animæ ſcilicet, vel corporis, ac concipere verbum aſſumens humanitatem integram immediatè in ſigno poſteriori, ſemel negata illi in ipſo ſigno aſſumptione immediata vnionis naturalis illas partes nectentis. Ergo vt ſaluetur, verbum in aliquo ſigno immediatè aſſumpſiſſe integram humanitatem, debet concedi illi, quòd immediatè talem vnionem aſſumpſerit.

114. Reſpondebis fatendo, in primo ſigno, verbum humanitatem integram non aſſumpſiſſe, ſed ſolùm partes, bene tamen in ſecundo ſigno, ad quod non deſideratur, quòd in poſteriori vnionem partes illas nectentem ſibi immediatè vniat, ſufficit tamen ad vtrumque, nempe quod in primo ſigno humanitatem non aſſumpſerit, quòd inter illas partes non reperiatur vnio, vt autem verificetur, quòd in ſecundo ſigno humanitatem integram aſſumpſerit, ſat fuit, quòd in tali ſigno appoſita ſit vnio naturalis inter partes in primo ſigno aſſumptas. Sicut diximus *num.* 105. ſicut in triduo, quia talis vnio inter partes non aderat, tunc humanitas, nec Deus erat homo, poſitâ tamen illâ in reſurrectione vtrumque tunc reperiatur.

115. Sed replicabis eadem vi obiectionis, quam in argumento poſuimus. Nam vel verbum vnit immediatè in ſigno poſteriori humanitati, vt humanitas eſt, addit aliquid ſupra hoc, quod eſt illud in primo ſigno ſe vniuiſſe partibus, vel non? Hoc eſt falſiſſimum, & contra diſtinctionem ſignorum, in quorum vno aſſeritur verbum priùs aſſumpſiſſe animam, & in alio humanitatem. Ergo debes dicere, quòd in ſecundo ſigno additur aliquid cui vniatur verbum, cuique in ſigno priori vnitum non erat. At hoc nihil aliud fingi poteſt præter vnionem naturalem in ſigno poſteriori poſitam inter partes. Ergo in ſecundo ſigno verbum immediatè ſe vniuit vnioni naturali partium, diſtincta hypoſtatica vnione ab vnione partium in primo ſigno inuenta.

116. Confirmari poteſt, certum eſt, quòd licèt anima, & corpus ſimul coexiſtant in eodem loco, ſi tamen inter illa non adfuerit vnio illa nectens, non dari humanitatem in rerum natura. Sed æquè certum eſt, verbum humanitatem immediatè ſibi vniuiſſe. Ergo & certum debet eſſe, verbum immediatè ſibi vniuiſſe naturalem vnionem, humanitatem in eſſe humanitatis conſtituentem.

Argues primò cum Hurtado. Præciſa vnione iſta tertia, quod ſubſiſtit, habet omnimodam vnionem. Ad quid ergo hæc tertia vnio? Antecedens probat: etenim ex parte naturæ poſita vnione naturali inter partes, vna reſultat natura. Ex parte verò diuinæ ſubſiſtentiæ, vnica tantùm formaliter. Ergo negata illa tertia vnione hypoſtatica id, quod ſubſiſtit, habet omnimodam vnitatem. Reſpondeo iuxta aſſerta: caſu, quo negetur tertia illa vnio non adeſſe perfectè vnum ſubſiſtens, quod patet ex paritate ſæpe allata; ſiquidem ſi non ponatur vnio naturalis partes nectens, non reſultat vna natura in ſententia arguentis. Ergo ſimiliter ſi non ponatur hypoſtatica vnio immediatè vniens verbo illam naturalem vnionem, non dabitur natura perfectè vna immediatè aſſumpta à verbo, vt millies oſtendimus. 117.

Argues ſecundò in replicam ſolutionis, & rationis vltimæ pro reſolutione: ſi aliqua eſſet ratio conuincens, vnionem naturalem partium debere immediatè terminari à ſubſiſtentia verbi, ea eſſet, ſcilicet, quia talis naturalis vnio eſt conſtitutiuum humanitatis, vt humanitatis. At hæc ratio id non conuincit. Ergo. Probo minorem, nam ſi conuinceret id, haberet vim ſuadendi vnionem etiam hypoſtaticam debere à verbo aſſumi, & per illud terminari. Hoc conceſſit nemo. Ergo nec primum conuincitur. Probo ſequelam, quia vnio hypoſtatica etiam intrat conſtitutiuum hominis Chriſti, quia ſicut ſine vnione naturali partes nectente nequit intelligi humanitas integra, & ideo illam huius conſtitutiuum prædicauimus, ita ſine vnione hypoſtatica nequit intelligi Chriſtus, ob quam cauſam illam Chriſti conſtitutiuum prædicare tenebimur. Ergo eadem ratio conuincens, vnionem partium naturalem debere immediatè ſubſiſtere per verbum; conuincit etiam idem de hypoſtatica vnione. 118.

Reſpondeo concedens maiorem, & negans minorem; ad probationem, nego ſequelam. Ad probationem, diſtinguo antecedens, etiam hypoſtatica vnio eſt conſtitutiuum Chriſti, & tenens ſe ex parte naturæ humanæ illam eſſentialiter integrans, nego. eſt conſtitutiuum Chriſti ſupponens humanitatem integrè conſtitutam, concedo, & nego conſequentiam, diſparitas eſt, nam licèt ambæ vniones deſiderentur ad conſtitutionem alicuius compoſiti ex illis reſultantis, tamen naturalis vnio partium ita conſtituit humanitatem, vt eam non ſupponat, quapropter ſi aſſumitur humanitas in eſſe talis, etiam vnio illam conſtituens debet aſſumi immediatè; at hypoſtatica vnio etſi de eſſentia ſit huius compoſiti Chriſti, non tamen humanitatis, ergo optimè ſaluari poterit, quòd humanitas immediatè terminetur à verbo, & quòd hypoſtatica vnio ab illo non terminetur, ſiquidem in illud terminandum quaſi propendet verbum, quod aliquo modo ſe 119.

tenet

tenet ex parte humanitatis illam aliqua ratione componens; potiſſimùm cùm ad vnum negandum, & aliud confitendum habeamus fundamentum in locutione ſanctiſſimorum Patrum & CC. vno ore confitentium, verbum aſſumpſiſſe humanitatem, quibus innuitur aſſumptio vnionis naturalis, nectentis partes, & humanitatem componentis. At verbum aliquod non datur, cui innixi poſſimus cum rationabili fundamento idipſum aſſeuerare de hypoſtatica vnione, vt percurrenti loca conſtabit. Vnde talis hypoſtatica vnio ſeipſa ſubſiſtet, ea ſcilicet ratione, qua extra tale compoſitum, cui datur, nequit exiſtere.

120. Sed iterum replicabis. nam tota diſparitas conſiſtit in hoc, quòd humanitas nequit intelligi ſine vnione partium inter ſe, quapropter ſi illa aſſumitur, hæc etiam debet aſſumi. Sed hæc diſparitas non ſubſiſtet ergo &c. Probo minorem, poteſt intelligi tota humanitas vnita verbo ex ſola vnione illarum cum illo, ſine tali vnione partium inter ſe. Ergo diſparitas illa eſt nulla. Probo antecedens: nam ex ſolis productionibus partium, ſemota omni vnione inter prædictas productiones, appellatur aliquod totum productum: verbi gratia actio creatiua materiæ primæ, & eductiua formæ equi, nulla vnione inter ſe vniuntur, & tamen totum, quod eſt equus, ſimpliciter appellatur productum. Ergo ſimiliter poteſt intelligi tota humanitas verbo diuino in primo ſigno vnita, quamuis partes illius in illo ſigno non intelligantur, nec ſint inter ſe vnitæ. Ergo vt humanitatis vnio immediata cum verbo ſaluetur, neceſſe non eſt, niſi quòd partes eius intelligantur verbo vnitæ, quamuis in illo primo ſigno non detur vnio illa nectens inter ſe illas partes verbo copulata.

121. Reſpondeo concedens maiorem, & negans minorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem, concedo antecedens, & eius explicationem, & nego conſequentiam. Diſparitas facilis eſt, nam eſt diſcrimen inter denominationes iſtas, compoſitum productum, & humanitatem vnitam, quòd illa petit prouenire, verbi gratia in equo, à formis taliter innitis, vt repugnet eius vnitio, ſiquidem cùm formæ illæ ſint actiones inter ſe incapaces, vt ex illis vna conſurgat actio, ſiquidem vna eſt creatio, & alia eductio, exinde fit, quòd vt equus denominetur productus, non egeat, quòd actiones illæ, à quibus in illo accreſcit denominatio producti, aliqua vnione nectantur inter ſe, imo negationem talis vnionis efflagitat; At denominatio humanitatis eſſentialiter petit vnionem partium inter ſe, ſiquidem talis denominatio aliunde nequit prouenire, vt non ſemel oſtendimus, & conſequenter denominatio humanitatis vnitæ verbo in poſteriori ſigno, neceſſariò inuoluit vnionem verbi, immediatè terminatam ad vnionem partium inter ſe.

122. Argues ſecundò: quod eſt incapax naturalis ſubſiſtentiæ non terminatur immediatè à verbo; ſed vnio naturalis nectens partes inter ſe eſt incapax ſubſiſtentiæ naturalis. Ergo immediatè non fuit aſſumpta à verbo, minor probatur primò, quia aliàs in infinitum abiremus: etenim ſi vnio habet ſubſiſtentiam propriam. Ergo eam habebit actio talis vnionis eductiua, ſiquidem actio vnitiua ſubſtantialis eſt, non minùs ac vnio. Ergo habet ſubſiſtentiam per aliam actionem cauſatam; at hæc habet ſubſiſtentiam productam ab alia actione, & deinceps hæc per aliam ſine termino. Ergo &c. Secundò probatur eadem minor: nam apud omnes vt vidimus *tract.* 1. ſubſiſtentia eſt naturæ complementum. Sed apud omnes vnio non eſt natura. Ergo non habet ſubſiſtentiam propriam. Reſpondeo concedens maiorem negans minorem. Ad primam probationem aſſero, non ſequi ex noſtra ſententia proceſſum in infinitum, ſiquidem actioni termini productiuæ non conuenit ſubſiſtentia ſpecialis, quia ſolùm in humano compoſito capax eſt ſubſiſtentiæ, quod intrat in conſtitutionem intrinſecam illius, at actio productiua vnionis id non habet, potiſſimùm in ſententia affirmâte actionem in agente ſubiectari, & in omni opinione conſtituere compoſitum repugnat actioni vnitiuæ; ſiquidem poteſt eſſe compoſitum idem in ſpecie, etiamſi varientur in ſpecie illius productiuæ; in ea enim opinione tenente vnionem creari poſſe, poterit conſiſtere hæc eadem vnio in ſpecie, tametſi actione creatiua in compoſito produceretur.

Colliges ex dictis Suarez ſententiam eſſe valde diſtinctam à noſtra, ipſe enim *hic diſput.* 7. *ſect.* 5. *§. Reſpondeo difficultatem hanc procedere* aſſerit, præter hypoſtaticas vniones partium, neceſſariam eſſe aliam vnionem, cuius virtute dicatur tota humanitas vnita verbo: ſed addit, eam vnionem non terminari per ſe ad verbum, ſed ſolùm eſſe nexum, & vinculum vnionum hypoſtaticarum materiæ, & formæ, vt tota humanitas vnita aſſeratur. Hæc inquam ſententia, tametſi tertiam vnionem ponat diſtinctam ab vnionibus partium immediatè à verbo aſſumptarum; tamen ſola voce illa vnio hypoſtatica indicanda eſt, ſiquidem in ſententia Suarij, genium illius vnionis eſt nectere alias duas vniones, quin ipſa attingat Deum; at aliæ duæ vniones partium ideo hypoſtaticæ appellantur, quia eſſentialiter immediatè reſpiciunt verbum diuinum, tanquam illarum intrinſecum terminum. Ergo iſtæ ſolùm, & non illa ſunt dicendæ hypoſtaticæ. Nos verò ponimus aliam vnionem partialem hypoſtaticam, qua vniatur verbo naturalis vnio nectens partes inter ſe; atque adeo ſicut vnio nectens animam cum verbo, hoc habet pro termino ſui intrinſeco, & ideo hypoſtatica eſt; ita vnio noſtra, quæ nectit cum verbo naturalem vnionem partium inter ſe, tangit verbum, tanquam ſui intrinſecum terminum, & hac ratione cenſenda eſt ſtrictè hypoſtatica, diſtincta ergo eſt ſententia Suarij à noſtra. 123.

Colliges rurſum: fundamentum Suarij, vt aſtruat neceſſitatem prædictæ ſupernaturalis vnionis nectentis alias duas hypoſtaticas partium, non eſt efficax. Aiebat enim, vniones hypoſtaticæ, quarum vna copulabat verbo materiam, & alia eidem verbo animam, conſeruari poſſunt, & de facto conſeruatæ fuerunt ſeparatæ in triduo mortis Chriſti. Ergo vt intelligantur vnitæ, egent alia intermedia vnione; 124.

oe; facilè quiſquè declinabit vim, etenim vt poſt triduum tales vniones intelligantur vnitæ, non eſt neceſſaria tertia alia vnio hæc: ſiquidem poſita vnione partium in inſtanti reſurrectionis, cùm neceſſe ſit, partes ipſas inter ſe vniri, ſit, conſequenter vniri debere inter ſe vniones illas hypoſtaticas, in talibus partibus intrinſecè receptas, nam eo ipſo, quòd prædicatum aliquod, ſit receptum in ſubiecto, A, eo ipſo, quòd ſubiectum vniatur alteri habenti aliud prædicatum, ipſa prædicata dicentur etiam vniri ſaltem mediatè.

125. Colliges item ſolutionem omiſſam ſecundæ probationis illius minoris *num.* 122. Reſpondeo concedens præmiſſas, & nego conſequentiam; tametſi concederem eam, quæ ex præmiſſis inferri deberet; nempe. Ergo vnio hæc non eſt ſubſiſtentia: quod veriſſimum eſt; itaque aliud eſt, an vnio ſit formalis ſubſiſtentia? & aliud, an ſit capax ſubſiſtentiæ? Primum negamus. Secundum ſupponimus in hypotheſi. Nec medium aptum eſt ad probandum, vnionem non eſſe formalem ſubſiſtentiam, illi eſſe naturam non conuenire, quia vel per *ly naturam* intelligit primum principium motus, & quietis, & ſic nemo dixit ſubſiſtentiæ conuenire eſſe naturam, quia eo ipſo, quòd eſſentialiter ſit complementum naturæ, repugnat hæc illi, quia eam ſupponit, atque adeo & primum principium motus, & quietis. Vel per *ly naturam* intelligit Hurtado, eſſentiam, & ex hac parte illi eſſe naturam minimè repugnabit, cùm aliquid non detur, quod eſſentiam ſuam non poſſideat, ſed ex hoc medio deducere poteris omnibus rebus conuenire formaliter ſubſiſtentiam eſſe.

Conſectarium.

Vnio hypoſtatica priùs natura vniuit animam verbo, quàm materiam.

126. PRæfixa reſolutio eſt ſanctiſſimi doctoris, *hic quaſt.* 5. *articul.* 6. & communis cunctis eius diſcipulis. Breuis ratio ab authoritate: aſſerta, quæ reſolutionem præſtant de rebus ad myſteria ſpectantibus, eatenus certiora, quatenus diuinis SS.PP.& CC. oraculis conformantur. Atqui quæſtio hæc an hypoſtatica vnio priùs natura terminata fuerit ad animam, vel corpus ſpectat ad intelligentiam reuerentialem huius ineffabilis myſterij incarnationis. Ergo eam reſolutionem amplexuri ſumus de illa, quæ probabiliùs præſumatur edocta à SS. PP.& CC. Tunc ſic: ſed data reſolutio in titulo vix clarè edocta eſt à SS. & CC. ergo illa eſt ſuſtinenda. Minor ſubiuncta patet breuiter; etenim illa pars eſt priùs natura vnita verbo ſecundùm SS.& CC. de qua dicitur ab illis fuiſſe alteri cauſam, vel rationem vniendi verbo diuino. Sed ſecundùm SS. & CC. de anima id dictum eſt. Ergo data reſolutio vix clarè edocta eſt à diuinis oraculis. Probo minorem, etenim PP. ſextæ ſynodi generalis *act.* 18. in edicto fidei Conſtantini Pogonati, quodque tanquam fidei dogma miſſum eſt ad Leonem II. qui per decretalem epiſtolam illud approbauit. Idem expreſsè docent Damaſcenus *lib.* 2. *de fide orthodoxa, cap.* 6. Nazianzenus *epiſt.* 1 *ad Cledonium*, quæ eſt *oratio* 51. *& orat. in natiuitatem*, *qua* 38. Auguſt. *epiſt.* 3. *ad Voluſ. & lib. de agone Chriſti cap.* 18. & Nicetas *orat.* 1. *Apologetica* Nazianzeni, & tandem ſanctiſſimus Thomas accuratiſſimus huius myſterij indagator *hic art.* 1. *& quaſt.* 4. *art.* 1. Ergo reſolutio noſtra à CC.& SS.PP. edocetur.

127. Secundò id ſuadetur, illud Deus ſibi priùs natura vniuit, quod fuit medium aliud ſibi vniendi. Sed anima rationalis fuit medium de facto, vt caro verbo diuino vniretur. Ergo anima priùs natura fuit vnita verbo, quàm carò. Probo minorem, illud fuit medium ſe vniendi verbo, cui competit ex ſe ſubſiſtere naturaliter per ſe. Sed animæ, & non carni competit exiſtere naturaliter per ſe, carni verò ratione animæ. Ergo anima rationalis fuit medium de facto, vt caro verbo diuino vniretur. Maior patet: nam eumdem ordinem, quam naturaliter anima, & corpus ſeruarent in ſubſiſtendo, ſeruauerunt in ſubſiſtendo per verbum: nam hoc omnem legem connaturalitatis correſpondentia partibus illæſam reliquit, vt in omnibus dexteritas ſuæ omnipotentiæ in hoc ineffabili myſterio colluceret, atque adeo illud fuit medium verbo vniendi ſibi aliud ad illud terminandum, quod naturaliter foret medium, vt illud idem naturaliter ſubſiſteret. Minor autem ſupponitur ex phyſicis, vbi iuxta placita ſanctiſſimi doctoris oſtendi ſolet, probabilius eſſe animam rationalem priùs natura, quàm corpus ſubſiſtere; atque adeo eam iſtius eſſe medium, vt naturaliter ſubſiſtat. Conſequentiam infert Logica.

128. Bernal *hic diſput.* 28. *ſect.* 2. ſequutus Durandum, & Richardum defendit, nec animam rationalem priùs natura, quàm materiam, nec materiam, quàm animam aſſumptam fuiſſe priùs natura: ſed ambæ ſimul, ſiue concomitanter, cuius ſententiæ fundamenta, vt meliùs penetrentur, notare debes, vniones hypoſtaticas, ſeu aſſumptiones, quibus partes iſtæ fuerunt vnitæ verbo, iuxta authorem hunc eſſe realiter actiones ipſas, per quas in inſtanti incarnationis anima rationalis creata fuit dependenter à verbo, & materia dependenter ab ipſo verbo cœpta eſt conſeruari. Notabis ſecundò localem tranſlationem materiæ, ſiue ex venis, ſiue ex alio loco, vbi elaborata eſt, in locum conceptioni deſtinatum, factam non fuiſſe in inſtanti phyſico incarnationis, cùm eſſentialiter includat ſucceſſionem, ſed in tempore immediatè præcedente; diſpoſitionem tamen illam, qualitatibus conſtantem, quam in eo loco ſolet ea materia à forma recipere, factam fuiſſe totam in ipſomet phyſico inſtanti incarnationis, quod eſſe valde probabile, non dubito. His ſuppoſitis.

129. Arguit author *hic num.* 20. quia neutra prædictarum aſſumptionum habet ab altera, vel dependentiam intrinſecam, in ordine ſcilicet ad exiſtentiam ſuam, cùm potuerit exiſtere aſſumptio materiæ ſine aſſumptione animæ, & è conuerſo. Vel dependentiam extrinſecam, in ordine ſcilicet ad generationem illius humanitatis, ſiquidem talis generatio tantùm om-

nino requirit priùs natura productam materiam, & formam, non tamen vnam priùs productam, quàm aliam. Ergo nec vnam priùs natura aſſumptam ad ſubſiſtendum in verbo, quàm alteram.

130. Explicat hoc, & munit *num.* 21. nam ſi Deus ſtatuiſſet in hoc inſtanti reali totum hominem, *B*, ita producere, vt & materiam, & animam in hoc inſtanti ſolus crearet, vtrinſque verò nexum cum aliqua ſecunda cauſa miraculosè educeret; non eſſet cur materiam priùs natura crearet, quàm animam, vel animam, quàm materiam. Atqui in inſtanti reali incarnationis ita ſe Deus geſſit; nam etſi nunc non primò creauit materiam, influxit tamen in illam nouo influxu creatiuo, realiterque & ſpecie diſtincto, & æquiualente primæ creationi; creauit etiam animam rationalem in illo inſtanti, produxitque interuentu beatæ Virginis vnionem animæ miraculoſam, & cum materia miraculosè diſpoſita. Ergo non fuit, cur in materiam priùs influeret per influxum illum, qui fuit eiuſdem materiæ aſſumptio, quàm in animam per influxum illum, qui etiam animæ fuit aſſumptio, vel è contrà.

131. Argumenta hæc aliam vim non habent, niſi eam, quam ex fundamento, cui innituntur, mutuant, verum illud ea tenere, ſuperque oſtendimus, *tractat. iſto, dub.* 1. *per totum*, vbi oſtendimus actionem productiuam humanitatis & eius partium tam procul eſſe à ratione formalis vnionis earumdem in verbo, vt realiter dicantur diſtingui ab actionibus earum aſſumptiuis, & vnitiuis. Verùm his permiſſis & nullo modo conceſſis, adhuc intentum non aſſequitur Bernal, ſiquidem caſu dato, quòd illæ aſſumptiones ſint in vno inſtanti confectæ exinde non ſequitur mutuam ſimultatem naturæ in illis reperiri, ſiquidem eo ipſo quòd tales actiones ſint realiter formaliter vnitiuæ, & aſſumptiuæ, inter illas debet dari prioritas aliqua, nam locutio PP. & CC. aliter ſaluari nequit, expreſsè enim aſſerunt. Verbum aſſumpſit carnem propter animam, vbi ly *propter* cauſalitatem deſignat; ergo prioritatem. Ergo licèt in vno inſtanti tales aſſumptiones fiant, vt fide credimus, & quamuis tales aſſumptiones ſint actiones ipſæ, quibus in illo inſtanti temporis materia prima miraculosè fit, & anima creatur; adhuc ex qua parte tales actiones ſunt vnitiuæ illarum partium cum verbo, debet dari prioritas aliqua, in qua priùs vniatur anima verbo, quàm corpus, aliàs ægrè intelligeretur aſſertum SS. & CC. nempe verbum aſſumpſit carnem propter animam; quomodo autem cohæreant, aſſumptiones, & vniones cum verbo eſſe formaliter actiones phyſicas, quibus anima, & corpus fiunt, & quòd vna prioritate naturæ aliam antecedat, ipſe author videat, quod tamen tenetur aſſeuerare, eſt, illæſum relinquere SS. PP. pronunciatum adductum non ſemel, quod cum ſimultate phyſica durationis, & naturæ aſſumptionis partium maxima cum difficultate ſaluabit.

132. Arguit Durandus *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. ordo iſte prioritatis naturæ in partibus humanitatis ad vniendum ſe verbo, nullum fundamentum habet. Ergo &c. antecedens probat; nam ſi aliquod haberet, vel peteretur à partibus vnitis & aſſumptis, vel ab ipſa aſſumptione, & vnione. At ex neutro capite. Ergo talis prioritatis naturæ ordo non habet fundamentum. Minor quoad partes vnitas probat: quia aut iſta prioritas verſatur inter partes inter ſe, aut inter illas vt collatas cum toto. Hoc non, quia prioritas, de qua hìc, eſt realis; at inter partes, vt collatas cum toto, realis nulla eſt prioritas, cùm ab illo realiter non differant, & ordo realis extrema realiter diſtincta deſiderat. Nec talis ordo ſumi poteſt ex partibus ſecum collatis, ſiquidem quando aliquid duobus vnitur, non vt duo ſunt, ſed vt vnum, neutrum valet eſſe medium reſpectu alterius, quia ea ratione, qua ſunt vnum, non differunt inter ſe, vnde cùm partes humanitatis non vniantur verbo, niſi vt vnitæ. Ergo non vt diſtinctæ realiter inter ſe. Ergo prioritas realis, quę extrema realiter diſtincta cupit, nullo modo poteſt ſumi ex partib. vt collatis inter ſe.

Iam quòd talis prioritas non habet fundamentum ex parte ipſius vnionis, aut aſſumptionis, probari poteſt; etenim probatum eſt, aſſumptionem partium, & humanitatis eſſe eamdem realiter. Ergo in aſſumptione nequit dari prioritas ſufficiens, vt vna pars ſit priùs natura aſſumpta alia. 133.

Reſpondeo cum communi, negando antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem intellectam de partibus aſſumptis. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem quoad vtramque partem. ad probationem ſecundæ partis, aſſero, quòd licèt partes humanitatis, vt vnitæ, ratione ſolùm à toto differant, ſicque inter illas, & totum nullus realis ordo verſetur, tamen ipſæ partes ſeorſim ſumptæ inadæquatè ab illo realiter differunt, quippe ſic acceptæ realiter cauſant illud, quapropter inter illas, & totum realis poteſt dari prioritas quoad vnionem, & aſſumptionem à verbo, & hoc eſt in cauſa, vt vidimus *ſect.* 2. quòd ordine executionis priùs natura fuerunt partes vnitæ verbo in primo ſigno, quàm ipſæ partes fuerint inter ſe vnitæ; in ſecundo verò ſigno fuerunt inter ſe vnitæ, in quo intelligitur totum, & in tertio ſigno fuit talis vnio vnita verbo, ratione cuius humanitas illi copulatur, vt dedimus *ſect.* 3. Ex quibus patet ad primam probationem eiuſdem minoris: nempe prioritatem hanc fundari poſſe in partibus, vt collatis inter ſe; ſiquidem iſtæ non fuerunt vnitæ verbo in primo ſigno, vt vnitæ erant inter ſe; nam illæ vt vnitæ formaliter non ſunt partes, ſed tota humanitas, quam eſſe vnitam verbo in tertio ſigno dedimus *ſect.* 3. 134.

Secundò arguit Almainus *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. & Gabriel *quæſt. vnica*, *art.* 1. aſſerentes, in hypotheſi, quòd ſit vera ſententia negans naturam irrationalem eſſe aſſumptibilem, conſequens eſt, vt caro aſſumeretur, & vniretur verbo propter animam, tanquam propter medium, quia caro irrationalis eſt, atque adeo ex ſe inunibilis verbo, & inaſſumptibilis, niſi propter animam, quæ rationalis eſt. Si autem natura irrationalis eſt aſſumptibilis, 135.

bilis, & vnibilis verbo, aſſerunt, neutram partem eſſe priùs alia aſſumptam, & vnitam verbo, probant ſic: etenim quoties aliqua duo copulantur medio aliquo, ſi iſtud medium deſinit eſſe, neceſſe eſt, quòd ipſa vnio deſinat eſſe. Atqui ſeparata anima rationali à Chriſti corpore in triduo, adhuc perſeuerauit vnio corporis cum verbo, vt fides monet. Ergo nulla ex his partibus anima ſcilicet, & corpus fuerunt vnita verbo vna mediante alia: cùm in triduo ambæ inter ſe ſeparatæ erant copulatæ indiſſolubiliter verbo.

136. Vt reſpondeas, nota cum Caietano *in 3. diſtinct. 2. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 1.* eſſe in multiplici media, quibus aliqua aliis copulantur. Primum, quod vocat colligantiæ, quod eſt vinculum commune inter extrema aliqua, vt glutinum, quo duo folia, vel tabulæ vniuntur; aliud verò, quod appellatur medium muneri aſſumendi inſeruiens; ſed hoc eſt duplex, vnum quod aſſumitur priùs tanquam *quod* ita vt ipſo aſſumpto priùs aliud aſſumatur, vt exemplo familiari expenditur, vas enim priùs manibus accipitur, vt aquam in illo contentam ebibamus. Aliud eſt medium, *vt quo*, vt fœminæ pulchritudo eſt non ſemel medium illam in matrimonium aſſumendi, tametſi ipſa pulchritudo non priùs *vt quod*, ſicut amphora, in matrimonium ſumatur, quàm ipſa fœmina. Præterea medium, *vt quo*, diuiditur in medium, *vt quo*, neceſſitatis, & in medium, *vt quo*, congruentiæ. Illud eſt ſine quo aliud perit, vt temperamentum corporis eſt medium neceſſitatis vniendi animam cum corpore, vel ſicut diaphaneitas eſt medium, *quo* lux aeri coniungitur, iſtud verò congruentiæ eſt illud, ſine quo extremum, quod vnitur, ſine illo vniri valet, rem explicet pulchritudo, quæ eſt medium, quo fœmina ab aliquo aſſumpta eſt in matrimonium, cùm ſine illa aſſumi ab illo poſſet, rurſum notare debes, animam poſſe accipi dupliciter. Primò, prout eſt forma ſubſtantialis, vt ſic, ſecundò, prout eſt forma rationalis. Primo modo accepta eſt medium *quo* neceſſitatis, vt corpus verbo copuletur: ratio; quia vt dicemus *diſput. vltima*, materia prima non eſt per ſe immediatè vnibilis, & aſſumptibilis à verbo abſque conſortio formæ propter incapacitatem quam habet, quia eſt potentia pura, & ratione ſui non eſt capax recipiendi immediatè exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, & fit capax per formam. Si autem loquamur de anima, vt rationalis eſt, ſolùm iudicatur medium congruentiæ, quod patet ex definitione medij congruentiæ allata; ſiquidem ſi materia, quæ nunc fuit informata anima rationali, alia forma informaretur, etiam poſſet verbo copulari, & illi immediatè vniri. Hoc notato. Reſpondeo, ſolùm probare, animam vt rationalem non fuiſſe medium neceſſitatis, vt caro verbo vniretur, non tamen non eſſe medium congruentiæ, cùm in triduo immediatè caro fuit verbo vnita ſine anima rationali, verùm ibi etiam fuit vnita, vt quidam volunt, ratione formæ cadauericæ.

137. Argues tertiò cum Suarez *diſput. 17. ſect. 1.* ſequuto Valentiam *hic puncto 2.* aſſerunt enim carnem priùs fuiſſe vnitam verbo, quàm animam, probant ſic: etenim materia ſimpliciter ſupponitur ordine naturæ priùs animæ creatione, tamquam fundamentum generationis totius compoſiti. Sed pro illo priori ſupponitur ſubſiſtens, & exiſtens, & non per propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, vt nos fatemur: Ergo per alienam, non aliam creatam alienam, quia eſt id impoſſibile, vt poſtea dicam *diſputatione ſequenti.* Ergo per ſubſiſtentiam verbi. Confirmatur: nam ordo executionis incedit ordine inuerſo, quem ſeruat intentionis ordo; vnde quia intentionis ordo à perfectioribus incipit, ideo in illo ordine prior intenta fuit vnio, & aſſumptio animæ, quæ eſt carne nobilior portio; ergo ordo executionis incipere debet ab vnione carnis, quæ ignobilior eſt anima, ſicut in ædificatione domus res eueniunt, & caſu dato, quòd illa fieret in inſtanti, adhuc in illa momentanea executione, fundamenta in ordine executionis natura eſſent priora tectis.

Reſpondeo concedens maiorem, quidquid dicat cum aliis Bernal aliter euenire in conceptione ſacratiſſima Chriſti, & nego minorem, nam exploratum eſt dogma Thomiſtarum defendens *lib. 1. phyſic.* materiam pro illo priori naturæ generationis à ſe non habere exiſtentiam, nec ſubſiſtentiam niſi per formam conſtruentem totum. Ad confirmationem reſpondeo; illud axioma de inuerſione ordinis intentionis, & executionis eſt intelligendum, quando ordo executionis, & intentionis fiunt modo naturali; ſecus verò, quando executio eſt miraculoſa, vt patere poteſt in ipſo exemplo domus, quæ ſi modo naturali, quo intenditur, eſt exequenda, executio à fundamentis debet incipere, ſi verò per miraculum, quid vetabit, quominus à tectis incipiat executio, ita applicari debet huic intento, & addimus, caſu etiam dato, quòd ambo ordines modo naturali conſiderentur, adhuc illa inuerſio deficere poterit, ſiquidem non minorem inuerſionem depoſcit ordo reſolutionis ab ordine compoſitionis, quàm ordo executionis petat reſpectu ordinis intentionis, at iſta inuerſio in reſolutione, & compoſitione deficere poteſt, vt videre eſt in continuo, cuius partes diuiſæ habent exiſtentiam in ſeipſis, & tamen neceſſe non eſt, quòd præſupponantur exiſtentes actu antecedenter ad compoſitionem continui. Vel dicendum eſt, axioma illud eſſe intelligendum in illis rebus, quæ mutuam habent dependentiam, non verò in his, quorum vnum dependet ab altero ſecundùm illam actionem, in qua duplex ille ordo concipitur, & hoc alterum nullo modo dependet ab illo: quia in hoc caſu, optimè poterit in vtroque ordine vnum & idem extremum eſſe priùs alio. Exemplum huius adducit Araujo *hic quæſt. 6. art. 3. dub. 3. num. 7.* in infuſione gratiæ, ad quam homo diſponitur per contritionem: talis enim gratiæ infuſio in vtroque ordine eſt prior ipſa diſpoſitione, ordine intentionis, quia gratia eſt contritione nobilior, ordine executionis, quia talis contritio in genere efficientis oritur à gratia, quæ in illo inſtanti infunditur. Cùm ergo axioma ſortiatur hæc omnia munera reſpectu carnis, etenim eſt nobilior iſta, & ideo in intentione prior, eſt quaſi diſpoſitio congruenter ad carnis aſſum-

ptionem diſponens,& ſic eſt ipſa carne in executione prior, vnde cùm in omni ordine caro dependeat ab anima,& nullo modo hæc,ab illa, ideo caro in omni ordine eſt anima poſterior,quantùm ad aſſumi,& vniri verbo.

DVBIVM V.

Quiſnam ſit terminus totalis incarnationis, vt actio eſt,& terminus formalis?

Sectio I.

Terminus adæquatus, & totalis incarnationis, vt actio, eſt Perſona verbi ſubſiſtens in duabus naturis.

139. NOtabis: in Chriſto eſſe dumtaxat vnam perſonam in duabus naturis ſubſiſtentem, ita Epheſinum,& Calcedonenſe,& habetur expreſsè in Athanaſij Symbolo, vbi: *qui licèt Deus ſit,& homo, non duo tamen,ſed vnus eſt Chriſtus, vnus omnino non confuſione ſubſtantia, ſed vnitate perſona.* Et ratio ſuadet, quia duæ integræ naturæ, quæ in abſtracto non prædicantur de ſe viciſſim, non poſſunt etiam de ſe inuicem prædicari in concreto, niſi hypoſtaticè in eadem perſona copulentur. Non enim eſt vera prædicatio, homo eſt veſtis, aut è conuerſo, ſed ad ſummum dicitur denominatiuè & accidentaliter veſtitus. Atqui natura diuina & humana inuicem de ſe prædicantur in concreto, & verè ſubſtantialiter, etenim rectè prædicamus, Deus eſt homo,& non ſolùm humanitas,& homo eſt Deus, & non ſolùm deifer, bene ergo infertur eſſe ambas naturas ſubſtantialiter in vno, & eodem ſuppoſito vnitas, tota doctrina hæc eſt contra Neſtorium ſtatuentem in Chriſto duas perſonas, diuinam vnam, humanam aliam; atque adeo terminum incarnationis non eſſe vnam perſonam, ſed duas accidentaliter copulatas ſecundùm affectũ, & gratiam, ſicut cæteros homines iuſtos aſſerimus, eſſe Deo coniunctos, tametſi fateatur, Chriſtum propter maiorem & excellentiorem ſanctitatem, dici Dei templum,& Filium Dei, ſed aſſerit, non ſubſtantialiter, ſed per quamdam participationem, ſicque dici Chriſtum affectiuum terminum incarnationis. Hic error eſt damnatus in tota Eccleſia à CC. citatis.

140. Notabis ſecundò: alium fuiſſe errorem Eutichetis Abbatis Conſtantinopolitani aſſerentis, eſſe confuſas in Chriſto duas naturas, diuinam ſcilicet,& humanam, quæ quidem fatebatur, quòd erant integræ ante adunationem; poſita autem hac ambas in vnam coaluiſſe, ex mixtione vtriuſque reſultantem. Vnde iſte hæreticus concedebat propoſitionem hanc: Chriſtus conſtabat ex duabus naturis; & negabat hanc: Chriſtus erat in duabus naturis. Iſte error fuit damnatus in concilio Conſtantinopolitano 5. à Calcedonenſ. Hiſpal. 2. à Lateranenſi ſub Martino 5.& Innocentio 3.

Igitur reſolutio tituli probatur ratione ſanctiſſimi doctoris ex varijs locis collata: nam certum eſt terminum incarnationis eſſe indiuiduam ſubſtantiam, & non eſſe naturam. Ergo neceſſe eſt perſonam verbi, nam fides monet, vnionem iſtam incarnationis, factam fuiſſe in perſona verbi, atque adeo non fuiſſe factam in natura abſoluta omnibus perſonis communi. Rurſum, poſita vnione incarnationis, Chriſtus reſultat, at nec verbum per ſe dicitur Chriſtus, nec ſola humanitas, ſed tantùm id, quod ex vnione iſtarum naturarum reſultat. At Chriſtus eſſentialiter dicitur ſubſiſtens perſona in duabus naturis, diuina,& humana. Ergo terminus adæquatus incarnationis eſt Chriſti perſona in duabus naturis ſubſiſtens. 141.

Sed obijcies; terminis implicare, defendere perſonam Chriſti eſſe terminum incarnationis, ergo. Probo antecedens: nam de fide eſt: perſonam Chriſti eſſe diuinum verbum, quod ſupponi exiſtens ante incarnationem exercitam, eſt de fide. Sed implicat, terminum actionis ſupponi exiſtentem ad ipſam actionem. Ergo terminis implicat, perſonam Chriſti eſſe terminum incarnationis. Reſpondeo: perſonam Chriſti poſſe conſiderari, vel vt ſubſiſtens ſolùm in natura diuina, vel in vtraque ſimul humana,& diuina. Primo modo incarnationi præexiſtebat. Secundo verò modo incarnationi ſucceſſit. Vnde perſona Chriſti, quæ eadem eſt poſt & ante incarnationem, ſiquidem eſt eadem perſonalitas, à qua, veluti à forma, perſona eſſentialiter conſtituitur, ſubſiſtere dicitur in natura diuina, in qua etiam ante incarnationem ſubſiſtere dicebatur, ſed etiam in natura humana de nouo ex vi actionis, qua incarnatio fit; itaque differentia ſolùm eſt, quòd ante incarnationem in vna, poſt illam verò perſona verbi in duabus naturis ſubſiſtit. 142.

Obijcies ſecundò; diximus, terminum incarnationis, ſeu vnitionis non fuiſſe naturam diuinam, videtur id terminis implicare cum alia reſolutione, in qua ſuſtinemus, terminum immediatum, & totalem illarum actionum eſſe diuinam perſonam in duabus naturis ſubſiſtentem. Probatur ſic: perſona iuxta reſolutionem datam eſt terminus immediatus,& totalis actionis incarnatiuæ. Ergo & diuina natura. Probo conſequentiam, implicat, de eodem verificari eſſe terminum, & non eſſe terminum reſpectu eiuſdem actionis. Sed perſona increata eſt terminus incarnationis, & alias eſt idem cum natura diuina. Ergo ſemel conceſſo perſonam diuinam eſſe incarnationis terminum; idipſum verificari debet de increata Dei natura, aliàs admitteremus terminorum repugnantiam. Reſpondeo, aſſerta iſta componere virtualem diſtinctionem vel vt alij eminentialem repertam inter eſſentiam, & perſonam diuinam, virtute cuius de perſona verificatur eſſe terminum, & non eſſentiam; ſicut plura alia contradicentia ſibi prædicata ratione diſtinctionis virtualis verificata experimur in diuino myſterio Trinitatis,& alibi de quo *diſputatione ſequenti.* 143.

SECTIO

Sectio II.

Terminus formalis, quo, incarnationis, vt eſt actio, eſt humanitas, prout verbo vnita, ſumpto, ly vt, tanquam conditione, & humanitate vt ratione formali.

144. RESolutio hæc tota eſt de lite, quæ vt mihi videtur in totum eſt vocalis, vt conſideranti apparebit, ſed quia etiam voces in myſteriis explicandis ſunt, quæ illa magis expendunt, eligendæ, id fuit in cauſa authores diuidendi in plures dicendi modos, & quia plenior reſolutionis huius cognitio pendet ex definitione termini formalis, *quo*, actionis productiuæ, ideo præmittenda eſt: vnde duplex deſignatur terminus cuiuſque productiuæ actionis. Alius eſt terminus adæquatus, de quo dedit ſermonem *ſectio antecedens*, & appellatur, *qui*; alius eſt terminus formalis, *quo*, qui neſcio, qua ratione aptiori ſit explicandus, niſi modo iſto, eſt ratio formalis terminandi, & ſpecificandi actionem; de termino ergo totali, ſeu *qui*, egit *ſectio præcedens*, de termino verò formali *quo* ſumus acturi in præſenti, de quo reſolutio præiacta in titulo eſt intelligenda.

145. Reſolutionem datam defendit expreſsè Arauius *hîc q.12.art.8.dub.3.num.36.* citans Vaſquez *diſp.19.cap.2.* à quo rationem præcipuam & vnicè à nobis defendendam ſuſcepit, ille eſt terminus formalis *quo*, alicuius actionis, qui tanquam forma conſtituit terminum totalem, vt talem. Sed humanitas, modo explicato in concluſione tituli, eſt huiuſmodi. Ergo humanitas modo explicato eſt terminus formalis *quo*, actionis incarnatiuæ. Conſequentia bene infertur, ſi præmiſſæ oſtendantur, ſingulas probemus, maiorem expendo: nam hæc eſt differentia termini totalis à formali *quo*, quòd ille ſit, qui terminat actionem vt quid, tanquam *quis*, productum, & terminus formalis, *quo*, ſit ratio, virtute cuius terminus ille totalis actionem productiuam terminat; non abſimiliter ac de terminis actionum intentionalium diſcurri ſolet; nam terminus intentionalis *qui*, eſt, qui verè tanquam *quod* terminat intellectionem, amorem, & viſionem, terminus verò formalis, *quo*, qui eſt ratio, virtute cuius ille prædictas intentionales tendentias terminare dicitur. Nunc vltra: ſed inter omnia, quæ in termino, *quis*, inueniuntur, nihil illi poteſt inſeruire tanquam ratio, virtute cuius terminet actionem productiuam, niſi id, quod illum tanquam forma eſſentialiter conſtituit. Ergo terminus formalis, *quo*, erit ille, qui tanquam forma terminum totalem, vt talem conſtituit. Ecce maior illa explicata. Minorem probo: nam vt *ſectione antecedenti* dedimus, terminus totalis, *quis*, incarnationis, vt actio, eſt diuina perſona facta homo. Sed huius complexi totalis forma eſt humanitas, modo explicato in titulo. Ergo humanitas ſic in titulo expoſita, eſt terminus formalis, *quo*, incarnationis, vt actio eſt.

Reſpondebis primò cum cardinali Lugo *diſputatione vndecima, ſectione ſecunda, numero decimo ſeptimo*, etenim aliquando terminus formalis non eſt forma compoſiti, quod reſultat, & adducit exemplum in Euchariſtia; vbi terminus formalis conuerſionis non eſt forma compoſiti reſultantis, etenim totalis eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis: & terminus formalis *ad quem*, eſt corpus Chriſti, quod ſub ſpeciebus ponitur, & tamen nemo dixit, corpus Chriſti eſſe formam, vel quaſi formam illius compoſiti, quod de nouo fit ex ipſo, & ex ſpeciebus panis; imò ſi ita loqui licet, potiùs eſt vel habet rationem materiæ; accidentia verò eſſe per modum formæ, cùm corpus Chriſti ſuccedat loco ſubſtantiæ panis, quæ erat materia, & ſubiectum in compoſito ex pane, & accidentibus; & adhuc permiſſo hoc, nemo dixit, terminum formalem tranſubſtantiationis eſſe ſpecies panis. Ergo ratio termini formalis alicuius actionis non ſemper conuenit ei, quod eſt forma termini totalis, & ſic maior noſtri diſcurſus non eſt generaliter vera. 146.

Sed replicabis, in conſecratione ſpecierum panis duo ſunt conſideranda. Vnum eſt ipſa 147.
conuerſio, & tranſubſtantiatio. Alterum eſt acquiſitio præſentiæ ad locum, vbi erat ſubſtantia panis. Hæc eſt differentia inter hæc, quòd ad primum ſolùm deſideratur mutatio ex parte panis, ſine mutatione ex parte corporis Chriſti, ad ſecundum deſideratur mutatio ex parte corporis Chriſti. Vnde terminus totalis tranſubſtantiationis nequit habere pro forma illum conſtituente terminum, id quod ſit accidens, quapropter illius ratio terminandi actionem conuerſiuam, quæ ſubſtantialis eſt, nequit eſſe, nec corpus Chriſti, vt eſt præſens ſub ſpeciebus, ly *vt*, denotante præſentiam tanquam rationem formalem, quia talis præſentia accidens eſt. Vnde talis præſentia erit terminus formalis, vi cuius dicitur corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus, tanquam terminus totalis terminans actionem illam, quæ eſt acquiſitio præſentiæ ad locum, vbi erat ſubſtantia panis: terminus verò formalis actionis conuerſiuæ, quæ in conſecratione inuenitur, eſt corpus Chriſti, vt eſt id, in quod panis conuertitur, ratione cuius dicitur terminus totalis conſtitui in ratione talis reſpectu actionis conuerſiuæ.

Reſpondebis 2. maiorem illam noſtri diſcurſus eſſe inefficacem, ita docet Aluarez *diſp.13. conc.3.* qui ſecutus Capreolum *in 3. diſt.15. q.1,* & Nazarium *hîc art.8. contr.2.* & Valentiam ſuprà citatum defendit terminum formalem incarnationis eſſe perſonalitatem diuinam, vt vnitam cum humanitate, ita vt vnio ſit ſolum conditio ad terminandum incarnationem: ait ergo maiorem noſtram deficere. Siquidem ſolum id, quod in termino totali præcipuum exiſtimatur, eſt ratio formalis, ſeu terminus formalis, *quo*, ratione cuius terminus totalis dicitur actionem terminare. Cùmque in termino totali incarnationis, nempe in perſona diuina ſubſiſtente in duabus naturis, præcipua pars ſit perſona, quam humanitas infert, perſonam, & non humanitatem eſſe terminum formalem, *quo*, incarnationis. 148.

Sed replicabis, regulam iſtam ab hoc authore adductam, quod exiſtimo eſſe impoſturam, nam id ab ipſo prolatum non eſſe, parebit illum legenti. Sed à quouis deſignatam, deficere à veritate, oſtendunt termini formales omnium actionum accidentalium & mutationum, quæ in illis includuntur. Etenim calefactum lignum eſt terminus totalis calefactionis, ſimiliter huius complexi præcipua pars eſt ſubiectum, nempe lignum, & tamen nemo illud deſignauit terminum formalem, *quo*, calefactionis, & non alia ratione, niſi quia, etſi præcipua pars ſit, non tamen conſtituit illud in ratione termini terminantis actionem productiuam, ſeu calefactiuam. Ergo terminum formalem *quo* optime deſignauit noſtra maior diſcurſus allati.

149. Reſpondebis cum aliis, regulam illam noſtram pro termino formali, *quo*, eſſe cum diſtinctione explicandā iuxta duplex eſſe, quod in termino totali reperitur etenim in termino totali, *qui*, & datur eſſe ſpecificum, & entitatiuum; & datur eſſe terminum reduplicatiuè actionis alicuius. Vnde cùm hîc loquamur de termino totali, vt termino, per reſpectum ad actionem, quam terminat, non verò de illo materialiter accepto, quantùm ad ſuum eſſe entitatiuum conſiderato, fit, quòd ille ſit ipſius terminus formalis, *quo*, qui eum conſtituerit in ratione formali termini actionem terminantis. Ergo in illo complexo, *verbum factum eſt homo*, illud erit terminus formalis, quod ipſum conſtituerit in ratione termini, non verò illud, quod dat eidem eſſe entitatiuum, & quaſi ſpecificum in eſſe hominis, ratio; nam cùm incarnatio ſit actio productiua & factiua petit neceſſariò terminum factum, & productum, & hoc denotat terminus totalis *verbum factum eſt homo*. Ergo iſtius complexi, erit formalis terminus, *quo*, qui illud conſtituerit in ratione producti, & facti. At humanitas id nequit præſtare, quia ex vi iſtius actionis incarnatiuæ non eſt facta, ſed ſupponitur productiua; ſicut ob hanc rationem quamuis verbum eſſet producibile, non poſſet complexum illud in ratione termini facti per incarnationem conſtituere. Ergo malè deducimus, humanitatem eſſe terminum formalem *quo* illius complexi, quia eius eſt forma conſtitutiua, & ſpecificatiua in eſſe hominis.

150. Sed contra replicabis: ex hac ſententia euidenter infertur, vnionem hypoſtaticam ſolam eſſe terminum formalem *quo* incarnationis. Sed hoc eſt falſum. Ergo regula iſta à nobis allata non patitur illam diſtinctionem. Sequela eſt euidens, quia ſolùm vnio eſt ex vi actionis incarnatiuæ producta in illo complexo aſſignato. Falſitatem ſequelæ probo: quia cum hoc, quod eſt vnionem illam eſſe productam, non verò humanitatem, ſtat, illam non eſſe terminum formalem *quo* incarnationis, bene verò iſtam. Ergo &c. Probo antecedens, quia cum hoc, quod eſt, animam non eſſe productam, bene verò eius vnionem cum materia in generatione ſubſtantiali, ſtat bene illam, & non hanc eſſe terminum formalem *quo* generationis. Ergo cum hoc, quod eſt vnionem hypoſtaticam eſſe productam, non verò humanitatem ab incarnatione, ſtabit, iſtam, & non illam eſſe terminum incarnationis. Antecedens patet, nam ſolùm id in hoc complexo. *Filius genitus* eſt terminus formalis *quo*, quia aſſimilatur generāti. Sed in illo compoſito ſola anima aſſimilatur generanti. Ergo ſola anima eſt terminus, *quo*, illius complexi. Ergo ſimiliter in præſenti. Probo, quia non minùs generatio eſt productiua, ac incarnatio. Nec minùs eſt illius terminus totalis factus, ac terminus iſtius genitus. Rurſum ſicut in generatione vnio ſolùm eſt ab illa producta, non verò anima, ita in incarnatione eſt hypoſtatica vnio producta, non verò humanitas. Ergo in vtraque debet purgari à ratione producti terminus formalis quo. Ergo regula illa noſtra pro termino formali, *quo*, deſignata ſubſiſtere debet.

Confirmari poteſt hoc ex myſterio Trinitatis. Vbi docetur, iſta eſſe certiſſima. Primum, naturam diuinam proximè non eſſe generantem, nec, vt *quod* nec, vt *quo*, relationem verò Paternitatis eſſe proximum principium productiuum termini ad intra, & licèt aliqui, exiſtiment, rem ita non contingere, tamen vt oſtendi in prælectione ad cathedram primariam Scoti, aſſertum hoc reipſa debere omnes amplecti; ſed quidquid ſit de hoc, communius placitum eſt alterum, quod ibidem legi; videlicet in hoc concreto, *filius*, id quod ſolum producitur, eſt relatio filiationis & nullo modo eſſentia diuina, quæ nec vt *quo*, nec vt *quod* dicitur producta. Hoc ferè omnes authores *tr. de Trinitate* admittunt. Nunc ſic argumentor: terminus totalis æternæ generationis eſt perſona Filij; ſed terminus, *quo* formalis illius, non eſt relatio producta, ſed ſola eſſentia, quæ non producitur, ea videlicet ratione, quam *n. antecedenti* dedimus. Ergo à ratione termini formalis quo præſcindibilis eſt ratio producti, quamuis terminus totalis, *qui*, productus ſit. Ergo regula noſtra ſine diſcrimine eſt danda. 151.

Reſpondebis cum aliis, diſcurſum illum deficere ex noſtris principiis, nam duo concedimus. Primum, terminum totalem, *qui*, incarnationis eſſe perſonam ſubſiſtentem in duabus naturis. Secundùm, nomen hoc, *perſona*, pro formali ſignificare perſonalitatem. Ex his potiùs deducendum eſt, terminum formalem *quo*, incarnationis debere eſſe perſonalitatem, & non humanitatem. Ratio, nam per nos illud eſt terminus formalis, *quo*, per quod terminus totalis conſtituitur in eſſe termini actionis productiuæ. Sed nihil aliud magis conſtituere poteſt terminum totalem incarnationis, nempe perſonam, niſi id quod pro formali importat, videlicet perſonalitas. Ergo hæc, & nullo modo humanitas iuxta noſtra principia debet eſſe terminus formalis *quo* incarnationis. 152.

Sed replicabis eiſdem fundamentis, quibus ſolutio antecedens impugnata eſt. Etenim tam in diuinis, quàm in humanis hoc nomen, *perſona*, in recto, & pro formali, & magis propria ſignificatione importat perſonalitatem, quàm naturam diuinam, & humanam; atqui tam in diuinis, quàm in humanis terminus formalis, *quo*, generationis vtriuſque non eſt 153.

perſo

perſonalitas creata, aut increata, ſed vel diuina, aut humana natura. Ergo tametſi vox hæc, *perſona Chriſti*, magis propriè ſignificet perſonalitatem verbi, quàm humanitatem, illam in recto & pro formali importans, non bene infertur, perſonalitatem verbi debere eſſe terminum, *quo*, incarnationis. Et ratio eſt clara in omnibus his caſibus, nam ſignificatum, *perſonalitas* licèt ſit forma ſignificata in recto ab hac voce, *perſona*, tamen hanc non conſtituit in eſſe quaſi ſpecifico, ſed ſolùm indiuiduali, natura verò eſt forma dans termino totali, *qui*, ſpecificum eſſe, quapropter hæc, & non illa appellanda eſt terminus formalis, *quo*, cuiuſlibet actionis, ſiue generatiuæ, ſiue incarnatiuæ

154 Reſpondebis cum Cardinali de Lugo, vbi *ſuprà num.* 18. *vſque ad* 21. definitionem termini formalis, *quo*, ſic eſſe dandam, vt ille ſit terminus formalis, *quo*, cui propriè, & immediatè applicatur, vt termino mutatio, & ratione cuius reliqua denominantur ab illa mutatione. Sic dicimus colorem eſſe, qui formaliter attingitur, terminum formalem viſionis, parietem verò coloratum eſſe terminum totalem, & denominatiuè, quia denominatur viſus propter colorem, qui formaliſſimè videtur. Sic regulam, & definitionem generalem affert termini formalis, *quo*, & vt ad rem accedat, addit *n.* 19. quòd eidem actioni diuerſis nominibus explicatæ aſſignari ſoleant diuerſi termini formales, etenim diuinæ proceſſiones ſub nomine, *productionis*, dicuntur habere pro termino formali perſonalitatem productæ perſonæ: ſub nomine autem *communicationis* habere pro termino formali eſſentiam; vel intellectum, vel voluntatem communicatam; ſub nomine autem *proceſſionis*, quia vtramque rationem explicat, dicimus habere duos terminos formales, vnum formalem productum, nempe perſonalitatem, & alterum formalem communicatum, intellectum ſcilicet, & voluntatem. Nunc applica doctrinam iſtam intento noſtro *n.* 21. etenim incarnatio diuerſa nomina habet, atque adeo ſub nominibus diuerſis illi correſpondebunt diuerſi termini formales. Sub nomine ergo *productionis* habet pro termino formali vnionem hypoſtaticam, nam hæc ſola eſt, quæ per incarnationem producitur. Sub nomine autem *aſſumptionis* habebit pro termino formali humanitatem, quæ ſola immediatè & propriè aſſumitur; ſi verò conſideremus actionem illam, prout per illam diuina perſona humanitati communicatur, & appellaremus illam *imperſonationem*, *ſeu communicationem hypoſtaſis*, ſub hac conſideratione poſſemus aſſignare illi pro termino formali *ad quem* diuinam perſonam.

155 Sed replicabis, nam licèt modus hic compiè ſit architectatus, tamen fixam regulam non adducit pro termino formali, *quo*, correſpondente incarnationi, prout actionis productiuæ nomine denominatur. Siquidem vt probauimus, *num.* 150. & 151. & 153. neceſſe non eſt, terminum formalem, *quo*, alicuius actionis ſub ratione *productionis* debere eſſe productum, vt ibi in confirmationem exemplis ſatis efficacibus demonſtrauimus. Ergo quamuis humanitas ex vi iſtius actionis incarnatiuæ non producatur, non exinde infertur ſolam vnionem, quæ producitur per illam, debere eſſe terminum formalem, *quo*, incarnationis, vt productio eſt.

Argues Primò contra præiactam reſolutionem tituli, nam permiſſo, quòd humanitas ſit forma dans eſſe ſpecifico termino totali incarnationis, vt actio eſt, adhuc deficit illi ratio conſtitutiua termini formalis, *quo*, incarnationis. Ergo ruit reſolutio noſtra. Antecedens probo, nam dato, humanitatem eſſe formam dantem ſpecificum eſſe termino totali, *qui*, incarnationis, adhuc deeſt illi eſſe productam per incarnationem. Ergo dato, humanitatem ſpecificare terminum totalem *qui*, adhuc deficit illi aliquid ad rationem formalis termini, *quo*; antecedens eſt certum. Conſequentiam probo; nam æquè eſſentialiter eſt termino formali *quo* actionis productiuæ eſſe productum ex vi illius, quàm ſpecificare terminum totalem *qui*. Ergo ſi deficit humanitati eſſe productam per incarnationem, quamuis aliunde det ſpeciem termino totali, *qui*, deficiet illi ratio termini formalis, *quo*; antecedens probo, terminus formalis, *quo*, eſſentialiter petit conſtituere terminum totalem in ratione facti, aut producti. Ergo eſſentialiter petit eſſe productum, vt terminus formalis, *quo*, recenſeatur. Antecedens probo, nam terminus, *quo*, formalis eſſentialiter petit conſtituere totalem in ratione termini terminantis actionem productiuam, ſicut de ratione coloris eſt conſtituere parietem coloratum in ratione termini terminantis viſionem intentionalem; aliàs color non cenſeretur terminus formalis, *quo*, parietis viſi. Atqui ſi terminus formalis, *quo*, non peteret conſtituere terminum totalem, *qui*, in ratione producti, nec peteret eſſentialiter illum conſtituere in ratione termini terminantis productiuam incarnationem. Ergo terminus formalis, *quo*, eſſentialiter petit conſtituere terminum totalem, *qui*, ſub ratione producti, & facti. Sed implicat, humanitatem conſtituere poſſe terminum totalem, *qui*, ſub ratione facti, & producti per actionem productiuam, à qua humanitas non fit. Ergo repugnabit illi eſſe terminum formalem *quo* termini totalis, *qui*, actionis incarnatiuæ. 156

Reſpondeo negans antecedens, ad probationem, diſtinguo antecedens: permiſſo &c. adhuc deficit illi eſſe productam per incarnationem, productam inquam, vt *quod*, concedo antecedens: productam, vt *quo*, deficit illi, nego antecedens. Ad probationem ſimiliter diſtinguo antecedens. Æquè eſſentialiter eſt termino formali, *quo*, actionis productiuæ eſſe productum ex vi illius actionis productiuæ &c. eſſe productum, vt *quod*, nego, eſſe productum vt *quo*, concedo antecedens, & diſtinguo cõſequens. Ergo ſi deficit humanitati eſſe productã per incarnationem, quãuis &c. eſſe productam, vt *quod*, deficiet illi ratio termini formalis *quo*, nego conſequentiam: ſi deficeret illi ratio productæ, vt *quo*, deficeret illi eſſe terminum formalem, *quo*, concedo conſequentiam. Ad probationem antecedentis, concedò antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo petit eſſe productam, vt *quod*, nego, vt *quo*. concedo conſequentiam; cæteræ probationes ſunt præter negata. Ad minorem ſubiunctam diſtinguo illam; ſed implicat, humanitatem conſtituere 157

poſſe terminum totalem, *qui*, ſub ratione producti per actionem, à qua humanitas non fit, ita vt non fiat, vt *quod*, & ideo repugnet, nego, ita vt ſi non fieret, vt *quo*, repugnaret, concedo. Itaque aliud eſt humanitatem non fieri ex vi actionis incarnatiuæ, vt *quod*, & aliud non eſſe ex vi illius factam, vt *quo*, primum eſt verum, vt oſtendimus *in hoc tract. dub.* 1. ſecundum verò eſt falſum, ſiquidem eo ipſo, quòd actio hæc incarnatiua ex ea parte, qua eſt productiua vnionis, eſt eſſentialiter vnitiua humanitatis cum verbo, & ex hac parte illa eadem actio eſt productiua humanitatis, vt *quo*, eo ipſo conſtituit terminum, *qui*, ſub ratione producti, & facti per ipſam incarnationem: hoc autem ſufficere, dedimus *numeris antecedentibus*, vbi deſignauimus pro termino formali, *quo*, generationis ſubſtantialis animam rationalem, atque adeo conſtituentem terminum totalem, *qui*, in ratione facti, & producti per illam, ea præciſa ratione, quia eſt forma dans eſſe ſpecificum termino, *qui*, genito, & quia licèt ex vi generationis anima non producatur, vt *quod*, tamen ex vi illius eſt, vt *quo*, producta, & ideo, vt *quo*, eſt producta ex vi illius actionis, quia ex vi illius animæ conſtituitur terminus illius actionis in ratione hominis. Applica doctrinam.

158. Sed replicabis: humanitatem eſſe productam, vt *quo*, ex vi actionis vnitiuæ non ſufficit, illam conſtituere terminum formalem, *quo*; ergo ruit ſolutio. Probo antecedens: per nos humanitatem eſſe, vt *quo*, productam per incarnationem, nihil aliud eſt, quàm humanitatem vniri ex vi illius actionis, & terminum totalem conſtituere in eo eſſe, quod productum, & factum dicitur. Sed hoc non ſufficit, vt ſit terminus formalis, *quo*, per incarnationem. Ergo humanitatem eſſe productam, vt *quo*, per incarnationem non ſufficit, vt ſit terminus formalis, *quo*. Probo minorem, poteſt eſſe caſus, in quo aliquid vniatur alteri conſtituendo terminum totalem in ſuo eſſe formali, quin ſit terminus formalis *quo* actionis talis vnitiuæ. Ergo humanitatem eſſe alteri vnitam, illud conſtituendo in eſſe ſpecifico, non ſufficit, vt ſit terminus formalis, *quo*, actionis incarnatiuæ. Probo antecedens: nam ponamus caſum, quòd actio ſupponens calorem, vel albedinem producta, ea alicui ſubiecto copularet, in hoc caſu calor, ſeu albedo non cenſeretur terminus formalis, *quo*, illius actionis vnitiuæ. Ergo poſſibilis caſus eſt, in quo vnum alteri vniatur ex vi actionis vnitiuæ illud ſpecificans in ſuo eſſe, & quod non ſit terminus formalis *quo* illius actionis. Ergo ſic in noſtro caſu, quamuis humanitas ex vi incarnationis vniatur verbo, & illud conſtituat in ratione ſpecifica hominis, & hac ratione dicatur producta, vt *quo*, adhuc non ſortietur rationem termini formalis, *quo*, incarnationis. Probo conſequentiam, ideo in primo caſu albedo non eſſet terminus formalis, *quo*, illius actionis vnitiuæ, quia albedo non eſſet, vt *quod*, producta; quia ante illam ſupponebatur albedo exiſtens extra cauſas, ſed humanitas per nos ſupponitur exiſtens extra cauſas antecedenter ad incarnationem. Ergo ſicut ob hanc cauſam albedo quamuis ex vi illius actionis vnitiuæ vniatur ſubiecto illud in eſſe albi conſtituens, non dicitur terminus formalis, *quo*, illius actionis vnitiuæ, ita ob eamdem rationem humanitas non erit terminus formalis *quo* incarnationis, quamuis ex vi illius vniatur verbo, & illud in eſſe hominis conſtituat.

195 Reſpondebis negans antecedens, ad probationem concede maiorem, & nega minorem. Ad probationem nega antecedens. Ad probationem admitte caſum, & nega minorem. Itaque etſi actio vnitiua albedinis exiſtentis antecedenter ad actionem illam non ſit albedinis productiua, adhuc illius eſſet albedo cenſenda terminus formalis, *quo*, propter eamdem rationem ibi aſſignatam, & non ſemel repetitam, cuius millies adduximus inſtantiam de anima rationali antecedenter ad generationem pro priori naturæ exiſtente, quam diximus eſſe terminum formalem, *quo*, illius, tametſi ex vi illius minimè producatur.

160. Sed replicabis vna vice contra ſolutionem, & inſtantiam; demus caſum, quòd per generationem non ſolùm vniretur anima, ſed produceretur ſimul, & vniretur materiæ, ſicut de facto euenit productionibus eductiuis accidentium albedinis ſcilicet, & caloris. In tali caſu anima eſſet terminus formalis, *quo*, illius actionis productiuæ, ſicut albedo eſt terminus formalis, *quo*, actionis eductiuæ ipſius. Ergo caſu, quo ſolùm albedo vniretur, & non produceretur, ſicut hîc & nunc contingit animæ reſpectu generationis, non poterit albedo eſſe terminus formalis, *quo*, prædictæ actionis vnitiuæ. Probo conſequentiam, nam actio illa, qua non produceretur, ſed vniretur, & actio, qua hîc & nunc albedo vnitur, & producitur ſimul, ſpecie inter ſe differunt. Ergo termini formales illi correſpondentes debent ſpecie diſtingui, nam actiones, tam phyſicæ quàm intentionales ſuam ſpeciem hauriunt ex terminis formalibus, quos reſpiciunt. Ergo ſi actio productiua, & ſimul vnitiua albedinis cum ſubiecto, ſpecie differt ab actione, quæ tantùm eſſet vnitiua illius, quam ſupponimus poſſibilem, neceſſe eſt illis deſignare terminos formales ſpecie diſtinctos. At per nos actio producens, & ſimul vniens albedinem cum ſubiecto, habet pro termino formali, *quo*, ipſam albedinem; ergo actio quæ in noſtra hypotheſi tantùm eſſet albedinis vnitiua cum ſubiecto, non poterit illam reſpicere tamquam ſui terminum formalem, *quo*. Vnde vel hoc eſt fatendum; vel dandus eſt vnus terminus formalis in ſpecie pro actionibus ſpecie diſtinctis. Quod non admittit metaphyſica.

161. Reſpondeo admitto caſum antecedentis ſub hypotheſi, & ipſum antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens. Ergo termini formales illis correſpondentes debent ſpecie diſtingui in eſſe entitatis, nego, in eſſe termini formaliter eas terminantis, concedo conſequentiam, & diſtinguo alterum conſequens. Ergo ſi actio productiua &c. neceſſe eſt illis deſignare terminos formales ſpecie diſtinctos diſtinctione entitatiua, nego, diſtinctione terminatiua, concedo, & concedo minorem ſubiunctam, & diſtinguo conſequens. Ergo actio, quæ tantùm eſſet albedinis vnitiua, non poterit

illam

reſpicere tamquā ſui terminum formalem, *quo*, ita vt in entitate non ſit eadem, nego, ita vt ſub diuerſa ratione illam reſpiceret, concedo. Vnde proloquium illud de actionibus ſpecie diſtinctis, quòd ſcilicet habere debeant terminos formales diſtinctos in ſpecie, eſſe temperandum iuxta cōmunia principia, quòd ſcilicet, termini illi ſint termini formales formaliter in ratione termini ſint diſtincti, non verò in entitate: Etenim diuerſus modus tendendi actionum communicat termino in entitate indiuiſibili diuerſam rationem, & formalem terminabilitatem ſufficientem ſpecificare prædictas actiones ſpecie diſtinctas. Exemplum rem expendit. Electio, & vſus in ſententia Sanctiſſimi Doctoris, & cognitio intuitiua, & abſtractiua ſunt actiones intentionales ſpecie inter ſe diſtinctæ; & tamen illæ non multiplicant media in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe termini, etenim medium vnum in entitate ſub ratione eligibilis ab electione, & ſub ratione exequibilis proximè ab vſu reſpiciuntur, & iſta diuerſitas formalis terminorum refuſa eſt in illis ex diuerſo modo tendendi actionum in illa. Idem applica termino intuitionis, & abſtractiuæ cognitionis, & deinceps applicabis doctrinæ noſtræ, etenim idem terminus in entitate vnus, nempe albedo, ſub ratione vnibilis, tantum terminaret actionem illam, quæ ſolum eſſet illius vnitiua cum ſubiecto, & eadem albedo hîc & nunc terminaret ſub ratione producibilis, & vnibilis actionem hanc, quæ hîc & nunc ſimul eſt productiua illius, & vnitiua cum ſubiecto.

162. Argues ſecundò, humanitatem eſſe formam dantem ſpecificum eſſe termino totali incarnationis, non ſufficit, vt per illam producatur, vt docemus. Ergo nec ſufficiet, vt ipſa ſit terminus formalis, *quo*, illius actionis. Probo conſequentiam. Nam in hoc termino totali, *qui*, actionis calefactiuæ, nempe, calidum, id, quod dat eſſe ſpecificum illi, eſt forma ſubſtantialis, & quia hoc non ſufficit, vt producatur ex vi actionis calefactiuæ, nec ſufficit, vt ſit illius formalis terminus, vt *quo*. Ergo nec in noſtro caſu id ſufficiet. Confirmant hoc aliqui vt ſibi videntur euidenter. Inter actionem productiuam, & terminum eius formalem tanta debet eſſe connexio, vt iſte nequeat ſine illa poni, & hanc ſemel exercita non poſſit non ille poni. Quod patet inductione facta per actiones productiuas, & ſuos terminos formales. Sed in noſtro caſu res ita non ſe habent. Ergo humanitas nequit eſſe terminus formalis *quo* incarnationis. Minor ex principiis noſtris patet, nam humanitas præcedit pro priori ad incarnationem; Ergo non ita exiſtit vt poſita incarnatione exiſtat, cùm ante illam exiſtat. Ergo in noſtro caſu aliter ſe habent res, ac deſideratur, vt humanitas ſit terminus formalis, *quo*, incarnationis.

163. Reſpondeo concedens antecedēs, & negans conſequentiam. Ad probationem nego antecedens quoad vltimam partem. Etenim cauſa, ratione cuius talis complexi, *calidum* forma ſubſtantialis non eſt terminus formalis, *quo*, illius, non eſt, quia ex vi actionis calefactiuæ illa non producitur. Sed ideo illius terminus formalis non eſt, quia videlicet per actionem hanc forma ſubſtantialis materiæ primæ non vnitur, vt illam ſpecificet; ſiquidem ex vi illius calefactionis præcisè calor vnitur ſubiecto, quod in eſſe calidi conſtituit. Vnde ſi forma ſubſtantialis ex vi prædictæ actionis materiæ vniretur, & eam ſpecificaret, & hoc non ſufficeret, vt eſſet terminus formalis illius actionis, argumentum conuinceret contra noſtram reſolutionem: Siquidem nos non alia de cauſa humanitatem appellamus terminum formalem, *quo*, incarnationis, niſi quia ex vi iſtius alteri vnitur, nempe verbo, & illud conſtituit in eſſe ſpecifico hominis; quod ſufficere, vt ſit terminus formalis, *quo*, incarnationis dederunt exempla allata *numero* 250. & 251.

Ad confirmationem permiſſa maiori de connexione productiuæ actionis, & termini totalis, & diſtinguo minorem, in noſtro caſu res non ita ſe habent, vt poſita incarnatione humanitas ponatur quoad ſuam entitatem, concedo: vt actualiter ſpeciem dans termino, *qui* poſita incarnatione non ponitur humanitas, nego minorem. Et nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo antecedens humanitas pro priori naturæ præcedit exiſtens ante incarnationem, præcedit exiſtens & dans ſpecificum eſſe Verbo, nego antecedens. Præcedit exiſtens, & non ſpecificans Verbum, concedo. Et diſtinguo conſequens Ergo humanitas non ita exiſtit, vt poſita incarnatione exiſtat, non exiſtit entitatiuè, vt poſita incarnatione exiſtat non ſpecificans, nego antecedens, & nego conſequentiam. Materiam huic formæ miniſtrauerunt dicta. 164.

Argues tertiò. Repugnat humanitati eſſe terminum incarnationis paſſiuè ſumptæ. Ergo & repugnabit illi eſſe terminum incarnationis actiuè acceptæ. Antecedens patet, nam terminus incarnationis paſſiuè ſumptæ eſt hypoſtatica vnio. Conſequentia patet, quia eadem entitas, quæ eſt terminus formalis actionis, debet eſſe terminus formalis paſſionis cum illa eſſentialem connexionem habentis, vel per identitatem, vt quidam, vel per neceſſariam illationem, vt alij. Nec refert, negare vnionem eſſe terminum formalem incarnationis paſſiuè acceptæ. Non inquam refert, quia humanitati id repugnat. Ergo vnioni competere debet. Antecedens patet, nam eo ipſo, quòd humanitas ſit terminus formalis incarnationis, debet cauſare formaliter extrinſecè illam, vt paſſiuè acceptam. Ex alia parte eſt ſubiectum vnionis, quæ eſt incarnatio paſſiue accepta; Ergo duplex cauſalitas formalis ſcilicet, & materialis conuenirent humanitati, ſi ſemel admittitur, eſſe terminum formalem incarnationis paſſiuè ſumptæ. 165.

Reſpondeo notans admittendum eſſe multiplicem modum cauſandi in vna & eadem entitate, & hoc commune eſſe cunctis Authoribus. Etenim illi, qui negant, generationem eſſe ſubſtantiam, & fatentur illam accidens eſſe, aſſerunt, eumdem eſſe terminum illius, vt actio, & paſſio eſt, nam aſſerunt ſubiectari debere in ipſo genito, quod & illam in genere cauſæ formalis extrinſecè cauſat, & in genere cauſæ materialis, 166.

terialis, cùm eam recipiat. Præterea, nam apud omnes certum eſt, naturam, ſeu eſſentiam exercere erga ſuas paſſiones tria genera cauſalitatum, efficientis, quia eas cauſat, ſaltem media emanatione, finalis, quia eius gratiâ producuntur. Materialis, quia eas recipit. Ergo nullum eſt inconueniens fateri humanitatem reſpectu incarnationis exequi, & munus termini formalis *quo* illius, quatenus ex vi illius vnitur alteri, illud ſpeciem in eſſe hominis dando, & munus quaſi materialis cauſæ illius paſſiuè acceptæ, quatenus recipit vnionem.

267. Hæc dicta ſint pro reſolutione noſtra, quam veriſſimam exiſtimo, ſed quia vt notaui, rem hanc valdè vocibus intertextam eſſe, libuit vocibus hærere aliquantulùm, ſimulque fundamentum reſolutionis examinare, vt exinde appareat, quam bene diſcurreret is, qui ferret, Perſonalitatem diuinam eſſe terminum formalem, *quo*, incarnationis, vt actio; ſiquidem vel fundamentum noſtræ reſolutionis innixum regulæ illi pro tradenda definitione termini formalis, *quo*, conuincit, humanitatem eſſe debere terminum formalem incarnationis, vel non conuincit. Hoc non. Ergo Primum. Tunc ſic: Sed eamdem vim habet, vt idipſum de Perſonalitate efferamus. Ergo vel vtramque, vel nullam debemus deſignare pro termino formali, *quo*, incarnationis. Probo minorem, fundamentum erat hoc, terminus formalis, *quo*, incarnationis eſt ille, qui ex vi illius alteri extremo vnitur, illud eſſe ſpecificum dans. Sed hoc æquè de Perſonalitate ac de humanitate conuincit. Ergo eamdem vim habet, vt id ipſum de perſonalitate efferamus. Probo minorem. Nam Perſonalitas ex vi incarnationis humanitati vnitur, ſi hæc illi. Rurſum ſicut hæc ex vi vnionis ſpecificat extremum, nempe Verbum in eſſe hominis: ita & diuina Perſonalitas conſtituit humanitatem in eſſe Dei concretiuè. Ergo Perſonalitati conueniunt omnia, quæ deſiderata ſunt in humanitate, ad hoc vt conſurgat iſte terminus formalis, *quo*, incarnationis, vt actio. Ergo idem fundamentum conuincit æquè de perſonalitate, ac de humanitate; Ergo vel vtraque, vel neutra eſt dicenda terminus formalis, *quo*, incarnationis. Quapropter exiſtimo æquè probabile eſſe vtramque eſſe terminum formalem, *quo*, incarnationis, quodque impediri nequit, ex eo, quòd vni actioni non ſunt deſignandi plures termini formales, non inquam hoc impedit, vel quia iſta ſunt termini inadæquati, vel quia vni actioni ſub diuerſis denominationibus bene poterunt diſtincti termini ſaltem inadæquati correſpondere. Quòd autē Perſonalitas, & humanitas in ratione termini incarnationis ſint inadæquati, patet ex ſuis ſpecificationibus termino totali præſtitis. Chriſtus enim eſt terminus totalis incarnationis, qui eſt Deus ratione Verbi vniti humanitati, eſt homo, ratione humanitatis Verbo vnitæ. Ergo ſi ſpecificationes illarum ſunt inadæquatæ reſpectu termini, *quo*, incarnationis, cur perſonalitas, & humanitas non ſunt dicendæ termini formales inadæquati ipſius incarnationis. Nec aliqua difficultas ſe offert contra Perſonalitatem, quæ humanitatem non impetat, nec difficiliùs declinari poterit. Ergo probabiliter poteſt dici, vtramque eſſe terminum formalem, *quo*, incarnationis.

Sectio III.

Terminus totalis à quo incarnationis eſt non eſſe Chriſti, formalis à quo negatio humanitatis, vt conſtituentis, & probabiliter negatio humanitatis, & ſimul perſonalitatis conſtituentium.

Facilè ex aſſertis pro termino *ad quem* incarnationis reſolutionem iſtam abſoluemus. Imprimis notare debes, nullum terminum poſitiuū, ſaltem totalem, in hac mutatione interueniſſe, ratio, nam ſi aliquod inueniretur, eſſet perſonalitas creata; ſiquidem hæc ſola eſt incompoſſibilis cum ſubſiſtentia diuina, quæ humanitatem ſibi innexuit; quod autem pro priori ad perſonalitatem diuinam præceſſerit ſubſiſtentia creata quoad exigentiam, & debitū, non ſufficit, ſiquidem hîc & nunc poſita in humanitate perſonalitate diuina, adhuc in illa manet debitum connaturalitatis habendi ſubſiſtentiam creatam. Sed terminus *à quo* neceſſariò debet excludi realiter à termino *ad quem*. Ergo nullus terminus poſitiuus *à quo* interuenit in hac mutatione incarnationis. 268.

Nunc breuiter à concluſione tituli expediemur. Pars prima, nempe terminus totalis, *à quo*, incarnationis eſt negatio, ſeu non eſſe Chriſti. Ratio, quia terminus *à quo* negatiuus debet cōtradictoriè opponi, & duratione præcedere terminum *ad quem*; hæc autem ſola eſt negatio, ſeu nō eſſe Chriſti, Ergo, &c. Maior quoad primam partem patet, quia terminus *à quo* expelli debet per terminum *ad quem*, atque adeo cum illo debet opponi. Quoad ſecundam verò partem; conſtat; aliàs enim impoſſibilis eſſet realis tranſitus, nam licèt eſſet tranſitus realis actionis, non tamen eſſet realis in eſſe tranſitus. Minor verò probatur: nam de Fide eſt Verbum diuinum præceſſiſſe ab æterno multò antè retro cum negatione vnionis cum humanitate, quibus Chriſtus conſiſtit. 269.

Sed obiicies: Sufficit ad terminum *à quo* negatiuum, vt tantùm præcedat natura terminum *ad quem*. Vt in prima rerum productione negatio formæ non niſi natura præceſſit productionem formæ. Confirmatur: Nam ſi Deus ab æterno produxiſſet creaturā, verè illam produxiſſet ex nihilo, & tamen nihil tantùm natura præceſſiſſet in æternitate creaturam. Ergo termini *à quo* negatio non eſt neceſſe, quòd tempore, ſed quòd natura terminum *ad quem*, præcedat. Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem, nego, quòd prima formæ productio habuiſſet veram rationem mutationis, tranſitiuſve, ſed ſolùm eductionis, quia mutatio, ſeu realis tranſitus neceſſariò connotat terminum *à quo* tranſiiſſe. Ad confirmationem dico, creaturam ab æterno dici ex nihilo productam, non poſitiuè, ſed negatiuè, quia nimirum non fuiſſet ex aliquo præexiſtente ſubiecto producta. 270.

Secunda pars reſolutionis tituli erat, quòd terminus *à quo* formalis erat negatio humanitatis,

tatis, vt conſtituentis. Addidi vt conſtituentis, nam humanitas ex dictis conſiderari poteſt dupliciter, vel ſecundùm ſuum eſſe entitatiuum, vel vt conſtituens terminum totalem, *qui*, in ratione hominis. Si primo modo conſideretur, eius negatio non præceſſit ad exiſtentiam termini *ad quem*, cum pro priori præceſſerit exiſtens ex vi actionis productiuæ. Secundo verò modo accepta non præceſſit ad terminum formalem *ad quem*, ſiquidem humanitas vt conſtituens Verbum in eſſe hominis, eſt ipſe terminus formalis *ad quem*. Ex hoc patet ſecunda pars reſolutionis.

172. Tertia verò pars probabiliter infertur ex aſſertis *ſect. antec.* Nam eo modo poteſt dupliciter accipi Verbũ. Primò, vt entitatiuè exiſtens. Secũdò vt conſtituens Chriſtũ. Aſſerimus, Primo modo incarnatio nequit petere pro termino *à quo* formali negationem Verbi, bene autẽ ſecundo modo, quia verum eſt, negationem Verbi, vt conſtituentis Chriſtum Deum, præceſſiſſe incarnationẽ, in qua eſt Chriſtus factus Deus & homo.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Aſſumptiuo, & creatura aſſumptibili.

DISPVTATIO hæc ſermonem inſtituet de materia ſpectante ad quæſtionem quartam Sanctiſſimi Doctoris, quam abſoluit per ſex articulos, vbi diſputat de natura diuina, & Perſona increata quatenus habent potentiam aſſumendi alia extra ſe, & ideo in prima parte diſputationis de aſſumptiuo, hoc eſt, de potente aſſumere ad ſe inſudauimus. Poſtmodum verò exagitat Angelicus Doctor de creaturis, quæ diuinæ aſſumptionis ſunt capaces, quapropter de aſſumptibili creatura, hoc eſt, de habente potentiam, vt à Deo aſſumatur, ſermonem dirigere decreuimus. Pro quo.

DVBIVM I.

Vtrùm Deo, ratione alicuius prædicati abſoluti, poßit conuenire aſſumptiua virtus?

DVbium hoc aliqua ſupponit, & reſoluturus eſt plura. Supponit in Deo danda eſſe prædicata abſoluta à relatiuis diſtincta, & Perſonalitatibus, quod fide credimus. Supponit ſimiliter prædicata hæc ordinem aliquem prioritatis, & poſterioritatis, ſaltem per rationem cum fundamento, ex parte rei conceptæ habere; ita vt in primo ſigno concipiamus Dei eſſentiam, & naturam. In ſecundo attributa ad lineam intellectualem, & affectiuam ſpectantia. In tertio ſigno relationes Perſonales. Supponit ſimiliter, naturam diuinam, ſeu deitatem in illo ſigno primo præintellectam ad proprietates habere ſubſiſtentiam abſolutam, qua vltimò in linea exiſtendi terminatur. Hanc enim ſubſiſtentiam diſtingui, vel non diſtingui obiectiuè à natura, neutrum decernit dubium. Sed quid ſentiendum ſit in dubij reſolutione ſub vtraque parte decernemus. Vltimò ſupponit ex dicendis *diſp. ſeq.* hîc & nunc, & de facto, prædicato relatiuo Perſonalitatis Verbi competiuiſſe vim aſſumptiuam humanitatis, & conſequenter cæteris alijs Perſonis eamdem vim aſſumptiuam conuenire. His ſuppoſitis.

Quærimus in hoc dubio, an prædicato diuino abſoluto, vt virtualiter diſtincto à relatiuis, conueniat virtus aſſumptiua? Et ſub hoc dubio exundant plura; Primum, an talis virtus competat naturæ diuinæ ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ in primo ſigno illi conuenientis? Secundum, an caſu, quo talis ſubſiſtentia obiectiuè à natura non differat, poſſit hæc ratione illius naturam aliam aſſumere? Tertium, an naturæ diuinæ conueniat ratione ſui hæc vis aſſumptiua, etiam in hypotheſi, quòd illi repugnaret ſubſiſtentia abſoluta à relatiuis adhuc ratione diſtincta? Hæc ſuo ordine ſingulæ ſectiones enodabunt, ſed libuit ab hoc vltimo incipere, vt conſulam claritati.

SECTIO I.

Deus omni ſubſiſtentia abſoluta deſtitutus non habet vim aſſumptiuam alterius naturæ ad ſe.

REſolutionem hanc exiſtimo debere eſſe communem cunctis defendentibus, Deum immediatè vt abſtractum per intellectum à Perſonalitatibus poſſe terminare alienam naturam, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam in ipſo in illo primo ſigno admittendam edocent iuxta principia Sanctiſſimi Doctoris *hîc quæſt. 3. artic. 3.* vt videbimus *ſectione venienti.* 1. Rationem eius ſic formo; ſiquidem ſeparata à Deo in illo primo ſigno omni ſubſiſtentia, manet Deus in ratione deitatis, & naturæ. Sed Deus in ratione diuinæ naturæ, non habet vim ſe copulandi naturæ creatæ. Ergo negatâ Deo in illo primo ſubſiſtentiâ abſolutâ, neganda eſt Deo vis aſſumendi naturam alienam. Probo minorem, etenim implicat vnio, qua

qua poſita ex natura diuina, & humana fieret vnum ens per ſe ex illis reſultans. Sed vnio hæc eſſet eiuſmodi. Ergo repugnat Deo pro primo ſigno vis ſe alteri copulandi, ſi negetur ei omnis ſubſiſtentia. Maiorem ſuppono ex communi. Minorem probo: tum ex iis, quæ videmus, etenim quia vnio, qua materia, & forma copulantur, eſt ſubſtantialis, ideo ex illis vnitis natura vna ſubſtantialis reſultat. Sed caſu iſto vnio eſſet ſubſtantialis. Ergo ex natura diuina, & humana fieret vna natura per ſe. Tum etiam, quia ideo, quod de facto reſultat ex humanitate, & verbo, eſt vnum ens per ſe, & ſubſtantiale, quia vnio, talia extrema nectens, eſt ſubſtantialis. Sed in caſu reſolutionis vnio illa ſubſtantialis eſſet, ſiquidem id ſupponimus pro quæſtione. Ergo totum vnum per ſe ex natura Dei, & humanitate reſultaret. Tunc ſic: ſed illud reſultans non eſſet vnum in vnitate ſuppoſiti. Ergo vnum eſſet in vnitate naturæ. Minor ſubſumpta patet: nam vt ſupponimus neutra natura, nec ante, nec poſt vnionem haberet ſubſiſtentiam, & perſonalitatem. Ergo ex illis reſultans non eſſet vnum vnitate ſuppoſiti. Ergo eſſet vnum vnitate naturæ. Tunc ſic: ſed quod eſt vnum vnitate naturæ petit ſuppoſitalitatem ſibi debitam, vt videre eſt in qualibet natura in eſſe naturæ completa, quæ neceſſariò importat ordinem tranſcendentalem ad ſubſiſtentiam, & ſuppoſitalitatem ſibi debitam. Ergo præter tres proprias, quas naturæ diuinæ ex fide damus, poſſibilis eſſet alia, quæ eſſet naturæ illi reſultanti. Nunc inquiro, an ſubſtantia illa, à tali natura poſtulata, eſſet increata, vel creata? neutra determinatè: quia nec illud compoſitum naturæ reſultantis eſſet creatum, vel increatum determinatè, ratio, ſiquidem ſecundùm rationem vnam poterat dici illud totum creatum, cùm vna illius pars eſſet creata: ſimiliter & increatum, quia alia pars erat increata. Ergo ſubſiſtentia, quàm illud totum peteret, & eſſet creata, & increata.

2. Reſpondebis; totum illud determinatè debere eſſe creatum; ſiquidem totum quodlibet ſumit denominationem ab vnione, & cùm hæc eſſet creata, fieret, totum illud creatum denominandum, ſicut quia vnio totius humani eſt materialis, totum humanum materiale denominatur: & conſequenter debere petere ſubſiſtentiam creatam.

3. Sed replicabis primò: denominationem totius ſequi in omnibus vnionem partes nectentem non eſt regula generalis: cùm ex fide credamus, compoſitum hoc, *Chriſtum*, abſolutè poſſe dici increatum, quamuis vnio eius partes nectens ſemper & abſolutè ſit dicenda creata. Secundò. quia aliter diſcurri debet iuxta principia authorum, cum quibus diſputo de ſubſiſtentiæ, ac de vnionis denominatione; nam apud illos ſicut quando in ambabus partibus vnum componentibus datur ſubſiſtentia, cuilibet ſua propria ſubſiſtentia correſpondet partialis, ratione cuius partialiter vnaquæque compleatur, & reddatur incommunicabilis: & conſequenter naturam cuiuſlibet ſua ſubſiſtentia ſequitur. Ergo dum illis deſtituuntur, habebit quælibet exigentiam ad illam ſubſiſtentiam habendam, quæ illi fuerit proportionata. Ergo partes iſtius compoſiti quamuis ex ſe ſupponantur ſuarum ſubſiſtentiarum expertes, tamen vnaquæque habebit exigentiam ex ſe ad ſubſiſtentiam ſuis prædicatis correſpondentem, & proportionatam. Ergo cùm vna ſit increata nempe diuina natura, & alia creata, nempe humanitas, fiet, quòd ſubſiſtentiæ, quas exigunt, & ſint creatæ, & increatæ. Nunc peto rationem quare totum ex illis partibus reſultans determinatè creatam, vel increatam petat ſubſiſtentiam, cùm apud authores iſtos ſubſiſtentia totius componatur ex ſubſiſtentiis partialibus partium. Ergo ſicut iſtæ exigerent creatam, & increatam; ita & totum vtramque depoſcet.

Tertiò: nam dato, illud totum denominari ab vnione creata creatum, & ſimiliter ſubſiſtentiam ab illo toto petitam fore creatam. Nunc quæritur, an totum illud prædictâ ſubſiſtentiâ creatâ ſubſiſteret quoad omnes eius partes, ita vt illa ſubſiſtentia creata eſſet terminus naturæ increatæ, & creatæ? ſi affirmas, ergo iam natura increata ſubſiſteret creatâ ſubſiſtentiâ. 4.
Hoc eſſe falſum, negabit nemo, ſi non eſſet eius terminus. Ergo totum illud reſultans non poſſet reddi ſuppoſitum per illam ſubſiſtentiam, Probo; quia illa ſubſiſtentia ſuppoſitum facit naturam, quam terminat, quando omnes eius partes dicuntur illâ ſubſiſtentiâ terminari, ſed in hoc caſu natura increata, quæ eſſet vna pars illius totius, non ſubſiſteret illâ creatâ ſubſiſtentiâ. Ergo per hanc illud totum non diceretur ſuppoſitum. Ergo illud vnum per ſe reſultans ex natura increata, & creata nullam poſſet habere ſubſiſtentiam. Ergo nec poſſet ad illam importare ordinem tranſcendentalem. Ergo nequit ex illis reſultare vnum vnitate naturæ, quia hoc vnum importare eſſentialiter debet ordinem ad ſubſiſtentiam ſibi neceſſariò debitam.

Reſpondebis: illud vnum etſi completum, non exinde habiturum ſubſiſtentiam, quia poterat à Deo conſeruari abſque omni ſubſiſtentia ſiue propria, ſiue aliena. Etenim non minùs naturæ diuinæ eſſentialiter connectitur cum ſubſiſtentia, quam identificat, quàm connecteretur totum illud cum ſua ſubſiſtentia, & non obſtante illa connexione, loquimur de natura diuina abſtracta ab omni ſubſiſtentia. Ergo ſimiliter in præſenti de toto illo ſumus diſcurſuri. 5.

Sed replicabis, nam dum hypotheſim illam de natura, vt per intellectum abſtracta ab omni ſubſiſtentia abſoluta, & relatiua, ponimus, non ſumus intelligendi, taliter, quod reipſa natura diuina in ſe ſubſtantiam illam non habeat, & reipſa etiam dum intrat illam hypotheſim, aliquâ ſubſiſtentiâ non terminetur, quia talis hypotheſis eſſet deſtruere conceptum quidditatiuum naturæ diuinæ, atque adeo ſubiectum hypotheſis, & conſequenter caſum illius. Sed volumus dicere, quòd natura diuina, aliàs prædictis ſubſiſtentiis terminata, nequeat ratione ſui immediatè vniri naturæ creatæ, caſu, quo non vniatur illi ratione alicuius ſubſiſtentiæ, vel abſolutæ, vel relatiuæ; non abſimiliter ac habemus pro certo, verbum diuinum 6.

ratio

ratione prædicati relatiui humanitatem terminaſſe, non verò ratione alicuius prædicati abſoluti, quamuis verbum illud per identitatem habeat; & colligimus hoc eſſe poſſibile, quia ex verbo diuino ratione relatiui, per quod vnitur humanitati, & ex hac fit compoſitum per ſe increata ſubſiſtentiâ ſubſiſtens. Ergo vice verſa colligere licebit impoſſibilitatem compoſiti reſultantis ex natura diuina, & humana ex eo, quòd tale compoſitum implicet terminari aliquâ ſubſiſtentiâ.

7. Præterea ſolutionem impugno. Aliud eſt abſtrahere ſubſiſtentias per intellectum à natura diuina; & aliud eſt illam vniri ratione ſui cum creata natura ad conſtituendum vnum compoſitum ex ambabus, & illud ſic concipere completum, vt nullam ſubſiſtentiam habeat à parte rei. Illud bene percipitur, cùm ob eminentiam diuinorum, & imperfectionem intelligentium plura prædicata diuina ab aliis ratione noſtra ſeiungamus, vt intellectum à voluntate. Tamen ſemel abſtracto intellectu, non poterit mens noſtra concipere prædicatum in Deo, cui vis proxima intellectiua aſcribatur; ita in præſenti licèt poſſimus à natura diuina abſtrahere prædicata omnia ſubſiſtendi, tamen ſemel illis abſtractis ab illa, nequit noſtra mens rationabiliter percipere in Deo prædicatum, cui talis vis aſſumptiua alterius naturæ competere dicatur, ſiquidem illi toti ex natura diuina, & creata reſultanti neceſſariò competere debebat aliqua ſubſiſtentia; hæc non poterat eſſe increata, quia hæc abſtracta eſt à natura diuina in hypotheſi, nec creata, quia per illam omnes partes illius compoſiti non poterant terminari, vt vidimus. Ergo talis compoſitio repugnat, dicere autem poſſe Deum conſeruare totum illud ſine ſubſiſtentia propria, vel aliena, impugnabit numerus ſubſequens.

8. Non poſſe Deum in tali hypotheſi conſeruare totum illud ſine ſubſiſtentia propria, vel aliena, probo: imprimis totum illud exiſteret exiſtentiâ verâ. Ergo debebat ſubſiſtere ſubſiſtentiâ verâ. Antecedens eſt euidens, nam in hypotheſi vnionis exercitæ extra cauſas duorum extremorum nequit Deus supplere, quòd illa extrema vt actualiter ſe vnientia non exiſtant. Conſequentia euidens eſt iuxta principia ſanctiſſimi doctoris: nam ſubſiſtentia priùs reſultat in re, quàm eius exiſtentia. Ergo ſi Deus in hypotheſi vnionis exercitæ ſuæ naturæ cum creata, nequit ſupplere in compoſito ex illis reſultante exiſtentiam actualem, ita nec poterit ſupplere ſubſiſtentiam in illo, ſiue propriam, ſiue alienam. Idem argumentum fit de parte iſtiua compoſiti, nempe de natura creata, nam de increata datur nota diſparitas, vt poſtea me videbo de illa.

9. Secundò idipſum probo, per vos compoſitum illud reſultans eſſet dicendum propriè creatum. Sed Deus nequit in ente creato ſupplere ſubſiſtentiam propriam, vel alienam. Ergo non poterit Deus ſupplere in compoſito illo ſubſiſtentiam propriam; vel alienam. Probo minorem, Deus nequit ſupplere vtrumque extremum contradictionis. Sed ſi ſuppleret ſubſiſtentiam propriam, & alienam, vtrumque contradictorium ſuppleret. Ergo ſupplere nequit ſubſiſtentiam propriam, & alienam. Minorem probo, exiſtere per ſe, vel exiſtere incommunicabiliter alteri, vel exiſtere communicabiliter alteri, tanquam ſuppoſito, eſt duplex contradictorium. Sed ſi propriam, & alienam ſubſiſtentiam Deus ſuppleret, & illa contradictoria ſuppleret. Ergo ſi ſuppleret ſubſiſtentiam propriam, & alienam, duplex contradictorium ſuppleret. Probo minorem; nam ſubſiſtentia propria facit rem incommunicabilem alteri, tanquam ſuppoſito, ſubſiſtentia aliena reddit rem communicabilem alteri. Ergo iſta extrema contradictionis ſuppleret; qui vtramque ſubſiſtentiam ſuppleret; ſiquidem de re nulla ex iis ſubſiſtentiis terminata non poterit verificari, quòd eſſet communicabilis, vel eſſet incommunicabilis poſitiuè alteri. Confirmatur: nam ideo inſupplebile eſt à Deo, quòd aliqua res exiſtens ſit ſine vbi, quia ſequeretur; Deum ſupplere poſſe vtrumque extremum contradictionis, nempe rem illam eſſe diſtantem ab aliis, & non eſſe diſtantem ab illis. Ergo ideo repugnabit, rem illam completam eſſe ſine propria, vel aliena ſubſiſtentia, quia aliàs ſupplebile foret illud duplex contradictorium: Conſequentia patet, nam non minùs hæc, quàm illa contradictoriè opponuntur, ſiquidem non minùs connectitur cum re completa in eſſe entis, eſſe in ſe, aut in alio, quàm cum eadem à parte rei exiſtenti, eſſe diſtantem ab aliis, & non eſſe ab aliis diſtantem. Sed ob hanc cauſam nequit Deus ſupplere in aliqua re exiſtente ſuum proprium vbi. Ergo nec propriam ſuam, vel alienam ſubſiſtentiam. Ergo implicabit, illud compoſitum reipſa exiſtens, creatam, vel increatam ſubſiſtentiam non habere. Atqui vtramque vidimus illi repugnare. Ergo tale compoſitum ſaltem à poſteriori repugnabit.

Sed reſpondere poteris, compoſitum illud 10.
ſubſiſturum fore per ſubſiſtentiam abſolutam naturæ diuinæ, quod ſic poteſt explicari, nam licèt ſupponat hypotheſis, naturam diuinam in primo ſigno abſtrahere à ſubſiſtentia abſoluta, & ſic abſtractam vniri ratione ſui naturæ creatæ, tamen in ſigno poſteriori, poſtquam vnita eſſet diuina natura illi, reſultare poterat ſubſiſtentia abſoluta, media qua, tam ipſa, quàm natura creata dicerentur ſubſiſtere: vnde duo ſigna concipi poſſunt. Vnum in quo ambæ naturæ immediatè vniantur, alterum, in quo ſubſiſtentia abſoluta reſultet in diuina natura, ratione cuius ipſa, & natura creata, necnon totum compoſitum ſubſiſtere dicerentur.

Sed replicabis, nam ſolutio hæc per aliam 11.
viam incedens, diſtinctam petit obiectionem. Permiſſo, quòd in ſigno poſteriori reſultare poſſet ſubſiſtentia abſoluta, quod valdè ambiguum eſt, cùm apud communem ſententiam, natura diuina, & ſubſiſtentia abſoluta nec formaliter per rationem inter ſe diſtinguuntur, quapropter ibi non datur vnum & aliud, vt verificari poſſit, quod ſubſiſtentia abſoluta reſultare poſſit pro ſigno poſteriori ex natura diuina, ſicut verificatur de relationibus, & proprietatibus aliis, quæ quia à natura virtualiter differunt, dicuntur ex illa virtualiter pro ſigno ſequenti reſultare. Sed adhuc permiſſo hoc, &

quòd ambo prædicata inter ſe differant modo dicto, & quòd ſubſiſtentia abſoluta pro poſteriori reſultare valeat ex diuina natura; adhuc aſſet impoſſibile à prædicta ſubſiſtentia tale compoſitum terminari; ratio, nam eo ipſo, quòd ſubſiſtentia abſoluta ſit poſterior natura diuina, hanc debet eſſentialiter ſupponere. Ergo, vt talis ſubſiſtentia complete, ſeu terminate poſſit naturam creatam, neceſſariò ſupponere debet vnionem naturæ diuinæ cum creata pro ſigno priori. Sed impoſſibilis eſt naturæ diuinæ ſub conceptu naturæ vnio ſubſtantialis cum creata. Ergo impoſſibilis eſt terminatio per ſubſiſtentiam abſolutam in ſigno poſteriori venturam. Minor patet, nam talis vnio eo ipſo, quòd ſubſtantialis, deberet eſſe compoſitio per ſe. Hoc repugnat, ergo & illa vnio. Probatur minor: nam quælibet harum naturarum eſſet ens completum; ergo repugnaret vtrique eſſe alterutrius perfectibilis, & perfectiua. Sed naturis, quibus repugnat ratio perfecti, & perfectibilis, repugnat vnio, quæ ſit compoſitio per ſe, hoc eſt, ſubſtantialis. Ergo talibus naturis repugnabit vnio in primo ſigno celebranda, quæ ſit per ſe & ſubſtantialis compoſitio. Ergo repugnabit illis terminari à ſubſiſtentia abſoluta, quæ in poſteriori ſigno celebrari deberet.

12. Amicus *hic diſput.* 14. *ſect.* 5. *num.* 56. quem ſequitur Bernal *diſput.* 24. *ſect.* 1. §. 3. *num.* 14. defendunt, non repugnare naturam diuinam immediatè terminare ſubſtantialem vnionem naturæ creatæ ad ſe, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam, ratione diſtinctam à relatiuis. Probat id Amicus, quoniam exiſtentia naturæ diuinæ eſt poſitiuè perfecta, & completa in ratione exiſtentiæ, ſolùmque illi deeſt, vt non ſit ſubſiſtentia, negatio communicabilitatis alteri, vt termino ſubſtantiali intrinſeco: exiſtentia autem cuiuſque naturæ creatæ, etiam in ratione exiſtentiæ, eſt poſitiuè incompleta, vlteriùs poſitiuè complebilis per intrinſecum terminum ſubſtantialem propriæ, vel alienæ ſubſiſtentiæ. Ergo poterit hanc perfectionem poſitiui complementi ad perfectè exiſtendum accipere à natura diuina. Conſequentiam probat, quia poteſt à natura diuina accipere, quidquid acciperet à propria ſubſiſtentia, ſed à propria ſubſiſtentia non ſolùm acciperet incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, vt termino ſubſtantiali intrinſeco, ſed etiam poſitiuum complementum perfectè exiſtendi. Antecedens quoad priorem partem de natura diuina patet. Quoad poſteriorem partem de natura creata probatur, quoniam illa exigit ſubſiſtentiam, non tantùm vt per illam fiat incommunicabilis, ſed primariò & principaliter, vt per eam poſitiuè compleatur in ratione exiſtendi, quod ſic probat, incommunicabilitas eſt effectus negatiuus, cùm formaliter dicat negationem communicabilitatis, quod eſt quid poſitiuum. Nulla autem perfectio primariò, & per ſe exigitur à natura propter effectum negatiuum, ſed propter effectum poſitiuum, quem immediatè, & per ſe importat, vt inductione conſtat, & ratio conuincit, aliàs fruſtaneus eſſet effectus poſitiuus, ſi ſolùm propter negatiuum exigeretur. Ergo ſi ſubſiſtentia creata exigitur à natura creata, primariò & per ſe propter aliquem effectum poſitiuum, quem primariò confert naturæ, hic autem alius eſſe nequit, quàm perficere, & complere illam in ratione exiſtendi, quia cùm reliquas perfectiones ad ſubſtantialem naturam requiſitas, habeat natura ex ſe, non ſupereſt, in quo alio poſſit à ſubſiſtentia perfici, quàm in ratione exiſtendi.

Reſpondeo, rationem hanc plura inuoluere, quæ ſunt valde diſſona principiis ſanctiſſimi Thomæ, imprimis ſupponendum eſt ex ipſo angelico Magiſtro exiſtentiam, & ſubſiſtentiam diſtingui realiter in creatis, ita docet *quodlib.* 2. *quæſt.* 2. *articulo* 4. *ad* 2. per hæc: *licèt ipſum eſſe non ſit de ratione ſuppoſiti, quia tamen pertinet ad ſuppoſitum, & non eſt de ratione naturæ, manifeſtum eſt, quòd ſuppoſitum, & natura non ſunt omnino idem in quibuſcunque res non eſt ſuum eſſe:* vbi docet, quòd licèt, exiſtentia pertineat ad ſuppoſitum, eo quòd ipſum eſt, quod exiſtit per ſe, tamen formale conſtitutiuum ſuppoſiti non eſt ipſa exiſtentia. Ergo hæc eſt diſtincta à ſubſiſtentia, quæ ſuppoſitum conſtituit. Rurſum nota, effectus formales primarios exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ eſſe realiter diſtinctos, iuxta placita communia diſcipulorum ſanctiſſimi doctoris, effectus enim ſubſtantialis ſubſiſtentiæ eſt, naturam eſſe formaliter completam in genere ſubſtantiæ; effectus verò formalis exiſtentiæ eſt naturam reddere completam in genere entis. Rurſum nota ex eodem ſanctiſſimo Magiſtro effectus iſtos, ſicut & ſuas formas, habere ordinem prioris, & poſterioris. Priùs conuenit naturæ creatæ ſubſiſtentia, & eius formalis effectus, & poſteriùs conuenit ei exiſtentia, & eius formalis effectus; ſiquidem, vt phraſis eſt apud Thomiſtas ſuppoſitum eſt immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ, non verò natura. His omnibus celeriter notatis facile erit cuique ſatisfacere argumento illi negando plura, quæ præiactis doctrinis ſunt aduerſaria. Imprimis falſum eſt, quòd exiſtentia creata ſit complebilis per ſubſiſtentiam, nam hoc ſonat, ſubſiſtentiam, vtpote complementum exiſtentiæ, debere eſſe illa poſteriorem. Rurſum, nam ſi exiſtentia naturæ diuinæ ita compleret creatam, vt ei immediatè vniretur, cùm talis vnio eſſet ſubſtantialis, taliter vt ex illis fieret vna adæquata exiſtentia, iam cùm exiſtentia diuina non poſſat habere rationem ſubiecti perfectibilis, deberet habere rationem actus perficientis, & exiſtentia naturæ creatæ eſſet ſubiectum perfectibile per vlteriorem actum; at hoc ſuo conceptui eſſentiali repugnat, quippe eſt eſſentialiter vltima actualitas, incapax terminari vlteriori actualitate, vt ſupponimus. Præterea, quia cùm eſſentialiter ſubſiſtentia ſit prior, quàm exiſtentia, fit, diuinam naturam non poſſe immediatè vniri creatæ, complendo eius exiſtentiam, quin priùs compleat, vel ſuppleat illius ſubſiſtentiam; at vt ſupponimus in illo primo ſigno, quo vniretur natura diuina creatæ, nullam haberet ſubſiſtentiam, per quam ſaltem ſupplere poſſet ſubſiſtentiam creatam. Ergo nec in ratione exiſtentiæ ſupplentis, vel complentis exiſtentiam creatam, poterit diuina natura vniri ſubſtantialiter naturæ creatæ. 13.

Bernal citatus aſſerit, ſententiam ſuam placere 14.

cere

tere debere Thomiſtis, quorum iudicio humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam diuinam abſolutam, & ad hunc effectum illi fuit vnita; quia licèt eſſentia diuina non inuolueret abſolutam ſubſiſtentiam formaliter, includeret exiſtentiam: proinde Thomiſtarum iudicio poſſet humanitas per eam exiſtentiam exiſtere, & conſequenter vniri cum ipſa ad eum effectum. Verùm exiſtimatio hæc ſiſtit in propria exiſtimatione authoris. Etenim Thomiſtæ non tenemus de facto, humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Dei independenter ab hypoſtheſi: nam pars nobilior Thomiſtarum defendit, humanitatem priùs ſubſiſtere ſubſiſtentiâ Verbi, & deinceps exiſtere exiſtentiâ abſolutâ Dei. Vnde apud nos ſubſiſtentia non additur exiſtentiæ, ſed potiùs illa hanc antecedit, adeo vt effectus formalis ſubſiſtentiæ ſit facere naturam exiſtẽtiæ capacem; atque adeo iuxta hæc priùs eſt, naturam humanã ſubſiſtere per ſubſiſtentiã verbi, quàm exiſtentiâ Dei abſolutâ exiſtere: & hoc genus vnionis longè diuersũ eſt ab eo, quod intẽdit ſtabilire Bernal, vt de ſe patet.

15. Suadet ſuam ſententiam *num.* 15. ex Toletano 6. in confeſſione fidei. Cùm enim doceat, humanam Chriſti naturam non fuiſſe vnitam diuinæ, ſolùm aſſignat pro ratione; quia ſi fuiſſet illi vnita, omnes tres perſonæ eſſent ſimul incarnatæ. Vbi ponderat tria: primum eſt, ſermonem eſſe de nexu naturæ humanæ cum diuina; ideoque independenter ab eo, quòd hæc habeat, vel non habeat ſubſiſtentiam abſolutam. Secundum eſt, rationem, quam aſſignat concilium, non eſſe fidei, ſed diſcurſus theologici, nempe quòd inde ſequatur, tres perſonas incarnatas eſſe. Tertium eſt, non aſſignaſſe concilium impoſſibilitatem, quæ pariter ſpectat ad diſcurſum theologicum: ſi tamen concilio vera fuiſſet viſa impoſſibilitas, non potuiſſet ſilentio prætereiri. Nec enim concilium latebat, ſed potiùs præſentiſſima obuerſabatur celebris illa Patrum ſententia aduersùs Eutichem aſſerentium, impoſſibilem eſſe vnionem in natura. Quæ quidem locutio, ſi iuxta ſenſum, quem primo aſpectu præſefert, concilio placuiſſet, prima, & potiſſima fuiſſet adhibita pro ratione definitionis. Concilium verò perſpexit, ſenſum eius propoſitionis, non eſſe illum, ſed iſtum; non poſſe in natura fieri vnionem, id eſt, vnitatem, ita ſcilicet, vt per vnionem reſultet ex duabus naturis vna, ſicut non ex duobus extremis incarnationis reſultat vna perſona. Cùm autẽ conc. aliquid amplius intenderet, nẽpe vnionẽ non eſſe factam ita, vt phyſicè, ac immediatè diuinã affeceret naturam, idque non cenſeret impoſſibile, ideo pro ratione non adhibuit, impoſſibilẽ eſſe talem vnionem.

16. Reſpondeo, imprimis, iam admitti t Bernal in prima ponderatione, PP. illius concilij abſolutè dixiſſe talem vnionem impoſſibilem eſſe; & licèt ratio hæc impoſſibilitatis non fuerit à concilio allata, ſuppoſita tamen fuit ab illo, quippe à Patribus concilij tradita, & quia aliunde quaſi ex terminis ipſis talis impoſſibilitas conſpicua videtur eſſe cunctis, in definitionibus enim concilia non ſemper omnia motiua, quæ conuiocant ſua decreta, ſcribunt; ſed quæ illis bene videtur; imo frequentiùs vnum vel alterum afferunt, quod iudicant opportunius ad reuincendum hæreticos, contra quos inſtituitur diſputatio; ideoque cùm plures hæretici ex vna parte admiſiſſent poſſibilem eſſe vnionem in natura, & ex alia negaſſent vnionem trium perſonarum, optima ratio fuit data à concilio, vt definiret vnionem non eſſe factam in natura, quia ex illa ſequeretur vnio in tribus perſonis, quod iudicabant impoſſibile ſequi aliqui hæretici. Præterea, nam apud Bernalium certum eſt, concilium iudicare impoſſibilem eſſe vnionem naturæ creatæ cum diuina natura, taliter quòd ex tali vnione reſultet vna natura: ad quid ergo daturus erat pro ratione definitionis id, quod non ſemel declaratum habebat. Vnde eo ipſo, quòd admittat Bernalius eſſe impoſſibilem vnionem in natura, ita vt ex illis fiat vna natura, idque cenſuiſſe concilium, apertè tenetur fateri abſolutè negauiſſe concilium poſſibilem eſſe vnionem immediatam in natura; ratio, quia vnio hæc inter ambas naturas, vel eſt ſubſtantialis, vel non? ſi dicas hoc, nihil affertè ad rem; nam hic loquimur de vnione, quæ intra genus ſubſtantiæ conueniret cum vnione hypoſtatica. Ergo deberet eſſe, ſubſtantialis, & per ſe. Ergo ex illis vna tertia natura deberet reſultare: quia nunquam eſt viſa vnio per ſe, quæ non ſit compoſitio per ſe, nec dabilis eſt compoſitio per ſe, quæ ſecum non ferat compoſitum reſultans ex extremis, quæ vniendo ſe viciſſim componant. Ergo ſemel admittente Bernalio concilium iudicaſſe impoſſibilem vnionem in natura, ita vt ex illis reſultet vna; tenetur admitere virtualiter etiam, & in re idem concilium iudicaſſe, impoſſibilem eſſe abſolutè vnionem immediatam creaturæ cum natura diuina; cùm talis vnio nequeat ſubſiſtere, quin ex extremis, quæ nectit, reſultet vna tertia natura, quod impoſſibile à concilio teſte Bernal. iudicabatur.

Sed poteſt obiici à Bernalio ex his, quæ adhibet *num.* 17. *&.* 16. etenim non eſt idem, 17.
vnionem hanc fieri in natura, ac fieri in natura, vt ex illis reſultet vna natura. Ergo definitio concilij licèt tetigerit ſecundum, non tamen primum. Antecedens probat, nam talis vnio plura præſtare poſſet creatæ naturæ, propter quæ poterat à Deo fieri. Ergo neceſſe non eſt, quòd talis vnio vtriuſque naturæ ferat ſecum compoſitionem vnius naturæ ex illis reſultantis. Probo antecedens, etenim tria ex vi vnionis illius poterant humanitati præſtari. Primum, quòd humanitas per diuinitatem phyſicè, & immediatè ſanctificaretur. Secundum, quòd P. Filius & Spiritus S. eſſent hic homo. Tertium, & quòd iudicat Bernal primum, quòd humanitas diuinitati, & è conuerſo, formaliter eſſet vnita. Confirmari poteſt ex Bern. *n.* 17. etenim quamuis ſolus hic effectus ex vnione illa reſultaret, nempe humanitatem eſſe diuinitati vnitam, talis vnio non eſſet impoſſibilis. Ergo &c. Antecedens probat, nam etiam quando extrema naturaliter vniuntur, non ſemper neceſſe eſt, alterum ab altero formaliter denominari, vt patet in duabus partibus continui verbi gratia duobus palmis ligneis, ambos enim vnio denominat vnitos, & continuatos, neuter autẽ alteri tribuit formalem aliũ effectum,

vel denominationem, multò ergo minùs id requiritur in omni euentu, quo extrema ſupernaturaliter vniuntur, quippe effectum formalem exhibendum, certa quædam requiritur proportio, quam non habet quodlibet extremum, cùm quolibet, cui ſolùm diuinitus vniri poteſt, vt patet in Angelo, cui diuinitus vniretur albedo, dicitur hæc non illum redditura formaliter album, & in ſententia probabili tenente, quantitatem, & qualitatem panis, & vini per conſecrationem deſtructi, permanere vnitas ad Christi ſubſtantiam vnione formali, nec tamen illam reddere qualem, aut quantam, & in ſententia communi, perſonam diuinam lapidi vnitam minimè illum ſanctum denominaturam. Ergo vnio illa humanitatis cum natura diuina, quamuis aliam denominationē in extremis nō cauſaret, niſi ambo vnita denominaret, non eſſet impoſſibilis.

28. Reſpondeo, impoſſibilitatem talis vnionis non oriri ex impoſſibilitate extrema his vel illis denominationibus denominandi, ſed ex prædicatis intrinſecis talis vnionis, quæ cùm eſſet ſubſtantialis, & per ſe (nam de accidentali non curamus) eſſentialiter peteret, ita ſibi & inter ſe annectere extrema, vt ex illis vnum per ſe coaleſcere deberet propter rationem ſæpe datam; aliunde verò cùm oſtenderimus tale compoſitum eſſe impoſſibile, fit exinde, prædictam vnionem impoſſibilem eſſe. Quod autem ſe poſſent, vel non talia extrema viciſſim denominare, eſt ſupponere poſſibilem eſſe vnionem hanc inter prædicta extrema, & conſequenter & ipſam quæſtionem examini traditam.

Sectio II.

Poteſt Deus aſſumere naturam creatam ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, ſi hæc obiectiuè differat ab illo.

29. Reſolutio hæc communis debet eſſe contra diſcipulis ſanctiſſimi doctoris: ſiquidem omnes illi defendunt abſolutè propoſitionem hanc *vt ſect.* 3. edixeram, natura diuina poteſt ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ naturam creatam aſſumere; ſi tamen ab eiſdem quæras, an ſubſiſtentia abſoluta virtualiter differat ab eſſentia diuina? tenebuntur reſpondere negatiuè, iuxta principia, quæ iacta ex Ang. Præcept. relinquunt *tr. de Trinitate*, vbi commune eſt Thomiſtis, minimè ſubſiſtentiam abſolutam diſtingui virtualiter à natura diuina. Ergo ſi prædicti authores defendunt hîc vt ſectio ventura dabit, quòd diuina natura per ſubſiſtentiam abſolutam poteſt humanitatem aſſumere, quamuis ſubſiſtentia iſta virtualiter à diuina eſſentia non differat, à fortiori idipſum affirmare tenebuntur eam, quo virtualiter ab illa differre ſupponatur. Quapropter vocandi ſunt pro iſta concluſione Thomiſtæ.

30. Ratio breuis: non minùs ſubſiſtentia abſoluta in linea terminandi deitatem eſt infinita, ac ſubſiſtentia relatiua dicatur infinita in linea terminandi diuinam naturam. Atqui hæc, quia infinita, ita terminat naturam diuinam, vt ſeipſa terminare valeat quamlibet creatam terminationis capacem. Ergo illa ob ſuam etiam infinitatem ita eſſentiam Dei terminabit, vt quācunque creaturam aliàs capacem terminare poſſit. Paritas conſequentiam probat, & confirmatur. Etenim cognitio diuina, quia infinita in ſua linea, non ſolùm terminatur intentionaliter ad diuinam eſſentiam, ſed ad quidquid intelligibile; etſi terminatio hæc ei deficeret, ab infinitudine in ſua linea caderet diuina cognitio. Ergo ſi ſubſiſtentia diuina eſt infinita in ſua linea phyſicè terminandi diuinam eſſentiam, potens debet eſſe ad terminandum phyſicè quidquid creatum phyſicè terminabile, aliàs finem, & limitationem in ſua linea cognoſceret.

Reſpondebis, eſſe diſparem rationem, quia ſubſiſtentia verbi non ideo humanitatem reddit completè terminatam, quia vtcunque infinita eſt, ſed quia relatiua eſt. Sed replicabis, quia reddere humanitatem vltimò terminatam non conuenit ſubſiſtentiæ verbi, quia relatiua eſt. Ergo ruit ſolutio. Probo antecedens, nam iuxta communem ſententiam admittentem ſubſiſtentias creatas eſſe modos à natura diſtinctos, negant illas eſſe quid relatiuum, ſed quid abſolutum, vt dedimus *tract.* 1. 31.

Sed obiicies, natura illa aſſumpta ab iſta ſubſiſtentia abſoluta non redderetur incommunicabilis alteri. Ergo ab illa non redderetur ſubſiſtens. Antecedens patet; nam nihil amplius abſoluta ſubſiſtentia poſſet humanitati præſtare, quàm diuinæ, & propriæ naturæ confert. Sed hanc non reddit incommunicabilem, cùm ipſa etiam diuinis perſonis communicetur. Ergo nec humanitatem reddet incommunicabilem. Nunc conſequentiam primam probo: etenim effectus, licèt ſecundarius ſubſiſtentiæ vt ſic, eſt indiſpenſabiliter naturam quam terminat, reddere alteri incommunicabilem. 32.

Reſpondeo mea non intereſſe onus mihi imponere defendendi, an ſubſiſtentia abſoluta in Deo reperta ſit vera, vel minùs ſtricta ſubſiſtentia, an valeat reddere naturam incommunicabilem, necne; ſed quod meo muneri inſeruit pro nunc eſt, an data hypotheſi, quòd de facto detur in Deo illum incommunicabilem reddens, poſſit eumdem effectum præſtare creatæ naturæ, cui copuletur. Verùm ex aſſertis *tr. de Trinit.* dicimus, ſubſiſtentiam hanc abſolutam de facto reddere deitatem incommunicabilem, alteri ſuppoſito, & licèt tribus ſuppoſitis communicetur, illa non ſunt deitati aliena, ſed propria, & à natura diuina expoſtulata. Vel quia licèt illis communicetur, non id euenit ex indigentia naturæ ſemel ſubſiſtentis abſolutæ, ſed ex fœcunditate naturæ illâ ſubſiſtentiâ terminatæ; quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile non reſultarent in Deo tres aliæ ſubſiſtentiæ, ſola ſubſiſtentia abſoluta diceretur deitas perfectè ſubſiſtens, & terminata; imo & ſuppoſitum, atque perſona; nam ratio, ob quam hîc & nunc, licèt deitatem ſubſiſtentē reddat, ſuppoſitū, nec perſonā facit, 33.

eſt,

eſt, quòd deitas, vt per illam terminata aliis communicatur, & vlterius ab eiſdem completur; at in caſu, in quo per poſſibile, vel impoſſibile nulla alia ſubſiſtentia relatiua præter abſolutam daretur, vltimò per illam ſolùm diceretur Deus completus, atque adeo nihil tunc obeſſet, quominus Deo communicaret, triplicem denominationem, ſubſiſtentis ſcilicet ſuppoſiti, & perſonæ, non autem ſolùm præſtat Deo primam, & eamdem præſtaret creatæ naturæ, ſi illam terminaret.

34. Replicabis: ſi ſubſiſtentiâ iſtâ humanitas terminaretur, non poſſet non illam conſtituere perſonam. At hoc eſt falſum. Ergo &c. antecedens patet, nam perſona nihil aliud eſt, quàm indiuidua, & rationalis ſubſtantia ſubſiſtens, vt *quod*, minor patet, nam ſubſiſtentia hæc abſoluta deitatem perſonam conſtituere non poteſt. Ergo nec humanitatem, quam terminaret. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia etiam liquet, nam nihil amplius humanitati communicaret præter id, quod naturæ propriæ confert de facto. Reſpondeo, nego maiorem, ad probationem patet ex aſſertis n. antecedenti.

35. Argues ſecundò: humanitas illa prædictâ ſubſiſtentiâ abſolutâ terminata non fieret perſona per illam, vt aſſerimus. Ergo nec ſubſiſtens: ſiquidem vt aliqua natura ſemel perfectè ſubſiſtens ſit perſona, nihil ampliùs deſideratur præter hoc quòd natura, cui communicatur ſubſiſtentia, rationalis ſit. *Reſp.* concedendo antecedens, & negans conſequentiam; nam diuina natura ſupra rationalis eſt, & per iſtam ſubſiſtentiam perfectè completur, & tamen perſona non eſt. Ad probationem ibidem imbibitam aſſero, præter aſſignata petitur à ratione perſonæ, quòd natura perfectè ſubſiſtens alteri minimè communicetur, cùmque tam diuina natura, quàm humanitas, tametſi ſint naturæ intellectuales & ſubſiſtentes, vt *quod*, tribus aliis ſuppoſitis communicetur, fit, nullam ex illis euaſuram perſonam, bene tamen ſubſiſtentem.

36. Sed replicabis, vel humanitas illa, & deitas perfectè prædictâ ſubſiſtentiâ abſolutâ ſubſiſtere dicuntur, vel non? hoc non dices. Ergo primum. Ergo vtraque natura vera perſona euadet. Probo hanc: ſi aliquid obeſſet, maximè, quia vtraque natura tribus perſonis communicatur aliis perſonis. Sed ratio hæc non obſtat. Ergo fuit ſolutio data: probo minorem: de fide eſt, naturam perſonalitate patris terminatam, & illâ ſubſiſtentem communicari Filio, & Spiritui ſancto: & tamen de fide eſt, ſubſiſtentiam paternitatis conſtituere deitatem veram perſonam. Ergo ſi ſemel admittimus humanitatem in tali caſu fieri perfectè ſubſiſtẽtem, non oberit, quòd aliis tribus perſonis communicetur, vt perfectè perſona per talem ſubſiſtentiam euadat.

37. Reſpondeo mutuans ſolutionem ex datis *tract. de Trinitate*, affirmo vt millies dixi, humanitatem reddi perfectè ſubſiſtentem, ſicut & deitatem per hanc ſubſiſtentiam abſolutam, & nego conſequentiam; ad probationem, concedo maiorem iuxta limitationẽm in diſparitate dandam, & nego minorem, ad probationem concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam, diſparitas eſt hæc: quòd ſubſiſtentia relatiua paternitatis formaliter aliis perſonis non communicatur, nec per relatiuas ſuas ſubſiſtentias prædicta ſubſiſtentia patris completur, aut terminatur, vt de fidei dogmatibus diſcurſus theologicus communiter affirmat: vnde de natura, quæ paternitate ſubſiſtit, verificatur ſolùm aliis perſonis communicari, & ſuis terminari ſubſiſtentiis relatiuis; non verò de ipſa, vt paternitate terminata, & ſubſiſtente, taliter, quòd, ly *vt*, aſſerat, ipſam perſonalitatem paternitatis aliis perſonis communicari; contrarium inuenio in ſubſiſtentia abſoluta, ſiue reſpectu deitatis, quam de facto immediatè terminat, ſiue reſpectu naturæ creatæ, quam de poſſibili terminaret: etenim hîc & nunc non ſolùm deitas communicatur perſonis, & à ſuis perſonalitatibus completur, verùm & ipſa ſubſiſtentia abſoluta illis communicatur, & à prædictis ſubſiſtentiis relatiuis completur, & vlterius terminatur. Exinde ergo deitas non redditur perſona ab illa ſubſiſtentia, nec redderetur humanitas, caſu quo hæc ab illa terminaretur; quia in tali caſu de illo homine eſſet verum quòd eſſet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſicut de Deo idem de facto dicitur, vt infrà aſſeram.

Sectio III.

Poteſt Deus aſſumere naturam creatam ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, etiamſi hæc virtualiter, & obiectiuè à natura Dei non differat.

Reſolutionem hanc his terminis pronuntio, non quia apud me dubium ſit de indiſtinctione ſubſiſtentiæ abſolutæ; ſed quia apud recentes authores eſt ſubortum diſſidium. Nam quidam etſi nobiſcum conueniant in hypotheſi, quòd ſubſiſtentia abſoluta obiectiuè à natura diuina differat, negant tamen ſi eamdem formaliter obiectiuè cum ipſa Dei natura identificemus, ita Martinus Perez *diſp.* 10. *ſect.* 4. Nos autem affirmatiuam partem tuemur, & exiſtimo eſſe de mente omnium Thomiſtarum, ſubſiſtentiam diuinam abſolutam admittentium; ita Priſci, Richardus *in 3. diſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. Scotus *quæſt.* 1 *art.* 3. §. *ad quæſt.* & *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. Durandus *diſtinct. prima, quæſt.* 4. Ochamus, Gabriel, & Almainus *ibidem.* Caietanus, Medina, Vuigers *hîc articul.* 3. Valentia *quæſt.* 3. *part.* 5. Suarez *hîc diſput.* 13. *ſectione* 1. Raguſa *diſputatione* 50. Bernal *diſputatione* 24. *ſectione* 1. Auerſa *quæſtione* 3. *ſectione* 2. §. *tertio denique.* Cippullus *hic quæſtione* 3. *articulo* 3. *dubio vnico.* §. 2. iſti omnes abſolutè docent Deum ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam poſſe humanitatem aſſumere, & licèt ipſi expreſsè id non decernant ſub hypotheſi, quòd ſubſiſtentia abſoluta indiſtincta, vel diſtincta ſit ab eſſentia, tamen cùm ſanctiſſimus doctor, vt bene diſcurrunt Patres Carmelitani *tomo ſecundo, tractatu de Trinitate, diſputatione nona, dubio quinto, per totum*, defendat, ſubſiſtentiam abſolutam eſſe virtualiter 38.

indiſtinctam à diuina eſſentia, ſit: ipſorum authorum aſſertum intelligendum eſſe etiam in hypotheſi, quòd ſubſiſtentia abſoluta non differat adhuc virtualiter à diuina eſſentia.

39. Sanctiſſimus doctor eam defendit, tametſi Auerſa aſſerat, non ſatis liquere, quid in hac re ſenſerit, verùm ſatis clarè ſententiam noſtram *in hac quæſt. 3. art. 3.* potiſſimùm *in ſolutione ad 3.* aſſerit, dicens, quòd eſſentia diuina, etiam ratione ſui, poterat humanitatem aſſumere, cuius dat rationem, quia in Deo idem eſt, quo eſt, & quod eſt, ac ſi diceret, Idem eſt natura, ac ſubſiſtens in natura. Vide Cipullum rem hanc enodantem vbi ſuprà *num.* 3.

40. Ante probationem reſolutionis aduerto, quòd licèt ponamus in hypotheſi; imo & abſolutè, quòd natura diuina, & eius ſubſiſtentia abſoluta non ſint duæ formalitates virtualiter inter ſe diſtinctæ; ſed vnam indiuiſam etiam ratione ex parte rei conceptæ, tamen adeo eminentem, vt ſe ipſa vtrique prædicato æquiualeat, quapropter vtriuſque munera ſine improprietate exercere valebit. Vnde licèt in creatis ob eorum limitationem natura à ſubſiſtentia differat, & munus vnius ab eadem formalitate, imo nec ab eadem realitate præſtetur; tamen in diuinis vbi infinitatis eminentia collucet, vtrumque munus ab eadem formalitate præſtabitur.

41. Notabis, exinde propter hanc ſcilicet formalitatum identitatem non inferas, nos amouere in diuinis propriam rationem ſubſiſtentiæ abſolutæ; nam identitas cum eminentia prædicatorum non tollit eorundem proprietatem, ſed diſtinctionem, ad minimum ipſorum, quæ aduenit eis ex imperfectione naturæ, in qua reperiri ſolent. Exemplum ſit, in ſententia probabili diſcipulorum SS.D. quos ſui ſequutus 1. *p. tr. de ſcientia Dei*, dicitur, in diuinis intellectum radicalem, & proximum, intellectionem, ſpeciem intelligibilem, & obiectum nec ratione ratiocinata diſtingui, & ex hac identitate formalitatum nihil ab illis tolli de proprietate, & ſtricto prædicatorum munere; non enim magis propriè dantur in nobis intellectus, intellectio, ſpecies & obiectum, quàm in diuinis, etſi in nobis realiter diſtinguantur inter ſe, in Deo tamen omnino formaliter identificentur, & rationem dabamus, quia quod in nobis dat illis de proprietate diſtinctio, in diuinis facit eminentia.

42. Notabis rurſum: prædictam hanc eminentiam, quam diuinæ formalitati ſibi rationem ſubſiſtentiæ, & naturæ diuinæ formaliter identificanti concedimus, adeo excellentem eſſe, vt ob eius amplitudinem diuerſa prædicata, quæ in creatis contradictionem fundant, de illa verificari valeant. Sic in formalitate intellectionem, intellectum, ſpeciem, & obiectum identificante diximus. Videlicet quòd eadem formalitas, vt intellectio actualiter intelligat, & vt obiectum eadem formalitas non intelligat, ſed intelligatur, & in ſententia probabili, quam 1. *p. tr. de volunt. Dei* defendimus, identificante formaliter in vna & eadem formalitate volitionis diuinæ, miſericordiam, & iuſtitiam, & cætera prædicata affectiua; vnde reſoluimus de eadem formalitate volitionis prædicata in nobis contradictionem inducentia legitimè verificari, nempe quòd vt miſericordia ſubleuet, & non puniat, & vt iuſtitia puniat, & non ſubleuet. His notatis.

Ratio concluſionis eſt hæc: nullum eſt impedimentum, quominus Deus vniri poſſit humanitati per ſubſiſtentiam abſolutam, etſi hæc indiſtincta ſit etiam obiectiuè à natura diuina, cui repugnat ratione ſui vnire alteri naturæ. Ergo vera eſt reſolutio tituli. Probo antecedens, ſi aliquid obſtaret, maximè quia de natura Dei diceretur immediatè vniri, & ratione ſui, humanitati, vt teſtantur aduerſarij, quos ſequitur Martin Perez citatus, & infrà citandus. Sed hoc non impedit. Ergo nullum eſt fundamentum. Probo minorem, etenim ex vnione ſubſiſtentiæ diuinæ abſolutè cum humanitate non infertur, naturam Dei ſic immediatè illi vniri. Ergo talis ratio non impedit vnionem ſubſiſtentiæ abſolutæ. Antecedens probo: nam ſi vnio ſubſiſtentiæ abſolutæ inferret vnionem, vel eſſet vnio naturæ diuinæ, vt natura eſt, maximè, quia in noſtra opinione natura diuina, & ſubſiſtentia eſt eadem formalitas etiam ſine diſtinctione virtuali. Sed hæc indiſtinctio non facit, quòd vnio ſubſiſtentiæ abſolutæ ſit vnio naturæ, vt natura eſt. Ergo ex vnione ſubſiſtentiæ abſolutæ non infertur vnio naturæ vt natura eſt. Probo minorem, nam identitas hæc ſubſiſtentiæ, & naturæ compatitur cum eminentia eiuſdem diuinæ formalitatis æquiualentis prædicatis diuerſis realiter in creaturis. Sed hæc eminentia ſufficit, vt identitas ſubſiſtentiæ, & naturæ diuinæ non faciat, quòd vnitâ ſubſiſtentiâ non vniatur natura, vt natura. Ergo indiſtinctio hæc non facit, quòd vnio ſubſiſtentiæ abſolutæ ſit vnio naturæ, vt natura eſt. Probo minorem, ſimilis eminentia in aliis prædicatis diuinis prorſus in eadem formalitate identificatis ſufficit, vt vniatur ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam. Ergo &c. Probo antecedens pluribus inſtantiis. Prima eſt, in diuinis eadem formalitas, & eſt relatio, & eſt ſubſiſtentia, & tamen per identitatem vnitur diuinæ naturæ, & per vnionem humanæ quatenus ſubſiſtentia eſt, reddendo illas propriè terminatas, & tamen nulli earum vnitur, vt relatio conſtituens illas formaliter relatas. Ergo ſimilis eminentia in aliis prædicatis diuinis prorſus in eadem formalitate identificatis ſufficit, vt vniatur illa formalitas ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam. Aliæ inſtantiæ adducentur infrà. 43.

Reſpondere poteris cum Martino Perez *diſp. 10. citata ſect. 4. n. 16.* falſum eſſe relationem diuinam totam non eſſe vnitam humanitati ex ſuppoſitione, quòd illi vnita ſit ſubſiſtentia verbi, tametſi illi minimè communicet effectum formalem referendi ob incapacitatem ſubiecti. Pro quo notat metaphyſica ſatis apud omnes trita; entitatem formæ, ſi verè ſit in aliquo ſubiecto, non poſſe non ſeipſam dare, & communicare; atque adeo humanitatem Chriſti verè habere filiationem diuinam, à qua denominari poteſt quaſi actuata à filiatione, vel illam habens; poſſe tamen non præbere ſuum effectum formalem, cuius rationem dat, 44.

dat, quia effectus formalis formæ nihil eſt aliud, quàm ipſa forma, & ſubiectum aptum vnita, præter quæ nihil aliud requiritur ad effectum formalem formæ. Ex quo fit, vt variato ipſo ſubiecto varietur quoq; totum cōpoſitum & effectus formalis. Quod explicat in forma equina, quę ſi vniatur immediatè quãtitati, non ſubiecto, non facit cōpoſitum eiuſdem ſpeciei cum equo, nec reddet eũdem effectum formalem, quem dat vnita materiæ ſublunari. Noſtra enim intellectio ſi vniretur Angelo, non eſſet iſte per illam intelligens, quia intelligens dicit eſſentialiter principiũ intrinſecũ à ſe mouendi. Quod patet etiam in vnione hypoſtatica, quæ animam reddit ſanctam, & non corpus. Cum humanitate etiam conſtituit Chriſtum, vt homo eſt, Filium Dei naturalem, quod cum equinitate non faceret. Vnde effectus formales totales mutantur ex variatione ſubiectorum. Siquidem effectus formalis totalis nec ratione differt ab hoc coniuncto. Forma, vnio, ſubiectum aptum. Ex quo fit ad rem noſtram: non eſſe mirandum, ſubſiſtentiam relatiuam Verbi reddere humanitatem ſubſiſtentem, non verò relatam, quia videlicet eſt ſubiectum capax ſubſiſtendi, non verò ſe referendi ad Patrem per diuinam, & ſubſtantialem relationem. Nihil amplius ad rem noſtram loquitur hic Author. Hæc ab illo ita latè exſcripſi, vt ex eius doctrina illum retorquere poſſim.

45. Sed replicabis: Ergo conſequentia illa vltima rationis noſtræ nempe, eminentiam formalitatis identificantis in Deo rationem naturæ, & ſubſiſtentiæ ſufficientem eſſe, vt humanitati vniatur, vt ſubſiſtentia eſt, non verò vt natura, eſt admittenda ab iſto Authore. Probo conſequentiam: nam in ſententia illius eadem filiationis formalitas eſt ſubſiſtentia, & relatio, & in eius ſententia vnitur humanitati vt ſubſiſtentia eſt, non verò vt relatio, cuius reddit rationem; quia humanitas ſolùm capax eſt ſubſiſtentiæ, non verò relationis. Ergo quamuis nos defendamus eamdem formalitatem diuinam & eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, & naturam, poterimus dicere, vniri poſſe humanitati, vt ſubſiſtentiam, non verò, vt naturam, quia habemus huius in promptu rationem, nempe humanitatem eſſe capacem vnionis cum ſubſiſtentia, non verò vnionis cum natura, vt natura eſt, cuius repugnantiam oſtendimus *ſuprà ſectione* 1.

46. Rurſum, nam ipſe Author vt probet, implicare Deum poſſe vniri humanitati ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, vtitur hoc medio *numero duodecimo prope finem* per hæc verba: Hinc autem manifeſtè infertur illa conſequentia, vt nec ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ poſſit natura diuina humanitati vniri. Patet, quia natura diuina, vt diuina natura eſt, non ſolùm eſt eſſentialiter exiſtens, ſed etiam ſubſiſtens, ſine vlla virtuali diſtinctione inter ſubſiſtentiam, exiſtentiam, & naturam. Sed natura diuina neque per ſeipſam, vt natura eſt, neque vt exiſtens, poteſt vniri humanitati. Ergo neque, vt abſolutè ſubſiſtens, poterit eidem vniri. Hæc formalia iſtius Authoris. Vbi tota vis, cui iſta conſequentia fidit, eſt identitas formalis, quæ inter naturam, & ſubſiſtentiam abſolutam conceditur. At eamdem ſolutionem, quam ipſi præſtat filiationi vnitæ humanitati, vt ſubſiſtentia, non verò vt relatio eſt, quamuis formaliſſimè identificatæ, poterat ſuo argumento præbere, & ab illo expediri, recurrendo ſcilicet ad incapacitatem humanitatis reſpectu vnionis naturæ, vt naturæ, non verò reſpectu vnionis cum ſubſiſtentia. Ergo ſi ſemel identitas formalis in filiatione cum relatione, & ſubſiſtentia, non arguit vnionem illius, vt relatio eſt, cum humanitate, ex vnione ipſius, vt ſubſiſtentia, propter incapacitatem humanitatis, ita poterat ſimilem illationem negare in vnione naturæ, vt natura eſt, cum humanitate, ex vnione ſubſiſtentiæ abſolutæ, vt ſubſiſtentia eſt, propter incapacitatem prædictæ vnionis naturæ diuinæ, vt natura eſt, cum humanitate, quam ipſe Author expreſſè profitetur.

47. Explicant inſtitutum noſtrum aliæ inſtantiæ, quas accerſo ex communi placito diſcipulorum Sanctiſſimi Doctoris *prima parte, tractatu de viſione, & de ſcientia Dei*, ibi ex communi ſententia Thomiſtarum cum Salmanticenſi Collegio, legimus Deum ſeipſo eſſe ſpeciem intelligibilem, & ſuiipſius intellectionem, ita vt ratio ſpeciei, & intellectionis, nec ratione ex parte rei conceptæ diſtinguantur; & cum hac identitate compatitur, Deum de facto intellectui Beati vniri per modum ſpeciei intelligibilis, non verò per modum intellectionis, cuius rationem dedimus eamdem incapacitatem eiſdem fundamentis munitam, quam dedit hic Author inſtantiæ ex filiatione *numero quadrageſimo quarto*. Cur ergo talis incapacitas, & fundamenta ipſa illi non inſeruient, vt ſuo argumento contra nos facto ab illo *numero quadrageſimo ſexto*, allato reſponſum præbeat?

48. Argues primò cum Alenſi 3. *part. quæſt.* 7. *membr.* 1. *artic.* 2. *&* 3. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *& diſtinct.* 5. *artic.* 1. *quæſtione* 4. Vaſquez *hìc diſputat.* 27. *cap.* 2. Lorca *diſput.* 24. *num.* 16. Capreolo *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad argumenta contra quartam concluſionem*. Martinus Perez *vbi ſupra*. Chelino *hìc diſputat.* 20. *dub.* 2. iſti defendunt, Deum non poſſe vniri, vt abſtractum, Perſonalitatibus ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam cum aliena natura. Fundatur primò Capreolus ex eo, quòd licèt in Deo admittat abſolutam ſubſiſtentiam, tamen ſecundùm eam nequit Deus humanitati vniri, quia ſubſiſtentia iſta eſt ab intrinſeco communicabilis. Non video illationem aliquam contra noſtram reſolutionem.

49. Arguit Martinus Perez *numero duodecimo*, quia natura diuina nec per ſeipſam immediatè, nec per ſuam exiſtentiam poteſt ſubſtantialiter vniri humanitati. Ergo nec per ſuam ſubſiſtentiam abſolutam. Antecedens probat quoad vtramque partem, verùm quia quoad primam eſt verum, vt diximus *ſectione prima* eius probationem non ſcribo. Quoad ſecundam partem, quòd ſcilicet nequeat vniri quoad eius exiſtentiam probat primò: quia humana natura nequit exiſtere etiam diuinitus per exiſtentiam diuinam; nulla enim res poteſt exiſtere per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam, &

conſequenter, quin ſimul cum illa producatur eius exiſtentia, quia hæc nihil aliud eſt, quàm entitas rei actualis. Secundo probat idem, quia natura diuina, vt ſic, eſt intrinſecè, & eſſentialiter exiſtens, eſt enim actualis exiſtentis de primo eius conceptu ſine vlla virtuali diſtinctione: In hoc enim differt à creata, nam hæc dupliciter ſpectari poteſt, & vt poſſibilis, & vt actu exiſtens; at diuina natura nullo modo poteſt concipi vt poſſibilis, ſed tantũ vt actu exiſtens: atque adeo per ſeipſam eſt actu exiſtens: Atqui natura diuina vt natura diuina eſt, nequit humanitati vniri ſubſtantialiter. Ergo neque vt exiſtens, ſeu ratione exiſtentiæ abſolutæ poterit illi vniri. Ex quo infert, Ergo nec ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ poterit natura diuina vniri humanitati, quam probat ea identitate formali ſubſiſtentiæ cum natura diuina.

50. Reſpondetur, negando antecedens quoad ſecundam partem. Ad primam probationem neganda eſt doctrina illa, quippe ſupponens eſſentiam actualem identificari formaliter cum exiſtentia. Ad ſecundam probationem admitto maiorem, & eius doctrinam, & concedo minorem, & nego conſequentiam diſparitas ſumitur ex impoſſibilitate vnionis duas naturas, vt naturas nectentis, quæ non reperitur in vnione humanitatis cum diuina exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta: Vnde nec obſtat identitas iſtarum cum conceptu eſſentiæ, vt ex impoſſibilitate iſtius impoſſibilitas vnionis cæterarum inferatur propter rationes, & inſtantias in antecedentibus numeris allatas. Fateor tamen, quod ex vnione immediata, & formali humanitatis ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam diuinam inferatur materialis vnio, & identica cum natura diuina, non tamen formalis, & immediata.

51. Sed replicabis: Quia ſublata omni diſtinctione virtuali, & formali inter diuinam naturam, & ſubſiſtentiam abſolutam, non apparet, quo pacto dici poſſit, vnionem humanitatis terminari formaliter ad ſubſiſtentiam, & materialiter ad naturam: Si enim natura diuina, & ſubſiſtentia ſunt vnus conceptus formalis obiectiuus, qui fieri poteſt, vt illa terminet vnionem realem materialiter, hæc verò formaliter. Reſpondeo retorquens argumentum cum omnibus inſtantiis, quas admittit Perez cum communi, & eas numeri antecedentes dederunt. Sed res clarior fiet, ſi perpendamus ſignificatum, quod intendimus dare his vocibus, *vniri formaliter, & vniri materialiter*, ſubſiſtentiam ergo vniri formaliter eſt vniri humanitati quaſi per modum formæ, & hoc nihil aliud, quàm vniri ſubiecto, quod quia capax, recipit effectum formalem. Vniri materialiter ſolùm, eſt non vniri quaſi per modum formæ, & hoc ob contrariam rationem, quia vnitur ſubiecto, quod quia incapax, nequit recipere effectum formalem illius. Quibus æquiualent hæc, vniri formaliter eſt eſſe extremum vnionis ratione ſui ſecundùm conceptum ſui expreſſum; vniri materialiter eſt alteri vniri ſecundùm ſuum conceptum implicitum, ſecundùm quem vnitur alteri ratione conceptus expreſſi ſiu ipſius. Itaque eadem res ex parte rei conceptæ indiuiſa obiectiuè poteſt conſiderari ſecundùm duos conceptus, implicitum ſcilicet, & explicitum, quando repugnat vniri alteri immediatè ſecundùm conceptum primum, & eidem non repugnat talis vnio ſecundùm poſteriorem, cùm primum vnitur ſecundùm iſtum conceptum, dicitur talis res vnita materialiter ratione conceptus expliciti, qui ratione ſui vnitur; vnde in re indiuiſibili, qualis eſt natura diuina, & ſubſiſtentia, non ſunt ſumendæ voces illæ materialiter, & formaliter, ita vt detur vnum, quod ratione alterius à ſe realiter diſtincto, & aliud, quod ratione ſui dicatur terminare aliud, quia in re indiuiſibili non eſt aliud & aliud; aliter enim res debet diſcurri, ita vt quod in rebus realiter diſtinctis exequitur diſtinctio realitatum, in re omnino indiuiſibili operetur diſtinctio conceptuum, impliciti nempe expliciti: omnes enim admittunt, gratiam ſanctificantem vnitam lapidi, materialiter ſolùm illi vnitam eſſe ſecundùm conceptum explicitum gratiæ, formaliter tamen illi vnitam eſſe ſecundùm conceptum implicitum qualitatis, & tamen in gratia ex parte rei conceptæ obiectiuè illi gradus qualitatia, & gratiæ non differunt. Similiter in præſenti diſcurſuri ſumus.

Arguit rurſum Perez, Natura diuina per ſuam ſubſiſtentiam non eſt purus terminus, ſed eſt ipſiſſima natura Dei, vt ſupponit. Ergo nequit terminare, vt ſubſiſtentia, quin formaliter terminet, & componat vt natura: At Sanctiſſimi Patres, & vera ratio negat terminationem, compoſitionem inter naturam diuinam, & humanam. Ergo. Reſpondeo diſtinguens antecedens, non eſt purus terminua, vt æquiualens ſubſiſtentiæ, nego antecedens, vt illi non æquiualet, concedo; & nego conſequentiam. Quæ eſt confirmanda omnibus exemplis ſæpè allatis. 52.

Arguunt alij: Naturæ creatæ, cui eſſet vnitus Deus immediatè ratione alicuius ſubſiſtentiæ abſolutæ ex vi talis vnionis deberent vniri omnes tres diuinæ Perſonæ, ita vt omnes eſſent ſimul incarnatæ. At hoc eſt impoſſibile. Ergo & id, ex quo deducitur; Probo minorem; Per nos implicat vnio ſubſtantialis immediata in natura. Sed ſi eſſent ex vi noſtræ vnionis omnes diuinæ Perſonę vnitæ, vel incarnatæ deberet fieri vnio in natura. Ergo repugnat, quòd ex vi noſtræ vnionis tres diuinæ Perſonæ vniantur. Minorem docet Sanctus Anſelmus *lib. de incarnatione Verbi, cap. 4.* vbi habet hæc: *Nam qui rectè ſuſcipit eius incarnationem, credit eum non aſſumpſiſſe hominem in vnitate naturæ, ſed in vnitatem Perſonæ; hic autem,* (nempe hæreticus) *ſomniat hominem à Filio Dei magis eſſe aſſumptum in naturæ vnitatem, quàm in Perſonæ vnitatem, ſi enim hoc non opinaretur, non diceret magis neceſſarium Patrem cum Filio incarnatum (quoniam vnus eſt Deus Pater & Filius) quam eſſe poſſibile, illum ſolum non eſſe incarnatum, quia ſunt plures Perſonæ.* In his enim clarè videtur vnionem vel eſſe in natura, vel in Perſona; aliter enim hæc argumentatio deficeret, videlicet, vnio humanitatis cum Deo non eſt facta in natura. Ergo eſt facta in Perſona: Rurſum ex vi iſtius aſſerti 53.

Diui

diui Anſelmi colligitur, quòd vnio per quam omnes perſonæ eſſent ſimul incarnatæ, deberet eſſe in natura, & non in Perſona. Sed per nos ex vi noſtræ vnionis omnes tres Perſonæ eſſent ſimul incarnatæ. Ergo eſſet talis vnio in natura, quod negamus.

54. Reſpondeo concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem ex Anſelmo, eum cum communi explico, nam Sanctus Anſelmus arguebat contra hæreticum illum, qui colligebat hîc & nunc tres Perſonas eſſe incarnatas, ex eo, quòd admittatur, ſecundam Filij incarnatam eſſe; in hunc errorem agebat Sanctus Anſelmus ſic; nam ideo incarnato Filio incarnatas eſſe Perſonas dicis, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vna res, & vnus Deus. Ergo eadem ratione debes admittere naturam diuinam eſſe incarnatam, quia Filius, qui incarnatus eſt, eſt etiam eadem natura. In his enim nihil inuenio noſtro aſſerto ex Anſelmo contradicens.

55. Oppones Sanctiſſimum Doctorem, qui *quæſtione ſecunda, articulo circa finem*, ait: quia ergo Verbum habet naturam humanam ſibi vnitam, non autem ad ſuam naturam diuinam pertinentem, conſequens eſt, quòd vnio ſit facta in Verbi Perſona, non autem in natura. Hæc enim verba inferunt, quòd ſi vnio non eſt facta in natura, debebat fieri in Perſona. Ergo non datur tertia vnio in ſubſiſtentia abſoluta. Reſpondeo, Sanctiſſimum Doctorem non vti medio ad probandum vnionem Verbi eſſe factam in Perſona, quia non eſt facta in natura; ſed ſolùm innuit modum, ſecundùm quem de facto eſt facta vnio humanitatis cum Verbo, nempe in eo, quòd ad Perſonam, non verò in eo, quòd ad naturam diuinam ſpectat.

56. Oppones vltimò: Non bene intelligi quale cenſendum eſſet illud compoſitum reſultans ex humanitate, & ſubſiſtentia abſoluta? Reſpondeo, conſtitutum ex humanitate, & iſta ſubſiſtentia Deitatis fore formaliter Deum, & hominem, & non Perſonam; realiter verò eſſe tres Perſonas diuinas.

DVBIVM II.

An omnibus prædicatis diuinis relatiuis competat hæc aſſumptiua virtus?

DVbium hoc aliquid imbibit in ſe, quod eius non promittat cortex. Quilibet exiſtimabit ex titulo, nos in dubium vocare, an vis hæc aſſumptiua competat relationibus perſonarum conſtitutiuis, nempe paternitati, filiationi, aut ſpirationi paſſiuæ, verùm hoc quæſitum non intrat tituli, nam ſuppoſita fide, quòd verbum diuinum humanitatem aſſumpſerit, necnon & certùm ſit, quòd virtus proxima in verbo terminatiua, ſeu aſſumptiua humanitatis fuerit relatio filij, optimè infertur, cuilibet relationi perſonali patris, aut Spiritus ſancti eandem vim aſſumptiuam competiuiſſe. De hoc enim non dubito. Solùm ergo eſt quæſtio principaliter inſtituta de prædicato relatiuo ſpirationis actiuæ, quæ Patri, & Filio communis eſt, an videlicet illi, ſicut & cæteris relationibus deſignatis, virtus hæc aſſumptiua competere dicatur; quæſtio hæc in ſcholas noviter eſt inducta, aſſerit Amicus *diſput.* 14. *ſectione* 4. *num.* 37. per hæc verba: *Hanc controuerſiam apud neminem propoſitam inuenio, digna tamen eſt ſcholaſtica concertatione* Verùm ſi rei ipſi attendamus, & non vocibus, eam reperio æquiualenter exagitatam, & reſolutam in illis authoribus, qui talem vim aſſumptiuam exhibent, non ſolùm deitati, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed cuilibet alteri attributo, nempe miſericordiæ, iuſtitiæ, & diuinæ volitioni, vt Bernal *hîc diſput.* 29. *ſect.* 1. *num.* 8. quorum reſolutio eſt eadem, quæ iſti quæſtioni eſt concedenda: fateor tamen ſub his vocibus exaratam prelo me nunquam vidiſſe prædictam quæſtionem. Verum antequam liber iſte ad manus acceſſiſſet eam publicè in hac vniuerſitate Complutenſi diſcipulis dictaui. Pro quo.

SECTIO I.

In hypotheſi, quòd relatio ſpiratiua habeat peculiarem ſubſiſtentiam relatiuam, ei aſſumptiuam virtutem conuenire indicatur.

SEd antequam reſolutionem probemus, videamus fundamentum, cui innixus Amicus, affirmatiuæ parti huius quæſtionis abſolutè adhæſit. Probat igitur ſic *num.* 38. quoniam natura humana, & quæuis alia ſubſtantia creata exigit propriam ſubſiſtentiam, vt vltimum complementum ſubſtantiale ad perfectè exiſtendum; ſed potuit hoc vltimum complementum ſubſtantiale ad perfectè exiſtendum natura humana immediatè habere à ſpiratione actiua. Ergo potuit ſpiratio actiua immediatè terminare ſubſtantialem vnionem naturæ humanæ ad ſe. Maiorem ſupponit ex ſuprà datis ab ipſo, vbi oſtendit, ſubſiſtentiam creatam eſſe ſubſtantiale complementum naturæ ad perfectè exiſtendum, ſine quo complemento, vel aliquo æquiualenti non poſſet ſubſtantia creata exiſtere; cùm nullus effectus poſſit exiſtere, niſi habeat omnes cauſas ad ſuam exiſtentiam requiſitas, inter quas eſt ſubſiſtentia, à qua, vt à cauſa intrinſecè terminatiua pendet omnis natura creata: minorem verò probat, quoniam ſpiratio actiua eſt perfectio ſubſtantialis habens ſuam propriam exiſtentiam relatiuam, ratione diſtinctam tam ab exiſtentia abſoluta naturæ, quàm ab exiſtentiis relatiuis Patris, & Filij. Ergo potuit per hanc exiſtentiam ſubſtantialem, vt ratione diſtinctam ab exiſtentia abſoluta naturæ, & ab exiſtentiis relatiuis Patris, & Filij, immediatè terminare ſubſtantialem vnionem naturæ humanæ ad ſe, eamque reddere per ſe exiſtentem. Conſequentiam probat, nam exiſtentia ſpirationis actiuæ, etiam vt diſtincta ab exiſtentia abſoluta 57.

natu

naturæ, ab exiſtentiis Patris, & Filij relatiuis, eſt per ſe, & independens. Ergo potuit illã, non quidem in ratione exiſtendi ſimpliciter, cùm hæc ſupponatur in natura aſſumpta, ſed in ratione completè exiſtendi & per ſe, communicari humanitati. Conſequentia patet, quia poteſt communicari humanitati quidquid humanitas non habet vi ſuæ propriæ naturæ; ſed vi ſuæ propriæ naturæ, vt diſtinctæ à propria ſubſiſtentia, non habet exiſtere completè, & per ſe, ſed tantùm incompletè, cum eſſentiali tamen exigentia ad exiſtendum completè per interiorem terminum intrinſecum ſubſtantialem. Antecedens verò probatur, nam licèt exiſtentia ſpirationis actiuæ inexiſtat in Patre, & Filio tamquam virtus proxima ſpiratiua Spiritus ſancti, non inexiſtit tamen per dependentiam ab illis, vt exiſtit accidens, aut forma materialis in ſubiecto, ſed vt perfectè exiſtens per omnimodam identitatem cum illis.

58. Hac ratione conuictus Amicus abſolutè defendit, ſpirationem actiuam ſeipſa poſſe eſſe vim aſſumendi humanitatem immediatè; & licèt conſequenter ad ſua principia, tamen nec illa ex ſe ſunt certa, & quæ affert non ita clara, vt expenſione ſola terminorum poſſint probabilitatem aliquam in concluſionem refundere. Imprimis maior ſui fundamenti eſt falſa, ſiquidem ſubſiſtentiam reponit in vltimo loco tanquam complementum ad exiſtendum, in hoc ſenſu ſubſiſtentia accedit ad naturam iam exiſtentem, quod eſſe falſum, ſuppono ex datis in metaphyſica iuxta principia SS. Th. Præterea minor deficit in ſe, & in probatione; in ſe, quia vel ſpiratio actiua ſubſiſtit in ſe ſubſiſtentiâ abſolutâ obiectiuè diſtinctâ à ſubſiſtentia naturæ, vel ſubſiſtentiâ relatiuâ diſtinctâ obiectiuè à ſubſiſtentiis relatiuis. Vtrumque negat author, etenim cùm neget in natura ſubſiſtentiam abſolutam, conſequenter cæteris diuinis prædicatis negat eandem. Similiter negat eidem ſpirationi diſtinctam ſubſiſtentiam relatiuam à ſubſiſtentiis relatiuis patris, & Filij. Ergo in ſe talis minor eſt falſa, videlicet, quòd ſupplere poſſit, vel quòd poſſet communicare ſpiratio actiua complementum illud, quod deficit humanitati, ſiquidem quod deeſſet huic, vt aſſumi poſſet, eſſet ſubſiſtentia: ſed per te nullam habet in ſe ſpiratio actiua. Ergo iſta talem defectum ſupplere non poterit, ſed de hoc iterum ſtatim: etiam talis minor eſt falſa in eius probatione, ſiquidem ſupponit, ſpirationem actiuam habere exiſtentiam relatiuam diſtinctam ab exiſtentiis relatiuis Patris, & Filij. Sed age iam, videamus illationis bonitatem, de qua numerus ſequens.

59. Permiſſo quòd ſpiratio actiua habeat exiſtentiam relatiuam diſtinctam ab exiſtentiis relatiuis, adhuc non infertur, illam habere vim ſe ſubſtantialiter vniendi humanitati. Ergo illatio ſundamenti allati non ſubſiſtit. Antecedens probo, adhuc illo permiſſo, in ſententia Amici, ſpiratio actiua non habet in ſe ſubſiſtentiam aliquam, vel abſolutam, vel relatiuam diſtinctam à ſubſiſtentiis relatiuis Patris, & Filij. Ergo illo permiſſo, adhuc non infertur, ſpirationem actiuam habere vim ſe ſubſtantialiter vniendi humanitati. Probo conſequentiã, nam antecedens eſt Amici doctrina. Quia ſi aliquid inferri videtur ex aſſertis, quæ permittimus, eſt, ſpirationem actiuam poſſe vnire ſecum humanitate, vt illam compleat in ordine ad completè exiſtendum. Sed hoc non infertur adhuc illis permiſſis; Ergo adhuc iſta permiſſione facta nõ infertur, ſpirationẽ actiuã habere vim ſe humanitati ſubſtantialiter vniendi. Probo min. quia ſupplementũ exiſtentiæ ea ſupponit neceſſariò in natura, quæ ipſa exiſtentia ſupponit neceſſariò, vt in natura reſultet. Sed exiſtentia naturalis rei, neceſſariò ſupponit in ipſa ſubſiſtentiam, vt phraſis Sanctiſſimi Doctoris fert millies, quem non citat, quia eſt dogma inter eius diſcipulos. Ergo vt ſpiratio actiua vniatur humanitati, illi conferens complementum ad exiſtendum, pro priori illam debet complere in ratione ſubſiſtendi. Tunc ſic: Sed implicat ſpirationem actiuam poſſe complere humanitatem in ratione ſubſiſtendi. Ergo in vnione illa cum humanitate nullum dabit complementum humanitati prædicta ſpiratio actiua. Minor ſubiuncta patet ex doctrina ipſius authoris, nam hic fatetur ſpirationem actiuam eſſe omnis ſubſiſtentiæ diſtinctæ ab aliis relatiuis expertem. Quomodo ergo poterit dare ſupplementum ſubſiſtendi, quod in tali linea omni ſubſiſtentia ſit deſtitutum?

60. Confirmatur, Et demus gratis humanitatem terminatam ſpiratione actiua exiſtere perfectè, adhuc tamen minimè per illam ſubſiſtere diceretur. Ergo ſpiratio actiua nequit dare humanitati complementum ſubſiſtendi. Antecedens probo, nam ſpiratio actiua formaliter in ſe non eſt ſubſiſtens. Ergo humanitas, cui vniretur, non redderetur per illam ſubſiſtens. Antecedens probo, nam ſi eſſet formaliter ſubſiſtens, eſſet ſubſiſtens relatiuè, ſiquidem Author hic non admittit ſubſiſtentiam abſolutam. Sed talis ſpiratio actiua non eſt ſubſiſtens formaliter relatiuè. Ergo formaliter in ſe talis ſpiratio non eſt ſubſiſtens aliquo modo. Probo minorem ex ſuo aſſerto in quo negat ſpirationi actiuę ſubſiſtentiam relatiuã, diſtinctam à ſubſiſtentiis relatiuis Patris, & Filij, & ratio ſuadet, quia ſpiratio actiua formaliter ſubſiſtens fit per Paternitatem, & Filiationem. Ergo ſeipſam in ſe concepta formaliter non eſt ſubſiſtentia. Ergo humanitas vnita illi non fiet ex vi vnionis cum illa formaliter ſubſiſtens.

61. Reſpondebis cum Amico vbi ſuprà *n.* 49. negando antecedens; admittens ſpirationem actiuam eſſe expertem ſubſiſtentiæ, & hoc non obſtante humanitatem illi vnitam ex vi talis vnionis reddi formaliter ſubſiſtentem, vtriuſque dicti dat rationem. Primi, quia ſubſiſtere nihil aliud importat, quàm perfectè exiſtere, connotata eſſentialiter negatione communicabilitatis alteri, tanquam termino intrinſeco. Vnde defectu huius negationis importatæ eſſentialiter à ſubſiſtentia, nec natura diuina vt præciſa à ſubſiſtentiis relatiuis, nec ſpiratio actiua, vt condiſtincta à Paternitate, & Filiatione, dicitur ſubſiſtens, quamuis vtraque perfectè exiſtens dicatur, ſiquidem tam natura diuina, quàm ſpiratio actiua communicatur Patri, & Filio tanquam intrinſecis terminis ſubſtantialibus

tialibus. Rationem dat ſecundi: quia natura creata terminata ſpiratione actiua, vltra perfectam, & completam exiſtentiam, quam haberet ab ipſa ſpiratione actiua, cui vniretur, diceret etiam negationem ſubſtantialis communicabilitatis alteri, vt termino ſubſtantiali intrinſeco; idque ex eo, quòd non eſſet amplius ſubſtantialiter perfectibilis, non ſolùm haberet rationem perfectè exiſtendi, ſed etiam ſubſiſtendi.

62. Sed replicabis. Hæc ſunt vera apud hunc authorem, ſpiratio actiua formaliter in ſe nec eſt ſubſiſtentia, nec ſubſiſtens. Similiter hæc eſt vera, humanitas ante vnionem nec eſt ſubſiſtentia, nec ſubſiſtens, aliàs vt ſic nullo modo eſſet aſſumptibilis ab actiua ſpiratione, nec ab alio diuino ſubſiſtente, vt defendit author hìc infrà docens, naturam propriâ ſubſiſtentiâ terminatam eſſe omnino ab alio inaſſumptibilem. Ergo debet eſſe vera: humanitas vnita ſpirationi actiuæ non redditur ſubſiſtens ab ſpiratione actiua. Probo conſequentiam. Ante vnionem neutra illarum partium eſt ſubſiſtentia, aut ſubſiſtens. Ergo nec poſt vnionem. Probo conſequentiam; ergo poſt vnionem, vel ſimul cum vnione aliquid debet dari de nouo productum, à quo talis noua denominatio ſubſiſtentis originem habeat, nam idem ſecundùm idem ſemper eſt aptum facere idem. Sed actio illarum vnitiua nihil produceret de nouo, quod habeat rationem ſubſiſtendi diſtinctum ab vnione, & partibus. Ergo poſt vnionem humanitas nequit dici de nouo ſubſiſtens formaliter. Maiorem probat vulgare illud proloquium. Minor patet, nam actio vnitiua ſpirationis actiuæ cum humanitate ſolùm vnionem illa nectentem produceret, quam ſubſiſtentiam non eſſe ex fide habemus, præter vnionem nihil amplius produciť in humanitate receptum habens rationem ſubſiſtendi, & caſu, quo produceretur, per illud humanitas formaliter ſubſiſteret. Ergo non per ſpirationem actiuam. Confirmatur, humanitas hæc ex vi vnionis cum ſpiratione actiua formaliter non diceretur Pater, nec Filius, nec Spiritus ſanctus. Ergo nec ſubſiſtens formaliter ex vi illius diceretur. Antecedens de ſe patet, & ipſe ingenuè admittit pluries in hoc dubio. Conſequentia patet, ideo ex vi vnionis cum ſpiratione actiua, humanitas in concreto non diceretur Pater, aut Filius formaliter ab ſpiratione actiua, quia ſpiratio actiua formaliter non eſt paternitas, aut filiatio &c. Sed in ſententia authoris ſpiratio actiua formaliter nullo modo eſt ſubſiſtens, nec ſubſiſtentia. Ergo ex vnione ad illam humanitas non fiet ab illa formaliter ſubſiſtens. Confirmatur ſecundò, ſi doctrina hæc eſſet vera, fieret licere dicere, humanitatem ex vi vnionis ad ſpirationem actiuam formaliter eſſe angelum, & quidquid in vniuerſo reperitur: patet, nam in ſententia authoris tam procul eſt à partibus humanitate ſcilicet, & ſpiratione actiua antecedenter ad vnionem ſeorſim ſumptis eſſe ſubſiſtentias, vel ſubſiſtentes, quàm ab eis ſic acceptis diſtet natura Angeli, & quidquid productum eſt. Sed illa diſtantia non obſtante ex vi vnionis ambarum partium dicitur humanitas ſubſiſtens formaliter per ſpirationem actiuam, ita poterit dici illa humanitas Angelus, & quidquid aliud productum, ex vi vnionis ad actionem ſpiratiuam. Probo hoc, nam ſicut eſt verum, quòd ſpiratio actiua non eſt ſubſiſtentia, nec formaliter ſubſiſtens, & humanitas ſecundùm ſe nec eſt ſubſiſtentia, nec ſubſiſtens, ita de ambabus ſic ſeorſim acceptis dicitur non eſſe Angelus. Ergo ſi hoc non obſtante, dum actio vnitiua humanitati vnitur, facit illam ſubſiſtere dando illi, quod ipſa in ſe non habet; cur ſimiliter illam non reddet Angelum, cùm ſpirationi actiuæ non repugnet dare alteri id, quod in ſe non habet.

Nec illud quod in ſolutione numero antecedenti data eſt verum, imo ſupponit quæſtionem, & hanc exhibet pro reſolutione quæſtionis. Etenim arguebamus *num.*60. ſpiratio actiua eſt expers omnis ſubſiſtentiæ. Ergo nequit humanitatem reddere formaliter ſubſiſtentem. Hanc conſequentiam negat author *num.*61. & ibi dat rationem, quia humanitas per ſpirationem actiuam redditur incommunicabilis alteri, vt termino ſubſtantiali intrinſeco. Ecce quæſtionem, nam cùm ſolum id, quod alterum reddit alteri, vt termino ſubſtantiali intrinſeco, incommunicabile, ſit apud omnes ſubſiſtentia, eo ipſo, quòd inferam: ergo humanitas non fit ſubſiſtens per ſpirationem actiuam, idem inſero, ac ſi deducerem: ergo humanitas non redditur per actionem ſpiratiuam formaliter incommunicabilis alteri, tanquam termino intrinſeco ſubſtantiali. Ergo dicere reddi incommunicabilem ſic humanitatem per ſpirationem actiuam, eſt quæſtionem cum quæſtione ipſa reſoluere, Siquidem formaliſſimè æquè repugnat, id, quod in ſe ſubſiſtentia non eſt, reddere aliud formaliter alteri incommunicabile, ſicut termino intrinſeco ſubſtantiali, ac illud ipſum reddere aliud formaliter ſubſiſtens. Ergo ſemel admiſſis principiis huius authoris repugnat ſpirationi actiuæ aſſumptiua vis humanitatis ad ſe. 63.

Reſolutio igitur tituli ſic procedebat: in hypotheſi, quòd ſpiratio actiua habeat ſubſiſtentiam relatiuam propriam eidem conueniet virtus aſſumptiua verbi gratiâ humanitatis. Imprimis caſus hypotheſis non repugnat etiam principiis ſanctiſſimi doctoris, cùm nobiliſſimi diſcipuli eius talem ſubſiſtentiam relatiuam ſpirationi actiuæ præſtiterint, de quorum numero eſt Nazarius *ad articul.*4. *quæſt* 43. *p.partis controu.*2. & ex aliis Molina 1. *part. tract. de Trinitate, diſput.*2. Becanus *tract. de Trinitate, cap.*6. & ante illos Canarienſis *ſupra eumdem articulum* 4. *quæſt.*43. 1. *partis in* 3. *part. commentarij*, & pro hac opinione citant, & verè Gabrielem, & Ochamum, & in ſuffragium vocatur ſanctiſſimus doctor *in* 1. ad Anibaldum *diſtinct.* 29. *quæſt. unica, artic.*4. *ad* 2. vbi cùm dubitaret: *vtrum vna ratione Pater, & Filius ſint principium Spiritus ſancti?* Et ſecundo loco ſic ſibi obiecitſſet, *in diuinis relationes ſunt ſubſiſtentes. Sed notio, ſecundùm quàm Pater, & Filius dicuntur principium Spiritus ſancti, eſt quædam relatio. Ergo eſt perſona* 64.

ſubſi

ſubſiſtens. Si ergo eſt vna relatio, qua Pater, & Filius ad Spiritum ſanctum referuntur, erit vna perſona ſubſiſtens vtrique, quod eſt hæreticum. Sic reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut diuinitas in diuinis non eſt niſi ſubſiſtens, & tamen vna deitas eſt Patris, & Filij, quia ſunt duo ſubſiſtentes ex alia ratione diſtincti ſimiliter, & de communi ſpiratione oportet intelligi.* Pondero hunc textum: ſanctiſſimus doctor comparat relationem ſpirationis actiuæ cum deitate in hoc, quòd ſicut deitas eſt per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, & tamen vna deitas ſic ſubſiſtens eſt Patris, & Filij, quia in illa non diſtinguuntur, ex eo quòd prædicta ſubſiſtentia, aut deitas, vt ſubſiſtens per illam, non dicit omnimodam incommunicabilitatem, ac proinde non conſtituit perſonam, ſed Pater, & Filius ſuis proprijs perſonalitatibus diſtinguuntur; ita relatio ſpirationis actiuæ eſt per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, nempe relatiuâ; & tamen vna & eadem relatio ſpirationis actiuæ per ſe ſubſiſtens eſt Patris, & Filij, quia talis relatio vt ſubſiſtens non dicit ſubſiſtentiam omnino incommunicabilem alteri, vt ſuppoſito, ſiue perſonæ, & ideo non conſtituit perſonam, nec
65. ratione illius Pater, & Filius habent vnam perſonam communem, ſed ſemper remanent duo ſubſiſtentes ex alia ratione, nempe in ratione perſonarum diſtincti. Ecce quomodo in via ſanctiſſimi doctoris caſus noſtræ reſolutionis hypotheticæ non repugnat. An verò res ita ſe habeat, mea non intereſt oſtendere, ſed ita ponere; & ipsâ ſuppoſitâ aperire, an ſic ſpiratio actiua ſufficiat humanitatem, vel aliam naturam, cui vniretur, verè ſubſiſtentem reddere, illam in ratione ſubſiſtendi ſubſtantialiter complendo.

Ratio concluſionis tituli, in hypotheſi noſtra habet ſpiratio actiua quidquid deſideratur, vt compleat ſubſtantialiter humanitatem, cui vniretur. Ergo in tali hypotheſi conueniret ſpirationi actiuæ pleniſſima vis aſſumptiua alterius naturæ ad ſe. Antecedens patet, nam in tali hypotheſi ſpiratio actiua eſſet ſubſiſtens, vt *quod*, mediâ ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ relatiuâ diſtinctâ virtualiter à ſubſiſtentiis relatiuis Patris, & Filij. Ergo in tali hypotheſi ſpiratio actiua haberet quidquid deſideratur, vt compleat humanitatem, cui vniretur, in ratione ſubſiſtendi. Antecedens probo, filiatio hîc & nunc eſt ſubſiſtens, vt *quod*; ergo ſpiratio actiua in tali hypotheſi eſſet ſubſiſtens, vt *quod*. probo conſequentiam; nam ſicut filiatio, quæ eſt perſonalis proprietas in eſſe perſonæ, & ſimul diſtinguit illam per diſtinctionem realem formaliter talem à perſona Filij, debet ex vi ſuæ lineæ habere ſimul hæc duo, videlicet, quòd ſit per ſe ſubſiſtens, & quòd ſit incommunicabilis cuiuis alteri perſonæ; ita etiam proprietas, quæ etſi vera ſit proprietas, non tamen eſt perſonalis, id eſt conſtitutiua perſonæ, ſed tantùm diſtinctiua perſonarum iam conſtitutarum, ab alia tertia perſona, debet habere ex vi ſuæ lineæ vnum ex illis duobus ſpectantibus ad proprietatem perſonalem, conſtituentem ſimul, & diſtinguentem. Ergo cùm prædicta proprietas, nempe ſpiratio actiua præcisè habens eſſe diſtinctiuam Patris, & Filij ab Spiritu ſancto, nequeat habere hoc poſterius munus ex vi propriæ lineæ, ſcilicet quòd ſit incommuni-
cabilis, ſiquidem communicatur Patri, & Fi- 66.
lio, eos ſolum ab Spiritu ſancto diſtinguens realiter, oportet, quòd conueniat ei primum illud munus, nempe, quòd ex vi propriæ lineæ ſit per ſe ſubſiſtens. Ergo quemadmodum filiatio ſeipſa ſubſiſtit, vt *quod*, ita ſpiratio actiua. Tunc ſic: ſed quia filiatio ſubſiſtit, vt *quod*, habet omnia requiſita ad ſe ſubſtan-
tialiter vniendum cum humanitate, illam 67.
reddendo ſubſiſtentem; ergo cùm in hypotheſi noſtra ſpiratio actiua ſit ſubſiſtens, vt *quod*, habebit ex ſe vim ſufficientem aſſumptiuam humanitatis ad ſe.

Reſpondebis, filiationi vim iſtam aſſumptiuam non competere eo ſolùm, quòd ſit in ſe ſubſiſtens vt *quod*, ſed quia perſonaliter ſubſiſtens, ſeu quia ita ſubſiſtit, vt *quod*, vt dicat in ſe incommunicabilitatem alteri, tanquam termino intrinſeco ſubſtantiali; hoc autem, vt ſupponimus, repugnat ſpirationi actiuæ. Ergo ex illa ad hanc nulla fit illatio.

Sed replicabis: ſi à filiatione præſcindibilis eſſet talis incommunicabilitas à ſua ſubſiſtentia relatiua, eo ipſo, quòd maneret ſubſiſtens, vt *quod*, haberet vim aſſumptiuam ad ſe cuiuſlibet naturæ non ſubſiſtentis. Ergo filiationem habere de facto prædictam vim
non conuenit illi, ex qua parte incommuni- 68.
cabilitatem illam inducit, ſed ex qua eſt ipſa ſubſiſtens, vt *quod*; antecedens probo: etenim naturæ diuinæ conuenit vis hæc aſſumptiua, quia præcisè ratione ſuæ abſolutæ ſubſiſtentiæ eſt ſubſiſtens, vt *quod*, quamuis repugnet ei dicta incommunicabilitas. Ergo ſi à filiatione præſcindibilis eſſet incommunicabilitas eo ipſo, quòd maneret ſubſiſtens, vt *quod*, haberet vim aſſumptiuam ad ſe cuiuſlibet naturæ non ſubſiſtentis. Antecedens dederunt ſectiones antecedentes, conſequentiam paritas.

Sed petes, quid eſſet conſtitutum illud ex humanitate, & ſubſiſtentia iſta relatiua actiuæ ſpirationis? reſpondeo, illud eſſe hominem formaliter, nam iſte ſolùm dicit coniunctum ex humanitate, & ſubſiſtentia deinde non eſſet formaliter perſona, quia non inuolueret ſubſiſtentiam incommunicabilem. Rurſum nec eſſet formaliter Deus, quia non contineret formaliſſimè eſſentiam diuinam, vel ſubſiſtentiam diuinam immediatè deitati coniunctam, vt patet in ſententia Theologorum docentium, Spiritum S. ex vi ſuæ proceſſionis non eſſe Deum formaliſſimè propter eamdem rationem aſſignatam. Præterea tale coniunctum abſolutè, ſicut Spiritus ſanctus, eſſet dicendus Deus. Denique tamen eſſet dicendum Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſicut diximus de coniuncto illo ex ſubſiſtentia abſoluta, & deitate *numero* 56.

Sectio

Sectio II.

In hypotheſi, quòd ſpiratio actiua non habeat relatiuam ſubſiſtentiam, ſi tamen abſolutam propriam, habebit vim aſſumendi humanitatem.

69. Hypotheſis hæc duos caſus continet; primus, quòd ſpiratio actiua non habeat ſubſiſtentiam relatiuam diſtinctam à relatiuis Patris, & Filij. Secundus eſt, quòd ſubſiſtentiam abſolutam habeat. Neuter illorum repugnat. Primus enim eſt frequentior apud diſcipulos ſanctiſſimi doctoris aſſerentes, actiuam ſpirationem non eſſe ſpiratiuam, vt *quod*. ſeu non eſſe conſtitutum ex eſſentia, & voluntate diuina, & relatione ſpirationis actiuæ, vt afferente propriam ſubſiſtentiam relatiuam, quod quidem coniunctum ſit ratione diſtinctum à Patre, & Filio, cuique competat eſſe ſubſiſtens, & ſpiratiuum per modum principij, *quod*, commune communitate rei tam Patri, quàm Filio. Ita vix omnes Thomiſtæ: ita Bannez, Zumel, & Caietanus citati à Rippa. Capreolus *in* 1. *diſtinct.* 12. *queſt.* 1. Portugal Epiſcopus viſenſiſ. *tom.* 1. *de gratia increata.* Ex aliis Suarez *lib.* 10 *de Trinitate, cap.* 4. Vaſques *diſput.* 149. *cap.* 4. Turrianus 1. *part. queſt.* 39. *diſput.* 34. *dub.* 2. Arrubal *diſput.* 129. *cap.* 3. Granados *tom.* 3. *in* 1. *part. tract.* 10. *diſput.* 6. & Ruiz *diſput.* 7. *ſect.* 3. Secundus verò caſus erat, quòd ſpiratio actiua haberet in ſe formaliter ſubſiſtentiam abſolutam, & iſte minimè repugnat ſubiecto hypotheſis, nempe ſpirationi actiuæ, nam omnes illi, qui diuinæ eſſentiæ dant ſubſiſtentiam abſolutam, eam cunctis diuinis prædicatis, ſiue abſolutis, ſiue relatiuis aſcribunt. Solum extat inter illos diſcrimen, nam quidam vnam ſolam, & indiuiſam formalitatem ſubſiſtentiæ abſolutæ, propriam diuinæ naturæ ponunt, vt cuius tam natura ipſa, quàm vniuerſa Dei prædicata ſubſiſtere abſolutè dicantur. Alij autem multiplicant illam virtualiter ad multiplicationem virtualem prædicatorum diuinorum; ita docet Suarez *libro* 11 *de Trinitate, cap.* 6. *num.* 18. aſſerens in Deo etiam diuina poſitiua abſoluta, & particularia eſſe tria, nempe intellectionem, volitionem, & omnipotentiam. Cùm igitur ipſe prædicatum illud ſubſiſtentiæ abſolutæ in Deo agnoſcat, & illud non reducat ad intellectionem, volitionem, & omnipotentiam, colligi debet, ipſum ſentire ſubſiſtentiam abſolutam eſſe debere prædicatum tranſcendens, atque adeo multiplicabile iuxta multiplicem diſtinctionem virtualem formalitatum abſolutarum, in Deo exiſtentium.

70. Ex his manifeſtè apparet, hypotheſim noſtri tituli non eſſe de genere illatum, quæ contradictionem, & repugnantiam inter ſubiectum, & prædicatum inuoluunt; quapropter eſt admittendus in ea vterque caſus ſecundùm probationem, quam inducunt authores nuper citati. Ratio igitur reſolutionis huius colligitur illatione conſpicua ex allatis ſectionibus. Etenim non minùs eſt ſubſiſtens, vt *quod*, ſpiratio actiua per ſubſiſtentiam abſolutam, quàm diuina eſſentia ſubſiſtat vt *quod* per illam. Sed hæc fuit ratio vnica exhibendi naturæ diuinæ vim aſſumptiuam humanitatis ad ſe; quamuis careat ſubſiſtentia relatiua. Ergo in hypotheſi, quòd ſpiratio actiua expers ſit ſubſiſtentiæ relatiuæ, ſi tamen habeat ſubſiſtentiam abſolutam, habebit ratione illius vim humanitatis aſſumptiuam ad ſe. Confirmatur; quia ſi actiua ſpiratio haberet ſubſiſtentiam relatiuam ſuæ lineæ notionali propriam, quamuis non haberet ſubſiſtentiam abſolutam; ex vi illius haberet vim humanitatis aſſumptiuam ad ſe. Ergo vice verſa, quamuis ſubſiſtentiam illam relatiuam non habeat, ſi tamen illi adſit ſubſiſtentia abſoluta, ex vi iſtius habebit vim humanitatis aſſumptiuam ad ſe. Paritas eſt vniſona. Etenim ſi aliquid obeſſet, vt talis vis concederetur ſpirationi actiuæ, ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, eſſet ea, quæ generaliter adducitur pro deneganda hac virtute aſſumptiua tali ſubſiſtentiæ, nempe quia non inducit incommunicabilitatem in ſubiectum per illam ſubſiſtens. Sed hæc ratio manat ſuprà deiecta, & vltra hoc, diximus ſectione antecedenti, eamdem actiuam ſpirationem habere vim aſſumptiuam, ratione ſubſiſtentiæ relatiuæ, caſu, quo illam ſolam haberet, quamuis ab ipſa non mutuaret incommunicabilitatem alteri, tanquam termino intrinſeco ſubſtantiali. Ergo ſi in hypotheſi, quòd actiua ſpiratio haberet ſolam ſubſiſtentiam relatiuam, quamuis hæc incommunicabilis non eſſet, haberet vim aſſumptiuam humanitatis ad ſe, ita in hypotheſi, quòd ſolam haberet ſubſiſtentiam abſolutam, quamuis hæc incommunicabilis non ſit, ratione illius conueniet illi vis humanitatis aſſumptiua ad ſe.

71. Confirmatur ſecundò; etenim in hypotheſi quòd quælibet abſoluta Dei perfectio ſubſiſtentiam huiuſmodi abſolutam haberet ſpecialem ſibi propriam, quælibet illarum haberet vim aſſumptiuam humanitatis ad ſe, vt plures, quos ſequitur Bernal *di putatione citata, ſectione* 1. 1. *num* 7. Pone caſum quòd abſoluta ſubſiſtentia diuinæ voluntatis eſſet illi propria, idem debes dicere de ſubſiſtentia abſoluta omnipotentiæ, quælibet harum perfectionum poſſet ſecundùm ſuam propriam ſubſiſtentiam aſſumere naturam alienam; & rationem dant, quia ſi ſemel admittatur quælibet illarum eſſe ſubſiſtentia diuina, non eſt, cur ipſi negetur infinita vis terminatiua, non ſolùm ad intra, ſed etiam ad extra, cùm ipſam habeat ſubſiſtentia perſonalis relatiua. Ergo optimè inferam ego, ſi in hypotheſi, quod actiua ſpiratio habeat ſubſiſtentiam relatiuam non perſonalem, ſed notionalem, ratione iſtius poteſt ſpiratio actiua alienam ad ſe aſſumere naturam. Ergo in hypotheſi quòd eadem ſpiratio haberet ſolam ſubſiſtentiam abſolutam, poſſet ratione illius alienam naturam ad ſe aſſumere. Conſequentiam probo ſimili ratione, qua in alio caſu alij ipſam deuincunt, ſiquidem ſubſiſtentia abſoluta in ratione terminandi ſpectat ad lineam perfectionem, quàm relatio à ſubſiſtentia, tam perſonalis, quàm notionalis ſolum.

DVBIVM III.

An plures perſonæ diuinæ poßint immediatè aſſumere eamdem naturam creatam?

NOta, vt titulum percipias, nam dupliciter poteſt diuinis perſonis conuenire aſſumptio alterius naturæ ad ſe. Primò conſiderando eas, vt in vna diuina natura conueniunt, hoc eſt, prout vnus Deus dicuntur, & ſunt. Secundo modo illas conſiderando ſecundùm ſuas proprias perſonalitates illas inter ſe diſtinguentes. De illis primo modo ſumptis reſoluimus *dubio antecedenti*, vbi decreuimus, quòd caſu, quo natura diuina ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ aſſumeret ad ſe vnam naturam immediatè licèt immediata aſſumptio eſſet naturæ abſolutè ſubſiſtenti attribuenda, tamen mediatè, & conſequenter competeret talis aſſumptio perſonis diuinis. De hac enim aſſumptione ibi egimus, de illa nunc minimè acturi, ſolùm in præſenti procedit titulus de aſſumptione immediatè, facta à diuinis perſonis non ratione alicuius abſoluti, in quo conueniunt, ſed ſecundùm proprias ſubſiſtentias relatiuas perſonales, ſecundùm quas differunt.

SECTIO I.

Tribus perſonis conuenit aſſumptiua vis ſimultanea vnius naturæ.

REſolutio præfixa eſt expreſsè edocta à ſanctiſſimo Thoma *hic q.3.art.6.* quapropter eius verba omitto, eum ſequuntur omnes eius diſcipuli, & recentes extra ſcholam Thomiſtarum Bernal *diſputatione vigeſima quarta, ſectione ſecunda*, Martinus Perez *diſputatione decima, ſectione quinta*, & ante illos Ochain *quæſtione prima, articulo tertio*, Gabriel *quæſtione prima, articulo tertio*, Almaynus *quæſtione prima, articulo tertio*, Marſilius *quæſtione ſecunda, articulo tertio*. & alij quos citat Cippulus *quæſt.3.art.6. dub.vnico*. Eamdem defendit Suarez *diſp. 13. ſect. 2.* Vaſquez *diſp.29.cap.2.*

72. Ratio breuis, nam tres diuinæ perſonæ per ſe non ſe excludunt à ſimultanea terminatione eiuſdem naturę, cùm eamdem diuinam naturam ſimul terminent; ex parte verò naturæ creatæ nulla eſt repugnantia, vt ab omnibus illis ſimul terminetur, quia quoties formæ, aut termini inter ſe non repugnant contradictoriè, abſque fundamento dicitur repugnare in ordine ad aliquod ſubiectum, præſertim quando in ſubiecto non attenditur naturalis capacitas, ſed obedientialis tantùm, qualis eſt in natura creata reſpectu terminationis diuinarum perſonarum. Quare ſicut, in ſententia plurium, idem accidens habere poteſt ſimul plures inhærentias diuinitus, & eadem ſubſtantia obtinere poteſt plures independentias à ſubiecto, ſi pluribus creationibus numero diſtinctis producatur, vt aliqui tuentur de Chriſto, prout in cœlo exiſtente, & in Sacramento altaris, necnon quòd eadem ſubſtantia poſſit ſimul habere plures ſubſiſtentias proprias: ſi ergo iſta omnia à pluribus ſine repugnantia tuentur, cur ſine illa nos defendere non poſſemus, quòd eadem natura à diuinis tribus perſonis ſimul terminari poſſit. Sed carentiam iſtius repugnantiæ argumentorum ſolutio aptiùs commendabit.

73. Argues primò cum Scoto *in 3. diſt. 1. q. 2.* Richardo *art.1.q.4.* Licheto *ibidem* Rada *in 3.p. contr.1.* quos ſequuntur Lugus *diſp.12.ſect.6.n.81.* Amicus *diſp.14.ſect.6.* qui duo aſſerit. Primum *n. 73.* vbi ait: implicat eamdem numero naturam creatam adæquatè terminatam ab vna perſona diuina, poſſe vlteriùs ſubſtantialiter terminari à reliquis perſonis, in quo ab authoribus huius partis conuenit, ſecundum aſſertum eius tradit *num.1*2*a.* vbi ait: non implicat, naturam creatam immediatè vniri omnibus diuinis perſonis, & cum omnibus conſtituere vnum ſubſtantiale per ſe, ſi non adæquatè à ſingulis, quamuis adæquatè ab omnibus tribus dicatur ſuſtentari. Hæc aſſerta in calce examinabimus.

74. Arguit ergo Cardinalis de Logo citatus, nam licèt ſubſiſtentia aliena non ita terminet naturam, vt faciat illam per ſe ſubſiſtentem, facit tamen illam ſubſiſtentem in ſuppoſito alieno; ſicut ſubſiſtentia propria facit naturam ſiſtentem in ſe. Nam ſubſiſtentia verbi ita terminat naturam humanam Chriſti, vt faciat illam ſubſiſtere in verbo, item ſi perſonalitas Angeli poſſet terminare naturam humanam Petri faceret illam ſubſiſtere in ſuppoſito Angelico. Subſiſtere autem humanitatem in verbi ſuppoſito, vel angelico, eſt ſiſtere, & terminari humanitatem, non quidem in ſe, ſed in alio ſuppoſito alieno. Ergo non poſſet ſimul terminari ab alio ſuppoſito. Probat conſequentiam, quia ſicut repugnat terminari in ſe, & in alio, vt ſupponit, ſic etiam repugnat terminari in ſuppoſito verbi, & terminari in alio ſuppoſito Spiritus ſancti, terminari enim eſt ſiſtere ibi, & non progredi vlteriùs. Ergo ſi terminatur in hoc ſuppoſito verbi, non poteſt terminari in alio ſuppoſito Spiritus ſancti, quia afferet ſecum virtualem contradictionem.

75. Reſpondebis: eadem natura diuina ſubſiſtit per ſubſiſtentiam trium perſonarum, non obſtante ratione iſta ſiſtendi explicata. Ergo ſimiliter illa non obſtante poterit eadem humanitas ſubſiſtere tribus diuinis ſuppoſitis.

76. Sed replicabis cum Lugo *ibidem* eſſe diſparitatem, quia natura diuina ſubſiſtit per tres ſubſiſtentias proprias; ſubſiſtere autem per ſubſiſtentiam propriam, non eſt naturam ſiſtere, ſeu terminari in tali ſuppoſito, ſed ſiſtere in ſeipſa, vt diximus ſuprà; imo, aſſerit, hic eſt effectus formalis propriæ ſubſiſtentiæ, quòd natura exiſtat per ſe, ſeu ſiſtat in ſeipſa, quare cùm non repugnet, quòd eadem natura ſiſtat in ſeipſa per triplicem ſiſtentiam, non repugnabit habere tres ſubſiſtẽtias proprias. At verò quãdo natura ſubſiſtit per ſubſiſtentiam alienam, non ſiſtit in ſe, ſed in alieno ſuppoſito, quare cùm repugnet, naturã ſiſtere in tali ſuppoſito alieno, & vlteriùs progredi vlteriùs ad ſiſtendum in alio ſuppoſito, conſequens eſt, vt repugnet

quòd

quòd natura humana, quæ ſemel ſubſiſtit in ſuppoſito verbi, ſubſiſtat vlterius in ſuppoſito Patris, vel Spiritus ſancti. Quibus concludit, ſententiam iſtam illi arridere, ſolúmque eius reſolutionem retardare ſanctiſſimum doctorem, ſed tamen, vt hoc non obſit, opponit Angelico doctori. S. Anſelmum.

77. Reſpondeo laudans ſolutionem ibidem interiectam; & ex illa depromens difficultatem hanc eſſe communem arguenti & nobis: verùm antequam id exequamur, notaturi ſumus argumentum hoc ſuperque vocali terminorum æquiuocationi confidere: etenim ſi ſubſiſtentia, vt ſic, eſt idem, ac ſiſtentia, & aliena, ac ſiſtentia aliena, & propria, ac ſiſtentia propria, & vnaquæque iſtarum particularium ſubſiſtentiarum affert ſecum talem ſiſtentiam naturæ, vt negationem vlterioris progreſſus in eadem natura cauſet, tota res noſtra corruet, imo vt videbimus, & myſterium Trinitatis; quapropter coacti ſumus voces iſtas aliter expendere: fateor, quòd ſubſiſtentia propria naturæ ſit ſiſtentia eius in ſe, taliter quòd importet ſecum negationem in natura vlterioris progreſſus ad alienum ſuppoſitum; quia vt infrà videbimus, ſi permitteretur ad alienum ſuppoſitum diuagari, ſequeretur, eamdem naturam ſiſtere, & non ſiſtere in ſe. Primum ratione ſuæ ſubſiſtentiæ propriæ, ſecundum propter alienam. Rurſum, ſubſiſtentia aliena eſt ſecundùm quid ſiſtentia naturæ quam terminat, non ad hunc ſenſum, quòd ſimpliciter eam non terminet, & cum ea compoſitum per ſe non faciat, vt patet in ſubſiſtentia verbi reſpectu humanitatis; nec quòd non faciat naturam ſubſiſtere in tali ſuppoſito, nempe verbi: ſed quòd non ita religioſè eam intra ſe claudat, vt non ſinat eam progredi vlteriùs, vt ſit in alio, vel alio ſuppoſito. Itaque dicimus, ſubſiſtentiam Patris, & immediatè vnitam humanitati, eſſe ſiſtentiam illius in Patre, hoc eſt, afferre humanitatem (liceat ſic loqui) vt Patrem pertingat, non tamen eſſe ſiſtentiam illius cum negatione ſiſtendi, vel eſſendi in alio ſuppoſito, quòd Pater non ſit. Explicare id poſſumus exemplo in ſententia doctiſſimæ ſocietatis, valde plauſibili; docent communiter Patres Ieſuitæ eſſe poſſibile vnum corpus eſſe poſſe in duobus locis ſimul per diſtincta vbi, ſeu præſentias. Et dum arguuntur ex ethimologia vbi circunſcriptiui, quòd ſcilicet hoc ita reſtringit corpus ad hunc locum, vt non ſinat illud alteri loco præſens fieri, quia per illud vbi primum circunſcribitur, ligatur, vt ſiſtat ibi, ſi enim circunſcribitur. Ergo ſiſtit, ſi ſiſtit, quomodo ergo incedit? Reſpondent, vocem hanc, *circunſcriptio, ſiſtentiaque*, pari latitudinem, compatitur enim cum hoc, quod eſt idem corpus eſſe in alio loco per diſtinctum vbi, quod etiam ſit circunſcriptiuum; etenim circunſcribi ab hoc loco per iſtud vbi, tantùm ſonat, corpus illud quoad omnes partes eſſe in illo loco, ita vt nulla pars eius ſit non locata; cum hoc, dicunt, cohærere, prædictum corpus ſimilem circunſcriptionem habere poſſe ſimul in alio loco, quia diſtincta vbi poſſunt facere, quòd idem corpus in diuerſis locis exiſtens, ita in illis ſiſtat, vt quilibet locus omnes eius partes pertingat, & de quolibet loco verificetur continere cunctas partes illius corporis. Vnde licèt circunſcriptio ab hoc loco dicat negationem circunſcriptionis eiuſdem corporis ab alio loco per idem vbi, non tamen per diuerſum, ergo mihi licebit eamdem interpretationem exhibere vocibus illis *ſubſiſtentia, & ſiſtentia*, quòd ſcilicet per ſubſiſtentiam Patris humanitas ſiſtat in Patre, hoc eſt, ſit in Patre, ad hunc ſenſum, quòd ſubſiſtentia Patris ſit ratio, vi cuius humanitas eſt in ſuppoſito Patris, ita vt illa cum humanitate vnita, non poſſit humanitas non eſſe in Patre. Sicut poſito vbi Petri in loco, A, dicitur Petrus ſiſtere, hoc eſt, eſſe in loco, A, ſed cum ſiſtentia humanitatis in Patre cohæret ſiſtentia eiuſdem humanitatis in filio &c. hoc eſt compatitur quòd ſimul ſit in Filio, non media ſola ſiſtentia Patris, ſeu ſubſiſtentia illius, ſed mediante ſubſiſtentia Filij, ſicut cohæret cum ſiſtentia vnius corporis in loco, *A*, ſiſtentia eiuſdem in loco, *B*, per diuerſum vbi. His igitur notatis.

78. Reſpondebis in forma argumento Lugi, & diſtingue in antecedenti voces illas, ſiſtere in tali ſuppoſito alieno, hoc eſt, eſſe in ſuppoſito alieno, concedo, ſiſtere in tali ſuppoſito alieno cum negatione eſſendi in alio, ſubdiſtinguo, mediante eadem ſubſiſtentia, concedo, mediante diuerſa, nego, & adducenda eſt inſtantia vbi circunſcriptiui, per quod non minùs corpus ſiſtit in loco, A, quàm per ſubſiſtentiam dicatur natura ſiſtere in hoc determinato ſuppoſito. Hanc formam applicare poteris cæteris, quæ in argumento ponuntur, vt ea ſe patet. Eamdem diſtinctionem acomodabis replicæ ibidē factæ.

79. Arguit ſecundò Amicus intendens probare, eamdem naturam adæquatè terminatam ab vna perſona diuina non poſſe vlterius ſubſtantialiter terminari à reliquis perſonis. Hoc erat primum eius aſſertum, vt vidimus *n.* 73. probat ſic: quia non poteſt ex duobus entibus vltimò completis ſubſtantialiter fieri vnum ſubſtantiale per ſe: ergo non poteſt ex natura creata vltimò completa ſubſtantialiter, & ex perſona diuina fieri vnum ſubſtantiale per ſe. Conſequentiam probat, ſiquidem in tali caſu vtrumque extremum eſſet vltimò completum ſubſtantialiter, nimirum perſona diuina ex ſe; natura verò creata per ſubſiſtentiam alterius perſonæ diuinæ adæquatè terminātis ſuppoſitabilitatē naturæ aſſumptæ. Antecedens nunc probat: quia in omni compoſitione ſubſtantiali debet vnum ſaltem extremum ſubſtantialiter perfici. Sed nequit ſubſtantialiter perfici, ſi ſupponatur adæquatè completum ſubſtantialiter. Ergo &c. Maior elucet, cùm in omni compoſitione ſubſtantiali debeat extremum acquirere aliquam perfectionem ſubſtantialem, per ſe requiſitam ad ſubſtantiale complementum ſui eſſe. Vnde etiam ſi perfectio acquiſita ſit ſubſtantialis, ſi non ſit per ſe deſiderata ad complementum ſubſtantiale ipſius, non poterit illud ſubſtantialiter perficere, quoniam ad ſubſtantialiter perficiendum, non fas eſt, perfectionem eſſe ſubſtantialem aliàs omnis perfectio ſubſtantialis addita ſubſtantiæ illam ſubſtantialiter perficeret. Minorem nunc probat, quod eſt adæquatè completum ſub-

ſtantialiter, non habet exigentiam vlterioris perfectionis ſubſtantialis. Ergo non poteſt vlteriùs ſubſtantialiter perfici. Conſequentia patet, nam omnis ſubſtantialis perfectio, vt ſubſtantialiter perficiat id, cui aduenit, requirit in illo ſubſtantialem perfectibilitatem, alioquin quodlibet poſſet perficere quodlibet. Antecedens oſtendit, nam omnis exigentia, ſeu perfectibilitas eſſentialiter eſt indigentia alicuius perfectionis perſe requiſitæ ad complementum eſſendi. Ergo vbi eſt adæquatum complementum totius eſſe rei, nulla poteſt eſſe indigentia perfectionis debitæ, ac requiſitæ ad complementum eſſendi.

80. Confirmat hoc *n.* 74. ideo vna natura adæquatè completa in ratione naturæ, nequit componere vnum ſubſtantiale cum alia natura pariter completa in ratione naturæ, quia natura completa in ratione naturæ nullam habet exigentiam, atque adeo indigentiam vlterioris perfectionis ſubſtantialis ſpectantis ad complementum naturæ. Ergo nec vna ſubſtantia adæquatè completa in ratione ſubſtantiæ, qualis eſſet natura creata adæquatè terminata ab vna perſona diuina, habebit exigentiam, atque adeo indigentiam vlterioris perfectionis ſubſtantialis.

81. Reſpondebis, hoc quòd humanitas ab hypoſtaſi filij adæquatè terminetur, ſi rectè intelligatur, non inferre neceſſariò negationem terminationis factæ ab aliis perſonis. Etenim ly *adæquatè* hunc ſenſum facit, quòd nihil humanitatis inunitum relinquat hypoſtaſis filij, ex ſuppoſitione, quòd illi vniatur, tamen hoc non excludit poſſibilitatem iterum ſe vniendi cum aliis hypoſtaſibus diuinis. Sicut in ſententia probabili defendente, materiam adæquatè ab vna forma informatam, poſſe iterum alteri formæ vniri, & ſimul ab illa adæquatè informari.

82. Sed replicabis incipiens ab exemplo: etenim diuerſa eſt in vtroque caſu ratio; ſiquidem ideo admittentes exemplum, admittunt informationem vnius non excludere ab intrinſeco informationem alterius formæ in eadem materia, quia materia adæquatè informata vna forma ſubſtantiali, adhuc componere poteſt vnum ſubſtantiale cum alia, ratione alterius extremi ſubſtantialiter perfectibilis. Cùm enim ad ſubſtantialem compoſitionem requiratur, & ſufficiat, vnum tantum extremum ſubſtantialiter perfectibile, cùmque omnis forma ſubſtantialis poſſit ſubſtantialiter perfici in compoſitione cum materia adæquatè informata alia forma ſubſtantiali, poterit quæuis alia forma ſubſtantialis cum tali materia, componere vnum ſubſtantiale; natura verò creata adæquatè ſuppoſitata vna hypoſtaſi diuina, non poteſt componere vnum ſubſtantiale cum alia hypoſtaſi diuina, cùm neutrum extremum ſupponatur in tali compoſitione ſubſtantialiter perfectibile.

83. Reſpondebis, diſparitatem hanc eſſe nullam, nam pone caſum, quòd anima rationalis, cui materia alia forma adæquatè informata eſſet copulanda, non eſſet ſubſtantialiter per eamdem materiam perficienda ſubſtantialiter, quod poſſe contingere, facilè ſuaderi poteſt caſu, quo anima rationalis, vel alia forma medio concurſu creatiuo conſeruaretur, in tali caſu talis forma non eſſet à materia, cui vniretur, ſubſtantialiter perfectibilis, quia tunc talis forma eſſet ſubſtantialiter completa medio concurſu creatiuo ſupplente concurſum vnitiuum, vel ſuſtentatiuum materiæ, & tamen in tali euentu, ſi materiam adæquatè informata vna forma, iſta alteri formæ vniretur, ex ambabus fieret vnum ſubſtantiale. Non ergo compoſitio vnius ſubſtantialis petit ſaltem in vno extremo, quòd poſſit hîc & nunc perfici ſubſtantialiter ab alio; atque adeo quamuis humanitas ſemel adæquatè terminata ab vna hypoſtaſi, non ſit perfectibilis ab hypoſtaſi Patris, nec iſta ab humanitate, hoc non tollet, quominus ambæ poſſint ſubſtantialiter copulari.

84. Sed replicabis: eſſe magnam diſparitatem, nam in caſu, quo medio concurſu creatiuo illa forma conſeruaretur, & hac ratione diceretur completa in ratione exiſtendi partialiter; adhuc tamen haberet incompletionem in ratione naturæ, & ſubſtantiæ ſimpliciter, cùm in ratione ſubſtantiæ, & naturæ ſimpliciter maneret incompleta, hoc ipſo, quòd maneret pars, & ſemiens, quæ incompletudo nullo alio concurſu tolli poteſt, quàm concurſu vnitiuo cum materia, tanquam cum comparte eiuſdem ordinis: at humanitas adæquatè terminata vna diuina hypoſtaſi, manet iam omnimodè completa.

85. Vt reſpondeas notare debes, vnum eſſe, quod eſt vnicum fundamentum Amici, nempe ideo humanitas ſemel ſuppoſitata ab vna hypoſtaſi, nempe diuina paternitate, nõ poteſt vlteriùs terminari ab hypoſtaſibus Filij, & Spiritus ſancti, quia ſic cum illis vnita nequit cum eiſdem ſubſtantialem compoſitionem facere, & hoc ideo, quia omnis compoſitio ſubſtantialis petit, quòd ſaltem vnum ex extremis intrinſecè perficiatur, quod repugnare extremis in tali hypotheſi vnitis probauit modo, quo vidimus. Verùm ſolutio iſtius fundamenti petit, quòd aduertas primò. Quamcumque hypoſtaſim diuinam ex ſe eſſe completiuam humanitatis intra lineam ſubſiſtendi, quia quælibet earum habet infinitam vim terminandi naturam, ea terminatione cuius natura eſt capax. Rurſum nota humanitatem conſiderari poſſe dupliciter. Primò ſecundùm prædicata ſua naturalia, & ſic ſolùm habet exigentiam poſitiuam ad ſuam ſubſiſtentiam naturalem; ſimul cum qua naturaliter ſuppoſitum aſtruit, taliter quòd ex vi iſtius compoſitionis vtrumque extremum perfici dicatur, & vtrumque in diuerſo genere perfectio ſit reſpectu alterius. Secundo verò modo conſideratur humanitas ſecundùm potentiam obedientialem, & in linea ſupernaturali ſaltem terminatiuè, & ſic conſiderata dicitur eſſentialiter connecti cum omni eo, quòd contradictionem non importauerit, atque adeo depaſcitur campum totius poſſibilitatis, quapropter capax eſt, vt hac vel illa hypoſtaſi diuina compleatur; cum diſcrimine tamen, quòd ex ſe humanitas ad illas non dicat exigentiam naturalem, ſed ſolùm non repugnantiam.

86. Nota vlteriùs, hypoſtaſes diuinas dupliciter

conſer

conferri poſſe humanitati. Primò, quòd vna ſola immediatè vniatur, vt contigit humanitati Chriſti, & in hoc caſu hæc compleuit humanitatem ſupponendo pro priori in illa omnem incompletionem, tàm ſecundùm eius exigentiam naturalem, quàm ſecundùm non repugnantiam. Secundùm exigentiam, quia in tali caſu ſupponi deberet humanitas priuata ſua ſubſiſtentia naturali, quam ex ſe exigit. Secundùm non repugnantiam, quia cùm ſupponamus tunc vniri ſolam vnam hypoſtaſim, fit, pro priori etiam ſupponi debere humanitatem cum carentia alterius diuinæ hypoſtaſis, quam per non repugnantiam reſpicit. Secundò, ita vt omnes tres vel duæ hypoſtaſes ſimul in eodem inſtanti humanitati vniantur, & tunc licèt in eodem inſtanti durationis tales vniones contingant, tamen aliqua ſigna priora, & poſteriora ſaltem per rationem diſtinguere debemus in illis vnionibus fundatam in hypoſtaſibus vnitis; atque adeo in primo ſigno Pater, in ſecundo Filius, & in vltimo Spiritus S. eo modo, quo diſcurritur in myſterio Trinitatis, per prius eſſentiam paternitate, poſtmodum per filiationem, & tandem per paſſiuam ſpirationem terminari dicimus nunc, hypoſtaſim Patris complere tunc humanitatem ſupponendo in illa vtramque incompletionem nuper explicatam. Hypoſtaſim verò filij complere illam ſupponendo ſemper incompletionem in humanitate ſecundùm exigentiam, non tamen omnimodam incompletionem ſecundùm non repugnantiam, quia pro priori ſupponit in humanitate hypoſtaſim Patris illam complentem, ſed tamen ſupponi in humanitate ipſa aliquam incompletionem in ratione ſubſiſtendi per non repugnantiam, nempe carentiam ipſius filiationis, per quam terminetur: etenim hæc pro illo priori non intelligebatur in humanitate, niſi ſolus Pater: atque adeo licèt pro priori ſupponatur completa in ratione ſubſiſtentis in eſſe Patris, ſupponitur tamen incompleta in ratione ſubſiſtendi in eſſe Filij, quòd per non repugnantiam in illo priori humanitas reſpicit. Idem diſcurrere de Spiritu ſancto. Vnde neutra iſtarum hypoſtaſium adæquatè complet humanitatem conſideratam intra lineam non repugnantiæ; cùm hæc non ſolùm vnam, ſed omnes tres dicatur reſpicere. His notatis.

87. Reſpondeo in forma argumento Amici omittendo in ſua probabilitate ſolutiones interiectas. Diſtinguo antecedens: non poteſt ex duobus entibus vltimò completis ſubſtantialiter fieri vnum ſubſtantiale per ſe, ſi ſint ambo vltimò completa intra lineam eſſendi per non repugnantiam, concedo; ſi ſolùm ſint in hac eadem linea non vltimò completa, nego antecedens. Et nego ſuppoſitum conſequentis, quòd ſcilicet per vnam perſonam diuinam vltimò compleatur humanitas intra lineam ſubſiſtendi per non repugnantiam: vt patet ex dictis., & ad probationem conſequentiæ diſtinguo antecedens: in tali caſu vtrumque extremum, nempe humanitas (nam de verbo non eſt dubium) per ſubſiſtentiam alterius perſonæ eſſet vltimò completa intra inadæquatam lineam eſſendi per non repugnantiam, hoc eſt, in eſſe talis perſonæ, concedo, in omni genere eſſendi per non repugnantiam, nego. Ad probationem ibidem imbibitam, nempe quòd vna perſona adæquatè terminaret illam humanitatem, diſtinguo: adæquatè, intra inadæquatam lineam eſſendi per illam, do antecedens, adæquatè intra omnem lineam eſſendi per alias, nego. Omnes enim probationes, quas adducit Amicus laborant hac explicata æquiuocatione, & vt vna vice confirmatio declinetur, notamus, humanitatem ſemel terminatam vna hypoſtaſi & eſſe, & non eſſe indigam terminationis v.g. Filij, & Spiritus S. non eſſe indigam illarum, vt ſufficienter intelligatur completa per non repugnantiam intra lineam eſſendi Patrem, nam per huius hypoſtaſim hoc ipſum acquirit, eſſe indigam, vt intra lineam eſſendi per non repugnantiam Filium, aut Spiritum S. compleatur, quod ſine illis acquirere nequit.

Secundum aſſertum Amici affert *n.* 112. vbi ait, non implicare naturam creatam immediatè vniri omnibus perſonis, & cum omnibus conſtituere vnum ens per ſe, ſi omnes diuinæ perſonæ ita attemperent ſuum concurſum ſuſtentatiuum, vt ſingulæ inadæquatè, omnes verò adæquatè ſuſtentent eamdem naturam. Pro quo notat, duplicem effectum conferre diuinam perſonam naturæ aſſumptæ, vnum formalem, ſeu quaſi formalem, communicando ſeipſam naturæ. Alterum ſuſtentatiuum, quo natura mediante vnione nixa ſuppoſito diuino ſuſtentatur, & conſeruatur in ſuo eſſe: etenim cùm natura creata à proprio ſuppoſito non ſolùm habeat; vt in genere cauſæ formalis vltimò ab illo ſubſtantialiter terminetur, ſed etiam vt in ſuo proprio eſſe conſeruetur, hunc duplicem effectum habet à ſuppoſito diuino; vnde ex his prior attemperari non poteſt, cùm conſiſtat in ipſa communicatione perſonæ diuinæ, quæ ſi ſe communicat, tota ſe communicat; poſterior verò attemperari valet, quia non conſiſtit formaliter in ipſa receptione hypoſtaſis diuinæ, ſed in quodam niſu, quo natura aſſumpta in ipſa hypoſtaſi diuina media vnione innititur, & ſuſtentatur. Quæ vnio cùm poſſit variari, & de adæquata fieri inadæquata, poterit quoque niſus ipſe, quo natura media vnione à perſona diuina ſuſtentatur, variari. 88.

89. Probat hoc *n.* 113. quia licèt non poſſit accidens vnitum pluribus ſubiectis, totum ſuum effectum formalem vnicuique conferre, poteſt tamen ab vnoquoque non totaliter ſuſtentari. Sicut vnio naturalis vtrique extremo confert totum effectum formalem vniti, non tamen ab vnoquoque totaliter, ſed tantùm partialiter ſuſtentatur; contrariò, vnio hypoſtatica à ſola humanitate adæquatè ſuſtentatur, etiamſi vtrique extremo conferat denominationem vniti. Ergo licèt non poſſit diuina hypoſtaſis non totum formalem effectum ſui communicare naturæ aſſumptæ, poteſt tamen natura aſſumpta non totaliter, ſed tantùm partialiter ſuſtentari ab ipſa; & tunc poterunt aliæ etiam perſonæ ad huiuſmodi ſuſtentationem concurrere; ac proinde aliæ etiam perſonæ facere vnum per ſe cum alia; fieri autem hoc poſſet, vel vna vnione terminata ad omnes perſonas ſub ratione ſuſtentantis, vel tribus

vnionibus, ſingulis inadæquatè terminatis ad ſingulas perſonas.

90. Reſpondeo fatens aſſertum hoc eſſe verum, ex qua parte in illo docetur, ex tribus perſonis cum vna humanitate vnitis fieri vnum compoſitum per ſe. Sed tamen nunquam callere potui diuerſitatem illam effectuum formalium, quos hypoſtaſis humanitati confert, nempe, hypoſtaſim diuinam humanitati communicari, & humanitatem ab illa ſuſtentari: ſiquidem humanitatem ſuſtentari, & conſeruari ab hypoſtaſi eſt idem, & humanitatem habere in ſe communicatam hypoſtaſim; nec inueni caput, vnde diſtinctio iſta effectuum naſci poſſit, etenim exemplum illud de accidenti rem noſtram non tangit, ſiquidem ibi miſcet effectum formalem præſtitum ab accidente, & effectum materialem ortum à ſubiectis, à quibus illud accidens ſuſtentatur; ſic non eſt mirandum, quòd accidens communicans ſuum effectum formalem, eum totaliter tribus illis ſubiectis communicet. At ſe communicare hypoſtaſim, vel hypoſtaſim eſſe communicatam humanitati, & hanc eſſe ſuſtentatam ab illa, eſt effectus ſolùm ab hypoſtaſi ortus, & ſic vel totaliter, vel nullo modo eſt illa humanitati præſtandus. Suſtentari verò accidens, eſt effectus quaſi materialis ſubiectorum, in quibus reciperetur, & cum talia ſubiecta ſint tria, tres ſuſtentationes illius accidentis eſſent neceſſariæ, quæ minimè ab vno ſubiecto totaliter proficiſci poterant.

91. Arguunt alij: ex reſolutione noſtra ſequi maximum inconueniens, nempe vnam perſonam dici de alia, Pater ſcilicet eſt Filius, & vice verſa. Ergo non eſt tenenda. Quòd ſit inconueniens, patet ex oppoſitione inter diuinas perſonas inuenta, vi cuius vna procul eſt ab identitate cum alia. Quòd autem id ſequatur, probo: nam in hypotheſi talis aſſumptionis de vno indiuiduo verbi gratia hoc homine, diceretur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Sicut hìc & nunc de hoc homine, Chriſtus, dicitur, quòd ſit Filius Dei. Ergo etiam de Patre diceretur quòd eſſet Filius, & hic de illo. Probo conſequentiam, nam hæc eſt bona illatio: hic homo eſt Pater, hic homo eſt Filius. Ergo Filius eſt Pater.

92. Reſpondeo cum communi. Negando ſequelam, ſicut ſimilem negant cuncti in myſterio Trinitatis, vbi par ſyllogiſmus formatur, & negatur conſequentia, ſiquidem non omne, quod eſt hic homo, eſt Pater, quare ob defectum medij bene diſtributi non infertur illatio, vt cuncti authores de ſimili illatione *tract. de Trinit.* diſcurrunt.

93. Arguunt alij: plures cauſæ adæquatæ eiuſdem generis, & ordinis nequeunt diuinitus, vt fert Thomiſtarum aſſertum, vnum effectum numero cauſare. Ergo nec plures perſonæ eandem humanitatem poterant terminare. Omiſſa diſparitate dari ſolita ex Vaſquez *hìc diſput.* 29. *cap.* 4. reſpondeo concedens antecedens, & negans conſequentiam. Ratio diſpar eſt, nam vt notaui *numero* 86. vnicuique illarum perſonarum correſpondet diſtinctus effectus ſpecie diſtinctus, ſicque neceſſariæ ſunt cauſæ, vel quaſi cauſæ diſtinctæ ad ſingulos præſtandos. Paritas enim curreret, ſi in noſtro caſu dandus ſolùm eſſet vnus effectus numero, & aliàs pro illo præſtando deſignarentur tres perſonæ diuinæ tanquam cauſæ adæquatæ. Quoniam verò ſint tales effectus. Vide *num.* 86.

Arguunt alij: terminari tribus perſonalitatibus naturæ diuinæ conuenit propter eius infinitatem. Ergo id nequit naturæ creatæ, quæ infinita non eſt, conuenire. Reſpondeo: id ſolùm probare, terminationem trium perſonarum conuenire non poſſe connaturaliter creatæ naturæ, ſed ad ſummum obedientialiter, & per non repugnantiam; quia talis terminatio connaturaliter ſolùm conuenit diuinæ naturæ ratione ſuæ infinitæ fœcunditatis. 94.

Arguunt vltimò authoritate ſancti Anſelmi *lib.* 2. *cur Deus homo, cap.* 2. expreſsè edocentis, non poſſe plures perſonas vnum, & eundem hominem aſſumere in vnitatem perſonæ. Reſpondeo prætermittens innumeras authorum interpretationes, ſanctum Anſelmum nomine hominis naturam humanam intellexiſſe, atque iure decreuiſſe, plures perſonas non poſſe aſſumere vnam humanitatem in vnitatem perſonæ; ſiquidem ſi ſupponimus tres diuinas perſonas illam humanitatem aſſumere, fit, eas minimè illam aſſumpturas in vnius perſonæ vnitatem, ſed in trinitatem perſonarum. Vnde vera mens ſancti Anſelmi fuit, decernere, quòd ſemel humanitate aſſumpta ab vna perſona nequeat iterum & ſimul aſſumi in vnitatem perſonæ ab alia perſona; aliter enim ſi tres perſonæ eam humanitatem aſſumerent in perſonæ vnitatem; cùm ipſæ ſint tres, iam tres perſonæ eſſent vna & eadem perſona ex vi talis aſſumptionis, quod eſt falſum. 95.

Ex his manifeſta fit reſolutio allata in titulo, nempe quòd tribus diuinis perſonis conueniat ſimultanea vi aſſumptiua eiuſdem humanitatis.

Sectio II.

In hypotheſi, quòd tres diuinæ Perſonæ humanitatem vnam aſſumpſiſſent, ipſæ forent ſimpliciter vnus homo.

Reſolutionem hanc docuit expreſsè ſanctiſſimus Thomas *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *& hic quæſt.* 3. *articul.* 6. *ad* 1. quem ſequuntur eius diſcipuli Capreolus *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. Ferrara 4. *Contra g. cap.* 11. Cippullos *hic articul.* 7. *dub.* 2. & alij extra ſcholam Angel. doct. S. Bonauent. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *in fine.* Altiſiodorenſis *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 6. Rubionius *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in fine.* Suarez 3. *part. diſput.* 13. *ſect.* 2. Vaſquez 1. *part. diſput.* 155. *cap.* 5. & Durandus *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt. ad* 3. Amicus *diſput.* 14. *ſect.* 7. *num.* 121. Martinus Perez *diſputatione* 10. *ſectione quinta, num.* 15. 96.

Notanda eſt primò regula, quæ pro vnitate & multiplicitate nominis ſubſtantiui adducitur ab Angelico Præceptore *loco citato in* 3. necnon *ex* 1. *part. quæſt.* 39. *articul.* 3. vbi aſſerit, ſingu- 97.

ſingularitatem, vel pluralitatem nominis ſubſtantiui attendi debere ſecundùm formam ſignificatam per nomen; quam regulam ibidem adduxerat, vt conuinceret, in diuinis tres diuinas perſonas eſſe vnum Deum; quamque ſimul exprimit in creatis his verbis: *In creaturis autem non inuenitur vna forma in pluribus ſubiectis, ſeu ſuppoſitis, niſi vnitate ordinis, vt forma multitudinis ordinatæ. Vnde nomina ſignificantia talem formam, ſi ſint ſubſtantiua, prædicantur de pluribus in ſingulari, non autem ſi ſint adiectiua; dicimus enim, quòd multi homines ſunt collegium, vel exercitus, aut populus, dicimus tamen quòd plures homines ſunt collegiati.* Hæc ſanctiſſimus doctor, ex quibus firma emanat regula pro multiplicando, vel non multiplicando nomine ſubſtantiuo; quòd videlicet nomina ſubſtantiua vnitatem hauriant à forma, quam exprimunt directè. Vnde nomina hæc: Deus, Angelus, & homo, directam ſuam ſignificationem dirigunt in naturam, indirectam verò in ſuppoſitum; ſiquidem attenta ipſorum nominum vocali cortice, quàm hominum nutus illis indidit, vox hæc homo confusè importat ſuppoſitum per modum habentis, diſtinctè tamen naturam ipſam ad inſtar formæ per ſe ſtantis. Ex quo fit, non poſſe prædictas voces, Deus, homo, & Angelus, ſuam multiplicationem capere ex ſuppoſitorum multitudine. Quapropter vt ait ſanctiſſimus doctor citatus, quamuis ſint in diuinis tria ſuppoſita, non dicimus tres eſſe Deos, ſed vnum Deum, non ſolùm propter vnitatem ſuppoſiti communis media ſubſiſtentia abſoluta, vt defendit Caietanus, ſed propter vnitatem naturæ, quàm directè hoc nomen, Deus, indigitat.

98. Quòd enim nomen hoc, Deus, non multiplicetur ad multiplicationem perſonarum, quia tales perſonæ ſunt hic Deus ſubſiſtentiâ abſolutâ ſubſiſtens, ſed ſolùm, quia vna eſt in illis deitas, mihi ſuadet certitudo, qua ex fide habemus, tres perſonas eſſe vnum Deum, & incertitudo, qua dubitamus, an in Deo detur abſoluta ſubſiſtentia. Vnde quamuis determinaretur ab Eccleſia, in Deo non eſſe dandam ſubſiſtentiam abſolutam, adhuc maneret certum, tres perſonas eſſe vnum Deum: at in tali euentu ad ſaluandam iſtius nominis vnitatem, non daretur recurſus ad vnitatem ſubſiſtentiæ abſolutæ; ergo nec ad illam ſumus nunc recurſuri, vt defendamus in perſonis vnitatem huius vocis, Deus. Præterea, nam ſanctiſſimus doctor *quæſt. illa citata 1. part.* nullam rationem adducit, vt defendat Patrem, & Filium eſſe vnum ſpiratorem, niſi quia in illis eſt vna & indiuiſa ſpiratiua virtus, quæ per hoc nomen, ſpirator, ſignificatur directè. Ergo ſemper ad multiplicationem ſubſtantiui nominis attendenda eſt multiplicitas naturæ directè ſignificatæ per illud. Et iure regula hæc præfigitur pro ſtatuenda vnitate, vel multiplicitate nominis ſubſtantiui, ſiquidem ex eo debet nomen ſuam vnitatem, & multiplicitatem deſumere, à quo habet directam ſignificationem, ſiquidem non habent aliud eſſe nomina niſi propter ſignificationem. Sed nomina ſubſtantiua directam ſuam ſignificationem habent à forma, in cuius ſignificationem ſunt ad placitum inſtituta. Ergo iuxta illius vnitatem, & multiplicitatem eſt taxanda vnitas, vel multiplicitas cuiuſque nominis ſubſtantiui.

Ex his deducitur ratio concluſionis breuis, vox hæc, homo, eſt nomini ſubſtantiui. Ergo vt multiplicetur debet multiplicari eius ſignificatum per ſe. Sed in caſu, quo tres perſonæ vnam humanitatem aſſumerent, ſignificatum per ſe huius vocis, homo, non multiplicaretur. Ergo in tali caſu vnus homo, & non tres homines eſſent. Minorem probo, ſignificatum per ſe prædictæ vocis eſt natura humana. At hæc eſſet vna, vt ſupponimus. Ergo & ſignificatum per ſe, & directum huius vocis, homo, non multiplicaretur, in caſu, quo tres perſonæ aſſumerent vnam humanitatem. Maior non aliter eſt probanda, quàm ex inſtitutione libera hominum ab omnibus recepta. Cætera patent ex dictis. 99.

Sed argues, ſanctiſſimus doctor *hîc quæſt. 3. artic. 7. ad ſecundum* expreſsè docet, quòd ſi vna diuina perſona aſſumeret duas humanitates, eſſet ſimpliciter vnus homo, vt infrà eamdem ſententiam ſequemur. Ergo è contrà caſu, quo tres perſonæ aſſumerent vnam humanitatem, non debet dici vnus homo, vel in alio caſu, ſunt dicendi duo homines. Probo iſtam conſequentiam, regula allata pro multiplicando nomine hoc ſubſtantiuo, homo, erat, quòd multiplicato ſignificatiuo per ſe & directo, nempe forma humana, ſit homo multiplicandus; & ſi non multiplicatur, illa, nec concretum ſubſtantium multiplicari debeat; at in caſu illo multiplicantur naturæ humanæ, & in ſententia ſanctiſſimi doctoris non multiplicatur concretum, homo; ergo nec ex eo, quòd in noſtro caſu ſit vna forma humana, quæ ſit ſignificatum directum prædicti concreti, dicetur vnus homo. Siquidem non eſt ratio, quare multiplicato ſignificato directo, & per ſe huius vocis homo, iſte non multiplicetur, & quòd ſtante vnitate ſignificati directi prædictæ vocis conſurgat vnus tantùm homo. Ergo regula illa generaliter non eſt admittenda. 100.

Reſpondeo expendens amplius regulam illam, nam quando eam adduximus neceſſarium non fuit inſtituto aliquid illi addere; nunc autem obiectio obligat, vt ei aliquid ſuperaddamus. Diximus *num.* 97. regulam dignoſcendi vnitatem, vel multiplicitatem concreti ſubſtantiui, erat vnitas vel multiplicitas formæ directè, & per ſe ſignificatæ per illud, vt in hominis vnitate & multiplicitate vnitas, vel multiplicitas humanæ naturæ, quæ eſt directum, & per ſe ſignificatum huius concreti ſubſtantiui, homo. Hanc regulam adduximus tanquam ſufficientem ad vnitatem deſignandam huic concreto, homo in hypotheſi, quòd tres perſonæ vnam humanitatem aſſumerent; vnde iuxta regulam illam, licèt inferatur, quòd multiplicatis formis debeat etiam concretum multiplicari, tamen abſolutè id non eſt verum in omnibus concretis, ſed ſolùm in adiectiuis. Vnde regula noſtra de vnitate formæ per ſe directè ſignifi- 101.

catæ, ad inferendam vnitatem concreti, eſt certiſſima de concreto ſubſtantiuo; cum hoc tamen ſtat, quòd ſi multiplicentur formæ, non tamen ſuppoſita concretum ſubſtantiuum, imo nec adiectiuum multiplicetur. Quodque illuſtrari poteſt ex doctrina Angel. Præcept. 1. *p. q.* 39. *art.* 3. vbi ediſſerit de nominibus ſubſtantiuis, & adiectiuis, habet hæc ibi: *nomina ſubſtantiua ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ; nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubiecto, ſubſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem, vel multitudinem. Vnde & ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen; accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem, & multitudinem, & ideo in adiectiuis attenditur ſingularitas, & pluralitas ſecundum ſuppoſita.* In quibus verbis diſtincta regula aſſignatur à ſanctiſſimo Thoma pro vnitate concreti ſubſtantiui, & adiectiui, vt ponderanti patebit, & eius ratio id manifeſtat, quia nomen adiectiuum cùm ſignificet formam per modum accidentis, & hoc quia totum ſuum eſſe eſt in ſubiecto eſſe, ideo ab illo haurit multiplicitatem, & vnitatem non attenta multiplicitate, vel vnitate formæ; concretum autem ſubſtantiuum cùm ſignificet ſuam formam per modum ſubſtantiæ, & hæc quia per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem, & multiplicitatem; ideo nomen ſubſtantiuum accipit à forma ſaltem ſuam vnitatem. Vſque huc currit regula noſtra; at verò circa multiplicationem concreti ſubſtantiui non ſumus loquuturi diuerſimodè, ac ſumus loquuti de adiectiuo; atque adeo ſicut hoc depoſcit, vt multiplicetur ſuppoſitum; ita vt concretum ſubſtantiuum multiplicetur, non ſufficiet multiplicitas formæ, ſi multiplicitas ſuppoſitorum non ponatur; Vnde cum hoc cohæret differentia aſſignata à ſanctiſſimo doct. inter hæc concreta, quòd ſcilicet ad multiplicitatem ſubſtantiui non ſolùm deſideretur multiplicitas formæ per ſe ſignificatæ, ſed & ſuppoſitorum multiplicitas capiatur; at verò vt multiplicetur concretum adiectiuum ſola ſuppoſitorum multiplicitas ſufficit. Itaque quando diximus, vnitatem concreti ſubſtantiui debere ſumi à forma, non ſumus intelligendi, quòd à tali vnitate excluſerimus ſuppoſitum; hunc enim ſenſum habet regula; quòd quamuis ſuppoſitum multiplicetur, ſi tamen ipſa forma eſt vna, ipſum nomen ſubſtantiuum erit vnum, quod in adiectiuo non currit, nam huius multiplicitas, & ſingularitas ſolùm venanda eſt ex ſingularitate, vel multiplicitate ſuppoſitorum. Ex his deduco cohærentiam illius duplicis loci ſanctiſſimi doct. & quod defendens eſſe vnum hominem tres Perſonæ aſſumentes vnam humanitatem, ſimul etiam tueatur, eſſe vnum hominem caſu, quo vna Perſona tres humanitates aſſumat. Ratio primi, quia eſt ſolùm vna forma per ſe & directè ſignificata per nomen concretum, homo, nempe humanitas. Ratio ſecundi, quia licèt multiplicentur formæ, non tamen ſuppoſitum, & ad multiplicationem concreti ſubſtantiui deſideratur ſuppoſitorum multiplicitas, non abſimiliter, ac idipſum in adiectiui multiplicatione contingere, docent cuncti: ſi tamen de his quæras rationem, poſtea dabo talem, qualem.

120. Sed replicabis, in noſtra hypotheſi, quamuis forma per ſe & directè ſignificata ſit vna, nempe humanitas, dicitur adiectiuè de tribus Perſonis illam aſſumentibus hoc concretum, homo. Ergo in tali caſu erunt tres homines, quamuis forma ſignificata directè per nomen, homo, ſit vna. Conſequentia patet, ſiquidem non alia ratione probamus cum Angelico Præceptore 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 3. *in corp.* Has enunciationes eſſe veras, videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres exiſtentes, & ſapientes; quia licèt ſignificata per ſe & directa illarum vocum ſapientis, & exiſtentis, ſint vnum, & ſingulare, nempe ſapientia & exiſtentia; tamen concreta illorum, nempe ſapiens, & exiſtens modo adiectiuo de Perſonis dicuntur. Ergo ſi concretum, homo, adiectiuè diceretur de tribus Perſonis, quamuis ſignificatum per ſe, & directum illius ſit tantum vnum, nempe humanitas, tamen de illis verificabitur eſſe tres homines. Antecedens tamen primum probatur vix ex eodem antecedenti textu nuper citato *numero* 100. vbi reſoluit, quòd ſi vna diuina Perſona duas naturas aſſumeret, eſſet vnus homo, & addit *in dicta ſolutione ad ſecundum: Nominibus eſt vtendum ſecundum, quod ſunt ad ſignificandum impoſita, quod quidem eſt ex conſideratione eorum, quæ apud nos ſunt, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum: homo enim, qui eſt duobus veſtimentis indutus, non dicitur duo veſtiti, ſed vnus veſtitus duobus veſtimentis, & qui habet duas qualitates, dicitur ſingulariter aliqualis ſecundùm duas qualitates: natura autem aſſumpta, quantùm ad aliquid ſe habet per modum indumenti, licèt non ſit ſimilitudo quantùm ad omnia, vt dictum eſt, & ideo ſi Perſona diuina aſſumeret duas naturas humanas propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo.* Hæc Sanctiſſimus Magiſter. Vbi conſpicuum fit: quòd ſi ea, quæ in hoc textu affert, allata ſint ad ſuum intentum probandum, neceſſe eſt fateri, ipſum Angelicum Præcept. ſenſiſſe, concretum hoc, homo, etſi fuerit ſubſtantiuum, adiectiuè debere enunciari de diuinis Perſonis. Tum, quia humanitatem comparata indumento, reſpectu diuinarum Perſonarum aſſumentium illam: ſed indumentum tametſi ſubſtantiuum, non tamen ſubſtantiuè, ſed adiectiuè dicitur de ſubiecto. Ergo & concretum, homo, etiamſi concretum ſubſtantiuum ſit, non ſubſtantiuè, ſed adiectiuè debet de Perſonis enuntiari: Imò videtur neceſſarium eſſe ab Angelico Præceptore dicendum; quis ideo aſſerit, in caſu, quo vna Perſona duas humanitates aſſumeret, vnus homo ſunt dicendæ; ſicut ſi Petrus eſſet duobus veſtimentis indutus, non duo veſtiti, ſed vnus eſt dicendus veſtitus duobus veſtimentis.. Intendit enim Sanctiſſimus Doctor oſtendere, quomodo ſtante multiplici ſignificato huius vocis, homo, in caſu, quod vna Perſona diuina duas humanitates ſibi copularet, eſſet vnus homo, & non duo dicenda, & vt id probaret, ſumpſit pro modis exemplum indumenti: Si

ti: Si enim ſentiret Sanctiſſimus Doctor, concretum hoc, homo, dici modo ſolum ſubſtantiuè de diuina perſona, exemplum ſine exemplo ſibi vocaret, cùm certum ſit, quòd indumentum non ſubſtantiuo, ſed adiectiuo modo de homine prædicatur. Ergo apud ipſum eſt ſecurum, concretum, homo, vbiuis Perſonis applicetur, debere adiectiuè ad inſtar indumenti applicari; atque adeo caſu, quo tres Perſonæ vnam humanitatem aſſumpſerint, ly homo, reſultans adiectiuè, illis accommodari deberet. Ergo & multiplicari, quia ibi ſunt ſuppoſita multiplicata, ad quorum multiplicationem adiectiua concreta multiplicari dicuntur, vt vidimus ex Angelo Præceptore nunc, *& num.* 101.

103. Reſpondebis, Sanctiſſimum Doctorem perpetuum eſſe in docendo, nomen hoc, homo, non adiectiuè, ſed ſubſtantiuè debere dici de Perſona diuina; aliàs enim ſibipſi contradiceret in calce illius textus vbi expreſsè noſtram concluſionem edocens habet hæc formalia: *Contingit autem, quòd plures homines dicuntur vnus populus, propter hoc, quod conueniunt in aliquo vno, non autem propter vnitatem ſuppoſiti; & ſimiliter ſi duæ perſonæ diuinæ aſſumerent vnam numero humanam naturam, dicerentur vnus homo, (vt ſupra dictum eſt) non vnitate ſuppoſiti, ſed in quantum conueniunt in aliquo vno.* Ecce reſolutio clarè edocta à Sanctiſſimo Doctore, ſi enim ſibi ſuaſum haberet, quòd concretum hoc, homo, adiectiuè de Perſonis diceretur, non poterat non ſibi contradicere, ſiquidem aliquod nomen adiectiuè de ſuppoſitis prædicari, arguit multiplicitatem, & conſequenter cùm in caſu reſolutionis ſint tria ſuppoſita, iam non vnus homo, ſed tres homines dicerentur. Quòd autem in antecedentibus verbis comparauit Sanctiſſimus Doctor humanitatem indumento, quod adiectiuè dicitur, non arguit ipſum ſentire, concretum, homo, in hoc indumento aſſimilari: ſed ſolùm denotat, concretum, homo, etſi vnitatem ſumat ab vnitate formæ, in quo à concreto adiectiuo differt, conuenit tamen cum illo in eo, quòd ſicut concretum adiectiuum, vt multiplicetur, deſiderat ſuppoſitorum multitudinem: ita concretum ſubſtantiuum, homo, vt multiplicetur neceſſariò cupit ſuppoſitorum multiplicitatem; & ad hoc adduxit exemplum indumenti.

104. Argues rurſum, in hypotheſi, quòd tres Perſonæ vnam ſibi annecterent humanitatem, dicerentur tres Perſonæ humanæ. Ergo etiam eſſent tres homines. Probo antecedens, perſona humana nihil aliud eſt, quàm habens humanitatem; ſed in tali hypotheſi eſſent tres habentes humanitatem. Ergo eſſent tres Perſonæ humanæ. Ergo eſſent tres homines. Conſequentia patet, nam ſi attentè inſpiciatur ſignificatum huius vocis, homo, nihil aliud eſt, quàm habens humanitatem; atque adeo ſi tres ſunt in hypotheſi habentes humanitatem, tres etiam debent eſſe homines. Confirmatur: quia ſi aliquid obeſſet, quin tres Perſonæ humanæ dicerentur, maximè vnitas formæ, videlicet naturæ humanæ. Sed hæc non obſtat. Ergo, &c. Probo minorem, nam ſtante vnitate diuinæ naturæ compatitur, in diuinis eſſe tres Perſonas diuinas. Ergo ſtante vnitate naturæ humanæ in noſtra hypotheſi compatietur eſſe tres Perſonas humanas. Ergo & tres homines, Probo conſequentiam; ſiquidem, homo, & humana Perſona idem ſunt, quod eſt in cauſa, vt quia Petrus, & Paulus ſunt duæ perſonæ humanæ, etiam ſint duo homines.

Verum argumentum hoc tenentur in ſimili forma reſpondere contrarij; quia hæc eſt vera. In diuinis ſunt tres Perſonæ diuinæ. Tres habentes Deitatem. Tres ſubſiſtentes in eadem natura diuina. Et tamen hæc illatio eſt mala. Ergo in diuinis ſunt tres dij. Inſtantia hæc eandem vim habet in antecedente, quam illatio argumenti contrarij. Siquidem eo modo, quo nomen hoc, homo, eſt concretum humanæ Perſonæ, ita hoc nomen, Deus, eſt concretum Perſonæ diuinæ. Ergo vel vtrobique eſt inferenda multiplicitas illorum concretorum, vel nullibi. 105.

Præterea reſpondeo cum communi deſignans differentiam inter hás voces, tres habentes humanitatem, & tres ſubſiſtentes in humanitate ex vna parte, & tres homines ex alia: Etenim ille, qui eas omnes protulerit, idem ſignificatum materiale per illas pronunciabit; ſed tamen erit diuerſum formale ſignificatum. Fateor per primas directè naturam humanam deſignari, & per ſecundam vocem denotari eandem; tamen diuerſo modo à primis, & à poſterioribus deſignatur; nam priores eam enunciant adiectiuè, & ſic multiplicationem inuoluunt. Poſteriores verò illam modo ſubſtatiuo explicant, quare indiuiſionem, & vnitatem ſeruant, & hæc eſt cauſa, quare in diuinis tollerentur, & admittantur vt certæ iſtæ propoſitiones. Tres ſunt habentes Deitatem, tres ſunt ſubſiſtentes in natura diuina, tres ſunt Perſonæ increatæ. Non verò alia propoſitio, nempe, tres ſunt Dij. Nec ex eo quòd in noſtra hypotheſi admitterentur tres Perſonæ humanæ ſequitur, admittendum fore, tres homines, quia licèt de tribus indiuiduis verificetur æqualiter eſſe tres Perſonas, & tres homines, exinde naſcitur, quia non ſolùm habent tres humanas perſonalitates, verumetiam tres humanitates inter ſe diſtinctas. Vnde in creatis vt multiplicentur Perſonæ non ſufficit perſonalitates multiplicari, ſed neceſſe eſt, multiplicari & naturas, etenim ſi ponamus hypotheſim, quòd vna numero humanitas terminaretur tribus perſonalitatibus proprijs, non eſſent tres Perſonæ, ſed vna: & licèt in diuinis ad multiplicationem Perſonarum neceſſaria non ſit naturæ multiplicitas, ſed ſuppoſitorum, in creatis verò vtriuſque prædicati deſideratur multiplicatio: Ratio eſt communis, quia in diuinis ipſæ perſonalitates ſunt ex ſe ſubſiſtentes, vt *quod*, & conſequenter ſunt Perſonæ ipſæ; at verò creatæ perſonalitates non ſunt ſubſiſtentes, vt *quod*, ſed vt *quo*, quia vt diximus *tractatu* 1. perſonalitas creata eſt modus naturæ ſuperadditus: atque adeo perſona eſt quoddam conflatum ex natura, & iſto modo, qui eſt perſonalitas; vnde vt in creatis multiplicetur, deſideratur non ſolùm 106

per

perſonalitatum multiplicitas, ſed & naturarum; concludo, in hypotheſi noſtra, in qua tres perſonæ vnam humanitatem aſſumerent, eſſent dicendæ tres perſonæ humanæ, quamuis ſolam ſuppoſitorum multiplicationem includerent, quia videlicet ipſæ perſonalitates, quia diuinæ ſunt ſubſiſtentes, vt *quod*, non tamen tres homines, quia deficit illis naturæ multiplicitas.

107. Colliges ex dictis, concretum quodlibet ſubſtantiale ſubſtantiuum dicere in recto compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia, formalius tamen & expreſſius formam formaliſſimè ſignificari conſtitutiuam. Itaque nomina hæc, homo, & perſona, conſtitutum ex natura ſubſtantiali, & perſonalitate in recto denotant; verùm ſi ad formalius ſignificatum attendatur, diuerſa illis correſpondent ſignificata; ſiquidem nomen, perſona, formalius exprimit perſonalitatem, vt ipſius vocis cortex videtur dearticulare, homo verò expreſſiùs humanitatem declarat. Vnde ex vi iſtius diſtincti ſignificati, homo, poteſt dici compoſitum ex eſſentia, & perſonalitate; perſona verò compoſitum ex perſonalitate, & eſſentia. Ex quo inferes, non bene Lugum alios ſequutum dicere, concreta ſubſtantialia ſubſtantiua, homo ſcilicet, & Deus, ſolùm in recto ſubſiſtentiam, & in obliquo naturam importare, & ita in iſtorum opinione, homo idem eſt, ac ſubſiſtentia terminans humanitatem, & Deus ſubſiſtentia terminans deitatem. Falſum inquam prædictum modum cenſeo, quem latiùs impugnarem, ſi eius impugnationes non tradidere ſatis efficaces idem Lugus, & ab illis minimè expeditum inſpexerim, vt legenti ſolutiones ibidem datas à Lugo *diſputatione decima tertia, ſectione tertia* patebit, ſpecialiter tamen eſt attendenda obiectio illa ex inconuenienti ſequuta, nempe ex modo illo ſequi, tres eſſe cenſendos Deos, ſiquidem ſubſiſtentia, quæ eſt ſignificatum in recto illius concreti, Deus, eſt triplex vnam deitatem terminans. Videbis ſolutiones ibi, & experieris, quod aſſerui verum.

108. Colliges rurſum, regulam illam, quam pro vnitate concreti dedimus *numero nonageſimo octauo*, nempe, concretum debere vnum, eſſe ex vnitate formæ ab illo formaliter ſignificatæ, ly *formaliter*, non ſufficere, ſiquidem viſio formaliter importatur per viſum, & tamen viſioni vnitas non eſt infallibilis regula vnitatis concreti. Rurſum, nec ſufficit, talem formam ſolùm in recto à concreto importari, vt in iſto deriuetur vnitas ex vnitate formæ; Etenim concretum, homo, in recto dicit ſubſiſtentiam, & tamen huius vnitas non regulat vnitatem concreti. Intelligenda enim eſt regula illa de ſignificatione formæ formaliter, & in recto importatæ. Vnde concretum homo, in recto dicit humanitatem, & ſubſiſtentiam, formaliter tamen eſſentiam, & materialiter ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem.

DVBIVM IV.

An vna diuina Perſona plures naturas humanas aſſumere poſſit? Et an in dicta hypotheſi, vnus, vel plures homines eſſet dicenda?

SECTIO I.

Vni Perſonæ diuinæ particulari competit aſſumptiua vis plurium naturarum.

Reſolutio præfixa tot, ac præcedens *ſect.* 1. patronos agnoſcit, eam docet Sanctiſſimus Doctor *hic quæſtione tertia, articulo ſeptimo*, quem innumeri ſequuntur. Ratio breuis, nam hypoſtaticè vniri pluribus humanitatibus ſimul non excedit vim aſſumptiuam, ſeu terminatiuam, quam in ſe quælibet perſona habet. Ergo, &c. Antecedens probo: hic & nunc Deum producere ſimul plures hypoſtaticas vniones non excedit virtutem Dei productiuam, ſeu vnitiuam ad extra. Ergo hypoſtaticè vniri pluribus humanitatibus ſimul, non excedit vim aſſumptiuam, ſeu terminatiuam, quam in ſe quælibet perſona habet. Antecedens patet, cum talis productiua virtus vnionum hypoſtaticarum ſit infinita. Conſequentia eadem probatione munitur, cùm æquè ſit infinita in Deo terminatiua vis, ac vis vnionum cauſatiua. 109.

Argues: ſequèretur ex reſolutione, perſonam vnam poſſe ſimul terminare naturam humanam, & Angelum; necnon humanitatem vnam, quæ eſſet alba, & aliam, quæ nigra eſſet. Sequelæ iſtæ ſunt de ſe claræ. Rurſum ex illis aliæ abſurdæ videntur inferri, nempe extrema extreme oppoſita de ſe inuicem prædicari. Verbi gratia verbum recenſitas naturas ſimul aſſumeret, prædicatio hæc eſſet legitima. *Hoc album eſt nigrum*, & hoc *nigrum eſt album*. Rurſum *homo eſt Angelus*, *& Angelus eſt homo*. Rurſum ſi homo hic eſſet Paulus, & alius Franciſcus, & Angelus eſſet Gabriel, & Petrus eſſet Franciſcus, & Petrus eſſet Gabriel, & vice verſa. Hæc eſſe falſa, tam certum eſt, ac ex noſtra reſolutione infallibiliter ſequi. 110.

Communiter reſpondent ex Caietano Authores negando ſequelam; cuius rationem dant ex negatione requiſiti à communicatione idiomatum; etenim horum communicatio cupit non ſolùm vnionem naturarum in eadem Perſona; verùm & vnionem earumdem inter ſe. Vnde caſu, quo vna diuina Perſona ſimul ſibi annecteret naturam humanam, & Angelicam, non exinde inferri liceret vnionem talium naturarum inter ſe; qualiter de facto vtramque vnionem credimus in aſſumptione humanitatis à Verbo, vbi non ſolùm humanitas Verbo copulatur, verùm & ipſi diuinæ naturæ; quia videlicet de facto res aliter euenire nequit, nam cùm Verbum diuinum ſit 111.

ipſa

ipſa natura realiter, non potuit humanitas vniri Verbo, quin talis humanitas eſſet vnita ipſi naturæ Verbi. Contrarium autem inueniretur in caſu, quo vna Perſona diuina aſſumeret, verbi gratia, duas naturas, humanam ſcilicet & Angelicam; Etenim cùm neutra illarum eſſet ipſum Verbum (idem dico de alia perſona (aſſumens, fieret eainde, quòd ambæ eſſe poſſent vnitæ Verbo, & inter ſe minimè copulatæ; & hoc eſt in cauſa, quòd de facto concedenda ſit idiomatum communicatio, non verò in noſtra hypotheſi: In hac enim Perſona diuina poſſet mori in vna, & viuere in alia, etſi ſecundùm vnam Chriſtus, ſecundùm aliam Ioannes mortuo Chriſto, nihilominùs non poſſet tunc dici mortuus Ioannes; bene tamen diceretur mortuus Filius Dei, & ſuperſtite Ioanne, non diceretur viuus Chriſtus, ſed viuus Filius Dei.

112. Verùm ſolutio hæc eſt nimis ſcrupuloſa, & non parum diſſona, vt mihi videtur principiis SS. Doctoris, qui expreſsè docet *in 3. diſt.1.q.1. art.5. ad* 2. quòd vt verificetur prædicatio duarum naturarum de ſeipſis mutua prædicatione, ſufficit ſolùm in eodem ſuppoſito reperiri; & iuxta hæc ibi expreſsè admittit prædictas prædicationes, quas negat Caietanus, ſiquidem ibi admittit, quòd Ioannes eſſet Chriſtus vice verſa; atque adeo admitti videtur, quòd mortuo Ioanne, diceretur Chriſtus mortuus; ſiquidem radix veritatis iſtarum prædicationum eſſet ſuppoſiti identitas: vnde ingenuè fatemur, omnes illas propoſitiones in tali hypotheſi eſſe verificandas ſaltem in concreto, quæ in argumento pro abſurdo reputantur.

113. Argues ſecundò, Non bene infertur, quamcumque Perſonam diuinam habere vim infinitam terminatiuam. Ergo cuilibet Perſonæ diuinæ cõuenit vis aſſumptiua ſimultanea duarum naturarum. Ergo falſa eſt noſtra reſolutionis probatio. Antecedens probo: quia non minus infinitam vim generatiuam habet Pater, quàm quælibet perſona habeat vim terminandi infinitam. Sed ex illius virtutis infinitate non bene arguitur in Patre virtus ad generandum duos filios. Ergo ex infinita virtute terminandi in qualibet perſona inuenta, non bene deducitur, poſſe quamlibet habere vim ſimultaneè aſſumptiuam duarum naturarum.

114. Reſpondeo, diſparitatem vtriuſque caſus eſſe apertam, etenim vis generatiua in Patre vno actu ſibi adæquato exhauritur, ſiquidem tali actui correſpondit terminus adæquatus taliter, quòd eius exiſtentia impoſſibilem reddiderit alium terminum generádum ad intra, quod eſt in cauſa, vt cum infinitate potentiæ generatiuæ in Patre compatiatur impoſſibilitas generandi duos filios: de virtute autem terminatiua poſſumus loqui reſpectu duorum, vel reſpectu naturæ ad intra, vel reſpectu naturarum ad extra; ſi primo modo, verũ eſt, vim terminatiuam Perſonarum eſſe exhauſtam, quia ad intra diuina natura non eſt vlteriùs terminabilis; ſi verò ſecundo modo ſit loquendum, aſſerimus, adhuc in perſonalitate qualibet manere vim aſſumptiuam reſpectu cuiuſlibet naturæ ad extra, nam quælibet natura creata eſt ex ſe terminabilis, quapropter perſonalitas quæuis diuina, licèt exhauſta ſit ad terminandum naturam diuinam ad intra, in quo cum potentia generatiua conuenit, non eſt exhauſta ad terminandum creatam aliam & aliam.

Sectio II.

In hypotheſi aſſumptionis duarum naturarum humanarum, non duo, ſed vnus eſſet dicendus homo.

Reſolutio hæc docetur à SS. Doct. *q.3. art.7.* Almayno *in 3. diſt.1.q.2. dub.3.* Gabr. *q.2. art.3. dub.4.* Marſil. *q.2. art.3. dub.3.* Caiet. *ſuper cit. art.* quos ſequuntur recentes Suarez, Valentia, Becanus, Granadus, Cardinalis de Lugo, & Cippullus. Hanc igitur reſolutionem amplector authoritate Sanctiſſimi Doctoris, nuper citati ductus; nam ibi expreſsè illam profitetur. Ratio autem illius tota dependet in tradenda ſecura regula pro vnitate, & multiplicitate nominis ſubſtantiui ſubſtantialis, & cum eam certiorem defendamus, quæ principiis Sanctiſſimi Doctoris viſa fuerit conformior, ideo eam ipſam, quam dedimus ſectione antecedenti, & authoritate Angelici Doctoris muniuimus; in præſenti ſuſtinemus. Videatur ibi & additamentum, quod eidem ſubiunximus *num.*101. Nunc autem ſat erit ab argumentis contrariis aliquantulum expediri. 115.

Arguunt Durandus *in 3. q.3. ad 3. num.*21. Argentinas *q.2. art.4.* Lichetus *q.3.* Capreolus *in 1. diſt.4. q.1. art.1.* Vaſquez *1.p. diſp.*155. *c.4. & 5.* Martinus Perez *diſp.*10. *ſect.*6. Bernal, licèt hîc cum diſtinctione loquatur, vt ſtatim me videbo, *diſp.*24. *ſect.*11. §.4. Amicus *diſp.*14. *ſect.*9. *num.*135. Sed antequam argumenta ſingula proponam, adducere priùs decreui ſententiam Bernalij, qui mediam viam aggrediens, exiſtimat cunctis ſe opponere, & cunctis vna vice ſuffragari. Bernal ergo *diſp.* 24. *ſect.*11. *tam* §.2. *quam* §.4. diſtinguit duplicem modum ſpectandi diuinas Perſonas vocatas ad vtramque quæſtionem, de quibus quæritur an in caſu, quo tres Perſonæ vnam humanitatem aſſumpſerint, vel caſu, quo Perſona vna duas humanitates aſſumpſerit, ſint ne dicendæ vnus homo, vel plures? vt vtrique quæſtioni reſpondeat, aſſerit, diuinas Perſonas ſpectari poſſe dupliciter. Primò, vel ſecundùm naturalem conſtitutionem ſuam, iuxta quam quælibet Perſona diuina dicit conſtitutum ex propria perſonalitate, & Deitate. Vel ſecundùm conſtitutionem non naturalem, iuxta quam quælibet Perſona diuina in illis hypotheſibus dicere poſſet conſtitutum ex propria perſonalitate, & humanitate aſſumpta, nam eiuſmodi compoſitum verè & propriè eſſet diuina Perſona. Hoc notato. 116.

Reſoluit quæſtionem in caſu, quo tres diuinæ Perſonæ vnam humanitatem aſſumerent, dicit ergo, ſi tres Perſonæ diuinæ ſecundùm naturalem conſtitutionem ſumantur, in prædicto euento tres homines eſſent, rationem dat, quia tunc hæ propoſitiones: *Pater eſt homo, Filius eſt homo & Spiritus Sanctus eſt homo* forent accidentales, ſeu de concreto accidentali, qualis nunc habetur illa propoſitio, 117.

Verbum

verbum eſt homo, ſed concretum accidentale multiplicatur ad multiplicationem ſubiecti, quamuis forma non multiplicetur, ſicut plures parietes vnæ albedine affectæ plura alba nuncupantur. Ergo in euentu dato tres perſonæ diuinæ tres homines eſſent.

118. Aſſerit ſecundò, in tali hypotheſi eſſent dicendæ tres perſonæ vnus homo, ſi perſonæ diuinæ ſpectarentur ſecundùm conſtitutionem ſuam non naturalem. Rationem dat, quia tunc perſona diuina, nempe pater, ſic ſpectata, præcisè eſſet aggregatum ex paternitate, vt virtualiter excludente deitatem, & ex humanitate aſſumpta; & ita cæteræ perſonæ ſe haberent, proindeque talibus diuinis perſonis ſic ſpectatis æquè foret eſſentialis humanitas, ac nunc perſonæ Petri ſit humanitas eſſentialis, & æquè, ac modò ſingulis diuinis perſonis ſecundùm naturalem conſtitutionem acceptis eſt eſſentialis diuinitas. Ergo ſicut tres diuinæ perſonæ ab vna diuinitate ipſis eſſentiali, ſunt vnus Deus, ſic tunc diuinæ tres perſonæ ab vna humanitate ſecundùm illam conſtitutionem ipſis etiam eſſentiali, forent vnus tantum homo Hæc dedit §.2..

119. Idem Bernal accedens ad præſentem huius tituli hypotheſim aſſerit alia duo §.4. & primò docet, quòd in caſu, quo vna perſona tres humanitates aſſumeret, eſſet dicenda vnus homo ſumpta diuina perſona ſecundùm ſuam naturalem conſtitutionem, cuius dat rationem *num.* 42. quia concretum accidentale non multiplicatur ex multiplicatione formæ, quam in obliquo dicit, vt fert communis. Sed in illo euentu, *homo*, reſpectu vnius perſonæ eſſet concretum accidentale, & proinde ſolùm in obliquo humanitatem diceret. Ergo etiamſi hæc in tali hypotheſi eſſet multiplex, non eſſet perſona diuina multi homines, ſed vnus.

120. Prætcrea *num* 44. aſſerit, quòd in tali hypotheſi ſi conſideretur quælibet illarum humanitatum vnita diuinæ perſonalitati ſecundùm ſe acceptæ, qua ratione ex ipſis fit vna perſona, & concretum eſſentiale, homo, reſoluit *num.* 45. in tali hypotheſi coniunctum illud eſſe triplex concretum naturæ humanæ, ſeu tres homines.

121. Sententiam iſtam ita prolixè ex authore tranſtuli, vt mens illius ad iota vſque caperetur à quouis, & ne in illum inuidiam parerem ex omiſſione eorum, quibus, vt ipſe exiſtimat, præter ſtructuram aliorum architectatus fuit. Verùm modus hic nihilo inſeruit amplius, quàm vt recitetur, ſiquidem perſona diuina non aliter intrat quæſtionem noſtram, quàm vt ratione perſonalitatis virtualiter diſtinctæ ab eſſentia vni, vel pluribus humanitatibus vniri valet, quæ licèt vt concepta, tamquam conſtitutum ex perſonalitate, & natura deitatis, ſit perſona diuina; tamen æquiualenter eſt ſuppoſitum humanum ea videlicet ratione, qua ex perſonalitate diuina, & humanitate fit vnum compoſitum; & ſecundùm acceptionem iſtam venit in dubium diuina perſona; & quęritur, an perſona aliqua ex tribus ſecundùm quod æquiualenter eſt ſuppoſitum humanum habeat vim aſſumptiuam trium humanitatum, & tunc ſit dicenda vnus homo, vel tres? negat Bernal vbi ſuprà ſequutus illos, quos citauimus *num.* 116. Ad quid ergo affirmat in alio ſenſu, qui ad quæſtionem non ſpectat?

Arguit igitur Bernal vbi ſuprà *num.* 47. quia 122.
tam vnitas, quàm pluralitas concreti ſumi debet ex vnitate, vel pluralitate ſolius formæ per nomen in recto, & formaliter ſignificatæ. Sed forma, tam in recto, tum formaliter, imo & formaliſſimè ſignificata per concretum naturæ, *homo*, eſt ſola humanitas. Ergo cùm hæc in euentu poſito triplex eſſet, triplex conſtitueret concretum naturæ humanæ, proinde tres homines. Minor & conſequutio ſunt claræ, maior quoad primam partem de vnitate admittitur à nobis. Quoad ſecundam de multiplicitate probat, quia ſi formæ illius vnitas inducit concreti vnitatem, cur eiuſdem formæ pluralitas non inducet pluralitatem? non enim aliter vnum concretum ſubſtantiuum reſpicit formam, qua conſtituitur, quàm multa concreta ſubſtantiua reſpiciant formas, quibus conſtituuntur. Sed ab vna forma concretum ſubſtantiuum eſt vnum. Ergo à multiplici multiplex.

Confirmat probatio hæc antecedentis ſimul 123.
quoad vtramque partem ex ſanctiſſimo doctore 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 3. vbi concretum, *Deus*, & alia ſimilia non multiplicari in diuinis hac probat propoſitione: *ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen.* Deinde quia nequit pro eiuſmodi quæſtionibus alia conſtitui regula generalis conſtans, & perpetua, præter iſtam, cuius perpetuitatem facta inductione demonſtrat ſic *num.* 49. Imprimis regulam illam aſſignatam à ſanctiſſimo doctore eſſe fixam in concretis accidentalibus, admittunt cuncti: quoniam enim artifex in recto, & formaliter exprimit ſubiectum ſolum à ſola vnitate, vel multiplicitate ſubiecti, vnus eſt artifex, aut multi. Deinde recta eſt prædicta regula pro adiectiuis, vt *viſum, album.* Vnus enim paries vnum album eſt, etiamſi plures haberet albedines, nam & plures terminando viſiones vnum viſum eſt. Contra verò, ſi plures parietes vna afficerentur albedine, plura eſſent alba, ſicut vnam terminando viſionem, plura viſa ſunt. Prætetea regula dicta etiam in noſtra ſententia eſt recta pro vnitate. Ergo & pro multitudine concreti ſubſtantiui debet eſſe vera, vt experti ſumus ex ſanctiſſimo doctore, qui ex vna perſonalitate colligit vnam perſonam, & ex multis perſonalitatibus multas perſonas deducit.

Prætetea *num.* 50. probat bonitatem illius 124.
regulæ etiam pro multiplicitate concreti ſubſtantiui, etenim cùm deitas ſit formaliſſimum conſtitutiuum ſubſtantiale Dei, & perſonalitas formaliſſimum conſtitutiuum ſubſtantiale perſonæ, vbi eſt vna deitas, eſt vnus Deus, vbi ſunt tres perſonalitates, ſunt tres perſonæ, ſed humanitas eſt formaliſſimum conſtitutiuum hominis æquè, ac perſonalitas ſit formaliſſimum conſtitutiuum perſonæ. Ergo ſicut vna humanitas vnum conſtituit hominem; ita multæ humanitates conſtituent multos. Ergo in noſtra hypotheſi, in qua vna perſona plures humanitates aſſumeret, non vnus, ſed plures homines eſt dicenda.

Hoc

125. Hoc argumentum eſt vnicum in hoc puncto & vim accepit ex ponderationibus Bernalij. Illud tetigi *numero* 100. & cum communi doctrina, quam Cippullus affert, ſolutionem præſtiti, verùm ſemper regnat anxietas in exhibenda ratione diſparitatis, cur vnitas, & ſingularitas concreti ſubſtantiui ſubſtantialis ſumatur ab vnitate formæ per ſe in recto formaliterque ſignificatæ per illud, & eius multiplicitas à ſola formæ ſimiliter per ſe ſignificatæ multiplicitate non deſumatur? ſi enim huius dederimus rationem, tota res abſoluetur, & argumenta, tum ex authoritate, tumque ex ratione deprompta, & quod magis eſt, mens SS. Thomæ; quam in præſenti ambiguam ſuſpicantur non pauci, manebit aptiùs pro vna parte tuenda determinata. Verùm quia litis huius deciſio latiorem petit ſermonem, quippe pluribus materiis theologiæ inſeruiens, ideo ſectionem particularem in illa tuenda inſtituam.

Sectio III.

Quamuis vnitas, & multiplicitas concreti ſubſtantiui, ſumatur à forma, tanquam à ratione formali, tamen multiplicitas illius petit ſuppoſiti multiplicationem, vti neceſſarium requiſitum per ſe.

126. PRæfixa reſolutio habet duas partes, prima eſt de vnitate ſuppoſiti de qua non eſt lis inſtituta, ſed verſatur in indaganda eius ſecunda parte, quæ ſuppoſita primæ partis veritate ingentem præſefert difficultatem. Aſſerimus ergo, quòd conceſſâ regulâ illâ, quam ex ſanctiſſimo doctore non ſemel explicuimus, videlicet vnitatem, & ſingularitatem concreti ſubſtantiui ſumi debere ex ſingularitate formæ per ſe formaliter, & in recto ſignificatæ, adhuc vt tale concretum multiplicetur, duplicem petit multiplicationem, vnam formæ, tanquam rationis; aliam ſuppoſiti vti requiſitum neceſſarium per ſe. Probo ergo hanc reſolutionis partem ex Angelico Præceptore 1. *part. q.* 36. *art.* 4. *in ſolut. ad* 2. vbi hæc: *dicendum, quod* cùm dicitur *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma ſignificata per nomen, non tamen ſequitur, quòd propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.* Pondero verba hæc: ſi ad multiplicationem concreti ſubſtantiui ſufficeret multiplicitas formæ ſignificatæ per nomen, quin nullo modo deſideraretur ſuppoſitorum multiplicitas, & hæc eſſet regula vniuerſaliter vera, vt aſſerit Bernal Vasquium ſequutus. Ergo vbicunque inueniatur multiplicitas formæ per ſe ſignificatæ per nomen, tametſi multiplicetur, vel non multiplicetur ſuppoſitum, multiplicabitur concretum ſubſtantiuum. At in diuinis datur multiplicitas formæ per ſe ſignificatæ, nempe virtus generatiua, & ſpiratiua, in Patre, & tamen non multiplicatur concretum ſubſtantiuum, principium ſcilicet, non alia ratione teſte Angelico doctore, niſi quia non multiplicantur ſuppoſita. Ergo regula illa pro multiplicitate concreti ſubſtantiui non excludit, imo inuoluit ſuppoſitorum multiplicationem. Lege ſimiliter authoritatem eiuſdem Angelici Præceptoris quam ex hac quæſtione adduximus pro contrariis *num.* 102.

Reſpondere poteris ex Vaſquio 1. *part. diſput.* 155. *cap.* 4. nullum eſſe abſurdum fateri Patrem eſſe duo principia, eo ſimili modo, quo de illo dicitur habere duas potentias actiuas, generatiuam vnam, & ſpiratiuam aliam; verùm quia tales potentiæ non realiter, ſed per intellectum in Patre multiplicantur, ideo ſolùm poterit affirmari de Patre, quòd ſit duo principia per intellectum, non verò duo principia realiter. 127.

Sed replicabis: vel enim fatetur Vaſquez in Patre multiplicari ſuppoſita ſaltem per intellectum, vel non? ſi primum, rem omnibus inuiſam fateretur, vt de ſe patet. Si ſecundum. Ergo non poterit verificari de Patre, quòd ſit duo principia per rationem quamuis per rationem potentiæ illæ multiplicentur. Probo conſequentiá, nam in ſententia SS.D. multiplicatio concreti petit neceſſariò multiplicationé ſuppoſiti: Ergo multiplicatio realis concreti petet multiplicationem realem ſuppoſitorum, & multiplicatio illius per rationem inuoluet iſtorum multiplicationem per rationem. Antecedens eſt ipſe textus ſanctiſſimi Magiſtri, conſequentia eſt euidens, & ſtatim probabitur. Tunc ſic: ſed Vaſquez negat, & bene, quod pater non ſit duo ſuppoſita per rationem. Ergo tenebitur negare, quòd Pater ſit duo principia per rationem. 128.

Confirmatur, non ſtat cum identitate ſuppoſiti per rationem in Patre multiplicitas principiorum per rationem in illo. Sed Vaſquius admittit identitatem ſuppoſiti in Patre per rationem. Ergo nequit concedere illi multiplicitatem principij per rationem. Maiorem probo, nam vt admittantur duo concreta per rationem, neceſſe eſt, vt non verificetur, vnum eſſe aliud per rationem. Sed cum identitate ſuppoſiti per rationem, neceſſe eſt verificari, vnum eſſe aliud per rationem. Ergo non ſtat cum identitate ſuppoſiti per rationem in Patre multiplicitas principiorum per rationem. Maior de ſe patet, nam vt duo concreta dentur realiter, neceſſe eſt, vt non verificetur, vnum eſſe aliud realiter, aliàs quomodo duo realiter cenſerentur illa concreta; ſiquidem concretorum diſtinctio, & multiplicatio realis indiſpenſabiliter importat, vnum non eſſe aliud realiter, non aliter ac diſtinctio realis naturarum petit, quòd vna non ſit alia realiter. Ergo Similiter maior illa eſt vera, quòd ſcilicet vt admittantur duo concreta per rationem, neceſſe eſt, vt vnum non ſit aliud per rationem. Nunc minorem probo, etenim eo ipſo quòd ſit identitas ſuppoſiti per rationem, verificatur, quòd in Patre concretum vnius potentiæ, & concretum alterius potentiæ ſint in eodem ſuppoſito per rationem; ſed hoc verificato neceſſe eſt, quòd etiam verificetur, concretum alterius per rationem. Ergo cum identitate ſuppoſiti per rationem neceſſe eſt verificari, 129.

vnum concretum eſſe aliud per rationem. Probo minorem, eo ipſo, quod duæ naturæ ſint in vno ſuppoſito realiter, verificatur, quòd concretum vnius ſit concretum alterius realiter. Ergo verificato ſemel, quòd illæ potentiæ generatiua, & ſpiratiua ſint in eodem ſuppoſito Patris per rationem vno, neceſſe eſt, verificari concretum vnius eſſe concretum alterius per rationem. Antecedens patet, in Chriſto, in quo quia natura diuina, & humana ſunt in vno ſuppoſito verbi, quod eſt vnum realiter, verificatur, quòd concretum vnius ſit realiter concretum alterius: quapropter hæ ſunt veræ. *Hic homo (deſignato Christo) eſt Deus, & hic Deus eſt homo.* Conſequentia eſt ex paritate à quouis ponderanda euidens. Ergo vel debet admittere Vaſques Patrem eſſe duo ſuppoſita per rationem, quod horret, vt admittat in Patre duo concreta, nempe duo principia per rationem; vel debet negare duo illa principia habere patrem adhuc per rationem, quamuis admittat in illo duas per rationem potentias ſignificatas per ſe per illud concretum, *principium*; ergo bene ſequitur in ſententia ſanctiſſimi doctoris eſſe regulam fixam, multiplicationem concreti ſubſtantiui optare vtramque
130. multiplicationem, & formæ, & ſuppoſiti.

Colliges, dandam eſſe identitatem concretorum ſubſtantiuorum, quotieſcunque plures formæ per modum ſubſtantiæ in concreto ſignificatæ atruleriut vnum & idem ſuppoſitum; hæc enim regula adeo vera eſt, vt poſſet pluribus exemplis muniri: etenim licèt vnus homo habeat plures artes, non dicitur plures artifices, ſed vnus, necnon appellatur plures magiſtri aut doctores ex eo, quòd
131. habeat plures artes, aut ſcientias.

Reſpondebis, ideo hominem illum non eſſe dicendum plures artifices, aut magiſtros, quia concreta hæc artifex, & magiſter ſignificant formaliter, & in recto naturam ipſam ſubſtantialem ſubſiſtentem, cui prædictæ formæ ſignificatæ per talia concreta conuenire dicuntur. Et cùm in homine vno tantùm ſit vnica natura ſubſiſtens, ideo talia concreta
132. minimè multiplicantur.

Sed replicabis, nam in ſententia Vaſquij, concreta dicta ſignificant formam per modum per ſe ſtantis, nempe ſcientiam, aut doctrinam ad inſtar ſubſtantiæ. Ergo nullo modo ſignificant naturam ſubſtantialem per ſe ſubſiſtentem, cui tales formæ conueniunt: probo conſequentiam, nam aliàs illud concretum non ſubſtantiuum formæ accidentalis, ſed concretum naturæ ſubſtantialis, quia ſignificatum eius formale eſſet quid ſubſtantiale quoad eius entitatem, & non quoad modū ſubſtantiæ præciſè ſignificaretur, vt propriū eſt concreto ſubſtantiuo formæ accidentalis.

133. Nunc reſponſuri ſumus argumentis Bernalij ſectione antecedenti allatis. Ad primum *numero centeſimo vigeſimo ſecundo.* Reſpondeo diſtinguens maiorem: tam vnitas, quam pluralitas deſumi debet ex vnitate, & multiplicitate formæ ſignificatæ per concretum, tam pluralitas à multiplicitate formæ, tamquam à ratione formali, concedo, excludendo multiplicitatem ſuppoſiti etiam vt conditionem, nego: & concedo minorem, & nego conſequentiam, ad probationem maioris reſpondeo, rationem iuxe interrogationis datam eſſe *numero centeſimo vigeſimo nono*, quia cum identitate ſuppoſiti impoſſibile eſt intelligere multitudinem concretorum, etiamſi formæ ſignificatæ multiplicentur. Si huius petatur vlterior ratio, lege numerum citatum & eius doctrinam applica. Ad impugnationem ibidem incluſam, concedo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens. Ergo à multiplici forma multiplex debet reſultare concretum; à multiplici forma, tanquam à ratione formali, concedo, à multiplica formæ excludente multiplicationem ſuppoſitorum, tanquam à conditione, nego conſequentiam.

Ad ſecundum ex authoritate ſanctiſſimi doctoris deprompturn & *numero centeſimo vigeſimo tertio* allatum reſpondeo Angelicum Præceptorem ſolùm in illa regula decreuiſſe eſſe neceſſariam ad multiplicitatem concretorum ſubſtantiuorum, formarum etiam multiplicitatem; non tamen dixiſſe eam eſſe ſufficientem; quod ipſe non poterit aſſeuerare, cùm ex eius doctrina *numero centeſimo vigeſimo ſexto*, adducta conſtet, eſſe neceſſariam etiam ſuppoſitorum multiplicitatem. 134.

Sed replicabis ſolutionem hanc potiùs diuinationem, quàm doctrinam textui conſonam eſſe, ſiquidem ſi ſanctiſſimus doctor vidiſſet, neceſſariam eſſe ad multitudinem concretorum multitudinem ſuppoſiti, illud expreſſiſſet, at talis multitudinis non meminit. Ergo quia minimè eam neceſſariam exiſtimauit. 135.

Reſpondeo laudans ſolutionem datam, ad replicam aſſero, ſanctiſſimum doctorem in eo animo fuiſſe in prædicto loco, vt ſtatueret id, quod vnitas concreti ſubſtantiui, & adiectiui, necnon eorum multiplicitas deſiderant ex ratione formali, nihil curans de his, quæ tanquam conditiones cupiuntur ad prædictam illorum vnitatem, & multiplicitatem; vnde cùm ſolæ formarum vnitates, & multiplicitates ſint ratio formalis deriuans in concreta vnitatem, & multitudinem, ideo de vnitate formarum fecit mentionem ſanctiſſimus doctor & non de vnitate, & multiplicitate ſuppoſitorum, quæ ſolùm vt conditiones puræ ſe habent. Ratio autem, cur in tali loco ſanctiſſimus doctor mentionem ſolùm fecerit de ratione formali multiplicandi concreta, eſt, quia id ſolùm neceſſarium erat, vt exprimeret Angelicus doctor modum, quo eſſentia & ſubſtantiua concreta in diuinis prædicentur ſingulariter: & concreta adiectiua pluraliter: etenim formæ ſignificata per prædicta nomina ſubſtantiuæ ſemper eſt vna & indiuiſa, quapropter deficiente ratione formali pluralitatis ſubſtantiuorum, deficere eſt neceſſe eorum pluralitatem, defectu cuius prædicari illa ſingulariter, eſt neceſſarium. Adiectiua tamen plura redduntur ex pluralitate ſuppoſiti, & ideo vice verſa, hoc eſt, pluraliter prædicantur. 136.

Ad inductionem verò; quam prædicto numero facit Bernal, vt illam regulam perpetuet, 137.
reſpon

reſpondeo. Ad primum exemplum, ſecundum, & tertium. Reſpondeo, cauſam noſtram agere, cum in illis experiamur concreta minimè multiplicari etſi multiplicentur formæ ob defectum multiplicationis ſuppoſitorum.

138. Ad vltimum argumentum, *numero centeſimo vigeſimo quarto*, adductum reſpondeo, maiorem eſſe veram in diuinis, & concedo minorem; & diſtinguo conſequens. Ergo ſicut vna humanitas vnum conſtituit hominem, ità multæ humanitates conſtituent multos, ita vt multiplicitas humanitatis ſit ratio formalis multiplicationis hominum ſine multitudine ſuppoſitorum tanquam neceſſariò requiſito, nego, ſit ratio formalis adiuncta ſibi ſuppoſitorum multiplicatione, tanquam conditione, conſequentiam admitto. Itaque verum eſt, quòd in diuinis multiplicatis perſonalitatibus multiplicantur etiam perſonæ, quæ ſunt illarum concreta; quia in diuinis perſonalitates ſe habent per modum formæ, ſiquidem tales perſonalitates, cùm perſonas conſtituant per ſimpliciſſimam conſtitutionem, ſunt ipſæ perſonæ conſtitutæ, atque adeo multiplicatis perſonalitatibus, & multiplicatur forma, & multiplicatur perſona, quæ ſunt iſta duo neceſſaria in noſtra opinione ad multiplicationem concretorum, at in caſu noſtro licèt multiplicaretur humanitas, quæ eſt forma concreti, homo, & ratio formalis ſuæ multiplicationis non multiplicaretur id, quòd tanquam conditio deſideratur ad concretorum multiplicationem, nempe ſuppoſitum, cùm ſupponamus eſſe vnum.

139. Solùm eſt difficultas in aperienda mente ſanctiſſimi doctoris, ſiquidem hic aſſeruit in noſtra hypotheſi perſonam diuinam eſſe dicendam vnum hominem; & *in tertia diſtinctione 1. quæſt. 2. artic. 5 ad 2. & 3.* diſertis verbis habet hæc: ſi Filius Dei aſſumeret duas humanas naturas, dicerentur duo homines propter pluralitatem formæ ſignificatæ, quamuis vnum tantùm eſſet ſuppoſitum. Reſpondet Suarez, Arrubal, & alij ſequuti Caietanum, ſanctiſſimum doctorem *in hac tertia parte, citato loco* retractaſſe prædictam ſententiam, quam docuerat *in 3.* Addendum tamen eſt cum doctiſſimo Collegio Salmantic. *tom. 2. in 1. part. tract. 6. diſput. 17. dub. 2. num. 28.* ſanctiſſimum doctorem ſolùm prædicto loco ea voluiſſe docere, quod in hypotheſi, quòd vna perſona diuina duas humanitates aſſumeret, ſi eſſet attendendum ad vim multiplicandi repertam in formis, non vnus, ſed plures deberent eſſe homines, quia cùm ratio formalis vnitatis, & multitudinis concretorum ſit forma ſignificata, nempe humanitas, fit, quòd in multiplicatione concreti habeat eius multiplicatio præcipuum locum; ſed tamen, quia ibidem deficit conditio neceſſariò requiſita nempe multiplicatio ſuppoſiti, ſine qua non multiplicantur concreta, ideo non duo, ſed vnus homo in tali hypotheſi reſultaret.

DVBIVM V.

Vtrum perſonæ creatæ conueniat vis hypoſtaticè aſſumptiua alienæ naturæ creatæ?

Sectio vnica.

Perſonæ creatæ repugnat vis hypoſtaticè aſſumptiua naturæ alienæ.

Præiacta reſolutio eſt edocta expreſſè à ſanctiſſimo doctore *hîc quæſt. 3. art. 1.* quem frequenter eius diſcipuli ſequuntur. Caietanus *hîc ſupra hunc art. 1.* Sotus *in 4. diſtinct. 9. quæſt. 2. artic. 2. §. ſed & opinio.* Medina *hîc* Cippullus *hîc dubio vnico.* Ex aliis Durandus *in 3. diſtinct. 1. quæſt. 5.* Palacios *diſtinct. 1. diſput. 5.* qui etſi vtramque partem, vt probabilem defendat, magis in negatiuam inclinatur. Paludanus *quæſt. 1. artic. 2.* Aureolus *quæſt. 3. art. 3.* Argentinas *quæſt. 1. artic. 1.* Mayronus *diſtinct. 5. quæſt. 2.* Ioannes de Neapolis *quæſtione 34. part. 4. ad 12.* Henriques *quolib. 11. quæſt. 10.* Suarez *diſput. 13. ſectione vltima*, Vaſques *diſp. 25. cap. 2.* Cardinalis de Lugo *diſput. 12. ſect. 7.* Amicus *diſput. 14. ſectione 11.* In hac concluſione, quam vix profitentur cuncti, ſolùm eſt difficultas adducere rationem, quæ iſtam implicantiam conuincat. Quapropter eas, quas authores adducunt, breuiter referam, & eligendam proponam. 140.

Sed antequam rem adimpleam, notare libuit, duplicem ſenſum reſolutionem noſtram obtinere poſſe: primus eſt, ſuppoſito creato repugnare vim aſſumptiuam naturæ alienæ. Secundus, ſuppoſito creato repugnare vim terminatiuam alterius naturæ: etenim primus ſenſus amplius ſignificatum obtinet, quàm ſecundus, ſiquidem aſſumere, non ſolùm dicit actum terminandi, & ſuppoſitandi naturam alienam, ſed etiam actionem perſonæ vnientis, & trahentis ad ſe alienam naturam; at verò terminare ſolùm innuit actum ſuppoſitandi naturam, tametſi alteri competat vis vnitiua extremorum. Aſſerimus ergo, reſolutionem noſtram eſſe ſine controuerſia ab omnibus receptam, ſi intelligatur in priori ſenſu, ſecundùm quem ſine dubio admittitur ſanctiſſimum doctorem intellexiſſe eam, dum dixit, proprium eſſe Dei aſſumere naturam alienam: nam ſenſus iſte videtur innuere efficaciam, & vim cauſæ principalis; in quo ſenſu, ſicut apud omnes eſt certum, nulli cauſæ creatæ conuenire poſſe virtutem productiuam vnionis, vi cuius alteram naturam ad ſe hypoſtaticè trahat, ita apud omnes debet eſſe æquè certum, nulli creaturæ poſſe conuenire vim aſſumptiuam, in hoc ſenſu, alterius creaturæ. Solùm manet ſecundus ſenſus allatus, ſecundùm quem intelligenda eſt etiam noſtra reſolutio, & in eius probationem extat apud authores diuerſitas in eligenda ratione, quæ illam deuincat. 141.

142. Relictis ergò rationibus Durandi, Almaini & Gabrielis, quæ communiter adducuntur, & refelluntur ab authoribus, apud quos eas legere impugnatas potens. Vaſquez vbi ſupra poſtquam plurium recentiorum rationes deſpexit, hanc affert *cap.* 3. aut ſuppoſitum, & perſona creata ſuapte natura, & intrinſecè habet ita perfectam ſubſiſtentiam, & perſonalitatem, vt ex ſe ſufficiens ſit ad ſuſtentandam naturam alienam, ſi adſit agens, quod hanc vnionem efficiat, aut id non habet ſuapte natura, & intrinſecè; ſi perſona creata hoc haberet ſuapte natura, & intrinſecè ratione ſuæ perſonalitatis, ſequeretur fore, vt poſſet naturaliter ſuſtentare, & terminare alienam naturam, ſiquidem à principiis ſuis intrinſecis vim haberet terminandi illam: & ita poſtularet naturaliter reduci ad actum.

143. Reſpondere poteris, hoc non ſatis fore, vt diceremus hanc vnionem accidere poſſe naturaliter, quia præter id, quod dicit Vaſques, neceſſe eſſet fieri ab agente naturali ad hoc, vt diceremus perſonam creatam naturaliter poſſe terminare alienam naturam, Deus autem qui hanc vnionem efficeret, ſupernaturaliter eam cauſaret.

144. Sed replicabis cum Vaſquio, nam ſi in quauis perſona creata eſſet virtus naturalis, & intrinſeca terminandi naturam alienam; ſequitur fore etiam agens naturale, quod poſſet naturaliter coniungere perſonam creatam cum natura aliena; omnis enim virtus naturalis ad aliquem actum poſtulat agens naturale, quod illam in actum reducat, & quamuis diceremus, vnionem illam aliquando fore ſupernaturalem ex parte modi faciendi, ſicut eſt oculi reſtitutio, concedere deberemus fore naturalem ſecundùm ſubſtantiam ſuam, ac proinde aliquando naturaliter etiam fieri poſſe, ſicut aliquando etiam naturaliter oculus fit, quamuis ſemel amiſſus ſupernaturali modo reſtituatur.

145. Reſpondere poteris, bene poſſe eſſe in perſona creata obedientialem potentiam natiuam ad ſuſtentandam naturam alienam; ex hoc tamen non ſequi, vnionem cum illa eſſe naturalem, & poſtulare agens naturale, quod ipſam ad actum reducat: ſicut in humana natura eſt natiua capacitas obedientialis, vt à verbo terminetur, & tamen vnio eius cum verbo eſt ſupernaturalis, quantùm ad ſubſtantiam, & non tantùm ſecundùm modum, & non eſt agens, quod naturaliter ipſam reducat ad actum.

146. Sed replicabis cum Vaſquio, diuerſam eſſe rationem potentiæ obedientialis paſſiuæ ad recipiendam aliquam formam, vel aliquid ad modum formæ, & virtutis actiuæ, aut quaſi actiuæ, nempe non ad recipiendum, ſed ad aliquem effectum præſtandum; nam potentia, & capacitas obedientialis paſſiua ad aliquem actum recipiendum, poteſt eſſe natiua, etiamſi actus, quem recipere poteſt, ſit ſupernaturalis; & talis eſt potentia paſſiua in natura humana, vt terminetur, & ſuſtentetur à verbo; at verò virtus natiua ad præſtandum aliquem actum, vel per modum efficientis, vel per modum formæ, vel alio modo non paſſiuo, non poteſt non habere actum ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, quia virtus natiua, & naturalis non poteſt effectum, aut actum ſupernaturalem ex ſe præſtare, cùm tamen ſubiectum poſſit formam ſupernaturalem recipere: ergo dici nequit, perſonam creatam intrinſecè, & ſuapte natura vim habere ſuſtentandi naturam alienam.

Præterea nequit fieri, vt perſona creata, virtute ſibi aliunde communicata, ſuſtentet alienam naturam, quod erat ſecunda pars diſcurſus Vaſquij; nam aut virtus hæc aliunde communicata, qua eleuari deberet perſona, vt ſuſtentaret, & terminaret alienam naturam, deberet eſſe perfectio aliqua intrinſecè inhærens, aliunde deriuata in ipſam perſonam; aut talis eleuatio fieri deberet ea ſola Dei aſſiſtentia, ſicut quidam docent; prius dici nequit, quia perfectio illa deriuata non poſſet eſſe ſubſtantia, vt patet, neque modus ſubſtantialis, vt ipſe promittit, ſe dicturum alibi. Ergo deberet eſſe accidens, nullum autem accidens præſtare poſſet talem effectum ſuſtentandi naturam alienam. Confirmat hoc, nam ſi hoc verum eſſet, tunc perſona illa naturam alienam non ſuſtentaret, vel ea ſe aliquid conferret ad ſuſtentandum naturam illam, ſed virtus illa deriuata totum præſtaret effectum, ſiue illa eſſet accidentaria, ſiue ſubſtantialis. Ruſum nec poſterius eſſet dicendum, nam licèt verum eſſet, creaturam aliquam eleuari poſſe ad effectus ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam, per ſolam aſſiſtentiam Dei, id ſolùm verum eſſet in genere cauſæ efficientis; at verò in alio genere ad præſtandum alium actum, & effectum, aut quaſi effectum, hactenus inauditum eſt, nam forma eleuari nequit ad præſtandum alium effectum, quem ipſa præſtare poſſet. Cùm igitur ſuſtentare naturam non ſit actus efficientis, ſed potiùs quaſi formæ, intelligi nequit aliquam perſonam ad hunc effectum illo modo eleuari. Ratio verò id manifeſtè probat, nam ſicut prima cauſa efficiens nequit ab alia eleuari; ita etiam neque quæcunque alia prima in ſuo genere ad ſuum actum proprium, veluti materia eleuari nequit ad recipiendum, ſed ex ſe ipſa recipere debet; neque forma ad informandum. Eodem igitur modo neque perſona ad ſuſtentandum naturam nullo modo eleuari valet, eo quòd eſt prima in ſuo genere, nam ſi perſona creata ſuſtentaret alienam naturam, ipſa eſſet primum ſuſtentans, neque virtute Dei, tanquam primi ſuſtentantis diceretur ſuſtentare illam; contra tamen ſi eleuaretur creatura ad efficiendum aliquem effectum ſupra ſuam virtutem, primum efficiens eſſet Deus, creatura autem inſtrumentarium, & ſecundarium agens. 147.

Ratio hæc efficax non apparet; atque adeo laudans occurſum illi datum *num.* 55. & illud proſequens ſic arguitur; non enim bene infertur: ſuppoſitum creatum ab intrinſecis habet vim terminandi naturam alienam abſolutè. Ergo dandum eſt agens naturale reducens illius potentiam ad actualem terminationem. Sicut non bene valet, anima noſtra ab intrinſecis habet abſolutè potentiam receptiuam auxiliorum ſupernaturalium. Ergo dandum eſt 148.

agens

agens naturale reducens illius potentiam ad actum ſecundum recipiendi talia auxilia ſuperna. Idem iudiciũ fero de intellectu reſpectu luminis gloriæ. Et omnium debet eſſe vna ratio, nam potentia, quam habet ab intrinſeco creatura, eſt duplex. Vna poſitiua & naturalis reſpectu effectuum naturalium, & alia eſt obedientialis, & per non repugnantiam in ordine ad ea, quæ licèt ſupernaturalia non implicant contradictionem: hæc inter alias eſt differentia in hac duplici potentia, quòd licèt vtraque ab intrinſeco cuique enti naturali conueniat, tamen illa exigit naturale agens vt ad actum ſecundum reducatur, vt experimur; hæc verò minimè, vt patet in exemplis allatis. Nunc ad rem, ſuppoſitum creatum ſolum ab intrinſeco habetet potentiam obedientialem ad terminandum alienam naturam, ſicut anima, & intellectus ad recipiendum auxilia ſupernaturalia, & lumen gloriæ.

159. Nec ſatisfacit, quod reſpondet Vaſquez *num.* 156. quia contra illum ſic inſurgo: apud Vaſquez eſt vera hæc propoſitio, potentia paſſiua obedientialis ad recipiendum aliquem actum poteſt eſſe intrinſeca & natiua ſubiectu. Ergo etiam debet compati cum hoc, quod eſt ſuppoſitum habete ſolùm potentiam obedientialem ad terminandum alienam naturam, talem potentiam obedientialem eſſe natiuam ipſi ſuppoſito. Conſequentia patet, etenim ideo primum eſt verum, quia anima ex ſe & intrinſecè habet non repugnantiam ad recipiendum quidquid contradictionem non inuoluit; & ex hac parte talis potentia eſt natiua ipſi animæ. Verùm quia ipſa poſitiuè non exigit recipere determinatè ſupernaturalia dona, ideo talia potentia ad illa recipienda appellatur purè obedientialis. Sed hocipſum valebunt dicere contrarij de ſuppoſito, nempe illi competere intrinſecè non repugnantiam, ad terminandum quidquid contradictionem non inuolnerit, & hac ratione iſtam capacitatem appellare natiuam tali ſuppoſito. Rurſum, eam poterunt nominare purè obedientialem, quia tale ſuppoſitum non habet poſitiuam exigentiam ad terminandum actualiter naturam alienam. Ergo ſicut Vaſquez componit duo in potentia animæ paſſiua reſpectu ſupernaturalium, quòd ſcilicet ſit ipſi animæ natiua, & quòd ſit obedientialis, ita aduerſarij valebunt idipſum in compoſito creato componere; & quòd potentia, quam habet ad terminandum alienam naturam ſit natiua ſuppoſito, & purè obedientialis. Tunc ſic. Ergo ſicut quia videt Vaſquez potentiam illam paſſiuam eſſe obedientialem, aſſerit, non poſſe reduci ad actum, per virtutem agentis naturalis, ita aſſeuerare debet de ſuppoſito, cuius potentia ad terminandum alienam naturam, quia eſt obedientialis, non poſſit reduci ad actum per virtutem ſolam agentis naturalis. Probo conſequentiam, nam ſi aliqua eſſet diſparitas, maximè, quia dona gratiæ ſunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, vnio autem ad alienam naturam eſſet naturalis entitatiuè, & ſolùm ſupernaturalis quoad modum. Sed hæc ratio non aſtruit diſparitatem. Ergo negata virtute naturali ad primum, ita ad ſecundum. Probo minorem, quia actualiter terminare alienam naturam eſſe ſupernaturalem quoad modum pariter negat cuicumque agenti creato virtutem illud cauſare potentem. Ergo ratio illa diſparitatem non facit. Antecedens probo. Pone corpus in duobus locis, in tali caſu effectus ille, quem in vno loco cauſaret extenſio localis, eſſet entitatiuè naturalis, & ſupernaturalis ſolùm quoad modum, & tamen quia corpus ſolùm habet puram non repugnantiam, & non exigentiam poſitiuam ad duo occupanda loca, ideo talis effectus à nullo agente creato eſſet cauſabilis; ergo eo ipſo, quòd actualis terminatio alienæ naturæ ſit ſupernaturalis quoad modum, non eſt dabile agens naturale, quod virtute naturali eam valeat cauſare.

Confirmatur hoc, & declaratur exemplo, quo vtitur Vaſques, nam ipſe licèt admittat, talem terminationem eſſe ſupernaturalem, tamen ſolùm quoad modum eam ſupernaturalem appellat, quapropter exigere debet agens naturale potens illud cauſare, ſicut oculus reſtitutus, quia eſt ſupernaturalis quoad modum, debuit aliquando fieri virtute agentis naturalis: vtor igitur hoc exemplo. Oculus enim reſtitutus poteſt conſiderari dupliciter; vel ſpecificatiuè quoad eius entitatem, id eſt, oculus, qui reſtituitur, vel reduplicatiuè vt reſtitutus eſt. Si primo modo, cùm ſic nihil ſupernaturalitatis oculus inuoluat, mirandum non eſt, datum fuiſſe agens naturale ipſum in prima ſui conditione præcauſans. At ſecundo modò acceptus, cum annectatur modo ſupernaturali, qui cum entitate ipſius oculi ſimul eſt ponendus, extrahitur ab ſphæra agentis naturalis. Vnde oculus qui reſtituitur, ſpecificatiuè acceptus, petiit virtutem agentis naturalis illum producentis: at vt reſtitutus media productione ſuperna, quis vnquam affirmauit, eum exigere virtutem naturalis agentis, à quo fiat media reſtitutione. Vnde ſi oculus eſſentialiter ſecum ferret, tam in prima ſui productione, quàm in reſtitutione, modum ſupernaturalem, nunquam eſſet dabilis caſus, in quo agens naturale, à quo produceretur, exigeret. Verum quia in prima ſui productione nudatur hoc ſupernaturali modo, ideo datur caſus, in quo oculus, qui hîc & nunc reſtituitur, exigat naturale agens illum producens. Ergo quando effectus, etſi entitatiuè naturalis, neceſſariò connectitur cum modo ſupernaturali, impoſſibilis eſt illi exigentia ad agens naturale à quo virtute propria producibilis ſit. Conſequentia iſta eſt euidens. Tunc ſic: ſed terminare alienam naturam neceſſariò inuoluit modum ſupernaturalem. Ergo talis terminatio exigere nequit agens naturale, à quo virtute propria fiat. Minorem probo claiè. Nam qui defendunt ſuppoſitum creatum poſſe terminare alienam naturam, vno ex duobus modis contingere poſſe aſſeuerant. Primò, quòd ſubſiſtentia ſuppoſiti aſſumẽtis relinqueret propriam naturam & ſe cõferret in aliam, cui vniretur, quãque ſic terminaret, & in hoc caſu duplex modus ſupernaturalis reperiretur ex parte ſuppoſiti aſſumẽtis, nẽpe ſeparatio, & ſeiunctio, ſubſiſtentiæ à propria natura, & in alienam tranſmigratio. 160.

Secundus modus terminandi alienam, eſt, quòd ſubſiſtentia ſuppoſiti aſſumentis conſeruet vnionem cum propria natura, & retenta vnione iſta copularetur alteri naturæ mediante diſtincta vnione: & in iſto caſu duplex modus ſupernaturalis inuenitetur. Alter ſe tenens ex parte aſſumentis, videlicet informatio noua, & alienæ naturæ ſuſtentatio. Secundus ſe tenens ex parte naturæ aſſumptæ, nempe defectio ſubſiſtentiæ propriæ, potiſſimùm in ſententia Vaſquij deſcendentis, impoſſibile eſſe etiam diuina virtute, quòd natura retinens propriam ſubſiſtentiam valeat etiam à diuina perſona terminari. Ergo terminatio naturæ alienæ neceſſariò habet connexum modum ſupernaturalem, ſicut oculus, vt reſtitutus, reduplicatiuè conſideratus. Ergo ſicut hic vt reſtitutus nequit exigere agens naturale, à quo fiat, ita nec terminatio alienæ naturæ exigat agens naturale, cuius virtute fiat, quamuis tam oculus, quàm terminatio ſint naturales quoad entitatem. Ergo ſtare poterit in ſuppoſito potentia obedientialis ei natiua ad terminandum alienam naturam, quamuis in illo non detur poſitiua exigentia ad agens naturale illam terminationem efficienter cauſans.

161. Caietanus hîc reſolutionem noſtram probat; nam terminare alienam naturam arguit infinitam perfectionem. Hæc repugnat creaturæ. Ergo &c. Maiorem probat, nam ſemel conceſſo, quòd vnum ſuppoſitum terminet vnam & aliam naturam, eadem facilitate concedi poteſt illi virtus terminatiua infinitarum naturarum. Sed poſſe vnum ſuppoſitum, quantùm eſt de ſe, infinitas naturas terminare, arguit in illo infinitam perfectionem in virtute terminatiua. Ergo ex terminatione alienæ naturæ bene arguitur infinita perfectio in terminante. Ergo & repugnantia talis terminatiuæ virtutis.

162. Sed ratio hæc facilè poteſt ſolui; & ſimul impugnari. Etenim ſuppoſitum creatum eſſe in potentia obedientiali ad terminandum plures & plures naturas in infinitum, eſt idem, ac ſuppoſitum illud ex ſe habere non repugnantiam ad illas terminandum. Sed hoc non arguit infinitam vim terminandi. Ergo. Probatur minor, nam ſubiectum quodlibet habet non repugnantiam ad ſuſtentandum plura ac plura accidentia in infinitum, at hæc non repugnantia ad tot accidentia ſuſtentanda non arguit infinitam perfectionem ſubiecti in linea ſuſtentatiua. Ergo non repugnantia ad terminandum plures, & plures naturas in infinitum non arguet infinitam perfectionem ſuppoſiti in linea terminandi.

163. Reſpondere poteris, ſubiectum habere non repugnantiam ad ſuſtentandum plura accidentia, non tamen infinita. Sed replicabis, eo ipſo, quòd ſubiecto ſuſtentanti hoc accidens des vim ad ſuſtentandum alia accidentia, dabes dare iuxta principia Caietani non repugnantiam ſuſtentandi infinita. Ergo ruit ſolutio. Antecedens patet. Caietanus ex eo infert, ſuppoſitum habiturum non repugnantiam ad terminandum infinitas naturas, quia videlicet contrarij concedunt ſuppoſito non repugnantiam terminandi duas naturas. Ergo iuxta principia Caietani, qui dederit, vt ipſe Caietanus, & cuncti concedunt, ſubiecto non repugnantiam ſuſtentandi tria vel quatuor accidentia, debet eidem exhibere non repugnantiam ad ſuſtentandum infinita accidentia, eſt euidens illatio, quam expreſsè admittit in aliis materiis Caietanus. Tunc ſic: ſed ex hac non repugnantia ad ſuſtentanda infinita accidentia, non infertur in ſententia Caietani infinita perfectio ſuppoſiti in linea ſuſtentandi. Ergo neque in ſuppoſito illam Caietanus debet inferre.

Confirmatur, ideo in ſubiecto non infertur hæc infinita virtus in linea ſuſtentandi, quia talis vis non competit illi connaturaliter, ſed ſecundùm potentiam obedientialem, & per non repugnantiam. Sed authores contrarij ſolùm deſignant in ſuppoſito vim obedientialem, & per non repugnantiam, nullo verò modo connaturalem ad terminandum infinitas naturas. Ergo exinde nullo modo eſt illi aſcribenda virtus poſitiuè infinita in linea terminatiua. 164.

Confirmatur ſecundò ex his, quæ dabimus *tom. 2. tract. 2. diſp. 2.* vbi ex communi docebimus intellectum Christi, ex ratione vniuerſaliſſima intellectus ad cognoſcenda plura & plura obiecta in infinitum multiplicabilia intra eamdem ſpeciem, & ea de facto intellectum Chriſti, quia intellectum Chriſti ea cognouiſſe, & hoc non obſtante eidem intellectui non exhibuimus perfectionem infinitam in linea cognoſcendi. Præterea nam extat ſententia probabilis, quæ de facto admittit virtutem ſuſtentatiuam naturalem plurium ac plurium ſpecierum intelligibilium, repræſentantium infinitos actus tam intellectuales, quàm volitiuos, quos in tota æternitate eſt creatura intellectualis productura; nam iuxta receptiſſimam ſententiam omnis actus, tam intellectus, quàm voluntatis, ſui ſpeciem in intellectu relinquit, vt patet in potentia memoriæ, quam ex tranſactis actibus habemus. Sed actus eliciendi à creatura intellectuali in toto æternitatis ambitu ſunt infiniti; & ex alia parte neceſſe ſit, illos ſui ſpecies relinquere in intellectu, quæ verò in illo conſeruantur, fit, in intellectu dari vim finitam ad ſuſtentandas ſpecies infinitas: & de facto probabiliſſima opinione, in qua tot ſpecies intelligibiles, quot ſunt obiecta cognoſcibilia pro tota æternitate adſcribuntur Chriſti intellectui, defenditur limitatam potentiam intellectus Chriſti de facto ſuſtentare infinitas ſpecies infuſas infinitis obiectis correſpondentes. Ergo etiamſi ſuppoſito creato concedatur facultas ſuſtentandi plures, ac plures naturas in infinitum, non exinde illi concedenda eſt virtus infinita in linea ſuſtentandi, & terminandi: ergo infinitas in virtute ſuſtentandi non impedit poſſibilitatem in ſuppoſito ad ſuſtentandū duas naturas. 165.

Cippullus *vbi ſuprà citatus num. 140.* ſic reſolutionem probat *num. 11.* illa perſona poteſt vniri hypoſtaticè alienæ naturæ, cuius perſonalitas eſt infinita; at perſonalitas nullius naturæ creatæ, aut etiam creabilis, eſt infinita. 166.

Ergo

Ergo &c. Maiorem probat: perſona illa poteſt vniri hypoſtaticè alienæ naturæ, cuius perſonalitas eſt irrecepta, & per ſe ſubſiſtens: at perſonalitas irrecepta, & per ſe ſubſiſtens eſt infinita. Ergo &c. minor patet, nam perſonalitas irrecepta & per ſe ſubſiſtens non habet vnde limitetur. Minorem probat, illa perſona poteſt vniri hypoſtaticè alienæ naturæ, cuius perſonalitas poteſt terminare ſimul propriam & alienam naturam; ſed ſolùm perſonalitas irrecepta, & per ſe ſubſiſtens poteſt ſimul terminare propriam, & alienam perſonam. Ergo &c. Minorem probat, perſonalitas, quæ non eſt irrecepta, ſed recepta, eſt modus ſuæ naturæ; ſubſiſtentia enim recepta nequit eſſe entitas quædam, non quidem completa, vt patet, nec incompleta, quia ſic eſſet forma quædam ſubſtantialis, atque adeo in Angelis eſſet compoſitio ex materia, & forma, & in materialibus eſſet duplex materia, & duplex forma. At ſubſiſtentia eſt modus, & modus taliter eſt addictus ſuæ naturæ, vt non poſſit alienam terminare, ſeu modificare, quandoquidem modus nequit communicare ſuum proprium effectum formalem, niſi rei, cuius eſt modus, vt patet. Tum in actione, qua producitur Petrus, quæ nequit eſſe etiam diuinitus productio Pauli, nec vice verſa: ſimiliter inhærentia vnius accidentis nequit eſſe inhærentia alterius. Idipſum probat ratione, quia quidditas, & eſſentia modi conſiſtit in eſſe actuale exercitium communicationis ſui ipſius, qua de cauſa dicunt Metaphyſici, nequit eſſe abſque re, cuius eſt modus, vt nequit eſſe relatio ſine fundamento, ſeſſio ſine ſedente, figura ſine quantitate.

167. Ratio hæc eſt eadem, quam adhibet Lugus ex Suarez *num. 91. vbi ſupra citatum*, & Amicus *vbi ſupra* quam ſic ſcribit *num. 176.* ſubſiſtentia creata eſt modus, de ratione autem modi eſt, actu modificare tantùm proprium ſubiectum. Ergo implicat ſuppoſitum creatum alienam naturam ſuppoſitare. Antecedens ſupponit. Conſequentiam probat, quia non poſſet alienam naturam ſuppoſitare niſi eam modificando, non poſſet eam actu modificare, niſi ad eam modificandam haberet aptitudinem. Igitur eſſentia ipſius non conſiſteret in ſola actuali modificatione propriæ naturæ, ſed etiam in aptitudinali modificatione alienæ. Minorem primi ſyllogiſmi probat; tum inductione, nam actio eſt ſolus reſpectus ad agens, cuius eſt actio, implicat ob hanc cauſam fieri actualem reſpectum ad aliud agens. Figura eſt actualis modificatio huius ſubiecti, implicat ideo aliud ſubiectum figurare. Vbi eſt actualis reſpectus huius mobilis ad hunc locum, repugnat ob hoc aliud corpus vbicare, vel fieri actualem reſpectum ad alium locum. Ergo & ſubſiſtentiam, cùm ſit modus naturæ, implicat alienam naturam modificare.

168. Hoc à priori confirmant hi Authores: Modus ſeipſo vnitur ſubiecto. Ergo nequit aliud ſubiectum modificare antecedens probant: alioquin ſi modus requireret alium modum, vt vniretur ſubiecto, etiam hic modus requireret alium modum, & ſic in infinitum, cum non ſit potior ratio vnius, quàm alterius. Nunc conſequentiam probant, implicat, modum diſtinctum ſubiectum modificare abſque mutatione ſui; ſi autem poſſet ſeipſo alienum ſubiectum modificare, poſſet illud abſque mutatione ſui modificare: quod probant, quia innatatus in ſe nullo medio nexu diſtincto de nouo vniretur ſubiecto. Confirmant idem: implicat, formam nouum effectum formalem tribuere ſubiecto abſque vlla mutatione ſui. Ergo & modum diſtinctum ſubiectum modificare abſque vlla mutatione ſui. Nec ſufficit ſubiectum mutari, cùm non tantùm hoc, ſed & modus intrinſecè mutetur, cum de non modificante actu fiat actu modificans, & de non ſuſtentato fiat actu ſuſtentatus à nouo ſubiecto.

169. Ratio hæc, licèt à viris literatiſſimis approbata, vnum, vel alterum ſcrupulum patitur, à quo facilè non poterit expediri; Etenim totum illius pondus conſiſtit in reſtringendo modo ad hoc determinatum ſubiectum, A, vt ſubiectum, nempe, B, modificare nequeat; verùm licèt hoc verum ſit apud me, attenta naturali exigentia modi; tamen ſi ipſe ſecundùm potentiam obedientialem accipiatur, non videbitur inconueniens illius habenas laxare, vt ambo ſubiecta proprium, & alienum modificare valeat. Sicut enim humanitas ex ſe naturaliter exigit propriam ſubſiſtentiam, & obedientialiter acceptâ non illi implicat alienâ terminari; Hoc ipſum poteſt adſcribi modo cuilibet; Nec mirandum dictum cenſendum modo huic ſubiecto affixo naturaliter, dare vim vt ſeipſum ſaltem mediante alia vnione alteri ſubiecto obedientialiter affigat. Quia hoc naſcitur ex differentia, quam agnoſcunt cuncti in hac duplici potentia cuiuſlibet rei à Deo ad extra productæ; etenim potentia, & facultas naturalis, cùm ſit finita, & limitata, determinatam formam, vel ſubiectum expoſcit, vt experimur in omnibus formis reſpectu ſuorum ſubiectorum, & in iſtis reſpectu formarum. Vnde in omnibus iis ſemper peruenitur ad vltimum naturaliter, quo poſſeſſo non deſideretur aliud formam recipiens, vel ſubiectum informans. Contrarium autem inuenitur in potentia obedientiali, hæc enim habet infinitam capacitatem in ſuo ſinu perfectibilem, per ordinem ad infinitum agens potens in illam quancumque formam inducere. Vnde ob iſtam nimis latam, & quaſi infinitam latitudinem potentiæ obedientialis, vltimam, vt perficiatur, non ſibi ſubſcribit formam, ita vt quamuis data adhuc reſtet poſſibilis alia, & alia, à qua perfici valeat. Hoc à cunctis admiſſo, poteſt argumento reſponderi, ipſum ſolùm probare, quòd naturaliter implicet, ſubſiſtentiam, & quemlibet modum modificare poſſe aliud ſubiectum, præter proprium, quod illum exigit, & exigitur naturaliter ab illo modo; non verò, quòd ſecundùm potentiam obedientialem modificare nequeat vtrumque.

170. Sed poteris replicare, in hac doctrina ſupponi, reperiri in modo capacitatem obedientialem, vt valeat præter proprium, alienum modificare. Sed reſpondebis fatens ſolutionem datam ſupponere in ſubſiſtentia & alio modo potentiam obedientialem ad omne id, quod non inuoluerit contradictionem. Et id

non reputabitur inconueniens quouſque Authores iſti non deſignauerint contradictionis implicationem in hoc, quòd modus præter ſubiectum proprium modificet ſimul alienum.

171. Sed replicabis: In hoc, diſtinguitur ens modale ab ente, quod eſt res, nam iſtud cùm media vnione à ſe diſtincta ſubiecto copuletur, fit, illud actuaturum, cui per modum vnionis annectatur, cúmque, ſaltem obedientialiter, plures vniones talis qualitatis ex variis ſubiectorum potentiis poſſint educi, fit, in tali qualitate potentiam obedientialem ponere non implicet; at verò modus, cùm ſit vnio ſuiipſius in ſubiecto, cum illo ita affigitur, vt nequeat amittere vnionem cum illo, quin ſuum eſſe ſimul amittat. Nec aliud ſubiectum præter proprium modificare, atque adeo implicabit in modo prædictam obedientialem potentiam ponere nempe ad modificandum proprium, & alienum ſubiectum. Reſpondebis, nullo modo inferri ex eo, quod modus naturaliter ſit affixio ſuiipſius cum proprio ſubiecto; Ergo nullo modo poteſt modificare alienum; Quod videtur ſequi eſt. Ergo non poteſt idem modus eſſe affixio ſuiipſius cum ſubiecto alieno; aliàs vtriuſque eſſet modus proprius, quod repugnat; Verùm hoc non intendũt authores contrarij. Sed quòd ſubſiſtentia ſit ſuiipſius vnio cum ſubiecto proprio, etſi eſt terminatura aliud, hoc media alia vnione exequatur. Accidens enim, quòd eſt res, vel forma ſubſtantialis diſtinguuntur ab accidentibus modalibus, vel à ſubſtantiali modo, in hoc, quòd vt informent, vel actuent alia ſubiecta, neceſſe eſt, quod ſinant actuare alia; at modus cùm ſit eſſentialiter affixio ſuiipſius cum proprio ſubiecto, vt modificet aliud, non poteſt vnionem cum proprio ſubiecto amittere, aliàs ſeipſum dirimeret. Sed quod retenta vnione ſui ipſius cum proprio ſubiecto, cui connaturaliter copulatur, Deus ab illius potentia obedientiali educat aliam vnionem, media qua alteri ſubiecto vniatur, & ſic illud terminare poſſit. Quæ doctrina applicari poteſt omnibus inſtantiis ex aliis modis accerſitis, qui licet ſuis propriis ſubiectis ſeipſis affigantur, tamen mediantibus aliis vnionibus diſtinctis poterunt aliena ſubiecta modificare.

172. Verùm enim verò cùm alia ratio non ſe offerat efficacior allatis à Caietano, & Authoribus citatis, illis annuere eſt neceſſe, potiſſima tamen radix veritatis noſtræ reſolutionis eſt authoritas Sanctiſſimi Thomæ ſuprà citati in hoc articulo; qui aſſeuerauit, hoc quod eſt, alienam naturam terminare eſſe proprium Dei; atque adeo arguere infinitatem in aſſumente, quod repugnat cuilibet enti creato, & creabili: Et in confirmationem huius poteſt addi hæc ratio, etenim inter ſententiam dantem vim aſſumptiuam creato ſuppoſito alienæ naturæ, & eam illi denegantem: Hæc magis commendat ineffabilitatem myſterij noſtri, & infinitum pondus diuinæ perſonalitatis in terminando; cuius videtur derogare infinitudini, ſi de ſuppoſito & perſonalitate creata aliquo modo id verificari poſſit: Hac enim ratione plures Authores ſuadent, implicare creaturam aliquam poſſe aliquo modo phyſicè, ſiue principaliter, ſiue inſtrumentaliter cauſalitatem exercere in hypoſtaticam vnionem, vt quantò magis diſtet quidquid in myſterio iſto extat, ab influxu creato, tantò magis tanti myſterij protegatur altitudo. Cùm igitur myſterium hoc conſiſtat in eo quòd Perſona Verbi, naturam propriam terminans, alienam ſimul aſſumat, & hoc iudicant Sancti Sacramentum ineffabile, & argumentum omnium ineffabilius infinitatis Perſonalitatis diuinæ; apertius manebit infinitudo hæc decantata, ſi talem aſſumptionem adhuc in vmbris, imitari creaturæ nequeant.

Rurſum in confirmationem Angelici Præceptoris, & Caietani rationis, intendentis deducere infinitatem in ſuppoſito creato, ex eo quòd illi concedatur capacitas ad ſe vniendum naturæ alienæ, poteſt adduci confirmatio hæc, quam latè proſequor *in ſecundo tomo, tractat.* 2: *de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, num.* 263. quæ ſic poteſt ad formam reduci. Etenim eo ipſo, quòd ſuppoſito creato concedatur capacitas terminandi duas, vel tres alienas naturas, conceditur ſimiliter capacitas ad plures, & plures in infinitum multiplicabiles, ſi hæ eſſent poſſibiles ſimul, nam vt fert Ariſtot. 4. *Phyſic. text.* 76. Vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas illam faceret, ſi hæc eſſet poſſibilis. Sed hoc quod eſt habere capacitatem ex ſe ad terminandum plures, & plures naturas vſque in infinitum, arguit infinitam virtutem in actu in linea terminandi. Ergo non eſt danda facultas ſuppoſito creato terminandi alienam naturam. Probo minorem, quælibet virtus correſpondens terminis ſincategorematicè infinitis eſt categorematicè ſimpliciter infinita in actu. Sed ea conceſſis virtus hæc terminatiua ſuppoſiti creati correſponderet naturis ſincategorematicè infinitis. Ergo in linea terminandi euaderet categorematice, & in actu infinita in linea terminandi. Maior, in qua eſt difficultas, probatur, nam hæc illatio eſt optima: virtus hæc eſt potens producere effectus ſincategorematicè infinitos. Ergo talis potẽtia eſt in ſe categorematicè infinita in linea producendi: nec enim aliud eſt nobis argumentum à poſteriori, quo omnipotentiæ vim categorematicè infinitam ſuadeamus, illamque cuilibet potentiæ creatæ, aut creabili denegemus, niſi quia illa potens eſt producere terminos ſincategorematicè infinitos; ita vt quolibet, etſi perfectiſſimo, producto, adhuc perfectior illo ſuperſit ab omnipotentia producendus, quæ competere nequeunt potẽtiæ vlli creatæ, aut creabili. Ergo illa maior eſt vera; nempe, quælibet virtus correſpondens terminis, qui ſunt infiniti ſincategorematicè, eſt infinita ſimpliciter categorematicè. Ergo ſi ſuppoſitum creatum haberet vim terminandi plures, & plures naturas in infinitum ſincategorematicè producendas, iam talis virtus euaderet categorematicè infinita in linea terminandi: Infinitudo autem categorematica implicat cuique creato enti, & creabili, & ſolùm eſt propria Dei. Ergo optimè Sanctiſſimus Doctor negauit talem vim terminandi alienam 173.

natu

naturam ſuppoſito creato, quia hoc eſt proprium Perſonæ diuinæ.

174. Non me latet rationem hanc aliquas poſſe pati obiectiones, nec non & eas, quæ in rationem Caietani *numero* 162. verùm plures ex illis ſupponunt doctrinam apud aliquos probabilem, & improbabilem apud alios; & caſu dato, quòd veram exiſtimarem, facilem diſparitatem inueniet quiſque ex dicendis *tomo ſecundo loco citato.*

175. Ratio verò, quam ex Suario, Lugo, Cippullo, & Amico dedimus, magnam ex tantis viris haurit probabilitatem; & licèt ſcrupuli, quibus illam petiuimus *numero* 169. non ſint contemnendi, tamen facilè euaneſcent, ſi aliqualem rationem dederimus de impoſſibilitate afficiendi vnum modum alienum ſubiectum; Hæc enim impoſſibilitas difficillimè probari videbitur ei, ſi principia communia Philoſophiæ inuertere ſit ſolitus: quapropter exiſtimo rationem ab his Authoribus datam eſſe efficacem potiſſimùm reſpectu illorum, quos eminenti ingenio præditos, tum in Philoſophia, tumque in Theologia cognoſcimus. Vnde apud illos eſt phraſis vſitata modum nullum præter proprium ſubiectum modificare eſſe impotem, nedum naturaliter, verùm & obedientialiter, non ſolùm ſeipſo, verùm nec ratione vnionis illi ſuperadditæ; Quod ſi huius petas rationem, non alia tibi dabitur, niſi proprius genius ipſius ſubſiſtentiæ, verbi gratia, quæ quia proprietas modaliter completiua naturæ, & diſpoſitio neceſſaria ad vltimum complementum, quod eſt exiſtentia, petit eam ſolum naturam adicere, cuius eſt completiua proprietas; itavt morem gerat cæterarum paſſionum, quæ ita affiguntur ſuis naturis ſpecificis, vt nequeant vllâ potentiâ Dei alienas naturas actuare, nec illis eos, quos propriis naturis præſtant effectus, aliis naturis adhuc mediante alia vnione valeant exhibere; Quid igitur mirandum ſi ſubſiſtentia, ex qua parte eſt proprietas ſuæ naturæ, à qua per emanationem effluit, ita illam modificare deſideret, vt aliis nequeat naturis copulari, & caſu dato, quòd illis vniatur, eis nullo modo ſuum effectum communicet: ſicut contingeret cunctis proprietatibus quarto modo eſſendi per ſe, quæ ſi copularentur aliis naturis ſpecificis, minimè præſtarent eis effectus illos; quos propriis naturis perhibent. Quod autem ſubſiſtentia gerere debeat ſtylum, quem proprietates ſeruant, eo mouetur, cùm nihil magis naturæ proprium, quàm id, quod illam complet intra genus ſubſtantiæ; atque adeo ſicut in linea intelligibili, ſpecies intelligibilis acquiſita, quia oritur ab hoc obiecto tanquam complementum illius in linea intelligibili, taliter ipſi obiecto eſt propria, vt nequeat aliud obiectum complere in prædicta linea; cur idipſum non eſſeremus de ſubſiſtentia, quæ quia emanat ab hac natura, tanquam complementum illius intra lineam ſubſtantiæ, taliter eam afficiat, vt aliud ſubiectum, ſeu naturam afficere nequeat. Præterea, nam apud non paucos, diſtinguentes eſſentiam realiter ab exiſtentia, eſt certum, rem nullam poſſe exiſtere per exiſtentiam alterius, ea met ratione, quia exiſtentia eſt proprietas completiua rei intra lineam entis, quapropter eam ipſam complere debet, à qua tanquam proprietas emanat. Ergo ſubſiſtentia cùm emanet à natura tanquam proprietas completiua illius intra lineam ſubſtantiæ ſit, debere illam ita afficere, vt aliam naturam, à qua non procedat, actuare, vel ſubſiſtentem facere nequeat.

Argues primò cum Ochamo, Baſolio, Almayno, Hurtado Salmanticenſi *in Metaphyſic. diſputatione* 11. *ſectione* 8. Becano *de incarnatione, capite* 4. *quæſtione* 5. & Maluenda *de Antichriſto, libro* 2. *cap.* 7. §. *Verum contemptis his.* Valentia *diſputatione* 2. *quæſtione* 3. *parte* 6. & Bernal. *diſputatione* 24. *ſectione* 3. *numero* 58. Iſti enim contrarium reſolutioni noſtræ ferunt. Probat Bernal citatus *numero* 59. authoritate multorum, qui olim exiſtimarunt, Melchiſedec, Malachiam, Aggæum, & Ioannem Baptiſtam fuiſſe Angelos incarnatos, vt refert Sanctus Hieronymus *epiſt.* 126. ad Euagrium, & *ad quintum. caput Ioelis, verſ.* 13. & in proœmio ad Malachiam; vel certè authoritate Sancti Hieronymi, & aliorum, qui exiſtimationem illam refellentes, nunquam vſi ſunt argumento ab impoſſibili; ſic enim non obſcurè indicarunt, nihil ſibi occurriſſe, quo perſuaderent, eiuſmodi vnionem poſſibilem non eſſe. 176.

Reſpondeo, Authores illos admittentes prædictos Sanctos fuiſſe Angelos incarnatos, abſolutè id minimè extulerunt, ſed ad ſummum, vt ſanctitatem Ioannis Baptiſtæ, & aliorum attollerent, eſſe Angelos in vitæ puritate, & virtutum collectione, aſſeuerarunt, ſi autem aliquis protulerit, nedum in hoc ſenſu, ſed in vero, & proprio, eo modo, quo profitemur ex fide perſonalitatem Verbi aſſumpſiſſe hypoſtaticè humanitatem Chriſti, dicimus, illum miſerabiliter errauiſſe. Et licèt Tertullianus *libro de carne Chriſti, cap.* 4. & 6. & *libro contra Marcionem, cap.* 9. aſſeueret, Angelos veram carnem aſſumpſiſſe in qua Abrahamo, & Loth apparuerunt; tamen Author hic non deſignauit, an aſſumptio illa fuerit hypoſtatica, nec ne? Imò de carne dubitanter loquitur, cùm non expreſſerit determinatè, an veram carnem aſſumpſerint, vel fantaſticam. Ad illud autem, quod ex Sancto Hieronymo allegat, dicó, non reſpondiſſe id eſſe impoſſibile, fortaſſe, quia aliis in locis id reſponderit, vel quia illi hanc & non aliam reſponſionem exhibere libuit. 177.

Arguit ſecundò, *numero.* 60. quia talis hypoſtatica vnio non repugnat ex parte ſubſtantiæ creatæ; ſi enim hæc poteſt vniri cum ſubſiſtentia increata, à qua diſtat infinitè, cur nequeat vniri cum ſubſiſtentia creata, à qua infinitè minus diſtat, & quæ per conſequens reſpectu ipſius multò minùs aliena eſt? Nec repugnat ex parte ſubſiſtentiæ creatæ aſſumentis, quod enim per ſeipſam ſemel vnita ſuæ naturæ vniatur iterum alienæ per ſuperadditam vnionem, non deſtruit eius eſſentiam. Ergo, &c. 178.

Reſpondeo repugnare ex parte vtriuſque. Ex parte naturæ aſſumptæ, quia iſti repugnat informari, & reddi completam formaliter in 179.

linea ſubſtantiæ niſi per id, quod ab illa tanquam proprietas completiua emanauerit, ſicut dicitur in ſententia plurium exiſtentiam ab eſſentia diſtinguentium, nullo modo poſſe reddi naturam completam in genere entis, niſi per id, quod tanquam eius proprietas completiua in tali linea ab ipſa natura ortum duxerit, vt diximus *numero* 175. Nec hoc impugnat ex minori diſtantia inter ſuppoſitum creatum, & naturam creatam, vt id contingere poſſit; ſicut contigiſſe credimus in ſubſiſtentia diuina, & humanitate, quæ in infinitum diſtant, nam licèt iſta vltima extrema magis entitatiuè diſtent, non tamen in ratione complentis, & complebilis; Hac enim ratione minùs diſtant ſubſiſtentia diuina, & natura creata, quàm creata natura aliena, & ſubſiſtentia creata; ſicut diximus cum communi *prima parte, tractatu de Viſione*, minùs entitatiuè diſtare Angelum, & oculum corporeum, quàm intellectum noſtrum & Deum clarè viſibilem, licèt in ratione obiecti & potentiæ minùs diſtare videantur: & licèt huius à priori nequeat dari ratio, à poſteriori ibidem dedimus. Nec obeſt, ſubſiſtentiam diuinam non emanaſſe tanquam proprietatem completiuam naturæ ab ipſa, vt cum illa habeat proportionem in ratione complentis, & complebilis, ſiquidem ob eius infinitatem continet eminenter perfectionem ſubſiſtentiæ propriæ, & aliunde ob eius puritatem ſupplet emanationem, qua profluit ſubſiſtentia creata à propria natura; ſicut deitas, & diuina perſonalitas verè ſanctificant Chriſti animam, vt latè dabimus *tomo ſecundo, tractatu* 1. *diſput*. 1. *dubio* 1 *per totum*, & quamuis creata ſanctitas petat, vt ſubiectum ſanctum reddat, informationem in illo, tamen informationem iſtam ſupplet puritas diuinæ ſanctitatis. Item proprium eſt cuiuſlibet obiecti creati compleri in linea proxima intelligibili per ſpeciem ab ipſo cauſatam, & ex illo ortam; & tamen Deus completur in linea intelligibili proxima per ſeipſum, tam reſpectu proprij intellectus, quàm reſpectu intellectus creati, vt ſcribimus *tomo ſecundo, tractatu de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſputatione ſecunda, dubio tertio*. Ergo ſimiliter, quamuis ſubſiſtentia propria, ideo non diſtet à natura in ratione proprietatis complentis, & complebilis, quia ab illa emanat, non exinde ſubſiſtentia diuina & natura creata diſtabunt in tali genere, quia ab humanitate non effluxerit, nam ob eius puritatem infinitam ſupplet emanationem, ſicut ipſa in ratione ſanctitatis informationem ſupplet, & vtramque rationem emanationis ſcilicet, & informationis ipſe Deus in ratione ſpeciei ſupplere dicitur. Iam quòd repugnet ex parte ſubſiſtentiæ creatæ naturam alienam terminare, patet ex dictis *numero* 174. 175. & 176. vel quia ex poſſibilitate prædictæ terminationis decreſceret ineffabilitas huius myſterij, vt dedit *numerus* 174. vel quia foret talis ſubſiſtentia infinita, vt dedit *numerus* 175. vel quia implicat ſubſiſtentiæ creatæ naturam illam ſubſiſtentem reddere, à qua tanquam proprietas completiua in linea ſubſtantiæ non emanauerit, vt dedimus *numero* 176.

Sed replicabis impugnans non repugnare talem hypoſtaticam vnionem in creatis ratione ſubſiſtentiæ. Et impugnatur ſecunda ratio implicantiæ; etenim quando in effectu formali infinita perfectio non elucet, nec in forma illum præſtante reſplendere poteſt. Sed in effectu formali, quem ſubſiſtentia creata præſtaret nulla daretur infinitudo. Ergo nec in ſubſiſtentia creata illum præſtante. Maior eſt certa: nam non petitur maior perfectio in forma, quam ſit ea, quæ in effectu inuenitur. Ergo ſi in hoc non eſt infinita, ita nec in illa. Minor prima probatur, ſiquidem effectus formalis eſſet terminatio naturæ creatæ. Sed talis terminatio infinita non eſſet. Ergo nec effectus formalis infinitus eſſet. Probatur minor: nam talis terminatio eum gradum perfectionis haberet, qui deſideraretur ad conſtitutionem ſuppoſiti reſultantis ex illa terminatione. Sed conſtitutio ſuppoſiti, quippe finiti, non deſideraret infinitum, ſed certum gradum perfectionis. Ergo talis terminatio infinita non eſſet. 180.

Reſpondeo diſtinguo maiorem, quando in effectu formali infinita perfectio non elucet, nec in forma illum præſtante elucere debet, ſi modus illum præſtandi infinitatem arguat, nego, ſi non illam arguit, concedo; & concedo minorem; & diſtinguo conſequens. Ergo nec in forma abſolutè accepta, do, in forma cum modo arguente infinitatem; nego. Ad probationem maioris vſurus es eadem diſtinctione. Itaque hoc quod eſt terminare hanc vel illam alienam naturam, cum virtute terminandi plures, & plures ſincategorematicè infinitas arguit infinitatem categorematicam & in actu in virtute intra lineam terminandi; & cùm data hypotheſi, quòd ſubſiſtentia creata terminaret vnam alienam naturam, poſſet plures & plures in infinitum terminare, cùm non ſit maior ratio terminandi vnam, quàm aliam, fit, quòd ex modo terminandi vnam alienam naturam inferatur arguitiuè, talem ſubſiſtentiam eſſe categorematicè infinitam. 181.

DVBIVM VI.

An Perſona diuina aſſumere valeat naturam creatam, propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtentem?

HVcuſque egimus de illo, quod habet in diuinis vim aſſumptiuam alienæ naturæ, quæ erat pars prima, huius diſputationis nempe de aſſumptiuo. Nunc reſtat expendere, de his, quæ habent quaſi paſſiuam aſſumptibilitatem, & hoc correſpondet parti ſecundæ præſentis diſputationis, nempe de aſſumptibili; cui ſequentia dubia ſatisfacient.

Sectio

SECTIO I.

Notabilia ponuntur.

182. NOtare debes, quæſtionis ſubiectum eſſe naturam aliquam completam, non ſolùm in linea eſſentiali, ſed in linea ſubſtantiæ: verbi gratia, non ſolùm compoſitum ex partibus eſſentialibus coalitum, ſed compoſitum etiam ex modo ſubſtantiali ſubſiſtentiæ reſultans, de hoc ergo eſt quæſtio, an ſit aſſumptibile ab aliqua diuina Perſona.

Nota ſecundò, Quæſtionem iſtam non ingredi ipſam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem propriam; de hac enim eſſet inutilis, imò repugnans concertatio, an poſſit à Deo aſſumi hypoſtaticè: Eſſe quæſtionem hanc repugnantem ſic oſtendo: ſiquidem, ſubſiſtentiæ, & perſonalitati repugnat terminabilitas hypoſtaticæ terminationis. Sed cui talis terminabilitas repugnat, & actus hypoſtaticæ terminationis repugnat. Ergo ſubſiſtentiæ repugnat actus hypoſtaticæ terminationis. Conſequentia eſt bona. Minor de ſe conſtat, etenim illi cui repugnat potentia, repugnat actus correſpondens illi, ideo enim quod cognoſcibile non eſt ab aliqua potentia, nequit terminare actum tendentæ illius. Maior enim probatur, nam ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas eſſentialiter eſt modus inuoluens actualem negationem terminationis hypoſtaticæ. Ergo repugnat illi terminabilitas actus terminationis hypoſtaticæ. Antecedens probo, nam terminabilitas actus terminationis hypoſtaticæ eſt potentia ad dependendum à ſuppoſito extraneo. Sed ſubſiſtentia conſiſtit eſſentialiter in independentia à ſuppoſito extraneo. Ergo ſubſiſtentia eſſentialiter inuoluit negationem actus terminationis hypoſtaticæ. Conſequentia patet, nam actu recipere actum terminationis hypoſtaticæ eſt actu dependere à ſuppoſito extraneo, per quod etiam manet probata maior, nunc probo minorem: Etenim ſubſiſtentia eſſentialiter inoluit aliquam incommunicabilitatem. Sed hæc incommunicabilitas eſſentialiter conſiſtit in independentia à ſuppoſito extraneo. Ergo ſubſiſtentia conſiſtit in independentia à ſuppoſito extraneo. Maiorem docet communis. Minorem probo: nam ea incommunicabilitas eſt de eſſentia ſubſiſtentiæ, quam eſſentialiter inuoluit Perſona conſtituta in eſſe talis per ſubſiſtentiam. Sed incommunicabilitas, quam inuoluit Perſona conſtituta in eſſe talis per ſubſiſtentiam, eſſentialiter conſiſtit in independentia à ſuppoſito extraneo. Ergo incommunicabilitas, quam eſſentialiter inuoluit ſubſiſtentia, eſſentialiter conſiſtit in independentia à ſuppoſito extraneo. Ergo ſubſiſtentia inuoluit eſſentialiter hanc independentiam.

183. Confirmatur; Nam vt vidimus *tractat.* 1. *diſput.* 1. iuxta communem, ſubſiſtentia eſt modus eſſentialiter inuoluens hanc independentiam, ſeu negationem dependendi ab extrinſeco ſuppoſito: taliter quòd ſublata ab ea, negatione iſta, ſeu independentia, è medio tollatur ratio, & conceptus ſubſiſtentiæ; nam cùm ſubſiſtentia ſit eſſentialiter modus, prædicata omnia, quæ quouis modo illam conſtituunt, conſiſtere debent in actu exercito; atque adeo eo ipſo, quòd prædicta negatio dependendi ab extraneo ſuppoſito petatur eſſentialiter à ſubſiſtentia, taliter debet importari; vt ſemper in exercitio talem negationem inuoluat; Vnde variata actuali iſta independentia ab extraneo ſuppoſito, totam ſubſiſtentiæ rationem corruere, eſt neceſſe: Exemplum accommodatum eſt creatio, & eductio; etenim quia creatio conſiſtit eſſentialiter in actuali independentia à ſubiecto, implicat fieri independentem ab illo, etiam per alium modum illi extrinſecum, & ab illa diſtinctum. Et vice verſa, quia eductio conſiſtit eſſentialiter in actuali dependentia à ſubiecto, repugnat fieri dependentem à ſubiecto etiam per alium modum ſibi extrinſecum, & ab illa diſtinctum. Ergo ſi apud omnes eſt certum, ſubſiſtentiam eſſentialiter inuoluere independentiam actualem à ſuppoſito extraneo, repugnabit illi fieri dependentem ab illo per aliquid aliud ſibi extrinſecum, & ab illa diſtinctum. Ergo repugnat illi terminabilitas actus terminationis hypoſtaticæ; Probo conſequentiam, nam terminabilitas actus terminationis hypoſtaticæ eſt potentia ad dependendum à ſuppoſito extraneo. Sed quod eſſentialiter inuoluit actualem independentiam à ſuppoſito extraneo, nequit habere potentiam ad dependendum à ſuppoſito extraneo. Ergo ſubſiſtentiæ repugnat terminabilitas actus terminationis hypoſtaticæ. Ergo recipere actum prædictæ hypoſtaticæ terminationis, quia cui repugnat potentia, repugnat actus illi correſpondens intra ſuam lineam.

Occurres, non repugnat ei, quod modus eſt, vniri ſubiecto, medio alio modo alterius rationis. Ergo non repugnabit ſubſiſtentiæ vniri ſuppoſito extraneo, mediante alio modo. Reſpondeo antecedens permittens, & nego conſequentiam, nam contingere poteſt, quòd illa vnio per quam alter modus vniatur ſubiecto, non deſtruat eſſentiam illius modi, quem vnit; ſicut in ſententia plurium, quos ſequitur Bernalius citatus ſectione antecedenti. Figura, quæ eſt modus ſeipſa ſubiectum, A, modificans, poteſt vniri ſubiecto, B, per vnionem, quæ eius eſſentiam non diſſipet, quapropter antecedens permittimus, licèt iuxta dicta *ſectione antecedenti*, illud concedendum non ſit; ſi tamen per illam vnionem figura deſtrueretur, vt probabilior ſententia fert, nullo modo poſſet alteri ſubiecto vniri etiam mediante vnione alterius rationis. Cùm ergo eſſentia ſubſiſtentiæ conſiſtentis in independentia à ſuppoſito extraneo euertatur per vnionem, qua ſuppoſito extraneo copularetur, ideo negamus eſſe poſſibilem prædictam vnionem. 184.

Occurres, Per nos, & iuxta veritatem, ſubſiſtentia actualiter dependet ab ipſa natura, cuius eſt modus. Ergo non eſſentialiter eſt independens. Ergo poteſt dependere ab alieno ſuppoſito. Probo hanc: nam eatenus dependere ab illa non poteſt iuxta noſtram opinionem, 185.

nem, quia diximus, illam conſiſtere in actuali independentia At quod dependet non conſiſtit in actuali independentia. Ergo cùm ſubſiſtentia dependens ſit à natura, poterit dependere à ſuppoſito alieno: aliàs vna & eadem res dependens erit. Reſpondeo facilè, ſubſiſtentiam quippe proprietatem naturæ ab illa dependere effectiuè, & ſubiectiuè, & etiam eſt independens terminatiuè, ex qua parte eſt vltimum complementum illius, conſtituens eſſentialiter perſonam; atque adeo eſt independens ab omni ſuppoſito, quod ſit extraneum; humanitas enim Chriſti eſt dependens & independens: dependens à Verbo hypoſtaticè, independens ab illo in genere cauſæ materialis, reſpectu enim diuerſorum multò meliùs poterit dici vnum & idem prædicatum independens, & dependens, vt ſubſiſtentiæ contingit.

186. Ex his patet, quòd ſubiectum dubij nequeat eſſe ipſa perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia, quæ conſtituit perſonam, ſed natura ipſa, quæ ſubſiſtens eſt, & eſt perſonata; atque adeo de illa quæritur, an natura, dum manet ſub propria perſonalitate aſſumi poſſit eius perſonalitate minimè aſſumpta? Verùm adhuc poteſt duplicem ſenſum habere quæſtio iſta. Primum quaſi in ſenſu diuiſo, taliter, quòd natura illa quæ in hoc inſtanti erat in propria perſona protinus, ac ab alia diuina hypoſtaticè vnitur, deſinat ſuam propriam perſonalitatem habere, & de ea ſolùm verificetur eſſe in ſuppoſito alieno. Secundum ſenſum habet quaſi ſenſum compoſitum, taliter quòd natura ſua perſonalitate propria terminata aſſumatur à diuina Perſona, ita vt ſuam perſonalitatem non amittat, ſed quòd ambæ perſonalitates in eadem natura coniungantur? Quæſtio enim in primo ſenſu nullam, aut leuiſſimam difficultatem ingerit. Tota tamen difficultas regnat apud Anthores in poſſibilitate coniungendi ſubſiſtentiam propriam & alienam in eadem natura.

Sectio II.

Repugnat aſſumptibilitas hypoſtatica naturæ ſemel perſonatæ in ſenſu compoſito perſonalitatis propriæ & alienæ.

187. PRæfixam concluſionem expreſsè docet Sanctiſſimus Doctor *in 3. diſtinct. 5 quæſt. 3. artic. 3.* Caietanus *3. parte, quæſt. 3. artic. 6. §. ad cuius clariorem perceptionem.* Capreolus *diſt. 1. in 3. quæſt. 1. articulo 3 ad primum, contra ſecundam concluſionem, §. dicitur quarto.* Medina *hic ad quartum.* Cabrera *quæſt. 3. art. 6. diſputatione 1. ad quintum.* Aluarez *diſputatione 26.* Nacarius *in expoſitione articuli.* Araujus *quæſtione 4. artic. 2. num. 2.* Cippullus *quæſt. 4. artic. 1 1. dub. 1. §. 2. num. 4.* Ex aliis Bonauentura *in 3. art. 2. quæſt. 2.* Scotus *ibidem diſtinct. 1. quæſt. 2. §. ad quæſtionem & quolib. 19. art. 3.* Richardus *diſtinct. 5. art. 2. quæſt. 2.* Marſilius *quæſt. 2. art. 3. dub. 1. ad quintum.* Gabriel *quæſt. 2. artic. 3. dub. 2.* Rubionius *quæſtione 1. art. 2. concluſione 3.* Maymnus *in 3. diſtinct. 3.* Durandus *diſtinct. 1. q. 3. ad ſecundum.* Paludanus *quæſtione 3. artic. 2.* Aureolus *diſt. 1. quæſt 4. art. 2. in fine.* Baſolius *quæſt. 4. § ad rationes ad rationem.* Argentinas *quæſt. 2. art. 3. ad ſecundum, & concluſ. 2.* Ex Recentibus Valentia *diſputatione 1. quæſt. 3. p. 3. §. probabiliorem igitur.* Vaſquez *diſputat. 3 3. cap. 2.* Suarez *diſputat. 1 4. ſect. 1.* Albertinus *coroll. 8. ex prædicamento ſubſtantiæ.* Raguſa *diſputatione 47.* Hurtadus Complutenſis *diſput. 4. diffic. 1 4.* Amicus *diſputat. 15. ſectione 4.* Cardinalis de Lugo *diſputatione 1 2. ſectione 6.* ſententia hæc tot rationibus munitur, quot Anthoribus, breuiter principaliores percurremus, & quæ probabilior apparuerit, eligetur.

Relictis rationibus, quas in defenſionem noſtræ reſolutionis deſignant Scotus & ſui, ex vna parte, Durandus, & Capreolus ex alia, nec non & his, quas afferunt Caietanus, & Medina, & his, quas adducunt Paludanus, & Aureolus, quas ad longum in Anthoribus experiens impugnatas, quippe à prima facie non ſatis efficaces, & communiter derelictas, Vnam vel alteram ex Recentioribus examini tradam. 188.

Cardinalis de Lugo *vbi ſuprà numero 63.* Araujus citatus, & Cippullus cum Valentia *vbi ſuprà*, ſic concluſionem probant. Quia hæc conſequentia eſt bona; Chriſti humanitas aſſumpta eſt à diuino Verbo. Ergo caret propria perſonalitate. Frequenter enim Sanctiſſimi Patres, & Concilij, illa vtuntur contra Neſtorium; at hoc non ita eſſet, ſi humanitas retenta ſua perſonalitate poſſet hypoſtaticè vniri diuinæ perſonalitati. Ergo, &c. Probant minorem, nam illa conſequentia non eſt bona, in qua conſequens non neceſſariò ſequitur ad antecedens: At in ſententia contraria aſſerente humanitatem, retenta ſua perſonalitate, poſſe hypoſtaticè aſſumi à Perſona diuina, conſequens illius entimematis non neceſſariò ſequitur ad illud antecedens. Ergo, &c. 189.

Reſpondebis bonitatem illius illationis fundari in naturali incompoſſibilitate, quam habent inter ſe ſubſiſtentia aliena, nempe diuini Verbi cum ſubſiſtentia propria: Etenim naturalis euidentia fundata in ſola naturali repugnantia, vel connexione cum obiecto reuelato, eſt ſufficiens ad exprimendam quamcunque propoſitionem de Fide: Siquidem euidentia illa ſufficiens eſt ad id, quæ ſufficiens eſt conſtituere obiectum euidenter credibile humano modo. At prædicta euidentia orta ex naturali repugnantia, vel connexione cum obiecto reuelato eſt ſufficiens conſtituere obiectum euidenter credibile humano modo. Ergo talis euidentia ſufficiens eſt ad explicandum propoſitionem ex Fide. Quapropter, quia eſt naturalis repugnantia inter naturam, & ſuæ proprietatis priuationem, dicuntur Concilia definiſſe præter voluntatem diuinam, humanam voluntatem, eo ipſo quòd definierint, Chriſtum habuiſſe veram humanitatem. Ruſſum. Hæc conſequentia eſt bona, bonitate præciſè fundata in connexione naturali extremorum. Tridentinum definit *ſeſſ. 13. cap. 3.* 190.

Ex

ex vi verborum corpus & ſanguis Chriſti ponuntur in Sacramento. Ergo omnes Chriſti partes ſiunt illi præſentes: & tamen bonitas hæc illationis innititur connexioni naturali, quam habent cæteræ partes Chriſti cum corpore & ſangguine illius. Præterea hæc illatio eſt bona, bonitate fundata in naturali repugnantia coëxiſtentiæ iſtorum extremorum, ſubſtantiæ ſcilicet panis, & corporis Chriſti. Concilium vbi ſuprà definit, corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis. Ergo panis ſubſtantia non eſt ſub illis; & licèt vt bene aduertunt Authores per ſe primò colligatur abſentia ſubſtantiæ Panis ex veritate verborum Chriſti, quia ſi maneret talis ſubſtantia, verba Chriſti à veritate deficerent, tamen ſola repugnantia, & incompoſſibilitas naturalis (loquor in ſententia defendentium duas ſubſtantias eſſe compatibiles de potentia abſoluta) talium ſubſtantiarum eſſet ſufficiens ſaluare bonitatem illationis, vt in exemplis experimur. Ergo optimè comparitur, eſſe bonam illationem: Concilia definiunt in Chriſto eſſe perſonam increatam. Ergo de Fide eſt in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam propriam, cum hoc, quod eſt, poſſe reperiri de potentia abſoluta ambas ſubſiſtentias ſimul; quia videlicet repugnant eſſe ſimul naturaliter.

192. Sed replicabis cum Cardinali Lugo *numero ſexageſimo nono*, permiſſa ſolùm hac naturali repugnantia inter ſubſiſtentias illas, non eſt ratio cur ex eo quòd Concilia definiant, in Chriſto eſſe ſubſiſtentiam diuinam, colligamus, in illo non eſſe ſubſiſtentiam creatam: Ergo vel ruit ſolutio, vel inter illas eſt ponenda repugnantia eſſentialis ad fundandam irrefragabilem bonitatem illius illationis. Probo antecedens, quia ſi aliqua eſſet, maximè, quia cùm videtur repugnantiam naturalem inter prædictas ſubſiſtentias, eo ipſo quòd definiatur exiſtentia vnius in Chriſto, optimè colligitur non eſſe alterius, quia non ſunt præſumenda miracula ſine neceſſitate. Sed hæc ratio non ſufficit. Ergo, &c. Probat minorem; quia tantum, & fortaſſe maius miraculum eſt, auferre à natura ſubſtantiali completa propriam ſubſiſtentiam, quàm conſeruare propriam ſubſiſtentiam cum aliena: nam ſicut datur per nos repugnantia ſolùm naturalis, & non eſſentialis inter duas illas ſubſiſtentias, ſic repugnat etiam naturaliter manere naturam completam, ſine propria ſubſiſtentia, quæ eſt paſſio ei naturaliter debita. Cur ergo magis dicendum eſt, auferri propriam ſubſiſtentiam, ne ſubſiſtat miraculosè eadem natura per duplicem ſubſiſtentiam, & non potiùs manere propriam ſubſiſtentiam, ne maneat natura ſine paſſione naturaliter debita.

193. Reſpondebis, magis repugnare naturaliter, quòd natura ſubſiſtat hac duplici ſubſiſtentia, quàm quòd non ſubſiſtat, vel careat propria, ex ſuppoſitione, quòd ſubſiſtat per alienam; ſit exemplum, accidentia in Euchariſtia priuantur dependentia à ſubſtantia panis, ex eo, quòd incipiant miraculosè dependere à corpore Chriſti, quia licèt accidentibus repugnet, non conſeruari à ſubiecto ſibi connaturali, magis tamen repugnat illis conſeruari à duplici cauſa adæquata. Vnde ſuppoſito quòd conſeruentur à corpore Chriſti, ex ſuppoſitione primi miraculi, connaturalius eſt, quòd tollatur dependentia, quam habent à proprio ſubiecto, quia natura abhorret ſuperflua. Sic etiam licèt repugnet naturæ carere propria ſubſiſtentia, ex ſuppoſitione tamen primi miraculi, quòd ſubſiſtat per alienam ſubſiſtentiam, connaturalius eſt, quod careat propria ſubſiſtentia, quia illa iam eſſet ſuperflua.

194. Sed replicabis, cum Lugo *numero ſeptuageſimo primo*, quia ideo dependentia accidentium à ſubſtantia panis in Euchariſtia tollitur, vt ſuperflua propter dependentiam nouam, quam habent à corpore Chriſti, quia nimirum totum illud, quod poſſent habere accidentia ex vi illius dependentiæ, habent etiam ex vi alterius, quia per quamlibet illarum producuntur ſufficienter extra cauſas, & ponuntur adæquatè cum ſuo eſſe à parte rei: Cæterum ſi per poſteriorem dependentiam non acciperent, quod per priorem, non tolleretur prior dependentia connaturalis per poſteriorem præternaturalem, & ponit exemplum, quod vocat Cippullus optimum ſimile. Etenim licèt corpus Chriſti in eodem Sacramento accipiat præſentiam, ſeu vbicationem ſupernaturalem, non amittit præſentiam naturalem, quam habet in cœlo, vel quam habebat in cœna, quia præſentia naturalis cum extenſione partium eſt paſſio debita connaturaliter corpori quanto, & dat effectum formalem diuerſum ab illo, quem dat præſentia ſupernaturalis, ponens totum in toto, & totum in qualibet parte totius. Ergo ſic in noſtro caſu, ſi natura humana Chriſti acciperet à ſubſiſtentia Verbi illud ipſum, quod acciperet à propria ſubſiſtentia, facilè admitterem, ait Cardinalis, per vnionem ad Verbum auferri, vel impediri connaturaliter propriam ſubſiſtentiam, Abſolutè tamen id non ſequitur, ſi illa ſola ſit repugnantia naturalis, quia à propria ſubſiſtentia habet natura eſſe per ſe, & in ſe; à ſubſiſtentia autem aliena non habet hoc, ſed ſubſiſtere in alio, ſeu terminari, & ſiſtere in alio ſuppoſito, quæ duo ſunt valdè diuerſa, quare per aduentum ſecundi non debuit connaturaliter auferri primum vt ſuperfluum.

195. Reſpondeo ergo laudans ſolutiones omnes, quas dedimus argumento. Solùm reſtat ſatisfacere huic vltimæ replicæ Cardinalis Lugi, pro quo aduertendum reor, poſſe naturam completam conſiderari in duplici ſtatu, ſecundùm quos aliter, ac aliter debemus diſcurrere, an habere ſubſiſtentiam propriam ſit illi connaturaliter debitum. Primo in caſu, quo præſcindat ab aliena & propria, & tunc connaturale debitum eſt illi ad habendam ſubſiſtentiam propriam, quia ad illam habet poſitiuam exigentiam; ſecundo dum natura completa habet in ſe ſubſiſtentiam alienam, & tunc minimè illi debitum eſt habere ſubſiſtentiam propriam, imò debita eſt illi ex ſuppoſitione ſubſiſtentiæ alienæ, nam tunc naturaliter contingit illi propria ſubſiſtentia carere, quod non ita eſſet, ſi dum habet alie-

nam debita eſſet naturæ poſſeſſio propriæ ſubſiſtentiæ: nam quando debetur forma, eius carentia naturaliter non contingit. Pono exemplum. Conſidera aquam in duplici ſtatu. Primo ſecundùm ſuam eſſentiam completam præcisè; in hoc caſu eſt naturaliter illi debita frigiditas, & eius carentia præternaturalis, imò miraculoſa. Secundo, dum calorem poſſidet, & in hoc caſu illi non debetur frigiditas; imò eius carentia eſt illi naturaliter debita: taliter quòd ſi introduceretur tunc frigiditas, eſſet miraculoſa talis introductio, quia contingeret contra exigentiam cauſarum naturalium tunc exiſtentium, & petentium non eſſe frigiditatem, & carentiam illius. Quia licèt huic aquæ, quæ eſt ſub calore ſpecificatiuè acceptæ, & ſecundùm ſe ſit debita frigiditas, tamen ipſi aquæ vt eſt ſub calore, reduplicatiuè ſumptæ, naturaliter debetur eius carentia; Quodnam extat in rerum natura ſubiectum, cui naturaliter debeatur ſenſus compoſitus duarum formarum incompoſſibilium? nullum. Itaque ſi res attentè conſideretur, maius miraculum eſſet conſeruare naturam alienâ ſubſiſtentiâ minimè terminatam cum carentia propriæ ſubſiſtentiæ, quàm eandem terminari duplici ſubſiſtentiâ, propriâ ſcilicet & alienâ. Ratio eſt, quia inter miracula illud eximius, quod vires omnes naturæ prætergrediens magis elongatur ab exigentiis rerum, illis in nihilo annuens, quantumcunque enitantur, vt res aliter fiat, cúmque in primo caſu carentia propriæ ſubſiſtentiæ à nulla cauſa naturali peteretur, imò peteretur à natura non eſſe talis carentiæ; fieret neceſſariò miraculum illud eſſe eximium, cùm eſſet contra exigentiam naturæ petentis ſubſiſtentiam propriam, & aliunde nulla daretur cauſa naturalis exigens talia ſubſiſtentiæ carentiam. Contrarium his inuenitur in natura terminata alienâ ſubſiſtentiâ, nam tunc cùm ſubſiſtentia aliena exigat nonneſſe ſubſiſtentiæ propriæ, fit, dari in rerum natura aliquam cauſam impedientem exiſtentiam illius. Ergo Deus cauſans in natura talem carentiam annuit exigentiæ cauſæ creatæ, nempe naturæ, quæ habens ſubſiſtentiam alienam exoptat non eſſe propriam, quapropter in tali euentu miraculoſa non eſt talis carentia: atque adeo in tali euentu poſitio ſubſiſtentiæ propriæ nec eſſet tali naturæ in illo ſtatu naturalis, nec debita. Hanc eandem rem explicuit exemplum conſeruationis accidentium in Euchariſtia, *numero centeſimo nonageſimo tertio* adductum, cuius replicæ reſpondet *numerus ſequens.*

196. Ad illud verò, quod in diſparitatem allegat Lugus inter concurſum accidentia conſeruantem in Euchariſtia; reſpondeo eandem rationem, quæ conuincit ſuperfluam dependentiam accidentis à pane in Sacramento altaris, poſitâ nouâ dependentiâ eorumdem accidentium à corpore Chriſti, conuincere ſuperfluam eſſe ſubſiſtentiam propriam in humanitate Chriſti poſitâ de nouo alienâ ſubſiſtentiâ diuinâ. Ratio, nam ideo primam ſuperfluitatem comprobat, quia totum illud, quod poſſint habere accidentia ex vi dependentiæ à pane, habent etiam ex vi alterius, quia per quamlibet illarum producuntur accidentia ſufficienter extra cauſas, & ponuntur adæquatè cum ſuo eſſe à parte rei. Sed hæc ratio æquè currit in re noſtra quia humanitas totum id, quod poſſet habere ex vi dependentiæ à propria perſonalitate, habet etiam ex vi dependentiæ à ſubſiſtentia Verbi? Etenim ab illa ſolùm habeter eſſe completam in duplici genere, & in eſſe, & in operari; hoc enim totum habet de facto à ſubſiſtentia diuina, quæ quia eminenter continet quidquid formaliter perfectionis inuenitur in ſubſiſtentia propria; totum præſtat, quod ipſa præſtaret: Quod autem per ſubſiſtentiam propriam eſſet humanitas in ſe, quod hîc & nunc non præſtat ſubſiſtentia aliena, quia per hanc eſt in alio, non tollit, quod eundem effectum non communicet, quem propria ſubſiſtentia communicaret, nam principalis effectus ſubſiſtentiæ eſt attendendus propter indigentiam naturæ; hæc enim ex ſe ſolùm indiget complemento ad eſſendum, & ad operandum, cùm ergo quælibet ſubſiſtentia ſiue aliena, ſiue propria humanitati tale complementum exhibeat, fit, eundem effectum ambas æqualiter præbituras. Quòd verò aliena id præſtet naturæ, illam conſtituendo in alio, ſubſiſtentia propria eam conſtituendo in ſe, non variant effectum principalem, ſed modum, ſicut variare non ſufficit effectum iſtum, in cuius communicationem eſt inſtituta à naturæ authore ſubſiſtentia, quod iſta tanquam modus media informatione talem effectum humanitati præſtet, & ſubſiſtentia aliena ſine informatione modali eidem communicare dicatur. Idem exemplum, quod admittit Lugus rem ipſam expendit. In ſententia illius *t. de Sacr. diſp. 6. ſect. 2. n. 19.* dependentia, quam habent accidentia panis à corpore Chriſti, eſt media actione, qua corpus Chriſti per potentiam obedientialem actiuam, vt inſtrumentum eleuatum conſeruat accidentia panis, non in eodem genere cauſæ, ſed in genere cauſæ efficientis. Tunc ſic: quamuis Chriſtus efficienter conſeruet accidentia panis, qui illa in genere cauſæ materialis conſeruabat arguit hoc varietatem in effectu, qui intenditur? minimè, vt ipſe admittit *n. 194.* ſed ſolum modum, nam effectus vnus eſt, nempe exiſtentia accidentium panis. Ergo quòd ſubſiſtentia diuina ponat humanitatem in alio, ſubſiſtentia verò creata eam ſolùm ponat in ſe, effectum præcipuum non variabit, nam hic eſt, humanitatem reddere completam in vtraque linea, eſſendi ſcilicet, & operandi, ſed modum præcisè, quod id faciat, illa ponendo humanitatem in alio; iſta verò complendo eam in ſe. Ergo eadem ratio, quæ conuincit ſuperfluam dependentiam accidentis à pane in Euchariſtia, poſitâ nouâ dependentiâ eorumdem à corpore Chriſti, conuincit ſuperfluitatem ſubſiſtentiæ propriæ in humanitate, poſita noua ſubſiſtentia aliena in ipſa, atque adeo eum non ſine præſumenda miracula ſine neceſſitate, exinde fit, vt ex præſentia alienæ ſubſiſtentiæ, potuerit bene colligere Eccleſia abſentiam propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti, tanquam naturaliter incompoſſibilem. Ergo ex illatione Patrum, &

Con

Conciliorum non infertur ambas ſubſiſtentias eſſe eſſentialiter incompoſſibiles.

197. Probat idem Lugus *numero* 75. eandem concluſionem ratione deſumpta ex Richardo, Argentina, Marſilio, Suarez, & Vaſquez, quamque approbat Cipullus *num.* 5. & Araniius citatus. Diſcurrit ſic Lugus. Effectus formalis propriæ ſubſiſtentiæ non eſt alius, quàm reddere naturam per ſe ſubſiſtentem, & in ipſa terminatam, quia nullus poteſt exiſtimari effectus, quem tribuat; non autem dat ſubſiſtentia naturæ hoc ſolum, quod eſt eſſe per ſe in actu primo, ſeu petere eſſe per ſe, hoc enim iam habet natura ipſa de ſe, & ante ſubſiſtentiam, quia quælibet natura completa petit eſſe per ſe, eo ipſo, quòd ſit completa; imò ideo petit propriam ſubſiſtentiam, quia de ſe poſtulat eſſe per ſe. Ergo propria ſubſiſtentia non dat formaliter naturæ, quòd petat eſſe per ſe, ſed quòd ſit actu per ſe. Ergo implicat contradictionem, naturam habere propriam ſubſiſtentiam, & non eſſe actu per ſe; repugnat enim formam eſſe in ſubiecto, quin communicet illi ſuum effectum formalem. Ergo repugnat propriam ſubſiſtentiam habere ſimul, & alienam, Probat conſequentiam, quia tunc eſſet per ſe, & eſſet in alio, qui ſunt termini virtualiter contradicentes; Confirmat hoc ex differentia accidentis à ſubſtantia, nam ſicut accidens eſt ens in alio, ſic natura ſubſtantialis eſt ens per ſe, ſcilicet per ſeipſam petens eſſe per ſe, & rurſus per ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem accipiens id, quod de ſe exigebat. Ergo ſubſiſtentia propria affert aliquam incommunicabilitatem maiorem, ſeu nouam ſupra eam, quam natura iam de ſe habebat.

198. Ratio hæc viſa fuit inefficax Ouiedo *controuerſia 6. Metaphyſicæ, puncto quinto, & numero decimo*, huic rationi reſpondet diſtinguens duo in hoc, quod eſt ſiſtere in ſe. Vnum poſitiuum, & aliud negatiuum. Poſitiuum dicere ſolùm naturam habere proprium terminum, ex vi cuius alio non indiget; dicit tamen tanquam quid negatiuum, naturam non terminari aliâ ſubſiſtentiâ. Primum illud poſitiuum eſt effectus formalis primarius, & inſeparabilis à ſubſiſtentia. Secundum verò negatiuum eſt effectus ſecundarius illius; ſicut eſt negatio frigiditatis in ſubiecto, effectus ſecundarius caloris, qui quia ſecundarius eſt à primo diſtinctus, & ab illo ſeparabilis. Hoc ſuppoſito reſpondet Ouiedus, poſſe componi cum primario effectu ſubſiſtentiæ, terminari aliâ ſubſiſtentiâ, ſiue propriâ, & alienâ, licèt non poſſit componi cum ſecundario effectu, qui dicit negationem alius ſubſiſtentiæ; cùm tamen hic ſecundarius effectus ſeparabilis ſit à primario, fit, naturam terminatam hac ſubſiſtentia, poſſe terminari alia; ita vt non ſiſtat in propria, quatenus ſiſtere non ſolùm dicit rationem poſitiuam terminandi hac ſubſiſtentia, ſed etiam negationem alius ſubſiſtentiæ ab ipſa. Ad illud verò, quòd aſſerit Lugus de ſubſiſtentia propria, & aliena, reſpondet Ouiedus *ibidem*: per ſubſiſtentiam propriam conſtitui naturam in proprio ſuppoſito, quod eſt conſtitui hoc ſuppoſitum ex natura & propria ſubſiſtentia, quod non dicit formaliter, & identicè, naturam non terminari alienâ ſubſiſtentiâ, ſeu non conſtitui aliud ſuppoſitum ex eadem natura & aliena ſubſiſtentia, ſed tantùm cauſaliter, & illatiuè, quæ cauſatio, & illatio poteſt impediri à Deo nolente iuxta exigentiam propriæ ſubſiſtentiæ naturam conſeruare ſine aliena ſubſiſtentia; ſed volente conſeruare ſubſiſtentiam propriàm, & alienam afficientes eandem naturam, ſeu volente producere duplex ſuppoſitum, nempe hoc conſtitutum ex hac natura, & propria eius ſubſiſtentia, & illud ex eadem natura & aliena ſubſiſtentia. Neque ex hoc infertur naturam habere, & non habere propriam ſubſiſtentiam, neque eſſe in proprio ſuppoſito, & non eſſe in proprio ſuppoſito, ſed eſſe in proprio, & eſſe in alieno ſuppoſito, habere propriam & alienam ſubſiſtentiam, quæ tantùm opponuntur contrariè. Exempla ponit, quæ dicit, eſſe obuia: Corpus poteſt exiſtere in duplici loco, vt fert communis ſententia, demus ignem exiſtentem iuxta Lunæ concauum ex vi huius præſentiæ, & in medio aëris ex vi alius præſentiæ; in quo nemo contradictionem inueniet, & tunc eſt in proprio centro, & in alieno; in proprio ex vi præſentiæ, qua iuxta Lunæ concauum ponitur, & in alieno; videlicet in centro aëris, ex vi præſentiæ, qua ponitur in medio aëris. Hæc Ouiedus.

Tametſi ratio Lugi, & aliorum Authorum non ſit ita efficax, vt euidenter reſolutionis noſtræ veritatem demonſtret, tamen probabiliùs aliis, quæ tradi ſunt ſolitæ, illam oſtendit, & licèt euidens non ſit, nec euidenter illa impugnatur, quod aperiam, notare libet, non rectè inferri, negatio dependendi ab extraneo ſubiecto eſt effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ. Ergo ſupplebilis eſt à Deo: nam plures ſunt effectus ſecundarij non magis connexi cum forma, quam connexa ſit negatio dependentiæ ab alieno ſuppoſito cum ipſa ſubſiſtentia, & tamen æquè ſunt inſeparabiles à forma, ac eius effectus primarius: vt patet ex Phyſicis in ſententia celebri Thomiſtarum, iuxta quam expulſio vnius formæ ſubſtantialis ab alia ſubſtantiali forma eſt effectus ſecundarius iſtius. & tamen æquè inſeparabilis ab illa, ac ſuus effectus primarius. In eadem ſententia defenditur, expulſionem peccati à gratia eſſe effectum ſecundarium illius; ſed ita indiſpenſabilem, ac effectum primarium gratiæ. Et alia huiuſmodi, quæ in diuerſis materiis Theologiæ ſunt diſperſa. Ergo non bene infertur, negatio dependendi ab alio ſuppoſito eſt effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ. Ergo erit ſupplebilis à Deo de potentia abſoluta. 199.

Reſpondebis in duobus deficere doctrinam hanc: Primum eſt, exempla iſta eandem difficultatem pati, ratione cuius æquè omnes effectus illi, quia ſecundarij, ſunt à Deo ſupplebiles. Secundum, quia caſu, quo illi ſint inſupplebiles, oſtendendum eſt de præſenti effectu ſecundario tantam connexionem habere cum ſubſiſtentia, quanta reperiatur in aliis affectibus ſecundariis cum ſuis formis, à quibus ſeparari non valent. 200.

201. Sed replicabis contra primum, animum non eſſe demonſtrationibus Mathematicis præſentem doctrinam ſtabilire, ſed eius probabilitatem ex probabilibus exemplis referare: ſicut Ouiedo ſecutus paucos, vt oſtendant ſuæ ſolutionis probabilitatem, vtuntur exemplo vnius corporis exiſtentis in duobus locis, quod ſolum exteri, & qui Sanctiſſimum Thomam non ſequuntur, amplectuntur. Nec me latet, Authorem hunc aliàs doctum non terreri in coniungendis rebus maiorem oppoſitionem habentibus inter ſe, quàm illam habeant ſubſiſtentia aliena, & propria in eadem natura. Lege quæ contra hunc opinandi modum diſcurrimus *tomo 2. tract. 1. de ſpectantib. ad animam Chriſti, diſp. 3. dub. 3. ſect. 4. per totam.* Sufficiat pro nunc concludere probabilitatem huius doctrinæ optimè deduci ex probabilitate exemplorum, quæ omnes diſcipuli Sanctiſſimi Doctoris amplexantur, ſicut ipſe conatur, probabilitatem deducere opinionis, quam ſolùm quatuor Authores infrà citandi ſuſtinent, exemplis ſolùm apud ſuos approbatis.

202. Contra ſecundum punctum, in quo monemur, vt oſtendamus tantam connexionem habere negationem dependendi ab alieno ſuppoſito cum ſubſiſtentia propria, quantam habent cæteri ſecundarij effectus cum ſuis formis recenſitis. Sic argumentor ex aſſertis *in notabilibus, ſect. 1.* Ideo effectus ſecundarius expulſionis peccati eſt effectus inimpedibilis à Deo, quia exiſtentia illius deſtruit primarium effectum gratiæ. Sed exiſtentia ſubſiſtentiæ alienæ in natura terminata propria perſonalitate, deſtruit effectum primarium ſubſiſtentiæ propriæ. Ergo ſicut non eſſe peccati, ita non eſſe alienæ ſubſiſtentiæ ſunt effectus ſecundarij æquè connexi cum gratia, & ſubſiſtentia propria, taliter vt æquè ſint à Deo inimpedibiles. Maiorem ſuppono *ex tractatu de iuſtificatione.* Minorem probo: Effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ propriæ eſt reddere naturam ſubſiſtentem. Sed iſte effectus deſtrueretur per poſitionem ſubſiſtentiæ alienæ. Ergo exiſtentia ſubſiſtentiæ alienæ in natura terminata propria perſonalitate deſtrueret effectum primarium ſubſiſtentiæ propriæ. Probo minorem: Nam per ſubſiſtentiam alienam natura eſſet communicata alieno ſuppoſito. Ergo tolleret quòd eadem natura eſſet ſubſiſtens propriè, & connaturaliter. Probo conſequentiam: Reddi naturam ſubſiſtentem ſuâ ſubſiſtentiâ deſtruitur per communicabilitatem, ſeu per potentiam ſe communicandi alteri ſuppoſito. Ergo multò meliùs deſtruetur per actualem communicationem alteri ſuppoſito illi à ſubſiſtentia aliena prouenientem. Conſequentia bene infertur.

203. Reſpondebis fortaſſe, reddi naturam ſubſiſtentem propriâ ſubſiſtentiâ tolli per communicabilitatem naturalem, hoc eſt, ſecundùm potentiam naturalem; non tamen per communicabilitatem ſupernaturalem, ſeu ſecundùm potentiam obedientialem; & idem poteſt dici de communicatione naturæ ſemel ſubſiſtentis alteri ſuppoſito.

Sed replicabis: Naturam eſſe ſubſiſtentem connotat eſſentialiter incommunicabilitatem 204.
alteri ſuppoſito, etiam per potentiam obedientialem. Ergo per communicabilitatem ſecundùm potentiam obedientialem deſtrueretur naturam eſſe ſubſiſtentem propriè. Antecedens probo, ſubſiſtentia propria eſſentialiter connotat incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam per potentiam obedientialem. Ergo naturam eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ propriâ connotat eſſentialiter incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam ſecundùm potentiam obedientialem. In hoc entimemate probando ſtat tota concertatio. Antecedens probo, Si ſubſiſtentia eſſentialiter non connotaret hanc incommunicabilitatem, etiam obedientialem, ſaltem de potentia abſoluta non repugnaret illi communicabilitas alteri ſuppoſito obedientialiter. Sed ſubſiſtentiæ etiam obedientialis communicabilitas alteri ſuppoſito repugnat. Ergo ſubſiſtentia propria eſſentialiter connotat incommunicabilitatem obedientialem alteri ſuppoſito. Maior ſeipſam probat, quia quod eſſentialiter alicui non conuenit, de potentia abſoluta poteſt ab illo abſolui, & contrarium illi in naturam induci. Minor probatur, ſubſiſtentiæ propriæ repugnat aſſumptibilitas obedientialis ab alieno ſuppoſito. Ergo & communicabilitas obedientialis alteri ſuppoſito. Conſequentia ex terminis conſtat: Nam nihil aliud eſt paſſiua aſſumptibilitas hypoſtatica, quàm paſſiua communicabilitas hypoſtatica. Ergo cui vnum repugnat, & alterum repugnabit. Nunc antecedens ſuppono ex datis notabilibus *ſectione prima, à numero* 182. *vſque ad* 186. quæ cuncti Authores vniformiter admittunt. Ergo antecedens illius primi entimematis, nempe ſubſiſtentia eſſentialiter importat incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam ſecundùm potentiam obedientialem eſt apud omnes euidens. Nunc probo conſequentiam. Ergo naturam eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ propriâ connotat eſſentialiter incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam ſecundùm potentiam obedientialem: natura intrinſecè denominatur ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ. Ergo per communicationem intrinſecam ſubſiſtentiæ propriæ. Hæc ſunt certa. Ergo redditur per illam intrinſecè ita ſubſiſtens, vt connotet eſſentialiter incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam ſecundùm potentiam obedientialem. Probo conſequentiam: Quæuis forma intrinſecè ſubiecto communicata præſtat illi neceſſariò ſeipſam cum omni eo, quòd eſſentialiter talis forma connotare dicitur. Sed vt vidimus ſubſiſtentia propria nihil aliud eſt eſſentialiter, quàm modus poſitiuus connotans incommunicabilitatem alteri ſuppoſito ſecundùm potentiam obedientialem. Ergo eo ipſo, quòd intrinſecè naturæ communicetur, debet illam reddere taliter ſubſiſtentem, vt eſſentialiter connotet incommunicabilitatem prædictam.

Confirmatur, Regula eſt illibata apud omnes, 205.
nulla forma valet intrinſecè ſubiecto communicari, quin ſeipſam totam eidem commu-

nicet

nicet. Vnde ſi aliquid, quod quoois modo eius eſſentiam ingreditur, ſiue id pro formali, ſiue ſolùm pro connotato ad eſſentialia intret, incommunicatum relinquat, iam talis forma prædicto ſubiecto ſecundùm totum ſui minimè communicata dicetur. Nec veritatem huius regulæ impedit recurſus incapacitatis ſubiecti, Etenim quòd fuerit capax formæ ſecundùm ſe totam, quoad eius eſſentialia, nequit eſſe capax illius quoad vnū, & incapax quoad aliud; aliàs nec erit capax formæ ſecundùm ſe totam quoad eſſentialia: Prætetea illam regulā aliter propono, nulla forma intrinſecè communicari poteſt ſubiecto in eſſe talis formæ, vt diſtinctæ ab aliis, ita vt ex vi talis communicationis dicatur ſubiectum haoc formam apud ſe habere, & oullo modo alias formas, quando ex vi talis communicationis ita ſe totam exhibet forma ſobiecto, vt etiā communicet id, quod eſt illius diſtinctiuum à cæteris formis. Regula hæc nullam, aut minutulam poteſt limitationem pati, qoippe ex apprehenſione terminorum notam. Tunc ſic: ſed ſi ſubſiſtentia propria intrinſecè communicata naturæ, eidem nū communicaret incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, etiam ſecundùm potentiam obedientialem, non diceretur illi commonicari in eſſe talis formæ, nec ſubiectum diceretur apud ſe habere formā, quæ tanquam ſubſiſtentia ſit ab aliis formis diſtincta. Ergo natura ſubſiſtens propriâ ſubſiſteotiâ ex vi ſtius redditur incommunicabilis alteri ſuppoſito etiam ſecundùm potentiam obedientialem. Probo minorem hanc ſubiunctam ex dictis. Sine iſta incommunicabilitate oequit concipi ſubſiſtentia in eſſe talis ſubſiſtentiæ. Ergo ſi reciperetur in ſubiecto, illi talem iocommunicabilitatem non præſtans, non diceretur in ipſo recepta in eſſe talis formæ vt à cæteris diſtinctæ. Antecedens probatum relinquo *numero antecedenti ex dictis ſect.* 1. Et amplius *ex dictis tractatu primo diſputatione prima, dubio vnico, ſect.* 8. *à num.* 163. *vſque ad* 172.

205. Sed reſpondere poteris, ſubſiſtentiam non dicere incommunicabilitatem concomitanter ſaltem, & quaſi materialiter; etenim communicata alteri ſuppoſito natura, quæ eſt ſubiectum illius, dicetur ipſa materialiter alteri ſubiecto communicari.

Sed replicabis: Solutionem iſtam ſupponere quæſtionem totam: Etenim io tantùm ſubſiſtentia materialiter poſſet communicari alteri ſuppoſito, quatenus oatura habens in ſe prædictam ſubſiſtentiam poteſt alteri ſuppoſito communicari. At hæc eſt ipſa quæſtio. Siquidem in præſenti dubitamus, an natura retinens propriam ſubſiſtentiam poſſit alteri ſuppoſito hypoſtaticè commoncari. Qui affirmant, conſequenter tenent, ex vi talis communicationis formaliter & immediatè factæ in oatura, mediatè, & materialiter hypoſtaticè alteri ſuppoſito communicari ſubſiſtentiam in ipſa natura receptam. At qui negant, vt nos oegamus, naturam ſemel ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ poſſe alteri ſuppoſito communicari, virtualiter negamus prædictam materialem ſubſiſtentiæ communicationem.

206. Reſpondebis, Rationem noſtram ſolùm probare de eſſentia ſubſiſtentiæ propriæ eſſe incommunicabilitatem quoad exigentiam; non verò ipſam incommunicationem actualem: Quare caſu, quo natura illa ſemel terminata hypoſtaticè aſſumeretur ab alieno ſuppoſito, licèt actualis incommunicatio deficeret, perſeueraret tamen cum exigentia ad illam, necnon ad incommunicabilitatem. Vnde de illa natura verificaretur habere in ſe receptam ſubſiſtentiam propriam io eſſe talis, vt à cæteris formis diſtinctæ; nam ab illis ſolùm differt per exigentiam ſolam ad incommunicationem hypoſtaticam, quam verè illi præſtaret.

Sed replicabis, Subſiſtentia vt diſtincta ab aliis formis eſſentialiter connotat actualem hypoſtaticam incommunicationem. Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo. Subſiſtentia eſſentialiter importat actualem inaſſumptionem paſſiuam hypoſtaticam, vt fatentur cuncti. Ergo ſimiliter connotat eſſentialiter actualem incommunicatiooem quaſi paſſiuam hypoſtaticam. Antecedens ſuppono ex communi, à quo diſceſſit nemo ex his, cum quibus decerto. Conſequentia eſt euidens, nam idem eſt actualis incommunicatio hypoſtatica paſſiua, ac actualis inaſſumptio paſſiua hypoſtatica; ſicut idem eſt formaliſſimè actualis paſſiua hypoſtatica communicatio, ac actualis paſſiua hypoſtatica aſſumptio. 207.

Ex his clarè colligitur à priori ratio concluſionis, necnon & ratio Cardinalis Logi, & eorum, quos ipſe ſequitur. Implicat exiſtentia formæ cum negatione ſui effectus formalis primarij in ſubiecto capaci. Sed ſi natura ſemel terminata propriâ ſubſiſtentiâ hypoſtaticè communicaretur alteri ſuppoſito, verificaretur, ſubſiſtentiam eſſe communicatam ſubiecto, àliàs capaci ſui effectus formalis primarij cum negatione talis effectus. Ergo repugnat naturam ſemel ſuâ ſubſiſtentiâ terminatam hypoſtaticè vniri alteri ſuppoſito. Probo minorem, imprimis natura quæuis eſt capax effectus formalis primarij ſuæ ſubſiſtentiæ propriæ. Nunc probo ſecundam partem illius minoris. Etenim effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ eſt reddere natoram ſubſiſtentem, ſed ſi vniretur natura hæc alteri ſuppoſito hypoſtaticè, propria ſubſiſtentia illam naturam non redderet ſubſiſtentem. Ergo communicatio prædicta hypoſtatica coniungeret ſubſiſtentiam in natura capaci, cum negatione effectus formalis primarij eiuſdem. Probo mioorem, oam reddi ſubſiſtentem naturam eſſentialiter connotat in ipſa negationem hypoſtaticæ vnionis cum altero ſuppoſito. Sed in tali caſu natora eſſet actualiter hypoſtaticè alteri ſuppoſito communicata. Ergo in tali hypotheſi propria ſubſiſtentia non redderet naturam ſobſiſtentem. Maior, in qua eſt difficultas, ex tot numeris antecedentibus eſt probanda. 208.

Ex his vlterius colligitur, non eſſe communicationis hypoſtaticæ cum altero ſuppoſito eſſe ex genere effectuum ſecundariorum ita connexorum cum effectibus primariis, vt eorum poſitio deſtruat effectus primarios formarum, cum ex poſitione talis hypoſtaticæ communicatioois cum altero ſuppoſito, deſtrua- 209.

tur naturam reddi ſubſiſtentem, quod eſt effectus formalis primarius propriæ ſubſiſtentiæ; atque adeo ſicut gratia in ſententia Sanctiſſimi Doctoris eſſentialiter connotat expulſionem peccati, & hanc negationem inuoluit effectus formalis primarius illius animæ communicatus; & ſicut amor eſſentialiter inuoluit negationem odij reſpectu eiuſdem obiecti, & eandem negationem inuoluit effectus formalis amoris primariò communicatus voluntati. Et ſicut aſſenſus eſſentialiter connotat negationem diſſenſus reſpectu eiuſdem obiecti, & eandem negationem eſſentialiter connotat effectus primarius formalis aſſenſus, quem ipſe intellectui præſtat. Ita ſubſiſtentia propria eſſentialiter connotat negationem communicationis hypuſtaticæ cum altero ſuppoſito, & eandem negationem importare debet effectus primarius illius vt communicatus naturæ, in qua recipitur. Et dato caſu, quòd nimis liberaliter admittatur coexiſtentia illorum effectuum ſecundariorum, vt eá admittit Ouiedus citatus *tomo 2. tract. 1. diſputatione 3. dub. 3. ſectione* 4. tamen ex aſſertis colligi poteſt maior connexio inter non eſſe communicationis hypoſtaticæ cum alio ſuppoſito, & inter effectum primarium ſubſiſtentiæ quàm ſit ea, quæ inter effectus illos ſecundarios, & primarios recenſitos intercedit.

210. Arguet cum Ouiedo vbi ſuprà ſequuto Hurtadum Salmantinum *diſputatione* 11. *ſectione* 8. *num.* 24. Bernalium *diſputatione* 24. *ſect.* 2. §. 1. Martinum Perez *diſp.* 9. *ſect.* 9. *numero* 6. Arriagam *diſput.* 4. *Metaph. ſect.* 13. *ſub ſect.* 4. Arguit igitur ſic Ouiedus *numero* 8. ſubſiſtentia quæuis ſiue propria, ſiue aliena non conſtituit naturam formaliter non vnitam alij ſubſiſtentiæ, ſed tantùm habet, vt poſſit per ſeipſam exigere, ne natura, quam afficit, vniatur, vel terminetur per aliam ſubſiſtentiam: Ergo non implicabit Deum de potentia abſoluta, vnire naturam terminatam hac ſubſiſtentia alij ſubſiſtentiæ ſiue propriæ, ſiue alienæ, per quam terminetur. Antecedens probat, naturam non eſſe vnitam alienæ ſubſiſtentiæ dicit formaliter negationem vnionis cum ſubſiſtentia aliena: eſſe verò vnitam, ſeu terminatam per propriam ſubſiſtentiā dicit formaliter propriā ſubſiſtentiam afficientem naturam. Ergo naturā eſſe terminatā hac ſubſiſtentia, & carere illa ſubſiſtētia diſtincta ab iſta, ſiue propria, ſiue aliena formaliter realiter diſtinguuntur ſicut diſtinguuntur ens poſitiuū & negatiuū, & ſicut diſtinguuntur in materia ipſam eſſe informatā formâ hominis, & non eſſe informatam formâ ligni, vel bruti. Ergo naturam eſſe terminatam hac ſubſiſtentia ex ſe non dicit formaliter, & identicè non eſſe terminatam aliâ, ſiue propriâ, ſiue alienâ, ſed tantùm dicit inducere negationem alius ſubſiſtentiæ per incompoſſibilitatem, quam habet hæc ſubſiſtentia cum illa; & per exigentiam, quam habet negationis omnis ſubſiſtentiæ diſtinctæ ab ipſa terminantis naturam, quam ipſa afficit. Conſequentiam probo, etiamſi Deus vniat ſubſiſtentiam ſiue alienam, ſiue propriam naturæ terminatæ per ſubſiſtentiam propriam, relinquit integram totam eſſentiam & omnia, quæ dicit intrinſecè ſubſiſtētia, quæ afficiebat ſubiectum, quia ſubſiſtentia terminans hanc naturam, tantùm dicit intrinſecè exigentiam negationis alius ſubſiſtentiæ informantis eandem naturam, & non ipſam negationem, cum qua exigētia remanet, etiamſi coniungatur cum contrario, ſicut contingit calori vt octo, quando ſupernaturaliter iungitur cum frigiditate cuius negationem exigebat. Ergo per compoſitionem huius ſubſiſtentiæ cum alia, ſeu per poſitionem huius ſubſiſtentiæ permanente alia, quæ eandem naturam afficiebat, tantùm impedit effectum negatiuum, & ſecundarium, qui naturaliter erat inferendus ex poſitione vnius ſubſiſtentiæ, videlicet negationem illius ſubſiſtentiæ, quæ cum altero componitur in ſubiecto: Ergo nihil efficit Deus, quod ſit formaliter deſtructiuum effectus formalis, quem præſtat ſubſiſtentia, nec alicuius prædicati intrinſeci illius. Ergo ſaluâ eſſentiâ quarumcunque ſubſiſtentiarum, & permanentibus integris omnibus, quæ ipſæ ſubſiſtentiæ ſimul in eadem natura dicunt, poterunt, in ea coiungi, Ergo nulla contradictio ſit in eo, quod duplex ſubſiſtentia, quæ non opponuntur contradictoriè in ordine ad ſubiectum, in eodem componantur.

Reſpondeo, argumentum hoc præoccupauit doctrina, quam numeri antecedentes dederunt. Recole, & experieris, ſed quia iuſtè Authores conqueruntur, momenta, quibus ſuas concluſiones protegunt, ab aliquibus præcidi, taliter, vt quod ponderoſius in eis inuenitur, diſſimulare ſint ſoliti, ideo ſicut de more habeo, fundamentum hoc de verbo ad verbum ex Ouiedo tranſcripſi, tametſi eius ſolutio paucioribus verbis ex dictis colligi poſſit admittens, ſubſiſtentiam nec formaliter, nec realiter identicè eſſe negationem communicationis naturæ cum alieno ſuppoſito, verùm ita connecti cum illa, vt ex non eſſe talis communicationis optimè inferatur non eſſe, & deſtructio ſubſiſtentiæ pro priori; ſicut in exemplis allatis *numero* 209. & dicemus latiſſimè *tomo* 2. *tractatu* 2. *de ſpectantibus ad intellectum Chriſti, diſputatione* 2. vbi dabimus, omnipotentiam, nec formaliter, nec realiter ſaltem obiectiuè eſſe ipſas creaturas poſſibiles, verùm ita eſſentialiter cum illis connecti, vt ex deſtructione poſſibilium à poſteriori inferatur deſtructam fuiſſe pro ſigno priori omnipotentiam. Quo notato reſpondere facilè poteris argumento Ouiedi. 211.

Arguit Bernal *vbi ſupra num.* 7. authoritate Damaſceni *lib. quomodo ad imaginem Dei facti ſumus*, ita ſcribente: *Dei Filius ſaluatori Patris voluntate factus eſt homo; naturamque humanam ſibi vna cum humana voluntate, qua natura eſt, coniunxit, hominis autem hypoſtaſim non coniunxit.* Quo fine? audiamus, ait Bernal, è veſtigio; *Ne natura humana voluntas, qua natura attribuitur, voluntate ea, qua hypoſtaſim attingit, à diuina voluntatis præſcriptione diſcederet, ſed ei ſponte pareret in omnibus.* Ponderat ſic Bernal, Hæc verba manifeſtè ſupponunt, humanam hypoſtaſim, ſi diuinitus aſſumeretur, & omni alio dono vltra aſſumptionem ornaretur, fore peccabilem, & æquè manifeſtè pronuntiant; ideo non aſſumptam, ne fieret aſſumptio, cum qua ſtaret peccabilitas. Ergo talis 212.

aſſum

aſſumptio fieri poterat. Sic enim Apoſtolus, & Patres commendant Dei benignitatem maiorem in homines, quàm in Angelos, quòd naturam aſſumpſit humanam, & non angelicam; atqui ratio hæc, ne penitus inepta ſit, ſupponit aſſumi potuiſſe Angelicam naturam. Ergo & ratio Damaſceni aſſumi potuiſſe humanam hypoſtaſim.

213. Reſpondeo. Sanctum Damaſcenum vt hæreticos non bene ſentientes de puritate actionum Chriſti deuinceret, ratus fuit oſtendere operationes Chriſti eſſe Dei viriles, & à diuino ſuppoſito procedentes, quapropter illas eſſe rectiſſimas erat neceſſe; nec enim ſi Verbum aſſumpſerit hypoſtaſim humanam facilè erat oſtendere, operationes Chriſti eſſe exercitas à diuino ſuppoſito, atque adeo Dei viriles, cùm ortum haberent à perſona humana tanquam à principio *quòd* illarum. Ex hoc tamen non colligitur, Damaſcenum abſolutè ſenſiſſe verbum potuiſſe aſſumere naturam humanam propriâ ſubſiſtentiâ terminatam; ſed ad minimum ſupponere, quòd in hypotheſi, quòd illam aſſumeret ſimul cum hypoſtaſi, quòd tunc eſſet peccabilis, ſicut plures authores, quos ſequitur Raguſa, etſi defendant, impoſſibilem eſſe vnionem naturæ diuinę immediatè terminari ad humanitatem ſubſiſtentem, docent, quòd data hypotheſi talis vnionis, prædicta humanitas foret peccabilis. Hanc ſententiam refero, & refello *tomo* 2. *tract*. 1. *diſp*. 3. *dubio ſecundo*, *ſect*. 4. *num*. 70. Ergo poterat ſtare, diuum Damaſcenum abſolutè tenuiſſe, impoſſibilem eſſe hypoſtaticam vnionem cum natura propriâ ſubſiſtentiâ terminata, & nihilominus defendere, quòd in hypotheſi illius vnionis foret natura illa peccabilis.

214. Arguit ſecundo Bernal *num*. 9. nam eadem humanitas per nos aſſumi poteſt ſimul à duabus diuinis perſonis. Ergo propriam retinendo ſubſiſtentiam vniri poteſt cum aliena: ſicut enim ſubſiſtendi appetitus expletur per ſubſiſtentiam propriam, ita vt dum propriam habet, nequeat naturaliter habere aliam; ſic etiam expletur per alienam; ita vt ſimul cum vna aliena, non poſſit habere aliam: ſed hoc non obſtante poteſt diuina vi ſimul habere duas alienas. Ergo & vnam propriam & alienam aliam. Confirmat, quia naturam eſſe vnitam propriæ ſubſiſtentiæ non eſt aliud, quàm eſſe completam, ſeu vnitam complemento ſubſtantiali, quòd natura ſua requirit, ad conſtituendum ſuppoſitum, ſiue ſubſtantiam completam, eſſe autem vnitam alienæ ſubſiſtentiæ, nihil aliud eſt, quàm eſſe vnitam extremo ſubſtantiali alieno: ſufficienti tamen ad conſtituendam cum ipſa vnam ſubſtantiam completam, quòd autem ſubſtantialis natura, retinens illud prius complementum vniatur diuinitus cum altero, cur implicat?

215. Reſpondeo concedens antecedens, & negans conſequentiam. Ad probationem, negandum eſt illud, *ſicut*, nam per ſubſiſtentiam propriam ita expletur, vt reddatur natura completa complemento eſſentialiter connotante negationem communicationis actualem, & non ſolùm quoad exigentiam cum altero ſuppoſito, quapropter ſi ſemel terminata ſubſiſtentiâ propriâ, hypoſtaticè alteri ſuppoſito vniretur, euaderet ſubſiſtens, & non ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ; ſubſiſtens, vt ſupponit arguens; non ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, quia actualiter communicaretur alteri ſuppoſito, quæ communicatio eſt ſignum à poſteriori, quòd pro priori defecerat ſubſiſtentia propria in natura; ſicut in ſimili de affectibus poſſibilibus deficientibus dicimus, vt notauimus *num*. 211. nam æquam eſſe connexionem in ſubſiſtentia propria cum actuali incommunicatione alteri ſuppoſito, ac in omnipotentia cum poſſibilibus ſufficienter oſtendit proceſſus numerorum antecedentium; at verò naturam ſemel communicatam vni ſuppoſito alieno, nempe Patri, quamuis expleatur eius appetitus in linea eſſendi Patrem, non habet in ſe aliquid eſſentialiter connotans negationem communicationis cum alieno altero ſuppoſito, nempe cum Filio; quia ſubſiſtentia paternitatis, quæ præceſſit ſecum non fert negationem illam, nam illius eſſentialis connotatio ſolùm competit ſubſiſtentiæ propriæ. Vnde hæc non dicitur ſecum ferre negationem talis communicationis cum alieno ſuppoſito, quia naturam explet illam complendo vtcunque, ſed quia eius diſtinctiuum eſſentiale à reliquis modis & formis eſt connotare negationem communicationis cum alieno ſuppoſito, vt notauimus ſuprà ex aſſertis *tract*. 1. *diſp*. 1. *ſect*. 8. Confirmatio Bernal recidit in argumentum Ouiedi.

Arguit tertiò Martinus Perez *vbi ſuprà n*. 7. nam hi modi ſubſiſtendi ſubſiſtentiâ propriâ, 216.
& alienâ non magis inter ſe pugnant reſpectu eiuſdem naturæ, quàm repugnet reſpectu eiuſdem corporis quantitatiui modos poſitiuus exiſtendi in ſpatio extensè & diuiſibiliter, ac modus poſitiuus exiſtendi indiuiſibiliter inextensè; at hi duo modi diuinitus ſimul poſſunt competere eidem corpori, vt patet in Chriſto Domino exiſtente in ſpatio extensè & diuiſibiliter per præſentiam naturalem, & indiuiſibiliter per præſentiam ſacramentalem. Quod non ſolum, ait, intelligendum eſt de corpore in duobus locis poſito, ſed etiam de eodem corpore in vno loco exiſtente, quia iſti duo effectus ſolùm opponuntur contrariè, & nullo modo contradictoriè.

Relicta ſolutione Cippulli, quippe inſtantiam manifeſtè ſufferente, negando antece- 217.
dens, ſiquidem vt diximus non ſemel; modi iſti ſubſiſtendi opponuntur contradictoriè, nam ex poſitione ſubſiſtentiæ alienæ deſtruitur neceſſariò effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ propriæ. At verò ex eo, quòd corpus illo duplici modo in illo exiſtat, non ſequitur contradictio, ſiquidem ex poſitione vnius non ſequitur deſtructio effectus formalis primarius quantitatis, in qua iſti modi immediatè recipiuntur, ſiquidem effectus formalis primarius quantitatis, eſt extenſio partium ſubſtantiæ in ordine ad ſe, quem ſemper illæſum præſtat corpori, ſiue diuiſibiliter, ſiue indiuiſibiliter occupet ſpatium: & ideo compatiuntur ambo modi eſſendi in loco reſpectu vnius corporis Chriſti: contrarium inuenitur in illis duobus modis ſubſiſtendi reſpectu eiuſdem naturæ,

quis ambo ſe viciſſim interimere dicuntur.

218. Argues quartò cum aliis: de eodem ſuppoſito ratione diuerſarum naturarum ſine vlla contradictione dicitur, quod ſit mortale, & immortale, vt patet in Chriſto. Ergo etiam de eadem natura ratione diuerſarum ſubſiſtentiarum dici poterit abſque contradictione, quod ſubſiſtat propriâ ſubſiſtentiâ in ſe, & mediante aliena in alio.

219. Relicta etiam ſolutione Cippulli, quæ ſemper eâdem inſtantiâ efficaciter poteſt vrgeri, vt patebit ponderanti, aſſero argumenti conſequens ſupponere falſum. Prius enim eſt neceſſe poſſibilitas coexiſtentiæ iſtius duplicis ſubſiſtentiæ in eadem natura, antequam hæc per vnam dicatur eſſe ſubſiſtens in ſe, & per aliam ſubſiſtens in alio; vnde fatent, quòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile duplex hæc ſubſiſtentia, propria ſcilicet, & aliena eſſent in vna natura, quòd hæc eſſet per propriam ſubſiſtens in ſe, & per alienam ſubſiſtens in alio, quia ex vno impoſſibili ſequitur quodlibet; at verò de ſuppoſito diuino dicimus mori ſecundùm naturam humanam, & non mori ſecundùm diuinam, quia moniti ſumus ex fide in vno ſuppoſito eſſe iſtas duas naturas, quarum vna morti, & alia minimè obnoxia eſt; quapropter ex morte vnius denominatur ſuppoſitum mortuum, ſecundùm illam naturam, quæ emoritur, & viuum, ſecondùm aliam naturam, quæ eſſentialiter eſt vita.

120. Sed replicabis, tota repugnantia ſuppoſiti illius conſequentis ſtat in hoc, quòd natura ſemel ſuâ ſubſiſtentiâ terminatâ ſi vniretur alteri, fineret eſſe propriè ſubſiſtens per ſubſiſtentiam propriam, vt nos latè dedimus. Sed per nos in hac ſolutione fatetur, quòd in hypotheſi, quòd ambæ ſubſiſtentiæ coexiſterent ſimul in eadem natura, hæc verè eſſet ſubſiſtens per propriam ſubſiſtentiam in ſe, & per ſe. Ergo non eſt negandum tale ſuppoſitum conſequentis. Præterea, ideo tale ſuppoſitum in noſtra ſententia repugnat, quia repugnat coexiſtentia iſtius duplicis ſubſiſtentiæ in eadem natura, & ideo talis coexiſtentia repugnat per nos, quia repugnat, vnam & eamdem naturam eſſe ſubſiſtentem in ſe, & eſſe ſubſiſtentem in alio. At nunc intrat argumentum factum, non repugnat, idem ſuppoſitum mori ſecundùm vnam naturam, & non mori ſecundùm aliam. Ergo non repugnabit, eamdem naturam eſſe ſubſiſtentem in ſe per ſubſiſtentiam propriam, & eſſe in alio per alienam.

121. Reſpondebis ſemper inſiſtens negationi ſuppoſiti conſequentis illius, ad illud, quod addit, nos admittere, quòd in hypotheſi, quòd iſta duplex ſubſiſtentia coexiſterent ſimul, tunc naturam denominandam fore ſubſiſtentem in ſe per propriam, & in alio per alienam. Reſpondeo, illud me admiſiſſe ſub hypotheſi impoſſibili, quapropter diximus, naturam illam & in ſe, & non in ſe ſubſtituram, quia ex impoſſibili quodlibet contradictionis extremum ſequitur. Ad illud verò, quod additur in probationem ſuppoſiti, aſſero, ſuppoſitum diuinum tametſi dicatur mortuum ſecundùm naturam humanam, tamen abſolutè non dicitur mortuum, ſed cum addito, nempe ſecundùm humanitatem, quod eſt ſignum, malum mortis in ipſo ſuppoſito diuino minimè immediatè recipi, ſed præcisè in humanitate, quæ ſola tantam ærumnam in ſe pertulit; verùm quia talis natura fuit ſuppoſitata à verbo, ideo hac emortua dicitur ſuppoſitum mortuum ſecundùm humanitatem, quæ propoſitio æquiualet huic, humanitas, quæ eſt in ſuppoſito diuino, mortua eſt. At verò ſi mors ſuppoſito diuino formaliter & in ſe contigiſſet, non poſſet de illo verificari, manere viuum propter immediatam contradictoriam oppoſitionem repertam, inter prædicata vitæ, & mortis. Nunc aſſero, naturam eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ propriâ, eſt denominatio intrinſeca ex forma intrinſecè vnita naturæ proueniens, necnon & eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ alienâ; quare eo ipſo, quòd illa contradictio ſæpe reperita ſequatur ex coexiſtentia illius duplicis ſubſiſtentiæ creatæ, & increatæ, iam duplex extremum contradictorium formaliter, immediatè & intrinſecè de eadem natura verificaretur. Quod quantùm diſtet à caſu priori, cuique patebit.

Argues vltimò; natura creata poteſt ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis propriis. Ergo & ſubſiſtere ſimul propriâ & alienâ ſubſiſtentiâ. 222.

Lugus & alij admittunt antecedens, & negant conſequentiam, propterea quòd ex eo quòd natura ſubſiſtat pluribus ſubſiſtentiis per ſe, nulla ſequitur contradictio, quia ſiue pluribus ſubſiſtentiis propriis ſubſiſtat, ſemper vnus effectus ſequitur, nempe ſubſiſtere per ſe, & in ſe, ſicut quòd humanitas ſit in vno ſuppoſito alieno, aut in pluribus vnum tantùm effectum ſine contradictione producit, nempe humanitatem eſſe in alio: at ex eo, quòd propria ſubſiſtentia terminata, hypoſtaticè alienæ vniretur, ſequeretur contradictio ab illis ponderata, nempe naturam eſſe in ſe, & in alio. 223.

Solutio hæc vt mihi videtur, quoad diſparitatem, veritatem habet, verùm falsò admittit antecedens, nam exinde inferretur, naturam habere vim terminabilitatis paſſiuæ actu infinitam, ſicut natura diuina, quia eo ipſo quòd duabus, vel tribus perſonalitatibus terminaretur, vim haberet, vt terminari poſſit pluribus, & pluribus ſubſiſtentiis propriis in infinitum multiplicabilibus, vt admittere tenentur, & de facto admittit Amicus ſtatim citandus. Ergo in natura daretur vis infinita categorematicè terminabilitatis. Conſequentia patet, nam quælibet virtus correſpondens infinitis terminis cincategorematicè infinitis eſt infinita in illa linea, vt latè vidimus *dub. 5. num.* 173. & licèt talis regula firmos habeat neruos, quando iſti termini in infinitum quoad ſpecificas rationes ſunt multiplicabiles, & in hoc ſenſu illam defenſatam, inuenies *tomo* 2. *ibidem citato*, tamen vim videtur habere etiam in ordine ad ſubſiſtentias proprias ſimul habendas, quamuis numericè iſtæ ſolùm ſint multiplicandæ, quia licèt hypoſtaſes diuinæ æquè perfectæ ſint, tamen illas ſimul habere eſt argumentum infinitudinis in illa teſte SS. doctore. 224.

Amicus *vbi ſuprà ſect. 6. num.* 85. defendit, antecedens illud eſſe verum de pluribus ſubſiſtentiis partialibus naturalibus, & probat *num.* 86. à priori, nam quotieſcumque totalis, & adæquatus concurſus, quo aliquis effectus 225.

conſer

conſeruatur, minorabilis eſt, poteſt talis concurſus in partiales diuidi, ac multiplicari, donec omnes partiales adæquent vnum totalem. Sed totalis & adæquatus concurſus hypoſtaticus, quo natura in ſuo eſſe à propria ſubſiſtentia conſeruatur, eſt minorabilis. Ergo poteſt in multos partiales diuidi ac multiplicari, qui adæquent vnum totalem, igitur poterit eadem natura ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis propriis. Minorem probat, nam vt à ſe probatum relinquit, poteſt vna & eadem creata natura aſſumi à tribus diuinis perſonis ad vnum per ſe conſtituendum, quod fieri non poſſet, niſi ſingulæ perſonæ partialiter concurrerent ad hypoſtaticum concurſum præbendum. Tunc etiam quia ſicut minorabilis eſt concurſus effectiuus, & ſuſtentatiuus, ita & hypoſtaticus. Ex his motus concedit antecedens, & negat conſequentiam argumenti, cuius rationem dat *ſect.* 4. *num.* 60. quia implicat, ex duobus fieri vnum ens per ſe, niſi alterum ex illis perficiatur ſubſtantialiter, nam in hypotheſi, quòd habeat natura ſubſiſtentiam propriam, cùm hæc ſit vltimum complementum ſubſtantiale naturæ, adæquatè illam complet in ratione vltimi complementi ſubſtantialis, atque adeo ſemel vltimò completa non habet aliquid in ſe perfectibile, quod ſubſtantialiter poſſet à perſonalitate diuina perfici, quapropter ex illa, & natura ſua ſubſiſtentia terminata non poſſet fieri vnum ens per ſe, & ſic coexiſtentia vtriuſque repugnat. Vnde licèt concedatur antecedens argumenti, neganda eſt conſequentia.

226. Verùm ſolutio hæc, & peccat in concedendo antecedenti, & in reddenda diſparitate conſequentis. Primum quia, vt vidimus *dub.* 3. *num.* 90. inintelligibilis eſt partitio effectus à ſubſiſtentia etiam diuina communicabilis. Tum etiam nam vt idem amicus aſſerit *ſect.* 4. *num.* 61. perſonalitas creata eſt modus, modus autem non poteſt ineſſe ſubiecto, & non conferre illi quidquid poteſt. Nunc ſic; quælibet perſonalitas creata non poteſt non conferre ſubiecto quidquid poteſt. Ergo nunquam cohiberi poteſt, ne totum concurſum hypoſtaticum, quem præſtare poteſt, ipſi ſubiecto, cui communicatur, exhibeat. Ergo eius concurſus hypoſtaticus nunquam eſt minorabilis, aliàs poterit impediri, ne tota ſubiecto hypoſtaticè tradatur. Ergo impoſſibilis eſt eius hypoſtaticus influxus, atque adeo vnaquæque ſubſiſtentia propria erit adæquata in linea hypoſtaticè complendi naturam. Nec id, quod affert de diuinis ſubſiſtentiis potentibus partialiter concurrere ad hypoſtaticum concurſum, nam hoc impugnatum manet *dubio tertio citato*. Nec ex partitione concurſus effectiui deducitur partitio influxus hypoſtaticè in ſubſiſtentia. Quia cùm influxus actiuus menſuretur in cauſa naturali & neceſſaria iuxta virtutem effectum continentem & contingere poſſit, cauſam vnam adæquatè non poſſe in ſua virtute præhabere, bene tamen ſi illi adiungatur virtus alterius cauſæ, vt patet in ſpecie intelligibili & intellectu, exinde fit, influxum effectiuum eſſe in duos partiales diuiſibilem: ſi verò cauſa efficiens ſit libera, vel continet adæquatè, vel inadæquatè effectum. Si non continet, ſolùm ex illa exibit concurſus partialis in illum; ſi continet, vel vult totam virtutem ſuam applicare, vel non vult. Si hoc, ob priuilegium libertatis, concedenda eſt partitio in eius influxu: ſi vult, erit indiuiſibiliter adæquatus. Nihil tamen in influxu hypoſtatico reperitur, quòd in illo hanc partitionem admittat, ſiquidem cauſa, à qua naſcitur, eſt ſubſiſtentia propria, eſt eſſentialiter de genere cauſæ formalis modalis, de cuius ratione, eſt exhibere ſe ſecundùm vltimum potentiæ, ita vt nequeat non conferre ſubiecto capaci quidquid poteſt, vt dicit Amicus: vnde fit, quòd bene poſſit Deus impedire, ne ſubſiſtentia propria communicetur ſubiecto capaci; tamen ex ſuppoſitione, quòd illam ſubiecto vniat, cohibere nequit, vt ipſum adæquatè compleat ſecundùm totam vim hypoſtaticandi. Ergo ex diuiſione influxus actiui non bene infert diuiſionem influxus hypoſtatici. Malè ergo hac ductus ratione Amicus aſſerit antecedens in iſto ſenſu habere veritatem.

Secundum etiam patet, nempe quòd permiſſo antecedenti, adhuc non dat hic author ſufficientem diſparitatem conſequentis. Etenim ſi eatenus antecedens admittit, quatenus illius duplicis ſubſiſtentiæ propriæ influxus eſſet partialis, ſimili modo poterit quis dicere, quòd ſubſiſtentia propria partialiter compleat humanitatem, & partem humanitatis incompletam relinquat, quamque perficere poſſit ſubſiſtentia diuina; ita vt in illis ſit partitus influxus hypoſtaticus, & ex ambobus influxibus coaleſcat vnus adæquatus, & integer. Probo hoc ex doctrina Amici. Imprimis non repugnat ſubſiſtentiæ propriæ diuidere ſuum influxum hypoſtaticum cum diuina ſubſiſtentia, ſiquidem eundem partiri poteſt cum alia ſubſiſtentia propria in ſententia Amici. Rurſum, nec repugnat ſubſiſtentiæ diuinæ ſuum partiri hypoſtaticum influxum cum ſubſiſtentia propria, quia in ſententia huius authoris illum poteſt diuidere cum alia ſubſiſtentia diuina. Ergo talis partitio influxus hypoſtatici inter ſubſiſtentiam propriam, & alienam ex parte neutrius repugnat. Ergo quemadmodum admittit Amicus antecedens in caſu, quo duæ ſubſiſtentiæ propriæ diuidant ſuum concurſum hypoſtaticum; ita poterit vrgeri vt admittat conſequentiam, nempe. Ergo poterunt coexiſtere ſimul ſubſiſtentia propria & aliena, ita vt ex illis fiat vnum ens per ſe in caſu videlicet, quòd ambæ diuidant ſuos influxus, & tantummodo dicantur cauſæ partiales hypoſtaticæ. Ergo diſparitas non ſubſiſtit. 227.

Ex his fit argumenti allati *num.* 222. antecedens eſſe falſum ob rationem datam *n.* 224. tametſi illo admiſſo vera ſit diſparitas à Cardinali Lugo data, potiſſimùm ſi annectantur ea, quæ in probationem noſtræ reſolutionis dedimus. 228.

DVBIVM

DVBIVM VII.

An quælibet natura ſubſtantialis completa, ſit aſſumptibilis à diuina perſona?

DVbium hoc ſupponit naturam humanam eſſe aſſumptibilem à diuina perſona, cùm credat de fide vt *diſputatione vltima* videbimus, verbum de facto humanitatem aſſumpſiſſe: nec dubium eſt de alia humanitate numero diſtincta ab ea, quam de facto verbum aſſumpſit, quia teſte iaocto Auguſtino *lib.* 13. *de Trinitate*, *cap.* 18. verbum diuinum hypoſtaticè potuiſſe ſe vnire cum humanitate alia, quæ Adam parentem non agnouiſſet; quærit igitur dubium de aliis naturis completis, ſiue intellectiuis, ſiue ſolùm ſentientibus, & tandem de inſenſibilibus, an videlicet in eis reſidaat aſſumptibilitas hypoſtatica paſſiua, per non repugnantiam ab aliqua ex diuinis perſonis.

SECTIO I.

Angelica natura eſt aſſumptibilis à perſona diuina.

COnclusionem iactam docet ſanctiſſimus doctor *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *&* 4. *contra gent. cap.* 55. *in ſolut. ad* 3. *&* 4. *& hic quæſt.* 4. *artic.* 1. *in ſolut. ad* 3. quem ſequuntur diſcipuli eius. Capreolus *in* 1. *artic.* 1. *conc.* 1. Palatius *diſput.* 1. Caietanus *ſuper hunc articul. in ſolut. ad* 1. Medina hîc, Araujus, & Cippullos *quæſt.* 4. *artic.* 1. *dub.* 1. ex aliis Scotus *in* 1. *quæſt.* 1. §. contra iſtud. Durandus *quæſt.* 1. Argent. *in* 3. *quæſt.* 1. *artic.* 1. Aureolus *ibi. quæſt.* 2. *artic.* 3. Robionis *ibidem quæſt.* 2. *artic.* 2. Maior *ibi quæſt.* 1. Herueus *ibi diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. §. *quantum ad ſecundum principale. concluſ.* 3. Almaynus *ibi q.* 9. Mayronus *ibi diſtinct.* 11. *quæſt.* 1. Ochamus *quæſt.* 1. *artic.* 3. *ad* 9. Marſilius *ibidem quæſt.* 3. *artic.* 1. *concluſ.* 1. ex Recentioribus Suarez *hîc diſput.* 14. *ſect.* 2. Vaſques *hîc diſp.* 30. *cap.* 2. Bernal, Martinus Perez, & Amicus *hîc diſp.* 15. *ſect.* 1.

229. Concluſionem iſtam colligi ex illo Pauli *ad Hebræos* 2. docet communis. Vbi ait: *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Vbi Apoſtolus commendat nimiam charitatem, & benignitatem ingentem erga homines, cùm maluiſſet illorum naturam aſſumere relictâ angelica naturâ. Ergo quia noluit hanc aſſumere, cùm poſſet, aliàs quæ maior benignitas appareret erga nos, ex eo, quòd angelicam naturam inaſſumptam reliquiſſet, ſi eam ſibi hypoſtaticè copulare non poſſet. Ergo quia potuit, & noluit eam ſibi annectere arguitur pondus beneficij in homines. Ergo iuxta Paulum angelica natura eſt à Deo aſſumptibilis.

230. Ratio breuis, & communiſſima; non implicat contradictionem angelicam naturam aſſumi. Ergo illa eſt à Deo aſſumptibilis. Antecedens probo: ſi implicaret, vel ex parte talis naturæ, vel ex parte perſonæ talis implicantia oriretur. At ex nullo iſtorum capitum. Ergo. Minor ex parte diuinæ perſonæ patet, nam hæc in aſſumenda humanitate nullam intulit implicantiam. Ergo nec in aſſumenda angelica natura illam inferret. Antecedens fides mouet, & latè oſtendimus *tract.* 2. *per totam primam diſputationem.* Conſequentiam probo: nam ex eo non implicare diximus ex parte perſonæ diuinæ aſſumptionem humanitatis, quia diuina hypoſtaſis eſt infinita in linea terminandi. At aſſumpta ſibi humanitate, adhuc perſeuerat in ea æqualis infinitudo in terminando. Ergo eadem ratio conuincens ex parte perſonæ diuinæ negationem implicantiæ in aſſumenda humanitate, conuincit non implicantiam in aſſumenda natura angelica. Iam quòd nec ex parte angelicæ naturæ nulla adſit repugnantia, probatur minor. Siquidem catenus ex parte humanitatis nulla repugnantia adfuit in aſſumptione eiuſdem, quia in ipſa, natura & ſubſiſtentia differunt. At in Angelis natura & ſubſiſtentia æqualiter differunt. Ergo nullibi reperitur repugnantia. Maior patet ex ſæpe dictis potiſſimùm *dubio antecedenti*, vbi inaſſumptibilem dedimus naturam in ſenſu compoſitio ſuæ propriæ ſubſiſtentiæ, quantò magis ſi talis ſubſiſtentia eſſet indiſtincta à ſua natura: ergo ratio tota, quare humanitas obicem implicantem in eius aſſumptione non obtulit, eſt quia diſtinguitur eius ſubſiſtentia à propria natura & ab ea ſeparatur. Nunc probo minorem ex aſſertis communiter receptis, nempe in creatis naturas & ſubſiſtentias eſſe realiter & modaliter diſtinctas, & ſeparabiles. Conſequentia bene infertur. Ergo ex nullo capite datur repugnantia aſſumptibilitatis in natura angelica.

Reſpondebis: falſam eſſe minorem quoad vltimam partem, nempe ſubſiſtentiam in angelico eſſe ab eius natura ſeparabilem; ſiquidem Angelus ſecum fert incorruptibilitatem, vt ex communi placito conſtat, ex quo fit, inſeparabilem eſſe in angelo ſubſiſtentiam ſuam; ſiquidem ſi talis ſeparatio eueniret, & corruptio in illo contingeret, etenim apud omnes Angelus, quem compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia prædicat veritas, eſt conſtitutum quoddam ex natura, & propria ſubſiſtentia; taliter; quòd iſtorum quolibet deficiente Angelum deficere eſt neceſſe, quia ſi vnum illorum deeſſet, compoſitum ex illis reſultans deeſſet, ſicut deficiente parte qualibet, & totum perit. Ergo & Angelus periret, qui eſſentialiter eſt tale compoſitum; at talis deſitio eſſet corruptio, nam hæc eſt deſitio totius per alicuius partis deciſionem manente alia vicem ſubiecti reſpectu illius, quæ periit, habente. At natura Angeli habet ſe ad inſtar ſubiecti reſpectu propriæ ſubſiſtentiæ. Ergo ſi ſeparatur hæc iam perit vna pars, atque adeo & Angelus, ex alia parte manet natura, quæ eſt ſubiectum ſubſiſtentiæ. Ergo talis deſitio eſſet corruptio. Ergo vnum è duobus. Vel Angelus eſt corruptibilis, 231.

vel

vel inaſſumptibilis. Primum negamus. Ergo quia ex parte ſui datur repugnantia ad aſſumptionem.

232. Sed replicabis, vbi non adeſt deſitio partis
ſubſtantialis, quæ ſit forma, quamuis pereat modus, non dicitur totum ſubſtantiale corrumpi quoad eſſentialia, in quo conſiſtit propria, & ſtricta corruptio; etenim hæc opponitur generationi; ergo ſicut non dicitur generatio ſtricta ea, quæ ex præexiſtente ſubiecto, quod ſit materia, non producit aliqnid, quod ſit forma; quamuis producatur ſubſtãtialis modus, quapropter productio ſubſiſtẽtiæ in Ang. non eſt generatio; ita quamuis in ſeparatione ſubſiſtentię à natura angeli deſinat eſſe modus ſubſtantialis, nempe ſubſiſtentia, non ideo talis deſitio erit dicenda corruptio, quia in tali caſu non periret pars eſſentialis, quæ eſſet forma Angeli. Sed ad ſummum diceretur conſtitutum illud deſinere eſſe ex deſitione vnius partis modalis, nempe ſubſiſtentiæ. Præterea quia permiſſo, quòd ſi res ita ſuccederent, eſſe dicendum Angelum corruptibilem, atque adeo hoc eſſe in cauſa, quòd natura Angelica ſemel poſſidens ſuam ſubſiſtentiam, nequiret aſſumi hypoſtaticè à diuina perſona; tamen ratio hæc non tolleret ab ea aſſumptibilitatem in quolibet caſu, ratio, quia liberum erat Deo per vnicam actionem, quæ ſimul eſſet productiua, & vnitiua, producere naturam Angeli, & illam ſibi copulare, antequam in illa reſultaret ſua propria ſubſiſtentia, quæ deſineret eſſe. Ecce quomodo ſtare poſſet aſſumptio ſine corruptibilitatis veſtigio. Ergo ex parte naturæ angelicæ nulla daretur implicantia aſſumptionem à diuina perſona impediens.

Reſpondebis ſecundò rationi noſtræ, illam
233. ſupponere falſum, nempe ſubſiſtentiam Angeli diſtingui à natura ipſius. Cùm ergo identitas ſubſiſtentiæ ſit indiſpenſabile argumentum inaſſumptibilitatis à perſona diuina; imo ne dum identitas, ſed retentio ſola einſdem in natura vt vidimus *dubio antecedenti* impediat aſſumptibilitatem, fit, Angelicam naturam habere perpetuum impedimentum aſſumptionis. Iam quòd Angelus ſibi identificet ſubſiſtentiam ſuam, patet ex eo, quòd Angelus careat materia, & forma, ſitque ſubſtantia ſimplex, quæ non à materia ſuam indiuiduationem, ſed à ſe ipſa ſolùm hauriat. Hæc enim ſimplicitas arguit indiſtinctionem ſubſiſtentiæ à natura in ſententia ſanctiſſimi doctoris, qui 1. *part. quæſt.* 3. *artic.* 3. ex eo colligit Deum eſſe ſuam deitatem, atque adeo in illo non diſtingui ſuppoſitum à natura, quia videlicet illi compoſitio ex materia & forma repugnat; ergo cùm in Angelis talis compoſitio ſimiliter repugnet in ſententia eiuſdem ſanctiſſimi doctoris, fit iuxta illum ſubſiſtentiam identificandam fore cum natura Angeli.

Sed replicabis, angelis non repugnare com-
234. poſitionem ex materia & forma vt latè dedimus *tractatu de Angelis*. Ergo ex hac parte nequit colligi identitas prædicta.

Reſpondebis, talem compoſitionem ex ma-
235. teria & forma poſſibilem dedimus iuxta principia diuerſa ab his, quæ thomiſtica claſſis ex ſanctiſſimo doctore ebibit, nam ipſe perpetuus aſt in neganda tali compoſitione Angelis. Ergo hæc euaſio non ſubſiſtit.

Replicabis ſecundò, nam quando Angeli-
cus præceptor regulam illam dedit, nempe in 236.
his, quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio naturæ non eſt per materiam indiuidualem, id eſt, per hanc materiam, oportet, quòd ſuppoſitum, & natura realiter non diſtinguantur, intelligendum eſſe nomine ſuppoſiti indiuiduum, atque adeo idem fuit, ac ſi diceret, in ſeparatis à materia, naturam ſpecificam, & indiuiduum minimè realiter diuerſificari.

Sed reſpondebis; nam permiſſo interpreta-
tionem hanc habere locum ad *quæſtionem il-*
lam primæ partis, nullum tamen habere expreſ- 237.
ſum teſtimonium Angel. doct. *in* 3. *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. *artic.* 3. vbi poſtquam ſanctiſſimus doctor deſignauit tanquam caput, vnde in Neſtorio error ille admittendi duas perſonas in Chriſto habuiſſet ortum, ex eo, videlicet, quia Neſtorius putauit idem eſſe ſuppoſitum, ac naturam, decernit, quòd in quibuſdam diſtinguuntur natura & ſuppoſitum ſecundùm rem, nempe in compoſitis ex materia, & forma, in quibuſdam verò ſecundùm rationem tantùm, & ponit exemplum in ſimplicibus, quæ carent materia. Huic enim teſtimonio applicari nequit interpretatio illa, videlicet ſanctiſſimum doctorem loquutum fuiſſe, nomine ſuppoſiti de indiuiduo, ſiquidem in hoc teſtimonio prætendit Angel. Præcept. concludere deſtruendo errorem Neſtorij, in Chriſto potuiſſe reperiri naturam humanam ſine propria perſona, cùm ab illa diſtinguatur, in Angelis verò, quia ſunt ſimplices ſine materia ſuppoſitum & natura idem ſunt realiter.

Sed replicabis tandem in fauorem rationis
concluſionis noſtræ & ſimul explicans men- 238.
tem ſanctiſſimi Thomæ in duobus illis locis, Tum *ex* 1. *part.* tum etiam *ex* 3. vt enim locus primæ partis explicetur, notaturi ſumus duo ex ſanctiſſimo doctore *in quotlib.* 2. Primum, quòd in qualibet re, in qua aliquid extra naturam ſuam ſpecificam inuenitur, differunt quod eſt, & quod quid eſt, nempe ſuppoſitum, & natura; vnde apud Philoſophum 7. *metaph. comment.* 21. in his, quæ dicuntur per ſe, idem eſt res, & quod quid eſt rei: at in his, quæ dicuntur per accidens, non eſt idem, & ſolet ex textu adduci hæc ratio, nam qui naturam dicit, ſolùm id, quod eſt de ratione ſpeciei dicit; ſuppoſitum verò inuoluit, & quæ ſpeciei ſunt propria, & quæ illi accidere dicuntur; & hoc eſt in cauſa, quòd ſuppoſitum ſit habens naturam, tanquam ſui partem formalem.

Nota aliud, quòd licèt tam ſubſtantiæ com- 239.
poſitæ ex materia, & forma, quàm ſimplices illarum expertes habeant aliquid extra rationem ſpeciei, ſeu naturæ; tamen cum hac differentia; ſiquidem duplici modo poteſt eſſe aliquid extra rationem ſpeciei alicuius entis, & illi accidere dicatur. Primò, vel quia non intrat definitionem explicantem eſſentiam illius, licèt ſit determinatiuum alicuius principij eſſentialis. Rationale enim licèt non intret definitionem eſſentialem animalis, tamen animal determinat ad eſſe hominis. Vel ſecundò

cundò aliquid eſt extra eſſentiam rei vtroque ſcilicet modo, nec ingrediendo eius eſſentialem definitionem, nec determinando principium aliquod eſſentiale illius, vt quodlibet accidens phyſicum accidentale. His notatis dicimus, quòd in rebus compoſitis ex materia & forma datur aliquid extra eſſentiam rei vtroque modo, etenim in homine exprimente naturam ſolùm ſpecificam non eſt de eſſentia hoc corpus, & hanc animam rationalem, nam homo ſpecificè acceptus, animam & corpus eſſentialiter exoptat, tametſi homo hic hanc materiam, & hanc animam deſideret, vnde anima hæc, & corpus hoc ſunt determinatiua prædicatorum eſſentialium naturæ ſpecificæ hominis. Rurſum alia ſunt ita extra eſſentiam hominis, vt nullum eius prædicatum eſſentiale determinent, qualia ſunt quodlibet accidens. In rebus verò prorſus ſimplicibus materiæ expertibus, licèt reperiantur aliqua, quæ ſint extra rationem ſpeciei, illa videlicet, quæ non ſunt determinatiua principiorum eſſentialium, qualia ſunt plura accidentia, necnon & ipſorum exiſtentiæ; non tamen dantur aliqua extra eſſentiam illorum, ita vt ſint determinatiua ſpeciei; ſiquidem in his rebus non indiuiduatur ſpecifica natura per materiam, ſed per ſe ipſam.

240. Nunc claret mens ſanctiſſimi Thomæ, nam *loco illo ex* 1. *part.* bene probat, in Deo nullo modo diſtingui naturam, & ſuppoſitum realiter, tametſi probatio illa ſit ſolùm inchoata, atque adeo indiga eorum, quæ in ſequentibus dictaturus erat, ſiquidem vt patet *ex notabili primo*, bene arguitur diſtinctio in aliqua re inter ſuppoſitum & naturam, ex eo, quòd in ipſa re videamus aliquid, quòd ſit extra eſſentiam ipſius rei, ſeu extra naturam ſpecificam illius, ex quo mouetur ſanctiſſimus doctor ad ponendam diſtinctionem inter naturam, & ſuppoſitum in rebus compoſitis, & ex eodem principio ad negandum Deo prædictam diſtinctionem, cùm nihil in Deo inueniatur, quod ſit extra quidditatem ipſius Dei.

241. Ad illud teſtimonium eiuſdem Angelici Præceptoris *ex tertia ſententia* adductum *num.* 237. aſſero, optimum argumentum diſtinguendi in aliqua natura compoſita naturam, & ſuppoſitum, poſſe ab vno ex duobus capitibus ſumi vel quia compoſita eſt ex materia & forma, atque adeo quia exinde colligitur clarè habere prædicata indiuiduantia. Vel quia in tali ſubſtantia inuenitur aliquod aliud accidens. Vnde quando ait Angelicus doctor in ſubſtantiis ſimplicibus naturam & ſuppoſitum non diſtingui, non tollit ab illis diſtinctionem, ſed tantummodo tollit talem diſtinctionem in illis non eſſe ſumendam ex compoſitione ex materia & forma, aut ex prædicatis indiuiduantibus; ſed ex eo, quòd in illis dantur prædicata extra quidditatem eorundem, nempe phyſica accidentia.

SECTIO II.

Qualibet natura irrationalis completa, adhuc inſenſibilis, aſſumptibilis eſt à Deo.

242. RESolutio hæc eſt communiſſima, eamque expreſsè docet ſanctiſſimus doctor *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. *artic.* 1. & licèt pro eius probatione adduci poſſent plura ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ dat Vaſquez *in præſenti diſput.* 30. *cap.* 2. tamen rectè illa ad vnguem perpendenti apparebunt parum efficacia, ſed quia res hæc non eſt magni ponderis, ideo ab eorum examine ſuperſedeo. Ratione valde familiari, ſed efficaci probatur, non apparet caput, vnde naturam irrationalem, etſi inſenſibilem, repugnet aſſumi. Ergo noſtra pars eſt vera. Probo antecedens. Si aliquod eſſet, vel ex perſona aſſumente, vel ex irrationali natura ſumeretur. Ex neutra. Ergo nullum eſt caput tali aſſumptioni repugnans. Minorem probo ex parte perſonæ aſſumentis. Hæc enim vim habet infinitam in linea terminandi. Ergo quantùm eſt ex parte ipſius, talis aſſumptio non repugnat. Probo minorem quoad naturam irrationalem. Etenim quælibet natura ſubſiſtentiæ capax, in qua ſubſiſtentia realiter ab illa differat, eſt aſſumptibilis à Deo. Sed ſic ſe habet quælibet irrationalis natura, quam eſſe ſuubſiſtentiæ capacem innuet experientia, cum illam hìc & nunc ſubſiſtentem comperiamus, ab illaque realiter diſtingui ſubſiſtentiam, docet vniuerſalis regula, quam ſæpe tradidimus, & *ſectione antecedenti* inſinuauimus de diſtinguenda ſubſiſtentia realiter à natura in rebus compoſitis ex forma & materia; & cùm nulla ſit ratio, quare in humanitate detur capacitas ad ſubſiſtendum mediâ ſubſiſtentiâ realiter diſtinctâ, & idipſum cuilibet irrationali naturæ ſubſtantiali completæ denegetur, fit: eam incapacem ad ſubſiſtendum mediâ ſubſiſtentiâ liter à ſeipſa diſtinctâ. Ergo in irrationali naturâ conueniunt conditiones omnes aſſumptibilitatis à perſona diuina. Ergo talis aſſumptio non repugnat ex parte naturæ irrationalis, atque adeo nullum eſt caput tali aſſumptioni repugnans.

243. Confirmatur, de facto natura irrationalis eſt aſſumpta à verbo. Ergo ex ſe talis natura erat aſſumptibilis, antecedens probo, nam de fide habemus verbum diuinum fuiſſe hypoſtaticè vnitum cadaueri in triduo. Ergo de facto aſſumpta eſt irrationalis natura.

Reſpondebis cum Alenſi primo verbum in triduo ſuppoſitaſſe corpus mediante diſpoſitione, quam anima reliquerat, mediante qua diſpoſitione ipſum cadauer diſpoſitum manebat ad terminandam vnionem cum verbo. Sed replicabis, quia permittamus Alenſi animam reliquiſſe in corpore diſpoſitionem aliquam, adhuc vi illius nequibat corpus, aliàs ratione ſui incapax talis vnionis, fieri capax terminandi prædictam vnionem, ſiquidem talis diſpoſitio quæuis illa eſſet, erat accidens. Ergo ratione illius non poterat reddi capax terminandi

vnio-

vnionem iſtam, quæ quia ſubſtantialis, immediatè terminatur ad ſubſtantiam.

Reſpondebis ſecundò cum Henrico, eſſe diſparem rationem inter vnionem cadaueris in triduo, & vnionem cuiuſlibet alterius irrationalis naturæ, etenim in triduo manſit corpus vnitum verbo non mediante vnione hypoſtatica in ipſo corpore recepta, ſed mediante vnione illa in anima recepta, ca vi cuius vnionis corpus dicebatur verbo hypoſtaticè vnitum. Sed replicabis, hæc propoſitio eſt de fide. *Filium Dei in triduo fuit ſepultus.* Sed ſi vnio verbi non eſſet recepta in corpore, ægrè ſaluaretur, Filium Dei in triduo eſſe ſepultum. Ergo vnio cum verbo immediatè fuit recepta in corpore in tempore tridui. Probo minorem, in tantum de Filio Dei verificatur eſſe ſepultum in triduo, in quantùm corpus illi vnitum fuit ſepultum in triduo. Sed hoc non bene intelligitur, ſi vnio cum verbo in tali corpore non eſſet recepta in triduo. Ergo ſi non eſſet vnio illa recepta in corpore prædicto tempore, æquè ſaluaretur, Filium Dei eſſe ſepultum in triduo. Maior colligitur ex communi admittente regulam illam edoctam à ſanctiſſimo doctore 3. *part. quæſtione quinquageſima, articulo ſecundo*, vbi expreſsè docet, non poſſe ea, quæ ſunt humanæ naturæ, de Filio Dei prædicari, niſi ratione vnionis. Nunc probo minorem, ſi vnio cum verbo non eſſet recepta in corpore Chriſti ægrè intelligeretur Filium Dei naſci, & concipi, vt omnes Catholici tenent. Ergo ſi vnio cum verbo non eſſet in corpore recepta in triduo, difficile intelligeretur, Filium Dei eſſe ſepultum in triduo.

245. Reſpondebis tertiò, nam permiſſo, quòd vnio cum verbo eſſet immediatè recepta in cadauere, adhuc eſt maior ratio, cur illud ſit aſſumptum à verbo, & nequeat ſibi hypoſtaticè copulare aliam creaturam completam irrationalem: quia ideo talis vnio de facto contigit cadaueri, quia hoc dicebat eſſentialem ordinem ad reuniendum ſe animæ in reſurrectione; at iſte ordo in cæteris irrationabilibus, quia talibus, minimè inuenitur; imo illis repugnat dicere ordinem ad animam rationalem, quapropter ex aſſumptione cadaueris permiſſa, non infertur poſſibilem eſſe aliorum irrationalium aſſumptionem. Sed replicabis, ſupponendo cadauer illud ex ſe nullo modo importare ordinem ad prædictam reunionem; ſiquidem ea ſe dicere aliquid ordinem ad aliud, eſt hoc eſſentialiter exigi ab illo: illud enim eſſentialiter exigitur, quod illi eſt debitum & attento rerum ordine, ſub quo conſtituitur, illud ab altero aſſequibile eſt. Hac enim ratione dicimus, naturam intellectualem nullum ordinem naturalem poſitiuum eſſentialem illi dicere ad felicitatem ſupernaturalem, reſpectu cuius appetitum innatum illi denegamus, non alia ratione, niſi quia felicitas ſuperna eſt extra ſphæram cauſarum naturalium, mediis quibus inaſſequibilis eſt. Ergo hæc debet eſſe vera, cadauer nullum ordinem eſſentialem poſitiuum dicit ad reuniendum ſe animæ. Patet, nam hæc reunio eſt ſupernaturalis, viribus propriis inaſſequibilis. Vnde cadauer illud ad reunionem ordinari, opus eſt diuinæ ordinationis tali cadaueri extrinſecæ. Tunc ſic, vel poſita hac ordinatione Dei, cadauer illud erat capax ſe vniendi verbo, ita vt talis ordinatio daret ei potentiam obedientialem ad talem vnionem, vel non. Hoc non dices: aliàs ad nihil deſeruiret ordinatio diuina, quod eſt falſiſſimum. Ergo primum. Sed hoc eſt æquè falſum, probo, nam ordinatio illa extrinſeca, quia talis, cadauer intrinſecè non mutat. Ergo illius poſitio non ſufficit dare cadaueri potentiam obedientialem ad ſe vniendum cum verbo. Antecedens eſt ipſa philoſophia. Conſequentia patet clarè, nam potentia obedientialis eſt cuique rei intrinſeca; imo identificata cum prædicato creaturæ tranſcendenti intimiſſimas differentias cuiuſlibet entis. Sed nihil intrinſecum de nouo aduenire poteſt ſubiecto per aliquid, quo ipſi ſolùm ſit purè extrinſecum. Ergo ordinatio illa Dei extrinſeca qua cadauer extrinſecè ordinatur ad ſe reuniendum cum anima, cùm intrinſecè illud non mutet, non poterit illi dare potentiam obedientialem, vt poſſit à Deo aſſumi. Tunc ſic, ſed nullum ens aſſumi poteſt, niſi in illo extet non repugnantia, ſeu capacitas obedientialis, vt aſſumatur. Ergo ſi conceditur ab Henrico cadauer eſſe de facto aſſumptum à verbo, in illo debet admittere potentiam obedientialem, vt ab illo aſſumeretur. At hæc non poterat illi adeſſe ratione ordinationis puræ intrinſecæ Dei. Ergo cadauer ea ſe habebat potentiam obedientialem ad ſe vniendum cum verbo independentet ab extrinſeca illa ordinatione Dei, qua ordinabatur ad ſe reuniendum animæ in reſurrectione. Ergo quælibet alia creatura irrationalis, quamuis nullum ordinem dicat ad animam rationalem, habebit capacitatem obedientialem, vt aſſumatur à Deo. Ergo ex aſſumptione cadaueris in triduo optimè colligimus aſſumptibilitatem cuiuſlibet creaturæ irrationalis à Deo.

Sed argues primò cum Henrico *quotlibeto decimo tertio, quæſtione quinta*, Carthuſiano *diſtinctione ſecunda in tertiam. quæſtione ſecunda, articulo tertio*. Pico Mirandulano *in ſua apologia in defenſ. quartæ propoſitionis*. Alexan. Alenſi 3. *part. quæſtione prima, membro ſeptimo*, & diuo Bonauentura, negantibus aſſumptibilitatem naturæ irrationalis à Deo, quam opinionem iudicant probabilem Richardus *in 3. diſtinctione ſecunda, articulo primo, quæſtione quarta*, & Gabriel *ibidem diſtinctione prima, quæſtione ſecunda, articulo primo*, quos ſequitur Hurtadus Salmanticus *in ſuo curſu Philoſophiæ diſputatione prima de anima, ſectione ſecunda. numero quadrageſimo ſexto, & tertia parte* laxo calamo in eius defenſionem totam diſputationem quadrageſimam tertiam conſumens. Arguunt igitur primò, quod eſt indecens Deo, eſt eidem impoſſibile. At indecens eſt Deo aſſumere naturam equinam. Ergo &c. Minorem probant ex indecentiſſimis communicationibus idiomatum, quæ ſequerentur ex tali aſſumptione. Ergo & aſſumptio eſſet Deo indecens. 246.

247. Reſpondeo negans minorem, ad probationem aſſero, quòd licèt communicationes idiomatum ex tali aſſumptione ſequutæ, quoad verborum corticem, indecentiam aliquam redoleant, quapropter nullo modo coram barbaris, & popularibus pronunciandæ; tamen reipſa nullam in ſe indecentiam Deo aſſumenti impingerent, quia nec ex aſſumptione illa, nec ex vi communicationis idiomatum aliquod prædicatum imperfectionis vmbram præſeferens, formaliter de Deo verificaretur in ſe: quia ſicut omnes aſſerunt, Dei dignitatem nihil maculæ fæciſve contrahere, quamuis per ſuam eſſentiam intimè in omnibus rebus fœdiſſimis, & viliſſimis exiſtat, imo ex prædicta Dei exiſtentia in illis argumentum ſuæ mirabilis immenſitatis attollitur, nec enim in hypotheſi, qua perſona diuina naturam equi ſibi aſſumeret, deficeret illi finis optimus talem aſſumptionem mirabiliter cohoneſtans, nempe ſuorum attributorum, ſcientiæ, & omnipotentiæ manifeſtatio.

248. Argues ſecundò, quod aſſumptibilitatis eſt incapax, nequit à perſona aſſumi. Sed irrationalis natura non eſt aſſumptibilitatis capax. Ergo nequit à perſona aſſumi. Minor probatur. Quod incapax eſt, vt ſit perſona, incapax eſt aſſumptibilitatis. Sed irrationalis natura eſt incapax, vt ſit perſona. Ergo & aſſumptibilitatis. Maior patet, nam aſſumptio à perſonalitate nequit intelligi ſine eo, quòd ex illa & natura aſſumpta fiat perſona. Sicut dealbatio nequit intelligi, quin ex ſubiecto, & albedine conſurgat album. Ergo quod incapax eſt, vt ſit perſona, incapax eſt aſſumptibilitatis. Tunc ſic: ſed apud omnes eſt certum, quòd ex natura equi & diuina perſonalitate nequit vna reſultare perſona. Ergo natura equi eſt incapax aſſumptibilitatis.

249. Reſpondeo primò, argumentum hoc nullo modo conuincere naturam equi eſſe omnino aſſumptibilitatis incapacem à Deo, vt ſaltem per rationem à perſonalitatibus abſtracto: ſiquidem permiſſo illi, ſtare non poſſe naturam equi eſſe à perſonalitate aſſumptam, cum ex illis vnitis non reſultaret perſona, quod exigeret aſſumptio actiua perſonalitatis, tamen cùm aſſumptio à Deo mediante ſubſiſtentia abſoluta conſtituere perſonam non exoptet, ſed ſolùm reddere naturam illam ſubſiſtentem, fit, in argumentum hoc aſſumptibilitatem omnem non excludat à natura quauis irrationali, cùm eſſe ſubſiſtentem illi minimè repugnet. Reſpondeo ſecundò, illud minimè vim habere denegandi irrationali aſſumptibilitatem à perſonalitate diuina. Vnde concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem. Quod incapax eſt, vt ſit perſona, incapax eſt aſſumptibilitatis: aſſumptibilitatis vt ſit perſona, concedo, aſſumptibilitatis, vt ſit ſubſiſtens, nego, & concedo minorem. Et diſtinguo conſequens. Ergo & aſſumptibilitatis, vt ſit perſona, concedo, vt ſit ſubſiſtens, nego. Ad probationem maioris. Diſtinguo antecedens aſſumptio à perſonalitate nequit intelligi ſine eo, quòd ex perſonalitate & natura fiat perſona, ſi adſint requiſita in natura aſſumpta, concedo. Si deficiant, nego, & diſtinguo conſequens. Ergo quod incapax eſt, vt ſit perſona, incapax eſt aſſumptibilitatis inquam, vt ſit perſona, concedo, vt ſit ſubſiſtens, nego. Itaque ſubſiſtentia ſolùm ſortitur officium perſonalitatis in ordine ad naturam rationis compotem; vnde perſonalitas verbi præter naturam diuinam, quam penetrat, valebit irrationali vniri, & cùm illa perſonam non facere; ſiquidem nihil aliud eſt perſona quàm ſuppoſitum in natura intellectuali, quapropter perſona nullo modo à ſuppoſito differt per aliquem modum intrinſecum terminationis, ſed medio reſpectu intrinſeco ad connotatam naturam. Vnde ſi in ea ſubſiſtentia naturæ equi copularetur, cum eius natura minimè perſonam faceret, quamuis meæ propriæ naturæ copulata perſonam veram conſtituat. Hoc ipſum de facto contigit in triduo, quo in tempore perſonalitas diuina fuit vnita cadaueri, cum quo perſonam non aſtruxit.

Argues tertiò, perſonalitas diuina ſolùm hypoſtaticè copulari valet cum natura, quam poteſt ſanctificare. Sed irrationalis natura incapax eſt ſanctificari. Ergo & aſſumi. Reſpondeo eo modo, quo argumento antecedenti es dicendis latè, *tomo ſecundo, tractatu primo, diſputatione prima, dubio primo*, quòd licèt perſonalitas humanitatem, quam aſſumpſit, ſanctificaret de facto, non exinde ſequitur, illam ſolùm naturam aſſumere poſſe, quam poteſt ſanctificare; etenim contingere poteſt naturam aſſumptam, quippe irrationalem eſſe ſanctitatis incapacem, & exinde illam ſanctificare non poſſe. Vnde aſſumptibilitas à perſona diuina nihil aliud eſt in qualibet natura, quàm capacitas ad ſubſiſtendum, & cum qualibet natura completa, quamuis rationis expers, ſit capax ad ſubſiſtendum, fit, etiam eſſe ſufficienter à perſonalitate diuina aſſumptibilem per quam ſubſtituatur ſubſiſtens. 250.

Sed replicabis contra ſolutiones his argumentis datas. Ergo ſi incapax eſt natura equi ſanctitatis, erit incapax eliciendi operationes diuinas, nempe intuitionem, & fruitionem Dei. Conſequentia eſt clara, & neceſſariò à paritate concedenda. Ergo eſt incapax aſſumptibilitatis à diuina perſona. Probo conſequentiam, nam aſſumi à perſonalitate Dei, eſt aſſumi ad diuinum eſſe. Sed quod incapax eſt eliciendi diuinas illas operationes, quæ ipſi eſſe diuino correſpondent, eſt incapax aſſumi ad diuinum eſſe. Ergo ſi natura equi eſt incapax eliciendi operationes diuinas, erit incapax aſſumptibilitatis à diuina perſona. Minor probatur, quia quod incapax eſt elicere operationem ſupponentem hoc eſſe determinatum, eſt incapax talis eſſe, vt docet *Ariſtoteles 4. Meteororum prope finem*, vbi ait: eſſe rerum tandiu durare, quandiu potentia eliciendi ſuas operationes perſeuerat, & ſanctus 251.

Damaſ

Damaſcenus *libro tertio de fide; capite decimo octauo*, habet hæc: *mens porrò ſapientia & cognitione deſtituta nulla vnquam eſſe queat, nam ſi torpida, atque immobilis eſt, nec quidem omnino eſt.* Quod eſt idem, ac dicere, nullam mentem abſque omni operatione eſſe valet. Ergo ſi natura equi eſt incapax eliciendi operationes diuinas, erit incapax aſſumi ad illud eſſe diuinum, quod illis correſpondet, tanquam neceſſariò ab eiſdem præſuppoſitum.

252. Reſpondeo concedens conſequentiam, & nego ſecundam. Ad probationem, diſtinguo maiorem, aſſumi à perſona, eſt aſſumi ad diuinum eſſe, in ratione ſubſiſtentis, concedo, in ratione principij radicalis, aut formalis nego, & diſtinguo minorem. Quod eſt incapax eliciendi operationes correſpondentes diuino eſſe quod eſt radicale, ſeu formale principium illarum, eſt incapax aſſumi ad illud eſſe, quod eſt principium radicale, ſeu formale illarum operationum, concedo. Quod eſt incapax elicere operationes correſpondentes diuino eſſe in ratione ſubſiſtentis, ſeu tanquam conditioni ſolùm operandi, non poterit aſſumi ad illud eſſe in ratione ſubſiſtentis, nego, & nego conſequentiam. Ad probationem minoris aſſero, proloquium illud Ariſtotelis eſſe verum de illo eſſe, quod operationibus correſpondet, & ſupponitur tanquam principium radicale & formale earum, atque adeo verum eſt, quod incapax eſt elicere operationes, illud ſupponi incapax illius eſſe, quod neceſſariò ſupponitur tanquam principium radicale, vel formale talium operationum, quod nihil amplius voluit Damaſcenus. Pro quo nota, vt huic formæ præſtes materiam, viſionem & fruitionem Dei ſolam gratiam agnoſcere, vt principium formale, & radicale in Chriſto, ſubſiſtentia verò ſolùm eſt conditio eas eliciendi. Vnde fit, quòd natura illa, quæ fuerit incapax gratiæ, quatenus principium eſt talium operationum, etiam earum eſt incapax, & è contra. Signum verò ad cognoſcendum aliquam naturam eſſe incapacem recipiendi illud eſſe gratiæ, in ratione principij radicalis, ſeu formalis prædictarum operationum, eſt defectus in natura latitudinis in linea cognoſcitiua, & affectiua. Signum autem cognoſcendi incapacitatem in natura ad aſſumptionem diuini eſſe perſonalis, eſt defectus capacitatis ad habendam ſubſiſtentiam propriam, vt communiter docetur de materia prima, quæ quia incapax eſt ratione ſui terminari propriâ ſubſiſtentiâ, ideo fit incapax ratione ſui immediatæ aſſumptionis à diuina perſona. Ex quo fit: naturam equi eſſe incapacem eliciendi operationes illas, quia ſupponitur incapax ſe dilatandi intra lineam ſpiritualem cognoſcitiuam & affectiuam, media gratia, quæ etſi illi poſſit communicari quaſi materialiter, non tamen formaliter in ratione principij formalis, aut radicalis talium operationum ob rationem datam; atque adeo ex incapacitate talium operationum in natura equi ſolùm deducitur incapacitas in illa habendi illud eſſe, quod dat gratia in ratione principij operationum ſupernaturalium; non tamen incapacitas habendi eſſe perſonale diuinum, nam hoc non eſt eſſe, quod operationes ſupponunt vt principium, ſolùm ad eas deſideratur, vt conditio, illud enim eſſe perſonale inſtitutum eſt ex ſe ad vnum è tribus: vel ad dandam ſubſiſtentiam naturæ, quæ illius fuerit capax, vel ad illam reddendam perſonam ſi capax fuerit, vel ad ſe communicandam, vt conditio ad eliciendum operationes tales, vel tales, quarum talis natura habuerit principium radicale, vel formale earundem elicitiuum. Cúmque natura equi ſit capax ſubſiſtendi, non verò ſit capax, vt ſit perſona, nec in ea ſupponatur principium radicale, & formale eliciendi operationes diuinas, bene autem principium eliciendi operationes materiales, ideo poteſt aſſumi à diuina perſonalitate, vt ſubſiſtat, non vt ſit perſona, nec non vt talis perſonalitas ſit in illa conditio ad eliciendum operationes materiales, & non ad alias, quæ ſpirituales ſunt.

Sed replicabis. Ergo natura equi non poteſt aſſumi à diuina perſonalitate ad videndum, aut fruendum Deo, eſt certa. Ergo nec ad ſubſiſtendum per ipſum eſſe Dei perſonale. Probo hanc, nam quod ad minus eſt impos, ad maius eſſe impotens, eſt neceſſe. Sed maius eſt vniri Deo ad eſſe perſonale, quam ipſi copulari, vt operationes illas exerceat. Ergo ſi impos eſt aſſumi ad fruitionem Dei, ita & ad eſſe perſonale diuinum. Minorem probo ex ſanctiſſimo doctore *hîc quæſtione quarta, articulo primo, in ſolutione ad ſecundum*, vbi, vt oſtendat, nullam dari ex parte irrationalis naturæ congruitatem, vt aſſumi valeat ad eſſe diuinum perſonale, habet hæc: *quia quod deficit à minori, non habet congruitatem in id, quod eſt maius, ſicut corpus, quod non eſt aptum perfici anima ſenſitiua, multò minùs eſt aptum perfici anima intellectuali, multò autem maior, & perfectior eſt vnio ad Deum ſecundùm eſſe perſonale, quàm quæ eſt ſecundùm operationem, & ideo creatura irrationalis, quæ deficit ab vnione ad Deum ſecundùm operationem, non habet congruitatem, vt vniatur ei ſecundùm eſſe perſonale.* 253.

Reſpondebis, aliud eſſe loqui de maiori, vel minori congruitate inter naturam rationalem, & irrationalem reperta in ordine ad aſſumptionem ad eſſe perſonale diuinum, & aliud de potentia quaſi obedientiali ad prædictam aſſumptionem. Primum fatetur, maiorem habere congruitatem naturam intellectualem ad dictam aſſumptionem, quàm irrationalem naturam; ſecundum verò negatur, ſiquidem in vtraque inuenitur capacitas ad dictam aſſumptionem ſaltem obedientialiter. 254.

Sed replicabis, nam licèt Angelicus doctor lateretur talem comparationem facere inter illas naturas quoad maiorem, & minorem congruitatem ad aſſumptionem prædictam; tamen ſi prematur aſſertum illius omnem capacitatem obedientialem ad aſſumptionem allatam negat irrationali naturæ; etenim medium quod aſſumpſit ſanctiſſimus doctor ad negandam naturæ irrationabili talem congruitatem, erat hoc, quia talis natura non habet congruitatem, vt aſſumatur ad operari, quod minus eſt. Ergo nec illam habet, vt aſſumatur ad eſſe perſo- 255.

perſonale, quod eſt maius. Tunc ſic: ſed oon habere oaturam irrationalem congroitatem ad operari per iotuitionem, & fruitionem Dei, idem eſt, quod non habere capacitatem obedientialem vt aſſumatur ad videndum Deum, & illo fruendum. Ergo non habere coogruitatem ad aſſumptionem ad diuinum eſſe perſonale, idem erit, ac illam oon habere potentiam obedieotialem, vt aſſumatur ad eſſe diuinum perſonale. Minor eſt euideos. Conſequentia patet, oam quod noo habet capacitatem obedientialem ad id, quod minus eſt, oempe ad fruitionem, optimè deducit incapacitatem obedientialem ad id, quod maius eſt, nempe eſſe perſonale; ſicut quod non habet congruentiam ad operari per fruitionem, quod eſt minus, optimè deducit teſte Angelico doctore non habere congruentiam ad eſſe perſonale diuinum, quod maius eſt.

256. Reſpondebis explicans verba illa priora ſanctiſſimi doctoris, in quibus confidit tota vis argumenti, nempe *quod deficit à minori, non habet congruitatem in id, quod eſt maius*, duplicem enim ſenſum habeot. Primus eſt, quando minus ſub ſub maiori continetur, & ſubijcitur, illud, quod nequit ad minus, à fortiori ad maius non poterit. Et io hoc ſenſu vera ſunt, & in eo poſuit exemplum ſanctiſſimus doctor illis verbis: *ſicut corpus, quod non eſt aptum perfici anima ſenſitiua, multò minus eſt aptum perfici anima intellectuali.* Ecce iſtæ animæ, ſeu prædicata eiuſdem ſubordinationem habent inter ſe, & anima ſenſitiua ſopponitur eſſeotialiter ad gradum intellectiuum. Alius ſenſus illorum verborum eſt, nempe vniuerſaliter eſſe præfixam regolam, quòd qui ad minus noo poteſt, nec poſſit in maius, etiamſi, quod mious eſt, ei, quod eſt maios, non ſubordinetur. Et in hoc ſenſu falſa ſunt verba illa, neque in illo protulit ſanctiſſimos doctor, vt patet in exemplo allato animarum: Quòd ſenſus ille non ſit verus, plura, quæ ſuppetebant exempla, quæque, quia peruia, omitto, declarant, & vnum ſufficit, homo volare neqoit, & diſcurrere poteſt, quamuis volare ſit minus, quàm diſcurſum facere. Vnde viſio beata & vnio ſibi oon ſemper ſubordinantur, ſed aliquando coniunguntur, videlicet in Chriſto, ex ſuppoſitione videlicet decreti Dei volentis aſſomere naturam, quæ ſimul aſſumatur ad eſſe perſonale, & ad fruendum Deo, & illum videndum, quamuis abſolutè, & ſimpliciter poſſet natura etiam intellectualis ad eſſe perſonale, & non ad fruendum Deo aſſumi. Præterea nam licèt in alia materia idipſum noo inutiliter *tract. 1. diſp. 3. n. 157.* expenderimus, oon eſſe argumentum ſecurum ex ibi dictis docemus, ſubiectum, A, quia imperfectum, habet maiorem incongruitatem alio ad aliqood excellens prædicatum. Ergo ad illud habet incapacitatem. Sicut vir plebeius maiorem iocongruitatem habet, vt ſceptrum vnius Prouinciæ poſſideat, quàm vir nobilis; at ooo exinde incapacitatem habet, facile formam ex hac materia applicare poteris argumento.

Argues vltimò ex Tertulliano, qui *libro de* 257.
carne Chriſti, capite quarto, dixit: *ſi venera de lupa, aut ſue, aut vacca procedere voluiſſet, & fera, aut pecoris corpore indutus, regnum cælorum prædicaret, tua, opinor, illa cenſura præſcriberet, turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei Filio, & ſtultum præterea eum, qui ita credat.* Reſpondeo, verba hæc non eſſe dicta à Tertulliano ex ſententia propria, ſed hæreſim aliorum referendo; quid autem hac in re Tertullianus ſenſerit, patet ex verbis aliis, quæ ſubdit. *Sit planè ſtultum, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum. Circumſpice Marcion, ſi tamen non deleſti. ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientiam &c.* Quæ verba cum aliis, quæ ſubiicentur, & proſequitur ipſe, tanti ponderis apud ipſum eſſe hominum conuerſionem, potiſſimùm apud Deum, vt magna cum decentia poſſet Deus hypoſtaticè ſibi naturam irrationalem copulare, & in illa prædicare gentibus.

Collige ex his in hypotheſi, quòd verbum 258.
aſſumeret naturam irrationalem completam, præter aſſumptionem partiom daretur immediata vnio aſſumptiua vnionis naturalis nectentis partes ipſas inter ſe; iſtud aſſertum eſt coofonum illi, quod latè expendimus *in hoc tractatu, & in hac diſputatione, dubio quarto, ſectione tertia, numero centeſimo vndecimo*, ſed vt affinitatem omnimodam habeat cum illo, eſt neceſſe iſtud aſſertum intelligere ſuppoſita opinioue probabili, tametſi extra ſcholam ſanctiſſimi Thomæ, docentes vnionem copulantem partes ſubſtantiales habere propriam ſubſiſteotiam diſtinctam à ſubſiſtentiis partialibus illarum. Vnde illa ibidem dicta, & præſenti hypothetico aſſerto applicabis.

Sectio III.

Matèria, nec forma vnitæ ſunt immediatè aſſumptibiles, taliter quòd vnâ aſſumptâ non aſſumatur alia.

RESolutio hæc non opponitur abſolutè al- 259.
teri, quam dedimus *ſuprà dubio quarto, ſectione prima, numero octogeſimo nono*, nam ibi dum aſſignata fuit vnio immediatè aſſumptiua materiæ, loquuti fuimus in opioione probabili coocedente materiæ primæ propriam ſubſiſtentiam, & exiſtentiam partialem, quod vt ibidem ootauimus *numero nonageſimo ſeptimo*, non eſt ita familiare principiis ſanctiſſimi doctoris: atque adeo ibidem diximus contrarium illi eſſe conformius, reſolutio autem hæc ſupponit, materiam primam eſſe purè potentiam prorſus expertem ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ propriæ. Quo ergo ſuppoſito breuiſſimè ab hac reſolutione me expediam, ratio eſt clara: nam id ſolum aſſumptibile eſt à Deo, quod ſi non aſſumeretur à Deo ſuam propriam haberet ſubſiſtentiam: vt non ſemel, ſed millies

millies idipſum reperiuimus. Sed materia prima relicta ſuis prædicatis propriis eſt omnis ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ propriæ expers. Ergo noo eſt immediatè aſſumptibilis. Ex qno fit, nec formam, aliàs vnitam materiæ eſſe aſſumptibilem à Deo, taliter, qoòd illa aſſumeretur, inaſſumpta materia, etenim licèe forma rationalis, nempe anima noſtra ſuam habeat ſubſiſtentiam, quapropter valeat in ſeipſa terminare aſſumptionem à Deo, tameo ſemel voita materiæ nequit aſſumi inaſſumptâ materiâ. Ratio iuxta dicta, etſi breuis, eſt certa. Nam eo ipſo, quòd anima aſſumeretur, pro priori debuerat ſpoliari ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ, atque adeo pro illo priori debuit materia prima priuari ſubſiſtentiâ creatâ, cum ſubſiſteret mediâ ſubſiſtentiâ formæ, quàm pro priori ad aſſumptionem amiſſam ſopponimus. Ergo ſi pro poſteriori dum aſſumitur forma, non aſſumeretur ſimul materia, iam hæc vel ſubſiſteret propriâ ſubſiſtentiâ, quæ non eſſet formæ, quod illi repugnat, vel ſubſiſteret ſubſiſtentiâ formæ, quæ per aſſumptionem euanuerat, qood eſt impoſſibile. Ergò repugnat, formam vnitam materiæ immediatè aſſumi, minimè aſſumptâ materiâ.

160. Reſolutio hæc habet duas partes. Prima, ſcilicet, quòd materia prima vnita formæ immediatè non ſit aſſumptibilis, impugnari nequit, niſi oſtendendo, materiam primam ex propriis habere ſibi debitam ſubſiſtentiam independenter à forma, verùm noſtra noo intereſt, illud eſſe falſum oſtendere, ſed ſuppoere cootrariom eſſe omnino verum, aliàs pora theologica philoſophicis concertationibus miſcerentur, ſeconda pars, videlicet qnòd forma etiam rationalis vnita materiæ aſſumi neqneat inaſſumptâ materiâ poteſt breuiter impugnari. Etenim nihil eorum, quæ materiæ aſſumptionem impediunt, inuenitor in forma rationali vnita ipſi materiæ. Ergo licèt huic vnitæ formæ repugnet aſſomptio, noo tamen iſti materiæ vnitæ. Probo antecedeos, ratio impediens aſſumptionem materiæ eſt, hanc de ſe eſſe incapacem propriæ ſubſiſteotiæ. Sed forma rationalis vnita materiæ eſt capax propriæ ſubſiſtentiæ. Ergo nihil impediens materiæ aſſumptionem, inneoitur io forma rationali vnita materiæ.

261. Reſpondeo, aliud eſſe animam rationalem eſſe ſecundùm ſe aſſumptibilem, & aliud eam vnitam materiæ eſſe aſſumptibilem taliter, quòd materia non aſſumatur ſimul, & conſequenter compoſitum. Primom eſt verum, vt *ſectione ſequenti* videbimos. Secundum eſt falſum, non falſitate proueniente ex parte animæ rationalis, ſed falſitate proueniente ex materia, cui eſſet anima vnita; nam vt vidimus *numero* 259. *in calce*, ſi anima vnita materiæ eſſet in illo ſenſu aſſumptibilis, fieret exinde, vel materiam debere ſubſiſtere per ſubſiſtentiam diuinam, quod repugnaret, cùm ſopponamus illam noo eſſe aſſomptam. Vel per ſubſiſtentiam propriam, quam docemos illi repugnare, vel per ſubſiſtentiam animæ rationalis, & per hanc minus, cùm iſta ex vi aſſumptionis periiſſet pro priori. Vel tandem per ſubſiſtentiam propriam totios: qnod eſt æquè abſurdum, oam io tali caſu nec totum ſubſiſteret ſubſiſtentiâ propriâ, cùm partes, à quibus vt vnitis non diſtinguitur, minimè propriis ſubſiſtentiis dicantur ſubſiſtere.

Sed quæres, an materia prima in hypotheſi, quòd poſſit à Deo ſeparata ab omni forma conſeruari, poſſit immediatè à diuina perſona aſſumi? Quæſtio hæc in ſententia concedente materiæ primæ partialem ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, nec difficilis eſt admittere hypotheſis caſum, & eo admiſſo facilè in affirmatiuam partem authores illi propendent. At quia, vt ſuprà aduertimos, iuxta mentem ſanctiſſimi doctoris, materia prima eſt incapax propriæ ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, vtrumque iudicant impoſſibile diſcipuli ſanctiſſimi doctoris, & quòd caſus hypotheſis, conſeruatio ſcilicet materiæ abſque omni forma ſit poſſibilis, & quòd dato illo, materia eſſet tunc aſſumptibilis. His non obſtantibus defendimus etiam ſtantibus principiis aſſignatis, qnòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile conſeruaretur à Deo materia prima ſine omni forma, qnod tunc valeret aſſumi, & ad exiſtentiam diuinam, & ſubſiſtentiam; probabilitas huius dicti eſt intrinſeca, ſumpta ex aothoritate Bannezij 1. *part. quæſtione ſexageſima ſexta, articulo primo, dubio ſecundo, concluſione tertia*, aſſerentis, poſſibile eſſe, Deum conſeruare materiam primam abſque omni forma, ſi Deus illi ſuam exiſtentiam infinitam præſtiterit. Vbi diſertis verbis admittit, poſſibilem conſeruationem materiæ abſque omni forma, & illam poſſe aſſumi ad exiſtere Dei infinitum. Ergo multò probabilius erit, non admittere vt poſſibilem talem materiæ conſeruationem, ſed ſob hypotheſi impoſſibili illius decernere materiam primam tunc eſſe aſſumptibilem à diuina perſona, vt ſubſiſtat per eam. 262.

Non obſtaote hoc, quia vix Thomiſtæ cuncti deſerunt aſſertum hoc Bannezij, ideo vt frequentiori Thomiſtarum parti adhæream, aſſerimos, etiam in prædicta hypotheſi impoſſibili conſeruationis materiæ ab omoi forma ſubſtantiali ſeparatæ, adhuc eſſe inaſſumptibilem, à diuina perſoonalitate. Ratio eſt eadem cum illa, qua probabamos coocluſionem; nam etiam in tali hypotheſi repugnat illi ſubſiſtentia, & exiſtentia propria, cúmque enim illi, cui repugnant iſta, repugnet aſſumptibilitas, fit: etiam in hypotheſi illa impoſſibili materiæ primæ aſſumptibilitatem repugnare, ita idipſum defendit Cippullos *hic quæſtione quarta, articulo primo, dubio ſecundo, §. quinto, numero vigeſimo primo*; 263.

Sectio IV.

Qualibet forma ſubſtantialis, à materia ſeparata, eſt à Deo aſſumptibilis.

264. Dvplex eſt forma ſubſtantialis. Alia ſpiritualis, vt anima noſtra. Alia materialis, vt forma equi. Anima noſtra extra dubium eſt, quòd à materia ſeparata aſſumi poſſit, aliæ verò materiales formæ quæſitum ſortant, & de illis intelligenda eſt iacta tituli reſolutio. De ambabus formis vnitis materiæ reſoluimus *ſectione antecedenti*. Ratio concluſionis eſt quæ ſemper inculcatur à cunctis, videlicet, quia quidquid aſſumitur, in eo ſtatu, in quo aſſumitur, habere debet propriam ſubſiſtentiam, cumque forma materialis, dum eſt in ſtatu vnitionis, ſubſiſtentiæ ſit expers, quippe à materia, cui vnita eſt, dependens, in ſtatu verò ſeparationis, quia independens à materia, capax reddatur ſubſiſtentiæ propriæ, fit, in hoc ſtatu eſſe capacem diuinæ aſſumptionis.

265. Replicabis, rationem hanc efficacem non eſſe, ſiquidem varietas ſtatuum materialis formæ nequit illi demere, vel addere capacitatem ad aſſumptionem diuinam, ſicut quia ſeparetur, vel non ſeparetur forma materialis à materia, & iſtos duos ſtatus ſeparationis, & vnitionis excurrat, non ideo capacitas ad diſcurrendum tollitur, vel illi additur. Ergo ratione iſtorum ſtatuum non deducitur bene, in vno habere capacitatem & in alio eam ad aſſumptionem formam materialem non habere.

266. Reſpondebis, varietatem hanc ſtatuum eſſe conditionem, ſeu remouens prohibens, vt forma materialis reddatur capax propriæ ſubſiſtentiæ, & conſequenter dictæ aſſumptionis: ſiquidem non alia de cauſa materialis forma in ſtatu vnionis cum materia eſt incapax ſubſiſtentiæ propriæ & alienæ diuinæ, quia in tali ſtatu pendet à materia, quare in ſtatu ſeparationis, cum hæc dependentia remoueatur, ſtatim in ipſa reſultat capacitas ad ſubſiſtendum propriâ ſubſiſtentiâ, & conſequenter ſubſiſtentia diuinâ; vnde ſtatus ſeparationis ſe habet ſicut ablatio corporis intermedij ad deſcenſum corporis grauis.

267. Sed replicabis: nam adhuc permiſſa ſolutione iſta perſiſtit vis replicæ, nam tota ratio, quare forma materialis eſt incapax diſcurſus in ſtatu vnitionis cum materia, eſt dependentia ab illa; vt rectè docet SS. D. 1. *part. quæſt.* 14. *art.* 5. *&* 1. tradens differentiam inter cognoſcentia, & non cognoſcentia, & ibidem afferens diſcrimen inter ipſa cognoſcentia, adducit gradus inferiores & ſuperiores iuxta diuerſitatem operationum cognoſcitiuarum, & aſſerit, compoſita materialia viuentia, quippe immerſa materiæ, licèt ſenſitiuas cognitiones valeât elicere, quatenus aliquo modo eorum formæ abſtrahunt à materia, non tamen intellectiones elicere poſſunt, quia in eſſe & operari à materia dependent. Ergo iuxta ſanctiſſimum doctorem, ideo forma materialis in ſtatu coniunctionis capax non eſt eliciendi intellectiones, quia in tali ſtatu eſſentialiter dependet à materia. Ergo quantùm ad hoc quod eſt, formam materialem eſſe incapacem eliciendi diſcurſum, & habendi ſubſiſtentiam propriam in ſtatu vnitionis vnica ratio eſt dependentia, quàm in illo ſtatu habet forma materialis ab ipſa materia. Tunc ſic: ſed formam hanc ſeparari à materia non eſt ſublatio ſufficiens impedimenti, vt in illa forma reſultet capacitas eliciendi diſcurſum. Ergo nec talis ſtatus erit ſufficiens remotio impedimenti, vt in ipſa forma reſultet capacitas ad propriam ſubſiſtentiam, & conſequenter capacitas alia ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ.

Reſpondebis, aliqua eſſe prædicata quæ re- 268.
pugnant ſubiecto, vel illi conueniunt, conſiderato ſecundùm ſua intrinſeca prædicata; alia verò, quæ licèt repugnent, vel conueniant illi in aliquo ſtatu; tamen collata cum illo vt abſtracto à prædictis ſtatibus, nec determinatè illi conuenire, aut poſitiuè repugnare dicuntur. Exemplum eſt clarum in metaphyſica, vbi docetur, naturæ in ſtatu ſolitario conſideratæ conuenire ſua prædicata eſſentialia, verbi gratia animalis naturæ poſitiuè cõueniunt viuens & ſentiens; prædicari verò de pluribus, vel eſſe identicè hominem, ſolùm per non repugnantiam illi competunt; quatenus conſiderata ſub ſtatu abſtractionis adeſt illi potentia poſitiua ad prædicandum de multis, vt verò eſt contracta ad eſſe hominis poſitiuè competit illi identitas cum homine. Prædicata enim illa, quæ repugnant ſubiecto ſecundùm ſuum conceptum obiectiuum, vel quæ ſic illi dicuntur conuenire, ſemper illud in quouis ſtatu comitantur, atque adeo ſemper illi repugnant, vel ſemper illi poſitiuè conueniunt; prædicata verò, quæ ſubiecto conueniunt, vel repugnant ratione huius, vel illius ſtatus, non ſemper ſubiecto competunt, niſi, quando ſtatus, ratione cuius competit, vel repugnat illi, eſt inamiſſibilis, ſolùm enim talia prædicata illi conuenire dicuntur, quandiu ſtatus, qui eſt ratio conueniendi, perſeuerat, & idem dic de prædicato repugnantiæ. Hoc notato, facilis eſt aditus replicæ, ſiquidem formæ materiali repugnare elicientiam diſcurſus, non conuenit illi ratione alicuius ſtatus, nempe vnitionis cum materia, ſed ſecundùm conceptum obiectiuum formæ materialis, ex ſe improportionem habentis cum cognitione ſpirituali, qualis eſt diſcurſus, ea enim improportio eſt in forma materiali, & diſcurſu, qualis reperitur inter corpus & ſpiritum; cùm autem hæc innitatur in conceptibus obiectiuis corporis, & ſpiritus, ita & improportio formæ materialis & diſcurſus, quapropter formæ materiali ſiue in ſtatu ſeparationis, ſiue vnitionis cum materia, repugnabit producere diſcurſum. At verò aſſumi poſſe, vel non aſſumi, ſunt prædicata, quæ conueniunt formæ materiali ſolùm ratione ſtatus. Ratio, quia poſſe aſſumi ſolùm deſiderat capacitatem ad habendum ſubſiſtentiam propriam; poſſe non aſſumi petit negationem, ſeu carentiam talis capacitatis, cùmque iuxta noſtra, & ſanctiſſimi doctoris principia, formæ materiali in ſtatu ſeparationis à

mate

materia ſolùm competat capacitas ad habendum propriam ſubſiſtentiam, & in ſtatu vnitionis cum illa, conueniat negatio talis capacitatis, fit, poſſe aſſumi, vel non poſſe aſſumi eſſe ex prædicatis, quæ ratione ſtatus conueniunt formæ materiali, quapropter ſeparata ab ſtatu vnitionis habebit poſſe aſſumi ad ſubſiſtendum per ſubſiſtentiam infinitam, quamuis in nullo ſtatu competat illi poteſtas eliciendi diſcurſum. Ex his patet ſolutio ad ea, quæ ex ſanctiſſimo doctore contra nos adducit replicis. Etenim in forma materiali etiam in ſtatu ſeparationis non reperitur gradus ille immaterialitatis, quem diſcurſus ſpiritualis in ſui principio exoptat.

269. Sed replicabis, quemadmodum incapacitas ad diſcurſum competit formæ materiali independenter à quolibet ſtatu, ita incapacitas ad aſſumi, conuenit illi independenter ab omni ſtatu. Ergo reſpectu vtriuſque eſt æqualis incapacitas in forma materiali. Probo antecedens, etenim cui competit ſecundùm ſe & independenter ab omni ſtatu incapacitas ad ſubſiſtendum propriâ ſubſiſtentiâ, conuenit illi ſecundùm ſe, & independenter ab omni ſtatu incapacitas, vt aſſumatur, vt millies repetiuimus. Sed incapacitas, vt ſubſiſtat propriâ ſubſiſtentiâ conuenit formæ materiali independenter ab omni ſtatu. Ergo & illi conuenit incapacitas, vt aſſumatur independenter ab omni ſtatu. Probo minorem, forma materialis dum ſtat ſub ſtatu coniunctionis cum materia, ideo eſt incapax ſubſiſtendi propriâ ſubſiſtentiâ, quia dum ſub tali ſtatu eſt, dependet in ſuo eſſe à materia. Sed forma materialis independenter ab iſto ſtatu, & ſecundùm ſe habet ſuum eſſe dependens à materia. Ergo formæ materiali independenter à quolibet ſtatu conuenit incapacitas ſubſiſtendi propriâ ſubſiſtentiâ. Probo minorem, nam diſtinctiuum formæ materialis eſſentiale à forma ſpirituali, eſt dependentia ſui eſſe à materia. Ergo dependentia in ſuo eſſe à materia conuenit formæ materiali independenter ab omni eius ſtatu, antecedens probo, diſtinctiuum formæ ſpiritualis à materiali forma eſt illius independentia in ſuo eſſe à materia. Ergo vice verſa diſtinctiuum formæ materialis ab ſpirituali erit dependentia illius in ſuo eſſe à materia. Conſequentia patet, nam per oppoſitum ei, quo vnum contrarium diſtinguitur ab alio. Hoc alterum diſtinguitur ab illo. Ergo optimè deducitur incapacitas, vt aſſumatur in forma materiali, ex incapacitate eiuſdem ad diſcurrendum, cùm vtraque incapacitas ſit ex genere prædicatorum, quæ conueniunt ſubiecto ſecundùm ſe, & independenter ab omni ſtatu.

270. Reſpondeo negans antecedens, ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem, nempe eius cauſalem, quia dum ſub tali ſtatu eſt, dependet in ſuo eſſe à materia, dependet in actu exercito, & actualiter, concedo maiorem, quia dependet ſolùm quoad exigentiam, nego maiorem, & diſtinguo minorem: ſed forma materialis independenter ab ſtatu iſto habet ſuum eſſe dependens à materia, dependentia actuali, nego, dependentia quoad exigentiam, concedo, & nego conſequentiam; ac probationem minoris diſtinguo antecedens, diſtinctiuum formæ materialis ab ſpirituali eſt dependentia illius eſſe à materia; dependentia actualis, vel aptitudinis ſeu quoad exigentiam, concedo, dependentia actualis, nego. Et diſtinguo conſequens. Ergo dependentia in ſuo eſſe à materia conuenit formæ materiali independenter ab omni ſtatu, dependentia actualis, nego, dependentia quoad exigentiam, concedo. Ad probationem antecedentis, diſtinguo antecedens, diſtinctiuum formæ ſpiritualis à materiali eſt illius independentia tam actualis; quàm aptitudinalis, & quoad exigentiam, concedo, ſolùm actualis, nego, & ſub diſtinctione millies data concedes, & negabis conſequentiam; materiam huius formæ miniſtrabunt diſtinctionum termini.

Sectio V.

Partes integrales formæ diuiſibilis vnitæ aliis, poſſunt aſſumi à Deo, aliis minimè aſſumptis.

Reſolutio hæc, ſicut & aliæ, quas *ſectiones antecedentes huius dubij* dederunt, rem aut leuem, tractant, etſi aliquid difficultatis contineant, non aliter ei occurrendum, quàm per principia quæ in philoſophia quilibet pro delectu iecit. Ratio eſt eadem, quàm millies *ſectiones antecedentes* exararunt. Etenim partes integrales, in opinione tenente earum formam eſſe diuiſibilem., habent ſubſiſtentias diſtinctas inter ſe eo modo, quo à diſtinctis partialibus formis actuantur. Sed quidquid capax eſt propriæ ſubſiſtentiæ, capax etiam eſt, vt à Deo aſſumatur; ergo partes iſtæ integrales informatæ forma diuiſibili, etiamſi aliis ſint vnitæ, poterunt à Deo aſſumi, cæteris minimè aſſumptis. Maior ſupponitur ex philoſophia, & metaphyſica. Minor eſt regula præfixa à Theologis dignoſcendi, quales res ſunt aſſumptibiles à Deo. Conſequentia patet, nam ſuppoſitis præmiſſis nihil videtur obeſſe tali aſſumptioni. 271.

Reſpondebis impedimentum talis aſſumptionis non naſci ex defectu aſſumptibilitatis talium partium, imo, quia omnes ſunt aſſumptibiles, videtur dari impedimentum ad hoc, vt vnâ aſſumptâ alia inaſſumpta relinquatur, quia, cùm ſupponamus illas eſſe inter ſe vnitas, videtur implicationem inuolui, vnam aſſumi, & aliam inaſſumptam relinqui. Sicut ob hanc rationem *ſectione* 3. diximus, animam, licèt à materia ſeparatam, eſſe aſſumptibilem à Deo, tamen vt eſt materiæ vnita, non poſſe aſſumi, quin materia ipſa aſſumatur. Ergo ex eo quòd pars quælibet integralis ſit aſſumptibilis, licèt inferatur, quòd quælibet valeat immediatè aſſumi, non tamen infertur, quòd vna aſſumpta, ſi eſt alteri vnita, quòd hæc inaſſumpta relinquatur. 272.

Sed replicabis, imprimis vnio partium integralium ſe ſola minimè ſufficit impedire aſſumptionem vnius, quin cæteræ aſſumantur, 273.

Ergo ruit ſolutio. Antecedens probo; ſi impediret, ex eo eſſet, quòd de vna parte verificaretur eſſe in ſe, & de alia ſibi vnita verificaretur eſſe in alio. Sed hoc non ſufficit impedire aſſumptionem vnius componi cum inaſſumptione alterius partis vnitæ. Ergo talis vnio non eſſet impedimentum. Probo minorem nam ſimilis prædicatorum quaſi oppoſitio poteſt verificari de partibus æquè inter ſe vnitis. Ergo prædicta verificatio prædicatorum non impedit aſſumptionem vnius partis componi cum inaſſumptione alterius. Antecedens oſtendit familiariſſimum exemplum. Pone caſum, quòd ſacerdos pro delectu medietatem hoſtiæ conſecraret, & aliam partem inconſecratam relinquat. In hoc caſu certum eſt, medietates illas eſſe vnitas, & ex alia parte de medietate vnius verificaretur eſſe inhærens ſubiecto, de altera non eſſe ſubiecto inhærens. Ergo ſimilis prædicatorum oppoſitio de partibus æquè inter ſe vnitis verificari poteſt, ac verificaretur de partibus integralibus inter ſe vnitis. Siquidem æquè opponi videtur eſſe in alio per inhærentiam, & non eſſe in alio per inhærentiam; ac eſſe in ſe & per ſe opponatur cum eſſe in alio, tanquam in ſuppoſito alieno.

274. Illud autem de anima non viget, ſiquidem ratio, cur anima vnita materiæ nequeat aſſumi, materiâ non aſſumptâ, non naſcitur præciſè ex vnione inter ambas inuenta, ſed quia ſi inaſſūpta relinqueretur materia, nullo modo de illa verificaretur ſubſiſtere, vt explicuimus *ſectione citata*, *num.* 261. at verò in caſu, quo pars vna integralis aſſumeretur, alterâ ſibi vnitâ minimè aſſumptâ, non verificaretur de hac minimè ſubſiſtere, nam, vt ſupponimus, quælibet integralium forma diuiſibili informatarum habet ſuam partialem ſubſiſtentiam, ſociam partialis formæ, qua talis pars integralis actuatur.

275. Argues contra iſtam doctrinam. Partes iſtæ integrales capaces non ſunt ſubſiſtentiarum partialium. Ergo tota doctrina ruit. Antecedens probat Vaſquez *hic diſputatione* 32. *numero* 6. nam licèt ſubſiſtentia totalis entis materialis diuiſibilis ſit, & compoſita ex pluribus partibus ſecundùm extenſionem, ſicut & alia entia materialia, non tamen conſtat ex pluribus ſubſiſtentiis partialibus, quia videlicet pes, vel brachium non dicuntur eſſe per ſe, ſed in alio nempe in toto. Rurſum, nam quando diuiduntur partes aquæ, non manent diuiſæ partes prioris ſubſiſtentiæ, ſed tunc corrumpitur tota ſubſiſtentia præcedens, & producuntur de nouo aliæ duæ ſubſiſtentiæ, per quas illæ duæ aquæ incipiant ſubſiſtere ſeparatæ. Ergo partes integrales vt vnitæ nullam partialem in ſe habent ſubſiſtentiam, atque adeo inaſſumptibiles ſunt.

276. Reſpondeo, noſtra minimè intereſſe litem purè metaphyſicam incipere, nec dirimere, quando ſolas purè theologicas agimus, Metaphyſici enim curant diſputare, quibus rebus competat ſubſiſtere: ſuppoſitis iam reſolutionibus illorum, vnuſquiſque eam ſupponere debet, quæ magis conſonet concluſioni, quam ſuſcipit theologicè diſputare. Verùm ex illis, vt probabilior reddatur noſtra reſolutio, aliqualem dabimus, & breuem rationem dandi prædictis partibus integralibus ſubſiſtentias partiales. Siquidem ſubſiſtentia ex ſe non impedit quamcumque communicationem, quæ fit per vnionem ſecundùm extenſionem ad complendum totum integrale, ſed ſolùm impedit communicationem rei, quam complet, quæ fit per vnionem ad complendum totum ſubſtantiale, & eſſentiale in eſſe naturæ. Ratio, nam illa incommunicabilitas, quam eſſentialiter connotari à ſubſiſtentia diximus *dub.* 6. ſolùm impedire poteſt in re ſubſiſtente communicationem illam, quæ ſub poteſtate ſua continetur; atqui in rebus materialibus poteſt impedire communicationem eſſentialem, non verò extenſiuam & integralem; ſiquidem cùm talia entia ſint materialia eſſentialiter, ſunt in plures partes diuiſibilia, taliter quòd pars illarum quælibet, ſi ab alia ſeparetur, poſſet ſe ſola exiſtere perfectè. Exinde fit, quòd quælibet illarum ſociam habeat ſubſiſtentiam propriam, & quæ ſemper illam comitetur, aliàs dum ſeparatur, acquireret de nouo productam ſubſiſtentiam, & dum reunitur cum aliis partibus, perderet illam, & alia de nouo in toto, quod componeret, reſultaret, quod eſſe falſum in exemplo guttulæ maris ab eo ſeparatæ & iterum illi reunitæ experimur. Vnde fit, quòd licèt pars materialis integralis communicetur alteri parti, hoc eſt illi vniatur, non exinde infertur, illi deficere ſuam partialem ſubſiſtentiam, quia de ratione huius, quando eſt ſubſiſtentia rei materialis, non eſt connotare eſſentialiter negationem communicationis partis ſecundùm extenſionem. Et vt bene aduertunt recentes in metaphyſica, communicatio hæc, quam in parte integrali ſua ſubſiſtentia permittit, non eſt ſtricta communicatio, cùm etiam illâ datâ quælibet pars integralis maneat in ſe, & ab alia diſtincta.

Replicabis, ergo pars quælibet aquæ eſt propriè aſſumptibilis à Deo etiam ſi altera pars, cui eſt vnita non aſſumatur. Eſt certa illatio, imo noſtra reſolutio; ergo dato caſu quòd aqua in hydria inuenta aſſumeretur à verbo, talis aqua poteſt immitti in mari, vt cum illius aqua continuetur, eſt certum. Tunc peto, an illa aqua hydrię à verbo aſſumpta conſeruet vnionem cum verbo, dum cum altera aqua continuatur, vel illam non conſeruet? ſi hoc, non poteſt aliunde prouenire, niſi ex eo, quòd pars vna vnita alteri nequit aſſumi, quin iſta aſſumatur. Si primum, fieret exinde, illam aquam continuatam cum aqua maris eſſe verum ſuppoſitum, diſtinctum ab alio, quòd in altera aqua maris non aſſumpta inuenitur. Probo, nam aqua aſſumpta retinens vnionem hypoſtaticam, & ſubſiſtentia facerent vnum ſuppoſitum, ſicut illa alia aqua non aſſumpta, & ſua ſubſiſtentia propria aliud ſuppoſitum facerent. Hoc autem eſſe falſum, patet ex eo, quòd poſſent in mari tot ſuppoſita eſſe quot gutulæ aquæ in illo reperiuntur. 277.

Reſpondeo admittens caſum, & rurſum affirmo poſſe aquam illam ſic terminatam perſonalitate diuina continuari cum aqua maris; ſed nego illam aquam eſſe dicendam 278.

ſuppo

ſuppoſitum vt continuatam, licèt ante vnionem eſſet ſuppoſitum diſtinctum à ſuppoſito maris. Ratio eſt clara, quia ſicut ipſa aqua hydriæ ſeparata à mari, erat ſuppoſitum diſtinctum ante aſſumptionem à ſuppoſito aquæ maris, quia tunc illa aqua, vt ſeparata à mari erat totum, atque adeo eius ſubſiſtentia erat totalis, & ſic ex illis fiebat ſuppoſitum, poſtmodum verò quando illa aqua hydriæ vniebatur cum maris aqua, deſinebat eſſe totum. & ſortiebatur rationem partis, ita vt ex illa ſic vnita, & eius ſubſiſtentia partiali non reſultabat vnum ſuppoſitum, diſtinctum à ſuppoſito maris; ita idem eſſet dicendum in caſu, quòd aqua in hydria repoſita vniretur Verbo, ſi enim illam ſibi Verbum vniret, vt eam ibidem ſeparatam ab aqua maris relinqueret, tunc quia illa aqua vt ſeparata erat totum, ex illa & diuina ſubſiſtentia fiebat vnum ſuppoſitum, quod ſemper cadit ſupra naturam totalem, diſtinctum ab aquæ maris ſuppoſito; ſi vero illa eadem retinens vnionem cum Verbo immiſceretur mari, iam cum tunc illa aqua deſineret eſſe totum, deſineret etiam eſſe ſuppoſitum diſtinctum à ſuppoſito maris. Ratio, nam id ipſum, quod contingeret aquæ hydriæ, in vtroque ſtatu coniunctionis cum aqua maris, & ſeparationis ab illa ſine vnione ad ſubſiſtentiam diuinam, contingeret illi in vtroque ſtatu cum vnione ad diuinam ſubſiſtentiam, quia ſubſiſtentia Dei in omnibus ſubſtitueret munera propriæ ſubſiſtentiæ. Vnde in caſu replicæ non darentur in mari duo ſuppoſita, ſed vnum tantùm ſuppoſitum conſtans ex duabus partibus, quarum vna per ſubſiſtentiam diuinam, & altera per creatam conſtituatur. Si autem totidem partes aliquotæ maris eſſent aſſumptæ, quot relictæ, fieret eſſe vnum ſuppoſitum ex tot partibus diuinâ ſubſiſtentiâ conſtitutum, quot partes propriâ ſubſiſtentiâ terminatæ illud componunt.

280. Argues vltimò, Implicat Deum aſſumere aliquam naturam, ſiue totalem, ſiue partialem, ſuam propriam ſubſiſtentiam retinentem; ſed ſi Deus aſſumeret vnam partem integralem vnitam alteri, quæ inaſſumpta maneret, iam aſſumeret naturam, ſaltem partialem, ſuam propriam ſubſiſtentiam retinentem. Ergo implicat illam ſic à Deo hypoſtaticè vniri. Maiorem docuit *dub.* 6. Probo minorem, etenim vt ſupponimus pars illa aſſumpta eſſet in toto: Rurſum totum hoc ſupponitur ſubſiſtens ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ. Ergo pars illa aſſumpta in toto aſſumeretur retinens propriam ſubſiſtentiam: Probo hanc; pars illa aſſumpta in toto ſubſiſteret per ſubſiſtentiam totius. Ergo pars illa aſſumeretur retinens propriam ſubſiſtentiam. Antecedens probo, pars illa dum aſſumeretur, à toto non extraheretur, quia vt ſupponimus, pars illa aſſumpta eſſet vnita alteri parti, ex quibus totum fit, & à quibus totum non differt. Ergo pars illa exiſtens in toto ſubſiſteret per ſubſiſtentiam totius. Conſequentiam docet hæc communis phraſis, videlicet quamcunque partem exiſtentem in toto, aliàs propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtente, debere ſubſiſtere ad ſubſiſtentiam totius. Ergo pars illa aſſumpta à Verbo, vt exiſtens in toto, ſubſiſteret per ſubſiſtentiam totius. Antecedens ex phraſi conſtat ex eo, quia eatenus pars aliqua totum componit, quatenus exiſtit in toto. Vnde fit, quòd id, cui per ſe primò ſubſiſtere conuenit, eſt ipſum totum, poſtmodum verò cæteris partibus integrantibus. Ergo phraſis illa eſt vera: Ergo pars illa aſſumpta à Verbo exiſtens in toto, aliàs propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtente, ſubſiſteret ad ſubſiſtentiam totius. Ergo vt retinens propriam ſubſiſtentiam totius aſſumeretur à Verbo, quod eſt contradicere doctrinæ *dub.* 6. allatæ.

Reſpondeo, Non aliter, nec aliquid aliud eſſe ſubſiſtentiam totius, quàm partium vnitarum ſubſiſtentias, nec adeſt illi alia ſubſiſtentia, quæ diſtincta à ſubſiſtentiis partium vnitarum, dicatur propria totius; etenim ſicut totum in eſſe naturæ completæ nihil aliud eſt, quàm ipſæ partes eſſentiales vnitæ; ita totum ſubſiſtens nihil eſt aliud, quàm ipſæ partes ſubſiſtentes: Vnde quando contingeret partem vnâ eſſe aſſumptam à Verbo alterâ relictâ, vnaquæque iſtarum partium haberet ſubſiſtentiam; vna diuinam, & altera propriam. Et totum ex illis reſultans diceretur nec abſolutè ſubſiſtens ſubſiſtentiâ propriâ, nec ſubſiſtens abſolutè ſubſiſtentiâ alienâ; quia cùm eius ſubſiſtentia ſit ſubſiſtentia partium vnitarum, & iſtarum vna ſubſiſtat alienâ, & altera ſubſiſtat ſubſiſtentiâ propriâ; fit, ipſum abſolutè non eſſe dicendum ſubſiſtens abſolutè per aliquam determinatam iſtarum ſubſiſtentiarum excludendo aliam, ſed dicendum foret ſubſiſtens partim ſubſiſtentiâ propriâ ſecundùm partem illam inaſſumptam in ſua propria ſubſiſtentia derelictam; & partim ſubſiſtens ſubſiſtentiâ alienâ ſecundùm partem illam aſſumptam ad ſubſiſtentiam diuinam. Vnde phraſis illa non habet locum in noſtro caſu, ſed in eo, quòd naturaliter experimur, vbi omnes partes ſubſiſtunt ſuis propriis partialibus ſubſiſtentiis. 281.

Colliges ex dictis pro reſolutione, partes integrales rei, cuius forma eſt indiuiſibilis vnâ aſſumptâ, omnes illi vnitæ aſſumi debent. Ratio eſt clara, nam ſi vna aſſumeretur inaſſumpta alia parte, fieret, vnam & eandem naturam ſubſiſtere poſſe duplici ſubſiſtentiâ, propriâ ſcilicet, & alienâ: quod eſt contra dicta *dub.* 6. Probo ſequelam, nam eo ipſo, quòd forma illarum partium eſſet indiuiſibilis, & vna, iam ſubſiſtente vna parte aſſumpta per alienam ſubſiſtentiam, etiam forma illius partis ita deberet ſubſiſtere. Rurſum, & cum eadem met forma reperiretur indiuiſibiliter in altera parte inaſſumpta, & ideo propria ſubſiſtentia ſubſiſtente, etiam ipſa forma ſubſiſteret ſubſiſtentiâ propriâ. Ergo ſequela illa inferretur, quòd refragatur aſſertis *citato loco*. Si autem quis defenderet, vt plures, quos *dub.* 6. citauimus, poſſe eandem rem, ſuam propriam ſubſiſtentiam retinentem, alienâ ſubſiſtentia terminari, ſimiliter poterunt ſuſtinere poſſe partem aliquam integralem rei, cuius forma eſt indiuiſibilis, aſſumi à Verbo, quin alteram partem illi vnitam aſſumpſerit. 282.

Colliges ex his, Iſtas partes integrales non ha 283.

habere proprias ſubſiſtentias, oam iſtæ ſequuntur conditiones formarum, quando enim iſtæ ſunt indiuiſibiles, ſimiliter euadunt indiuiſibiles ſubſiſtentiæ; cùm ergo ſupponamus, formam illarum partium eſſe indiuiſibilem, optimè ſequitur, ſubſiſtentiam illius compoſiti debere indiuiſibilem eſſe.

284. Collige tandem, quòd caſu, quo noſtra tituli reſolutio contingeret de facto, nullo modo perſons aſſumens, verbi gratia, pedem, vel brachium eſſet dicenda pes, vel brachium, rationem dant Authores, ſiquidem ſolùm permittitur communicatio idiomatum de prædicatis illis, quæ apta ſunt dici de ſuppoſito: At eſſe pedem, vel brachium, ſolùm dici poteſt de ipſis partibus, non de ſuppoſito, nam hæc eſſet falſa, Ioannes eſt pes, ſed ad minimùm quod habeat pedem: ita idem diceretur de Verbo pedem aſſumente.

Sectio VI.

Quodlibet accidens poteſt à Deo aſſumi, vt illi vniatur, non vt ſubſiſtat, vel exiſtat per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam diuinam.

285. Reſolutio hæc tres habet partes, vt legenti titulum apparebit, ſingulæ in ſuis probationibus explicabuntur. Prima eſt, accidens Phyſicum, nempe albedo poteſt à Deo aſſumi, vt illi vniatur. Authores huius opinionis ſuos illi, qui defendunt, poſſe accidens aſſumi vt per ſubſiſtentiam ſubſiſtat diuinam, vel exiſtat per Dei exiſtentiam increatam, quos in argumentis contra cæteras partes concluſionis citabimus. Etenim aſſumi ad ſubſiſtendum, vel exiſtendum ſubſiſtentiâ & exiſtentiâ diuinâ inuoluit vnionem accidentis cum Deo, atque adeo qui primum tenent, tenent & vltimum. Et præter illos defendunt partem iſtam, qui negantes cæteras concluſionis partes, iſtam abſolutè defendunt. Vt Martinus Perez *hic diſp.9. ſect.4.* citans Maiorem, Marſilium, Gabrielem, Almaynum, Becanum docentem id eſſe probabile. Hurtadum Salmanticum *hic diſp.43. ſect.2. ſubſect.2.* tamen plures iſtorum aliquid amplius, quàm iſtius partis defenſionem, prætendunt, vt legenti conſtabit, & infrà videbimus, iſtam verò partem expreſsè docet Bernal *diſp.25. ſect.3.* Amicus *diſp.15. ſect.3. num.26.*

286. Probauimus igitur partem hanc, non repugnat accidens immediatè (nam de vnione mediata nulla eſt contentio) vniri Deo. Ergo accidenti conuenit aſſumptibilitas ad vnionem cum Deo. Antecedens probo, Imprimis repugnantia hæc non poteſt exiſtimari ex parte accidentis, & ſi illam ex ipſo deſumere præſumunt, melius eius falſitas oſtendetur, ſi aperiamus talem repugnantiam non eſſe deſumendam ex parte Dei. Sed nec ex parte Dei talis repugnantia ſumi poteſt. Ergo, &c. Probo minorem, Deo non repugnat eſſe purum terminum accidentis, ſupplendo eius inhærentiam, & informationem. Sed ex eo, quòd Deus aſſumeret accidens ad ſui vnionem, ſolùm ſequeretur, Deum eſſe terminum accidentis ſupplendo eius inhærentiam, & informationem. Ergo ex parte Dei non eſt ſumenda repugnantia prædictæ aſſumptionis. Maior & minor vna vice probantur, ſi oſtendamus vnionem immediatam accidentis cum Deo poſſe purgari ab informatione, & inhærentia actuali eiuſdem accidentis reſpectu Dei. Etenim communiter dicitur cum Angelico Doctore ibi *q. 77.* quantitatem eſſe immediatè vnitam cum ſubſtantia corporis Chriſti omni informatione, & inhærentia ſemota ab ipſa quantitate reſpectu talis ſubſtantiæ. Ergo componi ſimiliter poterit actualis vnio ipſius quantitatis, vel alterius accidentis cum Deo, purgando talem vnionẽ ab inhærentia, & ab informatione reſpectu ipſius. Conſequentia patet à paritate, nam ideo à tali inhærentia & actuali informatione quantitas reſpectu corporis Chriſti aufertur, quia cùm corpus Chriſti in Euchariſtia ſit modo indiuiſibili, & inextenſo, eſt incapax, vt informetur à quantitate. At magis repugnat Deo actu, vel in potentia ab aliquo informari. Ergo ſicut illa vnio quantitatis cum Corpore Chriſti purgatur ab informatione, ita hæc poſſet ab informatione, & inhærentia purgari. Ergo quemadmodum ibi corpus Chriſti non eſt ſubiectum inhæſionis, ſed potius terminus, & extremum vnionis quantitatis, ita in noſtro caſu foret Deus purus terminus, & extremum vnibile prædictæ vnionis quantitatis ad ipſum, ſupplente Deo inhærentia, & informatione.

287. Secundò moniti poteſt idem intentum ex ſententia valdè probabili inter diſcipulos Sanctiſſimi Doctoris, & alios admittente, vnionem ſubſtantialem partes duas nectentem illas debere informare; Certum de Fide eſt, Verbum de facto, vt terminum hypoſtaticum, ſupplere dependentiam ſuſtentatiuam, quam vnio à ſubiecto naturaliter petit. Ergo ſimiliter ipſum diuinum Verbum, & alia quæuis diuina Perſona poterit, vt purum vnibile extremum, ſupplere dependentiam ſuſtentatiuam, quam aliquod accidens à ſubiecto, à quo media informatione ſuſtentatur, ſupplere. Antecedens ſuppono ex communiori Philoſophis, in qua vnio petit ambo extrema, quæ nectit, informare, vt ab illis ſuſtentetur, & de Fide habemus, Verbum intrinſecè eſſe extremum illius, ſupplendo in ipſa informationem, vt ab illo ſuſtentetur. Conſequentiam probat paritas. Etenim apud omnes, magis dependet modus, qualis eſt vnio, à ſubiecto, quàm ab illo dicatur pendere accidens, quod eſt entitas. Ergo bene infertur, de facto Verbum ſupplet, vt purus terminus, & vnibile extremum, dependentiam ſuſtentatiuam vnionis, Ergo ſupplere poterit, vt extremum purum vnibile, dependentiam ſuſtentatiuam alterius accidentis, quam habet, vt à ſubiecto ſuſtentetur. Ergo vnio accidentis cum Deo componi poterit cum negatione inhærentiæ, & informationis in ipſo.

288. Verùm vt ratio currat in omni opinione, etiam in negante vnionem intermediam, tanquam

quam modum inter humanitatem, & Verbum; pondero ſic rem ipſam. Certum eſt apud Philoſophos Chriſtianos, Verbum diuinum de facto terminare, & ſuſtentare ſimul humanitatem, quin illam Verbum informet, tametſi omnis ſubſiſtentia creata, tale munus præſtare nequeat abſque illius informatione. Ergo poterit etiam diuinum Verbum terminare, & ſuſtentare accidentia tanquam purus terminus, & extremum vnibile abſque eo, quòd ab illis informetur. Conſequentiam probat omnimoda paritas, etenim in creatis ſicut ſubiectum petit accidentia recipere, vt illa ſuſtentet, ita quælibet ſubſiſtentia creata petit actu informare, & perficere ſubſtantiam, quam terminat, illi inhærendo, aut adhærendo. At hoc non obſtat, vt Fides docet in myſterio noſtro, vt diuina ſubſiſtentia intrinſecè humanitatem terminet, vt purus terminus, abſque vmbra informationis, inhæſionis, aut adhæſionis imperfectæ. Ergo nec alterum obſtabit, quominùs idem Verbum, vel perſona alia intrinſecè vniatur cum accidente vt purus terminus, ſuppleodo in illo ſuam informationem, quam petit naturaliter in ſubiecto, à quo ſuſtentatur.

289. Sed obiicies, Duplex eſt in accidenti dependentia à ſubiecto. Altera vt à cauſa efficiente conſeruante effectiuè ipſum accidens Altera, vt à cauſa materiali, cui inhæreat; Prior dependentia ſupplebilis eſt à Deo conſeruando accidens ab omni ſubiecto ſeparatum, vt in Euchariſtia contingit. At poſteriorem dependentiam Deus ſupplere nequit, vt omnes docent. At ſi Verbum poſſet ſuſtentare accidentia, ſuppleret vicem cauſæ materialis. Ergo Deus nequit aſſumere accidens ad ſui vnionem ſupplendo eius inhærentiam. Minor patet. Nam tunc non ſuppleret Verbum vicem cauſæ efficientis. Ergo ſuppleret vicem cauſæ materialis. Antecedens probo, nam tunc iuxta dicta Verbum ſuppleret dependentiam accidentis tanquam purus terminus. Sed terminare non eſt efficere, Ergo Verbum tunc non ſuppleret vicem cauſæ efficientis. Ergo vicem ſolius cauſæ materialis ſuppleret. At hoc eſt impoſſibile. Ergo & quod Verbum aſſumere valeat accidens ad ſui vnionem.

290. Obiectio hæc petit, vt oſtendamus modum, quem Deus ſeruaret in aſſumendo accidens ad vnionem ſui. Imprimis aperturi ſumus id, quod intendunt Authores dicere. Deum non poſſe ſupplere vicem cauſæ materialis; etenim ſi in his verbis intendunt, Deum non poſſe aliquid recipere, dicent verum, & hoc eſt, quod præſumimus defendere ſi tamen aſſerant, quòd Deus non poſſit ſibi vnire accidens, quin egeat cauſalitate materiali in illud, hoc eſt falſum, & de hoc eſt contentio, nempe an id, quod ſubiectum creatum media cauſalitate materiali exequitur, vt accidens ſibi vniat, id ipſum Deus præſtaret, caſu, quo accidens ſibi vniret? Negamus nos in concluſione, & ſimul dicimus, in hoc ſenſu Deum ſupplere vicem cauſæ materialis, hoc eſt, Deus facit intrinſecè terminando accidens, quod præſtat ſubiectum recipiendo; & ſic vtramque dependentiam accidentis ſuppleret Deus, vnam in genere efficientis conſeruantis accidens, & aliam in genere cauſæ terminatiuæ, æquiualentis cauſalitati materiali in ſubiecto creato erga accidens repertæ. Quomodo autem iſta fierent. Vno ex duobus, vel tribus modis ſtatim explicandis patefiet.

291. Non aliter res hæc venit explicanda niſi modo, quo Doctores expendunt Deum ſe gerere in conſeruandis accidentibus Euchariſticis. Vnum vel alterum adducam. Dicunt ergo quidam in quantitate ante conſecrationem eſſe duo. Primum nempe exiſtentia, qua erat extra cauſas: & inhærentia, qua erat in ſubſtantia, quia licèt accidens per exiſtentiam ſit aptum ad inhærendum, non tamen ex vi illius inhæret, ſed indiget alio modo, medio quo inhæreat, qui ſit vltimus terminus illius Vnde poſita conſecratione, quantitas habet primum, ſcilicet exiſtentiam, non tamen ſecundum, nempe inhærentiam. Vnde id, quod ſupplet Deus ex vi actionis conſeruatiua quantitatis, non eſt huius exiſtentia, ſed inhærentia, ſuſtentando ſcilicet ſuo influxu id, quod ſubſtantia panis ſuſtentabat; atque ita ab exiſtentia habet quantitas, quòd exiſtat per actionem illam habet, quòd talis exiſtentia ſit per ſe negatiuè, hoc eſt, non in ſubiecto.

292. Notant rurſùm, Ex exiſtentia quantitatis & ex iſta actione extrinſeca Dei integrari vnam adæquatam rationem exiſtendi per ſe, quam habet quantitas Euchariſtica; vnde ſola exiſtentia proxima accidentalis ab intrinſeco, illi quantitati conueniens, non tribuit ei, quòd per ſe exiſtat, ſed exiſtentia ſimul cum dependentia à ſpeciali Dei concurſu ſupplente vicem ſubſtantiæ, à qua priùs ſuſtentabatur; ideo exiſtentia per ſe, quam habet quantitas Euchariſtiæ, & quam habet quælibet ſubſtantia creata ſolùm æquiuocè conueniunt, aut analogicè.

293. Hoc enim modo poteris diſcurrere, euenturum fore accidenti, caſu, quoad ſui vnionem aſſumeretur à Deo quòd ſcilicet haberet eandem exiſtentiam, quam ante aſſumptionem habebat, & illi inhærentia deficeret, quæ tunc ſuppleretur media actione aſſumptiua, ex qua, & ex illius accidentis dependentia ab ſpeciali Dei influxu aſſumptiuo integraretur modus exiſtendi per ſe talis accidentis aſſumpti.

294. Alij vix eodem modo de quantitate Euchariſtica diſcurrunt dicentes: quòd quantitas priùs creetur, & creatione perſiſtente recipiat quantitas vnionem eductam ex illa, & in illa intrinſecè receptam, & quòd talis vnio intrinſecè ad corpus Chriſti terminetur. Vnde actio illa ſupplet vicem cauſæ efficientis, & ipſum corpus vicem quaſi cauſæ materialis. Hoc pariter modo euenire poſſet accidenti in hypotheſi, quòd à Deo ad vnionem aſſumeretur, quod videlicet ſuppoſita actione creatiua, qua independens à ſubiecto fiat, pro poſteriori verò ex ipſo accidente educeretur vnio, quæ in ipſo accidente reciperetur, & intrinſecè terminaretur ad ipſum Deum, tanquam terminum, & extremum purum vnibile.

295. Tertiò, alij de quantitate Euchariſtica diſcurrunt, quòd videlicet in inſtanti conſecrationis conſeruetur quantitas media actione

crea

creatiua, talis conditionis, vt vna vice reſpiciat quantitatem tanquam terminum productum, & corpus Christi vt extremum purum vnibile; atque adeo talis actio eſſet quantitatis quaſi eductiua creatio, & formaliſſima vnio quantitatis cum corpore Christi. Hac non abſimili ratione rem noſtram diſcutere poteris, nempe quòd actio illa accidentis aſſumptiua eſſet quaſi eductiua accidentis creatio, qua tale accidens independenter à ſubiecto conſeruaretur, & ſimul formaliſſima vnio, qua ipſum formaliſſimè ipſi Deo aſſumenti, tanquam puro vnibili extremo copularetur.

296. Ex his enim magis conſpicua redditur reſolutionis ratio, quæ tota innitebatur in purganda vnione illa, qua accidens aſſumeretur à Deo, ab inhærentiæ, & informationis imperfectionibus. Quo oſtenſo nihil videtur obeſſe aſſumptibilitati immediatæ accidentis ad vnionem cum aliqua diuina Perſona.

297. Sed interrogabis, An pars iſta noſtræ reſolutionis intelligenda ſit de accidente nullo modo cum ſuo proprio ſubiecto per inhærentiam coniuncto, vel de illo quouis modo accepto? Affirmo intelligendam eſſe de accidente quouis modo accepto, de ſeparato nulla præter aſſignatam offertur difficultas. Probo de illo vt coniuncto, eſſe immediatè à Deo aſſumptibile. Etenim in ſententia admittente vnionem intermediam inter humanitatem, & Verbum, idem modus vnionis informat humanitatem, & à Verbo ipſo ſuſtentatur. Ergo non repugnabit, quòd vnum accidens ſit inhærens proprio ſubiecto, & ab illa media inhærentia dependeat, & quòd ſimul à Deo aſſumatur, à quo ſolùm, vt extremo vnibili dependeat. Ratio enim vtrobique eſt eadem, quia ſuſtentari, & informare ſunt modi valdè inter ſe diſtincti, & ſeparabiles inter ſe. Videmus enim quantitatem Euchariſticam ſuſtentari à corpore, & illud non informare; è contrà verò anima rationalis informat corpus, & ab illo minimè ſuſtentatur. Nec tales modi ſibi repugnant. Etenim in hoc quòd Verbum accidentis ſuſtentationem ſupplens non tolleret ab ipſo accidente informationem ad proprium ſubiectum, quæ repugnantia? Etenim de facto Deus ſupplet in anima effectiuè ſuſtentationem à corpore, vt plures admittunt; Cur terminatiuè non valebit eandem ſuſtentationem in accidente ſupplere, relinquendo in ipſo informationem cum proprio ſubiecto?

Secunda pars reſolutionis.

Nequit accidens aſſumi ad ſubſiſtendum diuina hypoſtaſi.

298. PArtem hanc defendunt præter aſſignatos *num.* 285. Aluarez *hîc diſputat.* 21. *concluſ.* 5. Cabrera *diſputat.* 5. *&* 6. & Cippollus *quæſt.* 4. *artic.* 1. *dub.* 3. §. 2. Ratio breuis: nequit accidens aſſumi, vt inter ipſum & Deum ſit idiomatum communicatio, nempe quòd Deus diceretur calor, vel quantitas, & è contrà calor diceretur Deus. Sed ſi aſſumeretur accidens ad hypoſtaſim, talis communicatio verificaretur. Ergo accidens aſſumptibile non eſt ad hypoſtaſim. Minor ex maioris probatione conſtabit, maior verò probatur: Etenim prædicta communicatio inter eas naturas verſatur, quibus correſpondet vnus communis terminus, ſeu complementum, quod patet in noſtro myſterio, vbi credimus eandem Verbi perſonalitatem eſſe terminum communiter diuinam & humanam naturam complentem. Sed nequit accidens taliter Deo copulari, vt illi, & naturæ diuinæ perſonalitas Verbi valeat eſſe terminus complens eorum naturas. Ergo nequit accidens aſſumi, ita vt inter ipſum, & Deum prædicta communicatio verificari valeat. Maior eſt ratio vnica, quæ ſola apud Theologos conuincit idiomatum communicationem inter naturam humanam, & diuinam, vt videbimus *tomo 2. tractatu vltimo*. Minor patet, nam implicat in adiecto, accidens per ſubſiſtentiam diuinam compleri. Ergo nequit hæc eſſe illius complementum. Antecedens patet, nam ſubſiſtentia diuina eſt ſubſtantia. Ergo implicat in adiecto accidens per illam compleri. Probo conſequentiam, nam eo ipſo, quòd terminus naturæ ſit ſubſtantia, implicat, quod ex ambobus non fiat vnum per ſe. Sed ex natura accidentis, & termino complente, qui ſit ſubſtantia implicat in adiecto, quòd fiat aliquod ens per ſe. Ergo implicat in adiecto accidens per ſubſiſtentiam diuinam compleri. Maior patet *ex Metaphyſica, cap. de ſubſtantia*, vbi cum communi docetur, ſubſiſtentiæ quidditatem conſiſtere in modo ſubſtantiali tranſcendentaliter ordinato ad componendum vnum ens per ſe cum natura, quam ſubſtantialiter complet. Vnde inintelligibile eſt, præſcindere à ſubſiſtentia hoc, quod eſt ſubſtantialiter complere naturam, cui vnitur. At ſubſtantialiter complere naturam, cui vnitur, eſt cum illa vnum ens per ſe componere. Ergo eo ipſo quòd terminus naturam complens ſit ſubſtantia, implicabit ex illis vnum ens per ſe non reſultare. Vnde ex qua parte accidens hypoſtaticè aſſumeretur à Verbo, hoc non poſſet illud ſubſtantialiter non complere, nam in quo differret aſſumi accidens ad ſolam vnionem cum Deo ab hoc, quod eſt aſſumi ad diuinam hypoſtaſim, ſi hypoſtaticè cum Verbo vniti non argueret accidens per hypoſtaſim compleri. Rurſum eo ipſo, quod per hypoſtaſim compleretur, vt probauimus, ex ambobus reſultare deberet vnum ens per ſe. Ex alia parte eſt dogma à cunctis admiſſum, ex accidente & ſubſtantia ſolum ens per accidens reſultare poſſe. Ergo implicat in adiecto accidens aſſumi ad diuinam hypoſtaſim.

299. Sed replicabis, nam eo ipſo, quòd ſectione antecedenti admittamus in accidente aſſumptibilitatem ad vniendum ſe cum diuino Verbo, infertur in ipſo aſſumptibilitas ad diuinam hypoſtaſim. Ergo conceſſo primo ſine iure negamus ſecundum. Antecedens probo, nam aſſumptibilitas ad vnionem cum Verbo, eſt aſſumptibilitas ad vnionem hypoſtaticam. Sed hæc aſſumptibilitas eſt ad ſubſiſtendum per diuinam hypoſtaſim. Ergo admiſſa aſſumptibilitate in accidente ad vnionem cum Verbo,

bo admittitur aſſumptibilitas in illud ad ſubſiſtendum per diuinam hypoſtaſim. Maior patet, nam aſſumptio vnionis cum Verbo, eſt aſſumptio vnionis ad perſonalitatem diuinam. Ergo aſſumptibilitas ad ſe vniendum cum Verbo, eſt aſſumptibilitas ad ſe vniendum cum diuina perſonalitate. Eſt euidens illatio. Tunc vltra: ſed aſſumptio ad vnionem cum diuina perſonalitate, eſt aſſumptio ad vnionem hypoſtaticam. Ergo aſſumptibilitas ad vnionem cum diuina perſonalitate eſt aſſumptibilitas ad vnionem hypoſtaticam. Pergo rurſum: ſed aſſumptibilitas ad vnionem hypoſtaticam, eſt aſſumptibilitas ad ſubſiſtendum per diuinam hypoſtaſim, vt patet in noſtro myſterio; vbi, quia humanitas eſt aſſumpta ad vnionem hypoſtaticam, eſt aſſumpta ad ſubſiſtendum per diuinam hypoſtaſim; imò apud omnes idem formaliſſimè eſt, humanitatem eſſe aſſumptam ad vnionem hypoſtaticam, ac aſſumptam eſſe, vt per diuinam hypoſtaſim ſubſiſteret. Ergo ſemel, quòd ſectione antecedenti admittamus in accidente aſſumptibilitatem ad ſe vniendum cum Verbo, non ſumus in præſenti eidem negaturi aſſumptibilitatem ad ſubſiſtendum per diuinam hypoſtaſim.

300. Reſpondeo, Latum eſſe diſcrimen inter aſſumi ad vnionem cum Verbo, & aſſumi ad vnionem hypoſtaticam reduplicatiuè vt talem. Illud solùm ſonat in aſſumpto capacitatem, vt ſuſtentetur, quod abſtrahit ab hoc, quod eſt ſuſtentari per ſubſiſtentiam vt talem, vel à ſuſtentari per illam, tanquam per extremum purè vnibile, ſicut enim quantitatem Euchariſticam aſſumi ad ſe vniendum cum corpore Chriſti non dicit aſſumi ad vnionem cum illo, tanquam cum parte reduplicatiuè, vt tali, ad componendum vnum ens per ſe, ita aſſumi accidens ad ſe vniendum cum Deo non eſt idem, ac aſſumi ad vnionem hypoſtaticam vt talem. Etenim iſtud eſſentialiter importat aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ: Etenim vnio hypoſtatica reduplicatiuè vt talis eſt nexus naturæ ad ſubſiſtentiam reduplicatiuè ſub munere ſubſiſtendi. Vnde fit, quòd vniri naturam aliquam accidentalem diuinæ ſubſiſtentiæ, cùm talis natura ſit incapax ſubſiſtentiæ reduplicatiuè vt talis, etiam eſt incapax aſſumi ad vnionem hypoſtaticam reduplicatiuè, vt talem. Ex quo rurſum fit: Accidens ſolum aſſumi poſſe ad ſe vniendū cum Verbo, taliter quòd reſpectu illius, nec talis vnio ſit hypoſtatica, nec Verbum ſortiatur munus ſubſiſtentiæ, ſed ad ſummum munus extremi vniti.

301. Argues: Si pars hæc eſſet vera, maximè quia implicat: accidens aſſumi ad ſubſiſtendum diuinâ ſubſiſtentiâ. Sed nec ex parte accidentis, nec ex parte diuinæ ſubſiſtentiæ talis implicatio deducitur. Ergo non implicat talis aſſumptio. Minor quoad ſecundam partem patebit ex prima, quæ ſic probatur: Etenim non repugnat quantitati, modo indiuiſibili exiſtere: Ergo nec repugnabit aſſumi eadem quantitas ad ſubſiſtendum increatâ ſubſiſtentiâ. Antecedens docet fides in Euchariſtia. Conſequentiam probat paritas ſic ponderanda. Etenim tam exiſtentia modo indiuiſibili eſt ſupra naturam quantitatis, petentis modo diuiſibili exiſtere, quàm eidem quantitati petenti inhærere proprio ſubiecto ſit ſupra eius naturam ſubſiſtere ſubſiſtentiâ diuinâ. At illud non eſt ita contra ſuam naturam, vt ab extrinſeco illi nequeat contingere. Ergo nec hoc erit ita contra eius naturam, vt ab extrinſeco euenire nequeat.

302. Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem quoad vtramque partem. Ad probationem concedo antecedens. Et nego conſequentiam. Ad probationem nego antecedens abſolutè. Ratio ſumitur ex diſparitate ipſius paritatis. Etenim inextenſio modo indiuiſibili, licèt ſit ſupra naturam quantitatis; ea videlicet ratione, qua hæc naturaliter petit correſpondentiam diuiſibilem habere cum ſpatio, quod tangit, tamen talis diuiſibilitas compati poteſt cum integra eſſentia quantitatis, quam eſſentialiter conſtituit extenſio partium in ordine ad ſe: quapropter nullum eſt incommodum, vt ab extrinſeco in Euchariſtia modus iſte indiuiſibiliter exiſtendi quantitati competat, cùm alios plures effectus ſecundarios videamus ab extrinſeco eſſe impeditos. quia ſine illis totæ, & integræ ſaluantur eſſentiæ formarum. Contrarium euenit in accidenti reſpectu ſubſiſtentiæ, quia vt diximus *num.* 298. implicat in adiecto eſſe accidens, & ſubſiſtere diuina, vel alia imaginabili ſubſiſtentia. Lege illa.

303. Argues ſecundò: Iuxta à nobis data *ſectione* 4. forma materialis vnita materiæ inaſſumptibilis eſt à diuina ſubſiſtentia, tamen aſſumi poteſt vt ab illa ſeparata. Ergo pariter licèt accidens vnitum proprio ſubiecto inaſſumptibile ſit, tamen vt ab eo ſeparatum non repugnabit. Conſequentiam probat paritas; etenim ideo primum confeſſi ſumus, quia forma in materia dependet ab illa, ſeparata tamen ab ea non dependet. Sed accidens ſolùm vt eſt in ſubiecto inhærens; ab ipſo dependet, & ſeparatum ab eo non dependet. Ergo quemadmodum forma ſeparata eſt aſſumptibilis, ita & accidens.

304. Reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem concedo antecedens, & rurſum addimus hîc, quia id occaſio petit, id eſſe poſſibile, tum quia ſeparata à materia, ab illa non dependet, tum etiam, quia exinde nulla implicatio in adiecto ſequeretur. Et nego conſequentiam, quia ex eo quòd accidens ſeparatum à ſubiecto aſſumeretur, indiſpēſabiliter ſequeretur in adiecto implicatio, nempe eſſe accidens aſſumptum, & non eſſe aſſumptum accidens, & eſſe ſubſiſtens, & non eſſe ſubſiſtens, vt *dicto n.* 298. diximus.

Tertia pars reſolutionis.

Nequit accidens aſſumi ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ.

305. Pars iſta probari poterat ſic: nam aſſumi ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ, eſt fieri exiſtens per exiſtentiam diuinam: at implicat accidens, imò & quamcunque entitatem realem fieri exiſtentem exiſtentiâ diuinâ. Ergo, &c.

Minor probatur, quia impoſſibile eſt, vt aliqua realis entitas exiſtat per exiſtentiam realiter à ſe diſtinctam; ſicut impoſſibile eſt, vt aliqua entitas actualis per entitatem à ſe diſtinctam in eſſe entitatis actualis conſtituatur; etenim rem aliquam conſtitui exiſtentem, nihil eſt aliud, quàm formaliter fieri entitatem actualem, ſeu eſſe in rerum natura, & extra nihil, ſeu extra ſuas cauſas. Ergo, &c.

306. Verùm ratio hæc vniuerſalis eſt non tam impugnans aſſumptionem accidentis ad exiſtendum diuina exiſtentia, verum & impoſſibilem reddens aſſumptionem cuiuſque ſubſtantiæ, vt per exiſtentiam Dei exiſtere valeat, quod eſſe falſum, oſtendemus infra, vbi cum Sanctiſſimo Doctore defendemus, humanitatem Chriſti non ſolùm aſſumptam fuiſſe ad diuinam hypoſtaſim, verùm & ad diuinam exiſtentiam. Quare ex hac parte ratio hæc deficere videtur.

307. Ratio ergo, quæ vt mihi videtur valdè probabiliter oſtendit, hanc aſſumptionem eſſe impoſſibilem, nititur eiſdem principiis, quibus oſtenditur impoſſibilitas aſſumptionis accidentis ad diuinam hypoſtaſim, quæ attulimus *numero* 298. & hic ſunt applicanda variato nomine ſubſiſtentiæ in exiſtentiam.

308. Verùm aliter eadem ratio ex ipſis fundamentis Cippulli, Aluarez, & Cabreræ noſtræ reſolutionis contrariorum debet ad hanc formam reduci: Accidens nequit aſſumi ad diuinam hypoſtaſim. Ergo nequit aſſumi ad diuinum exiſtere. Antecedens admittit Cippullus illos Authores ſequutus. Conſequentiam probo, eadem ratio, quæ militat ad vnum negandum, militat ad aliud. Ergo, &c. Probo antecedens. Ratio Cippulli ad negandum primum eſt hæc formalibus verbis *hic quæſtione quarta, articulo primo, dubio tertio, numero ſecundo*, quod non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ, neque immediatè aſſumi ad ſubſiſtendum diuinâ ſubſiſtentiâ; at accidens non eſt capax ſubſiſtentiæ propriæ. Ergo, &c. Minorem probat: ſubſiſtentia eſt vltimum complementum ſubſtantiæ in genere ſubſtantiæ, atque actus ſecundus aptitudinis ipſius ſubſtantiæ ad eſſendum per ſe; at accidens non eſt capax vltimi complementi ſubſtantiæ in genere ſubſtantiæ, atque actus ſecundi aptitudinis illius ad eſſendum per ſe; ſicut neque è contrà ſubſtantia eſt capax vltimi complementi accidentis in genere accidentis, videlicet inhærentiæ in ſubiecto. Ergo, &c. Confirmat hoc: aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ, eſt fieri vltimò completum in genere ſubſtantiæ per ſubſiſtentiam diuinam: at repugnat accidenti eſſe vltimò completum in genere ſubſtantiæ. Ergo, &c. Maior patet, quia ſubſiſtentia eſt vltimum complementum in genere ſubſtantiæ; ac proinde ſubſiſtere ſubſiſtentiâ diuinâ eſt eſſe vltimò completum in genere ſubſtantiæ, per ſe ſupponit, illud eſſe ſubſtantiam, ſicut eſſe aliquid vltimò completum in genere ſubſtantiæ, per ſubſiſtentiam diuinam. Minorē probat, eſſe aliquid vltimò completū in genere ſubſtantiæ, per ſe ſupponit, illud eſſe ſubſtantiam, ſicut eſſe aliquid vltimò completum in genere accidentis, per ſe ſupponit illud eſſe accidens, vel eſſe aliquid vltimò completum in genere intellectiuo, per ſe ſupponit illud eſſe intellectiuum: at repugnat accidenti eſſe ſubſtantiam. Ergo, &c.

Sed ratio hæc Cippulli, vel conuincit impoſſibilem eſſe vtramque aſſumptionem ad ſubſiſtendum ſcilicet, & ad exiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ, & diuinâ exiſtentiâ, vel nullam. Ergo eadem ratio, &c. Probo minorem exiſtentia ſubſtantiæ eſſentialiter ſupponit, rem per illam exiſtentem debere eſſe ſubſtantiam, ſicut ſubſiſtentia ſupponit rem per illam ſubſiſtentem ſubſtantiam debere eſſe. Sed accidenti repugnat eſſe ſubſtantiam. Ergo eadem ratio, vel vtramque aſſumptionem probat impoſſibilem, vel nullam. Maiorem probo, ſicut ſubſiſtentia petit ſupponere id, quod eſſentialiter negat identitatem cum accidente, ita exiſtentia petit ſupponere id, quod eſſentialiter negat identitatem cum accidente. Sed quod eſſentialiter negat identitatem cum accidente, eſſentialiter eſt ſubſtantia. Ergo tam exiſtentia ſupponit rem per ipſam exiſtentem debere eſſe ſubſtantiam, quàm ipſa ſubſiſtentia. Maiorem probo, nam exiſtentia ſubſtantialis eſſentialiter ſupponit ſubſiſtentiam, ſicut hæc ſupponit naturam. Sed tam ſubſiſtentia, quàm natura dicunt negationem identitatis cum accidente. Ergo tam exiſtentia, quàm ſubſiſtentia ſupponunt id, quod dicit negationem identitatis cum accidente. Antecedens expreſsè defendit Cippullus, *q.* 17. *art.* 2. *dub.* 4. §. 2. Sequutus Caietanum, Ferraram, Ledeſmam, & Cabreram docentes, quòd prius natura quàm recipiatur exiſtentia in natura ſubſtantiali, habet hæc cum ſubſiſtentia conſtituere ſuppoſitum; atque ex his fit, antecedens illud eſſe verum. Conſequentia eſt euidens, nam tam ſubſiſtentia, quàm ſuppoſitum, & exiſtentia, quæ eſſentialiter ſupponunt, eſſentialiter dicunt negationem identitatis cum accidente. Ergo vtraque, nempe exiſtentia, & ſubſiſtentia ſupponunt id, quod eſſentialiter eſt ſubſtantia. Ergo ſi hæc ratio conuincit Cippullum, vt neget poſſibilem aſſumptionem accidentis ad ſubſiſtendum diuinâ hypoſtaſi, eadem ratione alteram aſſumptionem ad exiſtendum per diuinam exiſtentiam debet negare

Sed reſpondebis ex doctrina Cippulli *ibidem numero* 25. rationem, quare accidenti repugnet aſſumptio ad ſubſiſtentiam diuinam, non verò, vt per Dei exiſtentiam exiſtat, eſſe hanc, videlicet, quia ſubſiſtentia ex propria ratione eſt vltimum complementum in genere ſubſtantiæ, atque adeo ſupponit in re, quæ eſt illius capax, quòd ſit ſubſtantia; cæterum exiſtentia etiam ſubſtantialis ex proprio conceptu eſt vltimum complementum in genere entis, quòd verò ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, ſunt quædam conditiones materialiter ſe habentes ad rationem ipſius exiſtentiæ formaliter ſumptæ; & ideo, quòd accidens ſit capax diuinæ exiſtentiæ, quæ aliàs eſt ſubſtantialis, ſatis eſt, quòd accidens ſit ens complebile intra genus entis. 310.

Sed replicabis, & concedimus in qualibet natura ſubſtantiali dari complementum duplex, 311.

plex, nempe vnum in genere ſubſtantiæ, quod ſubſiſtentia ſit, & aliud in genere entis, quod ſit exiſtentia; & quod iſta dicatur complementum ſubſtantiæ in genere entis, quia in hoc cõuenit ſubſtantia cum accidente, nam hoc etiam habet ſuam exiſtentiam illud in genere entis complentem; Hoc enim eſt verum; ſed quid iuuat in ſuffragium doctrinæ allatæ? Argumentum enim noſtrum eò tendebat, vt probaret, accidens non poſſe aſſumi ad exiſtendum exiſtentiâ ſubſtantiali, quia hæc ſupponit, rem per illam exiſtentem, debere eſſe ſubſtantiam; dicere autem exiſtentiam eſſe complementum in genere entis, vel tollit ab exiſtentia ſuppoſiti ſubſtantialis eſſe ſubſtantiam, vel non tollit. Si tollit, iam ceſſat quæſtio, cùm hæc tota ſit, an accidens aſſumi poſſit ad exiſtendum exiſtentiâ diuinâ, quæ neceſſariò debet eſſe ſubſtantia. Si non tollit. Ergo exiſtentia ſuppoſiti ſubſtantialis eſſentialiter eſt ſubſtantia. Ergo accidens per illam non poterit compleri. Probo conſequentiam, quòd compleat naturam exiſtentia in genere entis non tollit ab exiſtentia illa eſſe eſſentialiter ſubſtantiam. Ergo eſſe complementum in genere entis exiſtentiam non ſufficiet accidens complere. Probo conſequentiâ, quòd accidentis exiſtentia illud etiam compleat in genere entis non ſufficit, vt per illam compleatur ſubſtantia. Ergo quòd exiſtentia ſubſtantiæ ſit complementum illius in genere entis, non ſufficiet, vt accidens complere poſſit. Conſequentia patet, quia ideo exiſtentia accidentis nequit complere ſubſtantiam, quia licèt accidens compleat in genere entis, tamen reipſa talis exiſtentia eſſentialiter eſt accidens. At exiſtentia ſuppoſiti ſubſtantialis eſt eſſentialiter ſubſtantia. Ergo quamuis talis exiſtentia ſit complementum ſubſtantiæ in genere entis, id non ſufficiet, vt accidens complere valeat.

312. Confirmatur hæc explicando illud ex doctrina, quam adducit Cippullus *quæſtione illa decima ſeptima citata*. Itaque exiſtentiam & ſubſiſtentiam in creatis expendit Author hic penes hoc, quod ſubſiſtentia ſit complementum naturæ in genere ſubſtantiæ, & exiſtentia complementum naturæ iam ſubſiſtentis in genere entis. Vnde licèt genus entis in re tranſcendat genus ſubſtantiæ, atque etiam genus accidentis, tamen natura ſubſtantialis in ratione entis dicit aliquam conuenientiam, licèt ſolùm analogam cum natura accidentali, quæ conuenientia ſatis eſt, vt ipſi conueniat aliquis actus, qui compleat eam, quatenus conuenit in ratione entis cum forma accidentali, qui dicatur exiſtentia, qui actus, ſeu complementum diſtinguatur ab eo, quod complet eandem ſubſtantiam in genere ſubſtantiæ, quod dicitur ſubſiſtentia, & ratione iſtius diſtinguitur à forma accidentali, eſtque primò diuerſa ab illa. Hoc explicat exemplo eiuſdem formæ ſubſtantialis, in qua inuenit quaſi duos actus, & duo quaſi complementa, vnum, ratione cuius conuenit cum natura ſubſtantiali in genere entis, & dicitur exiſtentia, & aliud ratione cuius differt à natura ſubſtantiali, & dicitur inhærentia. Ex hac doctrina deduco, vel exiſtẽtia albedinis poteſt, vel non poteſt complere ſubſtantiam, ſi poteſt, dices abſurdum ingens in Philoſophia, quod millies Cippullus intendit vitare. Si non poteſt; infero. Ergo exiſtentia naturæ ſubſtantialis erit impos complere naturam accidentalem albedinis. Probo conſequentiam, quamuis exiſtentia albedinis ſit complementum illius in ratione vniuerſaliſſima entis, ratione cuius conuenit cum ſubſtantia, nequit per ſe ſubſtantiam complere. Ergo quamuis exiſtentia naturæ ſubſtantialis ſit complementum illius in ratione entis, ratione cuius conuenit cum forma accidentali, non poterit accidens complere. Non video diſparitatem.

313. Confirmatur ſecundò, nam illud, quod dicebat Cippullus *numero trecenteſimo decimo*, nempe exiſtentia etiam ſubſtantialis ex proprio conceptu eſt vltimum complementum in genere entis, quòd verò ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, ſunt quædam conditiones materialiter ſe habentes ad rationem ipſius exiſtentiæ formaliter ſumptæ, habere poteſt bonum ſenſum, & malum. Primùm, ſi concipiamus exiſtentiam ſubſtantialem ſecundùm communem conceptum exiſtentiæ, quem imbibit, nam hoc modo abſtrahit ab hoc quod eſt eſſe ſubſtantiam, vel accidens, qua ratione exiſtentia accidentalis concepta ſecundùm noſtrum modum concipiendi ſecundùm rationem latiſſimam exiſtentiæ vt ſic, quam claudit, nec eſt accidens, nec ſubſtantia. Sicut homo conſideratus ſecundùm rationem uiuentis, quam inuoluit, non eſt homo, nec leo, ſed indifferens. Iſta enim vera ſunt, ſed ad rem non ſpectant, quia hîc non loquimur de exiſtentia, ſecundùm conceptum communem in ſtatu vniuerſalitatis, ſed de exiſtentia vt in ſtatu contractionis hîc, & nunc exercet munus complendi, vel naturam ſubſtantialem, vel accidentalem; & in hoc ſenſu falſa eſt prædicta ſolutio, ſiquidem exiſtentia hæc, quæ realiter hîc & nunc modificat, & complet ante omnem functionem intellectus hanc numero ſubſtantiam, eſſentialiter eſt ſubſtantia, ſicut exiſtentia hæc, quæ modificat & complet accidens, eſſentialiter eſt accidens. Neutri enim iſtarum accidentaliter conuenit eſſe ſubſtantiam, vel accidens, ſed illi eſſe ſubſtantiam, quia complet ſubſtantiam, & huic eſſe accidens, quia illud modificat, eſſentialiter conuenit. Nunc pari paſſu currit argumentum factum.

314. Argues cum Cippullo citato *num.* 7. non eſt denegandum Deo, quod nullam repugnantiam inuoluit, ſed quod accidens aſſumatur ad exiſtendum exiſtentiâ diuinâ, nullam repugnantiam inuoluit. Ergo, &c. Probat minorẽ; hæc aſſumptio non poteſt repugnare ex parte exiſtentiæ Dei, quãdoquidem hæc eſt infinita neque ex parte ipſius accidẽtis, qui vt ſupponit ex Metaphyſica, accidens habet ſuam propriam exiſtentiam realiter à ſua eſſentia diſtinctam, & ab exiſtentia ſubiecti. Ergo, &c. Reſpondeo concedens maiorem, & nego minorem. Ad probationem aſſero, repugnantiam talis aſſumptionis ortum ducere ex parte vtriuſque, vt expendimus in numeris antecedentibus. Lege illos. Nec infinitas Dei exiſtentiæ iuuat,

ſicut nec ſubſiſtentiæ diuinæ infinitudo proficua ſit huic Authori, vt concederet illi vim aſſumendi accidens; vtriuſque enim eſſe eandem rationem patet ex numeris. Lege illos.

315. Argues ſecundò: Poteſt aſſumi ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ quidquid eſt capax propriæ ſubſiſtentiæ, vt vidimus *anteced. ſect.* Ergo ſimiliter poterit aſſumi ad exiſtendum exiſtentiâ diuinâ quidquid eſt capax propriæ exiſtentiæ. Sed accidens eſt huiuſmodi. Ergo, &c. Nam eadem eſt ratio de aſſumptione ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ diuinâ, ac de aſſumptione ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ.

316. Reſpondeo concedo antecedens, vel illud permitto propter rationem alibi dandam. Et diſtinguo conſequens Ergo ſimiliter poterit aſſumi ad exiſtendum exiſtentiâ diuina quidquid capax fuerit propriæ exiſtentiæ, ſi fuerit ſubſtantia, concedo, ſi fuerit accidens, nego. Et concedo minorem ſubiunctam, & nego conſequentiam. Itaque non eſt eadem ratio de aſſumptione cuiuſque habentis propriam ſubſiſtentiam ad ſubſiſtendum, ac de aſſumptione cuiuſque habentis propriam exiſtentiam ad exiſtendum exiſtentiâ diuinâ. Siquidem ex eo quòd aſſumptionem primam admittamus, non ſequitur, aliquod accidens compleri poſſe per diuinam ſubſiſtentiam, ſiquidem quidquid ad ſic ſubſiſtendum aſſumi poteſt, debet eſſe natura ſubſtantialis, cùm præter illam nihil habeat propriam ſubſiſtentiam, quæ in aſſumptione ſuppleri poſſit. At verò licèt accidenti concedatur propria exiſtentia; ſi tamen aſſumeretur ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ, iam accidens compleretur per ſubſtantiam; ſicut ipſe Cippullus fateri deberet in hypotheſi, quòd accidens habere poſſet propriam ſubſiſtentiam, adhuc non poſſet aſſumi ad ſubſiſtendum diuinâ ſubſiſtentiâ, nam exinde ſequeretur, accidens compleri poſſe per ſubſtantiam, quod reputat inconueniens.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Aſſumente, & aſſumpta creatura.

DISPVTATIO hæc tractabit ea, quæ partim *hic* Sanctiſſimus Doctor tradidit diuiſiuè *quæſtione tertia, quarta, quinta, & ſexta*, tametſi ab his ſeparauerimus *diſputatione antecedenti* ſermonem de ordine, quem ſeruauit aſſumptio partium, quia concertatio de vnione occaſionem præbuit. Quæ autem nunc examini ſunt danda facilem ex dictis ſubibunt exitum.

DVBIVM I.

An Verbum ſolum, & cur humanitatem aſſumpſerit? Vbi de appetitu humanitatis ad propriam ſubſiſtentiam.

SECTIO I.

Verbum ſolum humanam naturam immediatè aſſumpſit.

1. VEram eſſe reſolutionem iſtam plura Concilia & Patrum oracula comprobant, quæ afferrem, ſi legenti libros, ipſi vbertimè non propinaſſent, ea adducam, quæ video ſufficientia iſtam veritatem Catholicam munire. Imprimis diſertè traditur apud *Ioannem* 1. ibi enim cum expreſſè Euangeliſta mentionem fecerit de tribus Perſonis, accedens ad verbum, illi tanquam quid & non aliis proprium, prædictam aſſumptionem aſcribit his verbis: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis.* Præterea, nam ſemper, & quotieſcunque de aſſumptione carnis datur in Scripturis ſermo, nulla de Patre, aut Spiritu Sancto, & ſolùm de Filio fit mentio. *Propter quos miſit Filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege.* Et argumentum hoc negatiuum in ſacra Scriptura de re ita grauiſſima eſt ſummi momenti; imò & vnicum ad probandum in diuinis non eſſe quatuor perſonas, ſed tres. Etenim licet de Spiritu Sancto dicatur miſſus, non tamen miſſus in terras abſolutè, ſed miſſus in corda noſtra media charitate, & gratia, quæ ſunt accidentalia, & non ſubſtantialia vincula.

Veritatem hanc dederunt Concilia, quæ communiter dant Authores, quibus addendum exiſtimaui Romanum primum ſub *Felice III.* vbi Felix dixit conſenſiſſe eum illo in damnationem Cnaphei ſtatim referendi. Similiter afferri poteſt Conſtantinopolitanum damnans errorem, in quem incidit Fullo veritatis noſtræ aduerſarius, vt ſtatim eum referam, & refellam. Patrum verò teſtimonia reſolutionem hanc conteſtantia partim dabunt Anthores & partim referam ſtatim, dum errores hæreticorum recenſebo. 2.

In duplici claſſe reponuntur hæretici, qui à veritate iſta deuiarunt. Ad primam, quæ antiquior eſt, ſpectant illi, qui veram in Deo Perſonarum triadem negarunt. Vt Praxeas, Sabellius, & Hermogenes, iſti enim firmiter aiebant, non tres, ſed munera Patris, & Filij, & Spiritus Sancti eſſe concedenda; vnde tria munera, non tres 3.

Per

perſonas profitebantur. Exinde deducebant, quòd eo ipſo, quòd Filius carnem aſſumpſerit, eandem aſſumere debuere Pater, & Spiritus Sanctus; necnon eo modo, quòd de Filio dicitur, fuiſſe paſſum, id ipſum aſcribebant Patri, & Spiritui Sancto, & hoc fuit in cauſa Græcis iſtos hæreticos, & alios ſui aſſeclas appellandi Theopaſchitas, & Patropaſchitas, hoc eſt, *Dei-paſſianos, & Patri-paſſianos.*

4 Ad ſecundam claſſem ſpectat error eorum qui agnoſcentes veram in diuinis Perſonarum triadem, aſſeuerabant, totam cum Filio Trinitatem immediatè humanitatem aſſumpſiſſe; huius erroris prope quinti ſæculi finem ſuborti fuit Author Petrus Cnapheus, quem Græci Fullonem nominarunt. Iſte enim licèt expreſsè talem errorem non dearticulauerit, tamen in alium, ex quo iſte clarè deducitur, fuit lapſus, nempe totam Trinitatem crucifixam fuiſſe; Ex aſſerto iſto manifeſtè infertur, Fullonem hunc aſſeueraſſe totam Trinitatem fuiſſe incarnatam; ſiquidem eatenus de Verbo, ſeu Filio Dei effertur, Crucifixum eſſe quia immediatè ille aſſumpſit carnem, ex qua dicitur Filius homo, qui crucifixus eſt.

5. Hæretici primæ claſſis remittuntur impugnandi *tract. de Trin.* vbi præcipuus labor eſt in ſtatuenda ſanctiſſima in Deo Perſonarum Triade, quam ipſi inficiabantur. Hæretici tamen ſecundæ claſſis, quorum caput fuit Petrus Cnapheus, alio nomine Fullo, ſimul cum iſto vna vice ſunt damnati. Fullo enim iſte fuit damnatus à ſex epiſtolis, quas ad illum & in illum miſerunt totidem Epiſcopi, Acacius Conſtantinopolitanus, Fauſtus, Pamphilus Abydorum, Antheon Arſemoridis, Aſclepas, & Flauianus Rhodopenſis. Iſti enim Epiſcopi fuerunt in Aſia. Eundem errorem damnauit Felix III. Poſtmodum vero in eundem errorem fuit Damaſcenus inuectus *lib. 5. Fid. c. 4. & in epiſt. de Triſagio.*

6. Tandem errorem hunc aſſerentem tres Perſonas incarnatas eſſe impugnat S. Anſelmus *lib. de incarn.* in cuius nuncupatoria ad Vrbanum II. habet hæc: *Cum adhuc in Beſci Monaſterio eſſem Abbas, præſumpta eſt à quodam Clerico in Francia, talis aſſertio; ſi in eodem, inquit, tres Perſonæ ſunt vna tantum res, & non ſunt tres res, vnaquaque per ſe ſeparatim, ſicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen vt potentia, & voluntate omnino ſint idem. Ergo Pater & Spiritus Sanctus cum Filio eſt incarnatus.* In hanc propoſitionem plura diſſertiſſimè S. Anſelm. conſcripſit ibidem.

7. Iſtius erroris fundamentum erat duplex. Primum, nam vna Perſona diuina nequit terminare viſionem beatificam ſine aliis. Ergo nec vna Perſona terminare poterit vnionem hypoſtaticam ſine aliis. Secundum, Deitas nequit terminari ab vna Perſona, quin ſimul ab aliis terminetur; Ergo nec ipſa humanitas.

8. Reſpondeo concedens antecedens, vt *tom. 2. tract. de ſpectantib. ad intellectum Chriſti, diſp. 2. diſp. 2.* lariſſimè tradam. Et nego conſequentiam, nam experimur etiam in creatis, plura eſſe inter ſe valdè connexa phyſicè, imò æquè connexa, & tamen de illis verificari, quod vna nequeat clarè cognoſci ſine alia, & tamen quòd poſſit alteri extremo vniri, quin alterū eidem extremo phyſicè copuletur. Patet hoc in Paternitate creata, quæ ſine ſuo termino cognoſci nequit, & tamen poteſt alicui ſubiecto paternitas vniri, quin eidem ſubiecto terminus copulari poſſit. Ad primum enim ſufficit connexio, ad ſecundum non ſufficit, vt dicam citato loco.

9: Ad ſecundum concedo ſimiliter antecedens, & nego conſequentiam. Primò, quia inter diuinas perſonalitates interuenit neceſſaria habitudo originis, quapropter nequit vna ſine aliis eſſe, & conſequenter nec vna terminare eſſentiam diuinam, quin eandem terminet alia; ſiquidem neutra poteſt extra eſſentiam diuinam exiſtere. At humanitas ex ſe non habet identitatem hypoſtaticam cum aliqua ex diuinis perſonalitatibus, atque adeo cum neutra habet neceſſariam connexionem humanitas, & ſic eſt cognita diſparitas. Secundò, quia diuina eſſentia ob ſuam fœcundam infinitatem nequit non eſſe à tribus perſonalitatibus terminatam; atque adeo ſicut ipſa deitas nequit à tali fœcunda infinitate abdicari, ita nec à terminatione triplicis perſonalitatis: At humanitas nihil habet in ſe petens à tribus Perſonis terminari, atque adeo talis terminatio in totum dependet à libera Dei voluntate, iuxta quam poterit per vnam, vel per duas, vel per tres hypoſtaticè terminari.

10: Sed argues tertiò, cum Perſona Filij eſt etiam incarnata diuina natura teſte Sanctiſſimo Doctore *ſup. q. 3. art. 2.* cum Damaſceno. Sed natura diuina per nos ob ſummam fœcunditatem infinitam identificat omnes tres Perſonas. Ergo cum Filio incarnatæ ſunt tres Perſonæ.

11: Reſpondeo diſtinguens maiorem. Cum Filio eſt incarnata diuina natura, mediatè, & conſequenter, concedo. Immediatè nego, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque ſi natura Dei immediatè incarnaretur, & Perſonæ omnes incarnarentur: at ſolùm mediatè mediante Filio, cum quo identificatur, incarnatur, Quod autem vnitur ſolùm conſequenter ad vnionem alterius, non vnitur, niſi ſecundùm id, quod intrinſecè conſtituit illud, quod immediatè vniri dicitur, & per ſe. Vnde licèt natura diuina omnes perſonalitates contineat, non tamen formaliter conſtituit Perſonā, verbi gratia, filij per alias perſonalitates, quas in ſe continet, ſed per ſolam eſſentiam abſolutam; ratio, nam vna Perſona conſtitui nequit per illud prædicatum, quod ei eſſentialiter opponitur: atque adeo per alias relationes non poterit Filius conſtitui, quamuis identificentur cum eſſentia illum conſtituente.

12. Argues quartò, Humanitas Chriſti non potuit ad extra fieri, quin omnes tres Perſonæ illam cauſarent. Ergo nequit eadem humanitas ab vna hypoſtaticè ſuſtentari, quin ab omnibus ſimul ſuſtentaretur. Conſequentiam probat paritas, & antecedens axioma illud, opera ad extra ſunt communia toti Trinitati latiſſimè *in hoc tract. diſp. 1.* examinatum.

Reſpondeo conceſſo antecedenti negando conſequentiam oblatum diſcrimen *loco citato*, exhibitum ſiquidem vis ad extra productiua

eſt omnipotentia, quæ cunctis perſonis eſt communis. Ratio verò terminatiuè hypoſtaticè ſingulis conuenit, taliter, quòd vnicuique correſpondeat ſua particularis virtus terminatiua hypoſtaticè.

14. Sed replicabis, probabilis eſt opinio, & non contemnenda, vt dedi in prælectione ad cathedram primariam Scoti huius Complutenſis vniuerſitatis, quòd perſonalitas, verbi gratia, Patris eſt tota vis formalis, & proxima productiua ad intra Filij. Ergo ſimiliter habebit vim effectus productiuam ad extra. At hoc nonobſtante humanitas nequit ab vna produci, quin à cæteris producatur. Ergo quamuis quælibet perſonalitas habeat vim terminatiuam ad extra, non poterit vna Perſona aliquam humanitatem terminare, quin eam terminent aliæ.

15. Reſpondebis, Permiſſo pro nunc antecedenti nego conſequentiam, nam vt ibi dedi, virtus illa perſonalitati adhibita erat ſolùm immanenter productiua, ex cuius conceſſione nequit argui in perſonalitate diuina vis productiua ad extra, quæ dicitur tranſeunter operatiua; ratio, nam talis illatio adhuc in creatis deficit, etenim non valet, potentia hæc creata eſſentialiter eſt immanenter operatiua. Ergo etiam eſt tranſeunter operatiua. Ergo etſi admiſerimus perſonalitatem Patris eſſe eſſentialiter immanenter operatiuam, non bene infertur, illi eſſe aſcribendam vim ad extra tranſeuntet productiuam.

16. Sed replicabis, Nam quòd in creatis deficiat hæc illatio, non eſt ſolutio ad inferendum etiam talem illationem defecturam in diuinis, ſiquidem apud communem voluntas diuina eſt vtroque modo operatiua, nempe immanenter, & tranſeunter. Ergo ſolutio hæc non ſubſiſtit.

17. Reſpondeo ſolutionem ibi datam eſſe exactam, ad probationem replicæ aſſero, non inueniri rationem conuincentem identitatem vtriuſque modi operandi ad intra immanenter, & ad extra tranſeunter in perſonalitate diuina, qualis inuenitur in voluntate diuina, vt ſibi vtrumque modum operandi identificet. Etenim ex qua parte voluntas diuina eſt vitalis, operari poterit immanenter; ex qua verò parte poteſt operari liberè, quæ ſemper ſic operatur, dum operatur ad extra, neceſſariò debet habere vim tranſeunter operatiuam, quia ſi effectum extra ſe non produceret, quomodo deſignari poterit in illa vis liberè productiua, cum ad intra quidquid exequitur, neceſſariò exequatur. Si alia de hac re deſideras, lege citatum locum huius tractatus.

18. Argues vltimò: Perſonalitas, vt ſæpè monuimus, eſt vltimus terminus naturæ. Ergo nequit amplius communicari, quia iuxta aſſerta ſæpè de ratione ſubſiſtentiæ vt termini, eſt incommunicabilitas. Ergo cùm Verbum diuinum ſit ſubſiſtentia, non poterit naturæ humanæ amplius communicari.

19. Reſpondeo, concedens antecedens, & diſtinguens conſequens: non eſt vlterius communicabilis alteri tanquam ſuppoſito, do, tanquam naturæ, nego. Primam enim incommunicabilitatem diximus eſſe de ratione ſubſiſtentiæ, non verò ſecundam: rationem do ex dictis *dub. 6. diſputat. antecedenti.* Etenim nulla alia incommunicabilitas eſt ſubſiſtentiæ propria, niſi ea, quæ illi vt termino conuenit, at ſubſiſtentia eſt ſolùm terminus in ratione ſuppoſiti: Ergo ſolùm incommunicabilitas in ratione ſuppoſiti debet eſſe propria ſubſiſtentiæ.

SECTIO II.

Oſtenditur ratio, cur inter diuinas Perſonas, ſola ſecunda carnem aſſumpſerit.

20. PLures adhiberi ſolent rationes ab Authoribus, quibus ſolent ſuadere, Verbum præ alijs Perſonis carnem aſſumpſiſſe. Primam, vt Deus ingentem charitatem, quam erga homines habebat, exprimeret, ſiquidem apud mortales filium offerre, & vnigenitum, & neci ad liberandum alios eum tradere, eximium amoris indicium & argumentum exiſtimatur. Colligo iſtam *ex Paulo ad illud Geneſ.* 22. vbi Abrahamus ſuum filium Deo obtulit, & D. Paulus tanquam à minori arguat ſic: *Quantò ergo maius fuit, quòd Deus vnigenito Filio ſuo non pepercit propter nos*; & in huius confirmationem Eccleſia ſic intonet: *O mira circa nos tua pietatis dignatio? O ineſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.* Ruſum ex D. Paulo ibidem, vbi: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito Filio tuo propter me.* Vbi rem magnam commendat Paulus in Abrahamo, & eius amoris pondus erga Deum prædicat, quippe eius amore allectus ſuum proprium Filium neci traderet. Et ruſum idem Paulus *ad Romanos* 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Hanc eandem rationem expendit Chriſtus *Ioannis* 3. aſſerens hæc: Si enim Deus dilexit mundum. vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

21. Alij iſtam rationem exhibent, nempe vt vitaretur confuſio non leuis, ſiquidem ſi Pater, aut Spiritus homo factus eſſet, iam ille homo ſaltem ſpecificatiuè acceptus eſſet Dei Filius, quapropter ſi Perſona prima humanitatem aſſumpſiſſet, eſſet illa Perſona Dei Pater, & Dei Filius, & in Sacra Triade eſſent duo Filij; idem diſcurrunt in caſu, quo Spiritus Sanctus ſimul cum Filio incarnaretur; tunc enim eadem Perſona eſſet Dei Spiritus, & Dei Filius. Confirmant hoc ex authoritate Sancti Auguſtini, quam Clitouæus in Damaſcenum *lib. 3. fidei, cap. 1.* vbi ſic Auguſtinum loquentem proponunt: *Non Pater carnem aſſumpſit, nec Spiritus Sanctus, ſed Filius, vt qui erat in diuinitate Dei Filius, ipſe fieret in homine, hominis Filius, ne Filij nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet æterna natiuitate Filius.*

22. Eandem rationem muniunt authoritate Sancti Damaſceni *lib. 4. fidei, cap. 4.* vbi præſentem difficultatem, ſicut & nos hîc, ex inſtituto

ſtituto excitat, & ibi ante reſolutionem aduertit, proprietatem cuiuſque Perſonæ diuinæ eſſe immutabilem, quod aiunt, eſſe idem, ac eſſe incommunicabilem, etiam communicatione idiomatum. Hoc notato habet Damaſcenus: *Propter quod Dei Filius, Filius hominis fit, vt maneat proprietas immobilis*, hoc eſt teſte Auguſtino citato, *Ne Filij nomen in alterum transiret, qui non eſſet æterna natiuitate Filius.*

23. Præterea expendunt aſſertum illud Damaſceni poſt relata habitum nempe: Itaque hominis Filius factus non eſt, ſed ſolius Dei, vt immutabilis proprietas permaneat. Ponderant ſic: quæ verba, aſſerunt, æquinalere iſtis; ideo ſcilicet è diuinis perſonis, non aliã fctãm fuiſſe filium hominis, niſi illam, quæ Filius eſt Dei, ne filij ratio ad aliam Perſonã deriuaretur.

24. Tametſi ratio hæc quippe à Sancto Damaſceno allata & ideo ſummopere veneranda: oracula enim Sanctorum Patrum apud viros Catholicos magnum ſibi cultum conciliare debent, tametſi aliquam præſeferant difficultatem, quamqua imbecillitas noſtra in totum emollire nequeat. Difficultas ergo, quæ in hanc rationem aſſurgit, eſt hæc: Etenim *diſputatione antecedenti* cum Sanctiſſimo Thoma, & communi Scholaſticorum calculo dedimus, tres diuinas Perſonas ſimul potuiſſe vnam & eandem humanitatem aſſumere, & tamen ſi ea aſſumptione vnius naturæ à tribus Perſonis, ſequeretur confuſio inter illas eo modo, quo iſti Authores aſſerunt ſequi, ſi de facto omnes tres carnem aſſumerent, non ſolùm de facto, ſed nec de potentia abſoluta admitterent Authores, poſſe tres Perſonas vnam humanitatem ſibi hypoſtaticè copulare, vt ea ſe conſtare videtur; Etenim ſicut ipſi omnes credunt, de facto tres Perſonas eandem naturam diuinam terminare ſine periculo, quod inter diuinas Perſonas aliqua permiſceatur confuſio, nec quòd in illis non maneat proprietas immutabilitatis, ſeu incommunicabilitatis, nec quod Filij nomen ad alterum tranſeat, qui non eſſet æterna natiuitate Filius: ita exiſtimant id euenturum in caſu, quòd omnes tres Perſooæ diuinæ eandem aſſumerent naturam, vt citato loco fuſè vidimus ex communi. Vode mens Damaſceni, & Sancti Auguſtini quantùm meæ fragilitati diſcurſus permittitur, poteſt ſic expendi; nam cùm ſuppoſita Fide, (cui ſanctè & piè aſſenſum præſtitere) docente Filium incarnatum eſſe, nulla mentione facta de Patre, aut de Spiritu Sancto, ſi quis aſſeneraret Patrem, & Spiritum Sanctum ſimul incarnatos eſſe, iam permitteretur confuſio in intelligentia Perſonarum aſſumentium; nam ea qua parte fides monet Filium eſſe incarnatum, nulla mentione facta de cæteris Perſonis, clarè intelligeremus Filium eſſe incarnatum, & non Patrem, & Spiritum Sanctum: ſi tamen hoc oon obſtante diceretur, Patrem, aut Spiritum Sanctum aliqua ratione fuiſſe incarnatos, iam aliqualiter poſſet dici non ſolum Filium, ſed & Patrem & Spiritum carnem aſſumpſiſſe, & ſic ſuboriretur confuſio in intelligendis aſſertis Fidei de aſſumente Perſooa diuina.

25. Alij aſſignant rationem aſſumptionis huius in Verbo præ aliis diuinis Perſonis diuinam voluntatem, verùm licèt omnium, quæ fiunt, ſit cauſa ſufficiens diuina voluntas, & quæſiti cur hoc ſit, optimè reſpondeamus, quia Deus vult; tamen vltra hoc permittitur Theologis indagare motiua, quibus diuina voluntas determinetur ad hoc potiùs quàm ad aliud peragendum. Nam bene aduertit id ipſum Sanctus Auguſtinus *lib. q. veteris, & noui teſtamenti, q.* 113. per hæc: *Quanquam omne, quod facit Deus, rationabiliter, & prudenter factum credendum ſit, melius tamen puto, ſi poſt fidem, etiam cauſa facti poſſit aduerti, vt quod creditur, non ignoretur.*

26. Alij, quos ſequitur Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 1. dant rationem ex pluribus congruentiis conſtantem; nempe, vt is, qui ab æterno erat Filius Dei, in tempore fieret Filius hominis.

27. Secunda, vt qui erat perſona media inter Patrem, & Spiritum Sanctum fieret mediator inter Deum, & homines.

28. Tertia vt qui erat Filius Dei naturalis faceret oos filios Dei adoptiuos.

29. Quarta, vt qui erat ſapientia Dei increata, per quam omnia facta ſunt, fieret ſapientia incaroata, per quam omnia reficerentur.

Sectio III.

Humanitas à Verbo aſſumpta non habet appetitum innatum per modum deſiderij ad propriam ſubſiſtentiam.

30. PRæfixa conclofio docetur à Caietano *in præſenti*, Medina *q.* 4. *art.* 2. Aluarez *diſp.* 17. Cippullo *q.* 4. *art.* 2. *dub.* 2. §. 2. *n.* 3. & Suarez *diſp.* 18. *ſect.* 3. Contentionem hanc non ſemel vocalem præſumpſi. Sed quidquid illud ſit, notare debes, vt præſenti liti aliquid de ra diſputandum exhibeamus. Appetitum innatum eſſe connaturalem potentiam ad ſuam perfectionem; nec enim potentia quæuis appetitus innatus eſt, ſed quæ propendet io connaturalem perfectionem ſui. Sicut aqua ionatè appetit frigiditatem, & calorem eahorreſcit, quamuis ad illum habendum aliqua inſit in illa poteſtas.

31. Hunc enim appetitum innatum per tropum ad affectiuum elicitum, appetitum nuncupari, docet communis: Etenim ſicut apprehenſa alicuius obiecti bonitate, appetit voluntas illam, vt ſibi conſonam: ita & quælibet alia res naturali pondere fertur in id, quod connaturaliter illam perficere videtur. Differunt tamen appetitus iſti, nam elicitus ſequitur cognitionem bonitatis, in quam tendit, quapropter eſt proprius naturis cognoſcitiuis; appetitus verò innatus cognitionem perfectionis, in quam tendit, non cupit, ſed ſeipſo, ac ſi talem perfectionem cognouiſſet, in eam propendet, quapropter cunctis rebus ineſt.

32. Aliam differentiam inuenio inter appetitus iſtos, quòd elicitus deſinere poteſt ab exercitio tendendi in bonitatem hanc, quam appetebat; ratio, quia cùm iſte vt actu in aliquid

tendat,

tendat, petit pro priori cognitionem repræſentantem bonitatem obiecti, vt ſibi conſonam, poterit appetens ceſſare à cognitione, & conſequenter ab appetitu elicito. Rurſum, quia ſi loco primæ cognitionis habeat aliam repræſentantem illud obiectum per primam repræſentatum vt bonum, illud iam non eſſe conſentaneum appetenti, arceri debet talis natura ab appetitu illius obiecti, quod antecedenter cupierat; contrarium autem inuenio in appetitu innato, hic enim à cognitione non dependet, eſt ipſa rei natura, & obiectum eius eſt perfectio illa, quæ ab intrinſeco eſt tali naturæ conſona; & cùm natura cuiuſque rei immutabilis ſit; præterea, & quæuis perfectio eo ipſo, quòd ſemel ſit bona illi naturæ, nunquam à tali bonitate reſpectiua cadere valeat, hinc fit, quòd cadere nequeat ab appetitu innato illa natura ſemel ab ipſa adepto, quippe cum illa identificata.

33. Nota denique, in appetitu elicito tres actus diſtinguere ſolent authores, videlicet amorem, deſiderium, & gaudium. Primus eſt appetitus boni ſecundùm ſe à præſenti, & abſentia abſtrahentis. Secundus tendit in bonum abſens. Tertius qui tendit in bonum poſſeſſum; cùm ergo appetitus innatus metaphoricè ad elicitum dicatur, ideo tot in illo inuenimus actus, quot in elicito deſignamus, etenim ad bonum ſibi connaturaliter conſonum, ſecundùm ſe acceptum, dicitur appetitus innatus per modum amoris; ſi verò tale bonum ſit abſens, dicitur innatum deſiderium. Si verò ſit præſens, innatum gaudium appellatur. His notatis.

34. Certum eſt apud omnes, humanitatem aſſumptam habere inclinationem naturalem ad ſuam propriam ſubſiſtentiam ſibi connaturalem, quam per modum ſimplicis amoris appetit. Ratio eſt communis, nam innatus amor, ſeu appetitus innatus per modum amoris, nihil eſt aliud, quàm conformitas naturalis, ſeu coaptatio rei ad ſuam propriam, & intrinſecam perfectionem. Sed ſubſiſtentia propria eſt perfectio valde connaturalis humanitati adhuc aſſumptæ. Ergo ad illam per modum ſimplicis amoris innati tendit humanitas. Minor & conſequentia vna vice probantur. Siquidem ſubſiſtentia eſt perfectio connaturalis humanitatis ante aſſumptionem, ſed conceptus obiectiuus ſubſiſtentiæ propriæ non decreſcit in linea perfectionis connaturalis humanitatis poſt aſſumptionem. Ergo ſubſiſtentia propria eſt perfectio connaturalis humanitatis poſt aſſumptionem. Ergo humanitas aſſumpta dicit naturalem & innatum amorem ad illam. Conſequentia patet, nam cùm humanitas innato amore tendat in ſubſiſtentiam propriam ante aſſumptionem, etiam in illam innato amore debet propendere poſt aſſumptionem: quia vt vidimus ſicut perfectio, quæ ſemel eſt conſona naturaliter alicui rei, in quouis ſtatu hæc conſideretur, ſemper illi conſona debet eſſe; ita res, quæ ſemel innato amore tendit in aliquam perfectionem ſibi connaturalem, in quouis ſtatu res illa conſideretur, talem innatum amorem debet habere.

35. Nunc autem oſtenſuri ſumus, an ſcilicet habeat humanitas aſſumpta appetitum innatum per modum deſiderij ad propriam perſonalitatem; negauimus in titulo, ſed tota probatio vix vocalis inſeruit parti neganti, & affirmanti; ſiquidem conſiſtit in tradenda certa, & determinata definitione, & eſſentia appetitus innati per modum deſiderij, nam huius variatio eſt occaſio authoribus ſe diſtrahendi in hanc vel illam ſententiam, vt cuique fundamenta vtriuſque partis percurrenti conſtabit. Verùm cùm adhuc in vocibus diſcedere non liceat à communiori Thomiſtarum placito, ſumimus appetitum deſiderij pro tendentia innata ad perfectionem, quam non habet, nec aliam illi æquiualentem, ſuppoſita innati iſta deſiderij definitione, facilè ratio concluſionis componitur, tunc aliqua perfectio innatè per modum deſiderij appetitur, quando non poſſidetur, nec loco illius datur in appetente alia ſuperior forma eius defectum ſupplens. Sed humanitas aſſumpta, licèt ſubſiſtentia propria careat, non caret ſubſiſtentia diuina perfectiori modo præſtante propriæ, quidquid hæc ſubſiſtentia propria humanitati præberet. Ergo humanitas aſſumpta non habet innatum deſiderium ad ſubſiſtentiam propriam.

Confirmatur ſupponendo ex aſſertis diſputatione antecedenti, ſubſiſtentiam propriam, 36.
& alienam eſſe in eadem natura incompoſſibiles etiam abſolutâ potentia, ſuppone ex notabili communi, innatum deſiderium quippe à Deo vt illius authore cuique rei datum, æmulari debere deſiderium elicitum rationabiliter habitum. His datis deduco. Ergo appetitus innatus per modum deſiderij ineſſe nequit illi reſpectu alicuius perfectionis, etſi connaturalis, ſi ſemel habeat aliam excellentiorem eius munus exhibentem, & ambæ perfectiones ſunt prorſus incompoſſibiles. Probo conſequentiam, nam deſiderium elicitum ordinatè non fit reſpectu alicuius perfectionis ab habente excellentiorem perfectionem idem munus, ac illa præſtaret, exhibentem; ſi appetens aliunde cognoſcat, ambarum perfectionum ſimultaneam coexiſtentiam eſſe impoſſibilem. Ergo ſub eiſdem circunſtantiis impoſſibile erit innatum deſiderium reſpectu perfectionis connaturalis, cùm iſtud deſiderium quippe innatum à Deo immediatè procedat, quapropter ordinatum ex omni parte debet ab appetente quaſi fieri. Tunc ſic; ſed humanitas aſſumpta habet ſubſiſtentiam infinitam quæ excellentius humanitati præſtat quidquid ſubſiſtentia propria illi præſtaret, & ex alia parte ambæ ſubſiſtentiæ ſunt de potentia abſoluta in eadem natura incompoſſibiles. Ergo humanitas aſſumpta innatum deſiderium non habet ad propriam ſubſiſtentiam; aliàs aliquid inordinatum Deo vt authori aſcriberetur.

Sed replicabis: nam apud noſtra principia 37.
ſunt iſta certa, duæ formæ ſubſtantiales ſunt etiam de potentia abſoluta in eadem materia incompoſſibiles, necnon, quòd anima rationalis eſt omnium formarum perfectiſſima. Rurſum, quòd obtenta à materia anima rationali adhuc illa informata habet innatum deſiderium ad cæteras formas. Ergo ſtabit bene, ſubſiſtentiam diuinam eſſe excellentiorem propria ſubſiſtentia, & cum illa incompoſſibilem,

& quòd

& quòd humanitas illa terminata habeat innatum deſiderium ad ſubſiſtentiam propriam; nec exinde inordinatum deſiderium attribuendum foret Deo; ſicut nec illud deſiderium materiæ primæ inordinatum recenſetur.

38. Reſpondebis ea doctrina Suarez. Vbi ſuprà, ideo materiam iofotmatam anima rationali appetere alias formas, quia deſiderat naturaliter perpetuò eſſe, quod rationalis anima, vtpote ſeparabilis ab ipſa præſtare illi non poteſt. Vnde ſi anima rationalis eſſet inſeparabilis à materia, nullam aliam appeteret, ſicut materia cæli contenta eſt ſua forma; at ſubſiſtentia verbi ſuapte natura poteſt naturam humanam perpetuò terminare, & multò perfectiùs, quàm connaturalis. Ergo appetit ſubſiſtentiam propriam.

39. Sed replicabis: quia appetitus aliarum formarum in materia iofotmata anima rationali non oritur ex ſeparabilitate animæ, ſed vice verſa ſeparabilitas animæ oritur ex appetitu aliarum formarum quem habet materia. Vnde materia cæli ideo inſeparabiliter cum ſua forma connectitur, quia prædicta materia alias formas ſuſcipere nequit. Si tamen eas poſſet naturaliter recipere, ſicut ſublunaribus contingit, fieret, ſicut iſtæ, à forma cæleſti ſeparabilis, atque adeo tota cæli ſtructura eſſet naturaliter corruptibilis.

40. Reſpondebis ſecundò cum aliis replicæ *numero* 37. allatæ: exemplum illud de anima non eſſe ad rem, quia anima rationalis non continet reliquas formas inferiores ſecundùm ſpecificas illarum rationes, ſed ſolùm quoad communes gradus, quæ non eſt perfectiſſima continentia: at ſubſiſtentia diuini Verbi continet perfectiſſimo modo ſubſiſteotiam creatam naturæ humanæ, cùm contineat eam emioenter, & quoad vltimam rationem illius, & ideo benè poteſt tollere appetitum per modum deſiderij ad illam.

41. Sed replicabis cum Martino Perez *diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 16. quia priuatio formæ formaliter talis non poteſt tolli niſi per formam formaliter talem. Sed deſiderium naturale propriæ ſubſiſtentiæ in natura humana conſiſtit formaliter in priuatione formæ formaliter talis, nempe ſubſiſtentiæ creatæ, & propriæ. Ergo tolli non poteſt per formam ſolùm eminenter talem, qualis eſt ſubſiſtentia diuina, ſed neceſſariò debet per propriam, & connaturalem ſubſiſteotiam creatam auferri.

42. Secundò, appetitus innatus vnius potentiæ ſolùm ſatiatur per actum talis potentiæ, & per alterius actum quantumlibet perfectum ſatiari, & expleri nequit, ſed ſubſiſtentia verbi non eſt actus potentiæ paſſiuæ naturalis, quam habet humanitas reſpectu propriæ ſubſiſtentiæ, ſed alterius potentiæ, nempe obedientialis. Ergo appetitus potentiæ paſſiuæ naturalis nequit per ſubſiſtentiam verbi ſatiari, ſed ſolùm debet expleri per propriam, & connaturalem ſubſiſtentiam, ſicut ſcientia beatifica non ſatiat deſiderium naturale potentiæ intellectiuæ ſcientiarum naturalium, ſeu acquiſitarum, ſed ſolùm elicitum deſiderium voluntatis. Vnde non eſt de ratione beatitudinis, quòd expleat appetitum innatum, ſed tantùm, quòd expleat omne deſiderium rationale elicitum à voluntate, quod ſolum, vtpote vitale, ac perceptibile, poteſt cauſare ſollicitudinem, & anxietatem ſtatui beatifico contrariam.

Reſpondeo igitur replicæ *numero* 37. adductæ, omiſſa ſolutione Suarij, & admittens ſolutionem datam *numero* 40. quare ſolùm reſtat reſpondere his vltimis replicis. Ad primam *numero* 41. diſtinguo maiorem, priuatio formæ formaliter talis nequit tolli niſi per formam formaliter talem, ſolùm entitatiuè & formaliter talem nego maiorem, per formam quæ formaliter & eminenter ſit talis, concedo, & diſtinguo minorem, ſed deſiderium innatum propriæ ſubſiſtentiæ conſiſtit in priuatione formaliter talis, nempe ſubſiſtentiæ propriæ, ſolùm, nego, in priuatione illius, & alterius quod formaliter eminenter ſit ipſa ſubſiſtentia creata, concedo, & nego conſequentiam. Itaque vt notauimus non ſemel tota huius contentionis difficultas conſiſtit in ſtatuendis requiſitis deſiderij innati: non enim aſſerimus appetitum innatum perfectionis per modum deſiderij eſſe pondus naturæ in illam perfectionem entitatiuè talem, vel in ipſam formaliter eminenter talem. Vnde vnum eſſe aliud formaliter eminenter, nihil de ſuo proprio & primario conceptu illi detrahit; *ly eminenter*, non opponitur proprietati conceptus, ſed eius imperfectionibus. Miſericordia Dei, & iuſtitia diuina formaliter eminenter ſunt iuſtitia, & miſericordia creata ſecundùm ea, quæ primariò dicunt creata miſericordia, & iuſtitia: eſſe autem miſericordiam & iuſtitiam eminenter, nihil aliud demit, quàm rationem accidentis, & inhærentiæ, ſeu informationis, quas entitatiuè inuoluunt iuſtitia, & miſericordia, quia creatæ ſunt. Ita ſubſiſtentia diuina formaliter eminenter eſt creata ſubſiſtentia cum omni proprietate; atque adeo, *ly eminenter* nihil in diuina perſonalitate detrahit de proprietate creatæ ſubſiſtentiæ ſecundùm ea, quæ ex primario conceptu obiectiuo importat ſubſiſtentia creata; ſolùm purgare facit à ratione modi informantis, quam imbibit ſubſiſtentia creata, quia creata: vnde *ly eminenter* ſolùm demit, quòd ſubſiſteotiæ diuinæ entitas non ſit entitas formaliter creatæ ſubſiſtentiæ vt modificans, non tamen vt non ſit illius entitas eminenter, hoc eſt, vltimus humanitatis terminus ſine modificationis imperfectione. Vnde per idem eſt, humanitatem habere innatum deſiderium ad propriam ſubſiſtentiam, ac illud habere ad ſubſiſtentiam diuinam conditionatè, hoc eſt ſub conditione, quòd propriam non habeat illam modificantem.

Ad ſecundam replicam *num.* 41. adductam, permitto maiorem inata ſtatim dicenda, & diſtinguo minorem. Sed diuina ſubſiſtentia non eſt actus potentiæ paſſiuæ naturalis formaliter ſumptæ, concedo, entitatiuè & materialiter, nego minorem, & diſtinguo conſequens: ergo appetitus potentiæ paſſiuæ naturalis nequit per ſubſiſtentiam verbi ſatiari, per ſe primò, concedo, conſequenter, & neceſſariò neceſſitate connexiua, nego conſequentiam. Itaque potentia obedientialis, & naturalis non ſe gerunt 44.

ſicut

ſicot cæteræ potentiæ, quæ realiter eotitatiuè differunt, vt intellectus, & voluntas, quarum nulla per actum recepium in alia ſatiati nequit; potentia enim obedientialis & naturalis non ponunt in numern quoad entitatem; vnica & eadem entitas eſt, ſolùm formaliter terminatinè differunt; vnde ex qua parte obedientialis & naturalis potentis ſunt vna eotitas, nequit obedientialis per aliquam formam ſatiari, quin etiam connexiuè naturalis ſatietur, ſi forma illa eminenter formaliter contineat formas naturales, quæ immediatè per ſe primò potentiæ naturalis ſunt perfectiuæ. Ex qua verò parte obedientialis formaliter à naturali potentia differt, ſtare poteſt, quòd per ſe primò per aliquam formam obedientialis immediatè ſatietur, & per ſe ſecundò per eamdem formam ſolùm mediatè naturalis potentia expleatur. Iſta currunt in præſenti, obedientialis potentia humanitatis ad ſubſiſtentiam diuinam, & potentia naturalis ad propriam ſunt vna entitas: ſemel ſatiata immediate & per ſe primo obedientiali potentis per diuinam ſubſiſtentiam, connexiuè, ſeu mediatè argnitinè ſatiari debet potentia naturalis ad ſubſiſtentiam propriam, qnippe illa iſtam formaliter eminenter continet. Idem dico de beatitudine ſupernaturali, quæ quia omnem felicitatem naturalem continet, ſemel ſatiata potentia obedientiali per illam, & connexinè ſatiatur & potentia naturalis: ſed extat notanda differentia aliqna, quòd ſemel obtenta viſione beata non tollitur poteſtas habendi cognitiones naturales perficientes potentiam naturalem intellectus, ſiquidem tales cognitiones non ſunt incompoſſibiles, vt de ſe patet, intra lineam cognitionis, tametſi intra lineam beatitudinis ſibi mutuò repugnent; at verò ſubſiſtentia diuina & creata in eadem natura omnino ſunt incompoſſibiles, quare obtentâ diuinâ, nulla ineſt potentia nec naturalis, nec obedientialis ad habendam ſubſiſtentiam propriam & creatam.

45. Sed replicabis, tunc ſatiari poſſet connexiuè potentia naturalis, quando obedientialis obtinet idipſum, qnod ex ſe appetit naturalis obtinere. Sed dum ſubſiſtit humanitas ſubſiſtentiâ diuinâ, non obtinet potentia idipſum obedientialis, quod potentia naturalis appetit obtinere. Ergo hæc coargnitiuè connexioè non ſatiatur. Probo minorem: potentia naturalis appetit terminari per terminom illam modificantem. Sed potentia obedientialis, dom homanitas aſſumitur, non obtinet terminum, per qnem potentia naturalis modificetor. Ergo obedientialis, quando aſſumitur humanitas, non obtinet idipſum, quod naturalis potentia petit obtinere.

46. Reſpondeo diſtingnens maiorem, tunc ſatiari poſſet connexiuè potentia naturalis, quando obedientialis obtinet idipſum, quod ex ſe petit naturalis obtinere, ex indigentia, concedo, ex imperfectione aliunde petita, nego, & diſtinguo minorem. Sed in noſtro caſu non obtinet potentia obedientialis idipſum, qnod potentia naturalis petit ex ſe obtinere ex indigentia, nego, ex imperfectione aliunde petita, nego, & nego conſequentiam. Ad probationem minoris, diſtingun maiorem, potentia naturalis appetit terminari per terminum illam modificaotem ex indigentia, nego, ex imperfectione aliunde expoſtulata, concedo, & concedo mio. & oego, & cócedo conſequētiam ſub eadem diſtinctione. Itaque naturam aliquam appetere ſuam ſubſiſtentiam, naſcitur, quia ea indiget, vt intra lineam ſubſtantiæ compleatur, & exinde habeat conditionem ſine qua non requiſitam ad complendam lineam operandi; quouſque iſta obtineat, ſemper indiga natura manet, ipſa tamen ex ſe non exoptat, vt tale complementum modificet eam, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile ſubſiſtentia propria non modificaret naturam, ſi tamen illi prædictum complementum præſtaret, nihilo amplios natura peteret ex indigentia, quod autem hîc & nunc non terminetur niſi per terminum actu illam modificantem, naſcitur non ex indigentia, aut neceſſitate naturæ, ſed ex imperfectione ſubſiſtentiæ propriæ, quæ quia eſſentialiter eſt modus, ex neceſſitate petit affigi naturæ, quam complet. Quare modificatio non petitur à natura complebili ſed à modo complente, iſte enim habet appetitum innatum deſiderij ad complendum modificando, natura verò illum non habet, vt modificata compleatur. Subſiſtentia ergo diuina, cùm suppleat ſolùm, quod ex indigentia potentia naturalis humanitatis petit & hæc ſolùm indigeat compleri intra lineam ſubſtantiæ, & intra lineam operandi, fit, quòd ſemel potentia obedientiali actuata per ſubſiſtentiam diuinam, humanitatem complentem in vtraque linea, ſuppleat omne id, quod ex indigentia petit habere potentia naturalis, & quod connexiuè adæquatè maneat ſatiata.

DVBIVM II.

Sub qua ratione Verbum diuinum humanitatem dicatur terminare?

SVppoſita fide, cui concrediti ſunt Theologi omnes, docente, verbum diuinum immediatè humanitatem terminaſſe, manet apud illos concertatio nunc examinanda, videlicet ſub qua ratione in verbo reperta ipſum verbum humanitatem terminauerit, ſeu quænam diuina perfectio, quam verbum inuoluit ſuerit illi ratio terminandi humanitatem, cui ſequentes ſectiones ſatisfacient.

Sectio I.

Verbum diuinum humanitatem non terminauit primariò per aliquid abſolutum, & ſecundariò per aliquid relatiuum.

REſolutionem hanc defendit ſanctiſſimus doctor *hîc quaſt. 3. art. 2.* Caietanus & Medina *ibidem.* Capreolus, Nazarius, Aluarez, Aranius, Cabrera, Cippullus *ibidem.* Ex aliis Scotus *in 3. diſt. 1. quaſt. 5. § in iſta quaſt.* & om-

nes

nes diſcipuli eius. S.Bonau.*in 3.diſt.5.art.1.q.3.* Richard.*art.1.q.1.* Argent.*in 3.diſt.1.q.2.art.2.* Marſil.*q.2.art.1.in fine* Almainus *in 3.diſt.2.quæſt.1.* Palacius *ibi diſt.1.diſp.2.* Rubionius *ibi diſt.5.quæſt.1.* ex recentibus Suarez *hic diſp.12, ſect.2.* Vaſquez *hic diſp.26.cap.3.* vterque Hurtadus, Raguſa, Granadus, Martinus Perez, Bernal, & Amicus, eſtque communis in triplici ſchola; imo contrariam Durandi ſententiam cenſurant. Quidam, vt Capreolus, eam notant, vt periculoſam, Medina vt hæreticam. Cabrera vt temerariam, & errori proximam. Plura tamen oracula huius aſſertionis veritatem confirmant, adducam vnum vel duo, vt exinde appareat, non fuiſſe intempeſtiuam cenſuram, quam contrario Durandi placito authores impingunt.

48. Primo produco teſtimonium *Toletani vndecimi in confeſſione fidei prope medium,* vbi hæc: *incarnationem quoque huius Filij Dei tota Trinitas operaſſe* (vt quidam legunt operata eſſe) *credenda eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis; ſolus tamen Filius formã ſerui accepit in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id, quod eſt proprium Filij, non quod commune eſt Trinitati.* Pondero, nam humanitas ad id ſolum immediatè vnita fuit, in quod, & in quo ſuſcepta eſt, vt ex terminis cõſtare videtur. Atqui conſtat ex adducto cõcilio humanitatem Chriſti non eſſe acceptam in id, quod eſt commune toti Trinitati, ſed in id, & in eo, quod eſt verbi proprium. Ergo ex Concilio verbum diuinum humanitatem non terminauit primariò per aliquid abſolutum. Nec effugium Durando ſupereſt, vt ſe totum non tradat in ſenſum huius Concilij; ſiquidem illud Innocentius Papa *in epiſt.ad Petrum Epiſcopum Compoſtellæ* authenticum ore pleno appellat.

49. Idem aſſertum pronunciat *Concilium Toletanum 6.in confeſſione fidei* diſertis verbis trucidans Cnafeum, quem vocarunt Græci fullonem, Antiochenorum intruſum antiſtitem, & quem quia defenderet Patrem cum Filio fuiſſe paſſum, Patropaſchitam nominarunt, hunc igitur damnantes Patres Concilij aiunt: *& cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis* (*quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis* (*ſolus tamen Filius accepit hominem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ; in id, quod eſt proprium Filij, non quod commune eſt Trinitati.* Verba hæc ponderatione non egent, quippe quantumcunque premantur, nihil clarius pro noſtra reſolutione dedocere poterimus: & ne dum expreſsè id fatentur ſemel, ſed ex fine, in quem directa ſunt, colligitur, Patres in ea mente fuiſſe, vt vnionem immediatam ad aliquod abſolutum verbi ab humanitate auellerent; ſiquidem verba hæc dicta ſunt à Patribus in damnationem illius Fullonis Epiſcopi aſſerentis, non tam Filium, quàm Patrem & Spiritum ſanctum ſimul incarnatos fuiſſe, mortuos, & paſſos, hunc errorem euertere intendit Concilium, vt legenti erit compertum; at melius id aſſequuntur dicendo, humanitatem non fuiſſe acceptam à verbo ſecundùm id, quod commune eſt toti Trinitati; ſiquidem ſi id non decernerent, ſupererat illi aditus intelligendi eſſe acceptam humanitatem ratione alicuius abſoluti toti Trinitati communis, ex quo non inutiliter inferre poterat Fullo totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, paſſam, ſimulque emortuam; ſiquidem difficulter poterit quis defendens verbum eſſe vnitum humanitati ratione abſoluti, perſuadere Fullonem tres perſonas non eſſe vnitas eidem humanitati, vt ſtatim oſtendemus. Ergo ex intento ipſo, quo moti ſunt Patres ad proferendum verba illa, quibus Fullonem illum damnarunt, clarè colligitur, ipſos ſenſiſſe, verbum humanitatem non accepiſſe ratione alicuius prædicati abſoluti.

Præterea, quia in myſterio noſtræ incarnationis, nihil habet verbum commune cum aliis perſonis diuinis præter effectionem humanitatis & vnionis, quas indiuiſibiliter ſimul omnes tres perſonæ peragunt, quia ad extra quidquid fit, efficitur per diuinam voluntatem, quæ omnibus perſonis communis eſt; ita loquitur *6.ſynodus generalis act.8.circa finem,* vbi aſſignans cauſam, cur verbum ſolum fuerit incarnatum, ait: *quia Pater & Spiritus ſanctus nihil incarnationis habent commune niſi benigniſſimam voluntatem.* Idem ſentiunt Patres Dionyſius *lib.de diuinis nominibus cap.2.parte 1.poſt medium*; & Elias Cretenſis *in orat.52.quæ eſt epiſtola prima ad Cledonium.* Vnde verba Dionyſij magni fecit ad ſuum intentum probandum *6.illa ſynodus generalis,* quæ ſic ad rem noſtram facere videntur; aiebat enim ſic Dionyſius; namque Pater, & Spiritus nulla ratione communicant, niſi quis dixerit, ſecundùm benigniſſimam & miſericordem voluntatem. Ponderantur hæc ſimul & illa verba ſextæ ſynodi. Etenim ſi vnio hypoſtatica ad aliquid commune tribus perſonis terminaretur; iam non ſola effectio, ſeu voluntas incarnationis eſſet illis communis; ſed etiam hoc, quod eſt eſſe humanitati hypoſtaticè copulatas: ratio eſt clara, quia ſicut illud abſolutum eſſet commune tribus perſonis, pariter illas perſonas eſſe humanitati hypoſtaticè copulatas in illo eſſe abſoluto, eſſet ipſis commune. Quod eſt damnatum. 50.

51. Rationem deſumo ex inconuenienti ſequuto ex ſententia contraria; etenim ſi primaria ratio terminandi humanitatem eſſet abſoluta perfectio, etiam Pater, & Spiritus ſanctus eſſent ſimul cum Filio incarnati. Hoc eſt planè hæreticum, vt vidimus *dubio antecedenti,* ergo verbum non terminauit humanitatem primariò ratione alicuius prædicati abſoluti in ipſo imbibiti. Sequelam probo, quia non minùs intrinſeca Patri ſua natura, quàm ſua perſonalitas, quia ex ambabus conſtat in ratione Patris, ſed ſi Pater primariò terminaret humanitatem ſecundùm propriam perſonalitatem paternitatis, eſſet verus homo dicendus. Ergo ſi eandem terminaret primariò ratione prædicati abſoluti naturæ, pariter dicendus eſſet homo. Ergo ſi hîc & nunc verbum terminaret primariò humanitatem ſecundùm rationem naturæ omnibus perſonis communis, eſſent dicendæ verus homo: probo conſequentiam, ſi ſola vna perſona, nempe Pater eſſet in diuinis, & primariò terminaret

homa

humanitatem ſecundùm naturam tantum, talis perſona, nempe Pater, eſſet dicendus homo, & propriè incarnata. Ergo etiam in caſu, quo ſint tres, ſi vnio primariò terminatur ad verbum ratione naturæ, omnes tres perſonæ eſſent dicendæ incarnatæ, & homo. Conſequentia patet, nam quòd in hac rerum periſtaſi, natura diuina ſit communis aliis perſonis, nihil impedit, quin ſit propria Patris, & reliquarum perſonarum. Confirmo hoc: etenim in philoſophia valde probabili, vt forma accidentalis de aliqua perſona creata propriè, & verè efferatur, neceſſe non eſt, vt talis forma immediatè cum perſonalitate copuletur, ſufficit, quòd cum natura vniatur, etenim in ſententia defendente accidentia omnia in ſuppoſito minimè ſubiectari, ſi albedo immediatè ſolùm naturæ Franciſci copularetur, verè Franciſcum denominaret album. Ergo vt aliqua forma ſubſtantialis, nempe humanitas de perſona Patris prædicetur verè, neceſſe non erit, vt humanitas paternitati immediatè copuletur, ſufficiet, vt naturæ Patris vniatur.

52. Sed replicabis, rationem hanc efficacem non eſſe ad inferendum omnes tres perſonas eſſe incarnatas, quamuis verbum terminaret humanitatem ſecundùm rationem abſolutam naturæ: etenim ſtare poteſt in Patre, quòd principium, *quo*, generandi Filium, ſit aliquid abſolutum, nempe natura, quæ omnibus perſonis eſt communis, & tamen generare Filium non eſſe omnibus perſonis commune. Ergo quamuis ratio terminandi humanitatem in verbo ſit natura Dei abſoluta, quæ communis eſt tribus perſonis, non exinde legitimè infertur, quòd incarnentur omnes, ſemel incarnato verbo.

53. Reſpondebis, eſſe latam diſparitatem, quia natura diuina non eſt principium generandi, niſi quatenus eſt in perſona, quæ origine præcedit perſonam genitam; vnde quamuis eſſentia diuina ſit communis omnibus perſonis, quando iſtæ intelliguntur productæ; implicat tamen quòd ſit illis communis ſecundùm quod eſt principium generandi, quia ipſa ſolùm ſic cenſetur principium pro illo priori, pro quo non intelligitur Filius, aut Spiritus ſanctus productus. Contrarium verò contingit in creatione, etenim quia hæc ſupponit perſonas exiſtentes, omnibus conuenit creare, ſiquidem virtus creatiua eſt eſſentia vt communis eſt tribus perſonis. Cùm ergo terminare humanitatem ſit opus ſupponens tres perſonas iam exiſtentes, eo ipſo, quòd verbum immediatè & primariò terminaret humanitatem ratione abſolutæ naturæ, quæ communis eſt omnibus perſonis, optimè inferretur, omnes eſſe incarnatas ſimul cum Filio.

54. Reſpondebis ſecundò iuxta principia ſatis probabilia ſecundùm ſanctiſſimum doctorem, quæ ſuſtinui in prælectione ad Cathedram primariam Scoti huius Complutenſis Academiæ; vbi dixi, potentiam generatiuam in Patre integrari debere ex duabus quaſi partialibus potentiis, nedum partialitate potentiæ, ſed partialitate termini, quarum vna eſſet potentia communicatiua, nempe eſſentia, & alia ſolùm productiua nempe relatio paternitatis, non ſub conceptu quaſi relationis prædicamentalis, ſed ſub conceptu tranſcendentalis relationis; iuxta quæ eſſentia diuina, nec aliquid abſolutum haberet rationem principij proximè productiui. Vnde aptiùs iuxta hæc ſaluabitur, rationem generandi eſſe ſolùm in Patre, quia ſolùm in illo eſt paternitas vt eſt relatio tranſcendentalis productiua Filij. Verùm vt fatear ingenuè principia hæc valde à ſententia ſanctiſſimi doctoris diſſideot, vt Deo fauente *tom. 2. in 1. partem* apertè demonſtrabo, quapropter ſolutio prima eſt ſuſtinenda.

Sed replicabis contra ſolutionem primam, de facto in inſtanti rationis, *in quo*, exiſtentiæ filij communicatur eſſentia illi, quæ eſt communis Filio, & Patri, & tamen paternitas non communicatur. Ergo quamuis terminare humanitatem ſupponat perſonas exiſtentes, & prædictum terminare verbo conueniat principaliter ſecundùm naturam, quæ communis eſt cæteris perſonis, non exinde infertur, illis competere debere humanitatem immediatè terminare. 54.

Reſpondeo, latam eſſe diſparitatem; nam vt *ex tractatu de Trinitate* ſcimus, tota oppoſitio, quæ in diuinis inuenitur, inter relatiua, ſeu diuinas perſonalitates eſt; quapropter nec cum diuina, nec cum humana natura perſonalitates oppoſitionem habent, & hæc eſt cauſa, quòd Filio naturâ diuinâ communicatâ, minime paternitas communicetur; hoc tamen non contingeret, ſi natura diuina humanitati communicaretur, tunc enim omnes perſonalitates increatæ illi eſſent communicandæ; ſiquidem nulla perſonalitas diuina cum humanitate aliquam oppoſitionem habet. Vnde regula debet eſſe præfixa, quotieſcunque aliquod tertium vnitur alicui extremo, & vnitur etiam alteri cum illo connexo, ſi ratio vniendi primi extremi ſit aliquod vinculum vtrique extremo commune, & aliunde nullum extremorum habeat oppoſitionem cum tertio talem vnionem impedientem; exemplum ſit in diuinis, etenim quia cum eadem natura diuina filiatio, & ſpiratio paſſiua minimè repugnant, ideo eidem naturæ per generationem communicata eſt filiatio, & per proceſſionem ſpiratio paſſiua. Aliud ſit exemplum in creatis in hypotheſi, quòd vnum accidens, nempe calor eſſet receptus in ſola ſuperficie; & hæc ſubiectata eſſet in Ioanne & Petro, in tali caſu vterque homo per eundem calorem diceretur calidus. Similiter ergo ſi humanitas immediatè eſſet vnita in eſſentia, cùm hæc in omnibus perſonis eſt eadem, ſicut calor in vtroque homine, & aliunde nullam oppoſitionem habeant cum humanitate prædictæ perſonalitates diuinæ; vt nec illam haberent prædicti homines cum ſuperficie; fit ineuitabiliter, ſemel incarnato Filio cæteras perſonas incarnandas fore. 55.

Sed replicabis, ideo iuxta regulam iſtam incarnato Filio eſſent perſonæ incarnandæ, quia tunc immediatè incarnaretur natura, quæ in omnibus eſt eadem, & aliàs tales perſonæ cum humanitate omni oppoſitione deſtituuntur. Sed regula hæc de facto deficit. Ergo & ſolutio: probo minorem: de facto incarnato Filio, dicitur natura diuina incarnata, quæ eſt eadem in perſonis, & aliàs iſtæ minimè cum humanitate 56.

oppo

opponuntur, & tamen illâ incarnatâ cæteræ perſonæ ſecundùm fidem incarnatæ non ſunt. Ergo regula illa deficit.

58. Reſpondeo regulam illam eſſe illabatam, & ab exemplo caloris magnam vim haurire ad veritatem reſolutionis noſtræ muniendam; vnde diſparitas inter antecedens, & conſequens eſt cognita; quia de facto quando incarnatus eſt Filius, primariò incarnata non eſt natura diuina, vt eſt vinculum commune humanitatis & perſonarum; ſed ſecundariò, & mediatè vt in perſona verbi eſſentialiter imbibita; quapropter eius mediata incarnatio ſecum non fert incarnationem perſonarum; vnde ſicut verbum vendicat ſibi identitatem cum natura, ſibi minimè cæteris perſonis identificatis; ita ipſum verbum poterit mediatè eamdem naturam humanitati copulare, minimè cæteras perſonas copulando illi. Regula, tamen, quam præfiximus, eſt de vnione immediata, & primaria humanitatis ad naturam diuinam, vel aliquid abſolutum, quod nequit non eſſe vt immediatè vnitum commune vinculum humanitatis & perſonarum.

SECTIO II.

Verbum diuinum terminauit primariò humanitatem ſecundùm aliquid relatiuum, & ſecundariò mediatè ſecundùm aliquid abſolutum.

59. SVffragantur huic reſolutioni expreſsè Ioannes Capreolus *in 3. diſt. 1. quæſt. vnica, art. 1. & art. 3. ad argumenta Durandi.* Aluarez *hic diſput.* 20. imo in eamdem voco cunctos Thomiſtas defendentes humanitatem Chriſti exiſtere per diuinam exiſtentiam, & ſolam vnam increatam abſolutam exiſtentiam in diuinis admittentes, vt Ferrara *4. contra g. cap. 35. & 41.* Aſturienſes *de gratia Chriſti quæſt. 7.* Caietanum *hic ſuprà quæſt. 16. art.* 2. Medinam, Cabreram & Cippullum. Vnde non omnes docentes humanitatem exiſtere per exiſtentiam increatam, tenentur reſolutionem iſtam defendere, quia plures id verum profitentur, & cùm ex alia parte admittant, in diuinis non vnam, ſed plures dari relatiuas exiſtentias, fit, optimè componere poſſe vocam rationem, & adæquatam in verbo terminandi humanitatem, tam ad ſubſiſtendum, quàm ad exiſtendum eſſe perſonalitatem relatiuam, quæ ſimul exiſtentia, & ſubſiſtentia eſt in illorum ſententia. Quantùm ad hoc tamen, quòd vnica ratio terminandi verbum humanitatem ſit perſonalitas relatiua, docetur ab aliis extra ſcholam ſanctiſſimi doctoris. Scotus *diſtinct. 1. quæſt. 5. §. in iſta quæſt.* eam expreſsè docet. Richardus *artic. 1. quæſt. 1.* Argentinas *diſtinct. 1. quæſt. 2. artic. 2.* Martinus *quæſt. 2. artic. 1. in fine.* Almainus *diſtinctione* 2. *quæſt. 1.* Robionis *diſtinct. 5 quæſtione* 1. Suarez *diſput. 1 2. quæſt. 1.* Vaſquez *diſput. 26. cap. 3.* & alij recentes.

60. Itaque reſolutio noſtra habet duas partes. Prima, verbum vnitum eſſe primariò cum humanitate ratione alicuius relatiui; ſecunda ab his citatis authoribus. Secunda videlicet, idem verbum ſecundariò eſſe vnitum cum humanitate ratione alicuius abſoluti, non ita communiter defenditur, eam expreſsè impugnant Martinus Perez *diſp.* 10. & Bernal, & in eo ſenſu, in quo à nobis cum Capreolo defenditur, relinquitur pars iſta à cunctis authoribus defendentibus, humanitatem nullo modo poſſe exiſtere per exiſtentiam increatam Dei.

Sed antequam ſententiam iſtam tituli probemus, explicare libuit Capreoli mentem, quam ſequimur, ſuppono ex Capreolo, in diuinis dari ſubſiſtentiam abſolutam omnibus perſonis communem, & vltra hanc concedit ipſe, & bene, tres ſubſiſtentias relatiuas ipſis perſonis proprias. Hoc notato docet, naturam humanam vnitam fuiſſe cum verbo, vt per eius ſubſiſtentiam ſubſiſteret, & ſimul ſubſiſteret, ſed ſecundariò, per ſubſiſtentiam abſolutam; ex his clarè conſtat diſcrimen inter Capreolum & Durandum; nam ille defendit, naturam humanam primariò vniri ad verbum ratione ſuæ propriæ relatiuæ ſubſiſtentiæ, & deinceps ſecundariò ad ipſum verbum ratione ſubſiſtentiæ communis: & addit rurſum, humanitatem per primariam illam vnionem accipere à verbo eius ſuppoſitalitatem, quapropter euadere Chriſtum vnum in perſona cum verbo, & per ſecundam accipere ab illo exiſtentiam, quod eſt cauſa vt Chriſti humanitas exiſtat per diuinam exiſtentiam. 61.

Rurſum explicandæ ſunt voces iſtæ *ſecundariò & primariò* in ſententia huius authoris, etenim hic duplicem dependentiam agnouit in humanitate ad verbum. Alteram quantùm ad actum ſubſiſtendi, & alteram quantùm ad actum exiſtendi; verùm cum aliquo ordine, nam cùm ex philoſophia Thomiſtica ſupponat, naturam quancunque creatam fieri capacem exiſtentiæ per receptionem ſubſiſtentiæ fit, quòd vnio humanitatis ad verbum præſupponatur ad vnionem ad exiſtendum, & quòd reſpectu primæ vnionis terminationis ſit ratio formalis illius terminatiua perſonalitas verbi: reſpectu ſecundæ ſubſiſtentia, vel exiſtentia abſoluta. 62.

Prima ergo pars reſolutionis, nempe verbum primariò ſecundùm aliquid relatiuum ſibi proprium humanitatem terminaſſe eſt, vt dixi omnium Theologorum contra Durandum. Probatio illius allata eſt *ſect. antecedenti,* ibi leges CC. & PP. teſtimonia, necnon rationem iſtam partem munientia & ne ſctum iteremus, ab illius vlteriori probatione ſuperſedeo. 63.

Secunda verò pars, nempe ſecundariò verbum terminari ad aliquod abſolutū, duplicem poteſt habere ſenſum, quo minimè notato pars hæc nullo modo ab aliquo theologo impugnari debet, igitur verbum terminari ſecundariò ad naturam diuinam poteſt habere hunc ſenſum, nempe quòd vnio hypoſtatica per ſe primò terminetur ad diuinam perſonalitatem & progrediatur ratione illius, vt terminetur ad eſſentiam diuinam, & iſte ſenſus eſt verus, & neceſſariò à cunctis theologis admittendus, cùm omnes vno ore profiteantur, naturam diuinam mediatè eſſe humanitati vnitam; imo 64.

eo ipſo, quòd ex fide doceamur, humanitatem eſſe vnitam diuinæ perſonæ filij, ex neceſſitate cogimur fateri, humanitatem aliquo modo eſſe vnitam diuinæ eſſentiæ, ſiquidem perſona, cui vnitur, non eſt ſola perſonalitas, ſed ipſa & diuina eſſentia; at omnes negant vniri eſſentiæ immediatè & primariò. Ergo omnes tenentur admittere humanitatem ſecundariò eſſe vnitam diuinæ eſſentiæ. Ergo pars hæc reſolutionis, nempe humanitas vnita eſt diuinæ eſſentiæ ſecundariò in hoc ſenſu explicato, nullo modo ab aliquo eſt neganda.

65. Alium ſenſum pars iſta habet, nempe humanitatem verbo vnitam ſecundariò vniri ad eſſentiam diuinam, vt per illam exiſtat. Pars hæc ſic intellecta licèt à nobis defendatur, à multis etiam deſeritur, potiſſimùm ab his, qui extra ſcholam SS. D. militant: ſed tamen probatio eius pendet tota in probando humanitatem exiſtere exiſtentiâ increatâ Dei, ſed tamen res hæc infrà eſt reſoluenda, & munienda; interim tamen eam ſupponere debemus, qua ſuppoſita, cùm ex alia parte defendamus, in diuinis nullam aliam dari exiſtentiam, præter exiſtentiam eſſentiæ, optimè infertur, quòd humanitas ſi vnitur, ſaltem ſecundariò cum diuina eſſentia ad exiſtendum, quòd debeat exiſtere per exiſtentiam eſſentiæ.

66. Dicitur ergo humanitas ſecundariò vniri ad eſſentiam non ſumpto *ly ſecundariò*, ſicut communiter contrarij exiſtimant illud à Capreolo poni, tametſi ipſe Capreolus ingens fundamentum dederit prædictæ exiſtimationi: etenim in ly *ſecundariò* vel notat diſtinctam vnionem in humanitate receptam & immediatè terminatam ad exiſtentiam eſſentiæ, quæ quia ſupponit aliam vnionem humanitatis ad diuinam perſonalitatem, dicitur ſecundaria, & mediata vnio, vel tantùm eſt vnica vnio hypoſtatica, quæ immediatè ſolùm terminetur ad perſonalitatem, & ipſa ratione perſonalitatis ad exiſtentiam eſſentiæ dicatur terminari. Primum licèt ſit poſſibile, tamen videtur ſuperfluum, quod ex probatione ſecundi nunc ſubiicienda cõſtare videtur. Siquidem vnica & eadem vnio primariò terminari poteſt ad vnum extremum, & ſecundariò ad aliud, quando talia extrema habent inter ſe ordinem prioris & poſterioris, & vnum eſt ratio vniendi reſpectu alterius, vt patet, eadem enim cognitio ſiue diuina, ſiue creata ſufficit terminari primariò ad eſſentiam diuinam, & ſecundariò ad creaturas, quia videlicet eſſentia & creaturæ habent inter ſe ordinem prioris, & poſterioris, & eſſentia eſt ratio attingendi creaturas. Cùm ergo perſonalitas, & diuina exiſtentia habeant inter ſe ordinem prioris & poſterioris, quippe æquiualent ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ creatis, quarum vna nempe ſubſiſtentia eſt prior exiſtentia, & perſonalitas diuina eſt ratio vniendi humanitatem cum exiſtentia eſſentiæ, optimè intelligitur eandem indiuiſibilem vnionem hypoſtaticam, quæ immediatè & primariò attingit perſonalitatem, non ſiſtere ibi, ſed vlteriùs progredi ad attingendum ſecundariò exiſtentiam eſſentiæ diuinæ.

67. Confirmo hoc, ſiquidem cum multiplicitate vnionum non ſaluatur, humanitatem ſecundariò vniri cum exiſtentia abſoluta eſſentiæ, quod intendit Capreolus & cuncti noſtram reſolutionem defendentes, ratio, nam vnaquæque illarum vnionum immediatè ſuum terminum attingeret. Prima perſonalitatem, ſecunda exiſtentiam eſſentiæ, ſicut ſi vna daretur cognitio attingens eſſentiam, & alia attingens creaturas, vnaquæque primariò in ſuum obiectum tenderet, vt latè dabimus *t. 2. tr. de ſpectantibus ad intellectum Chriſti diſp.* 2. quia immediatè ſingulæ illud attingerent. Nec ſufficeret vnionem ad perſonalitatem eſſe priorem vnione ad exiſtentiam, ad hoc vt hæc dicatur ſecundariò attingere exiſtentiam, ſicut nec quòd cognitio eſſentiæ ſit prior cognitione creaturarum ſufficit, vt hæc ſecunda cognitio dicatur ſecundariò tendere in creaturas, ratio vtrobique eſt eadem, quia vt aliqua vnio, vel cognitio dicatur ſecundariò attingere aliquod obiectum, neceſſe eſt dari vnum, & aliud obiectum, quorum vnum primariò, & aliud ſecundariò dicatur attingi, vel phyſicè, vel intentionaliter, quod luce eſt clarius. Sed tam ſecunda vnio, quàm ſecunda cognitio, illa ſolam exiſtentiam abſolutam, hæc ſolas creaturas, attingunt. Ergo tam primariò ſecunda vnio attingit exiſtentiam abſolutam, & ſecunda cognitio creaturas; ac vnio prima attingat primariò perſonalitatem verbi, & prior cognitio diuinam eſſentiam. Ergo ſuperfluè, ne dicam nociuè, ſtatuenda eſt duplex illa vnio, quarum vna ad perſonalitatem & alia ad exiſtentiam dicatur terminare.

68. Ex his omnibus hæc pro ſecunda parte reſolutionis probatio aſtruitur. Ex nullo capite repugnat, vnionem humanitatis primariò terminatam ad diuinam perſonalitatem ſecundariò terminari ad diuinam exiſten. eſſentiæ, & ex alia parte non adeſt ratio, cur de facto ſimilem terminationem denegemus. Ergo id factum eſt ita. Maior & minor non aliter probandæ, quàm ea ſolutione argumẽtorũ contrariæ opinionis.

69. Bernal *diſp.* 22 *ſect.* 2. acriter inuehitur in ſecundam partem reſolutionis, & arguit 1. *n.* 8. quia CC. quæ allegauimus *ſect. ant.* contra Durand. pronuntiant, vnionem eſſe factam *in eo quod eſt proprium Filij, non in eo, quod eſt commune Trinitati*, nec ſufficiet reſpondere, Concilia loqui de vnione primaria, nam replicat ſic Bernal *ibi*, quia Concilia duas habent propoſitiones, vnam, qua ſimpliciter affirmant, vnionem factam ad aliquid Filio proprium; alteram, qua ſimpliciter negant, factam ad aliquid toti Trinitati commune: vel ergo negatiua vera, non eſt abſq; limitatione, & hoc aſſerere non licet, cùm illam ſine limitatione non proferant, vel citra limitationem vera eſt, & ſic affirmatiua thomiſtica contradictoria eſt illius.

70. Reſp. CC. allata intelligenda eſſe de vnione primariò terminata ad hypoſtaſim, vt ſolutio ibi incluſa aduertit. Ad replicam, admitto ibi eſſe duas propoſitiones, affirmatiuam vnam, & negatiuam aliam; & addo hanc admittendam eſſe cum limitatione; imo & in ſententia Bernalij & omnium cum fide admittentium eſſentiam diuinam eſſe mediatè incarnatam, & mediatè humanitati vnitam, debet talis limitatio adiungi, vt talis propoſitio negatiua conciliorum veritatem ſuſtineat; etenim ex fide

duo

duo eſſe certa, humanitatem non eſſe immediatæ diuinæ eſſentiæ copulatã; ſecundũ, humanitatem eſſe mediatè illi vnitam. Ergo quando concilia iſta negant humanitatem eſſe vnitam in aliquo abſoluto communi; intelligenda ſunt de immediata vnione humanitatis cum natura; non verò de mediata, quia hanc docent concilia, PP. & theologi: aliàs fides fidei opponeretur. Nos autem dum defendimus, humanitatem ſecundariò eſſe vnitã eſſentiæ, ſumimus ly *ſecũdariò* pro *mediatè*, quod edoctum ex CC. ebibimus. Fateor quòd ſi ſentẽtia noſtra intelligeretur iuxta ſenſum communem, in quo illam dederunt Capreolus, & Aluarez, difficile poſſe per ly *ſecundariò*, intelligi *mediatè*, ſiquidem cùm iſti authores admittunt duas vniones, quarum vna humanitatem ad perſonalitatem ferat, & alia poſterior eandem humanitatem cum diuina eſſentia copulet, fit, difficulter ſaluari poſſe hanc ſecundam vnionem poſſe dici ſecundariam, ſeu mediatam vnionem humanitatis cum aliquo eſſe abſoluto, ſed immediatam, & æquè primariam, quod damnare videntur concilia, vide *n.67.*

71. Secundò arguit Bernal *n.9.* quoniam ex parte iſta ſequitur, totam Trinitatem incarnatam fuiſſe, quam illationẽ deducit Conc. *Toletanum* 6. his verbis: *ſi naturam hominis, Deique alteram in alteram infudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet, quoniã conſtat naturã Trinitatis eſſe vnam.* Hinc arguit Bernal: Conciliũ abſolutè dicit, ex coniunctione deitatis cum humanitate futurũ, vt tota Trinitas eſſet incarnata. Vel ergo Thomiſtæ concedunt illationem, & ſic neceſſe eſt, concedant, omnes tres diuinas perſonas eſſe incarnatas: vel illationem negant, & ita Concilio repugnant. Rurſum ſequitur contra *6. ſyn. ſect. ant. cit.* aliquid eſſe in incarnationis myſterio commune tribus perſonis præter conſilium & voluntatem. Item Patrem, & Spiritum ſanctum paſſos. Imo deitatem ipſam paſſam, & mortuam.

72. Reſp. argumentum hoc vim eamdem habere in ipſum Bern. & authores cunctos, ſiquam habet in partem iſtam; etenim ipſi omnes vnanimiter confitentur, diuinam naturam aliàs omnibus perſonis communem eſſe mediatè vnitam, & mediatè incarnatam, vel enim exinde inferrot Trinitatem eſſe etiam incarnatam, vel id negant. Primum eſt contra fidem. Ergo negant illationem; ergo repugnãt Conc. talem illationem deducenti. Reſpondent communiter authores, negandam eſſe illationem, ſiquidem illa à Concil. non infertur ex vnione humanitatis cum eſſentia abſolutè tali vnione accepta; ſed ex vnione immediata & primaria humanitatis cum diuina natura, aut cum aliquo abſoluto. Ita nos partem iſtam defendimus, nempe humanitatem ſecundariò (quod apud nos æquiualet mediatè) ad diuinam naturam terminari, & ſicut illi negamus ex prædicta vnione talem illationem inferri, quàm ſolùm deductam eſſe à Conc. ex vnione primariò (quod apud nos ſonat idem ac immediatè) ad diuinam naturam terminata: & per hæc ſatisfit ſextæ ſynodo.

73. Tertiò arguit Bern. *n.10.* quia Thomiſtæ, cùm cenſeant, omnem ſubſtantiam creatam exiſtere per exiſtẽtiam realiter ab ipſa diſtinctam; idem deberent aſſerere de accidentibus. Vnde ſicut aiunt, Chriſti humanitatem facta incarnatione; ita quantitatem panis & vini facta conſecratione exiſtere per exiſtentiam realiter diſtinctam ab ipſa. Vel ergo quantitas panis poſt conſecrationem exiſtit per exiſtentiã panis, vt Sotus docuit, & aliquando Bannes, vt ipſe fatetur 1. *p. q. 3. art. 4. dub. 5.* vel per exiſtentiam ſibi propriam; ſi poſt conſecrationem quantitas panis exiſtit per exiſtentiam propriam, cur non etiam humanitas poſt incarnationem? ſi poſt conſecrationem quantitas exiſtit per panis exiſtentiam. Ergo manet hæc & exiſtentia vini in Euchariſtia, quam doctrinam vt probabilem admittit Bannes cit. *q. 4. art. 2. dub. 1. §. ad* 3. quam iam abſolutè non admittit. Ego verò, ait Bern. non minùs formidarem aſſerere vnionem humanitatis cum eſſe Dei abſoluto; nam & immediatè repugnat memoratis Conciliis, & illam affirmari abſque robore, vel neceſſitate, & ſine cohærentia.

Reſp. admittens doctrinam illam de diſtinctione exiſtentiæ à ſubſtantia, & accidente, & rurſum nego doctrinam illam Bannes & Soti eſſe conſonas veritati, de quo latè *tr. de Euch.* 74.
Affirmamus ergo in Euchariſtia, poſita conſecratione, quantitatem panis exiſtere exiſtentiâ ſibi propriâ; quæ illi ante conſecrationem conueniebat, & nego ſuppoſitum conſequentis; nempe, ergo humanitas poſt incarnationem debebat ſic per propriam exiſtentiam exiſtere; quam ante incarnationem habebat; etenim ſupponit conſequens humanitatem pro priori ante incarnationem, exiſtentiam propriam habuiſſe, quod eſſe falſum ſupponimus ex dicendis, etenim cùm de fide ſit, humanitatem etiam pro priori ad incarnationẽ propria ſubſiſtentia fuiſſe deſtitutam, & iuxta principia noſtra, exiſtentia neceſſariò ſupponat ſubſiſtentiam, fit; nos teneri defendere, humanitatem Chriſti nunquam & pro quolibet priori propriam exiſtentiam habuiſſe. Vide modum quo accidentia poſt conſecrationem in Euchariſtia exiſtunt *diſp. antecedenti à num. 290. vſque ad 295. incluſiuè.* Quare verò propriam exiſtentiam habeant poſt conſecrationem accidentia, & poſita incarnatione illa careat humanitas, dabimus infrà, & miror authorem hunc ita grauem, aliàs doctum, ita in Thomiſtas inuehi, vt vnionem hanc humanitatis ad eſſe abſolutum eſſentiæ, eſſe ſine robore, vel neceſſitate, aut cohærentia ab illis edoctam, magno cum felle præſumat, cùm idipſum ſibi obiicere valeat, nam vt ſæpe monui, vnio hæc à nobis admiſſa iuxta explicationem ſæpe datam eſt eadem, quam ipſe, ſi catholicè eſt loquuturus, cum omnibus tenetur amplecti, ſiquidem illi omnes admittunt, ex vi vnionis hypoſtaticæ humanitatem eſſe mediatè vnitam naturæ diuinæ, idem autem nos per illam vocem, *ſecundariò*, profiteri dicimus, ſed videamus vlteriores eius impugnationes.

Arguit 4. Bernal *n. 11.* quia vel accidentia Chriſti proprias habent. & creatas exiſtentias, vel ſolùm exiſtunt per increatam. Si proprias habent, & creatas. Ergo vel ſecum identificatas, vel diſtinctas, & vtrumuis dicas, cur non erit idem de Chriſti humanitate? ſi verò dica- 75.

tur, accidentia Chriſti ſolùm exiſtere per exiſtentiam diuinam, ſequitur patens abſurditas, nempe omnia Chriſti accidentia propriè fuiſſe vnita cum exiſtentia diuina abſoluta, cùm deſit exiſtentia creata humanitatis, per quam eſſent naturaliter extitura, & addit, ſententiam hanc recidere in ſententiam Bannes, quam retractauit ipſe, vel in aliam ſortè deteriorem, debet enim aſſerere, vel accidentia Euchariſtiæ exiſtere per exiſtentias panis, & vini ibi manentes: vel per exiſtentiam diuinam: ac proinde formas illas accidentales eſſe cum Deo phyſicè vnitas.

76. Reſp. accidentia Chriſti proprias habere exiſtentias creatas, & nullo modo per increatam exiſtere, & hoc non obſtante id humanitati negamus. Si rationem huius deſideras, vide *dub. vlt. diſp. ant. à n* 305. *vſque ad* 316. & abundè ſatisfies, illa tamen non repeto, quia vicinus eſt locus citatus, in quo doctrinâ dedi, ex qua diſparitatem conſpicuam elicias.

77. Argues 5. quia Thomiſticum fundamentum, nempe humanitatem exiſtere per exiſtentiam diuinam abſolutam, plura ſupponit in ſeipſis, & apud pleroſque falſa, & difficillima. Primum, exiſtentiam creaturæ realiter ab illa diſtingui, quod ſoli Thomiſtæ pronuntiant; nec ſatis conſequenter, vt à ſe probatum obiter relinquit *diſp.* 11 *n.* 14 ſecundum, perfectiones diuinas non prorſus identificari cum exiſtentiis, & proinde verbi perſonalitatem non exiſtere per exiſtentiam relatiuâ ſibi propriam, ſed per abſolutam, & perſonis omnibus communem, quod *tr. de eſſen. diuina, & Trin.* aſſerit, conuulſiſſe. Tertium, Chriſti humanitatem priùs aſſumptam eſſe ad ſubſiſtendum, quàm ad exiſtendum: cùm enim eſſe diuinum perfectius ſit relatiuo; dum dicitur vnio primariò terminata ad relatiuum, & ſecundariò ad abſolutum, ſeorſim eſſe non poteſt, fuiſſe terminatam ad iſtud, tanquam ad magis, & ad illud tanquam ad minus nobile; proinde neceſſe eſt, ſignificetur, terminatam fuiſſe priùs natura, vel relatione ad relatiuum, per quod reddatur humanitas ſubſiſtens, poſterius ad abſolutum, per quod reddatur exiſtens. Hoc autem præpoſterum eſt, quia primus actus eſſentiæ cuiuſlibet, eſt exiſtentia; primus inquã, ſaltem negatiuè; ita ſcilicet, vt nullus prior actualiter exiſtẽs cogitari poſſit, vt de ſe eſt manifeſtum.

78. Argumentum hoc, cui valde fidit Bernal, faciliorem exitum habet, cùm omnes eius illationes ſint concluſiones doctrinæ noſtræ, & ex alia parte nullam hîc contra illas afferat impugnationem, quales antè ſint, quas ipſe dicit afferre locis à ſe cit. neſcio, exiſtimo illas efficaciſſimas, quippe tanto viro dignas. Sed gratulor authori, nunc ab illis ipſum præ animi pietate ſuperſediſſe, ne iaculis ita ferocientibus vſque ad effuſionem ſanguinis partẽ iſtam Thomiſtarum claſſis deploraret peritam.

79. Arguit 6. Bern. *n.* 13. vel vnio humanitatis ad ſubſiſtentiam verbi relatiuam exiſtit per exiſtentiam propriam, & creatam, vel per alienam, & increatam. Si per creatam & propriam; vel ergo per identificatam ſecum, vel per diſtinctam, & vtrumuis dicatur, peto, cur non ſit idem de humanitate dicendum, nec enim vel vmbra diſcriminis aſſignari poteſt; imo ſi vnio, cùm ens imperfectum ſit, propriam habet exiſtentiam; humanitas, quæ perfectiſſima eſt, potiori titulo propriam vendicabit, ſi talis vnio non exiſtit per exiſtentiam propriam, ſed per increatam; rogo, num per exiſtentiam abſolutám, an relatiuam, ſi per abſolutam, cui non immediatè coniungitur, idem dicam de humanitate, nempe exiſtere per exiſtentiam abſolutam, quia vnitatur ipſi proximè, ſed ſolùm remotè, mediante ſcilicet relatione; ſi verò exiſtat per exiſtentiam relatiuam, cui talis vnio propriè coniungitur, cur non idem aſſerunt de humanitate. 80.

Reſp. 1. vnionem hypoſtaticam exiſtere exiſtentiâ increatâ Dei, ſiquidẽ quia modus ſubſtantialis exiſtere debet ad exiſtentiam totius, cum enim hoc exiſtat exiſtentiâ abſolutâ Dei increatâ, ſit, ſimili exiſtentia vnionem exiſtere; & idem dicimus de humanitate. Reſp. 2. vnionem illam probabiliter ſatis dici poteſt, propriam exiſtentiam habere, quæ quia eſt actualis modificatio, ſua exiſtentia erit actualiter ſubiectum informare, quare ſicut in ſententia conſtituente exiſtentiam accidentis in actuali inhærentia, nequit accidẽs vt inhærens actu ſubiecto aſſumi, vt exiſtat exiſtentiâ abſolutâ Dei, quia exinde fieret habere propriam & alienam exiſtentiam; propriam quia vt ſupponimus actualem inhærentiam eſſe eius exiſtentiam, alienam, quia eſſet aſſumptum ad exiſtendum diuinâ exiſtentiâ; ita enim exiſtentia cuiuſque modi, qualis etiam eſt vnio hypoſtatica, ſit actualiter modificare humanitatem, non poterit aſſumi vt exiſtat per exiſtentiam increatam, aliàs haberet propriam, & alienam exiſtentiam, ſicut de accidenti diximus. Sed ex hoc non infertur, humanitatẽ habere propriam exiſtentiam; ſiquidem propria exiſtentia ſupponit in re exiſtente propriam ſubſiſtentiam; vt phraſis thomiſtica fert, cùm ergo ex fide habeamus, humanitatem carere propria ſubſiſtentia, fit, illi propriam exiſtentiam fore denegandam.

Arguit Mart. Perez *diſp.* 16. *ſect.* 2. *n.* 4. *pro pe finem*, quia ſi noſtra pars vera eſſet, fieret, totam Trinitatem eſſe hominem, quia quod conuenit perſonis ratione Dei, vel ratione indiuidui deitatis, eis abſolutè conuenit. 81.

Reſpondebis negando ſequelam, & illam firmando in authorem hunc, nam apud omnes eſt certum, humanitatem eſſe mediatè vnitam deitati, & nihilominus inde non ſequitur eſſe adhuc mediatè vnitam Patri, & Spiritui S. ergo ſimiliter licèt pars noſtra doceat, humanitatem eſſe exiſtentiæ Dei ſecundariò vnitam (quod apud nos idem ſonat ſecundariò, ac mediatè) non exinde inferri debet Patrem & Spiritum S. eſſe incarnatos, aut hominem eſſe. 82.

Sed replicabis cum iſto authore *n.* 5. nam ſi humanitas terminata fuiſſet ad exiſtentiam abſolutam Dei, bene ſequitur, quòd tres perſonæ terminaſſent, & aſſumpſiſſent humanitatem, & ei fuiſſent ſubſtantialiter vnitæ, rationem dat, quia tunc terminus, nempe exiſtentia abſoluta eſſet communis ipſis tribus perſonis, & etiam humanitati habens actum commo 83.

communem in humanitatem, & in tres perſonas, ac proinde eſſet vinculum vniens humanitatem cum extremis, nempe cum perſonis, quamuis non efficeret humanitatem eſſe perſonaliter in perſonis, quia ab earum perſonalitatibus non perſonaretur. At modò licèt humanitas ſit mediatè vnita deitati communi tribus perſonis, ideo illis vnita non dicetur, quia ipſa humanitas non eſt vnita deitati, tanquam termino communi habenti actum communem in humanitatem, & in tres perſonas, ſed ſolùm tanquam parè extremo, mediante perſonalitate Verbi tanquam vinculo, & termino habente actum perſonandi, ſeu ſubſiſtendi communem in deitatem, & humanitatem, non verò in alias diuinas perſonas.

84. Replica hæc occaſionem dat explicandi inſtantiam illam ſæpe datam contra authores omnes eſſe efficaciſſimam, taliter, quòd inconueniens illud in partem noſtram illatum, æquè & pari robore ſit in omnes inferendum. Si replica hæc ſubſiſteret vel noſtra pars eſt purganda ab illo inconuenienti de aſſumptione humanitatis à tribus perſonis, vel idipſum ex ſententia catholica eſt deducendum. Probo, ideo, ait author, talis aſſumptio ex noſtra parte ſequitur, quia humanitas vniretur exiſtentiæ abſolutæ habenti actum communem in humanitatem, & in perſonas, ſed de facto humanitas vnitur eſſentiæ diuinæ habenti actum communem in humanitatem, & in perſonas. Ergo pariter ex ſententia communi & ex noſtra ſequitur aſſumptio humanitatis à perſonis. Maior eſt doctrina replicæ, minorem probo, ideo in hac opinione humanitas vnitur exiſtentiæ habenti actum communem in humanitatem, & perſonas, quia exiſtentia abſoluta Dei actu reddit exiſtentes perſonas, & humanitatem; nullum alium actum exiſtentia abſoluta poteſt exercere communem in humanitatem, & perſonas, niſi reddere illas formaliter exiſtentes. Sed natura diuina in ſententia communi & catholica etiam reddit humanitatem (intellige in concreto) & perſonas formaliter actualiter Deum. Ergo in ſententia communi humanitas vnitur naturæ diuinæ habenti actum communem in humanitatem ſaltem in concreto, & perſonas diuinas. Ergo ſi quia vnitur humanitas exiſtentiæ Dei abſolutæ habenti communem actum in humanitatem, & perſonas, ſequitur ex noſtra parte aſſumptio humanitatis à tribus perſonis, ob eamdem rationem ex ſententia catholica talis aſſumptio inferri deberet. Ergo quemadmodum à prædicta aſſumptione catholici liberantur dicentes talem vnionem, quippe mediatam, non eſſe cum natura diuina reduplicatiuè vt habente terminum communem in humanitatem, & perſonas, quare per prædictam mediatam & ſecundariam humanitatis vnionem cum exiſtentia abſoluta à prædicta aſſumptione partem noſtram non liberabimus?

85. Argues cum aliis contra partem primam reſolutionis tituli ſupponentibus nobiſcum, & humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam abſolutam Dei, necnon in diuinis nullam aliam eſſe exiſtentiam præter abſolutam, diuinum Verbum per illud prius humanitatem terminauit, quod ex vi ſuæ terminationis humanitati dedit, ſed prius illi dedit exiſtentiam, quæ eſt abſoluta perfectio, quàm ſubſiſtentiam, quæ eſt relatiuum quid, ergo perfectio abſoluta & non relatiua fuit verbo ratio terminandi humanitatem. Probo minorem; nam priùs dedit humanitati ſimpliciter eſſe, quàm tale eſſe, ſed exiſtentia eſt eſſe ſimpliciter, & ſubſiſtentia eſt hoc determinatum eſſe, nempe incommunicabile eſſe. Ergo Verbum priùs dedit humanitati exiſtentiam, quæ eſt abſoluta perfectio, quàm ſubſiſtentiam, quæ eſt quid relatiuum.

Confirmatur, quia in verbo prior eſt exiſtentia, quàm ſubſiſtentia; in diuinis enim priora ſunt abſoluta, quàm relatiua. Ergo priùs dedit Verbum humanitati exiſtentiam, quàm ſubſiſtentiam. Probo conſequentiam, nam idipſum & eodem modo quo talia prædicata obtinet verbum, communicat, ſed in verbo prior eſt exiſtentia, quàm ſubſiſtentia. Ergo priùs illam, quàm hanc verbum humanitati communicauit. 86.

Reſpondeo cum communi concedo maiorem, & nego min. Ad probationem diſtinguo maiorem, priùs dedit humanitati ſimpliciter eſſe, quàm tale eſſe, ſimpliciter inquam eſſe per modum complementi complentis humanitatem in genere ſubſtantiæ, concedo, ſumpto ly ſimpliciter eſſe in alia ſignificatione lata, nego maiorem, & diſtinguo vtramque partem minoris, exiſtentia eſt eſſe ſimpliciter vt complementum naturæ in genere entis concedo, aliter nego, & ſubſiſtentia eſt hoc determinatum eſſe, nempe incommunicabile eſſe tanquam complementum naturæ intra lineam ſubſtantiæ, concedo, aliter nego, & nego conſequentiam.

Ad confirmationem concedo maiorem, & nego conſequentiam. Ad probationem nego maiorem, vel illam diſtinguo, idipſum, & eodem modo quo talia prædicata obtinet verbum, communicat, ſi neceſſariò communicet, concedo, ſi liberè, nego, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque prædicata, quæ verbum obtinet, dupliciter verbum ipſum communicauit de facto. Primò neceſſariò ſimul cum Patre Spiritui ſancto media ſpiratione, & ibi prædicata omnia, & eo modo, quo Filius, & Pater obtinebant, Spiritui S. communicarunt, priora priùs, & poſteriora poſteriùs. Secundò liberè dum verbum ad extra ſe communicauit humanitati, & tunc inuertere poterat ordinem communicationis talium prædicatorum, ſicut de facto illum inuertit. Tum, quia cum ex vi talis communicationis verbum ſupplere decreuerat defectum ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ creatæ, & in quocunque opere ad extra conformetur ſuauis diſpoſitio diuina exigentiæ cauſarum creatarum, & ex alia parte in creatis petat ſubſiſtentia præcedere exiſtentiam, & hæc ad illam ſubſequi, fit, verbum ſupplendo defectus illarum, ex vi vnionis hypoſtaticæ, quòd prius copuletur vt ſubſiſtentia, & poſterius vt exiſtentia. Secundò, quia ſignum de facto prædicti ordinis inuerſi, eſt dogma fidei, quo credimus ſolū verbū eſſe 87.

incarnatum; ſi enim ſeruaretur in incarnatione ordo iſte, quem ſeruant abſoluta & relatiua prædicata in diuinis ita vt priùs humanitas vniretur exiſtentiæ abſolutæ, quàm relatiuæ ſubſiſtentiæ, iam non ſolùm verbum, ſed tres perſonæ eſſent incarnatæ, quod eſt fidem impugnare, ſequelam hanc eſſe bonam dedit *tota ſectio antecedens*.

89. Argues cum aliis partem primam reſolutionis impugnantibus. Si verbo eſſet relatio filiationis ratio terminandi humanitatem. Ergo quod immediatiùs eſſet illi vnitum, foret talis relatio, hoc eſt certum. Ergo humanitas eſſet dicenda filia. Probo hanc: impoſſibile eſt formam aliquam immediatè ſubiecto communicari, quin effectus formalis illi communicetur: Sed effectus formalis filiationis eſt reddere Filium. Ergo ſi priùs & immediatiùs humanitati communicatur filiatio æterna, fiet, illam eſſe filiam à filiatione reddendam.

90. Reſpondeo concedens conſequentiam primam; & nego ſecundam. Ad impugnationem, diſtinguo antecedens, ſeu maiorem, ſi ſubiectum ſit capax, do, ſi incapax, nego, & diſtinguo minorem. Sed effectus filiationis eſt reddere Filium, ſi ſubiectum ſit capax, concedo, ſi incapax, nego, & nego conſequentiam. Redundabant exempla, vnum ex hac materia præſtabo, in hypotheſi quòd accidens ſeparatum aſſumeretur ad vnionem cum Deo, etſi vniretur immediatè ad exiſtentiam abſolutam Dei, & de illo verificaretur habere diuinam exiſtentiam vnitam, non diceretur exiſtentia diuina exiſtens, vt latè dedimus *diſp. antecedente à num.* 298. *vſque ad* 304. iam quòd humanitas in abſtracto ſit incapax denominari filia, eſt expreſſum aſſertum ſanctiſſimi doctoris, & luculenter huius rationem damus *tom. 2. tract. 1. de ſpectantibus ad animam Chriſti diſp. 4. dub. 1. ſect. 7. à num.* 117. *vſque ad* 132. vbi oſtendimus, humanitati repugnare dici filiam adoptatam, & *tractatu vltimo*, iterum etſi breuiter inſeritur ſermo de ſimili incapacitate.

91. Sed replicabis, præter hoc, quod eſt reddere filium ſubiectum, cui communicatur immediatè, nullum alium effectum præſtare poſſet filiatio humanitati. Ergo hæc illi immediatè non vnitur. Antecedens patet, nam adæquatus effectus filiationis eſt reddere filium, ſicut & exiſtentiæ facere exiſtens. Probo nunc conſequentiam, quia repugnat, formam vniri ſubiecto immediatè, cui propter incapacitatem aliquem effectum formalem non communicet, & quod illi alium effectum minus principalem non præſtet, vt patet de gratia, & intellectione lapidi communicatis, quem licèt propter eius incapacitatem non conſtituant gratum, aut intelligentem, tamen illum redderent qualificatum, & in cæteris, quæ inductione quis excutere poterit. Ergo vel filiatio immediatè humanitati non vnitur, vel licèt propter eius incapacitatem filiam non reddat, tamen aliquem effectum illi præſtare tenetur, aliàs immediatè minimè communicaretur; At præter reddere filiam, quod humanitati non præſtat, nullum alium effectum communicare valet, quia vltra effectum adæquatum non reſtat alius præſtabilis. Ergo vel filia debet reddi humanitas, vel inunibilis immediatè relationi diuinæ filiationis.

92. Reſpondeo negans maiorem, ſeu antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens, reddere filium eſt effectus adæquatus filiationis creatæ, concedo, increatæ, nego, & nego conſequentiam. Itaque relatio creata, cùm accidens ſpeciale ſit, ſolùm præſtare debet effectum illum ſuæ ſpecialis categoriæ accidentali correſpondens, quo ſolùm eſt denominare filium ſubiectum illud, cui communicatur; & cùm accidens quodlibet ſupponat ſubiectum intra totam lineam ſubſtantiæ integrum, & completum; fit, illud nullo modo expectata poſſe ad illud conſtituendum, quapropter relatio, cùm ſit accidens, ſubiectum, quod filium accidentaliter reddit, ſupponit conſtitutum intra totam lineam ſuppoſiti, & entis ſimpliciter, atque adeo illi ſolùm ſupereſt præſtare ſubiecto eſſe filium accidentaliter; at verò relatio diuina, præter reddere filium, habet alium effectum, nempe complere naturam in linea ſubſtantiæ. Ex quo fit, quòd ſi ſubiectum ſit capax vtriuſque, præſtabit vtrumque; ſi tamen reddi filium repugnat, non tamen ſubſtantialiter compleri, illud non dabit, præſtabit hoc; humanitas enim, quia ſuppoſitum non eſt, incapax eſt filiam reddi, ſicut natura diuina, vel deitas à filiatione æterna filia non redditur: & quia humanitas ſuppoſitum non eſt, & exigit ſuppoſitum & completam in linea ſubſtantiæ fieri, ideo relatio diuina, quæ ſubſiſtentia eſt, complet & illam, ſuppoſitum cum ipſa componens. Iſtum effectum præſtat humanitati, quia hæc illius eſt capax, filiatio diuina, cui immediatè copulatur.

93. Argues vltimò contra idem, ſi immediatè humanitas relationi vniretur, fieret, hanc eſſe veram, Chriſtus vt homo, vel ſubſiſtens in humanitate eſſe quid relatiuum, & non quid abſolutum. Hoc eſt falſum, ergo &c. ſequela patet, nam ſi humanitati per ſe primò aliquid relatiuum communicaret, non poteſt non Chriſtus vt homo habere effectum formalem relationis; ſed habere effectum formalem huius, eſt quid relatiuum, ſicut effectus formalis prædicati abſoluti eſt aliquid abſolutum. Ergo ex immediata vnione humanitatis ad relationem, fit, Chriſtum vt hominem eſſe quid relatiuum. Falſitas verò ſequelæ patet, nam cæteri homines, cum quibus vniuocè conuenit Chriſtus vt homo, quid abſolutum, & non relatiuum ſunt.

94. Reſpondeo, facilè ab hoc argumento expediri, ſi *ly* vt, prædictæ propoſitionis explicetur, etenim acceptum reduplicatiuè in prædicta propoſitione appellat ſupra naturam humanam, ſecundùm quam eſt Chriſtus vt homo entitas abſoluta, & hac ratione cum cæteris hominibus vniuocatur, ſumpta verò, ly vt, ſpecificatiuè, appellat ſupra ſuppoſitum habens humanitatem, & hac ratione quid relatiuum eſt Chriſtus vt homo, ſed ſic non vniuocatur cum cæteris hominibus.

95. Ex his inferes primò ſententiam Victoriæ & Soti apud Medinam *hîc quæſt. 3. artic. 2.* affirmantium, primariam rationem terminandi humanitatem eſſe ſubſiſtentiam abſolutam naturæ

Digitized by Google

turæ vt modificatam proprietate relatiua, eſſe veritati diſſonam, & ſanctiſſimo doctori. Primum, quia vel ij doctores ponunt vnionem immediatam humanitatis cum deitate, vel non, ſi ponunt, loquuntur aduersùs concilia *ſect.* 1. allata, ſi non ponunt, ad quem, peto, finem verbis ponunt, quod inficiari propter concilia tenentur. Secundum, quod aduerſeotur Angel. Præcept. patet ex *quæſtione iſta* 3. *art.* 2. *eſſe aſſumptionis principium, ait, non conuenit natura diuina ſecundùm ſeipſam, ſed ratione perſonæ, in qua conſideratur, & ideo primo quidem, & propriiſſimè perſona dicitur aſſumere, ſecundariò autem poteſt dici, quòd etiam natura aſſumpſit naturam ad ſui perſonam.* Pondero breuiter, in ſententia Angelici doctoris natura diuina ſecundùm ſe tantùm eſt aſſumptionis principium effectiuum, ſiquidem virtute illius talis aſſumptio eſt operata; perſona verò etiam ſecundùm ſeipſam eſt terminus aſſumptionis, & de illa verificatur propriiſſimè aſſumere. Ergo rationem terminandi nullo modo ingreditur eſſentia, ſed ſola perſonalitas.

96. Inferes ſecundò, ſententiam Rachonis *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ſ.* 6. exiſtimantis principalem rationem proximam terminandi humanitatem eſſe diuinam naturam omnibus perſonis communem, minùs verò principalem eſſe potentiam aſſumptiuam ſpecialem verbi, contraria Conciliis ſuprà memoratis, decernentibus rationem primariam humanitatem terminandi eſſe verbi perſonalitatem.

97. Inferes tertiò, falſam eſſe opinionem Ochami *in* 3. *quæſt.* 1. *articulo* 3. Gabrielis *ibidem diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *notabili* 5. aſſerentium: rationem terminandi humanitatem per ſe primò eſſe totum conſtitutum ex eſſentia, & proprietate relatiua; ſiquidem ſi diuinum verbum per ſe primò terminauit humanitatem, non præcisè per aliquid relatiuum, ſed per totam ſuam realitatem, quæ ſimul eſt aliquid abſolutum, & relatiuum. Ergo ex qua parte vnio iſta eſt facta per ſe primò per aliquod abſolutum, fieret, cæteras perſonas eſſe etiam ſimul vnitas humanitati, ſequelam, & eius falſitatem oſtendit *ſectio* 1.

DVBIVM III.

Quomodo Pater, & Spiritus ſanctus ſint in humanitate præſentes.

SECTIO I.

Pater, & Spiritus ſanctus non ſunt in humanitate præſentes per concomitantiam.

98. PRæfixa concluſio docetur à Recentibus Thomiſtis ſequutis Hugum Cardinalem *in ſpeculo Eccleſiæ* §. *poſt hæc igitur.* Ratio breuis; etenim eſſe per concomitantiam in humanitate, eſt eſſe in illa ſpeciali modo, quo Pater, & Spiritus ſanctus in cæteris rebus non ſint. Sed prædictæ perſonæ non ſunt in humanitate diſtincto modo, quo in aliis rebus non ſint. Ergo in illa non ſunt per concomitantiam. Maior de ſe patet, ex doctrina authorum opinionis contrariæ, quos infrà citabo. Probo minorem; nam id eſt in humanitate ſpeciali modo, quo in aliis rebus non ſit, quod ſpectat aliquo modo ad conſtitutionem Chriſti. Sed duæ perſonæ deſignatæ non ſpectant aliquo modo ad conſtitutionem Chriſti. Ergo duæ illæ perſonæ non ſunt in humanitate ſpeciali modo, quo in aliis perſonis non ſint. Maiorem probo ex doctrina communi in Euchariſtico tractatu edocta. Illud ſpeciali modo eſt in Euchariſtia, quod aliquo modo ſpectat ad conſtitutionem Chriſti; ideoque diuinitas, & Verbum ſpeciali modo per concomitantiam dicuntur in Euchariſtia eſſe, qualiter in cæteris rebus non ſunt; quia tam deitas, quàm Verbum aliquo modo ſpectant ad conſtitutionem Chriſti. Ergo maior illa eſt vera. Minor eſt de fide. Conſequentia bene inferri videtur.

Confirmo rationem hanc, nam perſonas eſſe per concomitantiam in humanitate, qualiter in aliis rebus non ſint, dicit, perſonas eſſe ſpecialiter vnitas humanitati, qualiter aliis rebus vnitæ non ſint. Sed hæc ſpecialis vnio perſonarum cum humanitate, quàm non habeant cum aliis rebus, repugnat: ergo & concomitanter illi eſſe vnitas, qualiter ſic cum aliis rebus vnitæ non ſint. Maior præterquam quod apud contrarios eſt vera, explicatur. Nam ſi in humanitate concomitanter eſſe perſonas, & concomitanter illas non eſſe in aliis rebus, ſpecialem vnionem non argueret in illis cum humanitate, cuius carentiam cum aliis rebus importent, nullum eſſet fundamentum authoribus aſcribendi perſonis concomitantiam in eſſendo in humanitate, & illam denegandi ipſis reſpectu aliarum rerum. Minorem probo nunc: nam hæc ſpecialis vnio perſonis cum humanitate exhibita eſſet mediata, vel immediata. Verumnia dicas, in inconueniens contra fidem recides: ergo talis ſpecialis vnio perſonarum cum humanitate repugnat. Minor quoad vtramque partem vna vice probatur: quia ſiue immediatè, ſiue mediatè perſonæ eſſent humanitati vnitæ, dici deberent incarnatæ, etenim, & immediata vnione incarnationem ſequi oſtendit Verbum, ex mediata confirmat natura diuina, eſſe incarnatas perſonas, repugnat, ergo & eſſe immediatè, vel mediatè vnitas humanitati, repugnabit: ergo & hæc concomitans vnio. 99.

Reſpondebis cum Bernal ſequuto Suarez *hic diſput.* 11. *ſect.* 1. §. *nihilominus dicendum.* Vaſquez *hic diſput.* 28 *cap.* 2. Ragoſam *diſp.* 5 2. Quòd licèt perſonæ Patris, & Spiritus ſancti incarnatæ non ſint, habent cum verbo identitatem in eſſentia, proinde quamuis dictæ perſonæ incarnari non poſſent, neceſſe foret, vt cui verbum adeſſet per ſe vnitum, eidem adeſſent cæteræ perſonæ concomitanter. Ita reſpondet Bernal *hic diſputatione* 23. *ſectione* 1. *numero* 7. 100.

Sed replicabis primò; etenim ſolutio hæc diuertit finem argumenti; hoc enim eo tendebat, vt probaret, duas perſonas de facto dicendas eſſe incarnatas, ſi ſemel concedatur illis 101.

ſpecialis vnio concomitans cum humanitate, ſiquidem ſpecialis hæc concomitans vnio, vel eſt mediata, vel immediata copulatio cum humanitate: quia vnio ſpecialis extremorum inter ſe, qualis non inuenitur in aliis extremis adæquatè diuiditur in mediatum, vel immediatum nexum extremorum inter ſe, nec imaginabilis eſt alius medius nexus Sed quidquid dicas, ſequitur, tres Perſonas de facto eſſe incarnatas. Ergo ſolutio illa latera argumenti inflectit, nam quòd Pater, & Spiritus Sanctus eſſent in humanitate aſſumpta à Verbo, quamuis illæ incarnari non poſſent, non impedit, quominùs ſi de facto mediatè, vel immediatè vniuntur, de facto etiam incarnantur, vt patet in Verbo immediatè, & in eſſentia, mediatè humanitati vnitis, quod intendebatargumentum.

102. Secundò: Quia hypotheſis illa, nempe, etiamſi Pater, & Spiritus eſſent incapaces incarnari, poſſent, imò & eſſent concomitanter in humanitate primariò vniti Verbo, implicat in adiecto, ſicut hypotheſis hæc. Si rationale deficeret ab animali, animal eſſet homo. Ergo ſolutio illa repugnat; probo antecedens. Nam incarnari eſſentialiter, eſt mediatè, vel immediatè carni copulari, vt patet in Verbo, & Deitate, illo immediatè, & iſta mediatè humanitati vnitis, & ideo de facto incarnatis. Ergo ſi ſemel ſub hypotheſi negatur Patri, aut Spiritui Sancto incarnandi capacitas, implicat illis concedi vnio concomitans, cum humanitate Verbo immediatè vnitas. Probo conſequentiam; quia hæc cõcomitans cum humanitate vnio, vel eſſet mediata, vel immediata; at quælibet iſtarum de facto eſt eſſentialiter incarnatio, vt diximus. Ergo ſemel repugnante perſonis illis facultate ſe incarnandi, repugnare illis debet cõcomitans vnio cum humanitate à Verbo aſſumpta. Probo hanc; aliàs verificaretur duplex de illis contradictionis extremum, nempe Perſonas illas eſſe incarnatas, & non eſſe incarnatas. Hoc, quia ſupponit hypotheſis eas eſſe incarnationis incapaces; illud, quia admittit ſub eadem hypotheſi Bernal, tales Perſonas eſſe comitanter vnitas humanitati, quod eſſe idem, ac incarnatas eſſe, oſtendimus. Ergo prædicta hypotheſis implicat in adiecto, ſicut illa, quam de homine propoſuimus.

103. Reſpondere poteris argumento principali, & iſtis replicis cum Martino Perez *diſput.* 10. *ſect.* 3. *num.* 5. non eſſe idem Perſonas Patris, & Spiritus Sancti eſſe concomitanter in humanitate aſſumpta, ac illi eſſe vnitas. Cuius dat rationem. Anima enim rationalis per vnionem ad corpus fit præſens omnibus eius partibus; intellectus verò, qui comitatur animam fit præſens vbicumque eſt anima, quamuis non habeat illam vnionem cum partibus, quam habet anima; ſic ergo in humanitate, cui vnitur Verbum per concomitantiam adeſt Pater, & Spiritus Sanctus, licèt non vniantur illi hypoſtaticè.

104. Sed replicabis, Nam aliquid eſſe in alio concomitanter inuoluit eſſentialiter vnionem cum illo. Ergo ſi admittitur, Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe concomitanter in humanitate, admitti debet, illos humanitati eſſe vnitos. Antecedens probo; Nam non eſſe concomitanter aliquid in alio, eſſentialiter inuoluit negationem omnis vnionis cum illo. Ergo aliquid eſſe concomitanter in alio inuoluit eſſentialiter vnionem aliquam cum illo. Itaque ſi valet bene; hoc non eſt concomitanter in alio; ergo nullo modo illi copulatur. Cur pariter non valebit: hoc eſt concomitanter in alio. Ergo illi aliquo modo vnitur?

Confirmatur, Illud præcisè concomitanter in humanitate exiſtit, quod aliquo modo ſpectat ad conſtitutionem Chriſti. Sed nequit aliquid ſpectare ad conſtitutionem Chriſti, quin aliquo modo humanitati vniatur. Ergo concomitanter in humanitate exiſtere inuoluit eſſentialiter vnionem aliquam cum humanitate. Maiorem ex myſterio Euchariſtiæ probo; in hac ſolùm concomitanter adeſt, quod aliquo modo ſpectat ad conſtitutionem Chriſti. Ergo ſimiliter in præſenti; illud præcisè in humanitate concomitanter exiſtit, quod aliquo modo ſpectat ad conſtitutionem Chriſti: non enim eſt maior ratio in vno, quam alio. Nunc minorem probo. Chriſtus enim eſt compoſitum quoddam integratum ex ſuis conſtitutiuis. Quis vnquam expertus eſt conſtitutum aliquod ex conſtitutiuis non vnitis inter ſe. Ergo ſi quod cõcomitanter exiſtit in humanitate eſt aliquo modo Chriſti conſtitutiuum, conſequenter fit, eſſe aliquo modo humanitati vnitum; non immediatè. Ergo mediatè. Ergo exiſtentia Perſonarum cõcomitans in humanitate inuoluit eſſentialiter aliquam vnionem illarum cum illa: Ergo & incarnationem. Exemplum enim de intellectu, eſt diſpar, nam licèt vbi ſit anima, & intellectum eſſe ſit neceſſe, tamen exiſtentia hæc, ſeu præſentia intellectus non eſt propriè concomitantia; quia cùm accidens ſit, nequit ingredi, tanquam conſtitutiuum hominis; ſi tamen inſtes, eſſe illius præſentiam veram concomitantiam, admittenda eſt in illo ſaltem mediata vnio cum parte; quam immediatè anima ſibi copulat. 105.

Reſpondebis cum eodem Authore *ibidem*, non bene nos inferre ex ſpeciali per concomitantiam præſentiæ perſonalitatum in humanitate, illas mediatè eſſe incarnatas, ſiquidem nos negare non poſſumus identitatem diuinitatis cum aliis perſonis. Vel ergo hæc identitas eſt ſufficiens, vt dicantur illæ perſonæ incarnatæ, ſaltem mediatè, vel non. Quidquid nos reſpondeamus hoc dicere promittit ad noſtram illationem; quia cùm aſſerimus, illas perſonas ſpeciali modo exiſtere in humanitate, nihil aliud contendimus, quàm inſeparabilitatem Perſonarum ratione identitatis, quæ quidem ſufficiens eſt, vt Pater, & Spiritus Sanctus dicantur exiſtere in humanitate, & in vtero Virginis, non tamen concipi, aut incarnari; quia ad hoc requiritur, vt quatenus tales terminent per ſe vnionem. 106.

Sed replicabis, etenim ex eorum doctrina ſequi, mediatam ſaltem incarnationem Perſonarum ſufficienter ex probationibus allatis conſtare videtur; Etenim eo ipſo, quòd concomitantem præſentiam admittunt tenentur fateri, Perſonas duas eſſe mediatè vnitas humanitati. 107.

nitati. Ex hac verò mediam vnione illas eſſe incarnatas ſaltem mediatè, diuinitas ſatis comprobat. Quomodo autem nos expediamus à prædicta illatione, ex ſolutione argumentorum conſtabit.

108. Bernal *vbi ſupra num.* 100. intendit probare, Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe in humanitate ſpeciali, & proprio modo, quo in aliis rebus non ſint. Arguit ſic *num.* 8. nam Pater, & Spiritus Sanctus ſunt Verbo præſentes ſpeciali titulo, propterea quòd habeant eandem eſſentiam ſecum identificatam, quam habet Verbum. Ergo propter eandem rationem ſunt ſpecialiter in Chriſti humanitate, cui Verbum vnitum eſt. Conſequentiam probat: quia Deitas ideo eſt in Chriſti humanitate ſpeciali modo, quia ſi aliàs non eſſet immenſa, non poſſet non adeſſe humanitati Verbo vnitæ propter identitatem eſſentiæ cum Verbo. Ergo, &c. Et in confirmationem allegat cumulum Patrum, & potiſſimùm Sanctum Auguſtinum *in ſermone Dominica tertia Aduentus*, vbi hæc: *Pater, & Spiritus Sanctus carnem Chriſti deſerere non potuerunt, quando in diuinitatis vnitate manſerunt.*

109. Reſpondeo negans antecedens. Ad huius probationem diſtinguo antecedens, Deitas ſpeciali titulo eſt in humanitate Chriſti ſolùm propter illam rationem nego antecedens, propter aliam, nempe quia perficit humanitatem complendo illam in genere entis reddendo ipſam exiſtentem, concedo. Et nego conſequentiam. Sanctus Auguſtinus veniet infrà explicandus.

110. Arguit ſecundò *num.* 4. Ideo diuinitas eſt in Euchariſtia modo ſpeciali, quia ſi per impoſſibile deitas immenſa non eſſet, tamen ex ſuppoſitione, quòd Chriſti corpus eſſet in Euchariſtia, non poſſet ibi diuinitas non exiſtere, propterea quòd Chriſti corpus Verbi perſonalitati, & huic diuinitas coniungitur; atqui pari ratione ſi Pater, & Spiritus non eſſent immenſi; tamen ex hypotheſi, quòd Verbum eſſet humanitati præſens, neceſſe foret, Patrem, & Spiritum eidem eſſe præſentes, vtpotè cum Verbi eſſentia realiter identificatos. Ergo ſunt in humanitate per modum ſpecialem, & diſtinctum ab eo, quo ſunt per immunitatem. Et addit, hic Authores aliquos, ſe minimè capere, nam ex vna parte concedunt cum omnibus Catholicis, eſſe Patrem, & Spiritum in Chriſti humanitate ratione identitatis in eſſentia cum Verbo vnito humanitati, & ex alia negant, fore, vt ſi Pater, & Spiritus ob immenſitatem in Chriſti humanitate non eſſent, eſſent ob vnionem hypoſtaticam Verbi cum illa. Quis enim non videat hæc ſibi eſſe pugnantia? ſi enim permaneret eadem ratio, ſeu titulus ſpecialiter exiſtendi, neceſſe omnino foret, reperiri ſpecialem exiſtendi modum.

111. Reſpondeo negans cauſalem maioris, ſed ideo eſſe diuinitatem ſpeciali modo per concomitantiam ſcilicet in Euchariſtia, quia pertinet ad conſtitutionem Chriſti; cùm autem ad illius conſtitutionem non ſpectant duæ aliæ Perſonæ, ideo nec in Euchariſtia, nec in noſtro myſterio ſunt ſpeciali modo per concomitantiam. Vnde probatio illa, videlicet, quòd ſi duæ perſonæ immenſæ non eſſent, adhuc adeſſent humanitati, quia Verbum illi copulatum eſſet, non infert ſpecialem modum exiſtendi in humanitate vt ſtatim videbimus.

Arguit tertiò, *numero* 5 ex doctrina Thomiſtarum, etenim conſtituunt iſti vnionem humanitatis cum exiſtentia abſoluta, nempe cum ipſa deitate: Nunc ſic ratione iſtius vnionis neceſſe eſt, vt diuinitas ſpeciali modo præſens ſit in Chriſti humanitate, vt quiſque perſpiciet. Ergo & Spiritus ſpeciali modo, nempe ratione identitatis cum eſſentia. Conſecutio patet, nam ideo diuinitas eſt in Euchariſtia modo ſpeciali, quia ſpeciali modo reperitur ibi Verbum, cum quo diuinitas identificatur. Cùm igitur, per Thomiſtas, diuinitas in Chriſti humanitate ſpeciali modo, & quidem per ſe, quippe, quæ in ſe terminat vnionem illam; ſanè & Pater, & Spiritus ob identitatem cum deitate, vel cum deitatis exiſtentia erunt in Chriſti humanitate modo ſpeciali. 112.

Reſpondeo admittens antecedens ex doctrina Thomiſtarum conſtans, & concedo minorem & diſtinguo conſequens. Ergo & Pater & Spiritus Sanctus ſpeciali modo, nempe ratione identitatis cum eſſentia, ita vt hoc arguat ſpecialem modum formalem eſſendi in humanitate diſtinctum ab eo, ſecundùm quem cæteris rebus aſſiſtunt, nego, purè materialem connexiuè, concedo conſequentiam. Ad probationem nego antecedens, ſeu eius cauſalem; ſed ideo ſpeciali modo diuinitas in humanitate adeſt, qualiter ſic in aliis rebus non eſt, quia, vt ex Thomiſtis Bernal aduertit, diuinitas dat humanitati aſſumptæ à Verbo exiſtentiam, qualem cæteris rebus non præſtat. Et nego conſequentiam, ſeu illam concedo de ſpeciali modo materiali eſſendi Perſonas in humanitate ratione connexionis, ſeu conſubſtantialitatis, quam habent in eſſentia, non verò de ſpeciali modo formaliter ſumpto, diſtincto ab eo, quo cæteris rebus ineſſe dicuntur. 113.

Arguit quartò, Bernal in gratiam Suarez, & Vaſquez intendens probare Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe ſpeciali modo per concomitantiam in humanitate, ſic agit *numero* 6. quia diuinitas ideo dicitur eſſe in Euchariſtia concomitanter, quia connectitur cum corpore, & anima, quæ ibi realiter exiſtunt. Sed Pater & Spiritus Sanctus propter identitatem in eſſentia, connexionem habent cum Verbo, quod Chriſti humanitati vnitum eſt. Ergo ſicut in Euchariſtia, ſic in Chriſti humanitate, per concomitantiam exiſtere dicendi ſunt. 114.

Reſpondeo ex doctrina allata, in qua non ſemel negaui cauſalem maioris, non enim quia præcisè diuinitas connectitur vtcumque cum corpore & anima, quæ in Sacramento exiſtunt, in eo ſpecialiter per concomitantiam dicitur diuinitas eſſe, ſed quia hæc conſtituit Chriſtum, qui ſpecialiter eſt; & quia iuxta phraſim Patrum ea dicuntur in Euchariſtia concomitanter eſſe quæ dicuntur, à Sacerdotibus manducari, offerri, & ſacrifica- 115.

ri,

ri, quæ quia etiam de diuinitate eſſeruntur, illa dicitur concomitanter eſſe in Euchariſtia.

116. Sed replicabis cum Vaſquio *tom. 2. in 3. part. diſp.* 185. *num.* 17 quòd ratione concomitantiæ dici poteſt, quòd manducatur Pater, & Spiritus Sanctus à ſumente Euchariſtiam: atque adeo ſi ob illam concomitantiam exiſtendi in Euchariſtia, ex eo, quòd ab illam ſumente, aliquid manducetur, ſit, Patrem, & Spiritum Sanctum concomitanter in Euchariſtia eſſe, quia illi verè manducantur, & conſequenter erunt ſimiliter in humanitate concomitanter, cùm vtriuſque ſit apud nos eadem ratio.

117. Reſpondeo, loquutionem hanc acerbè Luyſium de Torres *in cenſuris Theologicis cent. 1. dubio* 4. cenſuraſſe. Præterea illam eſſe impropriam loquutionem aduertit Cardinalis de Lugo *tom. de Sacramentis, tract. de Euchariſt. diſp.* 8. *ſect.* 6 *num.* 126. his verbis: Ego tamen exiſtimo illam eſſe loquutionem impropriam; quia manducari importat motum localem, quo ab ore in ſtomachum traiicitur cibus, quod non poteſt conuenire Patri, vel Spiritui Sancto, Verbo autem conuenit propter communicationem idiomatum cum humanitate, quæ verè manducatur.

Sectio II.

Pater, & Spiritus Sanctus poſſunt dici eſſe ſpeciali modo, materialiter ſumpto, in humanitate, ſed non diſtincto formaliter à modo exiſtendi illorum in aliis rebus.

118. Præfixa reſolutio duas partes habet. Prima ſcilicet, poſſe probabiliter dici aliquo modo ſpeciali, ſaltem materialiter ſumpto, Patrem & Spiritum Sanctum eſſe in humanitate, potiùs explicatione, quàm probatione eget. Pro quo notare debes, exiſtentiam iſtam Perſonarum in humanitatem non aliter meriti debere, niſi per earumdem exiſtentiam in Euchariſtia, quod inferri debet eo modo, quo vtrobique Theologi diſcurrunt. Etenim illi omnes, qui ſpecialem modum exiſtendi in humanitate attribuunt, vel negant Perſonis, non alio validiori argumento mouentur, quàm ex affirmatione, vel negatione ſpecialis modi exiſtendi Perſonarum in Euchariſtia; & vice verſa ſimili à paritate diſcurſu vtuntur: atque adeo cùm ſemper de myſteriis ſermonem illum ſimus daturi, quem de eiſdem Patres præ manibus habere ſunt ſoliti, nunc viſuri ſumus, an Patres loquentes de exiſtentia Perſonarum in aliquo ex his myſteriis aliquem modum ſpecialem præbeant illis, vt exinde nobis liceat decernere eumdem diuinis Perſonis eſſe præſtandum.

119 Sanctiſſimus Doctor loquens de Euchariſtia *opuſc.* 63. *cap.* 2. *part.* 3. *§. eſt ibi aliud.* Habet hæc: *Deus Pater in Euchariſtia totum, quod ipſe eſt, & habet, cum Spiritu Sancto dedit.* Et paucis interiectis: *Quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc ſacrificium, toties Deus Pater cum Filio, & Spiritu Sancto ſe totum ad fruendum exhibet.* & ſanctus Bernardus citatus à Reympigolo *ſermone de corpore Chriſti*, ait: *O Sacramentum Sacramentorum, in quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dantur.* Ergo ex his verbis pars noſtra clara redditur, etenim, ſi Pater, & Spiritus Sanctus ſpeciali aliquo modo in Euchariſtia non eſſent. Quorſum Pater, & Spiritus Sanctus ſumptâ Hoſtiâ conſecratâ exhiberi etiam dicerentur?

Hanc eamdem ſpecialem Perſonarum in Euchariſtia exiſtentiam docet modus loquendi Tridentini *ſeſſ.* 13. *c.* 3. Vbi hæc habet: *Ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis connexionis illius, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur; diuinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem.* Ponderantur verba hæc; in his enim Concilium clarè diſtinguit duos modos exiſtendi in Euchariſtia, diſtinctos à modo exiſtendi in illa ex vi verborum. Alter eſt, quo ſanguis ſub ſpecie panis, & corpus ſub ſpecie vini, & anima ſub ambabus ſpeciebus reperitur. Alius eſt, quo diuinitas inuenitur ſub vtraque ſpecie. Ait igitur Concilium, corpus, animam & ſanguinem exiſtere ſub ſpeciebus ratione concomitantiæ, & connexionis, qua talia extrema inter ſe connectuntur, at verò diuinitas, docet Concilium ibi ſpecialiter exiſtere mirabili quodam modo, nempe propter vnionem diuinitatis cum corpore, & anima; rurſus primum modum exiſtendi corporis, animæ, & ſanguinis expreſsè vocat Concilium concomitantiæ; ex alia parte modus iſte diſtinguitur per Concilium à modo exiſtendi diuinitatis ſub ſpeciebus. Fieri debet aliquem alium modum exiſtendi in Euchariſtia deſiderabilem eſſe, qui concomitantia non ſit, ſed longè mirabilior. 120.

Rurſum nam ſanctus Auguſtinus *in ſermone de tempore Dominica proxima ante natiuitatem paulò poſt initium*, dixit: *Filium carnem ſuſcepiſſe in proprietate; Patrem verò, & Spiritum Sanctum non defuiſſe in maieſtate; Chriſti autem Patrem & Filium impleuiſſe maieſtate, Filium ſuſceptione.* Quòd egregiè explicauit Baſilius *epiſt.* 43. *paulo poſt medium.* Exemplo catenæ, cuius vnius annuli ſummitate apprehenſa, reliqua etiam inſerta trahuntur. In quibus verbis clarè demonſtratur, Patrem, & Spiritum Sanctum ſpeciali modo, cum in humanitate, tumque in Euchariſtia exiſtere. 121.

Si autem petieris, quiſnam ſit modus hic ſpecialis, exiſtendi Perſonis in his myſteriis? Aſſero, eſſe purè materialem; qui quidem expenditur vno ex duobus modis, vel quia duæ illæ Perſonæ licèt immenſæ non eſſent, ex hypotheſi, ſi tamen, quòd Verbum vnitum ſis Chriſti humanitati, huic neceſſariſſimè præſentes eſſent, ob identitatem ſcilicet, quam in eſſentia habent cum ipſo Verbo vnito. Vnde ſicut Theologi communiter deſignant, duas Perſonas eſſe in Euchariſtia triplici ratione. 122.

Primò,

Primò, ratione immenſitatis, ſicut ſunt in in cæteris rebos. Secundò, modo ſpecialiori quatenus ſimul cum Filio aſſiſtunt ibi ad operandum mirabilem illom effectum gratiæ, ſicut dicitur, Deum, & totam Trinitatem ſpeciali modo aſſiſtere in cœlo. Tertiò, quia Pater, & Spiritus Sanctus ſunt conſubſtantiales Filio; atque ita neceſſariò ſunt ibi, vbi fuerit Filius, adeo vt ſi per impoſſibile, oon eſſent vbique, nihilominùs eſſeot in Euchariſtia, in qua eſt Filius;ita diſcurrere debetis de exiſtentia ſpeciali Perſooarum in humanitate Verbo vnita.

123. Hunc igitur modum ſpecialem exiſtendi eſſe quidem materialem reſpectu Perſonarum in vtroque myſterio, vno vel altero fundamento mihi ſuadeo; Tum, quia ex meritis vnionis hypoſtaticæ Perſonæ formaliter non exiſtunt in humanitate;ſiquidem ea meritis illius ea exiſtuot in humanitate, quæ illam per ſe ſiue mediatè, ſiue immediatè terminare dicuntur; atqui in omnium etiam contrariæ ſententiæ Authorum opinione, vnioocm hypoſtaticam nec mediatè, nec immediatè Pater, & Spiritus Sanctus terminant. Ergo ex meritis vnionis hypoſtaticæ ſpeciali modo formali oon exiſtunt in humanitate, iam quòd connexio illa Perſonarum non ſufficiat ad ſpecialem modum formalem exiſtendi Perſonarum io humanitate, probabit ſecunda hæc probatio.

124. Secundò probo, ſpecialem hunc modum exiſtendi Perſonarum in humanitate eſſe purè materialem; etenim in ſententia Aothorum contrariæ ſententiæ ocgantinm, exiſtentiam hanc ſpecialem eſſe concomitantiam, vt Suarez, Vaſquez, Perez, & alij, rationem huius ſpecialis exiſtētiæ deſignant connexionem Perſonarum inter ſe, ſeu circumioſeſſionem mutuam illarum in quauis. At ratio hæc non eſt formaliter diuerſa ab ea, ob quam dictæ Perſonæ ſunt in omnibus rebus. Ergo ſpecialis modus Perſonarum exiſteodi in humanitate non eſt formaliter ſpecialis, ſed purè materialis. Ergo talis exiſtentia Perſonarum in humanitate noo diſtinguitur formaliter ab exiſtendi modo earumdem Perſooarum in aliis rebus, conſequentia hæc patet ex prima. Minor probatur: Nam ratio exiſteodi Perſooarum in omoibus rebus oon ſolùm eſt immeoſitas naturæ diuinæ, ſed eſſentialis connexio Perſonarum cum eadem natura, ratione cuius vna dicitur eſſe in alia, vel per concomitantiam, vel per circuminſeſſiooem, & ſeiungi ab illa non poſſe. Ergo hoc quod eſt Perſonas exiſtere io humanitate mirabili illo modo, non arguit ſpecialem formaliter modum exiſtendi, diſtinctum ab eo, qoo dicuntur exiſtere in cæteris rebus. Aotecedens probo, ideo circuminſeſſio, in ſententia contraria, & connexio Perſonarum in eſſentia, & inter ſe arguit in illis ſpecialē modum formaliter exiſtendi Perſonarum in humanitate, quia ſi per impoſſibile duæ aliæ Perſonæ immenſæ non eſſent, adhuc forent in humanitate vnita Verbo, quia iſti illæ eſſent connexæ. Sed ſimiliter etiamſi Deus non eſſet immenſus, adhuc ratione eiuſdem connexionis, vbi foret vna Perſona, eſſent & aliæ. Ergo ratio exiſtendi Perſonarum in cæteris rebos, oon ſolùm eſt immenſitas, ſed prædicta connexio, quam habent inter ſe & cum eſſentia. Ergo exiſtere Perſonas in humanitate ſpecialiter ratione connexionis aſſignatæ, non eſt ſpecialis modus in illa exiſtendi, diſtinctus ab eo, quo in aliis rebus exiſtere dicitur, ſed ad ſummum purè materialis, quatenus vnio hypoſtatica terminatur ad Verbum, quod aliàs connectitur neceſſariò cum cæteris Perſonis.

Confirmo hoc ipſum, de illo, quod modo ſpeciali formali exiſtit in humanitate ſignato hoc homine ſolùm dicitur eſſe Filium Dei. Ergo Perſonæ Patris, & Spiritus Sancti oon ſunt modo ſpeciali formaliter io humanitate, diſtincto ab eo, quo dicuntur io aliis rebus exiſtere. Antecedens probo, nam ſignato homine hoc, nempe Chriſto, non poteſt dici, quòd ſit Pater, aut Spiritus Sanctus. Ergo de illo, quod ſpeciali modo formaliter exiſtit in humanitate, ſignato hoc homioe, Chriſto ſcilicet, verificatur ſolùm eſſe Filium Dei. Nunc conſequentiam primam probo: Etenim ſi Pater, & Spiritus Sanctus eſſent ſpecialiter io humanitate formaliter, qualiter ſic in aliis rebos non eſſent, iam ſignato hoc homine, diceretur de illo eſſe Patrem, aut Spiritum Sanctum. At verificari id nequit. Ergo nec ſpecialis ille modus exiſtendi formaliter verificari valebit. Aotecedens patet, quia non alia ratione inferimus Patrem, & Spiritum Sanctum oon eſſe hoc modo ſpeciali formaliter in Euchariſtia, qualiter ſic in cæteris rebus oon ſit, quia ſignatis accidentibus panis non poteſt dici, iſte eſt Pater, aut Spiritus Sanctus. Ergo ſi ſignato homine iſto nequit dici, quòd ſit Pater, aut Spiritus Sanctus, optimè inferemus, Patrem, aut Spiritum Sanctum non eſſe illo ſpeciali modo in humanitate Chriſti, qualiter ſic in cæteris rebus oon ſint. Conſequentiam docet paritas, oam ideo ſignatis accidentibus panis, oequit dici iſte eſt Pater, aut Spiritus Sanctus, quia iſti nullo modo intrant conſtitutionem Chriſti ſub accidentibus panis. Sed oec Pater, aut Spiritus Sanctus intrant cooſtitutioonem Chriſti vt hominis in myſterio noſtro. Ergo vtrobique eſt illis denegandus modus ille ſpecialis formaliter exiſtendi, qualiter ſic in cæteris rebus oon ſint. 125.

DVBIVM IV.

Quaſnam partes bumanitatis aſſumpſerit Verbum de facto?

DE his tractat ſanctiſſimus Thomas *hic quæſtione ſexta*, ſed ne confusè rem hanc peragerem, aliqua huc ſpectantia *diſp. 1. huius tractatus* relinquimus reſoluta, & vt materiam io præſenti decideodam præfigamus, notare debemos, humanitatis partes, alias eſſe ſubſtantiales eſſentiales nempe animam & carnem; alias eſſe integrales magis & minùs principaliter ad conſiſtentiam corporis immediatè aſſumpti ſaluandam, & alias eſſe purè accidentales. De primis partibus ſubſtaotialibus eſſentialibus

tialibus, & de ordine, quo de facto à Verbo fuerint aſſumptæ, egimus *in hoc tractatu diſputatione prima, dubio quarto per totum.* Reſtat nunc de reliquis ſermonem inſtituere. Pro quo.

Sectio vnica.

Oſſa, vngues, dentes, pili, & capilli immediatè fuerunt à Verbo aſſumpta.

126. PLures partes reſolutio hæc continet, omnes vna vice oſtendam; illas vix Thomiſtæ cuncti defendunt. Etenim quidquid ad integritatem corporis immediate à Verbo aſſumpti ſpectat, fuit etiam immediatè à Verbo aſſumptum. At omnia recenſita ſpectant ad integritatem aſſumpti corporis. Ergo immediatè ſunt omnia illa à Verbo aſſumpta. Minorem intelligere debes, quia ea recenſita non æquè principaliter attinent ad corporis aſſumpti integritatem. Etenim quædam partes ingrediontur principaliùs ad integrandum corpus, quales ſunt iſtæ partes organicæ, nempe oſſa, & caro, &c. Aliæ verò minùs principaliter, vt pituita, ſanguis, & reliqui humores, de quibus *ſectione proxima.* Aliæ adhuc minùs principaliter, quippe meliori corporis conſtitutioni, & operandi cōmoditati inſeruientes, vt dentes & vngues. Aliæ adhuc minùs principaliter quippe corporis ſolo ornatui conſulentes, vt capilli. Sic intellecta minori, nunc maiorem probo, quoad ſingulas partes oumeratas. Etenim partes illæ principalius integrantes corpus, vt oſſa, informantur anima rationali, eo ipſo, quòd integrent principaliter corpus. Ergo quidquid ſic ad integritatem corporis ſpectauerit, aſſumptum fuit à verbo. Antecedens admittunt omnes. Conſequentiam probo, nam eædem partes in reliquis hominibus, quia ſuis animabus informantur, ſubſiſtunt humanâ ſubſiſtentiâ. Ergo ſimiliter in Chriſto ſubſiſtent diuinâ ſubſiſtentiâ. Antecedēs communis defendit. Conſequentiam probo: Etenim id ipſum quod reſpectu alicuius partis faceret ſubſiſtētia humana, ſi eſſet, fecit ſubſiſtentia diuina, eius abſentiam ſupplens. Ergo ſi tales partes, quia anima informatæ ſubſiſterent, & ſubſiſtunt in nobis propriâ ſubſiſtentiâ, fit, eaſdem in Chriſto ſubſiſtentiâ diuinâ debere ſubſiſtere.

127. Proho id ipſum de dentibus abſolutè, & neſcio cur Cippullus id fateri timeat, quia ſub iudice exiſtimat eſſe, an dentes anima rationali informentur; ſed inutilis eſt exiſtimatio iſta, cùm iudicet ipſe, capillos informari anima rationali. Ratio igitur pro dentibus eſt, nam iſti verè informantur anima rationali, non minùs, ac oſſa, quibus valdè aſſimilantur, ſiquidem habent certam diſpoſitionem, figuram determinatam, accidentia communia corpori vegetabili; necnon carni ipſi continuantur per quaſdam fibras, quibus quaſi radicibus creſcunt, & infiguntur carni: Rurſum, quia non eſt maior ratio, cur capilli admittantur anima rationali informati, & dentibus talis informatio denegetur. Ergo dentes anima rationali informantur. Ergo in nobis ſubſiſtunt humanâ ſubſiſtentiâ. Ergo in Chriſto ſubſiſtentiâ diuinâ. Conſequentiæ iſtæ ex numero antecedenti manent probatæ.

Probo id ipſum de Capillis, & vnguibus. Iſta enim verè anima rationali informantur, & vera nutritione augentur, & nutriuntur. Ita ſanctiſſimus Doctor *in quartum, diſtinctione quadrageſima quarta, quæſtione prima, articulo ſecundo, quæſtione tertia*, & vix omnes eius diſcipuli. id tenent Scotus *ibidem diſtinctione tertia, quæſtione prima*. Et ex Medicis probat celebris Luſitanus Veyga *de arte medendi, capite nono*, & de vnguibus probat idem Valleſius *libro ſecundo, controuerſ. medicarum, capite quinto*, de quibus expreſsè affirmat Galenus *de anatomicis adminiſtrationibus prope finem.* Ergo verè iſta, anima rationali informantur. Ergo humanâ ſubſiſtunt ſubſiſtentiâ in nobis. Ergo & in Chriſto diuinâ. Conſequentias probat *numerus* 126. 128.

Confirmatur, nam probabilius eſt, omnes homines cum capillis, & vnguibus reſurrecturos fore, vt patet ex Hieronymo *in cap.* 10. *Matthæi, tomo ſexto, folio decimo ſeptimo, littera E*, Sanctus Auguſtinus *libro vigeſimo ſecundo de Ciuitate Dei*, Richardus *in quartum, articulo primo, quæſtione tertia*, Bonauentura *articulo primo, quæſtione ſecunda*, Soto *quæſtione vnica, articulo ſecundo, §. ſedet poſtremum*, Abulenſi *in cap.* 22. *in Matthæum, quæſtione* 242. Angles in floribus *de reſurrectione, articulo ſexto, dubio primo*, & ex *Luca* id clarè patere videtur *cap.* 21. *Capillus de capite veſtro non peribit*, & *Matth.* 10. *Capilli de capite veſtro omnes numerati ſunt.* Ergo capillos Verbum aſſumpſit. Probo conſequentiam, nam ideo cum capillis reſurrecturi ſunt homines, quia anima rationali informantur. Sed hæc ratio ſufficit, vt aſſumantur. Ergo aſſumpti ſunt de facto. Probo minorem, quia vt capilli anima informentur, ſufficit, vt ipſi ſpectent ad integritatem corporis, ſed eo ipſo quòd corpus integrent, ſufficit, vt corpus cum illis reſurgat, & ſimiliter vt aſſumantur. Ergo eo ipſo, quòd capilli anima rationali informentur, ſufficit, vt etiam aſſumantur. Conſequentia ſimul & minor probantur. Nam illud idem quod ſufficit ad reſurrectionem, ad aſſumptionem ſufficit. Sed vt reſurgant capilli ſufficit, vt integrent corpus, Ergo vt aſſumantur, ſufficit, vt integrent corpus. Vnde in vtroque caſu integrum corpus, & reſurgit, & aſſumitur, quorſum integrum ſi capilli, & vngues corpus integrantes, quippe anima rationali informati, nec reſurgunt, nec aſſumi dicuntur? 129.

Præterea id ipſum aliter authoritate Athanaſij *epiſtola ad epictetum* munitur per hæc: *Quinimò etiam in aliam impietatem tranſitum faciunt, aſſerentes Verbum incarnem, oſſa in pilos, neruos, imo prorſus mutata priori natura, abiuſſe.* Pondero, verba hæc, damnabant hæreſim quorumdam defendentium naturam diuinam eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum corpore Chriſti, vt enim hunc errorem auellerent. Intulit Sanctus Athanaſius. Ergo Verbum diuinum conuerſum eſt in capillos, ſicut vos admittitis, 130.

mittitis, illud conuerſum fuiſſe in cæteras nobiliores partes, nempe oſſa, & carnem, &c. Ergo in ſententia Athanaſij, capilli verè corpus aſſumptum integrant. Conſequentia patet, aliàs inutilis eſſet illatio, cùm poſſent facilè hæretici reſpondere, ipſos ſolùm aſſeuerare, Verbum ſolum fuiſſe conuerſum in eas partes corporis, quæ illud perfectè integrant, cúmque Athanaſius ſupponeret capillos non integrare corpus, poterant hæretici ex eius ſuppoſitione negare eius illationem facilè. Ergo cùm eius illatio non ſit ab hæreticis negata; imò conuicti argumenti Athanaſij eam ingenuè concedebant, fit, Sanctum Athanaſium ſenſiſſe capillos verè, & perfectè corpus Chriſti integraſſe. Sed quidquid verum corpus verè integrat, immediatè Verbum aſſumpſit. Ergo Verbum perfectè capillos aſſumpſit.

131. Præterea argumentor contra Vaſquez *hic diſputatione trigeſima ſexta, capite ſeptimo*, negantem iſtam partem; Etenim ipſe *tomo tertio in tertiam partem, diſputatione 185. capite ſecundo, numero vigeſimo tertio* aſſerit, Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia cum capillis, quos habebat in cœlo. Ergo tenetur fateri, eſſe ſpecialiter Verbo vnitos in noſtro myſterio. Conſequentia patet. Tum, nam vt ipſe Vaſquez probaret Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe in humanitate Chriſti ſpeciali modo, ab eo, quo in cæteris rebus reſident, vſus fuit tanquam medio, eaſdem Perſonas ſic ſpecialiter in Euchariſtia exiſtere. Ergo optimè in illum argui poteſt eadem paritate in præſenti, ipſe admittit, capillos corporis Chriſti eſſe ſpecialiter in Euchariſtia. Ergo tenetur admittere eſſe ſic ſpecialiter in corpore aſſumpto. Sed eſſe ſic ſpecialiter, eſt eſſe à Verbo aſſumptos. Ergo ab illo ſunt aſſumpti. Tum etiam, nam eadem ratio ponendi in Euchariſtia ſpecialiter capillos conuincit ad eorum aſſumptionem. Ergo ſi illud admittit, & hoc. Probo antecedens: ideo capilli ſpecialiter in Euchariſtia ſunt, quia corpus integrant. Sed id ſufficit, vt aſſumantur, vt diximus. Ergo eadem ratio conuincit ad aſſumptionem, ac ad exiſtentiam ſpecialem eorundem in Euchariſtia.

132. Reſpondebis cum Vaſquio vim huius replicæ præuenientem *vbi ſupra num. 23.* ſe capillis exiſtentiam ſpecialem per concomitantiam præbuiſſe, non ex eo, quòd integrent corpus, nam huius vita ab illis non pendet; ſed quia ipſi naturali nexu corpus comitantur, quippe tanquam effectus cum cauſa; at verò, vt aſſumerentur, præter hoc neceſſe erat, ipſos integrare debere corpus ita, vt hoc integrum ſine illis non eſſet, quod ſic non euenit.

133. Sed replicabis, imprimis falſum eſſe ſufficere ad exiſtentiam ſpecialem in Euchariſtia capillorum, quòd iſti præcisè naturaliter cum corpore ex vi verborum ibidem exiſtente connectantur, vt *dubio antecedenti* oſtendimus. Secundò, id ipſum nunc oſtendo, etenim capillos pendere, ſeu connecti cum Chriſti corpore, tanquam effectus cum cauſa non ſufficit ad illis exhibendam prædictam ſpecialem exiſtentiam in Euchariſtia; Ergo vltra talem connexionem deſiderabitur in illis ſpectare ad integritatem corporis. Conſequentia patet, quia imaginabilis non eſt alia ratio capillis præſtandi talem exiſtentiam per concomitantiam, niſi vel naturalis connexio cum corpore, vel prædicta integritas. Antecedens patet, nam plura ſic cum corpore, tanquam cum cauſa connectuntur, quibus talis per concomitantiam in Euchariſtia exiſtentia denegatur, ergo talis connexio capillorũ cum corpore non ſufficit vt per concomitantiam in Euchariſtia reſideant. Antecedens patet, nam calor ipſe, quem corpus in veſtibus, dum cœnam conficiebat, cauſabat, & ſaliua, ab ipſo corpore producta, chilus in ſtomacho genitus, & verba, quæ nunc emittit in cœlo naturaliter connectuntur cum corpore Chriſti, tanquam veri effectus cum ſua cauſa; & tamen dixit nemo, aliquid iſtorum per concomitantiam in Euchariſtia poni. Ergo plura ſunt cum corpore connexa, quibus denegatur exiſtentia per concomitantiam in illis; Ergo talis connexio non ſufficit. Ergo eatenus capilli ſunt per concomitantiam in Euchariſtia, quia integrant corpus in Euchariſtia ex vi verborum exiſtens: quia non eſt alia ratio dare potens illis prædictam exiſtentiam ſublata connexione allegata. Sed integritas corporis ſufficit ad aſſumptionem, Ergo ſi ſemel concedit Vaſquez capillos exiſtere per concomitantiam in Euchariſtia, tenetur fateri, eoſdem aſſumptos à Verbo.

Sed argues. Capilli non ſunt nobiſcum reſurrecturi. Ergo ex reſurrectione malè deduximus illorum aſſumptionem. Antecedens patet, ſi reſurrecturi eſſent, maximè quia reſurrecturum eſt corpus integrum. Sed hoc reſurgere poſſet integrum, quin reſurgant capilli. Ergo. Minorem probo, nam capilli ſunt vltra veri corporis integritatem. Ergo huius integritas reſurgere ſine illis poterat. Antecedens patet, nam capilli non ſunt partes integrantes corpus. Ergo ſunt vltra huius integritatem. Antecedens probo: Pars corpus integrans eſt toti corpori cohærens, communique vita coniunctum. Sed capilli (idem intellige de vnguibus) non ſunt animati, cùm neque propriè nutriantur, & augeſcant alimento nimirum attracto, & intus ſuſcepto, conuerſoque in eorum ſubſtantiam. Vt cum Galeno communis Medicorum Schola profitetur in libris artis Medicæ. Ergo capilli non ſunt partes corpus integrantes. 134.

Reſpondebis cum Complutenſibus Medicis. Quòd licèt capilli & vngues ex naturæ ſuperfluitatibus, & veluti excrementis gignantur, & ſint veluti quædam naturæ emiſſiones, non tamen gignuntur ex excrementis merè inutilibus, qualia ſunt ſudor, & vrina, & alia huiuſmodi; ſed ex his, quæ adhuc vitalia ſunt, & naturæ adiumento, quamuis talia non ſint in tota, qua poſſunt creſcere quantitate, & ob id illorum excrementa, quæ reſciſſa ſunt, veluti quædam naturæ inutiles emiſſiones, iuxta veriorem ſententiam non redibunt. Ex hac doctrina Theologi deducunt, quòd dum aſſeritur, capillos fore reſurrecturos, intelligendum eſſe de capillis capitis, barbæ, ſuperciliorum, & palpebrarum, quia iſti 135.

ad ornamentum, & decorem donantur; cæteri verò ad talem decorem non ſpectant, ideo illi & non iſti capilli redibunt, & de capillis barbæ, & capitis communiter Authores loquuntur, tum in eorum aſſumptione, tum etiam in illorum reſurrectione.

136. Sed replicabis, etenim permiſſo, inſtitutam eſſe opinionem de capillis barbæ, & capitis, de reliquis autem nullum apud Authores ſermonem eſſe datum; nihilominùs ratio, quam adhibet ſolutio, cur prædicti capilli capitis ſint reſurrecturi, atque adeo aſſumendi, videtur, non eſſe efficax; ſiquidem aliqua ſunt in homine deſtinata ad ornamentum corporis, quæ tamen reſurrectura non ſunt. Ergo capilli barbæ, vel capitis non ideo reſurrecturi, quia ad corporis ornamentum ſpectant. Antecedens patet, ſiquidem indumenta corporis, illud ornant, & non ſunt reſurrectura. Ergo, &c. Conſequentia eſt clara, & antecedens. Tunc ſic: Ergo nec capilli quamuis affixi ſint barbæ, & capiti, non ideo ſunt reſurrecturi, quia corpus ornent. Conſequentia patet, nam ideo etſi ornent indumenta corpus, reſurrectura non ſunt, quia quidquid ſolùm ornamento corporis inſeruit eſt à dotibus glorioſis ſupplebile. Cur ergo prædictæ dotes capillos barbæ, & capitis tametſi ornent corpus non poterunt ſupplere?

137. Reſpondebis cum aliis, quòd licèt capilli barbæ, & capitis animati non ſint, tamen neceſſariò erunt reſurrecturi, quia illi à natura deſtinati ſunt ad protegendum corpus, ne ictibus extrinſecorum corporum aliquam læſionem patiatur. Verùm ſolutio hæc non meminit impaſſibilitatis corporis glorioſi, vi cuius immune redditur corpus, ne aliqua læſio ibi corpori contingat.

138. Reſpondebis cum aliis, capillos à natura corpori dari quaſi ſecundam pellem, & veſtem natiuam, quæ quidem in aliis animalibus non ſolùm eſt pars, ſed præcipua pars animalis, vt pennæ in volucribus, vngues ſimiliter corpori concedi tanquam inſtrumentum ex præcipuis, vt patet in belluis, & qualiter cenſentur eſſe corona in aliquibus feris; idque patere videtur experientia ipsâ, qua experimur, manus vnguibus deſtitutas communi vſui minimè, aut difficulter poſſe inſeruire. Hæc ſolutio eſt valdè probabilis, potiſſimùm ſi ei adiungatur ex Sanctiſſimo Thoma, capillos, & vngues perfectè anima rationali informari.

139. Sed replicabis, capilli anima rationali non informantur. Ergo corpus non integrant, atque adeo nec reſurrecturi, nec aſſumendi. Antecedens probant, illa anima rationali informantur in corpore humano quæ more viuentium ex omni parte augentur ſecundùm proportionem. Sed capilli (idem tene de vnguibus) non ſic augentur. Ergo anima rationali minimè informantur. Probo minorem. Non augentur niſi per additionem ex vna parte. Ergo non ex omni parte ſecundùm proportionem. Antecedens patet, Etenim deſignetur aliqua pars determinata in vnguibus, aut in capillis inter duo puncta fixa, nunquam pars illa incrementum ſuſcipit. Ergo ſi fit maior, id contingit per iuxta poſitionem alterius partis.

Reſpondeo negans antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem, Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem aſſero experientiam non eſſe illam, quam adducit, cum contrarium manifeſtè experiamur. His concluſis de aliis partibus diſcurſuri ſumus. 140.

DVBIVM V.

An Verbum immediatè ſanguinem aſſumpſerit?

Dvbium hoc hiſce temporibus ab Authoribus vtriuſque Scholæ ſeriò examini traditur. Morem igitur illorum ſequens, eius reſolutioni niſibus totis inſudabo, quapropter illud variæ ſectiones reſecabunt.

SECTIO I.

Notabilia generalia.

Nota primò, humores corporis humani eſſe in duplici differentia. Alij ſunt vtiles, inutiles alij; ſiquidem in decoctione cuiuis alimenti media actione caloris natiui partes vtiles ab inutilibus ſeparantur, eo videlicet fine, vt inutiles depellantur, & permaneant vtiles. Vtiles ſunt quatuor humores, qui appellantur primarij, nempe ſanguis, bilis, pituita, & melancholia à quibuſdam etiam appellantur naturales, ſeu complexionales; iſti enim habent propriam formam, & pertinent ad temperamentum, & corporis complexionem. Inutilea verò ſunt vrina, ſputum, ſudor, & lachrymæ. 141.

Præterea vltra illos quatuor humores vtiles deſignatos, dantur alij etiam humores vtiles, quaſi ſecundarij, ſic nuncupati quaſi ex primariis videlicet ſanguine ortum ducentes, videlicet ros, cambium, & gluten, ſiquidem ſanguis per totum corpus diffunditur, & per capillares venas, quæ minutiſſimæ, ſunt, recipitur in poris virtute quadam abſtractiua. In poris vltimò decoquitur, & dealbari incipit, & dum eſt in principio appellatur ros. Rurſum quando magis decoctus eſt, vocatur cambium. Quando iam vltimò in ſubſtantiam membri connectitur, dicitur gluten. Iſti enim tres humores ſecundarij, dicuntur nutrimentales. 142.

Rurſum nota quæſtionem procedere debere de iſtis ſeptem humoribus vtilibus ſanguine ſcilicet, pituita bili, melancholia, rore, cambio, & glutine: tametſi apud Authores principalior de ſanguine ſit inſtituta concertatio; ſimiliter nos in prioribus ſectionibus de ſanguine ſermonem dabimus daturi in aliis de cæteris humoribus. 143.

Rurſum notare debes variam ſanguinis 144.

vſur

vſurpationem dediſſe occaſionem Authoribus, vt ſe in varios modos dicendi diſtraherent. Sanguis enim tribus modis accipi poteſt. Vno modo accipitur pro chymo continente omnes quatuor humores, qui ex cibo, & chylo generati nondum extant elaborati perfectè. Secundo modo ſumitur, pro ſanguine perfecto, à cæteris humoribus diſtincto, & in venis reſidente. Tertio, ſumitur, pro ſanguine, qui ab ipſis venis extractus, ac veluti ſuctus à forma ſanguinis, alteratur, induendo formam & humoris ſecundarij rationem, vel roris, vel cambij. Ita Conciliator differentia trigeſima, & trigeſima tertia.

145. Amplius nota, aliquos ſanguinem noſtrum ſic diuiſum afferunt, naturalem alium, ſiue vitalem, & alterum nutrimentalem. Sanguinem naturalem appellant eum, qui habet perfectam ſanguinis formam, & in ea perſeuerat, quatenus eſt ſanguis, qui in venis, & arteriis eſt. Nutrimentalem verò eum ſanguinem appellant, qui eſt humor crudus, minimè exactè decoctus, tamen eſt in ſtatu quaſi viatio, vt ſanguis fiat. Ita Caietanus *tertia parte, quæſtione quinquageſima quarta, articulo ſecundo, §. de prima autem quæſtione*. Et Ouandus *in quartum, diſtinctione decima, propoſitione tertia*, quos Recentes ſequuntur. Syluester tamen *in aurea roſa, tractatu tertio, quæſtione trigeſima prima*, duplicem ſanguinem nutrimentalem agnoſcit. Vnum qui in chylo, & chymo reperitur, & alterum, qui à venis eductus, & in poris repoſitus, formam ſanguinis deperdit, & ſubinducit formam roris, & cambij, ex quo membra denique nutriuntur.

146. Nota, Omnem ſanguinem eſſe debere vnius rationis, nec admittendam eſſe varietatem hanc ſubſtantialem in ſanguinem nutrimentalem, & naturalem, quippe Ariſtoteli, & aliis Philoſophis ignotam, & Medicos cunctos latentem; Præterea, quia nullus eſt ſanguinis vſus, qui omni ſanguini communis non debeat eſſe; vnde omnis ſanguis eodem munere fungitur, ſiquidem ſanguis quiſuis nutrit, corpus temperat, & in diſpoſitione ſibi debita reponit, & conſeruat. Sed de his *ſectionibus venturis*. Vnde non alium ſanguinem agnoſcimus, quam perfectum, & qui perfectionem naturalem ſanguinis in ipſis venis adipiſcitur, antequam à venis fugatur, & pertrahatur ad membra. Iſte enim ſanguis eſt, qui ore pleno eſt neceſſarius ad integritatem naturæ.

147. Vltimò nota, quòd licèt ſanguinem præfixum, de quo venit contentio, deſignauerimus, adhuc eſt notandus duplex ſtatus corporis Chriſti, in quo ſanguis continetur. Vel enim corpus Chriſti degebat vitam, vel cadauer in triduo accipitur. Igitur quærimus an ſanguis corporis Chriſti, tam dum vita fungebatur, quàm dum erat in triduo, fuerit à diuino Verbo immediatè aſſumptus?

Sectio II.

Aliquis Chriſti ſanguis fuit à Verbo diuino immediatè aſſumptus, ſicut eius caro viua.

Præfixæ concluſionis non ciro Authores, quia non datur qui ab illa diſcedat, præter Durandum, cuius opinionem notat Capreolus erroneam, & hæreticam, Medina iudicat eam vti intolerabilem errorem. Suarez eſſe erroneam, Vaſquez temeritatis, & erroris nota dignam præſumit, Cabrera eſſe cenſurandam hæreſis labe. Et licèt iure aſſertum Durandi ab Authoribus damnetur; tamen non omnes adducunt teſtimonia æquè efficaciter veritatem reſolutionis noſtræ, cui opponitur Durandus, conuincentia. Quædam examinabimus breuiter. 148.

Cardinalis de Lugo *diſp*. 14. *num*. 9. probat *extrauag. Vnigenitus Clementis VI. de remiſſionibus, & pœnitentiis*, vbi de ſanguine Chriſti hæc: *Quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficiebat, ſed velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe*. Vbi ponderat, *Ly propter vnionem ad Verbum* non poſſe referri ad vnionem humanitatis cum Verbo, cùm non ſermo de humanitate, ſed de ſanguine; quare debent intelligi de vnione ſanguinis cum Verbo, alioquin ſenſus eſſet deterior, diceret enim, Chriſtus immolatus non ſolam guttam ſanguinis effudit in Cruce, quæ tamen ſola ſufficeret propter vnionem ipſius Chriſti cum Verbo, qui ſenſus non eſt admittendus. 149.

Verùm authoritas hæc in totum reſolutionem non edocet, ſiquidem hæc non ſolùm dicit, ſanguinem vtcumque eſſe à Verbo aſſumptum: ſed immediatè aſſumptum: At authoritas hæc in illis verbis: *propter vnionem ad Verbum*, in quibus totum robur Card. Lugo repoſuit, optimum ſenſum habebit, ſi ſolùm mediatè ſanguis fuiſſet à Verbo aſſumptus. Ergo talis authoritas reſolutionem noſtram non edocet. Probo minorem, nam finis iſtius extrauagantis erat, valorem ſanguinis Chriſti ad redemptionem humani generis nobis commendare, vt indicant verba illa, *pro redemptione totius generis humani ſufficiebat* (intellige gutta ſanguinis) ſed talis valor ab extrauaganti guttæ ſanguinis commendatus ſaluari poterat penes hoc, quòd ſanguis Chriſti eſſet mediatè vnitus Verbo, vt patet in qualibet etſi exigua actione meritoria Chriſti, quæ licèt ſolùm Verbo ſit vnita mediatè, habet vim ſufficientem ad totum genus humanum redimendum, vt latè dabimus *t. 2. tr. 3. de ſpectantib. ad voluntatem Chriſti*. Ergo veritas huius authoritatis conſiſteret, etiamſi ſanguis ſolùm eſſet mediatè Verbo copulatus. 150.

Nec refert, ſi prò Cardinali de Lugo reſpondeas cum Amico *diſp*. 15. *n*. 96. nullo modo Authoritatem hanc retinere poſſe veritatem, ſi ſolùm de mediata vnione ſanguinis cum Verbo intelligatur, ſiquidem hanc vnionem mediatam habebant lachrymæ, & ſudor, & tamen 151.

Pontifex illis talem valorem ad nos redimendum non præbet, ſed ſanguini. Ergo quia hic eſt immediatè vnitus cum Verbo in ſententia Pontificis.

Sed non refert ſolutio. Quia lachrymis, & ſudori Chriſti valorem illum Pontificem non exhibere, oriri nequit ex eo, quòd mediatè ſolùm fuerint cum Verbo copulata; Etenim apud omnes eſt certum, actiones quaſque à Chriſto productas, & valore infinito præditas, fuiſſe ſolùm Verbo mediatè vnitas. Ergo ex valore infinito non bene deducitur ſanguinis cum Verbo immediata vnio. Quare autem lachrymis, & ſudori talis valor ita principaliter, ac ſanguini non adſcribatur, infrà dabimus.

152 Secundò probat Lugus *n.* 10. Primò ex Cyrillo Alex. *epiſt.* 8 *ad Neſtorium*. Vbi: *Verbum factum fuiſſe carnem, nihil eſt aliud, quàm quòd in carne & ſanguine nobis communicauit, ac noſtrum corpus ſibi proprium effecit.* Quæ epiſtola approbata eſt *in Epheſino tomo* 1. *cap.* 12. *& in Chalced. act.* 1. *poſt medium.* Eodem modo loquitur Cyrillus *in libro poſteriori de recta fide ad Reginam.* Clariùs *homilià habità in Epheſino, quaſt.* 5. *in ordine.* Et habetur *in* 4. *tomo ſuorum operum.* Vbi hæc: *Licèt enim Verbum Dei, cùm Deus ſit, carnem aſſumpſerit, ac ſanguinem*, & *epiſt.* 29. *ad Acatinum Melitenſem poſt medium.* Vbi hæc: *Deum hominem eſſe factum propter carnis, & ſanguinis aſſumptionem.* Et *in apologet. p.* 12. Vbi: *Confitemur, quod Deus eſt in carne, & ſanguine.* Et eodem modo loquitur Nazianzenus *tract. de fide Nicæna*, quæ eſt ratio 50. & refertur *in actis Liberij, cap.* 5. *in primo tomo Conciliorum.* Vbi ait: *Deum hominem natum non phantaſticum, ſed carneum, oſſa, ſanguinem, ſenſum, & animam habentem.* Et *in Synodo* 6. *act.* 8. Longè ante medium. Sic ait: *Sicut factum eſt in aſſumptione carnis, & ſanguinis, ita quoque manſit, quod erat Deus.* Hunc autem modum loquendi acceperunt, *ex Paulo ad Hebr.* 2. Illis verbis: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Quæ verba ſic Author hic ponderat, nam quòd Apoſtolus dixit participare, Patres explicuerunt aſſumere; nam carni, & corpori nullo alio modo participauit, niſi aſſumendo corpus & carnem.

153. Sed replicabis in hanc authoritatem, & aſſeres, expreſsè concluſionem minimè probare, ſiquidem cum in nullo ex his aſſertis inueniatur immediata aſſumptio ſanguinis, ſed tantùm aſſumptio, adhuc authoritas ſanum valebit habere ſenſum, tametſi mediata ſit vnio, quam habet ſanguis cum Verbo; Etenim mediata aſſumptio, vera aſſumptio eſt: Vnde licèt Verbum ſolum immediatè carnem aſſumpſerit, & ſanguinem mediatè, de vtroque erit verum apud Patres, quòd ſit aſſumptum à Verbo: quia mediata aſſumptio veram participat rationem aſſumptionis.

154. Reſpondebis cum Patre Lugo, verba hæc Sanctorum Patrum intelligi debere de aſſumptione immediata, eo ipſo quòd abſolutè aſſerant, ſanguinem eſſe aſſumptum à Verbo. Quod vt explicet, ponit diſcrimen inter hæc, accidens aſſumitur, & ſubſtantia aſſumitur. Primum denotat aſſumptionem mediatam, cuius eſt capax ſolum ipſum accidens, & ſic quando dicitur abſolutè, accidens aſſumitur, intelligi debet eo modo, quo poteſt. Secundum verò denotat immediatam aſſumptionem, cuius natura ſubſtantialis eſt capax. Rationem dat, quia nequit dici aſſumi hypoſtaticè id, quod retinet adhuc ſuam propriam ſubſiſtentiam, vt ſupponit, nec ſubſiſtentia Verbi facit aliquid ſubſiſtere, niſi loco alterius ſubſiſtentiæ creatæ, quam ſuppleat. Si ergo ſanguis ſuam retinet ſubſiſtentiam, per quam immediatè terminatur, non poteſt dici, quòd ſubſiſtit ſubſiſtentiâ Verbi, vel quòd aſſumatur à Verbo.

Sed replicabis, aliud eſſe doctrinam hanc reddere probabiliorem aſſumptionem immediatam ſanguinis, & aliud eam per infallibilem conſequentiam deduci, ita vt ſententia talem immediatam ſanguinis aſſumptionem negans, ſit neceſſariò damnanda. Illud eſt verum, vt vidimus *diſputatione antecedenti.* Hoc autem ſub lite videtur eſſe, nam contrarium defendens poterat dicere ſanguinem noſtrum minimè ſubſiſtentiâ humana, ſed ſuâ ſibi propriâ terminari, eo modo, quo plures de capillis affirmant probabiliter. Ergo ſicut verificatur aſſertum Cyrilli *in epiſtola ad Neſtorium*, nos ſanguini communicari, quin iſte per noſtram humanam ſubſiſtentiam terminetur, ita prædictum aſſertum poterit verificari de Verbo, quòd ſanguini ſe communicaret, quin iſte per ipſum ſubſiſtere diceretur, atque adeo quin ſanguis immediatè Verbo copularetur. 155.

Tertiò probat Cardinalis Lugus reſolutionem noſtram *ex Tridentino ſeſſione decima tertia, capite tertio*, vbi definitur, *In Sacramento Euchariſtia eſſe quidem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur*; in quibus verbis apertè dicitur ſanguis pars Chriſti Domini, & ex eo quòd ſit pars probatur, quòd debeat poni nunc in Euchariſtia ſub ſpecie panis per concomitantiam propter conionctionem naturalem, quam partes habent inter ſe, ratione cuius vbi eſt vna pars, nempe corpus, debet eſſe altera, nempe ſanguis. Sicut è contrà propter eandem rationem definitur corpus eſſe ſub ſpeciebus vini, quia vbi eſt ſanguis, debet eſſe altera compars, nempe corpus: non poteſt ergo dubitari, quòd ſanguis ſit pars humanitatis; ſi enim eſt pars Chriſti, & non eſt pars ſubſiſtentiæ, aut diuinæ naturæ, vt conſtat, debet eſſe pars naturæ humanæ, quia Chriſtus includit, ſolùm ſuppoſitum, diuinum, & vtramque naturam diuinam & humanam: Si ergo ſanguis eſt verè pars Chriſti, & humanæ naturæ oportet illum ſubſiſtere per hypoſtaſim Verbi, omnia enim, quæ ſubſiſtunt in Chriſto, ſubſiſtunt per hypoſtaſim Verbi, & nullo modo per ſubſiſtentiam creatam. 156.

Sed replicabis, locum hunc Concilij minimè noſtram aſſertionem definiſſe; imò nec mentionem 157.

nem feciſſe expreſsè de vnione hypoſtatica ſanguinis cum Verbo, vt legenti ſeſſionem totam illius conſtabit: verba enim adducta ſolùm meminere de hypoſtatica vnione Verbi cum corpore, & anima; & iure de his ſolùm recordatum fuit Concilium, cùm finis, in quem directa ſunt verba illa, per ipſa præcisè ſit à Concilio aſſequutus, nam exinde concluditur Verbum diuinum extiturum vbicumque corpus & anima extiterint. Illa verò ponderatio à Cardinali adducta, nempe ſanguinem eſſe partem Chriſti non eſt ita efficax, vt ab aliquibus non ſit negata, & ab aliis etſi pars exiſtimetur, non tamen inter præcipuas connumeratur humanâ ſubſiſtentiâ terminata, ſed ad inſtar capillorum, qui propriâ, & non humanâ terminantur ſubſiſtentiâ; & caſu dato ſanguinem, & eſſe partem præcipuam, & humanâ ſubſiſtentiâ terminari fateantur; Ex vi huius authoritatis non obligantur concedere, ſanguinem eſſe debere immediatè vnitum hypoſtaticè Verbo; ſolùm enim ex illis infertur, ſanguinem propriâ ſubſiſtentiâ eſſe deſtituendum, & ſubſiſtentiâ diuinâ terminari; ſed ex hoc non deducitur immediata ſanguinis cum Verbo vnio, poterant enim dicere, eſſe mediatè cum Verbo vnitum, & ab illo hypoſtaticè terminatum; ſicut in ſententia probabili, humanitas ſolùm eſt mediatè diuinæ naturæ vnita, & tamen per eius exiſtentiam increatam exiſtit, & in ſententia probabili deitas licèt mediatè humanitati vnita, illam phyſicè ſanctificat; Ergo etſi aliquis conſentiat Concilio dicenti, ſanguinem eſſe partem præcipuam Chriſti, & ſubſiſtentiâ diuinâ hypoſtaticè terminari, poterit noſtræ reſolutioni diſſentire, & defendere, illum ſolum eſſe mediatè vnitum Verbo diuino. Quia non minùs reddi humanitatem exiſtentem, & phyſicè ſanctificatam petunt vnionem cum ſuis formis, nempe cum exiſtentia & forma ſanctificatiua, ac reddi ſanguinem ſubſiſtentem vnionem deſideret cum forma ſubſiſtentiæ. At illi effectus non petunt immediatam vnionem cum exiſtentia, vt docuimus latè *diſputatione antecedenti, dubio ſecundo, ſectione ſecunda*, Nec ſanctitas Phyſica talem vnionem immediatam cum deitate illam præſtante humanitati Chriſti cupit; vt *tomo ſecundo, tractatu de ſpectantibus ad animam Chriſti, diſputatione prima, dubio primo, ſectione ſecunda*, latè dabimus. Ergo ſimiliter ſanguis poterit reddi ſubſiſtens diuinâ ſubſiſtentiâ, quin ſit immediatè cum illa copulata.

158. Bernal probat reſolutionis noſtræ veritatem *diſputatione vigeſima ſexta, ſectione tertia, numero decimo nono*, ex eo videlicet, quod opinio contraria ſit hæreticalis quòd probat *ex directorio inquiſitorum, parte ſecunda, quæſtione decima*, vbi refertur *ex Clementina ſexta: Habito ſolemni Concilio Magiſtrorum, & aliorum peritorum virorum, iuſſiſſe damnari ſolemniter vt hæreticalem, & erroneum hunc articulum, qui Barcinone prædicatus fuerat, quòd in ſanguine Chriſti ſparſo in Paraſceue, non remanſerat diuinitas, nec ſanguis ille erat deificatus.*

159. Sed replicabis: Veritatem huius decreti eſſe ſuſpectam. Imprimis Cardinalis Sancti Petri in libro, quem de ſanguine Chriſti compoſuit, mentionem de prædicto decreto faciens, habet hæc: *Reſpondetur eis tales adducentibus, quod tales proceſſus ſunt valdè ſuſpecti, propter multa, quæ ibi habentur, &c.* Franciſc. Collius *lib. 2. diſp. 4. c. 3.* etiam ſecurus non eſt de veritate prædicti decreti & vt de illius veritate conſcius redderetur, quæſiuit illud magna cura Briaiæ, vbi aſſerit Syluester ſe illud vidiſſe inter alia diplomata Pontificia inquiſitionis Bnatenſis, & fatetur nec illius veſtigium inueniſſe. Præterea Dominicus de Dominicis, qui de hac re iuſſus à Pontifice contendere, aſſerit *in libro de ſanguine Chriſti articulo tertio in fine*, tale decretum authentica firmitate carere, & concludit, ſententiam contrariam ab omni hæreſis labe purgatam eſſe.

Hæc enim fundamenta ſunt, quæ communiter adducunt Authores ad muniendam reſolutionis noſtræ veritatem, quæ licèt eam magna probabilitate confirment, tamen non in eo gradu certitudinis reponunt illam, vt qui diſſentiret ei, hæreſis macula foret labefactandus. Ex hoc tamen liber à temeritate non euaderet, qui ſententiam noſtram inficiari auſus eſſet, ad id autem ſufficit ſe opponere communi omnium Theologorum placito, vt patet *ex tractatu de Fide*. 160.

Ratione probatur reſolutio, etenim ſanguis eſt pars naturam, & corpus integrans. Ergo immediatè eſt Verbo vnitus. Singulas huius entimematis partes, in quibus tota vis conſiſtit diſcurſus, oſtendam. Antecedens patet primò ex Sancto Hieronymo *epiſtola ſexageſima prima ad Pamachium, capite octauo*, vbi poſtquam aliqua extuliſſet contra errorem illum Origenis de corporum ſpiritualium reſurrectione habet *cap. 10. certè vbi caro, vbi oſſa & neruí, ſanguis, & venæ, ibi carnis ſtructura.* Pondero, æquè inter partes ſtructuram corporis componentes numerat Sanctus Hieronymus ſanguinem. Ergo hæc pars corpus integrans eſt. Idem expreſsè docet Sanctiſſimus Thomas *tertia parte, quæſtione quinquageſima quarta, articulo ſecundo in corpore, & ad tertium.* 161.

Secundò antecedens probo. Sanguis anima rationali informatur. Ergo ſanguis eſt vera corporis pars illud integrans. Conſequentia eſt conſpicua, ſiquidem animari ab anima non poſſet ſanguis, ſi iſte ad integritatem corporis, quod eſt altera pars compoſiti, minimè integraret illud. Ergo ſi animatur ſanguis, erit corporis pars; ſiquidem anima eſt corporis organici actus. Nunc antecedens primum eſſe verum doctiſſimi viri ſuſtinent. Caietanus *prima parte, quæſtione vltima, articulo primo in fine.* Contadus *prima ſecundæ, quæſtione quinquageſima quarta, articulo primo, concluſione tertia*. Medina *hic quæſtione quinta, articulo ſecundo, capite ſecundo*, Sylueſter in aurea roſa, *quæſtione 30. folio 244. columna 2.* Vbi aſſerit ſanguinem eſſe animatum coram ſummo Pontifice à tribus eximiis Theologis eſſe defenſatum; idem tenet Henriquez *de Euchariſt. c. 26. §. 2. lit. B.* & vt mihi videtur ſatis eſſe de mente 162.

Sanctiſſimi Doctoris ſuſpicor *in 4. diſtinct.44. quæſtione prima, articulo ſecundo, q. 2. ad tertium.* vbi expreſsè & clarè admittit, ſanguinem aliquo modo ab anima rationali perfici. Ruiſum prædictum antecedens eſſe edoctum à pluribus Medicis aſſerit Ludouicus Leemoſius *in Commentariis ad librum quintum Galeni de modo medendi, capite ſeptimo, diſputatione ſecunda.* Verùm quia plures alij antecedens illud improbant, ideo firmiori fundamento ſumus veritati concluſionis exhibituri. Quare,

163. Tertiò antecedens probo. Sanguis non ſolùm quia poteſt conuerti in membra, ſed adhuc prout eſt ſub forma ſanguinis habet integrare perfectè corpus. Ergo ſanguis ſub forma ſanguinis erit actualis pars actu integrans corpus. Antecedens admittunt illi, quos nuper citauimus, & expreſsè illud pluries edocet Sanctiſſimus Doctor *Tum* 1.2.*q.*54.*art.*1. *&* *hic q.*76. *art.*2.*ad ſecundum, & in 2. diſt.*30. *q.*2. *& in 4. diſt.*44.*q.*1 *art.*2.*& q.*2 *in corp. & ad tertium, & quotlibet.* 5. *q.*5. & ſuperque Abulenſis *cap.* 22, *in Matth. q.*241. *ad ſecundum & tertium.* Sotus *in 4.diſt.*44.*q.vnica,art.*3 *concl.*2. Angles *in floribus de reſurrect. art.*6. *dub.*3. *in fine quæſtionis.* Quos vniformiter ſequuntur Recentes. Suarez, Vaſquez, Raguſa, Aluarez, Hurtadus, Araujus, Bernal, Medina, Martinus Perez. Cippullus, & Lugus. Quodque colligunt ex Ariſtotele 2. *de partibus animalium, c.*2. *& lib.*5.*de hiſt. animalium, c.*2. Vbi enumerat ſanguinem inter partes ſimilares, corpus Animalis componentes. Necnon ex Diuo Paulo *ad Hebr.* 2. vbi hæc: quia ergo pueri communicauerunt, &c. citato ſuprà *num.* 152. Ergo ſanguis licèt anima rationali non informetur, perfectè habet corpus integrare.

164. Quartò idem antecedens probo; id, ſine quo aliquid conſiſtere nequit, perfectiſſimè ad minimum illud integrare tenetur. Sed ſine ſanguine corpus viuum conſiſtere nequit. Ergo ſanguis perfectè integrat corpus. Maior de ſe patet. Quodnam maius ſignum aliquid integrandi aliud, quam illo deficiente hoc minimè conſiſtere poſſe. Minor patet, nam ſine ſanguine corporis vita euaneſcit, vt patet ex illo *Leuitici* 17. *anima*, (id eſt vita, vt Auguſtinus interpretatur) *in ſanguine eſt.* Et Ariſtoteles citatus *cap.* 19. ait, *Emiſſo multo ſanguine elanguet Animal, emiſſo nimio, prorſus extinguitur.* Ergo ſine ſanguine corpus viuum conſiſtere nequit. At Verbum aſſumpſit viuum corpus. Ergo & ſanguinem.

135. Quintò probo illud antecedens: Etenim plures operationes anima exercet in corpore, quæ ſine ſanguine aptè exercere non valeret. Ergo ſignum eſt ſanguinem ſaltem vt neceſſarium inſtrumentum corporis deſiderari. Antecedens patet, nam affectus illi ſcilicet ira, timor, gaudium & audacia neceſſariò ſanguinem in corpore deſiderant, vt bene animaduertunt Valeſius Medicus Primarius Complutenſis *in* 5. *controuerſ. c.*5. *fol.*23.*col.*4 & poſtea Suarez citatus *diſp.*15. *ſect.*6. *§. dico ergo*, & prius illis Richard. *in 4.diſt.*44. *art.*1. *q.*2. Siquidem iraſcimur, cùm ſanguis feruet, timemus, cùm contrahitur, gaudemus, cùm diffunditur At Chriſti animam verè iſtos affectus habuiſſe, latiſſimo calamo *tom.* 2.*tract.*1.*diſp* 4.*dub.*6. per plures ſectiones ediſſeram. Ergo ſignum eſt, ſanguinem deſiderari in corpore ad veritatem, & integritatem corporis aſſumpti ſaluandam.

Sextò probo idem antecedens. Sanguis eſt reſurrecturus in reſurrectione corporum generali. Ergo eſt vera pars naturam humanam integrans. Antecedens patet ex ſancto Auguſtino *in epiſt.*146 *ad conſentium*, vbi expreſsè fatetur, ſanguinem perfectum, & perfectionem naturalem ſanguinis aſſecutum in venis, antequam à venis fugatur, & pertrahatur ad membra in reſurrectione rediturum in ea quantitate, quæ propriæ complexioni debetur, & ſanctus Ambroſius, *ſerm.*74.*qui eſt de Martyribus*, habet hæc: *Notum nobis faciant, quemadmodum in exanime corpus iam frigidum ſe ſe calor inſinuauerit, ſpiritus ingeſſerit, ſanguis infuderit.* Ecce antecedens verum, à quo vix neminem vidi diſcedentem. Nunc probo conſequentiam, etenim ſi quia eſt pars ſanguis corporis non reſurget, nulla ratio apparet eiuſdem reſurrectionem ſuadens. Ergo ſi reſurget, admittendum eſt, ſanguinem eſſe corporis partem. Antecedens patet inductione, etenim, vel id ſuaderet, quia ſanguis eſt neceſſarius ad nutriendas partes corporis, & hoc inſufficeret, cùm corpori à mortuis reuocato nutritio non aderit. Nec vt foueat ipſas partes; etenim aër, qui aſſidua reſpiratione trahitur, non minùs in via refrigerat cor, quàm ſanguis complexione partes, & tamen talis aër non reſurget, vt prædictum munus in illo ſtatu ſubeat. Ergo neque ſanguis. Ergo ſi ſanguis reſurrecturus eſt, nulla nobis ſupereſſe poteſt ratio ſuadens eius reſurrectionem, niſi illum eſſe partem corpus integrantem confiteamur. Ergo bene valet. Sanguis cum corpore Chriſti reſurrexit. Ergo eius corpus integrauit. 136.

Ex his oſtenſum manet antecedens illud *numero* 161. adductum, nunc conſequentiam probo. Etenim ſi ſanguis animatus eſt anima rationali, ſubſiſtentiâ humanâ terminabitur. Ergo in Chriſto diuina ſubſiſtentia illum reddet ſubſiſtentem: Conſequentia patet, quia quidquid humanâ ſubſiſtentiâ immediatè terminari poteſt, dum aſſumitur humanitas, per diuinam ſubſiſtit hypoſtaſim, nam hæc id ipſum ſupplet, quod creata ſubſiſtentia, ſi daretur, peragerer. Tunc ſic: Ergo ſanguis immediatè diuinæ ſubſiſtentiæ copulatur. Conſequentia patet, quia vt ſanguis ſubſiſtentiâ hominis propriâ ſubſiſteret, deberet illi immediatè vniri. Ergo vt ſanguis diuinâ ſubſiſtentiâ terminetur, debebit illi immediatè vniri. Antecedens ſimul cum conſequentia probatur; ſiquidem vt totum aliquod immediatè propriâ, vel alienâ ſubſiſtentiâ terminetur, debet propriâ, vel alienâ ſubſiſtentiâ quoad omnes eius partes terminari, quia totum quodvis nihil aliud eſt, quàm partes eius vnitæ. Ergo vt totum aliquod ſit immediatè vnitum propriæ, vel alienæ ſubſiſtentiæ, debet quoad omnes eius partes eſſe immediatè vnitum ſubſiſtentiæ propriæ, vel alienæ. Tunc ſic, ſed ex Fide eſt, corpus eſſe immediatè vnitum diuinæ ſubſiſtentiæ, & iſti omnes probauerunt ſanguinem 137.

guinem eſſe partem ipſum corpus integrantem. Ergo ſanguis eſt immediatè vnitus diuinæ ſubſiſtentiæ.

138 Confirmatur, quia permiſſo gratis ſanguinem nullo modo anima rationali informari, tamen ex dictis eſt certum, illum eſſe partem corpus integrantem. Hoc ſufficit, vt immediatè aſſumatur. Ergo, probo minorem, partes minùs corpus integrales aſſumuntur ea præcisè ratione, quia partes corporis, vt patet *ex dub. antecedenti* in capillis barbæ, & capitis Chriſti, qui collati cum ſanguine non ita principaliter, ac ſanguis corpus integrare dicuntur, & illos immediatè eſſe à verbo aſſumptos confeſſi fuimus. Ergo ſanguinem eſſe corporis partem, ſufficit, vt ſit à verbo immediatè aſſumptus. Aliud argumentum poteſt fieri de exiſtentia ſanguinis in Euchariſtia; ſed illud in ſolutione argumentorum fortè pertingam.

139. Argues immediatè contra rationem concluſionis. Quod non eſt pars corporis aſſumendum non eſt immediatè, quamuis immediatè ipſum corpus aſſumatur. Sed ſanguis non eſt pars corporis. Ergo hoc aſſumpto non ideo eſt aſſumendus immediatè ſanguis. Minor patet, ideo probauimus *n.* 134. ſanguinem eſſe partem præcipuam integrantem corpus viuum, (de quo aſſumptum eſſe immediatè à verbo pronuntiamus) quia deficiente ſanguine, vitam corpus deperdit. Sed ſine ſanguine corporis vita conſeruari poteſt. Ergo ſanguis non eſt pars eſſentialis corporis viui. Minor patet, nam fœtus dum primùm animatur, nullum habet ſanguinem, & tamen viuit. Ergo conſiſtit vita ſine ſanguine. Probo maiorem, nam ſanguis medio hepate elaboratur, ſed infans dum primum animatur, non habet in hepate quidquid cupitur, vt medio hepate ſanguis elaboretur. Ergo infans cùm primùm animatur, non habet ſanguinem. Probo minorem; requiſitum, vt hepar ſanguinem gignat, eſt materia ab intrinſeco ſibi applicata; ſed nulla ab intrinſeco poteſt hepari applicari materia, cùm primùm animatur fœtus. Ergo fœtus cùm primùm animatur, non habet in hepate quidquid deſideratur ad ſanguinis elaborationem.

140. Reſpondebis primò, adhuc in illo primordio adeſſe fœtui ſanguinem ſibi acquiſitum, ſed ſatis exiguum, ſufficientem tamen ad illud minutiſſimum corpus conſeruandum. Secundò reſpondent alij: fœtum illum in eo modiciſſimo tempore, quo primùm animatur, ſanguine acquiſito carere; ſed hoc non tollit à ſanguine rationem veræ partis eſſentialis corporis viui. Quodque confirmant exemplo, in omnium, vel in maiori parte authorum, cor eſt principaliſſima pars corporis viui, quippe natura humana in primo cuiuſque ortu eſt fabricata in corde, & ideo ex illo reliquæ partes ſuggere vitam dicuntur; & tamen experti ſumus caput ſeparatum à corde vitam degere, ſed quia talis vita eſt pro modiciſſimo temporis interuallo, ideo à corde non aufertur ratio partis principalis corporis viui. Applica doctrinam.

141. Argues ſecundò, ſanguini non conuenit conditio neceſſaria ad rationem partis. Ergo tota ratio ruit, antecedens patet, tunc aliquid eſt pars, quando ſimul vnita cum alia componit totum. Sed ſanguis non vnitur alicui parti corporis. Ergo non conuenit illi conditio requiſita ad rationem partis. Probo minorem, nam ſanguis eſſentialiter eſt humor liquidus, de cuius ratione eſt nullam habere vnionem continuatiuam cum aliqua parte ſolida corporis. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguens antecedens, ſanguini non conuenit conditio requiſita ad rationem partis eſſentialis componentis vnum ens per ſe methaphyſicè eſſentiale, concedo, ad rationem partis eſſentialis componentis quoddam totum aliquid accidentale inuoluens, nego antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ſed ſanguis non vnitur alicui parti corporis vnione deſiderata ad componendum vnum per ſe omnino, quod ſit purè eſſentiale methaphyſicè, concedo minorem, vnione ad componendum vnum ens ſubſtantiale inuoluens aliquid accidentale, minorem nego, & diſtinguo conſequens. Ergo non conuenit ſanguini requiſitum ad rationem partis componentis totum eſſentiale purè per ſe methaphyſicè, concedo, requiſitum ad rationem partis componentis totum aliquid accidentale inuoluens, nego conſequentiam. Ad probationem minoris, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens ſub eadem diſtinctione ſæpe data. Itaque eſſe hoc vel illo modo aliquid cum altero vnitum, ſequitur naturam cuiuſque vnibilis, & naturam totius ex illis reſultantis. Apud omnes eſt certum, caput eſſe partem eſſentialem corporis, & tamen non toti corpori immediatè copulatur; & materia prima eſt pars eſſentialis hominis, & tamen toti formæ ſubſtantiali copulatur immediatè. Similiter ergo ſanguis aliter partibus corporis vnitur, quàm caput ſuæ parti annectatur, nam hoc petit vniri immediatè collo cum negatione immediatæ vnionis ſui cum pede; atque inæqualiter iſti & collo caput dicitur vniri; ſanguis verò tam capiti, ac pedi, quàm cæteris intermediis partibus vnitus eſt, quia cùm liquidus ſit, per venas totum corpus circundantes decurrens, omnes partes eius pertingit, humectat, & tangit, atque adeo idem ipſum, quod in illo neceſſarium eſt ad tangendum reliquas partes corporis, illud idem ſufficiet vt illis vniatur, cùm igitur ad tangendum illas ſufficiat approximatio localis cum illis, hæc approximatio ſufficiens erit, vt cum illis ſanguis ſit vnitus; imo eſſet contra naturam ſanguinis, & cuiuſque alterius humoris vniri eo modo, quo caput collo vnitur; ſiquidem talis vnio impediret curſum in ſanguine ab vna in alteram partem, nam ſi capiti eſſet vnitus mediante modo ſubſtantiali vnionis, caput ipſum præpediret fluxum in ſanguine, ne per venas in pedes deflueret. Nec defectus iſtiuſmodi vnionis tollit à ſanguine rationem partis eſſentialis & ſubſtantialis per modum liquidi humoris; ſiquidem eius liquiditas talem defectum depoſtulat, vnde totum reſultans ex ſanguine, eſt ſubſtantiale quoad extrema vnita, non tamen quoad vnionem, hæc enim eſt accidentalis, nempe præſentia ſanguinis ad alias partes. 142. Tn-

tum autem reſultans ex materia, & forma ſubſtantiale eſt tam quoad extrema, quàm quoad vnionem illa intrinſece afficientem, iuxta modum hunc diſcurrendi intelligo aſſertum Durandi *in 4. diſtinct. 44. quaſt. 1.* Paludani *ibidem quaſt. 1. art. 1.* & Baſſolij *q. art. 2. in fine.* ſanguinem eſſe partem humani corporis, ſi non intrinſecè illud componentem, tamen extrinſecè, ſiquidem componit non integrando materiam, ſed illam diſponendo, atque complexionando. Vnde *ly non intrinſecè*, hoc eſt non mediante vnione ſubſtantiali, ly *verò extrinſecè*, eſt idem, ac per approximationem localem cum carentia vnionis modalis ſubſtantialis ad alias partes.

143. Sed replicabis, vnio hæc ſanguinis cum carne per nos ſolùm dicit præſentiam vtriuſque, nam ſola ſanguinis præſentia non ſufficit illum cum carne copulare, contingere enim poſſet carnem diuinitus deficere ab illo loco, manente ſanguine cum ſua præſentia, quam habuerat, quin carni diceretur tunc ſanguis vnitus, idem dic de præſentia carnis ſeorſim ſumpta; atque adeo per nos ſanguinem carni eſſe vnitum, nihil aliud eſt, quàm carnis, & ſanguinis ſimultanea vbicatio, & exiſtentia, ſed iſta ſimultanea coexiſtentia non ſufficit, vt ſanguis, A, ſit pars corporis, B, aut alterius corporis determinati. Ergo vel ſanguis non eſt pars corporis, vel aliam vnionem ſubſtantialem modalem, eum cum carne ſubſtantialiter annectentem intrinſece debemus illi concedere, quod diximus pugnare cum natura liquidi humoris. Probo minorem; etenim ponamus caſum, quòd Petrus, & Paulus penetrarentur, certum eſt Petrum, & Paulum ſecum ferre ſuum ſanguinem; in hoc caſu, cùm Petrus eſſet penetratus cum Paulo, & ſibi mutuò coexiſterent, & iam ſanguis Petri cum Paulo penetraretur. Ergo hæc eſſet vera, ſanguis Petri eſt penetratus cum carne Pauli. Ergo ſanguis Petri & caro Pauli ſunt ſibi mutuò coexiſtentes. Hæc ſunt certa ex hypotheſi penetrationis Petri cum Paulo, ſed ſtante mutua illa præſentia ſanguinis Petri cum carne Pauli, non diceretur ſanguis Petri pars corporis Pauli. Ergo quòd in ipſo Petro eius ſanguis, & caro ſibi mutuò coexiſtant localiter, non ſufficit, vt ſanguis ſit pars corporis Petri. Conſequentia patet, quia, ſuppoſita penetratione Petri cum Paulo, æquè ſanguis Petri coexiſteret cum carne Pauli, ac hìc & nunc ſanguis in Petro dicatur ſuæ carni coexiſtere, nunc probo minorem, etenim ſanguis Petri in illa hypotheſi ſolùm ab hepate Petri, ſicut ſanguis Pauli ab hepate Pauli eſſet procreatus. Ergo ſanguis Petri etſi in hac hypotheſi eſſet coexiſtens cum Paulo non diceretur pars corporis Pauli. Ergo vt ſanguis, A, dicatur pars corporis, B, & non alterius, præter coexiſtentiam explicatam alia eſt danda ſubſtantialis vnio, qua ſanguis ſubſtantialiter ſit vnitus corpori, B, & non alteri.

144. Reſpondebis primò cum Cardinali de Lugo vbi ſuprà *num.* 29. aſſignante duplex genus effectuum, quos ſanguis corpori præſtat. Quoſdam à ſanguine procedentes in genere cauſæ efficientis, nempe fouere, calefacere, & humectare, & iſtos præſtare poſſet ſanguis quilibet Petro & Paulo penetratis, alij autem ſunt effectus ſingulis ſanguinibus magis proprij, prout ſunt partes ſuorum compoſitorum, verbi gratia moueri ſecundum varios animæ affectus, verbi gratia nutrire, ſubuenire cordi, & alijs partibus indigenis: hoc ſuppoſito ait, Deum poſſe in tali hypotheſi aſſignare cuilibet corpori ſuum ſanguinem, & concurrere cum illo ſolo ſanguine ad prædicta munia circa vnum corpus, & non circa aliud. quod ſibi perſuadet, ex eo, quòd ſanguis iſte, & non ille ex hoc hepate, & non ex alio fuit genitus, quapropter talis ſanguis magis proprius eſſet illius corporis, in quo eſt hepar, à quo productus eſt ſanguis ille, quàm alterius corporis. Vnde ſuppòſito miraculo penetrationis exiſtimat, Deum magis connaturaliter ſe ita, ac explicatum eſt, geſturum in deſignandis ſanguinibus, vt ſuis ſubiectis determinatis talia munera præſtarent; quo in caſu ſolus ſanguis deſignatus huic carni diceretur componere cum ipſa naturam humanam Petri, non verò naturam Pauli.

Sed replicabis, ſolutio hæc æquè difficilem relinquit in ſanguine Petri rationem partis reſpectu ipſius corporis, potiùs quàm alterius corporis Pauli cum illo penetrati. Ergo non videtur ſubſiſtere. Antecedens probo, in tali caſu non datur ratio ſanguinem, A, reſtringens, vt ſit potior pars corporis Petri, quàm Pauli cum illo penetrati. Ergo ſolutio hæc æquè difficilem relinquit in illo ſanguine rationem Petri reſpectu ipſius corporis, potiùs quàm alterius corporis Pauli cum illo penetrari. Antecedens probo: ſi aliquid daretur, maximè deſignatio à Deo facta indigitans ſanguinem hunc, A, & non alium, vt ſit pars Petri, & non Pauli. At in hypotheſi prædictæ penetrationis Petri cum Paulo, talis deſignatio non ſufficeret reſtringere hunc ſanguinem ad eſſe partis huius & non illius corporis. Ergo in tali caſu daretur reſtringens ſanguinem, A, vt ſit potior pars corporis Chriſti, quàm Pauli; minorem probo, vel illa deſignatio poneret aliquid ſupra coexiſtentiam ſanguinis huius cum Petro, quod non haberet reſpectu Pauli, vel ſupra talem coexiſtentiam nihil poneret. Si primum, recidis in ſententiam, quam fugere cupiebas, ſi ſecundum, non das aliquid in ſanguine illum reſtringens ad eſſe partis huius corporis potiùs quàm alterius. Ergo in dicta hypotheſi talis deſignatio à Deo facta non ſufficeret reſtringere ſanguinem ad eſſe potiorem partem huius, quam alterius corporis. Probo minorem quoad primam partem, quidquid ſupra coexiſtentiam dictam in ſanguine ponatur, vel reddit ſanguinem intimiorem, & magis vnitum cum corpore Petri, qualiter ſic non vniat illum cum corpore Pauli, vel non, ſi hoc, ad quid recurris ad deſignationem? ſi primum. Ergo cùm illud additum arctiùs vniet ſanguinem A, cum corpore Petri, iam tale additum eſſet de genere vnionis, & cùm verſaretur inter partes ſubſtantiales, cenſeretur modus ſubſtantialis. Ergo ſicut in hoc caſu, vt talis ſanguis ſit determinatè pars corporis Petri, ne- 145.

ceſſa

ceſſariò deſideras modum vnionis nectentem ſanguinem vltra iſtius coexiſtentiam cum corpore Petri. Cur abſolutè non recurris ad prædictum modum vnionis ſupra coexiſtentiam ſanguinis cum Petri corpore, vt defendas illum eſſe partem eſſentialem corporis Petri, contentus manens ad id aſſerendum cum ſola coexiſtentia vtriuſque, vt doces *num* 27? ergo ſi talis deſignatio à Deo facta aliquid ponit in ſanguine, recidis in ſententiam, quàm fugere prætendebas.

146. Reſpondere poteris ex doctrina Cardinalis, deſignationem illam à Deo factam addere aliquid ſupra coexiſtentiam vtriuſque vbicationis ſanguinis videlicet, & corporis Petri, ſed tamen additamentum illud non eſſe vnionem veram, hoc eſt, ſubſtantialem, ſed accidentalem.

147. Sed replicabis, id quod dicta deſignatio addit per ſe, ſpectat ad genus vnionis. Ergo vel eſt ipſa coexiſtentia ſanguinis cum corpore Petri, vel eſt vnio ſubſtantialis inter ſanguinem, quæ eſt pars Petri, & ipſum Petrum. Antecedens eſt doctrina Lugi, conſequentia videtur clara, etenim vel illud, quod ponit deſignatio ſpectans ad genus vnionis, eſt intrinſeca vnio nectens ſanguinem cum Petro, vel eſt vnio extrinſeca vtrique, ſi illud, erit vnio ſubſtantialis modalis. Si hoc, erit ipſa coexiſtentia vtriuſque præſentiæ. Ergo id, quod addit deſignatio ſpectans ad genus vnionis, vel eſt vnio ſubſtantialis inter ſanguinem Petri, & ipſum Petrum medians, vel ſolùm vtriuſque vbicatio coexiſtens. Antecedens probo quoad primam partem, etenim hucuſque nullum eſt efficaciua ſignum vnionis intrinſecæ ſubſtantialis modalis à cunctis admiſſum, quàm eſſe vinculum intrinſecè nectens duas partes, ſubſtantiales, vel dicat Cardinalis, quid amplius deſideretur ad dignoſcendum vnionem aliquam eſſe intrinſecè modalem ſubſtantialem; tunc ſic: ſed ſanguis, & corpus Petri ſunt partes ſubſtantiales, ergo vnio per illam deſignationem addita, ſi illas partes intrinſecè copular, erit ſubſtantialis. Nunc probo antecedens quoad ſecundam partem, ſi illud, quod deſignatio ponit, eſt vnio extrinſeca ſanguini, & corpori Petri, dicat Lugus in quo differat talis vnio ab vbicatione coexiſtente vtriuſque extremi, ſanguinis videlicet, & corporis Petri? non deſignabit differentiam. Ergo ſuperfluit, quod fingis talem deſignationem addere; imo fingis aliquid addere talem deſignationem ſuper prædictam coexiſtentiam; etenim ſi illud quod addit eſt intrinſecum extremis, erit aliquid ſubſtantiale, quod renuis, ſi eſt extrinſecum, erit ipſorum extremorum coexiſtens vbicatio. Ergo talis additio fingitur.

148. Præterea, nam ſuppoſita prædicta deſignatione Dei, adhuc ſanguis deſignatus, vt ſit pars Petri, æquè eſſet pars corporis Pauli. Ergo adhuc poſita prædicta deſignatione difficultas argumenti *num.* 143. allati manet & in ſuo robore. Antecedens patet, nam data prædicta deſignatione, ſanguis deſignatus æquè coexiſteret corpori Pauli, ac corpori Petri, cùm ſupponamus, ambos, & eorum venas, in quibus commoratur ſanguis, eſſe penetratos. Sed hæc coexiſtena vbicatio ſufficeret, vt ſanguis deſignatus æquè eſſet pars corporis Pauli, ac corporis Petri. Ergo ſuppoſita prædicta deſignatione Dei, adhuc ſanguis deſignatus, vt ſit pars Petri, æquè eſſet pars corporis Pauli. Probo minorem, Cardinalis de Lugo admittit hunc caſum, in quo Deus auferat à Petro duas vncias ſanguinis, & illum poneret in venis Pauli, iam tunc, talis ſanguis eſſet pars Pauli, & ſanguis illius; & reddit rationem, quia talis ſanguis coexiſteret vbicationi corporis Pauli. Ergo illa coexiſtens vbicatio in noſtro caſu ſufficeret, vt ſanguis deſignatus æquè eſſet pars corporis Pauli, ac corporis Petri.

Sed reſpondere poteris, in noſtro caſu, ſanguis ille eſſet deſignatus, vt eſſet pars Petri, & non Pauli, quia id exigeret Petrus, & non Paulus, ſiquidem talis ſanguis eſſet procreatus ab hepate Petri, & non ab hepate Pauli. 149.

Sed replicabis, ſanguinem illum eſſe procreatum ab hepate Petri non ſufficit, vt deſignetur potior pars corporis Petri, quàm corporis Pauli, in caſu, quo ambo penetrentur. Ergo ruit ſolutio. Probo antecedens, nam cum hoc, quod eſt ſanguinem illum eſſe ab hepate Petri procreatum, & non ab hepate Pauli, compatitur non poſſe Deum in aliquo caſu deſignare illum ſanguinem, vt ſit pars corporis Petri. Ergo ſanguinem illum eſſe procreatum ab hepate Petri, non ſufficit, vt deſignetur potior pars corporis Petri, quàm corporis Pauli, in caſu, quo ambo penetrentur. Antecedens probo, nam in caſu, in quo à Petro auferrentur duæ vnciæ ſanguinis, & eas poneret in venis Pauli, non poſſet Deus deſignare illum ſanguinem, vt eſſet pars corporis Petri, & tamen talis ſanguis eſſet ex hepate Petri procreatus. Ergo cum hoc, quod eſt ſanguinem illum eſſe ab hepate Petri procreatum, & non ab hepate Pauli, compatitur non poſſe Deum in aliquo caſu deſignare ſanguinem illum, vt eſſet pars Petri. Antecedens eſt doctrina Cardinalis de Lugo *num.* 30. Conſequentia bene infertur. Tunc ſic: ergo nec in hypotheſi noſtra valebit Deus deſignare ſanguinem, qui ſit pars corporis Petri, excludendo ab eo, quòd ſit pars corporis Pauli. Probo hanc conſequentiam. In noſtra hypotheſi ſanguis ille non poſſet non eſſe coexiſtens cum corporibus Petri, & Pauli, quamuis ſolùm ſit productus ab hepate Petri; ergo nec in noſtra hypotheſi valebit Deus deſignare ſanguinem aliquem, qui ſit pars corporis Petri, excludendo illum à ratione partis corporis Pauli. Antecedens eſt ipſa hypotheſis inuoluens penetrationem vtriuſque corporis. Conſequentiam probat Paritas, nam ideo in primo caſu, quamuis ſanguis ille ſit ab hepate Petri productus, nequit deſignari à Deo, vt ſit pars ſui corporis, quia illi non coexiſtit; ſed in noſtra hypotheſi, quilibet ſanguis coexiſtit vtrique corpori Petri, & Pauli. Ergo quamuis ſanguis vnus ſit ab hepate Petri productus, non poterit deſignari à Deo, vt pars corporis Petri excludendo illum à ratione partis corporis Pauli. 150.

Reſpon

151. Reſpondeo ergo replicæ adductæ *num.* 143. concedens maiorem, & negans minorem. Ad probationem admitto caſum, & omnes conſequentias exinde illatas, & nego minorem; ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Etenim vt ſanguis aliquis ſit pars corporis, *A*, & non corporis, *B*, non attenditur, quod producatur ab hepate corporis, *A*, & non ab hepate corporis, *B*, ſed præciſè ad coexiſtentiam ſanguinis cum corpore, *A*, cuius ſit capax cum corpore, *B*, vt patet in exemplo adducto ex Cardinali de Lugo de ſanguine genito ab hepate Petri & immiſſo in venis corporis Pauli, cuius dicitur ſolùm ſanguis ille pars, & non Petri; & ratio ſuadet, quia illud eſt alicuius pars, cum quo vniri dicitur. Cùm ergo pars illa, quæ liquida eſt, corpori illi vniri dicitur, cui coexiſtit, & ex alia parte in hypotheſi penetrationis, quilibet illorum ſanguinum coexiſteret tam Petri, quàm Pauli corpori, ſit, vtriuſque quemlibet illorum ſanguinum eſſe cenſendum partem.

Sed quæres, quid dicendum de diſtributio-
152. ne ſanguinum illorum, caſu quo Petrus, qui eſt cum Paulo penetratus, ad alium locum ſe conferret? reſpondeo cum Lugo *num.* 30. tunc Deo incumberet Petro deſignare partem vnam ſanguinis, quam ſecum ferret, aliam deſignando ſanguinis portionem Paulo, vnicuique conformiter ad exigentiam ſui corporis fouendi.

Secundò argues, ex noſtra reſolutione ſe-
153. quuntur varia incommoda. Primum, per communicationem idiomatum ſanguinem eſſe Deum, & Deum eſſe ſanguinem, ſicut dicitur Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Ratio eſt eadem, nam ideo hanc communicationem admittimus omnes, quia Deus immediatè humanitatem aſſumpſit, ſed per non Deus immediatè ſanguinem aliquem immediatè aſſumpſit, ergo illa prima communicatio eſt admittenda.

Reſpondeo negans ſequelam, ad probatio-
154. onem diſtinguo maiorem, ideo communicatio prima admittitur, quia Deus immediatè humanitatem aſſumpſit, ratione præciſè immediatæ aſſumptionis, nego, ratione illius, & quia humanitas taliter eſt completa, vt nullo modo ei eſſe partem competat, concedo, & concedo minorem, & nego conſequentiam, quia ſanguis tametſi aliquo modo natura completa ſit, habet tamen rationem partis corporis, vt probatum eſt: communicatio tamen idiomatum, vt videbimus *tom. 2. tractatu vltimo*, non habet locum, niſi inter ea, quæ nullo modo habent rationem partis, ſed inter naturas omnino completas, & integras ſumptas in concreto.

Sed replicabis, quamuis ſanguis ſit vera
155. pars corporis, ſi tamen immediatè vnitur verbo, datur totum requiſitum ad verificandam communicationem idiomatum. Ergo ruit ſolutio, non minùs; imo magis dicitur anima rationalis pars humanitatis, quàm ſit ſanguis reſpectu corporis, & tamen quia immediatè verbo vnita ratione illius dicitur verbum ad inferos deſcendiſſe. Ergo quia ſanguis eſt immediatè verbo vnitus, quamuis ſit corporis pars, ratione illius poterit dici de verbo, quòd ſit ſanguis, vel quòd verbum ſit effuſum ratione ſanguinis effuſi.

Confirmatur, nam non minùs caro Chriſti eſt pars humanitatis, quàm ſanguis, dicatur pars corporis, & tamen quia immediatè vnita cum verbo, ratione illius, quæ in ſepulchro iacuit, dicitur verbum iacuiſſe, & in ſepulchro ſepultum. Ergo licèt ſanguis ſit corporis pars, quia tamen vnitus immediatè verbo, ratione illius, qui verè effuſus eſt, poterit dici verbum effuſum. At hæc eſt communicatio idiomatum. Ergo hæc verificari poteſt inter ea, quæ aliquam rationem partis ſortiri videntur.

Reſpondeo negans antecedens; ad proba- 156.
tionem, diſtinguo maiorem, anima non minùs eſt pars humanitatis, quàm ſit ſanguis corporis, in ratione incompletionis, concedo, in ratione principalitatis etiam in ratione partis, nego maiorem, & diſtinguo minorem, & tamen, quia immediatè verbo vnita ratione illius ad inferos deſcendentis, dicitur, verbum ad inferos deſcendiſſe; ita vt hoc ſit verum ratione immediatæ vnionis cum verbo, nego minorem; ratione illius, & inſuper, quia anima eſt principalis pars humanitatis, concedo minorem, & nego conſequentiam, & ſub eadem forma diſtinctionis eſt ſoluenda confirmatio. Itaque iuxta communem phraſim loquendi non eodem modo, nec idem fundamentum partes componentes aliquod totum præſtant noſtris iudiciis, vt de quauis parte efferamus idem prædicatum, quod alias de toto prædicamus. Etenim partes æquè principaliter non ingrediuntur compoſitionem totius, quædam magis, aliæ minùs principaliter illud dicuntur aſtruere. Hoc enim modus ipſe loquendi, quem frequenter experimur, munit, etenim ſi præcidas manum ab homine, & quæſitus, quid feciſti? non reſpondebis, te hominem præcidiſſe, ſed hominis manum. Ruſum, ſi chirurgus venam ſcindens ſanguinem effundere faciat, & eum in vaſe cuſtodiendum reponat. Si quæratur ab aliquo quid ſit operatus? non reſpondebit, feci effundere hominem, & illum in vaſe repoſui, ſed præciſè, effundere feci ſanguinem & illum in vaſe ſeruaui. Contrarius modus loquendi apud omnes inualuit in aliis euentibus, nam qui conſpicit corpus Petri ſepultum, ſi interrogetur quid videat, reſpondebit, Petrum ſepultum: & tamen ibi ſolum corpus ſepultum eſt, ſi tamen petatur, vbi ſit ſanctus Petrus, reſpondebit in cælo, cùm certum ſit, ibi ſolùm eius animam commorari, iſti enim tam diuerſi modi loquendi ſunt, vſitatiſſimi, in quibus ita ſermo eſt de aliquibus partibus, ac ſi reuera eſſent perfecta tota; & hoc fundatur in maiori nobilitate, quæ in prædictis partibus collucet, de aliis verò partibus, quæ aliis ſunt ignobiliores non ſolùm in re differunt à toto, ſed etiam quoad locutionem ab eo diſcriminantur. Quare cum in exemplis argumenti & confirmationis ſit ſermo de anima, & corpore, quæ inter hominis partes primam ſedem occupant, ſit, quod ratione vnionis illarum cum verbo ea, quæ dicuntur de illis, & de verbo per communicationem verificentur, ſicut ob eandem rationem verificantur de homine etiam ſeparata ab illis vnione hypoſtatica, vt manifeſtaui in exemplis vltimis: cùm verò ſanguis ſit valde exigua pars hominis, ſicut de

homi

homine nunc exiſtente non dicuntur ea, quæ dicuntur de ipſo ſanguine, vt dederunt exempla priora; ita nec dicentur de verbo per communicationem, & ſic licèt ratione animæ deſcendentis ad inferos dicatur de verbo illi vnito ad inferos deſcendiſſe, & ratione carnis ſepultæ, & verbo vnitæ dicatur de verbo ſepultum; non tamen de ſanguine vnito verbo dicetur eſſe Deus, nec quia ipſe effuſus eſt, dicetur de verbo effuſum fuiſſe.

158. Argues tertiò, ex noſtra ſententia ſequuntur illa duo incommoda, Deum videlicet immediatè aſſumpſiſſe phlegmata; necnon & aërem. Conſequens eſt falſum, ergo & reſolutio noſtra. Sequelam primi probo, quia non eſt maior ratio, cur ſanguis aſſumatur, & non aſſumatur phlegma, ſequelam ſecūdi oſtendo, quia ſi ſanguis per nos eſt pars aſſumpta à verbo immediatè, quia ſine illo non poſſet verificari corpus viuum fuiſſe aſſumptum, cum vita huius ſine ſanguine conſiſtere nequeat, vt diximus, ita ſine aëre reſpirationis corpus humanum non valet conſiſtere, atque adeo erit sēt pars corporis viui immediatè aſſumpta, falſitas primæ ſequelæ conſtat ex eo, quòd ſi phlegma eſſet aſſumptum, iam aliquid expuebat aſſumptum cum verbo, dum Chriſtus expuebat; quod eſt falſum, falſitatem ſecundæ ſequelæ comprobat vox communis.

159. Reſpondeo negans ſequelam vtriuſque incommodi; ratio negandi primam eſt, quia phlegma expuibile non eſt humor inter vtiles connumeratus, vt vidimus *num.* 143. atque adeò non eſt pars corporis conſtitutiua; & conſequenter nec à Deo immediatè aſſumptibilis. Ratio negandi ſecundi incommodi ſequelæ eſt, quia vt aſſeramus ſanguinem eſſe aſſumptum à Deo, habemus fundamentum in ſcriptura inter aſſumpta à Deo ſanguinem narrante, vt vidimus in locis ſæpe allatis, vt autem defendamus aërem à verbo aſſumptum fuiſſe, nullum eſt fundamentum in ipſa ſcriptura & ſanctis. Rurſum myſterium Euchariſtiæ dat occaſionem etiam concedendi aſſumptionem ſanguinis, & negandi aſſumptionem aëris, nam in Euchariſtia nec adhuc per concomitantiam ponitur aër, ſanguis verò ex vi verborū ponitur.

160. Argues quartò: ſi concluſio eſſet vera ſieret verbum vnicam naturam minimè aſſumpſiſſe, ſed plures; conſequens eſt contra communem modum loquendi Patrum. Ergo &c. Probo ſequelam; etenim ſanguis diuerſa eſt natura ab humanitate, quam diximus ex fide eſſe aſſumptam. Ergo ſi ſanguinem aſſumpſit, plures naturas Deus aſſumpſit. Confirmatur, nam ſanguis non eſt pars humanitatis, quia ſolùm ea, quæ anima rationali informantur, ſunt partes humanitatis. At probabilius eſt, ſanguinem non informatum anima rationali. Ergo non eſt pars humanitatis. Ergo eſt alia natura aſſumpta diſtincta ab humanitate, quæ aſſumitur; ergo plures naturas verbum aſſumpſit.

161. Reſpondeo negans ſequelam, ad probationem diſtinguo antecedens, ſanguis eſt diuerſa natura ab humanitate, completa, nego, eſt diuerſa natura incompleta, concedo, & nego conſequentiam intellectam de diuerſis naturis completis: vnde licèt ſanguis ſuam materiam & formam obtineat peculiarē, quia tamen ſanguis ex illis reſultans ad integrandum corpus viuum eſſentialiter ordinetur, quod eſt in ratione entis incompleti, & partis conſtitui, ideo aſſumere illum non eſt aſſumere abſolutè diſtinctam naturam ab humanitate, nec plures naturas, nam vt ait Ariſtoteles *lib. 2. topic. cap. 2.* vbi ſunt plura propter vnum, non eſt dicendum, eſſe plura, ſed vnum. Confirmatio nihil amplius difficultatis auget, etenim antecedens & eius probatio ſunt falſa.

Argues quintò, nam ſemel conceſſo, aut permiſſo animam non informare ſanguinem; fit, ſanguinem ſua propria ſubſiſtentia gaudere, diſtincta à ſubſiſtentia hominis, vt de ſe patet. 162.
Ergo verbum ſanguinem non aſſumpſit hypoſtaticè, patet conſequentia, nam id hypoſtaticè ſibi vniuit verbum, cuius ſubſiſtentiam propriam ſuppleuit, ſed ex Patribus ſcimus, verbum ſolum ſubſiſtentiam humanam ſuppleuiſſe. Ergo ſolum in homine id ſibi hypoſtaticè vniuit verbum, quod ſolum propriâ humanâ ſubſiſtentiâ terminari debuit. Tunc ſic: ſed ſanguis hominis ſubſiſtentiâ terminari nequit, vt vidimus. Ergo illum ſibi minimè copulauit hypoſtaticè verbum.

Confirmatur, quia partes, quæ diſtinctum compoſitum aſtruunt ab humano, diſtinctam habent ſubſiſtentiam ab humana, ſed ſi ſanguis eſſet diſtinctum compoſitum ab humano. 163.
Ergo diſtinctam ſubſiſtentiam habebit ab humana. Maior eſt certa, nam pro numero compoſitorum ex materia & forma multiplicantur ſubſiſtentiæ, ſiquidem iſtæ cùm ſint eſſentialiter modi naturæ completæ, & ex alia parte modus vnus agnoſcat neceſſariò vnum ſubiectum, quod modificet, fit, ſubſiſtentias multiplicari debere pro compoſitorum multitudine. Ergo ſi materia, & forma ſanguinis ſunt diſtinctæ à materia & forma hominis, iam ex illis elaborabitur diſtinctum compoſitum ab eo, quod ex materia, & anima fit; atque adeo compoſita hæc diſtinctas, quibus terminentur, ſubſiſtentias ſibi vendicabunt.

Reſpondeo notans ex dictis, ſanguinem, 164.
quamuis habentem diſtinctas partes ipſum componentes, eſſe veram partem naturæ humanæ, quatenus de ſe petit intimam præſentiam cum illa, vt ſimul cum carne componat hominem viuum, vnde in carne ad ſanguinem & in hoc ad illam datur mutua & eſſentialis exigentia, vnde compoſitum hoc, *homo*, vel ſumitur eſſentialiter, purè quaſi metaphyſicè, & ſic dicitur componi ex partibus eſſentialibus materia ſcilicet & forma & modo ſubſtantiali vnionis, vel ſumitur vt totum eſt eſſentiale integrale, & ſic claudit partes ſubſtantiales, ſed inuoluentes aliquid accidentale; claudit ſanguinem, & carnem, quæ ſunt ſubſtantiales, & illarum coniunctionem, quam vtriuſque coexiſtentem vbicationem eſſe diximus & hanc eſſe accidens annotauimus. Fatemur, in homine ſecundùm iſtam duplicem conſiderationem reperiri duas ſubſiſtentias. Prima, qua partes eius vnitæ ſubſtantialiter terminantur, quæ ſequitur ad animam rationalem. Secunda, qua partes eius accidentaliter copulatæ ſubſiſtere dicuntur. Verumenimuero vtraque ſubſiſtentia

dici

dicitur humana; ratio, nam vtraque terminat partes eſſentialiter ordinatas ad componendum hominem, quædam eſſentialiter, & quædam integraliter. Vnde ſicut ſanguis exiſtens in venis hominis dicitur verè humanus, quamuis anima rationali non informetur, quia ordinatur ad communicandum, ſeu conſeruandum vitam in carne hominis, eius ſubſiſtentia, qua ipſe ſanguis terminatur, humana non dicetur, quamuis ad animam rationalem non ſequatur, quia videlicet terminat ſanguinem ordinatum eſſentialiter ad carnem, quæ anima rationali informari dicitur.

165. Ex his reſpondebis in forma ad argumentum, concedo antecedens, & nego conſequentiam; ad probationem, totum entimema concedo, & diſtinguo minorem: ſed ſanguis hominis ſubſtantiâ terminari nequit, quæ ſit hominis, ad animam rationalem ſequuta, concedo, quæ ſit hominis, hoc eſt, quæ ſequatur ad formam ordinatam eſſentialiter ad partem anima rationali informatam, nego minorem. Itaque vt vidimus numero antecedenti, ſubſiſtentia ſanguinis eſt humana, non eo modo, quo ſubſiſtentia compoſiti ex materia, & forma rationali, dicitur humana, quia hæc ſic appellatur, quia ſequitur ad animam, quæ tali compoſito dat ſimpliciter denominationem hominis: at verò ſubſiſtentia hæc ſanguinis non ſequitur ad animam, quia ſupponimus, ſanguinem illa non informari: ſed quia ſequitur ad formam quæ ſimul cum toto ſanguine eſſentialiter ordinatur ad carnem, quæ anima rationali, quæ dat hominis denominationem, informatur, dicenda eſt humana: quare cum hanc ſupplere dicatur verbum, fit, ipſum vtramque ſubſiſtentiam ſuppleuiſſe, & vtrumque compoſitum, & partes ſuas hypoſtaticè ſibi perfectè vniuiſſe, & ex his confirmationi ſatisfacies.

166. Sed replicabis, ſolutio hæc cum principiis SS.D. non cohæret. Etenim ipſe *hic q.6. art. 1.* aſſerit, verbum non aſſumpſiſſe corpus niſi mediante anima. Ergo ſentit id, quod informatum anima non eſt, minimè fuiſſe aſſumptum ab illo, nam quod alicubi non eſt, non poteſt eſſe ratio vt ibidem aliud ſit. At per nos ſanguis anima rationali non informatur. Ergo iuxta mentem SS.D. mediante anima non fuit à verbo aſſumptibilis. Ergo nec aſſumptus, cum illi deficiat ratio aſſumptibilitatis.

167. Reſpondeo, aſſertum SS. Præc. nempe verbum non aſſumpſiſſe corpus niſi mediante anima eſſe verum, quippe corpus eſt hominis altera præcipua pars, ob cuius cauſam præcipua altera parte, vt aſſumeretur, informari debuit; ſed hoc non tollit, vt etiam mediante ipſa anima ſanguis ipſe à verbo aſſumeretur, quamuis eius aſſumptio non mediante anima informante, ſed mediante illa ſanguinem conſeruante effectiuè, fieri debuiſſet. Ratio, quia vt vidimus, & ſanguis exigit conſeruari in carne, & hæc exigit illum, vt conſeruetur. Vnde cùm caro, vt conſeruet ſanguinem, anima rationali informetur, à qua tanquam à radice conſeruatio partium hominis promanat, fit, quòd ſanguis eſſentialiter dicatur dependere ab anima, non vt illum immediatè informante, ſed ab illa aliàs carnem informante ipſum ſanguinem conſeruante effectiuè.

Sectio III.

Verbum diuinum aſſumpſit totum ſanguinem immediatè, ſicut totum corpus viuum aſſumpſit.

SEctione præcedenti reſoluimus verbum diuinum immediatè aliquem ſanguinem aſſumpſiſſe, eo modo, quo dicitur de illo carnem aſſumpſiſſe, quam concluſionem diximus eſſe omnium theologorum aſſertum dempto vno Durando. Hæc autem reſolutio non ſolùm aliquem ſanguinem, ſed totum in corpore viuo repertum defendit aſſumptum fuiſſe à verbo. Hæc reſolutio tot habet patronos, ac prima, præter quatuor, vel quinque infrà citandos. Variis rationibus à variis authoribus ſolet muniri, aliquas curſim attingam, & eam, quæ mihi ſemper efficacior eſt viſa, proſequar. 168.

Probant primò ex locis, & modo loquendi PP. quæ *ſect. antecedenti* adduximus, ſancti enim PP. indifferenter loquuntur, & eodem verborum tenore de aſſumptione carnis, ac de ſanguinis aſſumptione, vt patet *ex hebræo n. 2. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vbi pariter de carnis, & ſanguinis aſſumptione* Sanctus Paulus ſermonem præſtat, & Nazianzenus *orat. illa* 50. ait: verbum verè caro factum eſt, quia aſſumpſit corpus ex carne, oſſibus, & ſanguine conſtans. vbi vniuerſaliter loquitur de quouis ſanguine humanum corpus integrante, & eodem modo de ſanguine, ac de carne, & oſſibus, quæ ſine dubio omnia fuerunt à verbo immediatè aſſumpta. 169.

Hæc & alia teſtimonia, quæ non recito, ne repetam quæ *ſectione antecedenti* dederam, contrarij ita interpretantur contra Durandum, vt aſſerant, intelligenda eſſe de aſſumptione immediata ſaltem reſpectu alicuius ſanguinis, & quæſiti, cur de immediata ſanguinis aſſumptione talia verba calleant, reſpondent, quia verba illa eodem indefinito, & pari metro loquuntur de carnis, ac de ſanguinis aſſumptione: cùmque ex alia parte apud omnes ſit certum, carnem immediatè fuiſſe à verbo aſſumptam, inferunt contrarij. Ergo iuxta ſanctiſſimorum Patrum aſſerta ſanguis aliquis immediatè fuit aſſumptus à verbo. At ratio hæc ſuadere debet etiam in illorum ſententia totum ſanguinem eſſe aſſumptum. Probo, non minùs in prædictis verbis reticetur hæc vox *immediatè*, ac vox iſta, *totum*. Sed non obſtante reticentia iſta, defenditis, aliquem ſanguinem eſſe immediatè aſſumptum, quia caro eſt immediatè aſſumpta. Ergo tametſi vox illa, *totum*, reticeatur in prædictis authoritatibus, ſi ſemel aduerſarij fatentur, carnem totam aſſumptam fuiſſe à verbo, tenebuntur admittere, totum ſanguinem etiam verbum aſſumpſiſſe. 170.

Omiſſis rationibus, quas docti Recentes in probationem noſtri aſſerti adhibent, vnam vel 171.

alte

alteram proſequar vt mihi videtur ſatis efficacem. Prima ergo totam vim reponet in deſtruendo fundamentum contrariorum. Caietanus ergo *infra quæſt.* 54.*art.* 2.quem ſequuntur ſylneſter *quæſt.* 31.*in ſua roſa aurea tract.* 5. Aluarez *hic diſp.* 28.& probabiliter eam ſententiam ſequitur Cippullus *hic quæſt.* 5.*art.* 1.§.4.*num.* 15. & eam videtur ſequi Ouandus *in* 4.*diſtinct.* 10. *propoſit.* 3. defendit duplicem ſanguinem eſſe, quendam naturalem ſiue vitalem,& alium nutrimentalem. Naturalem vocant ſanguinem illum, qui habet perfectam formam ſanguinis,& in ea perſiſtit, quatenus eſt ſanguis, qui eſt in venis, & arteriis. Nutrimentalem verò, qui nondum eſt ſanguis perfectus, vocat. De illo aſſerit Caietanus, eſſe immediatè à verbo aſſumptum; non verò iſtum.

172. Diſtinctionem hanc ſanguinum tradictus vellem euertere, qua in re ſi ſolùm non eſt arbitrium loquentis conſulendum; non alia via ſecuriori inceſſiſti ſumus, niſi ea, quàm deſignant DD. peritiſſimi in arte medica quibus incumbit examini ſerio tradere noſtri corporis ſtructuram ex carne, oſſibus, venis, fibris, homotibus arteriis &c. conſtantem: iſtorum enim aſſertis concrediti ſunt omnes, qui in eruendis difficultatibus ad corporis fabricam ſpectantibus, in errorem prolabi prudenter timent. Quidni de venis, arteriiſve purè Theologo? niſi è medicorum oraculis reſponſionem mutuet? igitur ſi prudenti meditatione in reſoluenda diſtinctione, vel indiſtinctione ſanguinis in nutrimentalem,& naturalem proceſſuri ſimus, non ad purè Theologos, (ſi inconſultis medicis rem iſtam contemplentur) permittendus eſt nobis tecur ſus, ſed ad principia, quæ medici docti ea prionbus antesignanis ebiberunt, eſt concedendus aditus. Hoc notato.

173. Figamus principia medica & vtamur voce ſanguinis nutrimentalis, quia cum Caietano vtuntur iſti authores citati: etenim ſi ſanguis nutrimentalis eſt humor crudus, nondum perfectè formam & naturam ſanguinis aſſecutus, vt iſti aſſerunt, dupliciter apud peritiſſimos medicos poteſt ſumi, vel pro illo, qui chymus, & chilus eſt, vel pro illo, qui à venis allectus, & fuctus in poris deficit à forma ſanguinis, & induit formam roris, & cambij, ea quo membra immediatè nutriuntur, & appellatur ros, & cambium, vt adnertimus *ſect.* 1.*num.* 142.Non enim aliter poteſt accipi ſanguis ille à Caietano nutrimentalis appellatus, & licèt eum non ita expenderit, tamen hanc duplicem acceptionem, ſecundùm quam ſanguis poteſt, & non aliter, nutrimentalis appellari admittit Syluester ſupra citatus. Atqui nullo ex his modis acceptus poteſt dici verus ſanguis. Ergo ruit doctrina allata. Probo minorem; etenim verus ſanguis ſolùm in venis, maximè in vena caua, vbi elaboratur, reperitur, ſed chylus, Chymus, ros, & cambium ſunt extra venam omnem. Ergo quouis modo ſumatur ſanguis nutrimentalis, ſanguis verus non eſt. Maiorem non probo, quia eſt medicum principium, lege medicos omnes, & experieris.

174. Reſpondere poteris, in venis dici verum ſanguinem inueniri, idem eſt, ac perfectum ſanguinem ibidem eſſe, ſed non tollit hoc, quominus humor ille crudus antequam ad venas affectatur, dicatur verus ſanguis nutrimentalis, ſed imperfectus.

Sed replicabis, duo falſa continet ſolutio: 175. Primum, humorem illum eſſe verum ſanguinem. Secundum, dici ſanguinem nutrimentalem. Primum patet, nam vt ſupponimus, humor ille eſt extra venas, quia eſſentialiter eſt chylus, aut chimus in eo ſtatu, in quo crudus, & incoctus eſt, quomodo ergo pro illo ſtatu veram rationem ſanguinis participabit, cùm ſolùm in venis, vbi perfectè decoquitur, verus ſanguis elaboretur? vnde humor ille vt incoctus, ſicut eſt in via ad venas, etiam eſt in via, vt verus ſanguis fit. Nec dici imperfectus poteſt, ſi ly imperfectus non excludit ab humore illo rationem veri ſanguinis: Prius enim eſt, quòd prædictus humor, vt incoctus veritatem ſanguinis participet, quàm in illo ſtatu imperfectus ſanguis dicatur. Sicut ſolet dici de imperfectis animalibus, quæ vt imperfecta animalia, ſeu viuentia iudicentur, neceſſariò debent participare veram rationem animalis, & viuentis. Sed verus ſanguis in ſententia probabiliori ſolùm in venis inuenitur. Ergo humor ille crudus nondum in venis exiſtens rationem veri ſanguinis non participabit. 176.

Secundum, videlicet humorem illum crudum non poſſe dici ſanguinem nutrimentalem oſtendo, nam licèt aliqui medici, quos ſequitur Femelius *lib.* 6.*phyſiologiæ cap.* 6.*pag.* 116.*n.* 50. chylum, & chymum, in quibus humor iſte crudus conſiſtit, appellauerint alimentum primum, tamen ſic illum appellant, vel quia ſanguis venarum ex chymo reſtauratur, vel quia eſt id, quod decoctione prima præparatur ad nutriendum; ob quam rationem talis humor crudus dicitur alimentum remotiſſimum, ſeu in potentia remotiſſima, qui humor priùs debet in venis recipi, & ibidem ſanguis verus fieri, poſt modum extra venas in poris collocari, antequam habeat completam rationem & proximam alimenti. Hoc docent authores in medicinis verſati. Ergo humor ille incoctus, qui chylus, & chymus eſt, nedum ſanguis verus, verùm nec nutrimentalis eſt appellandus. 177.

Ex hac doctrina ſumo argumentum ad probandum iterum, humorem illum crudum non eſſe dicendum verum ſanguinem, etiam imperfectum. Etenim vt humor ille verus ſanguis ſit, actu debet eſſe ſanguis, ſed non eſt actu ſanguis, ergo nec verus. Probo minorem: humor ille crudus eſt ſolùm in potentia ſanguis. Ergo non eſt actu ſanguis. Probo antecedens, humor ille ſolùm eſt in potentia proxima ad eſſendum in venis. Ergo ſolùm eſt in potentia proxima vt ſanguis ſiat. Probo conſequent m; quia humor ille crudus eſt in potentia remota, vt in poris collocetur, dicitur ſolùm in potentia remota alimentum, vt ſine diſcrimine cuncti medici docent. Ergo eſſe in potentia proxima vt talis humor in venis ſit, ſufficiet, vt humor ille ſit in potentia proxima tantùm, vt fiat ſanguis. Conſequentiam probat vniſona paritas. Etenim ſolus humor in poris exiſtens eſt actu alimentum, qui humor ros & cambium appellatur, quod expreſsè docet conciliator *difficult.* 33.*articulo* 3.

ad finem, quem vix omnes ſequuntur. Rurſum ſolus humor in venis exiſtens actualiter ſanguis elaboratur, vt ebibimus cuncti ex medijs. Ergo quemadmodum humor ille crudus extra poros exiſtens, eſt in potentia remota, vt alimentum ſit, quia eſt in potentia remota vt in poris ſit, ita cum idem humor crudus ſit in potentia, vt recipiatur in venis, vbi actu ſanguis efficitur, erit, antequam recipiatur in illis, tantùm in potentia ſanguis.

178. Reſpondere poteris, ſanguinem nutrimentalem cenſendum eſſe humorem illum ſecundarium in poris exiſtentem, qui ros, & cambium à medicis nuncupatur.

Sed replicabis primò: ergo iam ſanguis nutrimentalis non erit humor crudus, & incoctus, vt docuit Caietanus. Probo conſequentiam, ſiquidem ros & cambium ſunt humores in tertia decoctione conſtituti, & vltima depuratione, vt omnes vniformiter tenent. Ergo ſi ſanguis nutrimentalis cenſetur ros, & cambium, iam ſanguis ille non erit humor crudus, & incoctus. Quod eſt deſerere Caietanum, qui ad noſtrum intentum fuit author ſanguinis nutrimentalis.

179. Secundò; quia etiam talis humor nequit eſſe ſanguis nutrimentalis. Ergo ruit ſolutio. Probo antecedens, nam ſanguis nutrimentalis per vos eſt verus ſanguis, ſed humor ille ſanguis verus non eſt. Ergo non eſt ſanguis nutrimentalis. Probo minorem, humor ille receſſit à venis. Ergo humor ille ſanguis verus non eſt. Probo conſequentiam: humor ille crudus, de quo ſupra, quia non accedit ad venas, ſanguis verus non eſt. Ergo humor iſte decoctus, quia à venis receſſit, ſanguis verus non eſt, antecedens probauimus ſuprà, conſequentiam probat paritas. Etenim ideo negatio acceſſus ad venas impediuit, ne humor ille crudus ſanguis verus eſſet, quia verus ſanguis elaboratur in venis, ſed humor iſte decoctus, nempe ros, & cambium per receſſum à venis, in illis non ſunt. Ergo talis receſſus impedit in illo rationem ſanguinis veri, ſicut in altero negatio acceſſus impediuit, ne rationem ſanguinis veri ſortiretur.

180. Tertiò: quia ideo humor iſte decoctus tranſijt de eſſe in potentia remota, vt ſit alimentum, ad eſſe actu alimentum; quia receſſit à prima decoctione in qua chylus, & chymus fit, vel aliter, ideo deſinit eſſe chylus, & chymus, quia peruenit ad poros, qui vt rorem, & cambium elaborent, ſupponunt decoctionem primam, in qua chylus, & chymus fit, ſed idem ros, & cambium nequit in poris elaborari, quin ſupponatur ſecunda decoctio in venis abſoluta, in quibus ſanguis fit. Ergo quemadmodum ſuppoſita prima decoctio impedit, ne ros, & cambium in poris exiſtens ſit chylus, & chymus, aut quòd ſit ſolùm in potentia remota ad eſſe alimenti; ita ſuppoſita ſecunda decoctio, quæ in venis fit, vt ſanguis verus fiat, impediet, ne ros, & cambium cenſeantur iam verus ſanguis.

181. Ex his infero. Ergo quamuis verbum ſanguinem illum nutrimentalem non aſſumpſerit, non bene deducitur, totum ſanguinem non aſſumpſiſſe, ſiquidem vt probauimus, nutrimentalis ille humor incoctus verus ſanguis non eſt, ex alia parte admittitur, totum ſanguinem naturalem fuiſſe à diuino verbo aſſumptum. Ergo ex eo quòd verbum ſanguinem nutrimentalem non aſſumpſerit, non bene infertur, ipſum totum ſanguinem non aſſumpſiſſe.

Verùm his non obſtantibus veneror diſtinctionē illam ſanguinis in nutrimentalē, & vitalem ſeu naturalē quippe admiſſam ab eminentiſſimo Cardinali Caietano, in omnium diſciplinarum genere verſatiſſimo doctore, nec alienam eſſe ſententiam iſtam à mente medicorum ſuſpicor, quia quamuis omnes ſanguinem, qui eſt in venis, appellent membrorum nutrimentum; omnes tamen concedunt eum immediatè non nutrire, ſed mediante rore & cambio in poris exiſtente, vt teſtatur Valleſius *lib. 1. contr. cap. vlt. pag. 50. col. 2. in principio.* Auicenna, conciliator, & omnes Arabes idem defendunt, & pro viribus Fernelius *lib. 4. phiſiologiæ cap. 5. ad finem.* Quapropter admiſſa ſententia Caietani nempe dandum eſſe ſanguinem nutrimentalem, qui licèt imperfectus, verus tamen ſanguis ſit, tenere debemus, verbum illum etiam aſſumpſiſſe, vt probatum vna vice relinquamus ſanguinem totum corporis viuentis à verbo diuino fuiſſe hypoſtaticè aſſumptum. 182.

Suppono tria placita, ex quibus totus diſcurſus conficietur. Primum, definitum eſſe contra Neſtorium & ſui ſimiles, Chriſtum ratione naturæ humanæ fuiſſe verè genitum à Maria ſanctiſſima. Secundum, eſſe philoſophiæ ſecuriſſimum dogma, quemcunque genitum eſſentialiter petere ex vi ſuæ generationis naturam, vel partem naturæ accipere, vt principium coniunctum à ſuo principio generante, vt patet ex definitione generationis ab Ariſtotele tradita, nempe, *origo viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Vbi Ariſtoteles, & cuncti, per ly *principium coniunctum* intelligenda venit pars aliqua naturæ à generante effluens, & immiſſa in genitum ex vi generationis. Tertium, Caietanum docuiſſe 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 12. §. *ad euidentiam quæſtionis.* ex ſententia Ariſtotelis, quòd ſemen fœminæ non eſt humor ſeminalis, ſed eſt ſuperfluitas proprij vteri; atque adeo, filios à ſuis matribus ex vi generationis ſolùm accipere ſanguinem non naturalem, aut vitalem, ſed excrementitium. His datis. 183.

Rationem formo: ergo propoſitio eſt vera. Chriſtus ratione naturæ humanæ verus filius à Maria ſanctiſſima genitus vi ſuæ generationis accipere debuit aliquam naturæ humanæ partem tanquam principium coniunctum, hoc eſt, deciſam à Virgine genitrice & in Chriſtum transfuſam. Conſequētia patet ex ſecundo placito Ergo verbum diuinum non ſolùm aſſumpſit immediatè ſanguinem naturalem, & vitalem, ſed etiam ſanguinem nutrimentalem. Probo conſequentiam, nam ea pars naturæ humanæ, quam ex vi generationis mater communicauit Chriſto, fuit à verbo aſſumpta. Ergo hoc nedum ſanguinem naturalem, ſed & nutrimentalem aſſumpſit. Antecedens patet, nam Verbum aſſumpſit immediatè id, vi cuius communicationis Chriſtus vt homo erat verus Filius V. ſed ſi non aſſumeret verbū immediatè 184.

eam

eam partem, quam ex vi generationis mater communicauit Chriſto, non aſſumeret id, vi cuius commonicationis Chriſtus, vt homo, erat verus Filius virginis. Ergo verbum diuinum aſſumpſit immediatè partem illam, quam vi generationis mater communicauit Chriſto. Maior ex terminis conſtat, nam ſi id non aſſumeret, quæ ſupereſſet ratio, quæ ſuaderet Filium Dei eſſe filium virginis, & virginem SS. eſſe veram matrem filij Dei ratione naturæ humanæ? minor ex dictis in ſecundo placito patet; ſiquidem id, quod in cæteris hominibus eſt ratio, vt ſint filij aliorum, eſt, illud naturæ fragmentum quod à ſuis parentibus ex vi generationis participant. Cùm ergo Filius Dei ſit ratione naturæ humanæ verus filius virginis, & non ſit filius illius, quia in ſe recipiat aliquid naturæ à ſua matre, ſed quia id, quod iſta communicat ex vi ſuæ generationis filio Dei copuletur, fit, quod vt ſit filius Mariæ ratione naturæ humanæ, quam ex vi generationis Mater communicauit, debeat illud id à virgine præſtitum eſſe debere verbo hypoſtaticè copulatum, iſta enim nullam limitationem admittunt; nam ſic: ſed Maria SS. ex vi actionis ſuæ generatiuæ ſolùm communicauit ſanguinem nutrimentalem. Ergo ſanguinem nutrimentalem ſibi etiam copulauit verbum. Probo minorem ex tertio placito adducto ex Caiet. *n. antec.* vbi docet nullam matrem ex vi generationis ſuis filiis communicare præter ſanguinem nutrimentalem, qui ſolus ex latere matris genito materiam ſubminiſtrat. Ergo id, quod Maria SS. Chriſto vt homini ex vi generationis communicauit, eſt ſanguis ille nutrimentalis. Ergo illum immediatè verbum aſſumpſit, cùm pars illa ex vi generationis Chriſto vt homini communicata debeat à verbo aſſumi vt probauimus.

185. Confirmatur, nam vel ſanguis ille nutrimentalis eſt vera pars naturæ humanæ, vel non. Si primum, præterquam quod eſt id oppoſitum aſſertum Caietano aſſerenti ſanguinem nutrimentalem non eſſe veram partem humanæ naturæ; ergo immediatè fuit aſſumptus à verbo, quod, cùm aſſumpſiſſet integram naturam, & omnes eius partes veras debuit aſſumere, ſiquidem natura integra non differt à ſuis partibus veris; ſi ſecundum. Ergo Chriſtus ratione humanæ naturæ non fuit filius virginis. Probo conſequentiam, nam eatenus ratione naturæ humanæ cenſendus eſſet filius virginis, quatenus ab illa ex vi generationis communicata eſt genito, vel tota natura humana, vel pars vera ipſius naturæ humanæ, vt patet ex ſecundo placito *n.* 183. ſed Maria SS. ſolùm ex vi generationis communicauit genito ſanguinem illum nutrimentalem, vt ibidem ex Caiet. adduximus. Ergo ſi ſanguis nutrimentalis non eſt vera pars naturæ humanæ ex eo, quòd Maria illum ſanguinem ex vi generationis ſuo genito communicaſſet, iſte illius filius minimè euaderet.

186. Reſpondebis fortaſſe, argumentum hoc conuincere ad ſummum, verbum diuinum ſolùm mediatè ſanguinem hunc à Maria SS. ex vi generationis acceptum ſibi copulauiſſe.

187. Sed replicabis, vel illa pars ex vi generationis accepta ſubſiſteret ſubſiſtentiâ propriâ, vel alienâ. Primum negabis, ergo debes admittere ſecundum. Ergo immediatè deberet verbo vniri. Conſequentia patet, quia ſi propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſteret, illi deberet eſſe immediatè talis ſanguis vnitus. Ergo ſi alienâ increatâ etiam illi vniri deberet immediatè. Præterea: quia ex vi generationis Maria SS. ſuo genito non communicaret partem immediatè vnitam verbo. Ergo ex vi formaliter actionis illius partis productiuæ non haberet pro termino ipſum Filium diuinum. Conſequentia hæc ſe ipſam exprimit; quia eatenus illum formaliter ex vi prædictæ actionis reſpiceret, quatenus pars ab illa producta immediatè tangeretur à verbo diuino; nec imaginabilis eſt alius modus, quo actio illa productiua ſanguinis nutrimentalis formaliter reſpiciat Filium Dei, niſi quia pars illa producta, nempe ſanguis nutrimentalis immediatè attingeret verbum per vnionem immediatam hypoſtaticam.

189. Secundò ſolutionem iſtam impugno, & erit alia ratio concluſionem ſuadens. Nam phraſis communis Thomiſtarum *in hac 3. p. tr. de Eucharistia* defendit, totum ſanguinem Chriſti fuiſſe in Euchariſtia ex vi verborum. At ſolum id, quod eſt immediatè vnitum verbo, eſt in Euchariſtia ex vi verborum, & ex alia parte ſanguis nutrimentalis eſt verus Chriſti ſanguis. Ergo iſte non ſolùm mediatè, ſed immediatè fuit verbo diuino vnitus.

190. Reſpondebis cum Cippullo *vbi ſupra* §. 5. *num.* 19. phraſim illam intelligendam eſſe de ſanguine qui eſt ſimpliciter talis, nempe vitalis, non verò de illo, qui eſt imperfectus ſanguis, nempe nutrimentalis, cuius rationem dedit, nam in cœna ex vi verborum in ſpeciebus vini fuit ille ſanguis, qui nunc ex vi eorundem verborum eſt ſub eiſdem ſpeciebus; at huiuſmodi eſt ſolùm ſanguis naturalis, quia ſolùm ille ſanguis eſt nunc ex vi verborum in talibus ſpeciebus, qui de facto & in corpore Chriſti reſuſcitato non eſt ſanguis nutrimentalis, ſed ſolùm naturalis, hunc enim & non illum aſſumpſit in reſurrectione, vt docet SS. doctor *quodlib.* 5. *artic.* 5.

191. Sed replicabis, vel ſanguis nutrimentalis eſt verus ſanguis, quamuis imperfectus, vel non, Si hoc, ad quid contentio? etenim dum quæritur, an in noſtro myſterio, aut in Euchariſtiâ ſit totus ſanguis aſſumptus, vel ſit ex vi verborum in hoſtia conſecrata; de toto ſanguine vero, tam perfecto, quàm minùs perfecto inborum eſt litigium. Cippullus cum Caietano negat, nos affirmamus. Ergo reſponſuri eſtis, ſanguinem nutrimentalem corporis cuiuſque eſſe verum ſanguinem, tametſi imperfectum. Rurſum quando negatis ſanguinem nutrimentalem eſſe ex vi verborum in hoſtia conſecrata, negatis id de ſanguine nutrimentali, quæ erat verè in corpore Chriſti. At hoc eſt aduerſari verbis, quibus Chriſtus conſecrauit. Ergo &c. Probo minorem. Verba conſecrationis ſunt hæc: *hic eſt ſanguis meus, vel calix ſanguinis mei.* Sed ſi ſanguis nutrimentalis Chriſti ex vi verborum iſtorum in Sacramento non eſſet, talia verba veritatem non haberent. Ergo negare ſanguini nutrimentali præſentiam in Sacramento ex vi verborum eſt verbis conſe-

crationis aduerſari. Probo minorem, nam veritas verborum conſiſtit in conſtituendo ſub ſpeciebus, quidquid ſignificant. Sed hæc veritas non conſiſteret, ſi ſanguis nutrimentalis non conſtitueretur ſub ſpeciebus. Ergo ſi ſanguis nutrimentalis ſub ſpeciebus non eſſet, verba omnia conſecrationis dictæ veritatem non haberent. Probo minorem: pronomen illud, *meus*, vel *mei*, veritatem non haberet. Ergo &c. probo antecedens, pronomen, *meus*, ſignificat per ſe ſanguinem illum, qui taliter erat Chriſti, vt non eſſet alterius, nec enim illi voci ſignificatum aliud correſpondere valet, niſi velis etiam vocum ſignificata funditus euertere, & alia illis pro libito indere. Siquidem pronomen, *meum*, eſt vox poſſeſſoria inſtituta ad deſignandum ea, quæ cuique ſunt propria. Sed ſanguis nutrimentalis, qui erat in corpore Chriſti taliter erat Chriſti, vt non eſſet alterius. Ergo vt verba conſecrationis illa, *meum*, & *mei*, veritatem haberent, referri etiam debuerunt ad ſanguinem nutrimentalem, qui in Chriſti corpore erat. Probata manet conſequentia iſta ex dictis, ſi deſignato regno iſto Caſtellæ, diceret Rex Philippus, regnum hoc eſt meum, quis ambigeret de veritate verborum, ſi aliunde ciuitates cunctæ, & omnes villæ regnum iſtud componentes ſub ditione Philippi eſſent conſtitutæ, & è contrà, ſi aliqua villa, quæ ſub ambitu regni contineretur verè, quamuis inter omnes ignobilior æſtimaretur, & eſſet minima pars, ditionem Philippi ſubterfugeret, iam verba illa veritatem non haberent, quia pronomen, *meum*, non poterat referri ad totum regnum, de quo affirmauerat Rex eſſe ſuum. Ergo quando dixit Chriſtus, *hic eſt ſanguis meus*, vt verum ſit, *ly meus*, referri debet ad totum ſanguinem, de quo poterat affirmari, quod erat Chriſti, & non alterius. Ergo ſi ſanguis nutrimentalis, quamuis imperfectus erat Chriſti, taliter, quòd non eſſet alterius, neceſſariò debuit *ly meus* ad illum referri.

192. Præterea, quia verbis conſecrationis calicis adiecta ſunt alia, quæ referri debent etiam ad ſanguinem nutrimentalem. Etenim verba, quæ extulit in cœna Chriſtus ſunt hæc: *hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur*, vltima hæc verba redolent nutrimentalem ſanguinem; etenim in calice ex vi iſtorum verborum poſitus fuit totus ſanguis effundendus; at copioſior pars ſanguinis effundendi fuit ex ſanguine nutrimentali, vt admittit Caiet. Ergo veritas verborum conſecrationis calicis conuincit exiſtentiam ſanguinis nutrimentalis in calice. Sed id, quod in Sacramento Euchariſtiæ exiſtit ex vi verborum, fuit à verbo diuino immediatè aſſumptum; vt Cippullus ex Caiet. admittit. Ergo ſanguis nutrimentalis fuit à verbo immediatè aſſumptus.

193. Nec auget vim in contrarium id, quod Cippullus attulit in ſua ſolutione *n.* 190. vt oſtenderet, ſanguinem nutrimentalem non eſſe in Euchariſtia, quia hîc & nunc non eſt in corpore Chriſti reſuſcitato, fateor hîc & nunc ex vi verborum ſanguinem illum eſſe in Euchariſtia, quem Chriſti corpus reſuſcitatum habet: verùm ob hanc rationem dicimus, quod dum verba illa Chriſtus protulit in cœna, illum totum ſanguinem, qui erat in eius corpore, pro illo inſtanti, in quo dixit *hic eſt ſanguis meus*, debuiſſe in calice reponi, vnde ex hoc ipſo argumentum retorqueo: verba hæc conſecrationis hîc & nunc prolata *hic eſt ſanguis meus* ideo non reponunt per vos rorem, & cambium nec per ſe, nec per accidens in calice, quia hîc & nunc ſolùm ſunt in illo ponẽda, quæ inueniũtur in corpore Chriſti reſuſcitato: cùm autem in illo reſuſcitato ros, & cambium non inueniantur, exinde fit, quòd verba illa hîc & nunc prolata retineant veritatem illibatam, quamuis in calice cambium, & rorem non repugnant. Ergo è contrà talia verba vera non erunt, quando exiſtentibus rore, & cambio, quæ ſanguis nutrimentalis ſunt, in corpore Chriſti, illa in calice non collocauerint. Sed quando Chriſtus in cœna verba illa extulit, ros & cambium inueniebantur in corpore Chriſti. Ergo vt veritatem retinerent in prolatione, neceſſe erat, verba illa repoſitura fore rorem, & cambium in calice.

Arguit Cippullus citatus §. 4. *num.* 15. ille ſanguis Chriſti fuit verbo immediatè vnitus, qui erat actu pars illius; at ſolus ſanguis perfectè decoctus erat actu pars ipſius Chriſti. Ergo &c. minor patet, nam ſanguis, qui non eſt perfectè decoctus, eſt purum alimentum. Ergo non eſt pars. Reſpondeo te remittens ad notabilia, & ad ea, quæ *à num.* 175. *vſque ad n.* 180. ex quibus nedum negabis minorem, ſed plura, quæ ſupponit ejus probatio, falſa eſſe reperies. 194.

Arguit ſecundò: ille ſanguis fuit verbo immediatè vnitus, qui re aſſumptus fuit à Chriſto in reſurrectione; at huiuſmodi non fuit ſanguis nutrimentalis, ſed ille, qui eſt perfectè decoctus, vtpote ad integritatem naturæ humanæ pertinens. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſolus ille ſanguis fuit aſſumptus, qui re aſſumendus erat in reſurrectione, nego antecedens, ille & alter, qui in reſurrectione non erat reaſſumendus, concedo. Concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque non quidquid hypoſtaticè fuit verbo vnitum, fuit in reſurrectione reaſſumptum; etenim in rore & cambio, in quibus (ſi eſt admittendus ſanguis iſte nutrimentalis (prædictus ſanguis conſiſtit, eſt affirmandum; vt enim hi humores ad nutritionem Chriſti vitam nobiſcum agentis eſſent neceſſarij; ad conſiſtentiam tamen vitæ neceſſarij non erant, ob quam cauſam cùm primùm caruerunt ordine ad naturam humanam conſeruandam, vel per effuſionem, vel per mortem, ſtatim vnionem cum verbo amiſerunt; quia videlicet caruerunt ordine ad humanam naturam reaſſumendam, ſine quo ordine hypoſtatica vnio in partibus ſeparatis minimè conſeruatur. Sed de his *ſectione veniente*. 195.

Sanctiſſimum Thomam afferunt in ſuffragium iſtius duplicis ſanguinis nutrimentalis non aſſumpti, & naturalis aſſumpti à verbo *in quotlib.* 5. *quæſtione* 3. *articulo* 5. *in corpore*; quæ verba omitto, quia facilem habent exitum; etenim ibi ſanctiſſimus doctor etſi diſtinxerit ſanguines iſtos, non tamen de illis dixit, ſicut Caietanus, vnum viuere, alterum non viuere, 196.

ſed

ſed ad ſummum vnum eſſe neceſſarium neceſſitate quarto modo & ſimpliciter, vt aliquis ſit verus homo, alium verò non ita eſſe neceſſarium, quippe ſolum inſeruientem nutritioni, quare hunc in reſurrectione, vbi non eſt nutritio, non eſſe reaſſumendum docet, hunc verò illum, quod nos admittimus.

Sectio IV.

In triduo mortis Chriſti, eius ſanguis manſit verbo hypoſtaticè vnitus.

Conclusionem iſtam eſſe ac præcedentes æquè certam docent communiter doctores dempto vno vel altero infrà citando. Illam probaturus ſum duobus ſanctorum Patrum teſtimoniis. Sanctus Gregorius Niſſenus *orat. 1. de reſurrectione Chriſti ante medium* habet hæc: *cùm Deus totum hominem per ſui infuſionem, & contemperationem in diuinam naturam transformaſſet, in tempore, quo paſſio adminiſtrata eſt, ab altera parte id, quod ſemel immixtum, & contemperatum erat, non ſeparauit (nam donà Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum illum pœnitere non poſſit) ſed animam quidem deitas ſua ſponte disiunxit, ſe autem in vtriſque manere oſtendit.* Rurſum paucis interpoſitis ait: *quoniam igitur duplex temperamentum humanum, ſimplex verò & vniformis natura diuinitatis eſt, quo tempore à corpore anima disiungebatur, non vna cum eo, quod compoſitum erat, deducebatur id, quo eſt expers diuiſionis, ſed contrarium fiebat, vnitate enim diuina natura, qua in vtriſque erat ex æquo, rurſus ea, quæ deducta inter ſe fuerant, coaluerunt.* Facilè iſta ponderantur, etenim licèt expreſsè ſolùm edoceat Niſſenus de anima & corpore illis eſſe vnitam deitatem, quando inter ſe diuiduntur, tamen etiam tacitè de ſanguine talia verba ſunt intelligenda; etenim ideo colligit Niſſenus animam & corpus inter ſe ſeparata eſſe verbo diuino vnita, quia prædictæ partes erant reunienda. Sed ſanguis etiam eſt in reſurrectione reuniendus. Ergo &c.

197. Idipſum colligo ex Damaſceno *lib. 3. fidei, cap. 27.* aientis: *& quanquam mortuus eſt, vt homo, & ſancta eius anima ab incontaminato ſeparata corpore, non tamen diuinitas ab vtroque ſeparata remanſit, ab anima inquam, & corpore, neque ſic vna hypoſtaſis in duas inſecta eſt hypoſtaſes. Nam & tunc corpus & anima ſecundùm idem à principio in verbi hypoſtaſi habebat exiſtentiam, & ipſis in morte ab inuicem ſeparatis vnumquodque eorum manſit vnam verbi habens hypoſtaſim.* Præterea addit infrà: *quare vna verbi hypoſtaſis, & verbi, & animæ & corporis fuit hypoſtaſis, nunquam enim neque anima neque corpus propriam habuere hypoſtaſim præter eam, quæ verbi eſt hypoſtaſis.* Ponderantur ſimiliter verba hæc, quæ licèt expreſsè de ſanguine non meminerint, tamen ſub nomine corporis, de quo expreſsè affirmat in triduo eſſe aſſumptum intelligenda ſunt. Vnde ex edoctis non ſemel in præcedentibus clarè infertur, ſanguinem ſimiliter eſſe aſſumptum in triduo; etenim cùm iſta ſint certa. Verbum ſibi vniuiſſe integrum corpus, & conſtet integritatem huius coaleſcere ex ſan-

Prudenc. de Incarn. Tom. I.

guine, tanquam vera & propria eius parte, ſit optimè colligi ex Damaſceno docente, verbum in triduo corpus aſſumpſiſſe, quòd ſimul & ſanguinem ſibi habuiſſet vnitum. Præterea, quia ſtantibus principiis non ſemel ponderatis in ſectionibus antecedentibus, videlicet ſanguinem immediatè eſſe vnitum verbo dum corpus & anima aderant vnita, optimè deducitur, quòd dum erant inter ſe ſeparata, etiam ſanguis debuerat eſſe verbo vnitus: illationis ratio, ideo colligebamus ibidem, verbo aſſumente humanitatem viuentem ſanguinem aſſumpſiſſe, quia ſancti docebant, corpus integrum fuiſſe aſſumptum. Ergo ſi Damaſcenus abſolutè docet, verbum in triduo verè habere ſibi vnitum corpus, optimè inferemus, quòd ſenſerit idem de ſanguine.

Ratio ergo concluſionis eſt hæc: vnio, quam habebat Chriſti caro cum verbo, dum erat animæ vnita, manſit in triduo, quando fuit ab eadem anima ſeparata. Ergo vnio, qua ſanguis vnitus erat verbo, viuente humanitate perſeuerauit in triduo. Antecedens eſt à doctis edocta. Conſequentiam probo, eadem ratio conuincit perſeuerantiam vnionis cum verbo in triduo reſpectu ſanguinis, & carnis. Ergo ſi vnio iſtius cum verbo perſeuerauit in triduo; idipſum de vnione ſanguinis erit affirmandum. Antecedens patet; ratio perſeuerantiam vnionis carnis cum verbo in triduo ſuadens; eſt, quam affert SS.D. *in hac 3. p. q. 50. art. 2.* vbi quærens in titulo: *Vtrum in morte Chriſti fuerit ſeparata diuinitas à carne?* quæſtioni ſatisfaciat his verbis: *Reſpondeo dicendum, quòd illud, quod per gratiam Dei conceditur, nunquam abſque culpa reuocatur, vnde dicitur Roman. 11. quod ſine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio. Multò autem maior eſt gratia vnionis, per quam diuinitas vnita eſt carni Chriſti in perſona, quàm gratia adoptionis, per quam alij ſanctificantur, & etiam magis permanens ex ſui ratione, quia hæc gratia ordinatur ad vnionem perſonalem, gratia autem adoptionis ad quandam vnionem affectualem; & tamen videmus, quòd gratia adoptionis nunquam perditur ſine culpa. Cum igitur in Chriſto nullum fuerit peccatum; impoſſibile fuit, quòd ſolueretur vnio diuinitatis à carne ipſius, & ideo ſicut ante mortem caro Chriſti vnita fuit ſecundùm perſonam & hypoſtaſim verbo Dei, ita & remanſit vnita poſt mortem, vt ſcilicet non eſſet alia hypoſtaſis verbi Dei, & carnis Chriſti poſt mortem, teſte Damaſceno ſuprà date.* Sed hæc eadem ratio æquè conuincit perſeuerantiam vnionis hypoſtaticæ ſanguinis in triduo. Ergo eadem ratio vtrumque deuincit. Probo minorem, ſiquidem tam vnio hypoſtatica ſanguinis petit non depelli niſi per peccatum, ac vnio hypoſtatica carnis talem exigentiam habeat. Ergo ſi quia impoſſibile eſt Chriſto peccatum, deducitur perſeuerantia vnionis hypoſtaticæ carnis, etiam deduci debet perſeuerantia hypoſtaticæ vnionis ſanguinis, non video diſparitatem. 198.

Confirmatur ex his, quæ *in calce corporis articuli* addidit SS.D. & habet locum alterius rationis quaſi ab inconuenienti: aiebat ſic ſanctiſſimus Præceptor: & ideo ſicut ante mortem caro Chriſti vnita fuit ſecundùm perſonam, & hypoſtaſim verbo Dei, ita & remanſit 199.

vnita poſt mortem, vt ſcilicet non eſſet alia hypoſtaſis verbi Dei, & carnis Chriſti poſt mortem vt ait *Damaſcenus.* Sed hæc ratio æquè de perſeuerantia vnionis hypoſtaticæ ſanguinis concludit. Ergo &c. Probo minorem mam caſu dato, quòd ſanguis in triduo amitteret vnionem hypoſtaticam, neceſſe erat alia hypoſtaſi terminari creata, & ſic daretur duplex hypoſtaſis, vna increata verbi, qua terminaretur caro, & alia hypoſtaſis ſanguinis. Sed hoc eſt inconueniens concludens perſeuerantiam vnionis carnis cum verbo ſecundùm Angelicum Præceptorem, & Damaſcenum. Ergo vtriuſque eſt eadem ratio. Minor patet ex contextu: nam ideo carnis hypoſtatica vnio perſeuerat, quia ſi deficeret, alia hypoſtaſi creata terminaretur, atque adeo in Triduo eſſet hypoſtaſis verbi Dei, qua anima ſubſiſteret, & alia creata, quæ terminaret carnem: & hoc reputat doctor Angelicus, tanquam inconueniens. Sed hoc ipſum probauimus ſequi, ſi ſanguinis hypoſtatica vnio non perſeueraret. Ego eadem ratio vtrumque ſuadet.

200. Ratio hæc angelici Præceptoris, vt à nobis adducta, viſa efficax non eſt Cardinali de Lugo *diſput.* 14 *num.* 44. & in illam hanc difficultatem, quam Suarez *in comment. illius articuli* 2. ſibi obiecerat iamdiu, quia ſi aliquæ virtutes, vel qualitates permanentes infunduntur corpori hominis iuſti, mortuo tamen homine non manent amplius in eius corpore.

201. Reſpondebis cum Suarez; eſſe diuerſam rationem, nam vnio hypoſtatica per ſe, & immediatè facta eſt cum anima, & corpore, atque adeo manentibus his, debuit perſeuerare, virtutes autem illæ datæ fuerunt homini, qui morte accedente perit.

202. Sed replicat Cardinalis. Ergo omnes partes corporis, vel ſanguinis Chriſti, quibus fuit vnitum verbum, debuerunt ſemper retinere vnionem propter eandem rationem. Conſequens eſt falſum: quia partes illæ quæ per actionem continuam agentium reſoluebantur, non retinebant amplius vnionem cum verbo.

203. Reſpondebis cum Suarez, negando ſequelam, quia quando reſoluebantur illæ partes, deſtruebatur ſubiectum vnionis; quod non erant partes ſecundùm ſe, ſed quatenus erant partes corporis humani, cui facta erat gratia vnionis.

204. Sed replicat Cardinalis, ergo eadem ratione non debuit manere vnio in morte Chriſti, quia quamuis maneret corpus, non manebat vt pars humanitatis, cui facta erat gratia vnionis, atque adeo tunc etiam deſtruebatur ſubiectum in ratione ſubiecti, ſicut in priori caſu.

205. Vt autem ab hac difficultate ſe expediat Cardinalis, plura meditatus eſt ſatis ingenioſè architectatus, verùm quia facilior, & breuior occurrit aditus, ideo ab eius aſſerto examinando ſuperſedeo. Vnde laudatis ſolutionibus ex Suarez intertextis, vltimæ replicæ reſpondeo negans conſequentiam. Ad probationem reſpondeo negans antecedens, etenim corpus in triduo ſortiebatur rationem partis humanitatis, quia adhuc vt ab humanitate ſeparatum dicebat reſpectum ad iterandam ſui vnionem cum anima, vt ex illis humanitas iterum conſurgeret. Solutionem hanc conſpicuè edocuit ſanctiſſimus doctor *vbi ſuprà in ſolutione ad* 2. vbi hæc: *habet autem caro, ac anima, quòd pertineat ad humanam naturam, etiam poſtquam anima ſeparatur ab ea, in quantum ſcilicet in carne mortua remanet ex diuina ordinatione quidam ordo ad reſurrectionem.* Cùm autem partes materiæ, quæ per continuam actionem reſoluebantur, perire dicantur ne dum abſolutè, ſed etiam in ratione partis humanitatis, quia earum materia prima licèt perſeueret, tamen illæ partes perierunt, non ſolùm quoad ſuum eſſe abſolutè, ſed etiam dum in rerum natura aderant, nullum dicebant ordinem ad humanitatem iterum in reſurrectione componendam. Hac doctrina ſeruata facilè argumentis ſatisfacies.

Argues primò cum Cardinali S. Petri infrà citando, ſanguis effuſus in paſſione cùm primùm ſeparabatur, protinus vnionem cum verbo amittere debuit. Ergo in triduo non omnis Chriſti ſanguis, qui in vita erat vnitus verbo, conſeruauit cum illo vnionem in triduo. Antecedens probat, nam Chriſti ſanguis in circuncisione effuſus, dum primò fuit effuſus, talem cum verbo vnionem amiſit, quod de quolibet alio ſanguine à Chriſto (ſi id contingeret,) in ſuo vitæ decurſu extrahendo, eſt ſimiliter affirmandum. Ergo ſanguis effuſus in paſſione ſimilem vnionem cum verbo amiſit in triduo. Confirmatur, nam carnis illa portio in circuncisione abſciſſa, ſtatim ac præciſa, amiſit vnionem, quam antea habebat cum verbo, ergo ſanguis effuſus in paſſione, ſtatim ac effuſus, amittere debuit vnionem cum verbo, quam habebat. Antecedens patet, nam pro certo habetur portionem illam carnis in circuncisione abſciſſam magna cum reuerentia Romæ in Lateranenſi Baſilica religioſiſſimè aſſeruari. Vnde cùm non ſit maior ratio, cur de ſanguine intra, vel extra paſſionem diuerſimodè loquamur, fit, quòd ſi de vno in circunciſione emiſſo affirmamus vnionem cum verbo amiſiſſe, idipſum de ſanguine alio tenemur affirmare. 206.

Reſpondeo ex doctrina *num. antecedenti* allata negando antecedens. Ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ratio diſpar eſt, nam ſanguis in circunciſione effuſus ſtatim ac effuſus amittebat rationem partis humanitatis Chriſti, ratio, nam in illo non manſit ordo ad reſurrectionem; ratio, quia ſanguis ille talem ordinem dicit, qui deſideratus eſt ad ſaluandam integritatem corporis in ſtatu, & ætate virili, in qua erat Chriſtus reſurrecturus, cùm autem ſanguis ille in circunciſione effuſus eſſet in valde exigua quantitate, fit, ſine illo poſſe corporis integritatem in ſtatu virili optimè ſaluari; quapropter ſanguis iſte, cùm ſtatim ac effuſus, protinus, & totaliter ordinem iſtum ad ſaluandum integritatem corporis Chriſti amiſiſſet, fit, eodem effuſionis momento vnionem cum verbo perdidiſſe. Contrarium autem inuenimus in ſanguine effuſo verbi gratia in horto; iſte enim in ipſa effuſione ſecum ferebat rationem partis, ratio, quia Chriſtus reſurrecturus erat cum corpore in ea integritate, quam habebat tempore paſſionis proximo ad mortem; ratio, nam Chriſtus 270.

reſur

reſurrecturus erat in ea integritate corporis, quæ ætatem virilem redolebat, cùm enim corpus Chriſti proximum ad mortem habuiſſet integritatem illam, quam virilis ætas deſiderabat, fit, Chriſtum reſurrecturum cum corpore in ea integritate, quam habebat tempore paſſionis proximo ad mortem. At ſanguis ille in horto effuſus ſpectabat ad integritatem corporis in ætate virili, ratio, nam dum Chriſtus ſudauit in horto, degebat ætatem vitæ perfectæ: quapropter ſpectare debebat ad integritatem corporis in illa ætate conſtituti. Ergo ſanguis ille etiam effuſus dicebat ordinem ad ſimilem integritatem corporis iterum in reſurrectione aſtruendam; ergo vt effuſus conſeruabat in ſe rationem partis humanitatis. Ergo conſeruabat vnionem cum verbo, quam dum intra corpus Chriſti habebat, antequam effunderetur: ratio, quia pars vera corporis Chriſti dummodo rationem partis conſeruat, cuſtodit vnionem hypoſtaticam, quam ſemel habuit, aliàs non verificaretur de toto corpore Chriſti prædictam vnionem conſeruare. Fundamentum huius doctrinæ partim colligitur ex ſanctiſſimo Thoma *citato num.* 205. *necnon quotlib.* 5. *quæſtione* 3. *articulo* 5.

208. Ad confirmationem ſimiliter reſpondeo, concedo antecedens, & nego conſequentiam, ratio diſpar eſt eadem cum præcedenti, quia ſubſtantiola illa carnis præciſa præputij amiſit protinus ac præciſa rationem partis humanitatis, nedum quia præciſa, ſed quia ſic ſeparata nullo modo habebat ordinem ad integrandam iterum humanitatem reſurrecturam. Ratio, nam licèt corpus Chriſti reſurrecturum eſſet integrum quoad omnes eius partes, atque adeo & quoad illam partem, à qua talis præputij pars abſciſſa fuerat, tamen prædicta pars in integrum reſurrectura non erat in reſurrectione reſtauranda per portionem illam à præputio abſciſſam; ratio, quia particula illa quippe in Chriſto infantilem ætatem degente, proportionem non habebat, vt cum cæteris partibus, quas Chriſtus dum mortem ſubibat, habebat, partem illam in integrum componeret: atque adeo reſtauranda erat per aliam partem materiæ proportionem habentis cum magnitudine, quam tempore mortis habebat Chriſtus, vt teſtatur Syluester *tract. 3. quæſt. 33. ſuper Euangelia.* Quod quidem explicari poteſt exemplo digiti, caſu, quo abſcinderetur à manu Chriſti infantis, in tali caſu, talis digitus abſciſſus, ſtatim ac abſciſſus, perderet vnionem cum verbo ob eandem rationem, ſiquidem ex illo nunc perderet rationem partis, ratio, quia ipſe amitteret ordinem ad iterandam compoſitionem manus cum aliis digitis reſurrecturis; ratio, quia talis digitus abſciſſus præ ſui exiguitate non erat reſtituendus, quia non haberet proportionem cum aliis digitis maioribus ad componendum manum cum decore, & ſine monſtroſitate.

209. Sed replicabis, ponamus carnem Chriſti in ipſa morte in minutiſſimas partes fuiſſe partitam, quod poſſe contingere voluntas Dei permiſſiua, & praua Iudæorum intentio demonſtrant, in hoc caſu, vel illæ ſubſtantiolæ conſeruarent vnionem cum verbo, vel non. Hoc nequit dici, quia tales partes cùm eſſent abſciſſæ à corpore Chriſti prope mortem, conſeruabant rationem partis integræ humanitatis, quod non verificatur de præputio carnis à corpore Chriſti in infantia auulſæ. Ergo ſicut per nos ſanguis effuſus in paſſione, quia prope mortem effundebatur, habebat rationem partis humanitatis integræ; ita in caſu iſto partes illæ ita minutatim præciſæ prope mortem deberent eſſe partes humanitatis, atque adeo ſicut ſanguis in paſſione effuſus, ita & illæ partes deberent vnionem cum verbo conſeruare. Si propter hoc dicas primum, nempe partes illas ita minimas, vt diuiſas conſeruare vnionem hypoſtaticam impugnaberis. Ergo ſanguis ille effuſus in circumciſione, quamuis modiciſſimus, & portio præputij tametſi exigua conſeruabunt vnionem hypoſtaticam. Probo, nam ſupponimus, partes illas in noſtro caſu in quas caro Chriſti eſſet diſtributa, fore minimas, & æquè exiguas cum ſanguine emiſſo in circumciſione, & cum carne ibidem auulſa. Ergo vel iſtæ ſunt conſeruaturæ vnionem cum verbo, quod negamus, vel in caſu, quem ſupponimus, partes illæ minimè talem vnionem cum verbo conſeruabunt.

Reſpondeo ex doctrina allata ſanctiſſimi 210.
doctoris *num.* 205. ordinem illum ad reſurrectionem Chriſti humanitati ex diuina diſpoſitione fuiſſe conceſſum in eo ſtatu, in quo eſſet Chriſtus vicinus morti, atque adeo eius partibus tunc talem humanitatem componentibus; ratio, nam cùm Chriſtus eſſet reſurrecturus in ætate virili, & in hac è vita receſſit, fit, ordinem illum ad reſurrectionem fuiſſe à Deo præſtitum partibus humanitatis Chriſti, illam tempore mortis componentibus. Vnde fit, quòd in hypotheſi replicæ, in qua Chriſtus moreretur eo genere tormentorum, videlicet per diuiſionem carnis in minutiſſimas partes, tunc omnes illæ, quantumuis minutiſſimæ, deberent hypoſtaticam vnionem ſeruare: ſiquidem omnes illæ partes adhuc vt diuiſæ ſeruarent ordinem ad reſurrectionem, non minùs ac totum integrum corpus; ratio, nam hoc non aliis partibus conſtabat, dum moriebatur, niſi illis, quas ſupponimus diuiſas, quia loco illarum aliæ ante mortem non erant ſucceſſuræ. Ergo in illis vt diuiſis manſit ad reſurrectionẽ ordo, non abſimili modo, ac de ſanguine in paſſione effuſo decreuimus. At verò caro illa præputij auulſa, cùm loco illius ſucceſſura eſſet alia pars in reſurrectione, ea videlicet, quæ Chriſti humanitatem tempore mortis comitatura erat, non retinuit rationem partis, atque adeo nec vnionem hypoſtaticam conſeruauit. Quod confirmatur in partibus materiæ, ſanguinis, vel carnis, quæ media actione, & repaſſione amittebantur; quas vnionem hypoſtaticam minimè conſeruare, eadem ratione ab authoribus ſuadetur, videlicet, quia vt diximus ordo ad reſurrectionem conceſſus eſt humanitati Chriſti in fine vitæ conſtitutæ, cumque humanitas Chriſti, quando è vita receſſit, eſſet pleniſſimè integra cum aliis partibus diſtinctis ab illis, quas media actione, & repaſſione humanitas perdiderat, fit, iſtas minimè vnionem hypoſtaticam obſeruaturas.

211. Sed replicabis, totam hanc doctrinam minimè conuincere, ſanguinem effuſum debuiſſe conſeruare vnionem cum verbo, quam intra corpus tenuerat. Ergo &c. antecedens patet, nam tota doctrina allata ſaluari poſſet, penes hoc, quòd ſanguis cum corpore reſurrecturus, iterum in reſurrectione vniatur verbo. Ergo doctrina hæc non conuincit, ſanguinem effuſum, & extra corpus emiſſum, debere conſeruare vnionem, quam intra corpus habuerat. Antecedens patet, quia ſaluari poſſet per hoc, quòd humanitati conceſſus ſit ordo ad reſurrectionem; etenim hic ordo non petit ex ſe, quòd ſanguis à corpore ſeparatus ſit, vel non ſit vnitus verbo. Ergo penes hoc, quòd ſanguis effuſus vniatur verbo, poſtquam in reſurrectione corpori immittatur, ſaluabitur tota doctrina allata.

212. Reſpondebis doctrinam conuincentem ſanguinem effuſum debere vnionem hypoſtaticam conſeruare, eſſe eam, quam ex ſanctiſſimo doctore in concluſionis probationem attulimus: nempe quòd ſemel admiſſo, vniri immediatè verbo ſanguinem intra corpus viuum, fateri eſt neceſſe, eundem ſanguinem adhuc vt effuſum talem vnionem debuiſſe retinere; quia talis vnio non exigit niſi per peccatum depelli. Vnde licèt corporis ſit conceſſus ordo ad reſurrectionem, & exinde vt ſibi recuperet ſanguinem ab illo in morte ſeparatum, talis ordo non eſt ratio in ſanguine, vt verbo in reſurrectione copuletur, ſed ideo in reſurrectione eſt verbo ſanguis annectendus, quia tam vt effuſus, quàm intra corpus viuum erat perfectiſſimè verbo hypoſtaticè vnitus.

213. Sed replicabis, ordo ille, quem habet corpus vnitum verbo, vt in reſurrectione ſanguis in corpus immittatur, ſufficit, vt in illo ſtatu ſanguis verbo vniatur, quamuis vt effuſus non extiterit vnitus. Ergo ruit ſolutio. Probo antecedens, illa portio carnis in circunciſione abſciſſa, non manſit vnita verbo, tamen verum eſt, quòd partes illæ, à quibus portio præputij fuit ſeparata, manſerunt verbo vnitæ, & ratione talis vnionis debitum erat illis, vt pars pro præputij parte ſubroganda, ſtatim ac illis vniretur, etiam verbo diuino copularetur. Ergo pariter quamuis ſanguis effuſus non eſſet verbo vnitus, tamen eo ipſo quòd corpus, cui in reſurrectione eſſet reſtituendus, verbo copulatum eſt, ſufficeret, vt & ſanguis immediatè annecteretur verbo.

214. Reſpondebis, totum hoc conuincere ſolùm, poſſibile eſſe in alia ſerie rerum, quòd ſanguis ſtatim ac effuſus amitteret vnionem hypoſtaticam, & quòd iterum eam haberet protinus, ac in reſurrectione corpori reuniretur, ſicut ſi Deus decerneret corpus in triduo amittere vnionem hypoſtaticam, & quòd in inſtanti, quo animæ in reſurrectione vniatur, ſimul etiam verbo copuletur, ita enim de poſſibili contingere poſſe non dubito; tamen de facto contigiſſe, nego, quia vt ſæpe aſtruximus, vnionem hypoſtaticam petere perpetuitatem, non accedente peccato, eſt eius exigentia, iuxta quam de facto Deus operatur; cùm ergo probauerimus, ſanguinem intra venas, vel intra poros eſſe immediatè à Deo aſſumptum, fit, ſemper eſſe verum, talem ſanguinem fuiſſe vnitum cum diuino verbo, atque adeo hanc cauſalem non eſſe veram, ideo ſanguis in reſurrectione eſt verbo vnitus, quia corpus, cui vnitur ipſe, eſt verbo copulatum; ſicut nec fuit vera talis propoſitio, dum ſanguis erat in corpore viuo. Vnde ideo ſanguis reunitus corpori in reſurrectione eſt vnitus verbo, quia talis ſanguis fuit, dum erat intra, vel extra corpus, tanquam vera pars illius immediatè vnitus verbo, & idem aſſerimus de parte illa, quæ ſubroganda erat in reſurrectione pro parte præputij auulſa; talis enim pars ſubrogans ſeipſa, & ratione ſui fuit immediatè vnita verbo, non attenta alia parte, cui vnitur, an ſit vnita verbo; ſiquidem ipſa pars ſubrogans ſeipſa eſt pars humanitatem integrans.

Argues ſecundò, connaturalius eſt vnioni hypoſtaticæ deſinere eſſe reſpectu ſanguinis effuſi, quàm perſeuerare in illo vt effuſo, ergo res ita contigit. Antecedens probo, connaturalius eſt vnioni hypoſtaticæ tandiu exiſtere, quandiu perſeuerabat natura, in qua recipiebatur. Sed ſanguis, in quo vnio hypoſtatica recipiebatur, ex quo effunditur, vel in triduo, amittit illam formam ſubſtantialem ſanguinis, quam habebat, dum in corpore aderat. Ergo connaturalius eſt vnioni hypoſtaticæ deſinere eſſe reſpectu ſanguinis effuſi, quam in illo perſeuerare vt effuſo. Antecedens patet in omnibus modis, qui deſinentibus, vel mutatis ſuis ſubiectis, pereunt. Minor patet, nam poſtquam effuſus eſt ſanguis illi omnia accidentia de nouo conueniebant, quæ deſignabant, ſanguinem illum verè ſubſtantialiter mutatum fuiſſe, vt eius deſicatio, & coagulatio teſtantur. 215.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens, quandiu perſeuerauerit natura quoad omnes partes, nego maiorem, quandiu natura perſeuerauerit ſaltem quoad aliquam partem, concedo, & concedo minorem, & nego conſequentiam. Itaque in omni opinione, ſiue anima rationali ſanguis in corpore informetur, quo mortuo, amittit animam ſanguis, ſiue alia forma à rationali diſtincta ſanguis informetur, dum eſt in corpore, quo mortuo, talem formam ſanguis etiam deperdat, ſemper tamen debet ſanguis retinere vnionem hypoſtaticam; & eſt familiaris inſtantia in ipſa carne, quæ ante mortem erat anima rationali informata, quamque in triduo amiſit, ſed vnionem hypoſtaticam non deperdit, ſic in præſenti diſcurre. 216.

Huc etiam ſolet adduci argumentum deſumptum ab inconuenienti communicationis idiomatum, nempe de verbo poſſe dici effuſum ſuper terram, adhærens cruci, clauis &c. verùm præoccupauit illud *ſect.* 1. *n.* 157. ſimiliter contra reſolutionem iſtam affertur S. Aug. *epiſt.* 146. vbi interrogatus, an corpus Domini noſtri habeat nunc ſanguinem & oſſa, reſpondit carnem, & oſſa habere nulla mentione facta de ſanguine, quapropter aſſerunt quidam ſenſiſſe Auguſtinum ſanguinem vnitum non eſſe verbo. Verùm ſi attentè inſpiciatur locus ille de duobus admonebimur. Primum, ipſum doctorem ſanctum noluiſſe quæſtionem de ſanguine definire. Secundum aliqualiter oſtendere 217.

ibidem

ibidem, ſanguinem ſicut & carnem nunc in Chriſto propriè adeſſe.

SECTIO V.

Aliqua dubiola de ſanguine.

218. QVæres primò, an dum diximus *ſectione antecedenti* ſanguinem effuſum tempore paſſionis & prope mortem fuiſſe verbo vnitum, intelligendi ſimus de vnione totius ſanguinis, an verò de aliquibus partibus illius verificetur eſſe in triduo vnitas, de aliis verò non? Reſpondemus, totum Chriſti ſanguinem in triduo effuſum in eius paſſione vnitum fuiſſe eius diuinitati. Reſolutio hæc non aliter probatur, quàm probata manſit reſolutio præcedentis ſectionis, verùm quia probatio illius maiorem vim habet ad probandum de ſanguine illo, qui reſurrecturus erat, ideo aliam probationẽ paratam ſumus n. ſequenti.

219. Itaque reſolutio noſtra clarioribus verbis paratur, ſanguis ille effuſus in paſſione fuit vnitus verbo vſque nunc, qui reſurrecturus erat cum corpore; ille verò, qui reſurrecturus non erat, manſit vnitus verbo vſque ad reſurrectionis inſtans. Concluſio quoad primam partem ex dictis ſectione præterita, probata manet. Quoad ſecundam eſt nunc examini danda, illam multis probare nititur Cardinalis de Lugo, & licèt ſatis eruditum diſcurſum paret, tamen nec ita efficacem, ſicut par erat, vt res ita grauis in ſui probationem deſiderare videtur, nec miror, cùm de hac re grauiſſimos doctores conſuluerim, & reſponſum acceperim, eam eſſe intellectu difficillimam: quare eam ſolùm rationem proponam, vt ne videar ſine ratione in ſententiam iſtam recidiſſe. Ratio eſt hæc: etenim ſi in illo triduo calix conſecraretur, poneretur in calice totus ille ſanguis in paſſione effuſus. Ergo in triduo totus ille ſanguis effuſus, fuit verbo vnitus. Antecedens patet, nam de toto ſanguine illo verba conſecrationis verificarentur nempe, *hic eſt ſanguis Chriſti*, ſiquidem deſignata quauis parte ſanguinis, de illa eſſe ſanguinem Chriſti verificaretur. Conſequentia patet, nam de quolibet bibente quamlibet guttam ſanguinis verificarentur verba illa, *qui bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*. Ergo quælibet gutta ſanguinis eſſet vnita verbo. Antecedens patet, nam de quolibet manducante quamlibet partem carnis Chriſti, verificarentur verba illa, qui manducat meam carnem &c. Ergo ſimiliter de bibente quamlibet guttam ſanguinis verificabuntur verba illa &c. & conſequenter verificabitur de qualibet ſanguinis gutta eſſe verbo vnitam.

220. Sed reſpondebis, eſſe diſparem rationem, nam quælibet pars corporis eſſet pars vera integrans humanum corpus, quapropter eſſet illi debita reſurrectio; at verò cùm ſupponamus, non quamlibet ſanguinis partem in paſſione effuſam, & in triduo manentem fore reſurrecturam, fit, non quamlibet ſanguinis guttam eſſe in triduo, verbo diuino annexam, nam hoc ſolùm his, quæ partes ſunt, copulabatur. Et ſic de comedente partes carnis, non verò de bibente quamlibet guttam ſanguinis verba illa verificarentur.

Sed replicabis, etenim licèt aliquæ partes ſanguinis reſurrecturæ non eſſent; tamen Chriſtus in triduo aſſerens de ſanguine ſuo non ſolùm loquitur de partibus ſanguinis, quæ reſurrecturæ erant, verumetiam de toto ſanguine effuſo. Ergo ruit ſolutio. Probo antecedens, etenim ſi ſic talia verba non intelligerentur, maximè quia in illo ſanguine dabantur partes, quibus reſurrectio non debebatur. Sed hæc ratio non obſtat. Ergo &c. Probo minorem: etenim licèt ante mortem in cœna Chriſto conſtituto aliquæ partes ſui ſanguinis non eſſent effundendæ, ſiquidem partes aliquæ illius ſanguinis media actione nutritiua conuerſæ fuerunt in carnem, nihilominus verba illa, quæ in cœna extulit Chriſtus de ſanguine pro peccatis effundendo, de toto ſanguine intelligebantur. Ergo quamuis non omnes partes ſanguinis effuſi, ſint reſurrecturæ, tamen Chriſto in triduo loquente de ſanguine ſuo poſſent eius verba intelligi de ſanguine effuſo quoad omnes eius partes. 221.

Reſpondebis diſparem eſſe rationem ſimilem illi ſupra adductæ *num*. 220. Etenim in caſu cœnæ, illæ ſanguinis partes, quæ poſtmodum ante effuſionem in carnem erant conuertendæ, actualiter corpus humanum integrabant, & ob hanc cauſam verba illa in cœna prolata, intelligi poterant de ſanguine illo etiam quoad partes illas non effundendas; at verò in triduo partes ſanguinis effuſæ, quæ reſurrecturæ non erant, nullum ordinem partis reſpectu corporis Chriſti obtinebant, non partis actualis, quia actualiter venis Chriſti non coexiſtebant, non partis in potentia, ſiquidem ſupponimus, illas iam minimè reunituras fore cum corpore Chriſti. Ergo licet de illo ſanguine intelligerentur verba Chriſti in cœna prolata; non tamen de iſtis intelligi deberent, caſu, quo verba illa proferrentur in triduo. 222.

Sed replicabis, nam licèt partes illius ſanguinis effuſi non reſurrecturæ, non cenſeantur partes phyſicæ ſanguinis Chriſti, ſicut partes illæ ſanguinis conuertendæ in carnem ante effuſionem; tamen dicuntur partes morales, quod ſufficit, vt moraliter corpus Chriſti integraretur, atque adeo vt actu eſſent in calice ex vi verborum, quæ proferrentur in triduo. Etenim vt illa verba intelligerentur de partibus illis non reſurrecturis, ſufficeret verificari de illis, quòd eſſent actu ſanguis Chriſti, & non alterius. Sed de illis verificaretur eſſe ſanguinem Chriſti, & non alterius. Ergo de illis verificarentur verba illa, quæ proferrentur in triduo. Probo minorem, de illis partibus verificaretur, quòd eſſent idem ſanguis actu cum aliis partibus effuſis reſurrecturis. Sed iſtæ partes reſurrecturæ erant actu partes corporis Chriſti. Ergo partes illæ non reſurrecturæ erant actu partes corporis Chriſti. Maior eſt certa, quia de qualibet parte illius ſanguinis effuſi ſiue reſurrectura, ſiue non reſurrectura, erat verum dicere, quòd erat ſanguis Chriſti; quia omnes illæ partes componebant æquè Chriſti 223.

Chriſti ſanguinem. Sed verba illa, quæ in triduo proferrent de ſanguine, intelligi deberent de ſanguine Chriſti. Ergo & intelligi deberent de partibus etiam illius non reſurrecturis, cùm de illis verificaretur etiam eſſe ſanguinem Chriſti. Hæc eſt ratio à priori, quam allegat ſatis diffusè Lugus *diſput.* 14. *ſect.* 5. *num.* 73. Sed quot in illam ebulliant difficultates, aliis examinare relinquo, ſat mihi eſt illam valde probabiliter rem noſtram ſuadere.

224. Quæres ſecundò, an re ipſa manſerit poſt Chriſti reſurrectionem aliqua pars veri ſanguinis ex illo, quem Chriſtus in terra, dum patiebatur, effudit; affirmo: ita plures Thomiſtæ recentes, Medina *hic artic.* 2. *concluſ.* 5. *&* *infra quæſt.* 50. *artic.* 3. & Cippullus *hic citatus ſupra*, & ſatis probabiliter colligi poteſt ex ſanctiſſimo doctore *quotlib.* 5. *artic.* 5. dicente: *ſanguis autem Chriſti, qui in quibuſdam Eccleſiis oſtenditur, dicitur, ex quadam imagine Chriſti percuſſa miraculosè fluxiſſe, vel etiam alias ex corpore Chriſti.* Eum ſequuntur omnes alij Recentes extra ipſius ſcholam.

225. Reſolutionem hanc plures hiſtoriæ ſatis apud authores familiariter allatæ commendant, quas breuiter recitabo, illas longiori calamo exaratas in libris frequenter comperies. Prima ſumitur ex reuelatione ſanctæ Brigittæ aſſerentis, ſe vnà cum ſacri præputij membrana ſanguinem collectum ex Chriſti vulneribus, quando ipſe de cruce fuit depoſitus, inſtante eius vocatione ad cœlum, tradidiſſe cuſtodiendum S. Ioanni.

226. Secunda ſumitur ex bulla Pij ſecundi miſſa ad Abbatem ſanctæ Mariæ Xautonenſis diœceſis, in qua Pontifex habet verba hæc: *nos igitur, qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes, quòd veritati fidei nullatenus repugnat, affirmare; Redemptorem noſtrum de ſanguine præfato ob ipſius paſſionis memoriam, aliquam partem in terris reliquiſſe, ac propterea deuotionem ipſorum fidelium plurimum conſeruari. &c.* Accedit Baronij aſſertum qui anno 804. aſſerit, aſſertionem hanc eſſe ita veram & à Romanis Pontificibus diu adeo examinatam, & approbatam, vt de ea non ſit amplius dubitandum.

227. Tertia ſumitur de ſanguine, qui ſeruatur Mantuæ in abbatia ſancti Benedicti, in templo ſancti Andreæ, quem in illum locum à Longino fuiſſe adductum communiter ibidem fertur, & quod ibi Longinus ſit ſepultus, teſtatur, cuius rei conſcius Leo 3. ſe in talem locum contuliſſe dicitur, animo talem ſanguinem examinandi, quem non ſemel attentè examinatum approbare ſimul dicitur.

228. Quarta ſumitur ex maculis ſanguineis, quæ tum in ſudario, tum in ſacra ſindone, tum in clauis & ſpinis conſpicitur, quas ſenſibus præditus non audebit negare.

229. Quinta ſumitur ex quadam vitrea ampulla plena terra medium colorem inter rubrum & nigrum redolente, quam B. Magdalenam collegiſſe affirmatur in die paraſceue ſub ipſa cruce, & ampulla hæc vſque nunc temporis dicitur ſeparari apud S. Maximianum, vbi S. Magdalena egit pœnitentiam.

Reſpondent contrarij, ſanguinem illum aſſeruatum in Eccleſiis non fuiſſe ſanguinem ex Chriſti corpore tempore paſſionis effuſum, ſed ſanguinem miraculosè profluxiſſe ex quadam Chriſti effigie à Iudæis percuſſa; in cuius ſolutionis ſuffragium afferunt ſanctiſſimum Th. citatum *n.* 224. necnon Athanaſium quandam ſuam narrationem concludentem ſic de paſſione imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſic enim loquitur: *Hæc eſt vera, & credula ratio de cruore lateris Domini noſtri Saluatoris, qui profluxit de ſancta imagine ipſius, quæ crucifixa eſt in Syria in Beritho ciuitate. Hic eſt etiam ſanguis dominicus ille, qui apud plures repertus eſſe dicitur, nec eſſe aliter æſtimandum eſt à verè Catholicis, præter id, quod ſcribitur à nobis, quaſi ex carne, & ſanguine Chriſti aliquid poſſet inueniri, niſi illud, quod in ara altaris manu ſacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur.* Ex quibus fit, hiſtorias allatas nullius eſſe roboris. 230.

Sed replicabis, nam licèt ſolutio hæc ſufficiens ſit, vt aſſenſum non ita firmum præſtemus ſanguini illi, quem Eccleſiæ in ampullis aſſeruant, ita vt exiſtimemus eum effluxiſſe è corpore Chriſti taliter, vt contrarium contigiſſe negemus; tamen non ſufficit noſtrum aſſenſum infirmare circa maculas ſanguineas, quæ in ſpinis, clauis, & ſindone conſpiciuntur, ſiquidem iſtæ relinqui non potuerunt ex cruore violenter orto ex aliqua imagine à Iudæis percuſſa, ſiquidem antequam talis imago à Iudæis impeteretur, tales maculæ ſanguineæ in ſindone, & clauis &c. cernebantur. 231.

Reſpondebis, maculas iſtas ſanguineas in ſpinis, clauis, & ſindone inuentas rationem veri ſanguinis minimè participare, ſed ad ſummum habere in ſe colorem maximè ſimilem colori ſanguinis, quem claui, & ſpinæ participauerunt ex contactu, quem habuerunt cum ſanguine proprio Chriſti. 232.

Sed replicabis: ſanguis Chriſti eo ipſo, quòd clauis, & ſpinis ſuum colorem impreſſerit, dici debet relictus in clauis, & ſpinis. Ergo ſi admittit ſolutio colorem in ſpinis eſſe relictum ex contactu ad ſanguinem Chriſti, admittere debet ſanguinem aliquem Chriſti in ſpinis &c. eſſe propriè relictum. Antecedens patet, quia ſanguis Chriſti ſeipſo ſine ſuiipſius adhæſione ad ſpinas non poterat ſui colorem rubeum in ſpinis producere. Ergo eo ipſo, quòd illis ſanguis Chriſti ſuum colorem impreſſerit, debet dici relictus in clauis & ſpinis. Antecedens patet, nam ſanguinem in ſe habere colorem rubeum, non ſufficit ſolùm per ſui contactum aliud ſubiectum reddere rubeum. Ergo vt illud rubeum reddat, neceſſe eſt, quòd aliquam partem ſui per adhæſionem tali ſubiecto communicet. Antecedens patet experientiâ in corpore albo per ſolum ſuum contactum non valente alia ſubiecta alba reddere. 233.

Argues, ſi ſanguis iſte in terris relictus eſt, vel eſt vnitus verbo, vel non. Primum negabimus. Ergo ſecundum. Ergo non totus ſanguis in paſſione effuſus, fuit verbo vnitus, quod contrariatur aſſerto *num.* 219. adducto. Reſpondeo aſſertum noſtrum ſolùm loqui de ſanguine, qui reſurrecturus erat, cùm autem ſanguis ille in terris relinquendus, non eſſet 234.

reſur

reſurrecturus, ideo de illo aſſertum noſtrum non eſt intelligendum.

235. Sed replicabis. Sanctiſſimos Patres & Authores communiter docere totum ſanguinem effuſum, eſſe in reſurrectione recuperatum. Ergo vel non eſt aliquis verus ſanguis relictus in terra, vel loquutio Sanctiſſimorum Patrum, & Authorum vera non eſt. Reſpondeo, Antecedens eſſe verum iuxta explicationem ſtatim dandam quæſito immediato.

236. Quæres vltimò, Quantùm ſanguinis de illo, quem habuit Chriſtus in vita ſua, aſſumpſerit in reſurrectione? Reſpondeo, non totum ſanguinem quem habuit Chriſtus in tota vita ſua, in reſurrectione aſſumpſit. Ratio eſt conſpicua, ſiquidem ſi Chriſtus totum ſanguinem, quem ſucceſſiuè per totam vitam beneficio actionis naturalis hepatis acquiſiuit, ſibi aſſumpſiſſet in reſurrectione, longè, quam par eſſet, eius corpus glorioſum excreuiſſet ob ingentem ſanguinis copiam. Quod eſt valdè rationi diſſonum. Secundò, quia multæ partes ſanguinis, quem in vita Chriſtus habuit fuerunt conuerſæ in alias partes ſolidiores corporis, nempe in carnem, oſſa, &c.

237. Suarez addit ad hæc *tomo 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 3. §. ſolum poteſt inquiri.* Eſſe veriſimile, Chriſtum plus ſanguinis habuiſſe in reſurrectione, quàm vnquam in tota ſua vita ſimul habuiſſet, rationem dat, quia ſunt aliqua loca in corpore humano, quæ in vita mortali fæcibus, & excrementis inutilibus replentur, quæ inquam loca in corpore glorioſo debent aliquo alio repleri nempe ſanguine perfectiſſimo: Et in fauorem ſui aſſerti allegat Sanctiſſimum Doctorem *in quartum, diſtinctione quadrageſima quarta, quæſtione prima, articulo ſecundo, quæſtiuncula prima ad ſecundum*, docentem, inteſtina futura eſſe in corporibus glorioſis *non plena turpibus ſuperfluitatibus, ſed nobilibus humiditatibus.* Vnde deducit Suarez partem aliquam ſanguinis, quem antea Chriſtus poſſidebat, & per reſolutionem aliòve modo ipſe perdiderat, fuiſſe teſtitutam in reſurrectione ad illa aſſignata loca decenter replenda.

238. In modum hunc dicendi inuehitur acriter Cardinalis de Lugo *vbi ſuprà ſectione ſexta.* Primò, quia ſi id eſſet dicendum de inteſtinis, diceretur etiam de ſtomacho, ſeu ventriculo, qui cum ibi etiam cibos non habeat, replendus eſſet ſanguine, ne maneret vacuus, quod tamen ex ſe affert indecentiam & improportionem magnam, ſtomachum habere ſanguine plenum: præſertim cùm ſanguis extra venas exiſtens non iuuet, nec cooperetur, imò noceat naturæ, vt conſtat experientia. Sed ratio hæc omnis efficax non eſt, nam admitti poſſet ſequela; ad eius impugnationem reſpondere poſſet Suarez. Inter duo, quæ alicui ſubiecto improportionata ſunt, eligendum eſt minùs illi improportionatum, quando non adeſt ratio vrgens contrarium denincens: Cùm enim inter hoc, quod eſt inteſtina, ſtomachum, & ventriculum eſſe vacua, vel ſanguine repleri, magis illis vacuitas, quam natura ſemper horret, repugnat, quam ſanguinis repletio; & aliunde ratio allata efficacitet negationem iſtius repletionis non ſuadeat, exinde fit, prædicta loca poſſe ſanguine repleri.

Secundò, arguit Cardinalis Lugus *numero octogeſimo quinto*, nam ex vi conſecrationis factæ à Chriſto in cœna, poſitum fuit corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, atque adeo ſtomachus, inteſtina, &c. Stomachus inquam, non plenus cibo, & inteſtina non cum excrementis, ſi quæ habebant, ſed pura & vacua; nec enim poſita fuerunt ſub ſpeciebus, quæ non erant partes, vel accidentia humanitatis, nec habebant vnionem cum illa; & tamen Chriſti corpus ſub ſpeciebus retinebat pulchritudinem, & decorem requiſitum. Ergo non pertinet ad decorem, & pulchritudinem corporis glorioſi, quòd ſtomachus ſit plenus, & inteſtina ſint plena alio corpore replente; imò ſicut ad agilitatem, & motum, ſic etiam ad decorem, & venuſtatem corporis magis videtur conducere ſtomachum, & inteſtina vacua, & expedita habere, quàm plena; nam illa ſtomachi obſtructio aggrauat corpus, hebetat ſenſum, & natiuum vultus colorem, ac ſplendorem obnubilat. 239.

Fateor argumentum hoc vim ſatis efficacem habere, potiſſimùm cùm vacuitas illorum vitari poſſit mediis humoribus, quibus repleri poſſint, & plura eorum plena ſint aëre, vt fortaſſe dicemus infrà pulmonem, thoracem, vocalem arteriam aëre eſſe referta in corpore Chriſti in cœlo Empireo exiſtente. 240.

Sectio VI.

Verbum immediatè aſſumpſit bilim, pituitam, & melancholiam.

Sectione prima huius dubij quinti, vbi notabilia generalia dedimus, deſignauimus ſeptem humores, de quibus poteſt intelligi titulus dubij, licèt ſub ſanguinis nomine præcipua inſtituta ſit apud Authores contentio. Humores enim vtiles diximus ſeptem eſſe. Sanguinem videlicet, pituitam, bilem, melancholiam, rorem, cambium, & gluten. De ſanguine ſectiones antecedentes egerunt, in his autem, quæ ſuccedunt, de cæteris humoribus inſtituendus eſt ſermo. Primò, de tribus, nempe pituita, bili, & melancholia; ſectio verò ſexta rorem, cambium, & gluten explicabit. 241.

Ratio concluſionis; Etenim prædicti tres humores ſpectant ad integritatem naturæ, non quis anima rationali informentur. Ergo aſſumpti immediatè fuerunt à Verbo. Antecedens patet, nam etſi ſanguis animatus non ſit, ſpectat ad integritatem naturæ. Ergo quamuis humores iſti animati non ſint, ſpectabunt ad integritatem naturæ. Antecedens ex dictis patet, conſequentiam probo, quia ex eo quòd ſanguis neceſſarius ſit ad naturæ integritatem, colligitur humorum iſtorum neceſſitas ad prædictam integritatem. Ergo, &c. Antecedens patet, nam tales humores neceſſarij ſunt vt ſanguinem ad debitam 242.

tam temperiem reducant. Ergo ex neceſſitate ſanguinis ad naturæ integritatem colligitur neceſſitas humorum ad illam. Antecedens patet, nam ob finem illum, vt ſcilicet temperies ſanguinis ſaluetur, Author naturæ ſanguinem à prædictis humoribus non ſegregat, ſed ipſum cum prædictis humoribus generat, & in eodem loco, nempe in venis, illos cum ſanguine reponit. Lege Medicos, & experieris; imò anima tribus deſignatis humoribus vtitur ad aliquas vitales generationes obeundas, lege Innocentium *in capite in quadam celebratione Miſſarum*. Ergo humores iſti ad minùs neceſſarij ſunt, vt ſanguinem in debitam temperiem reducant. Ad quid enim tanta ſanguinis cum humoribus iſtis coniunctio, & in eodem loco repoſitio, ſi ſanguinis temperiei prædicti humores non inſeruirent? Ergo tales humores aſſumpti fuerunt à Verbo, ſiquidem quidquid quouis modo partis corpus integrantis participauerit, à diuino Verbo fuit immediatè aſſumptum, vt vidimus millies.

244. Confirmatur; Etenim complexio humani corporis per ſe pendet ex debita mixtione omnium quatuor humorum, bilis, pituitæ, melancholiæ, & ſanguinis; taliter vt totidem temperamenta deſignauerit Auicenna, quot ſunt humores; Aliud enim appellat ſanguineum à ſanguine, aliud pituitoſum à pituita, aliud à bili bilioſum, at aliud melancholicum à melancholia: Et licèt communiter cum Galeno differentiam temperamenti plures frequenter deſumant ex primis quatuor qualitatibus, ita vt aliud ſit calidum, aliud frigidum, aliud humidum, & aliud ſiccum; tamen ſimul concedunt in temperamento calido plus aut ſanguinis, aut bilis inueniri; in frigido autem plus aut pituitæ, aut melancholiæ. Ex quo aſſerunt Galeniſtæ, teſte Valleſio *libro primo controuerſiarum, capite ſeptimo immediatè poſt principium*, qualitatum primarum prædominationem ortum ducere à prædominatione humorum. Vnde rurſum fit, quemlibet ex iſtis tribus humoribus minimè eſſe noſtræ ſubſtantiæ expertem, aut ab ea alienum: quodque optimè colligitur ex Hippocrate *in libello de natura humana* iſtos humores naturales appellante. Ergo prædicti humores ſpectant ad integritatem naturæ humanæ.

245. Confirmatur tertiò. Iſti humores in reſurrectione ſunt Chriſto reſtituendi. Ergo humores iſti ſunt immediatè à Verbo aſſumpti. Conſequentia bene infertur, nam licèt non valeat ſemper, pars hæc eſt aſſumpta à Verbo. Ergo eſt in reſurrectione Chriſto reſtituenda, vt infrà videbimus; tamen bene valet. Hæc pars eſt reſtituenda Chriſto in reſurrectione. Ergo fuit à Verbo aſſumpta. Nunc antecedens probo, nam eam docet expreſſè Sanctiſſimus Doctor *hìc quæſtione quinquageſima quarta, articulo ſecundo ad ſecundum*, & de Chriſto eam docet Sanctus Auguſtinus *epiſtola ducenteſima quadrageſima ſexta ad Conſentium*. Præterea nam in reſurrectione eſt Chriſto dandum quod neceſſium fuerit ad ſaluandum corpus eius omni genere perfectionis integrum; cúmque probauerimus tres iſtos humores ſpectare ad corporis Chriſti integritatem, fit, eos eſſe Chriſto in reſurrectione reſtituendos.

Sed argues, iſti humores in ſua puritate non ſpectant ad integritatem naturæ. Ergo non ſunt aſſumpti. Antecedens patet, etenim fel (id eſt bilis pura) non omnia animantia comitatur, & tamen ſine illa integra dicuntur prædicta animantia. Ergo iſti humores non ſpectant ad integritatem naturæ. Antecedens patet, nam illud docet Plinius *libro vndecimo naturalis hiſtoriæ, capite trigeſimo ſeptimo* Et Ariſtoteles *libro tertio de partibus animalium, capite duodecimo*. Et idem Plinius id ipſum aſſerit è melancholia in pluribus animalibus minimè reperiri. 246.

Reſpondeo ex dictis pro concluſione, negando antecedens, intellectum de integritate naturæ humanæ. Ad probationem omitto prædictos humores in ſua puritate in aliquibus animalibus non inueniri; tamen certum eſt, complexionem humanam eos deſiderare; vt Medici omnes tam Arabes, quàm Latini teſtantur, cúmque Chriſti corpus ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtratibus, fit, quòd ſicut tales humores corpora integrant, etiam Chriſti corpus integrare dicantur: ob quam cauſam ſimiliter cenſeantur aſſumpti à Verbo, vt probauimus. 247.

SECTIO VII.

Humores alij, nempe ros, cambium, & gluten fuerunt hypoſtaticè vniti Verbo.

Reſolutio hæc habet duas partes. Prima de rore, & cambio docet eſſe à Verbo hos duos humores aſſumptos; Secunda de humore glutinis id ipſum affirmat. Pars prima probatur, Etenim ros, & cambium minimè ſubſtantialiter à ſanguine differunt, ſed ad ſummum accidentaliter, ſiquidem ros, & cambium eſt ſanguis venarum attractus, & in poris receptus, vt vidimus latè *ſectione ſecunda*. Ergo ſi ſanguis in venis eſt aſſumptus, vt ſuprà dedimus, etiam debet aſſumi, vt in poris exiſtens. Conſequentia patet, etenim ſanguis idem, qui in poris exiſtit, extitit in venis. Ergo vel vt in venis non fuit aſſumptus, vel vt in poris aſſumptus debet eſſe. Conſequentia patet, quia ſi vt in poris exiſtens non eſt aſſumptus, ideo eſt, quia eo inſtanti, in quo eſt à venis extractus dimiſit illum diuinum Verbum. Sed nullum apparet fundamentum, cur talis ſanguis à Verbo dimittatur. Ergo vel vt in venis exiſtens non fuit aſſumptus, vel vt in poris etiam debet aſſumptus eſſe. Minor patet, quia ſi aliquod daretur, maximè quia talis ſanguis eſt iam extractus à venis; ſed quia extractus eſt ab illis non ſufficit, vt dimittatur à Verbo. Ergo nullum eſt fundamentum, cur talis ſanguis à Verbo dimittatur. Probo minorem, 248.

rem, nam eſſe extractum à venis non tollit ab illo ſanguine eſſe partem corporis integrantem. Ergo eſſe extractum à venis præciſè non ſufficit vt dimittatur à Verbo. Antecedens patet, nam eſſe extractum à venis non tollit in ſententia contraria, quòd deſinat eſſe ſubſtantialiter ſanguis. Sed humor, qui ſubſtantialiter eſt ſanguis, eſt eſſentialiter pars integrans corpus. Ergo humores illos eſſe extractos à venis, & in poris recipi non tollit ab illis eſſe partem integrantem corpus.

248. Confirmatur, nam ſuppoſito, quòd iſti Authores admittant, rorem & cambium eſſe ſanguinem eundem cum ſanguine in venis exiſtente, ſaltem ſubſtantialiter, & ſolùm ab illo accidentaliter diſtinctũ, non videtur ſufficiens ratio, cur per ſolam attractionem, & alterationem accidentariam debeat à Verbo dimitti; ſiquidem quod ſemel Verbo hypoſtaticè eſt vnitum, non debet enunciari à nobis dimiſſum eſſe ab illo ſine eo, quòd adſit ratio ſufficienter ſuadens talem dimiſſionem; hæc autem accidentalis mutatio nullam vim habet ad prædictam dimiſſionem ſuadendam, vt conſtat ex aſſertis. Ergo, &c.

249. Sed arguit Suarez *tom. 1. in 3. p. diſp. 15. ſect. 7. §. Sed quid de illis ſubſtantiis*, iſti humores ſunt quædam ſubſtantiæ intermediæ inter cibum, & ſanguinem, cuius perfectam naturam nundum induerunt, quamuis ſint in via ad ipſam. Ergo tales humores non ſunt ſubſtantialiter ſanguis. Ergo non ſpectant ad integritatem naturæ: quia in tantùm per nos ſpectant ad naturæ integritatem, in quantùm ſubſtantialiter tales humores ſunt ſanguis. Ergo non ſunt tales humores aſſumpti. Probo conſequentiam, nam eatenus eſſe aſſumptos diximus, quatenus eos humanitatis partes iudicabamus. Ergo ſi non ſunt partes, non erunt aſſumpti.

250. Reſpondeo, Antecedens eſſe falſum, & continere doctrinam contrariam omnium Medicorum cœtui; etenim ros, & cambium non ſunt ſubſtantiæ mediæ inter cibum & ſanguinem, quaſi cibus priùs conuertatur in rorem, & cambium, quàm in ſanguinem; cùm potiùs ſint ſubſtantiæ mediæ inter ſanguinem venarum, & gluten; quodque edoctum eſt à primoribus Medicis, etenim iuxta illos id, quod inter cibum & ſanguinem mediat, exiſtens in ventriculo, appellatur chylus, & in iecore chymus dicitur, de his enim communiter ferunt Theologi antiqui vt Richardus, Sanctus Bonauentura, & Syluester *in aurea roſa* minimè eſſe à Verbo hypoſtaticè aſſumptos, nec in reſurrectione redituros, quippe prorſus excluſos à ratione veræ partis corpus integrantis. Quid autem ros, & Cambium ſint, vide notabilia *ſect.* 1. allata, & quæ *ſect.* 2. dedimus.

251. Argues ſecundò, per nos ros, & cambium, vt ſuprà diximus, non ſunt Chriſto in reſurrectione reſtituti. Ergo non fuerunt hypoſtaticè vniti. Antecedens ſupponitur. Conſequentia patet, quia iſti humores ſunt ſanguis nutrimentalis. Sed ſanguis nutrimentalis Verbo vnitus, & effuſus, eſt Chriſto in reſurrectione reſtitutus. Ergo vel iſti humores non ſunt hypoſtaticè vniti, vel debuerunt Chriſto in reſurrectione reſtitui. Hoc eſt fundamentum Ioannis de Poliaco aſſerentis. In agonia horti totum ſanguinem nutrimentalem fuiſſe effuſum, atque adeo teſtatur, nullum fuiſſe ſanguinem nutrimentalem in Chriſto tempore paſſionis, qui effundi poſſet, aliàs dicendum eſſet, talem ſanguinem fuiſſe Chriſto in reſurrectione reſtitutum, quia ſupponit, ſanguinem effuſum tempore paſſionis fuiſſe ipſi Chriſto reſtitutum in reſurrectione.

Reſpondeo antecedens concedens, & nego 252.
conſequentiam, Ad probationem do maiorem, & nego minorem. Itaque permiſſo dandum eſſe ſanguinem nutrimentalem à naturali diſtinctum, hic vel deberet eſſe ille, qui in chymo nondum perfectam rationem ſanguinis eſt adeptus, vel ille, qui in poris accipit formam roris, aut cambij. Quomodocumque ſumatur ſanguis nutrimentalis, ſiue ſubſtantialiter à vero & perfecto ſanguine differat, vt Suarez defendit, & non parum inclinatur Caietanus; ſiue ſolùm ab illo accidentaliter diſtinguatur, vt nos tuemur, debet eſſe vel chylus, vel chymus, vel ros, vel cambium. Hoc ſtatuto, falsò exiſtimat Poliacus, Chriſtum tempore paſſionis non habuiſſe ſanguinem nutrimentalem. Tum quia illum abſolutè conceſſit ſanctiſſimus Doctor *quodl. 5. q. 3. art. 5.* Tum etiam, quia cum Chriſtus in cœna paucis horis ante ſudorem in horto effuſum comederit, & biberit, incredibile videtur cibum illum in tam breui tempore fuiſſe in ſanguinem conuerſum; atque adeo credibile eſt, in illo tempore habuiſſe chylum, & chymum; Necnon in poris tunc temporis negare nutrimentum, quod appellatur ros, vel cambium, quis prudenter ambigere valebit? Ad illud autem, quod additur de ſudore ſanguinis in horto, fateor tanquam probabilius, Chriſtum in agonia verum ſanguinem ſudaſſe, & ſimul aſſero, totum humorem ſecundarium nempe rorem, & cambium vnà cum ſanguine exiuiſſe; verùm cum hoc compatitur, in reliquo tempore debuiſſe membra haurire ex venis naturaliter ſibi debitum alimentum.

Ex doctrina iſta optimè colligitur, elapſo ſu- 253.
dore in Chriſto ipſum tempore paſſionis habuiſſe ſanguinem nutrimentalem; ex quo rurſum fuit, quod ſi tempore paſſionis Chriſtus ſanguinem venarum effudit, quod ſimul cum illo prædictum ſanguinem ſecundarium, qui nutrimentalis dicitur, ipſe Chriſtus effuderit, etenim teſte Conciliatore *differentia* 33. ſanguis iſte roricus cum diuiditur caro, primus exire dicitur cum venarum ſanguine, qui dolore attrahi dicitur, ex hoc autem quod effuſus fuerit ſanguis nutrimentalis, non rectè infertur, ipſum fuiſſe reſtitutum Chriſto in reſurrectione. Vnde quando communiter dicitur, totum ſanguinem in paſſione effuſum, eſſe reddendum Chriſto reſurrecturo, intelligendum eſt de ſanguine perfecto, qui proximè ante mortem in venis erat, tametſi exiguam illius quantitatem aliqui excipiant; non tamen eſt intelligendum de ſanguine ſecundario extra venas commorante.

Nec vim auget probatio illa, nempe ros & 254.
cambium, qui dicitur ſanguis ſecundarius, & nutrimẽtalis, fuit Verbo vnitus, atque adeo debuit reſtitui Chriſto in reſurrectione; non enim

vim habet, quia non quidquid fuit Verbo hypoſtaticè vnitum, debuit in reſurrectione Chriſto reſtitui, & hoc patet in ipſo rore, & cambio, etenim hi humores erant neceſſarij Chriſto nobiſcum viuenti ad nutritionem abſoluendam; ad conſiſtentiam tamen vitæ ſuæ neceſſarij prorſus non erant, & cum ea alia parte Chriſto à mortuis reuocato repugnet nutritio, fit, quod eo inſtanti in quo effundebantur, amittebant ordinem partis actualis humanitatis, quia ſeparabantur, & partis in potentia, quia relictus non eſt in illis ordo ad integrandam naturam amplius media nutritione, quæ reſurrectionis ſtatui repugnat.

255. Secunda verò pars concluſionis dicebat, gluten etiam fuiſſe vnitum Verbo; & eſt facilior præcedenti; ratio, nam gluten eſt humor iam conuerſus in ſubſtantiam membrorum, atque adeo eſt pars corpus Chriſti integrans; & ob hanc cauſam talis humor eſt Chriſto reſurgenti reſtituendus.

256. Sed argues, non eſt maior ratio, cur iſte humor, cùm ſecundarius ſit, humanitati Chriſti ſit in reſurrectione reddendus, cæteri vero illi reddendi non ſint. Ergo cùm bene valeat iſte humor rediturus eſt. Ergo fuit aſſumptus, optimè etiam valebit, eſt aſſumptus, ergo reſurrecturus eſt, ſiquidem tam vnionis ad Verbum, quam reſurrectionis optimum argumentum eſt, humorem aliquem eſſe partem, quod tam rori, cambio, & glutini conuenire dicitur.

257. Reſpondeo: tam rori, cambio, & glutini conuenire eſſe à Verbo aſſumptos humores, licèt ſolùm glutini reſurrectio conueniat; ratio differentiæ, quia gluten eſt humanitatis pars actualis ſemper, etenim humor hic ab illis differt, in hoc, quod iſte ſit iam conuerſus in ſubſtantiam membri, à quo non ſeparatur, at ros & cambium adhuc in propria perfecti ſanguinis forma conſiſtunt, alterata tamen, & redacta ſub illas formas accidentarias ad nutriendum ſolum deſtinatas, cùm igitur in reſurrectione nutritio non ſit dabilis, nec tales humores, quibus fit, dabuntur; atque adeo cùm iſti humores ſtatim, ac effunduntur amittant omnem rationem partis, exinde fit, illos non redituros in reſurrectione.

258. His tamen non obſtantibus libuit partem iſtam aliqualiter limitare, videlicet quòd glutinis ſubſtantia ſit reditura, non tamen ſub forma accidentaria glutinis, ſub qua eſt ſub diſpoſitione molliſſima, nondum ſolidata perfectè, quod imperfectionem notare videtur ſtatui ſolidiſſimo, quo vigent corpora à mortuis reuocata.

Sectio VIII.

Verbum aſſumpſit ſpiritum animalem, vitalem, & naturalem.

259. NOta breuiter diffinitionem ſpiritus ex Medicis, & Philoſophis exhibitam, ſpiritus enim eſt ſubſtantia quædam tenuis ex puro, & defæcato ſanguine elaborata, quæ præ ſui exiguitate ad inſtar tenuis auræ refrigerat; Nota rurſum, ſpiritum diuidi in vitalem, animalem, & naturalem; Primus qui ad vitam protegendā ex corde, quod vitæ eſt radix, per arterias excurrit. Animalis verò à cerebro, quod omnium actionum animalium principium æſtimatur, per neruos ad ſenſitiuas functiones perhibetur; naturalis verò è iecore diffunditur in ſingulas corporis partes, eo videlicet fine vt talium partium elaboretur concoctio.

Ratio concluſionis breuis; Etenim vt ſæpè monuimus quidquid in Chriſto habuerit rationem partis integrantis corpus, eſt hypoſtaticè vnitum Verbo. Sed recenſiti ſpiritus verè ſpectant ad integritatem corporis humani, quippe neceſſarij, tum ad vitam conſeruandam, tum etiam ad exercitia vitæ exequenda, vt Fernelius *lib. 4. Phyſiologiæ*, qui eſt de ſpiritibus; & Valleſius *lib. 2. controu. c. 4.* Thomas de Garbo *in ſua ſumma medicinali, lib. 1. tract. 4. q. 31* & communiter Medici oſtendunt. Ergo tales humores propriè fuerunt à Verbo hypoſtaticè vniti. 260.

Sed quæres, an prædicti ſpiritus ſint corpori Chriſti in reſurrectione reſtituendi? Affirmo ob eandem rationem, & non vtcumque quia præcisè ſunt quomodolibet partes corpus humanum Chriſti integrantes; nam etiam ros, & cambium ſunt partes integrantes corpus Chriſti, & tamen non redierunt in reſurrectione; ſed quia tales ſpiritus ſunt neceſſarij vt partes conferentes conſiſtentiam humanæ naturæ. 261.

Sed nota, quòd tales ſpiritus manebunt in reſurrectione incorruptibiles, nec euaneſcent, tametſi non ſemper eidem loco exiſtent affixi; ſed ex hoc in alium locum pro exigentia operationis exequendæ decurſuri erunt, quin aliquam alterationem efficiant: Etenim talis ſpirituum inceſſus præſumitur neceſſarius, vt admittantur in reuocatis à mortuis actiones ſenſuum externorum potiſſimùm viſionis corporeæ, & affectus appetitus ſenſitiui. 262.

Colliges contra Durandum ex dictis in toto hoc dubio, quod dum diximus de ſanguine & reliquis humoribus eſſe Chriſto in reſurrectione reſtitutos debet intelligi de reſurrectione eorundem identitate numerica: ratio eſt clara, nam ſi admittit Durandus *in 4. diſt. 44. q. 1. ad finem*, eandem carnem numero, quam poſſederat Chriſtus, dum agebat mortalem vitam, fuiſſe Chriſto reſtitutam. Cur id ipſum non affirmauit de ipſius ſanguine? Nam humana natura ex carne & ſanguine componi dicitur. Cur enim eadem numero caro, & non idem numero ſanguis eſt Chriſto reſtituendus? De hoc rationem non reddit Durandus. Rurſum ſi id de ſanguine concedit, det etiam rationem cur ſanguis idem numero ſit rediturus, & iidem ſpiritus numero reſtituendi non ſint?

Sectio IX.

Verbum immediatè non aſſumpſit accidens, vt ſubſiſteret, nec vt exiſteret ſubſiſtentia, aut exiſtentia diuina.

REſolutio hæc euidenter deducitur ex his, quæ non parum diffusè dedimus *diſp. 2. de aſſumptibili, dub. 7. ſect. 6. à num. 298. vſque ad* 264.

ad 316. Etenim ibi reſoluimus, nullum accidens eſſe aſſumptibile etiam de potentia abſoluta ad hypoſtaſim diuinam, nec ad diuinam exiſtentiam; ex quo euidenter infertur, nullum accidens de facto fuiſſe immediatè à Verbo aſſumptum, vt ſubſiſtat, vel vt exiſtat diuinâ ſubſiſtentiâ, vel exiſtentiâ. Quapropter ſectionem hanc breuiter abſoluemus remittentes Lectorem ad præallegatum locum patum ab hoc diſſidentem; & rationem huius reſolutionis vberiorem reperiet, his igitur omiſſis ibidem neceſſariò videndis, vt præfixa reſolutio ex omni parte probata maneat.

264. Aduerto cum communi placito, Verbum accidentia humanitatis mediatè aſſumpſiſſe: ratio eſt facilis, quia Verbum immediatè aſſumpſit materiam, & formam (diuerſitate non ſemel aſſignata) ſed iſtis inhærebant plura accidentia, vt qualitates corporeæ in materia, vt quidam vel in toto materiali, & ſpiritnales in anima. Ergo Verbum dici poterit accidentia illa ſaltem mediatè aſſumpſiſſe. Vnde aliud eſt, accidentia eſſe aſſumpta in hypoſtaſi, & aliud eſſe ab hypoſtaſi aſſumpta; illud ſolùm denotat mediatam accidentis cum Verbo vnionem, nam reddit hunc ſenſum, accidentia, quæ inſunt naturæ humanæ aliàs diuinæ Perſonæ vnitæ, inſunt in Perſona diuina, & hoc verum eſt, nam Verbum talia accidentia habebat, quapropter calidum, & frigidum denominabatur ſalteni per communicationem idiomatum. Illud verò nempe, accidentia eſſe aſſumpta ab hypoſtaſi, notat immediatam vnionem illorum cum Verbo, vt cuius ſubſiſtere dicantur, & hoc eſſe falſum loco citato non inutiliter oſtendimus.

265. Sed argues contra reſolutionem, intendens probare accidentia de facto eſſe aſſumpta immediatè à diuino Verbo; Etenim ſicut entitas ſubſtantialis, vt completa ſit, duas habet independentias, vnam à ſubiecto, & alteram à ſuppoſito; ſic entitas accidentalis, vt completa ſit, duas debet habere dependentias, vnam à ſubiecto, quam habet per eductionem ex illo, & alteram à ſuppoſito, quam nequit habere niſi per vnionem immediatam cum ipſo. Ergo vt completa ſit accidentis entitas debet cum ſuppoſito immediatè vniri.

266. Sed argumentum hoc ſeipſum dirimit, etenim propoſitio hæc eſt certa, entitas ſubſtantialis eſt independens à ſuppoſito, entitas accidentalis eſt à ſuppoſito dependens. Sed hoc eſſet falſum, ſi accidens immediatam cum ſuppoſito exigeret vnionem, qualem entitas ſubſtantialis exigere dicitur; Ergo, &c. Probo minorem, ſiquidem ſi vtraque entitas exigeret immediatam iſtam vnionem cum ſuppoſito, dicat arguens, cur ſubſtantia ſit independens à ſuppoſito, & accidentalis dependens dicatur?

267. Secundò, Etenim ſi neutra talium entitatum completa eſt, quouſque ſuppoſito copuletur, Ergo vel vtraque entitas completur per ſuppoſitum, vel neutra per illud completur. Sed vtrumque eſt falſum; ergo & quod neutra ſit completa, quovſque ſuppoſito copuletur. Probo minorem quoad vtramque partem, Quoad primam, ſiquidem vt latè oſtendimus citato loco implicat entitati, quæ accidens eſt, completi per id, quod eſt ſubſtantia. Ergo vtraque illa entitas non completur per ſuppoſitum. Quoad ſecundam partem probatur eadem minor; quia æquè falſum eſt, naturam, quæ ſubſtantia eſt, per ſuppoſitum non compleri, ac ſit falſum accidentis entitatem compleri per ſuppoſitum. Ergo falſum eſt, neutram illarum entitatum per ſuppoſitum non compleri. Ergo & falſum eſt aſſumptum arguentis, videlicet neutram illarum entitatum completam eſſe, quovſque ſuppoſito copuletur.

268. Reſpondeo argumento *n.* 265. adducto, notans, verba illa, *dependere à ſuppoſito, & non dependere a ſuppoſito*, ſi ſtrictè accipiantur, vt ab Authoribus accipi ſunt ſolita, nullo modo poſſe accidentali naturæ accommodari; Etenim non dependere à ſuppoſito ſtrictè acceptum, denotat habere complementum ſubſtantiale proprium; non diſſimiliter, ac dependere à ſuppoſito, eſt complemento ſubſtantiali proprio carere, & habere alienum. Vnde accidens propriè loquendo nec eſt independens à ſuppoſito, cum proprij complementi ſubſtantialis ſit expers, nec propriè dicitur à ſuppoſito dependens, cum proprio complemento ſubſtantiali careat; Itaque ſolùm dici poteſt de accidēti quòd ſit independens ab alieno complemento, quando ſuum complementum accidentale poſſidet, ea videlicet ratione, ac ſubſtantia, dum complementum proprium obtinet, ab alieno non dependere dicitur; & licèt in hoc aſſimilentur, etiam in hoc diuerſitatem patiuntur, etenim vt explicemus independentiam illam, quam à ſuppoſito habet ſubſtantia, adſunt nobis voces ſufficientes, videlicet independentia à ſuppoſito; non tamen vt explicemus illam independentiam ſibi propriam, quam accidens habet, ſuppetunt nobis voces, niſi dicamus independentiam accidentis propriam eſſe independentiam ab alio complemento accidentali.

299. Argues ſecundò. Si propter aliquam rationem, accidens immediatè verbo non vniretur, maximè, quia verbum ſupplet ſolùm ſubſiſtentiam humanam: cùm igitur hæc non terminet accidentia, fit, hæc minimè immediatè Verbo diuino copulari. Sed hæc ratio, ait Cippullus, eſt inefficax. Ergo. Probat minorem; Etenim nos agentes de ſanguine in hoc *dub ſect.* 2. *n.* 164. diximus eſſe immediatè aſſumptum à diuino Verbo, etiamſi non viuat anima rationali, ſed alia forma ſibi propria; at ſi anima rationali ſanguis non informetur, non poterit iſte terminari humanâ ſubſiſtentiâ, ſeu qua homo ſubſiſtit, cùm humana ſubſiſtentia ſequatur ad animam rationalem: & hoc non obſtante diximus ſanguinem immediatè eſſe vnitum Verbo diuino. Ergo quamuis accidentia in homine non ſubſiſtant humanâ ſubſiſtentiâ, quam Verbum ſupplere dicitur, erunt de facto Verbo diuino copulata immediatè, ſicut ſanguis.

270. Reſpondeo primò, rationem, qua conuincimur, accidentia non eſſe aſſumpta immediatè à diuino Verbo, non eſſe illam ſolùm, quam deſignat arguens, ſed eam, quam latè diffudimus *citato loco n.* 263. Verùm nec ideo deſpicimus iſtam ab arguente impugnatam; Ad impugnationem, quam affert Cippullus ex doctrina à nobis citato loco adducta, reſpondeo, ibidem

nos dixiſſe, ſanguinem tametſi non informatum anima rationali poſſe dici ſubſiſtere ſubſiſtentiâ humanâ; nam ibi notauimus, ſubſiſtentiam humanam poſſe conſiderari terminantem partes hominis dupliciter, ita vt hæc pars terminari dicatur illa, quia anima rationali informatur, ad quam ſubſiſtentia humana immediatè ſequitur: & hac ratione diximus, ſanguinem non dici terminari à nobis humanâ ſubſiſtentiâ; Secundo modo pars aliqua ſubſtantialis poteſt dici humanâ ſubſiſtentiâ terminari, quatenus talis pars vnitur alteri parti, quæ anima rationali informatur, atque adeo tali ſubſiſtentia hominis ſubſiſtit. Vnde in primo ſenſu, non verò in ſecundo negauimus ſanguini humanam ſubſiſtentiam; ſiquidem ſanguis immediatè vnitur carni, anima rationali informatæ, & humanâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtenti.

271. Sed replicabis: Ergo in hoc ſecundo ſenſu poterunt etiam dici accidentia ſubſiſtere humanâ ſubſiſtentia. Probo conſequentiam, nam etiam accidentia immediatè vniuntur compoſito hominis humanâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtenti. Sed hoc ſufficit in ſanguine, vt ſecundo modo per nos dicatur ſubſiſtere humanâ ſubſiſtentiâ. Ergo id etiam ſufficiet in accidente. Tunc vltra: ſed ſanguinem eſſe in hoc ſecundo ſenſu vnitum humanæ ſubſiſtentiæ, ſufficit, vt ſit immediatè vnitus Verbo. Ergo idem ipſum in accidente ſufficiet.

272. Reſpondeo eſſe diſparem rationem; quia ſanguinem ſubſiſtere hoc ſecundo modo humanâ ſubſiſtentiâ ſupponit aliundè in illo capacitatem ad ſic humano modo ſubſtantialiter ſubſiſtendum, ſiquidem in illo ſupponit prædicatum ſubſtantiæ, cui non repugnat compleri per humanam ſubſiſtentiam aliquo modo, quæ eſt ſubſtantia; tamen in accidente, quippe tali, ſupponitur prædicatum repugnans cum complemento ſubſtantiali; & ſic de illo adhuc verificari nequit, quòd ſicut ſanguis humanâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtere dicatur.

273. Argues vltimò: Eſt phraſis communis Sanctorum Patrum, Conciliorum æqualiter loquentium de aſſumptione animæ, & humanitatis, ac de aſſumptione intellectus, & voluntatis. Sed intellectus, & voluntas apud nos ſunt accidentia. Ergo ſicut animam & humanitatem, ita & accidentia aliqua ſecundum Sanctos Patres fuerunt à Verbo immediatè aſſumpta. Reſpondeo, phraſim illam applicari debere iuxta exigentiam ſubiectorum terminabilium; ita vt quod eſt immediatè à Verbo terminabile, dicatur immediatè terminatum de facto, ſicut humanitas, & anima; Quod verò ſolùm mediatè cum repugnantia ad immediatam terminabilitatem, vt accidentia, dicatur ſolùm mediatè à Verbo diuino de facto terminatum. Repugnantiam iſtam oſtendimus citato loco.

DVBIVM Vlt.

An Verbum diuinum aſſumpſerit hominem?

SECTIO vnica.

Noſtris temporibus propoſitio hæc Verbum aſſumpſit hominem abſolutè prolata, eſt falſa.

VT reſolutionem iſtam aperiam, præ oculis habeas verba illa, *noſtris temporibus*, quæ iſtius litis componendæ arbitram ſedem occupant. Sæpius dixi, & millies *tomo 2. tract. vltimo* repetam nullibi magis quàm de prædicatis in propoſitionibus Chriſto attribuibilibus eſt attendendus nominum, & locutionum vſus qui etiam inter Catholicos ipſos pro temporum, & locorum diuerſitate, diuerſitatem etiam eſt ſolitus ſuſtinere: id enim experimur in Eccleſia, quot enim voces, & nomina varietatem hanc temporis decurſu paſſa non ſunt! nec quid inueniri poteſt mutationi obnoxium potiùs quàm voces, Vide Horatium. 274.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque.
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus.

Cùm ergo varietas hæc ſignificationum, quâ in diuerſis temporibus, afficiuntur voces, fuerit occaſio Patribus vtendi illis in ea proprietate, quam conſonam Fidei præſumebant, dum autem ab illa ſignificatione exutæ induebant aliam, minus Fidei dogmatibus adhærentem, eas voces relinquebant, & loco illarum inſumebant alias, vt ſuos conceptus catholicè panderent. Exempla rem hanc manifeſtam reddent. Nomen hoc *hypoſtaſis* adeo vſitatum erat apud Patres Eccleſiæ nondum adultæ vt ſignificatum ſibi correſpondens, eſſet perſona, & ſuppoſitum, vide Dionyſium appellantem tres diuinas Perſonas ſub voce iſta hypoſtaſeon. Verùm tempore parum elapſo, vt teſtatur Nicephorus *lib. 10. Hiſtoriæ, cap. 15.* adfuit Concilium quoddam Alexandrinum vetans prædictam huius vocis ſignificationem, & decernens hypoſtaſis nomen deinceps non ſignificaturum Perſonas, ſeu ſuppoſita. Nunc autem in noſtra ætate plura ſunt celebrata Concilia quæ huic voci hypoſtaſis ſignificatum Perſonæ, & ſuppoſiti reſtituerunt, taliter vt nemo nunc ſit auſus negare, me volente vocem illam pro ſuppoſito inſumere, loquutionem illam eſſe propriam, & veram.

Præterea vox iſta, *creatura*, tempore, quo Ariani vigebant, nullo modo Chriſto applicabatur, ſi quidem apud illos tale nomen pro puro homine vſurpabatur. Rurſum, quando inſurrexit Monothelitarum error, prohibuit Honorius I. ne quis vnam, aut duas voluntates Chriſto aſcriberet, non vnam, quia exinde Hæretici occaſionem ſumebant ſuſpicandi 275.

vnam

vnam ſolam naturam vnius voluntatis radicem Chriſto attribui; non duas, ne exiſtimarent, Chriſto duas Perſonas concedi. Poſtea verò noſtris temporibus, rebus amplioti examini datis, expertum ſit compati poſſe cum dualitate voluntatum vnitatem perſonæ in Chriſto, iam licet, imò contrarium non licet, Chriſto duas voluntates perhibere. Præterea vna iſta, Mater Chriſti dum incipiebat Eccleſia ſuæ veritatis mittere radios, ſine diſcrimine Virgini Mariæ tribuebatur. Cùm id doceatur ab Euangeliſtis frequenter. At cuique legenti epiſtolam Sancti Cyrilli relatam in Epheſino *tom. 6. cap.* 17. & Sanctum Damaſcenum *lib.* 3. *Fidei, cap.* 12. conſtabit, non erat in vſu, imò interdictum erat, Virginem Sanctiſſimam vocare Matrem Chriſti: Poſtmodum verò quinta, ſexta, & ſeptima ætate tranſacta incepit vox iſta à pluribus Sanctis Patribus commeodari, & in noſtris temporibus inter mirabilia Virginis tanquam excellentius encomium vox illa Mater Chriſti primatum tenet. His datis,

276. Aſſerimus difficultatem datam eam deciſionem agnoſcere, qualem habuerit vſus vocis huius, *homo*, in prædicta propoſitione. Duo enim ſignificata ſuſtinuit pro temporum varietate, ſiquidem apud Patres & Concilia vetuſtiſſima, erat indifferens ad ſignificandum naturam humanam, in vtroque ſtatu in abſtracto ſcilicet, & in concreto, cuius ratio eſt clara, nam in vllo eorum contextu vox iſta humanitas reperietur, cúmque apud illos frequentiſſima ſit loquutio hæc, *Deus, vel Verbum aſſumpſit hominem*, & aliunde illi vtpotè Catholiciſſimi defenderent, Deum Perſonam non aſſumpſiſſe, euidens eſt, illos accepiſſe *ly hominem* pro humanitate. Iam quòd extiterint Concilia antiquiſſima pronunciantia Verbum aſſumpſiſſe hominem, lege libros, & videbis. Poſtmodum verò rebus amplioti indagini traditis; cùm conferrent Patres & Theologi inter ſe diuerſa hæc nomina eſſe, *homo, & humanitas*, atque adeo diuerſa ſignificata debere illis correſpondere, decreuerunt, propoſitionem iſtam, *Deus aſſumpſit hominem*, non eſſe ita propriam, ac alteram, *Deus aſſumpſit humanitatem*, vt videre eſt in Sanctiſſimo Thoma *hîc quæſt.* 4. *art.* 3. Lege Epheſ. *p.* 3. & Sanctum Cyrillum ibidem in defenſione anathematiſmi 8. & in defenſ. II. Fœlicem Papam & Martyrem relatum in Calcedonenſi *Act.* 1. Maxentium *Dialogo* 1. *contra Neſtorianos*, & omnes vniuerſim Theologos id ipſum amplectentes.

Rationem huius tam diuerſæ loquutionis colligere debes ex dictis in limine, nam varietas vocum ſignificationis obſtringit loquentes vt illis nunc, & non antea, vtantur, & vice verſa. Vnde ſuſpicor Patres antiquiſſimos propriiſſimè loquutos fuiſſe, dum dicebant, Verbum aſſumpſiſſe hominem, quia apud illos huic voci, *homo*, inditum erat idem ſignificatum, quod apud nos voci huic, *humanitas*, correſpondet. Cùm verò accedentibus hæreticis vox illa *homo* ipſis occaſionem præbebat iudicandi in Chriſto dari creatam Perſonam; ſiquidem vox iſta *homo* cum in rigore apud nos addat aliquid ſupra prædicata naturæ ſimul vnita, quodque ſit perſonalitas, & aliundè deberet præcedere ipſam aſſumptionem, videbant Patres, poſſe Hæreticos vt ſuum errorem munirent, ex noſtris vocibus non leue fundamentum ſumere quaſi ad hominem dicentes: Vos dicitis, vocem, *homo*, dicere Perſonam. Vos dicitis. Verbum aſſumpſiſſe hominem. Ergo tenetis dicere, Verbum aſſumpſiſſe Perſonam. Et exinde inferre, in Chriſto dandam eſſe duplicem Perſonam. Vt igitur hoc præcauerent Patres, decernunt, propoſitionem hanc, *Verbum aſſumpſit hominem* non eſſe abſolutè proferendam, quia ly *homo* occaſione ab hæreticis data, iam amiſit ſignificatum illud indifferens ad naturam in abſtracto, & in concreto, quod apud vetuſtiſſimo Patres obtinuerat, & aliud ſtrictius ſignificatum pro natura ſcilicet in concreto, quod eſt Perſona, noſtris temporibus de nouo acquiſiuit. 277.

Finis Tomi primi.

INDEX

Rerum, & Verborum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

A

Aaron. Vide Tomum II.

Accidens.

ACCIDENTIS eductio non eſt eius complementum, tract.1. diſput.1. dub.vnico. pag.32. num.150 & tract.3.num.84. pag.404

Quodlibet enim Accidens poteſt à Deo aſſumi, vt illi vniatur. tract.3.diſp.1.p.538. num.185

Probatur ratione. ibid.num.286

Explicatur in quo ſenſu verum ſit proloquium illud, quòd ſcilicet Deus nequit ſupplere cauſalitatem materialem p.589. n.290.& deinde.

An verò aſſumptibilitas hæc intelligenda ſit de Accidente nullo modo cum ſubiecto proprio vnito, nec ne? n.197

Nequit Accidens aſſumi ad ſubſiſtendum diuinâ ſubſiſtentiâ. ibid. num.168. & deinde.

Oſtenditur eſſe malam illationem ex aſſumptibilitate Accidentis ad ſe vniendum cum Verbo deducere eius aſſumptibilitatem ad ſe vniendum cum diuina hypoſtaſi. p.54.n.300

Accidentis eſſentialis conceptus ita pugnat cum hoc, quod eſt diuina hypoſtaſi terminari, vt exinde inferretur implicatio in adiecto. p.540 n.298

Repugnat Accidenti aſſumi ad exiſtendum diuina exiſtentia. ibid n.305

Veritas huius deducitur ex impoſſibilitate aſſumptibilitatis eiuſdem Accidentis ad diuinam hypoſtaſim. Notatur inconſequentia ibidem Cippullus ſequutus alios. n.807.& deinde.

Accidentia humanitatis mediatè aſſumpſit Verbum de facto. diſp.vlt.dub.5.n.264

Accidentia inhærentia ab eodem agente fit, à quo ipſum accidens producitur. tract.3. diſp.1.pag 403.n.89

Accidentia Chriſti non exiſtere per diuinam exiſtentiam. tractat.3.diſput.vlt.dub.1. num.76.& dub.1.n.305

Actio.

Actio productiua non eſt realiter vnitiua humanitatis cum verbo. tr.3.diſp.1.dub.1. p.386. à n.1

Non quia implicet, quòd vna & indiuiſibilis Actio terminetur ad eſſe naturale & ſupernaturale rei. p.387.n.4.& deinde.

Nec quia Actio creatiua realiter differre debeat à non creatiua. p.388.à n.11

Eligitur ratio. p.389.n.17

Vnde actionem humanitatis productiuam, corporis, aut animæ non eſſe realiter eandem cum verbo vnitiuam. p.390.& & n.18.19.& 20.

Aliud enim eſſe humanitatem quamlibet vniti propriæ ſubſiſtentiæ ſine vnione diſtincta realiter ab illis, & aliud Actionem humanitatis productiuam eſſe realiter vnitiuam illius cum propria ſubſiſtenſtentia. p.391.n.24

An de poſſibili poſſit Actio vna vtrumque præſtare? ibid.n.25

Actionem humanitatis Chriſti ſumi poſſe, vel adæquatè in genere creationis, vel adæquatè in omni genere. p.392.n.27

Actionem humanitatis productiuam formaliſſimè eſſe eiuſdem vnionem cum verbo negatur. p.393.num.30

Et denique munitur authoritate ſanctiſſimi Thomæ. ibid.n.31

Ratione probatur. p.394.n.34

Denominationem vniti intrinſecam non minùs mutationem intrinſecam, ac denominationem intrinſecam relati exigere. ibid.n.37.

Vtramque verò formam intrinſecam nouiter productam deſiderare latiſſimè per ſectionem totam. ibid.

Humanitatem minimè ſubſtantialiter mutari intrinſecè ex vi ſolius actionis vnitiuæ. p.398.à n.56

Siue iſtam formaliter Dei immanentem, ſiue virtualiter tranſeuntem concipias. ibid.n.57.

Exemplum deductum ex vnione inter materiam, & formam ſuffragari. pag.397. num.51

Nec exemplum ſumptum ex eſſentia diuina per

per modum ſpeciei contrariis proficit. p.400.0.63

Exemplum ex Actione conuerſiua panis io corpus Chriſti eſſe inutile ad probandum eſſe poſſibilem denominationem intrinſecam ſine productione formæ intrinſecè de nouo. p.399.n.60

Explicatur mens diui Auguſtini pag.401.à num.66.vſque ad 74

Actionem humanitatis productioam ex ſe abſtrahere ab actione productiua propriæ ſubſiſtentiæ. p 401.0.1.& 76

Actionem productiuam naturæ cuiuſlibet pendere eſſentialiter ab actione productiua propriæ ſubſiſtentiæ. p.403.0.80

Non bene inferri ex eo, quòd accidentis productio ſit rei dependentis à ſubiecto. Ergo actio illa eſt formaliter vnio illius cum ſubiecto. p.404.à n.85

Actio Dei adæquata naturæ debita non ſufficit etiam vt conditio, vt ſubſiſtentia non differat à natura ipſa realiter. tract.1. diſp.1. à num. 1nn.& deinde.p.27.

Actio creatiua Angeli non eſt eius ſubſiſtentia latiſſimè contra Bernalium.pag.23.à n.119. vſque ad 116

Actionem Dei eſſe formaliter immanentem,& virtualiter tranſeuntem & quid per hoc denotetur. tractatu.3. diſputatione 1. 0.57. pag.398

Actus Dei.

Actus diuinos non eſſe inæquales io perfectione poſitiua. tract.1.diſp.3. à n.71. & deinceps.pag.91

Adamus.

Probabiliter defenditur Adæ poſteros poſt illius peccatum commiſſum eſſe prædefinitos. tract.1.diſp.1.p.299.à n.3.

Oſtenditur, Adamo non peccante homines ex qualibet copula filioa procreaturos, eſſe falſum. p.300.n.5

Ex eo enim quòd Adamo non peccante numerus mulierum, & virorum eſſet æqualis, non bene infertur, plura matrimonia ibi fuiſſe celebrata, quàm ſint ea, quæ ipſo peccante operata cognoſcimus. ibid.n.7

Et permiſſo, quòd ſexus vterque Adamo non lapſo eſſet æqualis, & quòd omnes tunc vxorarentur, adhuc non inferri filiorum multitudinem eſſe tunc maiorem, quàm nuoc. ibid.n.8

Iidem homines, qui lapſo Adamo, ab eodem homine ex diuerſis mulieribus illicitè gignuntur, poſſent Adamo non peccante ab eodem homine ex vna muliere licitè generari. p.301.n.12

Præterea probabiliter defenditur, quòd ante peccatum Adami prædiffinita ſit exiſtentia aliquorum ex his, qui de facto creati ſunt. ſect.3.p.301 0.14

Deum omnium Poſterorum voluntates tranſtuliſſe in voluntatem Adami; conſtituendo illum io caput totius generis humani. ibid.

Et exinde fit, Adami peccatum in nullo ſigno fuiſſe præuiſum, vt peccatum ſolùm illius, ſed in quolibet ſigno præuiſum fuiſſe, vt peccatum capitis in poſteros transfundendum. ibid. n.15

Poſteros in Adamo peccare, duo neceſſariò importare, & Adamum peccare, & Poſteros ex illo hic & nunc de facto exiſtentiam habere. p.303.n.23

In opinione iſta ſatis probabili, licèt pluribus Complutenſibus viſa difficillima, transfuſionem illam voluntatum in Adamum terminari ad poſteros, non vt abſolutè poſſibiles, ſed circa illos ſub conditione, quòd reipſa naſcantur ex ipſo Adamo. • ibid.à n.25

Et explicatur à potiſſimo exemplo. p.304. num.26

Pactum cum Adamo à Deo initum, ſuppoſita opinione iſta, ſic celebrari deberet: *ſi legem, quam præſcribo tibi, ſeruaueris, & iſti ex te naſcerentur, gratiam in illos diffundes; ſi verò illam violaueris, & iidem ex te oriantur, naſcentur peccato infecti, taliter enim, quod ſiue peccaueris, vel non, integrum apud me ſit, hos tibi Poſteros, vel alios exhibere.* p.305.n.30

Io ſententia communi diſcipulorum ſanctiſſimi doctoris defendentium Chriſtum eſſe prædefinitum Redemptorem poſt præuiſum peccatum Adami, debet defendi, Chriſtum prædefinitum fuiſſe, antequam viderentur peccata originalia in paruulis cootracta. pag.307.dubio 3. num.4

Admiratio. Vide Tomum II.

Adoptio. Adoptiuus. Vide Tomum II.

Angelus.

Angelica mens vim habet demonſtrandi reſurrectionis poſſibilitatem.tract.1.diſp.2. dub.vnico,p.53.n.43

Sed exinde Angelum demonſtrare poſſe incarnationis poſſibilitatem non infertur. ibidem.

Angelus licèt euidenter demonſtret terminationem verbi ad humanitatem non eſſe impoſſibilem; non tamen euidenter eius poſſibilitatem demonſtrare valet. p.5 a n.36

Angelo damus iudicium hoc euidens: *Subſiſtentia creata cuiuſvis non eſt de conceptu illius eſſentiali*, & eidem negamus iudicium hoc: *Subſiſtentia propria ſeparabilis eſt ab humanitate.* p 51.n.32

Et permiſſis illis duobus iudiciis, adhuc non infertur, Angelum euidenter cognoſcere incarnationis poſſibilitatem. ibid.n.33

Si Angelo conceditur cognitio euidens naturalis potentiæ obedientialis, vt connexæ cum vnione hypoſtatica, vt poſſibili, neceſſariò euidenter ſaltem mediatè debet cognoſcere ipſam vnionem vt poſſibilem, ſaltem quoad an eſt. pag.49. à n. 20.& deinde.

Eſſe incarnationem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, licèt in Angelo obſit, vt

non cognoſcat euidenter illam euidentiâ immediatâ, non tamen vt illam naturaliter opinatiuè non percipiat. pag.54. num.49

vt Angelo detur cognitio probabilis incarnationis, neceſſe non eſt, dari in rerum natur aliquid ab ipſo cognitum habens connexionem cum incarnatione. p.55. num.51

Angelus minimè callet, ſuam ſubſiſtentiam poſſe terminare alienam. p.57.n.61

Et permiſſa Angelo tali cognitione adhuc nequibat eius mens promoueri ad cogitandum etiam per ſimplicem apprehenſionem de myſterio incarnationis. ibid.

Angelus ea aliquibus euidenter ab ipſo captis, ſaltem viâ confirmationis, probabiliter naturaliter poterat deuenire in cognitionem huius myſterij. ibid.n.62

Angelus, adhuc in hypotheſi veritatis opinionis docentis, vnionem Euchariſticam in accidentibus ſubiectari, non verò in Chriſti corpore, adhuc exinde non cognoſceret naturaliter probabiliter incarnationis poſſibilitatem. p.58.n.68

Angelorum ſpecies ab initio illis infuſas repræſentare ipſis res naturales, quando iſtæ exiſtentiam ſubeunt. p.64.n.101

Angelum hîc & nunc cognoſcentem ſubſiſtentiam, quæ non eſt, formaliter errare. ibid.n.102

ſi Angelus in prima ſui cogitatione excitaretur à Deo vt cognoſceret ſubſiſtentiam, quæ non eſt, eſſet Deus cauſa deceptionis Angeli, explicatur validè exemplo appoſito. p.65.n.104

Nec exinde quòd Deus influens in cognitionem lucis circuli non exiſtentis liberetur à ratione cauſæ decipientis, colligitur bene à tali ratione liberari ſemel ipſo concurrente cum Angelo in prædictam cognitionem ſubſiſtentiæ non exiſtentis. ibid.n.105

Latente naturaliter Angelum vnione hypoſtatica, patet illi naturaliter priuatio ſubſiſtentiæ propriæ. ibid.n.107

Angelus licèt humanitatem Chriſti intuitiuè naturaliter percipiat, eius tamen exiſtentiam naturaliter ſolùm abſtractiuè. p.68. num.118

An verò Angeli ſpecies ſint vniuerſaliores ſpeciebus infuſis Chriſti. Et quomodo componatur Angeli confortatio reſpectu Chriſti, quia hic ab illo addiſceret quidpiam. Et an eius gloria eſſentialis ſit effectus meritorum Chriſti. Vide Tomum II.

Anima.

Anima Chriſti priùs prioritate finis, fuit vnita corpori, quàm verbo; prioritate verò executionis priùs verbo, quàm corpori fuit copulata. tract.3. diſp.1. pag.à num. 99. & deinde.

Ex iſto modo vniendi ſe animam verbo commendatur aptius Mariam fuiſſe matrem Dei. p.464.n.103

Animam Chriſti eſſe ordine executionis prius aſſumptam à verbo, *vt quod* quam humanitatem. p.466.n.110

Animam Chriſti prius natura fuiſſe verbo vnitam, quam materiam. p.469.n.126

Cõceſſo, vt debet concedi, quòd prædictæ aſſumptiones animæ à verbo, & materiæ, ſint in vno inſtanti reali confectæ, & permiſſo, quòd prædictæ aſſumptiones ſint formaliſſimè vniones taliũ partium cum verbo, adhuc ſaluatur, animã eſſe priùs natura, quàm materiam verbo vnitam. ibid.

Animam rationalem capillos, & dentes informare. tract.3. diſput.vlt. dub.4. num.127. vide alia in tomo ſecundo.

Amor.

Amor creatus, inadæquatè ſaltem, ſumit ſuam perfectionem tam phyſicam, quàm moralem ab obiecto. tract.1. diſp.3. n.65

Amor verò diuinus ab omni extrinſeco obiecto eſt abſolutiſſimus. ibid.

Lege amoris in Deum perfecti obſtringimur elicere actum minùs perfectum, relicto perfectiori, ſi aliunde prudens adſit præſumptio Deo magis hîc & nunc placere illum, quàm iſtum à nobis elici. ibid.

Amor diuinus etſi valeat ad perfectius obiectum terminari, quàm alius, non tamen exinde ille iſto euaderet poſitiuè perfectior. p.93.n.82

Non bene inferri, Deum non poſſe amare obiectum malum. Ergo nequit amare obiectum minùs bonum relicto perfectiori, & meliori. p.95.n.91

Triplex aſſignatur caput vnde diuino amori ſuperueniat laudabilitas, rametſi quilibet Dei amor ſit æquè perfectus in honeſtate cum alio. p.94.ib.n.89

Non bene inferri, Deus ſemper amat eligendo optimum. Ergo Deus neceſſariò amat optimum. p.85.n.44

Amor ſupernaturalis Dei, viribus propriis indemonſtrabilis eſt. tract.1. diſp.2. dubio vnico. p.53.n.41

Appetitus.

duplex deſignatur Appetitus ad bonum; innatum vnum, elicitum alium. tract.3. diſp. vlt. p.547.n.31

Inter alia differre quod elicitus arceri poteſt ab exercitio tendendi in bonum, quod Appetuerat; ſecus vero innatus. ibid.n.32

Humanitatem Chriſti per modum ſimplicis amoris Appetere propriam ſubſiſtentiam ſibi connaturalem. p.548.n.34

An verò habeat ſtrictum innatum Appetitum per modum deſiderij ad propriam ſubſiſtentiam, licèt quæſtio vocalis ſit, & quia adhuc in vocibus non eſt recedendum à principiis Sanctiſſimi Doctoris, talis Appetitus negatur humanitati Chriſti. ibidem, num.35. & deinceps, & ibidem probatur.

Explicatur proloquium, videlicet; quòd Appetitus innatus vnius potentiæ ſolùm ſatiatur per actũ talis potentiæ. p.549.n.44.

de

de Appetitu ſenſitiuo. Vide tomum ſecundum.

Aqua.

Pars aquæ diuiſa ab alia propriam ſubſiſtentiam habet, quam, dum iterum alteri vnitur, minimè deperdit. tract. 3. diſp. 2. pag. 536. num. 176

Aqua in hydria repoſita eſt aſſumptibilis à verbo, quæque ſic aſſumpta poteſt in mare immitti, ſed tunc non eſſet ſuppoſitum diſtinctum à ſuppoſito maris. p. 537. n. 279

Aſſumptiuum.

Deus omni ſubſiſtentia, etiam abſoluta, deſtitutus non habet vim aſſumptiuam alterius naturæ ad ſe. tract. 3. diſp. 2. dub. 1. p. 479 n. 1.

Communiter id defendendum eſſe ab his ſanctiſſimum Thomam ſequutis, concedentibus Deo in primo ſigno ante relatiuas ſubſiſtentiam abſolutam. ibid.

Apud Concilia eſt certum, eſſe impoſſibilem vnionem naturæ creatæ cum diuina natura, taliter quòd ex illis vna natura reſultet. p. 483. n. 16

Ratio impoſſibilitatis prædictæ vnionis ſumenda eſt ex prædicatis intrinſecis talis vnionis. p. 484. n. 28

Deo competere vim aſſumptiuam creatæ naturæ ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, ſi hæc obiectiuè differat ab illo. ibid. n. 30. & ibid. probatur.

Datur diſparitas. Cur perſonalitas Patris reddat deitatem, aliàs Filio & Spiritui ſancto communicatam, veram perſonam, nòn tamen ſubſiſtentia abſoluta. p. 485. num. 37

Poteſt Deus aſſumere naturam creatam ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, etiamſi hæc virtualiter, & obiectiuè à natura Dei non differat. ibid. à num. 38. & probatur. p. 486. n. 43

Identitas hæc ſubſiſtentiæ abſolutæ cum diuina natura non impedit vt diceretur vniti humanitati ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam, & non ſecundùm naturam diuinam. p. 487. n. 45. & 43

Confirmatur hoc inſtantiis accerſitis ex placito communi ſanctiſſimi Thomæ. ibid. num. 47

Ex repugnantia vnionis nectentia duas naturas non deducitur impoſſibilitas vnionis nectentis immediatè humanam naturam cum ſubſiſtentia abſoluta, & ſi hæc formaliter & obiectiuè ſit idem cum natura diuina. pag. 488. num. 50. & deinde.

Expenditur mens ſancti Anſelmi. pag. 489. num. 54

In hypotheſi quòd relatio ſpiratiua Patris habeat peculiarem ſubſiſtentiam relatiuam, ei competet virtus aſſumptiua alterius naturæ. pag. ibid. num. 57. & deinde.

Abſolutè nequit talis aſſumptiua virtus concedi ſpirationi relatiuæ. p. 490. n. 58

Nec ea eo, quòd admittatur, illam habere exiſtentiam propriam relatiuam, infertur, illam habere vim ſe vniendi alteri naturæ. ibid. n. 59. & deinde.

Oſtenditur ratione, quòd in hypotheſi, in qua ſpirationi actiuæ conueniat ſubſiſtentia propria relatiua, eidem concedenda ſit virtus alterius naturæ Aſſumptiua. p. 492. n. 65

Quid autem eſſet conſtitutum illud ex humanitate & ſubſiſtentia iſta relatiua actiuæ ſpirationis? ibid. n. 68

Rem hanc eſſe nouiter inductam in ſcholas, in limine ante numerum primum. Etiam in hypotheſi, quòd ſpiratio actiua non habeat ſubſiſtentiam propriam relatiuam, ſi tamen habeat abſolutam propriam, habebit vim aſſumendi humanitatem. p. 493. n. 69

Hypotheſim hanc non eſſe de genere illarum, quæ repugnantiam non inuoluunt. ibid. num. 70

Hypothetica hæc reſolutio intelligenda eſt de quauis diuina perfectione propriam ſubſiſtentiam habente. ib. n. 71

Tribus perſonis diuinis conuenit vis aſſumptiua ſimultanea vnius naturæ. p. 494. à n. 72. & ibidem probatur.

Quid intelligatur per hoc, quòd ſubſiſtentia propria ſit ſiſtentia in ſe, & ſubſiſtentia aliena ſit ſiſtentia in alio. pag. 495. n. 77 ibidem innuitur inter nos & Recentes verſari litem vocalem.

Vis hæc aſſumptiua perſonarum vnius naturæ non bene expenditur per attemperatum concurſum ſuſtentatiuum. pag. 497. num. 88

Nec ex poſſibilitate iſtius ſimultaneæ aſſumptionis infertur, Patrem eſſe filium, & è contra. p. 498. n. 91

In hypotheſi prædictæ aſſumptionis perſonæ tres dicerentur vnus homo. ibid. n. 96. & deinde.

Regula generalis cognoſcendi vnitatem vel multiplicitatem concreti ſubſtantiui ex vnitate & multiplicitate formæ per illud ſignificatæ per ſe, expenditur. pag. 505. num. 101. & à num. 126. & deinde.

Repugnat creatæ perſonæ vis hypoſtaticè aſſumptiua naturæ alienæ. p. 507. n. 104

Datur ratio cur modus vnus alienum ſubiectum afficere nequeat. p. 513. n. 175

Adducuntur variæ rationes pro repugnantia terminandi perſonam creatam alienam naturam, & eligitur ſequenda. ib.

Aſſumptibile.

Repugnat aſſumptibilitas hypoſtatica naturæ ſemel perſonatæ in ſenſu compoſito perſonalitatis propriæ & alienæ. p. 516. à n. 187

Et deinde non quia redderetur falſa locutio ſanctorum Patrum docentium, humanitatem carere propria ſubſiſtentia, quia humanitas eſt à verbo aſſumpta. ibidem, num. 190

Duplex datur ſtatus, ſecundùm quem poteſt dubitari, an habere ſubſiſtentiam propriam ſit connaturale naturæ. pag. 517. num. 195

Eadem ratio ſuadens ſuperfluam dependentiam accidentis à pane in Euchariſtia, poſita

ſitâ eiuſdem dependentiâ à corpore Chriſti, ſuadet ſuperfluam eſſe ſubſiſtentiam propriam in humanitate Chriſti, poſitâ de 0000 ſubſiſtentiâ alienâ. pag. 518. num.196

Explicatur regula illa, nulla ſcilicet forma valet intrinſecè ſubiecto communicari, quin ſeipſam totam eidem communicet. p.520 n.2.5

Non bene infertur, natura vna poteſt aſſumi a duplici Perſona diuina, Ergo eadem natura retinens propriam ſubſiſtentiam poterit aſſumi ab alia. pag. 523. n.214

Negatio communoicationis cum alieno ſuppoſito, licèt ſit effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ, eſt ita cum eius primario connexus, vt negato illo, iſte indiſpenſabiliter negetur. p.521.n.209

Angelica natura eſt Aſſumptibilis à Perſona diuinâ. p.526.n.229

Et communi ratione probatur. ibid.n.230

Separabilem eſſe naturam Angeli à propria ſubſiſtentia, quin actualis eius ſeparatio inferat corruptibilitatem propriam illius, ibid.n.231

Explicatur mens Sanctiſſimi Thomæ. p.527. n.237 & 238 & deinde.

Quælibet natura irrationalis completa adhuc inſenſibilis, Aſſumptibilis eſt à Deo. p.528.n.242

Permiſſo quòd bene inferatur ex eo, quòd irrationalis natura ſit incapax, vt ſit Perſona, eam non poſſe aſſumi à Perſonalitate aliena, non tamen, quòd Aſſumptibilis non ſit ab aliena ſubſiſtentia. p.530.n.249

Explicatur, quid ſit maius, Aſſumi ad viſionem Dei, an Aſſumi ad eſſe Dei. p.531. o.254

Expenditur mens Sanctiſſ. Thomæ, p.532. n.256

Materia prima, nec forma vnitæ ſont immediatè aſſumptibiles, taliter, quòd vnâ Aſſumptâ non aſſumatur alia. pag. ibid. n.259

Et ibidem notatur aſſertum iſtud nullo modo opponi cum alio, vbi dedimus immediatam aſſumptionem materiæ.

Pars prima reſolutionis, & ſecunda probatur ibidem.

In hypotheſi, quòd materia prima ſine omni forma poſſit à Deo conſeruari, etiam immediatè poſſet à Deo aſſumi. p.533.n.262

Quælibet forma ſubſtantialis à materia ſeparata, eſt à Deo aſſumptibilis. pag.534. n.264

Diuerſo modo competit formæ materiali incapacitas ad diſcurſum, ac incapacitas ad aſſumptionem. p.535.n.269

Partes integrales formæ diuiſibilis vnitæ aliis, poſſunt aſſumi à Deo, aliis minimè aſſumptis. ibidem. num.271. vſque ad 281

Partes vero integrales rei, cuius forma eſt indiuiſibilis, vnâ aſſumptâ, omnes illi vnitæ aſſumi debent. p.537.n.282

Vnde fit ſignum eſſe, has partes vnitas carere ſubſiſtentiis propriis. ibid.n.283

In hypotheſi verò, quòd aliqua iſtarum partium aſſumeretur de facto, verbi gratia, Pes, talis Perſona diuina non eſſet dicenda Pes. p.538.n.284

Aſſumptibilitas accidentis. Vide Accidens.

Aſſumens.

Verbum ſolum humanam naturam aſſumpſit immediatè. tract.3.diſp.vlt.p.544. à num.1

Oſtenditur ratio, cur inter diuinas Perſonas, ſola ſecunda humanitatem aſſumpſeſerit. p.546.à n.10.vſque ad 29

Verbum diuinum humanitatem non terminauit primariò per aliquod abſolutum, & ſecundariò per aliquid relatiuum. p.5 0.à n.47

Et probatur ab incommodo. n.51

Datur diſparitas inter hoc, quòd eſt Patrem generare medio principio communi. quin omnes tres Perſonæ generent, & inter hæc alia, videlicet quòd ſi Verbum primariò humanitatem terminaret ſecundùm aliquod abſolutum, omnes deberent dici incarnatæ. pag.552. num.54

Aſſumpſit Verbum humanitatem primariò immediatè ſecundum aliquid relatiuum, & ſecundariò mediatè ſecundum aliquid abſolutum. p.553.à n.59

Eſſe Verbum ſecundum aliquid abſolutum mediatè, & ſecundariò vnitum, falsò explicatur à communi. ibid.

Expenditur non inutiliter quid denotent ly *mediatè & ſecundariò*. ibid.à num.64.& deinceps.

Vitatur incommodum de incarnatione trium Perſonarum. p.555.n.72

Pater & Spiritus Sanctus non ſunt in humanitate præſentes per concomitantiam p.559.à n.99.& deinde.

Ex eo, quòd Diuinitas ſit per concomitantiam in Euchariſtia, non bene infertur Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe in Euchariſtia, aut in noſtro myſterio per concomitantiam. p.561.n.111

Pater & Spiritus Sanctus poſſunt dici eſſe ſpeciali modo materialiter ſumpto in humanitate, ſed non diſtincto formaliter à modo exiſtendi ipſarum in cæteris rebus per immenſitatem. p.562.n.118

Explicatur iudicium hoc. pag.563.n.123. & deinceps.

Aſſumptum.

Dentes ſunt Aſſumpti. tract.3.diſp.vlt.dub.4. p.564.n.127

Cappilli, & vngues ſunt etiam aſſumpti. n.128

Aliquem Chriſti ſanguinem eſſe immediatè aſſumptum ſicut eius carnem viuam. p.567.à n.148

Expenduntur ibidem varia loca Sanctorum, & Conciliorum, ratione probatur. p.569. à n.161

Totus ſanguis Chriſti fuit immediatè aſſum

ſumptus, ſicut totum corpus eius. p. 576. à n. 168
Admiſſa doctrina Eminentiſſimi Cardinalis Caietani docentis ſanguinem nutrimentalem verum ſanguinem eſſe, probatur, eum aſſumptum à Verbo fuiſſe. pag. 578. à n. 183
In triduo mortis Chriſti eius ſanguis manſit Verbo hypoſtaticè vnitus. pag. 581. à n. 197
Ratione probatur. ibid. n. 198
Et eſſe ex mente Sanctiſſimi Doctoris. ibidem. n. 198. & 199
Totus ſanguis Chriſti effuſus in eius paſſione, fuit vnitus Verbo. p. 585. n. 219
Aliqua pars veri ſanguinis ex illo, quem Chriſtus, dum patiebatur, effudit, manſit in terra poſt reſurrectionem. p. 586. n. 224
Bilis, pituita, & melancholia fuerunt aſſumptæ à Verbo. à n. 242
Alij tres humores nempe ros, cambium, & gluten fuerunt hypoſtaticè vniti Verbo. à n. 247
Spiritus tres, animalis ſcilicet, vitalis, & naturalis fuerunt à Verbo aſſumpti. n. 259
Verbum diuinum non aſſumpſit hominem. à n. 274 vſque ad 277

Attritio.

Attritio elicita ab homine iuſto non ſatisfacit efficaciter hîc & nunc pro offenſa veniali independenter à remiſſione Dei. tractat. 1. diſputat. 3. dub. 5. pag. 173. num. 61
Nec talis vis illi competit, quamuis fateamur attritionem eſſe magis bonam, quam malum ſit veniale; & eam eſſe venialis retractationem iudicemus. ibidem.

Auxilium. Vide Tomum II.

B

Baptiſmus.

EX Auguſtino expenditur diſcrimen inter Baptiſmum à Ioanne celebratum, & illum, quem celebrauit Chriſtus. tract. 1. diſput. 3. dub. 6. p. 201. n. 226
Inter hos Baptiſmos perfectior fuit celebratus à Chriſto. ibid.

Beatitudo.

Beatitudinis definitio Boetiana. tract. 3. diſp. 1. dub. 4. p. 445. n. 10
Non ſufficit coniunctio quæuis, etſi ſubſtantialis cum ſummo bono, vt beatitudo ſit formalis. ibid. p. 448. n. 29
Beatitudinis in communi diuiſio, in intentionalem, & ſubſtantialem. pag. 446. num. 21
Difficilè aſſignatur ratio, cur Beatitudo formalis eſſentialiter depoſcat eſſe actum à potentia vitali elicitum. ibid. n. 20
Diuiſio illa Beatitudinis in intentionalem, & ſubſtantialem appoſitiſſimo exemplo deſignatur. ibid. n. 22
Beatitudinem formalem eſſentialiter non petere eſſe vltimam coniunctionem cum ſummo bono. p. 447. n. 25
Cætera de Beatitudine, vide Tomum ſecundum.

Bonitas.

Bonitas obiecti alia intrinſeca, extrinſeca alia. tract. 1. diſp. 3. dub. 2. pag. 82. n. 31.

C

Capilli.

CApilli non ſunt in Euchariſtia ſpecialiter. tract. 3. diſp. vlt. n. 135
Fuerunt aſſumpti. ibid. n. 129
cum capillis ſumus reſurrecturi. ibid.

Carolus de Abra.

Carolus Franciſcus de Abra, Author apud exteros ſpecialis influxus effectiui Verbi in humanitatem, vi cuius ſaluare intendebat ſpecialem vnionem Verbi cum humanitate. tract. 3. diſp. 1. dub. 2. p. 416. n. 19.

Chriſtus.

Chriſtus fuit efficaciter prædiffinitus ante abſolutum peccatum Adæ. tract. 1. diſp. 1 dub. 1. p. 279 n. 22
Authoritate Sanctorum munitur ibidem & eſſe conforme principijs Sanctiſſimi Thomæ oſtenditur.
Chriſtus eſt in primo ſigno prædiffinitus dependenter à peccato virtualiter futuro. p. 282. n. 32
Chriſtus eſt prædiffinitus in illo primo ſigno, Redemptor quaſi in actu ſecundo. ibidem.
Notantur ſigna, & ordo decretorum huius myſterij. ibid à n. 33
Compati bene cum decreto iſto primo intentiuo Chriſti, vt Redemptoris ante abſolutam præuiſionem peccati, nullo modo Chriſtum ex vi præſentis decreti venturum, ſi Adam non peccaret. p. 283. à n. 39. & deinde.
Poterat Chriſtus in primo ſigno ante præuiſionem abſolutam peccati prædiffiniri, vt Redemptor, quaſi in actu primo, hoc eſt, vt non deficiat remedium peccato, ſi forte contingat, ſeu in remedium peccati, ſi hoc exiſtat. pag. 284. à n. 41. & deinde.
Eſſe poſſibile decretum iſtud prædiffinitiuum, directum ſolùm cognitione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. p. 285. n. 45
Cohærere cum decreto iſto, Chriſtum ex vi huius prouidentiæ minimè venturum, ſi Adam non peccaret. p. 286. n. 48
Probabilior modus eſt ille, quo defenditur Chriſtus in primo ſigno prædiffinitus efficaciter Redemptor in actu ſecundo, quàm in actu primo. ibid. n. 50
Latiſſimè oſtenditur, Deum nullo modo peccatum amaturum etiamſi ante illius abſolutam futuritionem velit Deus Chriſtum vt Redemptorem in actu ſecundo. ibid à n. 51. vſque ad 113.
Chriſtũ fuiſſe prædiffinitũ, vt redimeret peccatũ Adæ,

Adæ, non ſecundùm ſe, vt peccatum vnius Adæ, ſed vt peccatum totius naturæ, & vt in radice continebat peccatum originale omnium Poſterorum. dub.3.p.307.n.3

Chriſtus prædiffinitus fuit etiam propter actualia, quæ in peccato Adami videbantur toti generi humano imminere. pag.308.à num.10

Si deficeret originale in Adamo & Poſteris eius, nullo modo veniret Chriſtus ex vi præſentis decreti, tametſi reperirentur actualia peccata, quæ poſſet redimere. p.309.n.12

In hypotheſi, quòd hîc & nunc originale non deſcenderet in Poſteros, adhuc Chriſtus ea vi præſentis decreti veniret. ibid. num.15

In hypotheſi, quòd deficeret originale in Poſteris, & Adamo, & ex alia parte omnes, vel vix omnes homines lethalia peccata committerent, adhuc ex vi præſentis decreti veniret Chriſtus. pag.310. num.17

Decretum verò illud in tali hypotheſi de aduentu Chriſti materialiter ſolùm differret ab hoc, quod de eodem aduentu hîc & nunc habet Deus; formaliter tamen moraliter idem cum iſto cenſeretur. ibid.n.18

In hypotheſi, quòd actualia peccata imminerent, & Chriſto non interueniente eſſent futura, adhuc Chriſtus ex vi præſentis decreti veniret. p.311.n.19

In hypotheſi tamen, quòd non fuiſſet originale futurum, nec actualia in hominibus, aut in maiori hominum numero, Chriſtus ex vi præſentis decreti non veniret. ib.n.20

In hypotheſi, quòd tantùm futura eſſent in Poſteris venialia peccata non veniret Chriſtus ex vi præſentis decreti. ibidem num.23

Quid denotet Chriſtus an debeat dici vnus, vel plures, aliud & aliud. Vide tomum ſecundum. An verò condignè ſatisfecerit? vide tomum ſecundum. An ſatisfecerit ex ſtricta iuſtitia? vide ſatisfactio.

Circunſtantiæ.

Circunſtantiæ incarnationis ſunt, Chriſtum in hoc, potiùs quàm in alio tempore eſſe prædeſtinatum, ex his vel illis parentibus, ex hac vel illa familia fieri. Quaſque conſiderari poſſe ordine intentionis, & executionis. tract.2.diſp.1.dub.7.pag.375.n.1

Quomodo ſancti Patres prædictas circunſtantias mereri potuerint? vide meritum SS.PP.

Cognitio.

Intellectus creatus naturaliter poſſibilitatem myſterij cognitione euidenti attingere nequit. tract.1.diſp.2. dubio vnico, pag 45.à n.1

Non quia cognitio myſterij incarnationis neceſſario ſupponat cognitionem Patris. pag.45.num.2

In conſequentia notatur Vaſquez. ibidem à num.4. & deinde, eligitur ratio. pag.47. num.14

Cognitio, quam elicit Deus vt author naturæ reduplicatiuè incarnationem minimè attingit. p.51.n.30

Permiſſo, quòd mens noſtra proprijs viribus demonſtrare poſſit poſſibilitatem viſionis beatæ non bene inferretur, demonſtrari poſſe incarnationem. p.53.n.39

Ex nullo myſterio reuelato poteſt mens noſtra euidenter deducere poſſibilitatem incarnationis. ib.n.45.& 46

Intellectus creatus naturaliter probabiliter viâ inuentionis non poteſt incarnationem vt poſſibilem cognoſcere; bene tamen via confirmationis poſtquam illa reuelata eſt. p.54.n.47

Pars prima de inuentione probatur. ibidem. num.49

Secunda verò pars de confirmatione probatur. ib.n.80

Permiſſo, quòd vnio hypoſtatica phyſicè produxerit gratiam habitualem, non deducitur, eam in Chriſto produxiſſe cognitionem intuitiuam ſui. ib.n.83

Explicatur regula communis, nempe quòd ex oppoſito antecedentis, optimè inferatur oppoſitum conſequentis. pagina 61. num.85

Aliud eſſe, impoſſibilitatem rei inferre eiuſdem incredibilitatem, & aliud impoſſibilitatem euidenter cognitam inferre incredibilitatem actualem obiecti. ibidem. num.87

Suppoſita reuelatione de exiſtentia incarnationis, poſſibilitas eius intrinſeca immediatè cognoſcitur per fidem: poſſibilitas verò extrinſeca illius, necnon & Patris, aut Spiritus ſancti per actum Theologiæ cognoſcitur. p.69.à n.122

Pars prima de poſſibilitate intrinſeca incarnationis probatur. ib.n.125

Secunda verò pars de poſſibilitate extrinſeca incarnationis verbi, aut aliarum perſonarum. p.71.n.132

Exiſtentia incarnationis poteſt ſupernaturaliter multis modis cognoſci primò per fidem, ſecundò viſione beata, tertiò media notitia euidenti interna tendente in actum ſupernaturalem infallibilem, connexionem habentem cum incarnatione, quartò media cognitione intuitiua ipſius incarnationis. p.75.n.148

Alia de cognitione vide *Angelus, & Dæmon.*

Communicatio. Vide Tomum II.

Compoſitum.

Incarnationem non repugnare ex parte compoſiti ex natura creata & verbo. tr.1. diſp.1.dub.vnico, p.42.n.194

in Compoſito enim duplex reperitur eſſe, vnum cauſæ, & eſt ipſa cauſa ſubiecto communicata media vnione. Alterum ſubiecti, quod per primum dicitur intrinſecè perfici. p.44. num.204

Tamet

Tametſi Verbo conueniat componere propriè cum humanitate vnum totum per ſe ſubſtantiale, non tamen conuenit ei eſſe partem veri compoſiti, quod componit.ibid.num.205

Illud vnum reſultans ex vnione naturæ diuinæ, & humanæ nec eſſet compoſitum creatum, aut increatum. tract.3. diſp.2. dub.1.p.480.n.1

Compoſitum hoc, *Chriſtus*, abſolutè poſſe dici increatum, quamuis vnio extremorum dicenda ſit creata.ibid.n.3

Non poſſe Deum in hypotheſi, quod increata natura immediatè humanitati copulatur, tale Compoſitum reſultans conſeruare ſine ſubſiſtentia propria, vel aliena. pagina 481. à numeru 8. & deinde.

Compoſitum hoc minimè ſubſiſtere poſſe media ſubſiſtentia abſoluta ex natura diuina reſultante ibid.num.12

Concretum.

Quamuis vnitas & multiplicitas concreti ſubſtantiui ſumatur à forma, tanquam à ratione formali, tamen multiplicitas illius petit ſuppoſiti multiplicationem, tanquam requiſitum per ſe. tr.3.diſp.2. dub.4.p.505.n.126

Pars ſecunda de vnitate & multiplicatione ſuppoſiti probatur.ibid.& deinceps.

Et duo Concreta realiter dentur,neceſſe eſt, vt non verificetur vnum eſſe realiter aliud. ibid.n.129

Infertur, dandam eſſe Concretorum ſubſtantiuorum identitatem, quotieſcunque plures formæ per modum ſubſtantiæ in concreto ſignificatæ, attulerint vnum & idem ſuppoſitum.pagina 506.numero 130

Explicatur mens ſanctiſſimi doctoris.p.506. n.136.& n.139

In hypotheſi aſſumptionis duarum naturarum humanarum non duo, ſed vnus eſſet dicendus homo.pagina 503. num.115.& & deinceps.

Concretum quodlibet ſubſtantiuum ſubſtantiale dicere in recto compoſitum ex natura & ſubſiſtentia formaliùs tamen & expreſſiùs formam conſtitutiuam formaliſſimè ſui ſignificati. pagina 502.dubio 3. num.107

Condonatio.

Non deſideratur aliqua Dei condonatio noua, vt actus contritionis, qui eſt perfecta deteſtatio venialis, ſeipſo extinguat debitum venialis.tract.1.diſput.3. dub.5. p.169.n.41

Condonatio remiſſiua debiti venialis tolleret à contritione deſignata vim extinctiuam ſeipſa talis venialis.p.170.n.46.

Compati poteſt, quod condonetur debitum, quin ſubiectiuum condonetur.ibid. dub.4.p.140.n.19

Remiſſio venialis à Deo facta eſt ſecundum quid condonatio, minimè impediens, ne contritio ſit ſeipſa venialis extinctio condigna.ibid.

Concluſio.

Concluſio theologica elici nequit niſi à principiis naturalibus mens moueatur.tract.1. diſp.2.p.73.n.139

Explicatur proloquium quod concluſio ſequatur debiliorem partem. ibidem, numero 141

Concluſio ſupernaturalis theologica, poteſt pendere à præmiſſa naturali euidenti non tamen à probabili.ibid.

Eſſe inconueniens Concluſionem ſupernaturalem eſſe minùs certam ex parte motiui formalis, quàm præmiſſam naturalem,non tamen in conueniens eſſe minùs certam ex parte modi tendendi. pag. 74. num.143

Corpus.

Inintelligibile eſſe mutari corpus Chriſti intrinſecè ex vi actionis conuerſiuæ abſque aliqua forma ab illa in prædicto corpore producta, tr.3.diſp.1. dub.2.p.399. num.60

Poſteriùs natura fuit corpus vnitum Verbo, quàm anima. dubio 4. pag.469. n.126. & deinceps.

Corpus prius proprietate finis fuit vnitum animæ, quàm Verbo, prioritate verò executionis prius fuit vnitum Verbo, quam animæ. ibidem, dubio 4. pagina 463. numero 99. & deinde.

Culpa. Vide peccatum,& offenſa.

D

Decretum.

Decretum primum incarnationis tendit in redemptionem. tract.2. diſp.1.pag. 281.n.32

In diuinis Decretis non ſemper ſeruant res eandem prioritatem, & poſterioritatem, quam in ſeipſis, dum exequuntur, obtinent. tractatu 2. dubio 1. pagina 277. numero 16. idque appoſitis expenditur. ibidem.

Decretum intentiuum incarnationis eſſentialiter obiectiuè connectitur cum peccato: pag.283.n.39

Eadem connexio cum peccato inuenitur in Decreto, quo Chriſtus intenderetur, vt Redemptor in actu primo. ibid. p.285. num.44

Quodque verum eſſe, tametſi, vt debet, tale decretum reguletur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ.ibid.n.45

Decreta iſta efficacia libertatem ab actibus Chriſti non impedire, ſupponitur.p.287. num.52

Ex eo, quòd Deus decreuerit incarnationem efficaciter, vt remedium peccati, ante iſtius abſolutam & formalem futuritionem, non deducitur, Deum voliturum peccatum, ſed ad ſummum eius permiſſionem

ſionem pagina 287. à numero 53. vſque ad 111. Alia vide. *Chriſtus.*

Chiſtus fuit prædiffinitus extiturus cum hac humanitate numero, conſtante ex hac anima rationali, & materia organizata, tanquam ex immediato principio merendi, quam fuerit illi decreta mater, à qua eſſet gignendus. dubio 4. pag. 344. n. 46. & probatur n. 47. & deinde.

Explicatur quidditas Decreti præciſiui. pag. 345. à n. 51

Cohærere bene Chriſtum in executione tam in primo, quàm in ſecundo inſtanti ſuæ exiſtentiæ dependere à materno concurſu, & non obſtante dependentia iſta præuideri à Deo ipſum Chriſtum ex vi primi Decreti independenter ab influxu iſto materno. p. 348. n. 63

Deitas & Deus.

Deitati vt ab omni ſubſiſtentia præciſæ conuenire, vel non, vim aſſumptiuam. Vide *aſſumptionem.* An ſic accepta humanitatem ſanctificet. Vide tom. II.

Deus non multiplicatur ad multiplicationem perſonarum, quia tales perſonæ ſunt hic Deus ſubſiſtentiâ abſolutâ ſubſiſtens, ſed ſolùm, quia in illis eſt vna deitas. tract. 3. diſp. 1. dub. 3. p. 499. n. 98

Datur ratio, cur non admittatur hæc propoſitio, tres ſunt dij, & admittantur iſtæ, tres ſunt habentes deitatem. Tres ſunt ſubſiſtentes in natura diuina. Tres ſunt perſonæ increatæ. p. 511. n. 106

Deum phyſicè minimè neceſſitauit incarnatio abſolutè accepta, nec ſuppoſita voluntate mundum creandi, nec ſuppoſito peccato, nec voluntate illud reparandi. tract. 1. diſp. 3. dub. 2. p. 78. n. 15

ad Dei prouidentiam certiſſimam ſpectat finem intentû aſſequi iuxta menſuram modi, quo ab ipſo ſupponitur intentus. p. 82. n. 30

ſi Deus moraliter neceſſitatus eſſet ad eligendum magis bonum, taliter, vt ſi minùs bonum eligeret, ſequeretur non eſſe Deum: fieret Deum neceſſitatum eſſe phyſicè ad eligendum magis bonum. pag. 85. à n. 35. & deinde.

Non bene intuliſſe aliquos Complutenſes ex eo, quòd Deus ſemper elegit optimum. Ergo Deus neceſſitatus eſt ad optimum. p. 85. n. 44

Etſi hæc illatio eſſet bona, fieret exinde Deum etiam phyſicè neceſſitatum euaſurum ad optimum, quod ipſi Complutenſes abnuunt. ibid. num. 45

Explicatur Francofordienſe, & plura ſanctorum Patrum oracula. p. 86. n. 47.

Moralis hæc neceſſitas inutiliter deducitur in Deo ex eo, quòd ſeipſum ſummo amore ſe amans amare teneatur quidquid melius viderit conducere ad ſui glorificationem. p. 88. à n. 55. vſque ad 65

Nec efficaciter probatur talis moralis neceſſitas ex eo, quòd quælibet voluntas efficaciùs inclinetur ad id, in quo magis complacet. p. 90. à n. 67. & deinde.

Nec vim habet ad ſimilem neceſſitatem inducendam in Deo, quòd diuina volitio efficax incarnationis, ſit actus perfectior, honeſtior nolitione eiuſdem. pag. 95. à num. 73. vſque ad 94

Dependentia.

Non dependet humanitas à Verbo, ſpeciali influxu effectiuo, qui communis non ſit toti Trinitati. tract. 3. diſp. 1. dub. 2. p. 430. à num. 88, & deinde.

Dependet tamen ab illo, vt à termino complente. tractatu 1. diſputatione 1. dub. vnico pag. 2. à num. 1

Chriſtus nullo modo dependit in primo inſtanti ſui eſſe ex vi duplicis actionis adæquatæ, cuiuſdam dependentis tantùm à Deo, & alterius dependentis à Maria ſanctiſſima, tanquam à particulari cauſa, & à Deo tanquam à cauſa vniuerſali. tract. 2. diſputatione 1. dubio 4. pagina 239. à numero 2. & ibi notantur Recentes inconſequentia.

Nec poteſt dici dependens Chriſtus toto tempore, quo fuit in vtero Mariæ per duplicem actionem totalem, quandam dependentem à Maria ſanctiſſima, aliam ſolùm dependentem à Deo, & quòd à puncto natiuitatis dependeret ſolùm per actionem illam, quæ tantùm dependebat à Deo deficiente illa actione, per quam in vtero depēdebat à Virgine. p. 334. à n. 18

Dominium.

Dominium eſt facultas in ordine ad rei vſum poſſibilem ſimpliciter, licèt hîc & nunc ex aliqua ſuppoſitione talis vſus impoſſibilis ſit. tr. 1. diſp. 3 dub. 7. p. 211. n. 39

Explicatur quomodo ſaluari poſſit dominium duplex apud duos homines pro vno inſtanti eiuſdem rei. p. 212. à n. 44. vſque ad 48

Verum prædictum dominium à veritate deuiare ſupponitur. p. 213. n. 49

Datur ratio, cur duæ creaturæ nequeant eſſe condominæ in ſolidum eiuſdem rei. ſect. 10. p. 246. n. 188

Et aperitur ratio, cur donator creatus ſuum dominium abdicet in inſtanti, quo donat pro inſtanti immediatè venturo. ib. n. 189

Similiter datur ratio cur creatura, dum ex iuſtitia dat, patiatur priuationem dati. ib. num. 190

Et oſtenditur ratio, cur in donatore creato protinus, ac dat ſuum dominium ſpirare dicatur. ibid

Deum in nullo, vel in omnibus caſibus exigere opus præceptum ex iure dominij proprietatis p. 251. n. 109

Oſtenditur in Deo Dominium proprietatis à Dominio iuriſdictionis formaliter ex parte rei conceptæ nullo modo differre. ib. à n. 210. & deinde de Dominio Chriſti in res vniuerſi. Vide tom. II.

Debitum.

Debitum, aliud eſt ciuile ad aliquid præſtandum, & aliud potentiæ ad recipiendum. tr. 2 dub. 1. p. 314. n. 7

duplex.

Duplex datur debitum per peccatum contractum, obiectiuum vnum, ſubiectiuum aliud, illud eſt verbi gratia pœna æterna, vel carentia auxilij, hoc eſt, ipſa condignitas ad prædictas pœnas. tract.1.diſp.3. dub.4.p.140.n.39

Debitum obiectiuum duo eſſentialiter inuoluere. Vnum in recto, nempe carentiam auxilij. Aliud in obliquo, nempe indignitatem ipſius ſubiecti; taliter, vt quolibet iſtorum deficiente deficere dicatur tale debitum. pag. 139.n.37

Medio actu contritionis debitum aliquod remittitur peccatori, quod per peccatum contraxerat. ib.n.39

Dæmon.

Dæmon cognoſcens priuationem ſubſiſtentiæ humanitatis Chriſti, ſolùm illum, vt hominem cognoſceret, non vt ſuppoſitum, tametſi Deus negaſſet dæmoni notitiam rerum naturalium connexarum cum myſterio, non exinde infertur, dæmonem non cognouiſſe priuationem propriæ ſubſiſtentiæ. tractatu 1. diſputatione 2. pagina 66.num.113.& num.117

Dolor. Vide tom.II.

Donum.

Omne donum ſpeciale indebitum naturæ, collatum eſt omni creaturæ dependenter à meritis Chriſti. tract.2. diſp. 1. dub.4. p.328.n.62

E

Effectus.

Effectus, qui ab hac actione pendet, nequit non eſſe terminus agentis illius, qui media actione illa operatur. tract.2. diſp.3. dub.4 p.330.n.4

Eadem repugnantia, qua implicat, idem eſſe effectum, & cauſam ſui in eſſe phyſico, implicat etiam, idem eſſe cauſam & effectum reſpectu ſui ipſius in lines morali. pag.336. n.24. Alia de effectu. Vide tom.II.

Error. Vide Angelus.

Euchariſtia.

Quantitas Euchariſtica probabiliter poſita conſecratione ſolùm exiſtentiam propriam conſeruat, & inhærentiam amittit, tractatu 3. diſputatione 2.dub.7.p.539. n.291

Probabiliter etiam notatur, in inſtanti conſecrationis conſeruari quantitatem media actione creatiua, taliter, vt vna vice reſpiciat quantitatem tamquam terminum productum, & corpus Chriſti vt extremum purè vnibile. ibidem. num. 295

Non bene inferri ex eo, quòd accidens poſita conſecratione exiſtat propriâ exiſtentiâ. Ergo Chriſti humanitas poſita incarnatione exiſtit per exiſtentiam propriam. ibi diſp.vltima, dub.2.pagina 555. num.74

Non ideo diuinitas eſt in Euchariſtia modo ſpeciali, quia corpus Chriſti eſt ſpecialiter in illa; ſed quia diuinitas pertinet ad conſtitutionem Chriſti. pagina 561. numero 111

Propoſitio hæc: ſumens Euchariſtiam manducat Patrem & Spiritum ſanctum, eſt ad minus impropria. pagina 562.numero 117

Falſum eſſe ſufficere ad exiſtentiam ſpecialem capillorum in Euchariſtia, quod iſti præciſè naturaliter cum corpore ex vi verborum ibidem exiſtente connectantur. pagina 565.num.133. Vide tom.II. de aliis

Euidentia.

Nullus intellectus creatus poteſt elicere cognitionem euidentem incarnationis, antequam hæc reuelata ſit. tractatu 1. diſputatione 2.dubio vnico, pagina 45.à num.2

Adeo intellectum creatum ſuperat euidentia incarnationis, vt ipſe Deus formaliſſimè, vt author naturæ, illam habere ſit impos. pag.51.num.30. Vide Angelus, & cognitio.

Exiſtentia.

Exiſtentiam realiter diſtingui à ſubſiſtentia ſupponitur ex mente ſanctiſſimi Thomæ. tractatu 3. diſputatione 2. dub. 1. p 482. num.13

Humanitatem Chriſti exiſtere per Exiſtentiam Verbi dependenter à diuina hypoſtaſi. pag.483. num.14

Taliter quòd priùs intelligamus eam ſubſiſtere per Verbi ſubſiſtentiam, & poſtmodum exiſtere abſolutâ Dei Exiſtentiâ. ibid.

Nequit accidens per Exiſtentiam Dei abſolutam exiſtere. tr.3. diſp. 2. dub.7.p.541. num.305

Non quia ens creatum nequeat exiſtere media Exiſtentia à ſe realiter diſtincta. pag. 542.n.306

Huius rei eligitur ratio. ibidem, numero 308

Exiſtentia reduplicatiuè vt complementum ſubſtantiæ eſſentialiter eſt ſubſtantia. pag. 543.n.313

Exiſtentiam eſſe complementum in genere entis non tollit ab ea, ſi ſubſtantiam complet, quòd ſit ſubſtantia. ibidem, num. 311

F

Fama.

Fama eſt exiſtimatio & alienæ probitatis opinio, & differt ab honore, quòd hic eſt teſtificatio quædam noſtræ opinionis de aliena excellentia, de eorumdemque læſione. tractatu 1.diſputatione 3.dub17.p.137. n.146

Fides.

Fidei actus æquè immediatè terminatur ad

rem reuelatam, & ad ea, quæ formaliter cum ipſa re reuelata habent identitatem. tr. 1. diſp. 1. dub. vnico. p. 69. n. 125

Incarnationis poſſibilitas Intrinſeca medio actu fidei attingitur. p. 69. n. 122

Ex eo, quòd in Deo ponamus duas intentionales tendentias, & per vnam, quæ eſt ſcientis ſimplicis intelligentiæ, rei poſſibilitatem attingat, & per aliam, quæ viſionis dicitur, eiuſdem rei exiſtentiam capiat, non deducitur duplex tendentia in actu Fidei, quarum vna tendat in incarnationem vt exiſtentem, & alia in eandem, vt intrinſecè poſſibilem. pagina 70. numero 129

Per actum Fidei quo credimus incarnationem exiſtentem nullo modo attingi poſſibilitatem illius extrinſecam, aut poſſibilitatem extrinſecam aliarum perſonarum. pagina 71. numero 131. Probatur ibidem ex illo princ ipio ſanctiſſimi doctoris, nempe quòd quidquid deducitur ex reuelatis, & eſt ab illis diſtinctum, non cognoſci per actum fidei, quo reuelata, ex quibus inferuntur, cognoſcuntur, ſed media cognitione diſcurſiua,

Explicatur aſſertum vulgare, videlicet, quòd habitus Fidei, qui inclinat ad obiectum reuelatum, inclinat ad ea, quæ in illo continentur virtualiter. pagina 75. numero 147. Alia de Fide. Vide tomum ſecundum.

Filiatio.

Filius ſolus humanitatem aſſumpſit. Vide, aſſumptio. Reddere filium ſubiectum, cui communicatur diuina Filiatio, non eſt effectus adæquatus Filiationis diuinæ. tractatu 3. diſputatione vltima, dubio 1. pag. 558. num. 92

Filiatio naturalis petit paſſionem in termino, ſupra quam fundetur, ortam ab actione, in qua fundetur relatio Patris, quodque deſiderare relationem Filiationis intentionalis, quæ eſt cognitio, cuius parens eſt obiectum. dub. 2. pag. 549. num. 38

Mariam ſanctiſſimam non fuiſſe redemptam à Chriſto vt filio formaliter illius, ſed vt à filio materialiter. tract. 2. diſp. 1. pag. 351. num. 70

In hypotheſi quòd Eua priùs tempore ſeminali profuſione ab Adamo genita, & rurſum mutata prima actione, & dependentia, conſeruaretur ea actione ſola, qua de facto producta fuerit ex coſta Adæ, non diceretur eius filia. pagina 342. numero 39. Alia de filiatione. Vide tomum ſecundum.

Fomes. Vide tomum ſecundum.

G

Gaudium. Vide tomum ſecundum.

Generatio.

GEneratio præterita nequit conferre intrinſecum realem reſpectum termino præſenti, ſed ſolùm denominationem extrinſecam, quòd aliquando fuerit genitus. tractatu 2. diſputatione 1. dubio 4. pag. 341. n. 36

Non ſufficere ad eſſe matris de præſenti, genuiſſe aliquando, nec ſufficere, vt de præſenti ſit filius, aliquando fuiſſe genitum abſque vllo mutuo reſpectu intrinſeco reali de præſenti. ibid. à n. 38

Actualis relatio matris licèt non exigat immediatam generationem hîc & nunc exercitam, tamen generationem mediatam deſiderat. p. 342. n. 40

Generationem immediatam eſſe ſolum conditionem, à qua in ſuo eſſe pendet maternitatis relatio, tamen mediata generatio non ſolùm eſt conditio, ſed proximum fundamentum parentis, quo ſublato & relatio ipſa maternitatis perit. ibid. n. 41

Supponitur potentia generatiua patris eſſe coaleſcens ex duplici principio partiali, nedum partialitate virtutis, ſed partialitate termini. tract. 2. diſp. 1. dub. 4. pag. 337. n. 27. Alia in tom. 2.

Gloria. Vide tomum ſecundum.

Gratia.

Aliud eſſe, opus procedere ex gratia creditoris, taliter, quòd nihil habeat debitoris; & aliud procedere ex gratia creditoris, taliter, quòd etiam ſit proprium debitoris opus. Primum impedit, ne ſatisfactio ſit ex iuſtitia; ſecus dicendum. tr. 1. diſp. 3. dub. 7. p. 230. n. 114

Gratia habitualis, (etſi ab homine liberè produceretur) non haberet tantam æſtimabilitatem moralem, quantam peccatum habet; imo ſi gratia ſecundùm ſe accipiatur, omnis æſtimabilitatis moralis eſt expers. dubio 4. pag. 153. n. 98

In hypotheſi, quòd homini dormienti Deus gratiam habitualem infunderet, per quam peccatum mortale depelleretur, talis homo ſatisfacere pro peccato minimè diceretur. tract. 1. diſp. 3. dub. 4. p. 152 num. 89

Explicatur aſſertum Pauli dicentis: *gratiam gratis donari.* p. 160. n. 155

Gratia habitualis Petro peccatori danda non poteſt eſſe præmium meriti de condigno hominis iuſti. dubio 6. pagina 176 num. 68

Gratia habitualis cum peccato coniungenda materia præmij non eſt. dubio 6. pag. 175. num. 73

Gratiam ſolùm dicere ordinem ad merendum de condigno proprio ſubiecto, cui inhæret. dubio 6. pagina 180. à numero 103

Gratia non eſt ita æſtimabilis vt à remiſſione actuali peccati ſeiuncta, ac dum illi eſt coniuncta. tractatu 2. diſputatione 1. dub. 5. pag. 558. num. 18

Hab-

H

Habitus.

Habitus inclinans ad conclusionem deductam,ex vna de fide, & alia præmiſſa, naturali eſſe reducendum ad fidem. tract. 1. diſp.2.dub.vnica.p.74.n.144
Explicatur, quomodo Habitus ille fidei, qui inchoat ad obiectum reuelatum, inclinet ad ea,quæ in illo virtualiter continentur. p.75.n.147
Habitum fidei non eſſe virtutem theologicam diſtinctam ab habitu luminis gloriæ, nec habitum ſcientiæ infuſæ. p.74.n.144
de exiſtentia Habituum pœnitentiæ,fidei,& ſpei. Vide tomum ſecundum.

Homo,& humanitas.

Homo addit rationem ſuppoſiti ſupra humanitatem. tractatu 1. diſputatione 1. dubio vnico, pagina 34. ſectione 8. per totam, & ibidem deſignatur illud additum eſſe realiter diſtinctum ab humanitate humanitas carens propria perſonalitate nullam violentiam patitur à Deo. p.38.n.178
Tametſi Deus humanitatem dimitteret, & ſine alia entitate addita illam conſeruaret,tunc humanitas ſuppoſitum non eſſet. p.39.n.182
Humanitati non correſpondet vnio hypoſtatica recepta in illa diſtincta ab vnione partium cum Verbo. tract.3. diſp.1. pag.463. num.97
Ex eo quòd ſit vera: *Verbum aſſumpſit immediatè Humanitatem completam* ſatis probabiliter deducitur, dari immediatam vnionem aſſumptiuam vnionis naturalis partes illius nectentis, potiſſimè in hypotheſi, quòd tali vnioni naturali debita ſit propria ſubſiſtentia. dub.4. pag.466. n.111.& deinde.
Denominatio humanitatis eſſentialiter petit vnionem partium inter ſe. pag. 468 num.121
Duo dari ſigna in quorum primo,partes ſcilicet corpus,& anima, vel hæc ſolùm,intelligatur vnita Verbo,in ſecundo intelligitur Humanitas Verbo copulari. pag. 466.n.113
Sed in primo ſigno non verificatur de Humanitate, aſſumptam eſſe, bene tamen in ſecundo. p.46 .n.114
Humanitas priùs fuit producta, quàm Verbo vnita. tractatu 3. diſp.1. dub.1. per totum. pag.386

I

Identitas.

Identitas cum eminentia prædicatorum non tollit entium proprietatem, ſed diſtinctionem quam habent ex imperfectione naturæ,in qua reperiri ſolent.tract.3.diſp.2. dub.1.pag.486. num.41.idque ibidem expenditur exemplis.
Identitas hæc cum prædicta eminentia adeo excellens eſt, vt ob eius amplitudinem, diuerſa prædicata, quæ in creatis fundant contradictionem, valeant de illa verificari. ibid.n.42
Tametſi vnio ſubiectiuè ſe tenens ex parte Verbi ſit cum illo idem realiter, tamen ab illo virtualiter differt. tractatu 3.diſputatione 1. dubio 2. pagina 442. numero 148

Incommunicabilitas.

Incommunicabilitas propriæ,& ſtrictæ ſubſiſtentiæ conuenit ſubſiſtentiæ abſolutæ Dei.tractatu 3.diſput. 2. dubio 1. pag.484. num.33
Diuerſa Incommunicabilitas conuenit ſubſiſtentiæ relatiuæ, ab ea, quæ ſubſiſtentiæ abſolutæ conuenit. ibidem, pag. 485. num.37
Idem eſſe aliquid eſſe incommunicabile alteri tanquam termino intrinſeco ac formaliter eſſe ſubſiſtens.ibid.dub.2.p.491 num.163
Si præſcindibilis eſſet à filiatione dicta Incommunicabilitas,& ex alia parte maneret ſubſiſtens,vt *quod*, haberet vim aſſumptiuam ad ſe cuiuſlibet naturæ creatæ non ſubſiſtentis. p.492.n.67
Incommunicabilitas alteri tanquam ſuppoſito non conuenit naturæ,vt naturæ. tr.1.diſp.1. dub.vnica.p.35.n.163
Incommunicabilitas hæc, quæ formaliter eſt negatio, fundari debet in aliquo poſitiuo repugnante. pagina 36.numero 166. Vide ſuppoſitum, perſona,& ſubſiſtentia.

Incarnatio.

Incarnatio fuit conueniens Deo. tractatu 1. diſputatione 3.dubio 1.pagina 76.numero 2. & deinde imo & Deo decentiſſima. pagina 77.num.7
Item Incarnatio fuit conueniens humanitati. ib.n.8
Item eandem fuiſſe conuenientem, conuenientiâ deſumptâ ex parte Matris.ibidem, num.9
Incarnationem non fuiſſe à Deo ex neceſſitate naturæ executam. p.78.n.12
Incarnatio abſolutè accepta non fuit Deo phyſicè neceſſaria, nec ſuppoſita voluntate creandi mundum, nec ſuppoſito peccato, nec voluntate illud reparandi. ibidem à numero 15.vſque ad 22. Vide Deus, motiua, & incarnationis decreta. Vide decretum. An Chriſtus vel ſancti Patres incarnationem meruerint? Vide meritum Chriſti,meritum ſanctorum & meritum Mariæ.

Infinitum.

Non obſtante triplici infinitate inuenta in Chriſti operibus deſignata.tract.1.diſp.3. dub.7.pag.124.n.90
Adhuc talia opera cum prædicta infinitudine erant Deo ſimpliciter debita. ibid.
Deſignatur duplex infinitum, quantitatiuum vnum, & perfectionis aliud, & notanda eorum diuerſitas. tract.1. diſp. 3. dub.3 p.110.n.48

Immenſitas.

Nequit Deus liberè impedire, quòd vna perſona diuina realem locum ſemel exiſtentem occupante, ne aliæ duæ perſonæ dictum locum occupent. tr.3. diſp.2. dub.2. pag.428.n.75

Producto ſemel aliquo loco actus Dei impediens, ne immenſitas prout eſt in duabus perſonis illum repleat eſt impoſſibilis. p.429.n.77

Oſtenditur conuenientia & differentia, quæ eſt inter omnipotentiam, & immenſitatem. ib.à n.79

Infertur, quòd licèt Deus liberè poſſit abſolutè antecedenti poteſtate impedire immenſitatis exercitium; tamen ſemel locis ad extra productis, & conſeruatis, non habet prædictam poteſtatem. p.430. num.81

Intellectio. Vide viſio, Angelus, dæmon, & cognitio.

Integrale.

Partes integrales formæ diuiſibilis vnitæ aliis poſſunt aſſumi à Deo aliis minimè aſſumptis. tract.3. diſp.2. dub.7. pag.535. num.271. Vide aſſumptibile.

Nihil aliud eſſe ſubſiſtentiam totius, quam ſubſiſtentias partium integralium vnitarum. p.537.n.281

Partes integrales rei, cuius forma eſt indiuiſibilis non habent proprias ſubſiſtentias. ibid.n.283. Vide aſſumptibile.

Ius.

Iure naturæ, & poſitiuo taliter deſideratur acceptatio promiſſorij externa, vt obligatio ex iuſtitia fubortatur, quòd etiamſi acceptatio interna acceptabilis eſſet, talis obligatio minimè reſultaret. tract.1. diſp.3. dub.7. pag. 205.n.11

Siue acceptatione externa à promiſſario facta nullum ius in illo ad rem promiſſam conferri poteſt. ib.n.12

Donationem factam puero naſcituro eſſe irreuocabilem, licèt non acceptetur ab aliquo, quia per ipſum ius acceptatur. pag. 206.n.14

Iuſtitia.

Iuſtitiæ acceptiones tres. tract.1. diſp.3. dub.7. n.13.p.207

Sed proprior eſt eſſe virtutem conſtituentem æqualitatem alteri debitam ratione iuris, quod ad illam habet tanquam ad rem ſuam. ib.

Diuiditur iuſtitia propria in legalem, bonum commune reſpicientem, cuius ſubiectum eſt Princeps, & particularem, quæ cardinalis eſt virtus, cui incumbit bonis priuatis ciuium prouidere. ib.

Particularis iuſtitia diuiditur in commutatiuam, verſatam inter commutationes bonorum particularium, quæ in commerciis & contractibus fiunt, attenta ſolùm æqualitate rei ad rem, dati, & accepti, debiti & iuris independenter omninò à conditione, & dignitate alterius perſonæ, & in diſtributiuam dirigentem diſtributiones præmiorum iuxta aliarum perſonarum dignitatem, media proportione geometrica. ibid n.24

In Deo dari ſtrictam & propriam virtutem iuſtitiæ, à pag.203. in toto dub.7. per 25. ſectiones.

Iuſtitia tam Chriſti, quàm hominum erga Deum, quæ materialis eſt, confunditur cum reliquis virtutibus. p.268.n.291

Formalis verò iuſtitia Chriſti fuit eſſentialiter ab aliis virtutibus diuerſa. ib.n.292

Iuſtitiæ actus, quos Chriſtus elicuit, fuerunt eiuſdem rationis cum actibus iuſtitiæ commutatiuæ noſtræ. p.269.n.293

Probabiliter tamen contrarium poteſt defendi. ibid.n 296

Iuſtitia, qua Deus noſtris operibus refert præmium gloriæ accedit ad iuſtitiam commutatiuam. p.266.n.283

Et Iuſtitiam diſtributiuam imitatur. ib.

Reliqua ad iuſtitiam Deo dandam. Vide ſatisfactio Chriſti.

L

Lazarus.

Lazarus etiam miraculoſè ſuſcitatus manſit verus filius ſuorum parentum, quippe manſit conſeruatus per actionem ſaltem mediatè dependentem à prima generatione, per quam accepit primum ſuum eſſe. tractatu 2. diſput.1. dubio 4. pag.341. num.41

Libertas.

an Liberum fuit Deo incarnari, vide Deus, de Chriſti libertate, vide tomum ſecundum.

Locutio.

Locutiones de hoc myſterio vide in tomo ſecundo *propoſitiones.*

Loiſius de Torres nimius in cenſuris. tr.2 diſp.1. dub.5. p.356. n.21

M

Malitia.

Formalitatem malitiæ diſtinctam eſſe à formalitate offenſæ. tract.2. diſp.3. dub.3. pag 99.n.4

Separabiles eſſe inter ſe prædictas formalitates negamus. ib.n.5

Expenduntur latè conſtitutiua malitiæ pag. 100.à n.7

In hypotheſi, quòd homo peccaret abſque vlla aduertentia formali, vel habituali ad iniuriam vel offenſam Dei, tale peccatum non contraheret formalem malitiam offenſionis Dei. ibidem, dub.4. pag. ibidem, à n.129

Explicatur in quo ſenſu verificetur peccatum veniale eſſe magis malum, quàm bona ſit contritio. ibidem dub.5. pag.166. numero 19. Alia, vide offenſa, peccatum.

Macu

Macula.

Debitum contrahendi maculam originalis peccati poteſt perſeuerare in Poſtero abſque actuali contractione maculæ; imo & ſimul cum illa exiſtere. tract. 2. diſp. 1. dub. 4. p. 313. n. 4

Maria.

Digniſſima Mater Dei Maria nedum peccatum originale contraxit, verùm nec debitum ad illud contrahendum. tract. 2. diſp. 1. dub. 4. per decem ſectiones. à pag. 312

Fuiſſe Mariam hic & nunc excluſam à debito originali contrahendi non abſtulit ab ea omnem potentiam peccandi in Adamo. p. 317. n. 18

Fuiſſe excluſam Virginem à tali debito, ſupponebat Chriſti futuri præuiſionem. ibid. num. 19.

Quodque eſſe impoſſibile, ex ordine decretorum Cardinali Lugo. ibid.

Ex ſerie decretorum Quitini de Salazar, licèt componatur Mariam, exiſtentiam habuiſſe ex Chriſti meritis, tamen ex eiſdem eſſe præſeruatam à debito originali non deducitur. ib. n. 22

Cum decretorum ſerie Scrlogij, licèt componatur Mariam fuiſſe à peccato originali, & eius debito liberam ex meritis Chriſti, alia tamen dogmata veriſſima non cohærent. p. 318. n. 23

Modus aliquorum Complutenſium etſi rem eamdem componant, fundamentum, cui innituntur, eſt ruinoſum. pag. 319. à num. 25

Alij Complutenſes recentiſſimi in ſua decretorum ſerie, licèt ab originali ex meritis Chriſti, tanquam ex adæquata cauſa, liberauerint, non tamen à debito. p. 320. à n. 33. vſque ad 34

Oſtenditur plurimis ſanctorum Patrum oraculis Mariam Sanctiſſimam fuiſſe immunem à debito contrahendi originale. pag. 325. à n. 49. vſque ad 58

Expenditur modus, quo Maria ſanctiſſima fuit à tali debito præſeruata ex meritis Chriſti. p. 328. n. 64. ſect. 5

Falſum enim eſſe Chriſtum ex vi primi decreti ſolùm intendi exiſtentem pro primo conceptionis inſtanti, independenter à materno concurſu, & deinceps ipſum præuideri exiſtentem dependenter à prædicto influxu Matris: ſed tamen verum eſſe, quòd licèt Chriſtus in executione, tam in primo, quàm in aliis inſtantibus à Matre dependeat, tamen ex vi primi decreti præuiſus eſt Chriſtus independenter à concurſu Matris. pag. 348. ſect. 10. n. 63

Dare Chriſto Mariam ſanctiſſimam in digniſſimam ſui Matrem, fuit nouum præmium meritorum Chriſti. pag. 349. num. 65

Decretum de maternitate non ſupponit neceſſariò decretum de redemptione Matris. p. 351. ſect. 10. n. 70

Martyr.

Martyres, licèt poſſent cedere iuri ſuo erga vitam, ſicque Tyranni, dum illos vexarent, iniuſtitia ſtricta non labefactarentur, tamen de facto ſuo iuri non cellerunt. tr. 1. diſp. 3. dub. 7. p. 258. n. 143

Medium.

Explicatur regula illa, nempe, qui efficaciter intendit finem aliquem nequit prudenter & ſeriò prohibere poſitionem medij eſſentialiter requiſiti ad aſſecutionem talis finis. tract. 2. diſput. 1. dub. 1. pag. 290. num. 70

Explicatur quid denotet, permiſſionem eſſe medium vtile, ratione peccati ad redemptionem. p. 289. n. 64

Meritum Chriſti.

Quidquid rationem doni ſpecialis naturæ indebiti habet, fuit collatum rationali creaturæ, dependenter à meritis Chriſti. tract. 2. diſput. 1. dub. 4. pag. 328. n. 62

De his, quæ ſibi & aliis Chriſtus promeruit, de valore, & infinitudine meritorum Chriſti, Vide tomum ſecundum.

Meritum Mariæ.

Mariam ſanctiſſimam meruiſſe eſſe Dei Matrem. tract. 2. diſp. 1. dub. 5. pag. 351. n. 3 vbi authoritate ſacræ ſcripturæ probatur.

Oſtenditur vocem hanc, meritum, qua vtuntur Patres de Virgine loquentes, eſſe ab illis propriiſſimè ſumptam. pag. 353. num. 8

Probatur tale meritum ratione ibi à numero 10

Mariam ſanctiſſimam condignè non meruiſſe in præmium diuinam maternitatem ibi n. 13.

Explicatur mens diui Pauli. pagina 354. num. 14

Non eſſe illationem bonam, Maria meruit de condigno Maternitatem; ergo meruit incarnationis ſubſtantiam. ibidem, num. 15

Nec rectè tale meritum condignum Mariæ negatur reſpectu Maternitatis, quia illi eſſet maius bonum augmentum propriæ gratiæ, quàm collatio Maternitatis. ibid. num. 16

Explicatur textus Lucæ 1. verſu 49. quia reſpexit humilitatem &c. p. 350. n. 18

Tametſi Verbum concipere in mente abſolutè, ſit maius præmium, quàm illud in ventre concipere; tamen conceptio Verbi in ventre, vt hic & nunc Virgini conferatur, maius præmium eſt, quàm illud in ventre concipere. p. 356. n. 21

Meritum de congruo Maternitatis Dei, cuilibet ſanctarum mulierum veteris teſtamenti de facto competiiſſe cenſuratur à Luyſio de Torres, an iuſtè, necne non iudicat Author, ib. n. 22. & ibidem etiam notatur, quòd intra latitudinem congruitatis dari poſſit magis, & minus, quin ſphæra condignitatis pertingatur.

Notatur non dari medium inter meritum de condigno, & de congruo. ibid. num.23

Duplex componitur via ad probandum, quomodo Maria Sanctiſſima poſſet de condigno ſuam maternitatem promereri. p.357. à n.25. vſque ad 30.in alia ſcilicet prouidentia.

In ſententia defendente meritum de condigno, non ſolùm dicere proportionem operis cum præmio, ſed etiam præmij cum opere nequit defendi, etiam de poſſibili Mariam Dei maternitatem de condigno potuiſſe promereri,ſi verò meritum de condigno petat ſolùm, vt non excedatur à præmio, etiamſi tale meritum excedat præmium, poſſibiliter eſt Mariæ concedendum. ibid.n.25

In hypotheſi, quòd impeccabilitas (quam eſſe annexam maternitati ſupponitur) collata Virgini non ſupponeretur ad meritum, probabiliter defenditur, Mariam de condigno,nec in alia prouidentia maternitatem promeritutam: ſi verò eſſet antecedenter collata, poſſet de condigno maternitatem promereri. ibidem. num.26

Quid autem eſſet dicendum in caſu, quo impeccabilitas non ſupponeretur in Virgine, & Deus in præmiū operum Mariæ, maternitatem conferret, cum intentione denegandi effectum hunc ſecundarium, nempe impeccabilitatem cum maternitate connexam, an tunc maternitas talem effectum non ſortitura poſſet ſub meritum codignum cadere? ibid.à n.27. & deinde.

Quid autem eſſet dicendum in hypotheſi, quòd maternitatis relatio ex ſe eſſet iuſtitia, vel formæ ſanctificanti æquiualeret? p.358.n.30

Mariam ſolùm meruiſſe de facto maternitatem Dei, quantùm ad executionem. ibid. num.32

Meritum Sanctorum Patrum.

Ægrè fertur ſententia Priſcorum aſſerentium Sanctos Patres promeruiſſe incarnationem, per opera ex libero arbitrio procedentia ſolùm. tract.2.diſp.1.dub.6. p.59.n.3.

Etiam in hypotheſi, quòd poſſibile eſſet meritorium opus, vt à libero arbitrio ſolùm emanans, adhuc id iſtis Authoribus non ſuffragaretur ad tale meritum incarnationis ſtatuendum. p. 360. num.4

Non bene probatur meritum Sanctorum Patrum reſpectu incarnationis, quia opera illorum procedebant à gratia, vt à principio proximo, & à Chriſto, vt à remoto. p.361.n.9

Si ſemel conceditur abſolutè, quòd principium proximum non cadat ſub meritum, concedere eſt neceſſe, nec principium remotum ſub meritum cadere poſſe. ibid & deinde.

Si ſemel conceditur, quòd vt merita Sanctorum Patrum intelligantur futura non eſt neceſſe præuideri principia remota, vt determinata, etiam & quòd neceſſe non eſt, vt principia proxima determinata præuideantur. pag.362.à n.12. & deinde.

Nec explicatur bene proloquium illud: principium meriti ſub meritum non cadit, de principio efficienter influente, denegando Chriſto eſſe principium effectiuum meritorum Sanctorum Patrum. p.363.n.15

Sanctis Patribus denegatur meritum condignum incarnationis, & cuiuis puræ creaturæ. p 364.n.17

Et ratione probatur taliter, quòd etiamſi inter illos, & Deum interponeretur pactum, talia opera non euaderent incarnationis condigna. ibid.à n 18

Aſſertur diſparitas difficillimæ obiectioni deſumptæ ex operibus purè naturalibus, non valentibus mereri de congruo præmium ſupernaturale. p.367.à n.29

Sanctis Patribus conceditur meritum de congruo ſubſtantiæ incarnationis quoad eius executionem. ſect.4.p.369.à n.33

Eiſdem negatur meritum etiam de congruo incarnationis quoad prædeſtinationē, etiam de potentia abſoluta, ſuppoſito hoc rerum ordine. ibid.

Explicatur meritum de congruo incarnationis datum Sanctis Patribus, doctrina valde vtilis ad materiam de prædeſtinatione. p.370. à n.36

Proloquium illud: Principium meriti non cadit ſub meritum, duas limitationes pati. Primam, ſcilicet, debere intelligi de principio ſecundùm eam rationem, qua principium talis meriti eſt. ſect.5.pag.371. num.40

Quam limitationem expendunt plura exempla. ibid.à n.41

Secunda limitatio illius proloquij eſt de principio, ſcilicet valorem conferente merito. p.372. n.46

Sed illam ſolam minimè ſufficere, vt proloquium ſubſiſtat. pagina 373. numero 47

Sancti Patres meruerunt de congruo circunſtantias incarnationis, quoad executionem. tract.2. diſp.1.dub.7. per totum, à p.375. ad 384

Illos mereri circunſtantiam accelerationis incarnationis non reddit ſenſum, quòd poſſint mereri, quòd Deus mutaret decretum ſuum, quod in prima prædiffinitione habuit, ſed Deum ita diſpoſuiſſe executionem incarnationis, vt voluerit Sanctos Patres, ita diſponi ad illam recipiendam, vt ex vi talis diſpoſitionis mereretur de congruo, ne amplius incarnatio differretur. pagina 375. & 376. numero 2. & 8

Probatur tale meritum authoritate Danielis nono, & expenditur, dictionem illam *abbreuiata*, etiam vt collatam cum originali Hebræo, Authori ſuffragari. p.377.n.11. & deinde.

Reſolnitur, Sanctos Patres prometuiſſe hanc circunſtantiam temporis incarnationis, quoad æternam eius prædeſtinanem, ſuppoſito ordine decretorum Authoris. p.378.n.15

Etiamſi duratio identificaretur cum actione rei productiua, adhuc ſubſiſteret meritum Sanctorum Patrum reſpectu accelerationis incarnationis. pagina 380. num.30

Explicatur quid ſit meritum durationem includere. ibid.n.31.& deinceps.

Oſtenditur, potuiſſe Deum præuidere Chriſti merita, vt abſolutè futura, antequam præuidiſſet illa ſub determinata duratione, tametſi Chriſtus nonniſi ſub determinata temporis duratione talia merita habere potuiſſet. pag. 381. à n.36

Recentium Complutenſium dicendi modo occurritur. p.383. à n.43

Oſtenditur Authores plures ſententiæ contrariæ ſolùm à nobis differre in voce. ibidem. numero 44

N

Natura.

NAturam humanam eſſe vnitam Verbo. tractatu 3. diſputatione vltima, dub.1. pag.544. num.1. & deinde.

Natura humana à Verbo aſſumpta non habet appetitum innatum per modum deſiderij ad propriam ſubſiſtentiam. Vide appetitus.

Reliqua. Vide humanitas.

Natura diuina. Vide aſſumptiuum,

Neceſſitas.

Neceſſitas duplex. Vna Phyſica, moralis alia. Phyſica, aut ex repugnantia terminorum ſumitur, aut quia taliter exiſtit, vt eius oppoſitum ſine duplici contradictorio prædicato exiſtere nequeat. tractatu 1. diſputatione 3.dubio 2.pag.78. num. 11.

Moralis neceſſitas ſolet ſumi non ex prædicatis ſecundùm ſe acceptis, ſed ex aliquo Dei attributo. p.80.n.13

Aut ſumitur ex ingenti difficultate, quæ neceſſitas variis exemplis munitur. ibid. num.14

Deum ex neceſſitate naturæ incarnationem fuiſſe operatum eſt error Abalardi, & Vvicleſi. pag.78.num.12.

Nomina.

Quomodo nomina in concreto, & in abſtracto prædicentur in hoc myſterio. Vide Tomum ſecundum verbo *Propoſitiones.*

O

Obedientialis Potentia.

NAtura ſemel propriâ ſubſiſtentiâ terminata non habet potentiam obedientialem, vt terminetur etiam à diuina ſubſiſtentia. tractatu 3. diſputatione 2. dubio 6. pag. 520. num. 103. Vide aſſumptibile.

Potentia obedientialis non eſt ſub eadem linea cognoſcibilitatis cum re, cum qua identificatur. tract.1.diſp.2. dub.vnico, pag.50. num.16.

Obligatio.

Obligationem ex promiſſiona promanantem, tametſi ſimplicem, ſi ſit acceptata, non ſolùm eſſe ex fidelitate, ſed ex iuſtitia, aliqui probabiliter defendunt. tractat.1. diſput.3. dub.7.p.104.n.7.

Obligationem promiſſionis diſtingui ab obligatione veracitatis. pag.106.num.17. Vide Promiſſio.

Obſequium.

in Obſequio duo dantur, & pœnalitas, & bonitas. tractat.1.diſputat.3.dub.5.pag.171. num.53

Obſequium quod ſeruus præſtat Hero, aliàs illi debitum, meretur retributionem ab Hero in materia gratitudinis. dub.3. pag.116. num.77

Obſequium actus amoris tantam vim affectiuam habet ad dandum eſſe Deo ſub conditione, quòd factibilis eſſet, ac habeat offenſa ad auferendum à Deo rationem ſummi boni, ſub conditione quòd talis ratio eſſet à Deo auferibilis. p.106. num.30

Vilitas ſubiecti eſt cauſa, vt Obſequium non habeat tantam æſtimabilitatem quantam obiectum in illud poſſat refunderere. dub.4.p.158.n.121

Oculus.

Oculus reſtitutus, quippe ſupernaturalis quoad modum, debuit aliquando fieri virtute alicuius agentis naturalis. tract.3.diſp.1. dub.5. pag.509. num.160

Offenſa.

ASſignatur diuerſitas harum formalitatum malitiæ ſcilicet & offenſæ, & earum conſtitutiuum. tract.1. diſput.3. dub.3. p.99. n 5.& 7

Non bene deducitur peccatum eſt infinitum in ratione offenſæ intrinſecè; ergo eſt infinitum, ſecundùm malitiam generalem iniuſtitiæ. p.100.n.10

Offenſa non ſumit intrinſecam infinitatem ſimpliciter, quia peccatum ſit Dei deſtructiuum. pag.101.à num.11.vſque ad 31

Peccator medio peccato, vt offenſa, ſeu aueſio eſt, non aufert à Deo rationem ſummi boni finalizantis etiam quoad affectum. ibid.n.16.& 19

Poſito peccato graui, perſeuerat totum eſſe Dei in ordine ad vſum non ſolum eorum, qui ſunt in gratia, ſed etiam reſpectu illius, qui eum actualiter offendit. p.103.num.21

Iſta eſſe impoſſibilia, repugnare aliquem ſuum non eſſe appetere appetitu proſequutionis, & exinde colligere, peccatorem ſe ad creaturam conuertentem, & in illa rationem ſummi boni collocantem, nullo modo velle non eſſe ipſius creaturæ appetitu proſequutionis, ibid.n.22

Implicat, peccatorem velle, dum peccat, ponere in creatura rationem ſummi boni, quæ verè in Deo eſt, & non velle proſequutiuè non eſſe ipſius creaturæ. ibid.num.22

Permiſſo, peccatorem peccando intendere deſtruere Deum quoad affectum, exinde minimè deducendam infinitatem intrinſecam in ipſo in ratione offenſæ. pag.104. à num.24

Si non eſſe Dei intentatum per peccatum, refunderet infinitatem intrinſecam ſimpliciter in ipſum, etſi reipſa impoſſibilis ſit Dei deſtructio; ita eſſe Dei intentatum per actum charitatis, refunderet infinitatem eandem in ipſum, quamuis impoſſibile ſit, Deum reipſa ſuum eſſe recipere à creatura. pagina 105. numero 28

Ex infinitate Perſonæ offenſæ non bene probatur infinitas intrinſeca peccati, in ratione offenſæ. ſectione 3. pag.107. à num.32

Offenſa licèt concipiatur, vt malum Dei mortale, nequit Deus concipi vt ſubiectum intrinſecum moraliter illius. ibid. num.35

Negans Offenſæ vim mutandi intrinſecè Deum moraliter, tenetur negare Deum eſſe ſubiectum intrinſecum moraliter offenſæ. ibid à n.37

Iudicium prudens affirmans Offenſam habere vim lædendi Deum abſolutam affectiuè, & ſolùm conditionatè effectiuè ſub conditione, quòd Deus eſſet læſibilis, non ſufficit, vt prudenter iudicet Deum eſſe intrinſecum ſubiectum talis læſionis. p.108.n.38

Et hoc permiſſo, etiam erit ſufficiens ad prudenter iudicandum Deum eſſe ſubiectum intrinſecum alicuius boni per actum charitatis affectiuè intentatum. ibid.n.39

Permiſſo Deum eſſe ſubiectum intrinſecum Offenſæ, & quod exinde hæc infinitatem hauriat, idem pariter eſt affirmandum de actu charitatis. ibid.n.40

Non eodem modo Offenſa Dei excedit offenſas omnes factas in creaturas, ac Deus excedit illas. p.109.n.42

nec Offenſa in Deum facta gradibus infinitis excedit offenſas factas contra omnes homines. ibid.n.45

Vbi oſtenditur dignitatem infinitam Dei formaliter non ingredi conceptum formalem Offenſæ diuinæ conſtitutiuum.

Licèt dignitas Perſonæ grauificet Offenſam, tamen id non præſtat ſecundùm ſe accepta, ſed vt modificata per cognitionem. pagina 111. numero 50. & 51

Offenſam Dei habituram eandem grauitatem, ac nunc, in caſu quo Deus non habuiſſet infinitatem in ſe, dummodo à nobis exiſtimaretur illam habere. pag.112. num.56. & deinde.

Offenſa infinita non euadit ex infinitate bonorum, quorum priuationem cauſat offenſa. ſect.4.pag.113.à n.59

Nec talis infinitas Offenſæ conuenit, quia pœna, quæ ei correſpondet, eſt infinita ex parte durationis. pagina 114. num.68

Infinitas Offenſæ non bene deducitur ex eo, quod offendatur Deus per illam, quantùm offendibilis eſt. ſect.5.pag.119. num. 96. Nec ex vilitate Perſonæ offendentis.

nulla Offenſa adæquare poteſt offendibilitatem Dei. p.121.n.105

Etiam permiſſo, quòd Deus à quolibet peccato graui offendatur, quantùm offendibilis eſt, adhuc non euaderet infinitum in ratione Offenſæ. ibid.n.107

Infinitas peccati non rectè probatur ex concreto Offenſæ includente aliquid infinitum, nec ex antelatione, qua per peccatum creatura antefertur Deo. ſect. 6. p.122.n.108

Et permiſſo Deum eſſe formam Offenſæ Dei, adhuc iſta abſolutè non eſſet dicenda infinita. ibidem. à numero 113. & deinde.

Et caſu dato quod euaderet infinita, non tamen intrinſecè moraliter. pag. 124. num.123

Datur diſparitas inter Perſonam Chriſti, vt collatam cum eius actionibus, & Deum vt collatum cum offenſa. ibid.n.125

Oſtenditur, quòd admiſſo Offenſam eſſe infinitam extrinſecè, talis infinitudo eſſet eiuſdem rationis cum infinitudine actus charitatis, & viſionis beatæ. p.125. n.128. & 129

Aliquod poteſt dari peccatum in ratione Offenſæ infinitum. ſectione 7.pag.126. num.234

Pone caſum, aliquem certò cognouiſſe diuinitatem humanitati Chriſti hypoſtaticè coniunctam, & ex alia parte intendiſſe, & reipſa executioni mandaſſe actionem hîc & nunc Chriſti occiſiuam, qualem Iudæi exercuerunt de facto, in hoc enim caſu peccatum illud occiſionis habiturum infinitatem ſimpliciter. p.127. num.240

Etiam in hypotheſi, quòd quis reipſa purum hominem interficeret, putans inuincibiliter eſſe Chriſtum, diceretur contrahere infinitam malitiam ad culpam imputabilem. p.130.n.250

Ordo.

Ordo executionis incedit ordine inuerſo, quem ſeruat intentionis ordo, quando tales ordines fiunt modo naturali. tract.3. diſp.1. pag.471. num.138

Oratio.

Oratio.

Orationes Sanctorum Patrum metuiſſe incarnationem. Vide meritum Sanctorum Patrum.

Originale peccatum.

Compatitur exiſtentia peccati Originalis cum debito illud contrahendi. tract. 2. diſp. 1. dub. 2. p. 313. n. 4

Poſteros contrahere debitum ad Originale peccatum contrahendum nihil aliud eſt, quam eſſe incluſos in pacto cum Adamo à Deo inito ibi. p. 327. n. 60

Alia de Poſteris. Vide Chriſtus.

P

Pactum. Pollicitatio, & Promiſſio.

PActum eſt duorum conſenſus & conuentio; duo ad illud cupiuntur conſenſus. Ad rationem Pollicitationis vnius ſolùm petitur conſenſus, tranſit verò pollicitatio in pactum quando ille, cui fit promiſſio, eam acceptat. Promiſſio eſt quædam fides data. tract. 1. diſp. 5. p. 204 num. 6

Ex ſimplici promiſſione acceptata profluere Obligationem ex iuſtitia probabiliter ſupponitur, verùm talem obligationem ex iuſtitia inducere promiſſionem onerosam acceptatam certius eſſe. ibidem, num. 7

Certum eſſe ex ſimplici Promiſſione acceptata conferri ius aliquod promiſſario, nempe ius ad rem, quodque tranſire poſſe ad hæredes. ibid. n. 8

Emiſſionem Promiſſionis frequenter eſſe actum liberalitatis, tametſi aliquando ex aliquo debito contingens ſit, vt ad promittendum teneatur. p. 205. n. 9

vt ex Promiſſione reſultet obligatio deſideratur ex parte promittentis, actus internus voluntatis, quo promittere velit, & ſe obligare. ibid. n. 10

Necnon & Promiſſio externa cupitur, vt inter homines reſultet obligatio. ibid. num. 11

Ex parte promiſſarij exigitur alius duplex actus internus ſcilicet, & externus acceptationis. ibid. n. 12. & 13

ſi Promiſſio ſit ſimplex, & non oneroſa, ſufficit taciturnitas promiſſarij ad acceptationem præſentis: & in aliquo caſu etiam ſufficit, dum promiſſio eſt oneroſa. ibidem. num. 13. & ibidem etiam ponitur caſus.

Quando verò Promiſſio fit abſenti, tunc debet ſpectari acceptatio illius, vel alienius, qui pro illo acceptare poſſit. p. 206. num. 14. & ibidem aſſignantur Perſonæ, quæ pro aliis poſſunt acceptare

Chriſto fuiſſe factam Promiſſionem oneroſam, & illam acceptaſſe probatur authoritatibus Sacræ Scripturæ. p. 207. à n. 21. & deinde.

Pactum, quod iniuit Deus cum Adamo, non fuit celebratum horâ primâ, & peccatum commiſſum horâ duodecimâ. tractatu 2. diſputat 1. dub. 4. pagina 320. à num. 33. & deinde.

Pactum Dei cum Adamo non rectè à Recentibus Complutenſibus explicatur ſic: volo vt hi mille, verbi gratia, & reliqui, quos vſque ad duodecimam horam aſſignauero, habeant gratiam originalem, ſi præcepto obedias, & ea careant, ſi illud transgrediaris. p. 359. à num. 27. & deinceps.

Pactum fuiſſe initum cum Adamo, dum præceptum fuit illi impoſitum de non comedendo fructu de ligno ſcientiæ boni, & mali. tractat. 2. diſputat. 1. dub. 4. pag. 328. num. 61

Peccatum. Vide Offenſa.

Pœna.

Homo per peccatum non meretur Pœnam infinitè intenſam. tract. 1 diſp. 3. dub. 5. p. 117. n. 84

Tametſi peccatum mereatur Pœnam æternam, non infertur, illud eſſe infinitum ſimpliciter. p. 114. n. 68

Pœnitentia.

Supponitur, Deum efficaciter intendiſſe Pœnitentiam ante præuiſionem peccati. tractat. 2. diſp. 1. dub. 1. pag. 283. num. 39 Vide Tomum II.

Permiſſio.

Permiſſio peccati poteſt eligi vt medium vtile ad redemptionem intentam. tr. 2. diſp. 1. dub. 1. p. 287. à n. 54. & deinde.

Ex decreto intentiuo redemptionis, licèt obligetur Deus velle Permiſſionem, nullo verò modo ad velle peccatum, etiamſi permiſſio ratione peccati ſit vtilis ad lucrandum in executione redemptionem. ibid. à n. 56. & deinceps.

Permiſſio peccati conſiſtit in negatione auxilij efficacis, & conceſſione ſufficientis. pagina 290. numem 66.

Perſonalitas.

Perſonalitas Verbi, an & quomodo humanitatem terminauerit. Vide Aſſumens.

Perſonalitates Patris, & Spiritus Sancti eſſe ſpecialiter in humanitate, vel non? Vide aſſumens.

Quid dicat Perſonalitas? Vide ſubſiſtentia.

Poſſibilitas.

Poſſibilitas incarnationis eſt duplex. Vna intrinſeca, extrinſeca alia. Illa ſe tenet ex parte prædicatorum intrinſecorum incarnationis; iſta ex parte omnipotentiæ Dei illi extrinſecæ. tract. 1 diſp 2 dub. vnico, ſect. 5. p. 69. n. 123

Quomodo autem tales poſſibilitates cognoſci poſſint? Vide Cognitio.

Poſſi

Paſſibilitas cuiuſque rei poteſt accipi, vel vt conſtituta metaphyſicè, & vt differt ab ſtatu exiſtentiæ, vel prout ſolùm dicit ſtatum poſſibilitatis, vt contrapoſitum ab ſtatu rei impoſſibilis. p 70.n.127
Oſtenditur quomodo Paſſibilitas intrinſeca, & extrinſeca incarnationis contineantur virtualiter in exiſtentia illius reuelata. pagina 75.num.146

Potentia.

Potentia obedientialis, & naturalis non ſe gerunt ſicut cæteræ potentiæ, quæ realiter entitatiuè differunt, & vna per actum alterius ſatiari nequit. tract.3. diſp.vlt. pag.549.num.44
Semel ſatiata per ſe primò potentia obedientiali per diuinam ſubſiſtentiam mediatè & arguitiuè ſatiari debet potentia naturalis ad propriam ſubſiſtentiam. ibidem.

Præceptum. Vide Libertas in II. Tomo.

Præmiſſa.

Præmiſſa naturalis neceſſariò vera non eſt applicatio motiui reuelationis ſcilicet ad aſſenſum concluſionis. tract.1.diſp.2. dub.vnico,p.71.n.135
Aſſenſum Theologicum poteſt cauſare præmiſſa naturalis certa vt verum motiuum ſecum virtutem eleuantem. pagina 73. num.141.

Prælatus.

Prælatus promittens aliquid ſuo ſubdito Religioſo, adhuc naturaliter non manet obligatus. tract.1.diſputat.3. dub.7. pag.247. num.193.
Prælatus poteſt acceptare promiſſionem factam ſubdito abſenti. p.206 n.14

Priuatio.

vt Priuatio aliqua quidditatiuè cognoſcatur, neceſſe non eſt, vt illud, à quo effectiuè inducitur, vel quia impoſſibiliter formaliter, attingatur. tract.1.diſp.2.dub. vnico,p.65.n.107
An Dæmones cognouerint naturaliter priuationem ſubſiſtentiæ propriæ Chriſti. Vide Dæmon, & Angelus.

Prouidentia.

Ad certiſſimam Dei Prouidentiam ſpectat, finem intentum aſſequi iuxta menſuram modi, quo ab ipſo ſupponitur præintentus, ſiue medium in ſe ſit entitatiuè melius, ſiue non. tractatu 1. diſputatione 3. dub.2. pag.82.num.30.

R

Redemptio.

Redemptio in primo decretorum ſigno fuit decreta. tract.2.dub.1.p 283.n.38
Redemptio in primo ſigno decreta fuit eſſentialiter cum peccato connexa. ibid. n.39.
Alia de Redemptione, & Chriſto Redemptore. Vide Chriſtus. An Maria fuerit redempta ex meritis Chriſti, nedum à peccato originali, ſed à debito, & quomodo. Vide Maria.

Relatio.

Relatio noua per rationem in Deo petit mutationem aliquam, vel ex parte cognitionis, vel ex parte obiecti. tract.3.diſp.1.dub.1. p.395.num.40
eadem Relatione, qua Pater ad primum Filium, ad ſecundum refertur. pag.413. num.125
Nulli diuinæ relationi conuenit vis ad extra productiua, & ſemel illis conceſſa, cæteris diuinis abſolutis perfectionibus talis virtus eſt aſcribenda. ibid. dub. 2. p.431.n.95.96.97.& 98
Permiſſo ſpeciali influxu effectiuo in Relatione Verbi reſpectu humanitatis, adhuc manet difficile explicatu, cur ſcilicet Pater, & Spiritus Sanctus non ſint etiam humanitati vniti. p.433.n.99.& 100
An Chriſtus dicatur realiter Filius à relatione maternitatis, qua Maria realiter refertur ad ipſum. Vide *Filius*. In II. Tomo

Reſtitutio.

Reſtitutio realis, & ſatisfactio honoris, & famæ, quæ ex iuſtitia fit, ſolùm in materia, circa quam verſantur, diſtinguuntur. tract.1.diſp.5.dub.7.p.152.n.124
In Reſtitutione reali, quando hæc eſt æqualis debito, ſiue fiat ab eodem debitore, ſiue ab alio, eſt rata, & tenetur eam acceptare creditor omni pacto, & ordinatione ſecluſa.p.636.n.142
Si ex mea detractione opinio audientium mutata non fuit, quia mihi fidem non dederunt, nulla obligari reſtitutione, quippe reipſa nocumentum non intuli. p.237.n.147
Etiam in hypotheſi, quòd audientes mihi fidem adhibuiſſent, ſi tamen ad priſtinam opinionem ſunt redacti, quia vel aliorum ſuaſione, vel ex aliis principiis cognouerunt, me mentitum fuiſſe, nulla reſtitutionis obligatione obſtringor.ibid.
Si autem alium læſerim in honore per conuicium, & contumeliam, tametſi qui eam audierunt, ſententiam non mutauerint, ſum ad reſtituendum obligatus. p.238.n.149
Compatitur bene ſatisfactionis acceptatio ſine actuali reſtitutione. p.240.n.160

Reſurrectio.

Non quidquid à Verbo fuit hypoſtaticè vnitum, fuit in Reſurrectione reaſſumptum. tract.3.diſputatione vltima,dub.5.p.580. num.195
Subſtantiola illa præputij carnis præciſa amiſit rationem partis humanitatis, non ſolùm quia præciſa, ſed quia ſic ſeparata iam nullo modo erat integratura humanitatem reſurrecturam. p.583.n.208

Ordinem

Ordinem ad reſurrectionem Chriſti humanitati ex diuina diſpoſitione fuiſſe conceſſum in eo ſtatu, in quo eſſet Chriſtus vicinus morti. ibidem numero.201

Ideo in reſurrectione eſt verbo ſanguis annectendus, quia tam vt effuſus, quàm intra corpus viuum erat perfectiſſimè verbo hypoſtaticè vnitus. pagina 584. num.212

In alia rerum ſerie contingere poſſet, quòd ſanguis ſtatim, ac effuſus amitteret vnionem hypoſtaticam, & quòd iterum eum haberet protinus, ac in reſurrectione corpori reuniretur. ibid n.214

Reuelatio.

Reuelatio, quæ eſt motiuum præmiſſæ de fide, non agnoſcit aliam præmiſſam naturalem certam, vt ſui applicationem puram, ad aſſenſum concluſionis gignendum. tractat.1. diſputat.2. dub. vnico, pag.72. num.135.

Reus.

Reo, quippe debitori pœnæ, ſolùm incumbit pœnam pati à iudicis arbitrio taxatam, tractat.1. diſputat.3. dub.5. pagina 171. num.49

Poteſt contingere, Reum ſibi præfigere acertiorem pœnam in expiationem ſuæ culpæ, quàm ſit illa à iudice deſignata, & illam nolle acceptare iudicem, & aliam ſtatuere mitiorem, quam tenetur Reus ſufferre. ibidem.

S

Sacerdos Vide Tomum II.

Sacrificium Vide Tomum II.

Sanctitas. Vide Tomum II.

Satisfactio puri hominis, pro peccato proprio mortali

IMpoſſibilis eſt Satisfactio hominis puri, quæ condigna ſit. pro peccato mortali proprio tractat.1. diſputat.3 pag.131. dub.4. per totum.

Non quia homo eſt impos dandi gratias Deo adæquatè pro beneficiis acceptis. ibid.à o 4

Nec quia offenſa & ſi finita ſit, petit condignè non aboleri per ſatisfactionem finitam. pagina 132. à numero 8. vſque ad 11

Nec quia quodlibet opus hominis puri ſupponit condonationem carentiæ auxilij, quam medio peccato contraxerat. p.143.à n 52

Si talis carentiæ auxilij condonatio redderet impoſſibilem ſatisfactionem puri hominis condignam pro peccato, fieret, Chriſto denegandam ſatisfactionem condignam pro peccatis, pagina 144. numero 59

Primam diſparitatem huius inſtantiæ propulſamus, ibid.à n.63.& in conſequentia notantur plures. p.145.n.64

Nec alia diſparitas, quam dant Recentes Complutenſes, ex eo quòd peccatum Adæ non demeruiſſet incarnationis ſubſtantiam, ſed quod nobis eſſet proficua, ſubſiſtit. p.145.à n.67

In incarnatione eſſe impræſcindibilem eius ſubſtantiam ab hoc, quod eſt eſſe nobis proficuam. ibid.& deinceps.

Permiſſo, quòd hic & nunc incarnatio eſſet volita à Deo ex intentione inefficaci Redemptionis hominis, adhuc fieret ex ſententia Complutenſium, quod Adam aliquid demeritus eſſet, quod Chriſtus non fuiſſet promeritus, pagina 147. numero 72

Oſtenditur, voluntatem conferendi Chriſto auxilium ad reddendum gratias Deo pro beneficio vnionis, fuit ſimul voluntas benefaciendi homini, ibid. num.74. & caſu dato talem voluntatem habuiſſe Deum, vt Chriſtus redderet gratias pro beneficio vnionis, adhuc eſſe ex intentione benefaciendi homini, pag.148.à n.75. 76.& 77

Nec diſparitas, quam dant Recentes Complutenſes illi inſtantiæ, nempe Chriſtum meruiſſe decreti incarnationis motiuum, ſcilicet redemptionem, quam peccatum demeruerat, non verò Chriſtum meruiſſe incarnationis ſubſtantiam, quam etiam peccatum non demeruit, ſubſiſtere poteſt, pagin.149. numero 79. & deinceps.

Nec ideo purus homo eſt impos ſatisfaciendi pro peccato mortali ſuo, quia nequit ſatisfacere ad æqualitatem iuri diuino, in ſeruitutem ipſius acquiſito, ratione offenſæ. p 151.à n.86

Ratio huius impoſſibilitatis traditur etiam in hypotheſi, quòd contritio formaliter vt forma ſanctificans peccatum depellat, pagina 152. à num.88. vſque ad 103

Eamdem rationem eſſe efficacem etiam in hypotheſi, quòd contritio eſſet æquè bona in æſtimatione morali ac malum eſt peccatum; imo in hac hypotheſi repugnat condignitas in contritione ſatisfactionis. p.154.n.104

Alia ratio pro impoſſibilitate dictæ ſatisfactionis condignæ, ibidem à num.105. vſque ad 123

Homo purus pro peccato proprio mortali, ſaltem imperfectè, ſatisfacere valet. p.158.n.124

Non quia contritio ſatisfacere poſſit pro offenſa, quæ ad illam ſubſequitur, & nequeat ſatisfacere pro macula, quam ſupponit. p.159.à n.126

Oſtenditur modus, quo talis ſatisfactio imperfecta ſit factibilis, pagina 160. à num.132

Etiamſi homo coniungatur Chriſto capiti eſt impos ſatisfaciendi ad æqualitatem

pro peccatis, pagina 160. à numero 136. & deinde.

Etiam in hypotheſi, qua homo peccaret abſque vlla aduertentia formali, aut habituali ad offenſam Dei, homo non poſſet condignam ſatisfactionem Deo exhibere pro illo, pagina 161. numero 139. & deinceps.

Satisfactio hominis pro veniali proprio.

Homo iuſtus per contritionem perfectam venialis deteſtatiuam condigne pro illo ſatisfacit. tractat. 1. diſput. 3. dub. 5. pag. 162. num. 3. & deinde.

Nec talem condignitatem impedit, contritionem fieri ex auxilio gratuito dato. pag. 163. n. 7

Diſparitatem datam à Recentibus Complutenſibus inter meritum, & ſatisfactionem eſſe inutilem. ibid. n. 10

In hypotheſi, quòd contritio opponatur cum veniali per modum formæ incompoſſibilis, ex vi talis oppoſitionis non diceretur ſatisfactio pro veniali, pag. 164. num. 11

Deſignatur oppoſitio contritionis cum veniali. ibid. n. 13

Traditur diſparitas, cur nequeat homo condignè pro ſuo lethali ſatisfacere, & pro veniali poſſit, licèt veniale ſit propria offenſa Dei, pagina 165. à numero 16. vſque ad 19

Licèt non bene deducatur: eſt actus æquè bonus, ac malum eſt peccatum veniale. Ergo eſt illius condigna ſatisfactio: tamen bene infertur, eſt actus æquè bonus ac malum eſt veniale, & iſtius retractatiuus. Ergo eſt venialis æqualis ſatiſfactio. pagina 166. num. 21

Oſtenditur latè quomodo pro offenſa veniali, & non pro lethali, ſit poſſibilis hominis condigna ſatisfactio, pag. 167. à n. 25. & deinde.

Datur ratio, cur Rex non poſſit leuiter offendi in ſua Perſona, pagina 168. num. 30. & 31

Deducitur, Deum non poſſe adhuc in rebus extrinſecis grauiter offendi, quin virtualiter ipſa increata Maieſtas contemnatur. ibid. n. 32

Licèt veniale ſit offenſa contra voluntatem Dei, non tamen eſt eiuſdem ordinis cum mortali. ibidem numero. 35

Taliter contritio, quæ perfectè veniale retractat, condigne ſatisfacit pro illo, vt ad id non egeat acceptatione Dei, & noua remiſſione, pag. 169. num. 41. 42. & 43

Datur diſparitas, cur ſatisfactio Chriſti egeat acceptatione Dei, non verò prædicta contritio, innixa in diuerſitate ſatisfactionis propriæ & alienæ, pag. 170. n. 45. & deinceps.

Hoc, quod eſt, contritionem acceptari in remunerationem augmenti gratiæ non tollit ab ea eſſe condignam ſatisfactionem pro veniali, pagina 172. à numero. 56

Datur ratio, cur vt attritio pro veniali ſit condigna ſatisfactio, exigat nouam Dei remiſſionem, non verò contritio. ibidem & ſequentibus.

Homo nequit ſatisfacere pro veniali viribus naturæ præciſè innixus, pagina 174. à num. 64

Per veniale minimè homo conſtituitur dignus carendi auxilio in perpetuum. ibid. num. 66.

Satisfactio hominis pro mortali alieno.

Non poteſt homo mereri alteri infuſionem gratiæ cum peccato coniungendæ, quippe talis coniunctio rationem præmij non participaret. tract. 1. diſput. 3. dub. 6. pag. 176. n. 73

Impoſſibile eſt homini puro, quamuis aliorum eſſet conſtitutum caput de condigno ſatisfacere pro lethalibus aliorum; ſeu quod idem eſt, mereri nequiret homini peccatori gratiæ infuſionem, & remiſſionem peccati. Per totum dub. 6. à p. 174. ad 203

Sed talis impoſſibilitas non probatur, ex eo, quòd ſatisfactio ab homine exhibita in gratiâ Dei fundetur, pagina 177. num. 86. & deinde.

Nec quia ſatisfactio illa fieri non poſſet ex alias Deo indebitis, pagina 178. numero 93.

Nec probatur ex eo, quòd gratia cuiuſuis hominis ſolùm dicit ordinem ad merendum de condigno illi ſubiecto, cui inhæret, non verò alteri, pag. 180. à n. 103. & deinde.

Ex eo, quòd gratia habitualis det operibus valorem ſatisfactorium de condigno pro pœna æterna, colligitur optimè dare etiam poſſe valorem de condigno pro alterius gratia. ibidem numero 104. & deinceps.

Etiam permiſſo, hominem iuſtum, gratia capitis ornatum, non poſſe alteri de condigno mereri primam gratiam adhuc non conuincitur, hominem iuſtum non poſſe ſatisfacere pro offenſa aliena. p. 181. à n. 109

Ex vi iſtius prouidentiæ, diſpoſitum eſſe, quòd præmium condignum, gratia ſcilicet & gloria non conferatur alteri nomine illius, ſed ipſi ſoli, cui inhæret gratia adoptionis, tamen ex vi alterius prouidentiæ res aliter euenire poſſent. p. 182. n. 114

Aliter ſe habere gratiam ex vi ſuæ informationis in communicatione iuris ad præmium, ac vt coniunctam cum opere bono. Primo modo, ſolùm dat ius ad gratiam & gloriam ſubiecto proprio, quod informat; ſecundo vero modo

modo, tale ius poterit nomine illius præſtare alteri; quorum datur ratio. ibidem. num. 117

Non bene inferunt, ex eo quòd in alia Providentia homo iuſtus poſſit promereri alteri de condigno gratiam habitualem, & auxilium, quo bonum opus faciat. Ergo poterit promereri illi de condigno auxilium, quo peccatum vitetur, vel quo præſeruetur à peccato. pag. 184. num. 127

Nec impoſſibilitas iſtius ſatisfactionis probatur ex eo, quòd iuſtus operans nequeat remunerari per gratiam alienam, niſi cum detrimento propriæ gratiæ. ibid. à n. 129

Ponitur ratio oſtendens impoſſibilem eſſe condignam ſatisfactionem in puro homine pro peccatis alienis, quia ſcilicet nullum obſequium puræ creaturæ poteſt in æſtimatione morali eſſe æquale cum malitia, & vilitate peccati. p. 185. n. 132

Hæc ratio vim habet etiam in hypotheſi, quòd homini illi gratia infinita daretur, & quòd grauitas offenſæ ſit finita in æſtimatione morali. p. 186. n. 134

Carentia peccati metaphyſicè accepta non excedit in æſtimatione opus bonum hominis iuſti, ſi tamen accipiatur prout connotat peccatum præteritum, illud excedit. p. 186. n. 137. & n. 138

Adducitur alia ratio, ſeu confirmatio præcedentis, pro impoſſibilitate dictæ ſatisfactionis, nempe, quia peccatum mortale, quantumuis inter omnia infimum quoad feruorem, eſt meritiuum carentiæ omnium graduum viſionis beatæ, & omnium beneficiorum, quæ diuina largitas exhibere valet. p. 188. n. 145

Etiamſi homo ius haberet ad vnionem hypoſtaticam, adhuc per veniale commiſſum non mereretur carentiam illius tanquam pœnam. p. 189. n. 149

Compatitur bene, Chriſtum non promeruiſſe in actu ſecundo quidquid peccatum demeritum fuit, & pro illo condignè ſatisfeciſſe, cum hoc, quod eſt, hominem non poſſe de condigno ſatisfacere pro peccato, quia non poteſt promereri quidquid demeritum eſt peccatum. ibid. n. 151

Etiam in hypotheſi, quòd carentia peccati non ſit æquè bona, ac malum eſt peccatum, adhuc homo non poſſet alteri mereri condignè remiſſionem peccati. ibid. n. 164. & deinde.

Æſtimabilitas moralis taxanda non eſt iuxta valorem intrinſecum entitatis beneficij, ſed iuxta vtilitatem donatarij p. 192. n. 166. 167. 168. & 169

Carentia peccati, prout hîc & nunc inducenda in homine peccatore, habet bonitatem excedentem, etiam ſecundùm proportionem geometricam, bonitatem cuiuſlibet actus à puro homine eliciendi. p. 193. n. 170

In hypotheſi, quòd duobus peccatoribus æqualibus, alteri eorum conferret Deus remiſſionem peccati & ſimul gratiam, & alteri ſolam remiſſionem peccati ſine gratia, vnum eſſet beneficium maius altero materialiter, non verò formaliter. ibid. num. 174

Probabiliter poteſt defendi, nec de potentia abſoluta poſſe hominem vnum alteri peccatori de condigno promereri auxilium, quo à peccato reſurgat, pag. 195. num. 181

Sed permiſſo poſſe hominem alteri peccatori de condigno tale auxilium promereri, adhuc non ſequitur, eundem mereri poſſe peccatori illi de condigno gratiam peccati remiſſiuam. ibidem numero. 182

In hypotheſi, quòd quis poſſet de condigno alteri promereri præſeruationem peccati actualis, adhuc non eſſet poſſibile, hominem illum promereri poſſe alteri Peccatori gratiam ſui peccati remiſſiuam, pagina 196. numero 203. vſque ad 206

In hypotheſi, in qua vnus homo alteri mereatur de condigno impeccabilitatem viſioni beatæ annexam, adhuc talis homo nequiret de condigno alteri promereri peccati remiſſionem. p. 198. à num. 207. vſque ad 211

In hypotheſi autem, quòd homo promereretur de condigno remiſſionem peccati alteri homini peccatori, verè pro illo ſatisfactionem condignam exhiberet. pag. 202. n. 227

Nihil amplius deſiderari ad meritum de condigno remiſſionis peccati, ac ad condignam illius ſatisfactionem. ibidem à nu. 231. & deinceps.

Satisfactio Chriſti.

Satisfactio Chriſti fuit ex ſtricta iuſtitia pro noſtris peccatis expiandis. tract. 1. diſput. 3. dub. 7. per 15. ſectiones. à p. 205 ad 273

Dominium Dei in præmium correſpondens actionibus Chriſti, non impedit in illis rationem ſatisfactionis ex ſtricta iuſtitia. p. 209n. 33

Ex promiſſione oneroſa Chriſto facta de ſuis operibus præmiandis deducitur in Deo reſultauiſſe obligationem ex iuſtitia de illis remunerandis. ibidem numero 32

Eadem inconuenientia, quæ ſuppoſito Deo dominio ex obligatione iuſtitiæ inferunt contrarij in Deo, ſequuntur ex obligatione fidelitatis. ibid. n. 33

Simile eſſe in Deo obligationis vinculum ortum in Deo ex eius promiſſione, ac illi, quod oritur in Deo ex iure creaturæ. pag. 210. n. 34

Impotentia, quam habet Deus de retinenda remuneratione ſemel Chriſto promiſſa, non officit Dei dominio, quod illius habet, quippe impotentia con

conſequens. p.211.n.40

Probabiliter iuxta aliorum opinionem diſcurritur poſſe penes duos ſtare dominium duplex ſerium eiuſdem rei, & in ſolidum. pagina 212. à numero 44

Duo continet aſſertum Authoris. Primum, Deum ex vi promiſſionis Chriſto factæ, verè ex iuſtitia obligatum fuiſſe, necnon Chriſtum ex vi promiſſionis Dei verum ius aduersùs Deum acquiſiſſe. Secundum, quòd Deus, ſi negaret Chriſto remunerationem promiſſam, illi iniuriam minimè illaturum. pagina 213. numero 49. & deinceps.

Explicatur à potiſſimo exemplo, quomodo ius Dei in remunerationem Chriſto & nobis communicetur, ſeu transferatur ſine eo, quòd tali iure in eandem remunerationem Deus ipſe priuetur. p.214.n.50.& deinceps.

Expenditur ratio, cur homo cum alio contrahens nequeat de re contracta vti ſine iniuria alterius, & Deus de re promiſſa poſſit vti, prout illi maluerit, quin Chriſto illius rei Domino iniuriam irroget. pagina 216. numero 56

Satisfactionis Chriſti prima conditio.

Satisfactioni Chriſti ex iuſtitia huius prima conditio fauet. pag.218.à num.63.vſque ad 73

Conditio prima quam petit iuſtitia eſt, *quod ſit ad alterum phyſicè.* numero 64

Duplicem dari ſatisfactionem, realem ſcilicet, & Perſonalem. Illa fit pro re aliqua, hæc pro iniuria, vel pro actione offenſiua. p.219 n.65

Ad perfectam ſatisfactionem ex iuſtitia ſufficere diſtinctionem naturarum cum identitate ſuppoſiti. ibidem numero 66

Difficile argumentum proponitur. ibidem, num.67

Tollitur. num.68

Et oſtenditur, actionem eſſe elicitam ab vna voluntate illam dirigente in aliam, tanquam ad alterum, quod ſit ſui iuris, petere negationem identitatis naturæ, non tamen negationem eiuſdem ſuppoſitalitatis. p.220

Tametſi admittatur, inter diuinas Perſonas vera amicitia, negatur tamen verſari inter illas poſſe iuſtitiæ ſtrictæ exercitium. ibid. num 71

Notatur ibidem, Ariſtoteli in amicitiæ conſtitutione non eſſe fidendum.

Æqualitatem perfectionis ſeruant Perſonæ diuinæ cum identitate naturæ, non verò æqualitatem iurium, quam reſpicit ſtricta iuſtitia. pagina 221. numero 72

Actus iſtos, quando ſcilicet quis propria authoritate rem ſuam ab iniuſto detentore, à quo aliter recuperare nequit, licitè accipit. Et quando tutor vices pupilli gerens reſtituit ſibi, quod in negotiis pupilli conſumpſerat. Et quando Prælatus vel Perſona particularis ſuam famam violauit, & poſtea ſibi vel Perſonæ publicæ eandem famam comparat, eſſe elicitos ab habitu charitatis, non vero ab habitu iuſtitiæ. ibid. numero 73

Satisfactionis Chriſti ſecunda conditio.

Satisfactioni Chriſti ex iuſtitia huius ſecunda conditio fauet. pag.222.à num.77. vſque ad 98.

Conditio ſecunda iuſtitiæ ſtrictæ eſt, *quod fiat ex indebitis.* num.77

Satisfactionem fieri ex indebitis reddit ſenſum, quòd fiat ex indebitis alio titulo multiplicante materiam debitam, ſi autem non multiplicent materiam, poterit exerceri ex aliàs debitis. ibidem, num.78

Compati poſſe, eadem ſolutione Satisfieri duplici titulo iuſtitiæ, non verò duplici titulo, quorum vnus ſit iuſtitiæ, & alter Religionis, aut alterius virtutis. ibid.n.80

Diuerſas obligationes ſemper cadere ſuper diuerſas res, quando vna obligatio aliam non reſpicit vt obiectum. pagina 223 num.84

Oſtenditur, quomodo in debitis aliarum virtutum poſſit multiplicari materia debita. p.224.n.86

Eſſe actionem finitam, vel infinitam parum intereſt, vt ſi debita ſupponatur, poſſit eſſe ex iuſtitia Satisfactio. ibid.num.89. & deinceps.

Verbum nihil debere Patri non ſufficit, vt actio Chriſti fiat ex aliàs non debitis, ibid.n.91

Affertur difficilis dubitandi ratio Vaſquij ibidem, & ſoluitur iuxta principia Recentium probabilia. pag.225.num.92. & deinde.

Oſtenditur, actiones Chriſti non eſſe debitas actualiter, formaliter, & proximè. p.225.n.93.& 94

Adhuc in hypotheſi, quòd opera Chriſti eſſent debita Deo formaliter, & proximè, quippe illa exigeret Deus titulo dominij, & gratitudinis, poteſt defendi, Chriſtum per eadem opera ex iuſtitia pro peccatis ſatisfeciſſe. pagina 226. numero 97. & numero 278

Chriſtum per alias actiones ante paſſionem factas ſatisfeciſſe Deo pro titulo dominij, & gratitudinis, & per illas inchoaſſe ſatisfactionem pro peccatis. ibid. num.97

Per ipſam paſſionem, & mortem pro offenſa ex iuſtitia ſatisfeciſſe, quippe tales actiones minimè Deo debitas alio titulo. ibid. num.98

Satis

Satisfactionis Chriſti tertia conditio.

Satisfactioni Chriſti ex iuſtitia huius tertia conditio fauet. pag. 226. à num. 99. vſque ad 115
Conditio tertia iuſtitiæ petentis, *quòd non ſit ex bonis à creditore liberaliter collatis*, ſatisfactioni Chriſti ſuffragatur. ibidem.
Non ſtat iuxta communia principia gratiam humanitati fuiſſe factam, & Chriſti Satisfactionem fuiſſe de iuſtitia, ex eo præcisè quòd Verbo nullo modo facta fuerit gratia aliqua. pag. 227. num. 101
Oſtenditur duo bonorum genera humanitatem accepiſſe gratis ex liberalitate Dei creditoris. ibid. n. 102
Et ibidem reſoluitur, Satisfactionem ex iuſtitia excludere omnem gratiam actualem, & concomitantem.
Satisfactionem ex iuſtitia non excludere gratiam antecedentem. ibidem, numero 103
In hypotheſi quòd ſolutio debiti fieret ex ex eadem numerata pecunia, quam debitor à creditore accepiſſet, ea ſcilicet intentione, vt ſibi per illam ſatisfieret, adhuc veram ex iuſtitia exerceret ſatisfactionem debitor, dum illam eandem pecuniam creditori præſentaret. p. 228. num. 105
Secùs autem ſi creditor ſuam intentionem manifeſtaret. ibid. n. 106
Aliud eſſe Deum, vnionem humanitati dediſſe ex intentione Satisfactionis poſtea à Chriſto exhibendæ. Aliud verò illam dediſſe ex pacto, vt media illa ipſi Deo fieret ſatisfactio. Primum eſſe verum. Secundum falſum. pag. 219. num. 108
Proponitur ratio dubitandi difficillima. ib. num. 109
Solutio Lugi. ibid. n. 110
Eius impugnatio. ibid. n. 111
Reſponſio ſequenda. n. 114

Satisfactionis Chriſti quarta conditio.

Satisfactioni Chriſti ex iuſtitia huius quarta conditio fauet. p. 231. à num. 116. vſque ad 141
Conditio quarta iuſtitiæ, *quòd fiat ex bonis debitoris, quæ creditoris non ſint.* ibid. num. 116
Difficilis dubitandi ratio in contrarium proponitur. ibid. n. 117
Nec ſoluitur penes hoc, quòd actiones Chriſti in fieri ſint ſub dominio illius, non verò ſub dominio Dei. ibid. num. 118
Nec ſoluitur penes hoc, quòd ſatisfactio Perſonalis non exigat excluſionem dominij creditoris in eandem actionem. pagina 232. à numero 124. & deinceps.

Nec ſoluitur penes hoc, quòd opera Chriſti prout ſunt opera ſuppoſiti, ita ſunt ſub eius dominio, vt non ſint ſub dominio Dei. pagina 234. numero 131. & 132.
Vera ſolutio adhibetur iuxta principia probabilia. p. 2, 5 à n. 135
Eadem ſolutio aliis verbis præfertur. ibid. à n. 138
Aduertitur, debitorem, vt ſatisfaciat ex iuſtitia, neceſſe non eſſe, vt dominium quoad ſubſtantiam in creditorem de nouo transferat. ibidem, numero 139

Satisfactionis Chriſti quinta conditio.

Satisfactioni Chriſti huius quinta conditio, fauet. Pagina 236. à num. 142. vſque ad 168
Conditio quinta, quam petit iuſtitia, eſt, *vt non poſſit à creditore non acceptari.* ibidem.
Duplex ſenſus huius conditionis apponitur. ibid. n. 142
Satisfactio realis, ſi eſt æqualis debito, à quocunque fiat, debet acceptari à creditore, ſecluſo omni pacto, & conuentione: p. 237. n. 143
Hoc ipſum intellige de Satisfactione perſonali, quando fit media re æquiualente iniuriæ illatæ. ibidem, nu-ro 144
In læſione bonorum famæ Satisfactio vnius pro alio adeo efficax poteſt eſſe, vt etiam inuito creditore extinguat omnem obligationem debitoris. ibid. num. 146. & deinde.
In bonis honoris læſio nunquam aliena ſatisfactio eſſe poteſt ita efficax, vt nolente creditore extinguat ex iuſtitia obligationem, quam habet debitor ſatisfaciendi. p. 238. n. 149
Siue creditor ſit perſona publica, ſiue non; vt aliquis pro alio ſatisfaciat tanquam Fideiuſſor ex iuſtitia pro iniuria alteri facta, debet præcedere pactum. p. 238. num. 152
Ibidem aſſignatur, quomodo intelligendum ſit pactum. & deinceps.
Ex eo, quòd ad Satisfaciendum pro alio quantùm ad pœnam non requiratur pactum, non bene deducitur, illud non deſiderari ad ſatisfaciendum pro alio. p. 239. num. 156
Cuidam interrogationi nouæ fit ſatis. ibid. à n. 158. vſque ad 162
Chriſtus Dominus, licèt ſecluſo pacto, condignam poſſet pro iniuria aliena ſatisfactionem exhibere, tamen ſine pacto ſatisfactio non eſſet ex iuſtitia. pag. 241. num. 163

Satisfactionis Chriſti ſexta conditio.

Satisfactioni Chriſti ſexta conditio, quam iuſtitia petit, fauet. pagina 242. à numero

mero 169. vſque ad 176

Conditio Satisfactionis ex iuſtitia eſt, *quod ſecluſo pacto non poſſit non a creditore acceptari.* ibid.n.169

Poſſe compari, Satisfactionem perſonalem pro iniuria illata eſſe ex iuſtitia, tametſi ſecluſo pacto poſſet à creditore non acceptari. ibid.n.170

Licèt obligatio perſonalis ex iuſtitia nequeat Satisfieri aliena actione inuito creditore, bene tamen poſita voluntate creditoris paciſcentis ſe manſurum contentum aliena ſatisfactione æquiualenti iniuriæ, ab altero illatæ. pag.245. numero 176

Satisfactionis Chriſti ſeptima conditio.

Satisfactioni Chriſti ſeptima conditio à iuſtitia petita fauet. pag.244.à num.177.vſque ad 193

Septima Conditio iuſtitiæ eſt, *quòd inter Patrem, & Filium, dominum, & ſeruum,* &c. *Non exequatur*, ſeu vt alij dicunt, *quòd Satisfactio ſit ad alterum iure.* ibidem.

Tametſi actiones Chriſti eſſentialiter pendeant à Deo, quia tamen eſſentialiter pendent à voluntate Chriſti, tanquam à vera illarum Domina, ſufficit, vt per illas ex iuſtitia Deo ſatisfaceret. p.245.n.186

Si ſerua pacta eſt cum Domina de retribuendo illi ſi ſe parauerit ad concipiendum, poterit poſt partum à Domino exigere ex iuſtitia id, quod illi promiſerat. p.246.n.187

Datur ratio, cur duæ creaturæ nequeant in ſolidum eiuſdem rei eſſe condominæ. ibid.n.188

Bene autem Chriſtus, & Deus. ibid.

Datur ratio; cur donator humanus, & Angelicus abdicet dominium in inſtanti, quo donat, pro inſtanti immediatè venturo. ibid.n.189

Et cur creatura, dum ex iuſtitia dat, patiatur priuationem dati. ibidem, numero.190

Et tandem cur in donatore creato protinus, ac dat, ſuum dominium ſpirare dicitur. ibid.

Vnde naſcatur Religioſum non poſſe ex iuſtitia à Prælato extorquere id, quod illi promiſerat. pag.247.num.193

Satisfactionis Chriſti vltima conditio.

Satisfactioni Chriſti vltima conditio iuſtitiæ fauet. pagina 258. à num. 244. vſque ad 257

Vltima conditio Satisfactionis iuſtitiæ, *quòd verſetur inter bona corporis, honoris, & pecuniarum.* Cui æquiualere aliam Recentes Complutenſes docent cum Vaſquio, nempe, *quòd verſetur iuſtitia inter vtile, & nociuum.* pagina 259. num.246

Sufficere ad iuſtitiam commutatiuam obſequium quouis modo vtile remuneraturo, etiamſi ei vtile non ſit ad vitam, & felicitatem, ſi tamen ei vtile ſit ad gloriam extrinſecam ſui. p.260. num.251

Non ſtat, hominem Deo obſequentem gloriam extrinſecam non dare, & eundem peccantem gloriam extrinſecam à Deo non auferre. ibid.253

Ariſtotelem deſerendum quoad legem circa contrapaſſum, quam in iuſtitia ſeruandam dedit, & cur. pagina 261. numero 256

Et permiſſo, quòd lex ab Ariſtotele tradita, ſeruanda ſit, intelligendam eſſe de ſatiſfactione, quæ vtilis ſit vel ipſi contrahenti, vel alijs. ibid.n.257

Oſtenditur, quomodo vt Deus teneatur remittere offenſam, vel dare gloriam, neceſſe non ſit, dare ei aliquid media tranſlatione noui iuris, & dominij, quod antea non habuiſſet quoad ſubſtantiam, licèt neceſſe ſit dare ei extenſionem nouam ad nouam materiam. pag.264. num.272. & latè.

Sanguis.

Aliquis Chriſti Sanguis fuit à Verbo diuino immediatè aſſumptus, ſicut eius caro viua. tract.3. diſput.vlt. dubio 5.pag. 567. num.148

Nec id probatur ex Extrauag. vnigenitus. p.568.num.149

Nec ex epiſtola illa Cyrilli 8.ad Neſtorium. pag.568.num.152

Nec definitur ex ſeſſione 13. Trident. cap.3. ibid.num.156

Hæc ex directorio inquiſit. p. 2. quæſt. 10 pag.569.num.158

Qui negauerit ſanguinem aliquem à Verbo diuino fuiſſe aſſumptum licèt non hæreticus, temerarius euaderet. ibidem. num.160

Probatur deinde ratione ex eo, quòd Sanguis ſit pars naturam, & corpus integrans. ibid.num.161

Sanguinem anima rationali informari probabiliter plures tuentur. ibidem. numero 162

Non ſolùm quia Sanguis poteſt conuerti in membra, ſed adhuc prout eſt ſub forma ſanguinis habet perfectè integrare corpus. n.163.p.570

Sanguinem eſſe reſurrecturum in generali corporum reſurrectione. num.563

Ex eo, quod ſine ſanguine corpus viuum conſiſtere eſt impos infertur corpus perfectè integrare. ibid.num.164

Tametſi ſanguis anima rationali minimè informaretur, ex eo tamen, quòd ſit pars integrans corpus, deducitur, eſſe immediatè à Verbo aſſumptum. pagina 571. num.1;8

Probabiliter defenditur, fœtum, dum primum animatur habere ſanguinem ſibi acquiſitum, tametſi exiguum, ſufficiens ve-

rò ad illud minutiſſimum corpus conſeruandum. ibid. num. 140

Ex eo enim, quòd permittatur, fœtum dum primum animatur nullum habuiſſe Sanguinem, non exinde infertur, illum non eſſe veram corporis partem. ib.

Licet Sanguis non vniatur alicui parti corporis, vt cum illa vnum ens per ſe componat, tamen cum illa quoddam ens accidentale metaphyſicum conflat. ibidem, num. 142

Vnio, qua Sanguis partibus corporis copulatur, eſt pura cum illis localis approximatio. ibid.

Quid dicendum ſit in hypotheſi quòd Petrus & Paulus penetrentur, in quo caſu, neceſſe eſſet vtrumque ſecum ferre ſuos Sanguines, quoſque æquè tam Petro, quàm Paulo localiter eſſe approximatos nulli dubium, qualis dicendus eſſet Sanguis Petri, & qualis Sanguis Pauli? pag. 572. n. 143

Nec recurſus ad Deum in tali caſu deſignaturum Sanguinem, qui ſit Petri, & alium, qui ſit Pauli, ſufficit. ibid. n. 145

Nec ex eo, quòd vni Sanguini deſignatio Dei tribuat vnionem accidentalem ſpecialem reſpectu vnius, & non reſpectu alterius. pag. 573. n. 147

Nec ex eo, quòd vnus Sanguis etiam in illa hypotheſi eſſet procreatus ab hepate Petri, & non ab hepate Pauli cenſendus eſſet Sanguis illius, & non iſtius. ibidem, numero 150

In tali hypotheſi affirmatur quemlibet Sanguinem eſſe partem cuiuſlibet corporis penetrati cum alio. p. 574. n. 151

Tametſi immediatè ſit à Verbo Sanguis aſſumptus, non eſt dicendus per communicationem idiomatum Deus, quippe non eſt ſubſtantia completa. ibidem. numero 154

Quamuis ratione animæ aſſumptæ deſcendentis ad inferos dicatur de Verbo per communicationem idiomatum etiam ad inferos deſcendiſſe, non tamen ratione Sanguinis aſſumpti, & effuſi per eandem communicationem dicetur de Verbo effuſum fuiſſe. p. 575. n. 157

Ex aſſumptione immediata Sanguinis non deducitur aërem & phlegmata fuiſſe aſſumpta. ib. n. 159

Tametſi Sanguis diuerſam materiam & formam habeat ab humanitate, ſemper ſaluabitur Verbum vnicam naturam aſſumpſiſſe. ibid. n. 161

Verbum diuinum totum Sanguinem aſſumpſit immediatè, ſicut totum corpus viuum. pag. 576. n. 168

Impugnatur diuiſio Sanguinis in nutrimentalem, & animalem. pag. 577. à num. 173. vſque 182

Sed adhuc permiſſo, Sanguinem nutrimentalem vt explicatum à ſui protectore Caietano, veram ſanguinis rationem ſortiri, ſit, illum immediatè aſſumptum à Verbo eſſe. p. 578. à n. 184. & deinde

Solutioni primæ adhibitæ probationi. pag. 579. num. 186. occurritur. ibid. numero 187

Solutioni ſecundæ à Cippullo datæ. ibidem, numero 190. aduerſatur. ibidem, numero 191

Non quidquid hypoſtaticè fuit Verbo vnitum, etiam reaſſumendum in reſurrectione erat. p. 580. n. 195

In triduo mortis Christi Sanguinem eius manſiſſe Verbo hypoſtaticè vnitum. pag. 581. numero 197. & probatur ratione ſanctiſſimi doctoris. ibidem vſque ad 199

Sanguis in circunciſione effuſus ſtatim ac effuſus rationem partis humanitatis amiſit; Sanguis verò effuſus in horto, adhuc rationem veræ partis humanitatis retinebat. p. 582. n. 207

Replicis innumeris fit ſatis. p. 583. n. 208, vſque ad 214

Sanguis effuſus ſiue amittat, ſiue non, in triduo formam, quam in corpore habebat, ſemper vnionem hypoſtaticam retinere debuit. pag. 584. n. 116

Sanguis ille effuſus in paſſione fuit vnitus Verbo vſque nunc, qui cum corpore erat reſurrecturus Christi: ille verò qui reſurrecturus non erat, manſit vnitus Verbo vſque ad reſurrectionem. pag. 585. num. 219

Tametſi partes aliquæ Sanguinis reſurrecturæ non eſſent, tamen Christus aſſerens in triduo de Sanguine ſuo, *qui bibit meum Sanguinem*, &c. non ſolùm loquitur de partibus Sanguinis, quæ reſurrecturæ erant, verùm de toto etiam effuſo Sanguine verba talia eſſent intelligenda. ibid. num. 221. & deinde.

Reipſa poſt Christi reſurrectionem aliquam partem veri Sanguinis ex illo, quem Christus in terra, dum patiebatur, effudit, manſiſſe. p. 586. n. 214

Quæritur, quantum Sanguinem de illo, quem habuit Christus in vita ſua, in reſurrectione aſſumpſerit? p. 587. à num. 256. & deinde.

Scientia.

Scientia Chriſti beata, acquiſita, & infuſa, Vide tom. II.

Scientia viſionis.

Deum ſcientia viſionis non potuiſſe videre alia, quæ in tempore erant extitura, non tamen ea in quouis ſigno videre potuiſſe. tractatu 2. diſputatione 1. dub. 7. pag. 582. num. 57

Scientiam viſionis eſſe puram rei intuitionem, aut extituræ vi decreti, aut actu exiſtentis in ſeipſa in certa temporis duratione. ib. n. 58

Seruitus.

Explorati iuris eſſe, eum, qui ex ancilla naſcitur

citur, naſci ſeruum illius, ſub cuius dominio eſt Mater. tract. 1. diſp. 3. dub. 7. p. 244. num. 181

Si inter dominium & ſeruam præceſſerit pactum de retribuendo illi, ſi ſe parauerit ad concipiendum, bene poterat poſt pactum exigere ſerua ab hero, quod ſub dicta conditione promiſerat illi. pag. 246. num. 187

Tametſi Deus poſſit ex iuſtitia homini obligatus manere, non fit exinde, illum poſſe ſeruum conſtitui. p. 218. n. 61

Seruus.. Vide tom. II.

Species.

Species beata Chriſti, infuſa, & acquiſita.

Vide tom. II.

Species impreſſa.

Speciei impreſſæ duplex cauſalitas adſcribitur, formalis vna, efficiens alia. tr. 3. diſp. 1. dub. 2. p. 419. n. 35

Non poteſt obiectum hoc *A.* eſſe terminus huius cognitionis niſi prius in illam effectiuè influxerit, vel ipſum, ſi proportionatum fuerit, vel ſpecies illius impreſſa. ibid. p. 420. n. 36

Speciem impreſſam ſemen eſſe ab obiecto deciſum in potentiam. ib. n. 38

Inſupplebiliorem eſſe concurſum effectiuum ſpeciei, vel obiecti in viſionem, quàm influxum potentiæ effectiuum in illam. ib. num. 35

Species Angeli, dum à Deo excitatur ad repræſentandum aliquam naturam, vnico ictu excitatur ad repræſentandum eius ſubſiſtentiam, quando hæc datur. tr. 1. diſp. 2. pag. 64. n. 103

Aliter ſi ſubſiſtentia non data, talis ſpecies ſubſiſtentiam repræſentaret, eſſet Deus cauſa deceptionis. p. 65. n. 104

Alia de ſpecie. Vide tom. II.

Spiratio actiua.

Permiſſo quòd ſpiratio actiua habeat exiſtentiam relatiuam diſtinctam ab exiſtentiis relatiuis, adhuc non bene infertur, illam habere vim ſe ſubſtantialiter vniendi humanitati. tract. 3. diſp. 2. dub. 2. p. 490 num. 59. & probatur ibid.

Solutioni Amici. ib. n. 61. adhibitæ occurritur. pag 491. num. 62. & deinde.

In hypotheſi autem quòd Spiratio actiua habeat ſubſiſtentiam relatiuam propriam eidem conueniet virtus humanitatis aſſumptiua. ibid. n. 64

Probatur ex eo, quòd in tali hypotheſi haberet actiua ſpiratio, quidquid deſideratur ad complementum cuiuſque naturæ. pag. 492. n. 65

Solutioni datæ. ib. n. 66. occurritur. ibidem. num. 67

Quæritur, quid eſſet conſtitutum illud ex humanitate & ſubſiſtentia relatiua actiuæ Spirationis. ibidem, num. 68. & eſſe hominem reſpondetur. ibid

In hypotheſi, quòd ſpiratio actiua ſubſiſtentiæ relatiuæ fuerit expers, ſi tamen ea ſubſiſtentiam abſolutam habuerit, illi eſt adſcribenda vis humanitatis aſſumptiua. pag. 493. n 69. vſque ad 71

Coniunctum ex humanitate & ſpiratione actiua perſona non eſſet, nec formaliſſimè eſſet dicendus Deus, ſed ea ratione, qua Deus appellatur Spiritus S. pagina 492. n. 68

Subſiſtentia, & ſuppoſitum.

Suppoſitum creatum formaliter vt tale, eſſe participationem diuinæ incommunicabilitatis etiam ſecundùm potentiam obedientialem. tract. 1. diſp 1. dub. vn. n. 73. & deinde.

Semel conceſſo prædicatum ſubſtantiæ commune eſſe ſubſtantiæ creatæ, & diuinæ, debet admitti prædicatum Subſiſtentiæ debere eſſe creatæ & increatæ ſubſiſtentiæ commune. p. 19. n. 84

Subſiſtentiam increatam non eſſe ipſam ſubſtantiam rei adhuc vt fundantem carentiam dependentiæ actualis, & aptitudinalis à ſubiecto, & à ſuppoſito alieno. p. 20. num. 85

Probatur ratione ex eo, quòd ſi ſubſiſtentia realiter eſſet idem cum rei ſubſtantia, fieret, ſubſtantiam eſſentialiter ſibi comitem annectere Subſiſtentiam. ib. n. 86

Reſponſioni adhibitæ. ibid. num. 87. occurritur. num. 88. ex eo quòd de illo identificato duplex contradictorium verificaretur, nempe illud vt naturam eſſe à Verbo aſſumptum, & vt ſubſiſtentiam ab illo aſſumptum non eſſe. ib.

Reſponſioni datæ huic replicæ. numero 89. occurritur. pag. 21. num 90. ex eo, quòd fieret, in humanitate aſſumpta de facto dari ſubſiſtentiam quoad id, quod hæc importat in recto. ibid.

Reſponſioni datæ huic replicæ. num. 91. occurritur à n. 92. & deinde.

Subſiſtentiam creatam nec eſſe ipſam naturam connotantem concurſum effectiuum adæquatum ſibi naturaliter debitum. pag. 23. n. 100

Probatur ratione ex eo, quòd exinde fieret, actionem illam, qua primò producta eſt humanitas, identificare ſibi formalitatem naturalis, & ſupernaturalis. numero 114. & deinceps.

Subſiſtentiam creatam non eſſe actionem eiuſdem productiuam. p. 27. n. 118

Probatur primò ex eo, quòd de facto humanitatis productio non eſt eius ſubſiſtentia. ibid. num. 119

Reſponſio Bernalij. ibid. n. 120. præcluditur. ibid. n. 121. & 122

Secundò probatur ratione, ex eo, quòd inter Subſiſtentiam, & creationem neceſſariò eſt ponenda prioritas, & poſterioritas. ibid. num. 123

Reſponſio Bernalij. ibid. num. 124. occupatur. p. 28. n. 125. & deinde.

Tertiò

Tertiò probatur, nam ex affirmante ſententia ſequuntur mirabilia potiſſima, quæ in diuinis inueniuntur. ibid. numero 129. & deinde.

Fieret exinde vnam & indiuiſam entitatem ſibi contradicentes formalitates identificare. ib. & n. 130

Fieret rurſum, quòd eadem entitas ſeipſam ſupponat. p. 29. n. 131

Fieret etiam aliud in creatis myſterium Trinitatis valde diuino ſimillimum fore concedendum. ibid n. 132

Solutio huic rationi datæ. ibid. num. 133. occurritur. ib. n. 134

Probatur idipſum ex eo, quòd creatio eſſentialiter ſit via & fluens ad ſubſtantiam, quam producit. ib. n 135

Solutio adhibita rationi iſti pag. 30. n. 136. Occurritur. ibid. numero 137. & 138. & 139

Probatur quartò idem ex eo, quòd ſi ſemel admittatur, creationem eſſe fluxum ad ſubſtantiam fundamentaliter ſubſiſtentem, neceſſe eſt admittere ſubſtantiam fore denominandam formaliter ſubſiſtentem, non à ſeipſa, ſed à forma aliqua poſitiua ab illa diſtincta. ib. n. 140

Solutio diſtinguens duplicem creationem. pag. 31. numero 141. præcluditur. ibidem, num. 142

Solutio huic replicæ datæ concedens creationem aliquam non eſſe formaliter Subſiſtentiam. ibidem, num. 143. expugnatur. ibid num. 144

Solutio huic replicæ datæ. ibidem, numero 145

Diſtinguens duplicem creationem non vnitiuam præoccupatur, ibidem, numero 146

Solutio data. p. 32 n. 147

Petens diſtinctionem creationis nullo modo vnitiuæ termini à creatione, quæ aliquo modo vnitiua illius ſit, infringitur. ibid. num. 148

Subſiſtentiam eſſe poſitiuam realitatem à natura & exiſtentia realiter actualiter eſſe differentem. pagina 34. numero 157. & deinde.

Expenditur in ſuffragium mens ſanctiſſimi Thomæ, ibidem, à numero 159. vſque ad 161

Probatur ratione ex eo, quòd reddi naturam incommunicabilem alteri, tanquam ſuppoſito, eſt aliquid poſitiuum realiter à natura diſtinctum. pagina 35. numero 163

Solutio huic rationi data. ibidem, numero 165

Impugnatur. pagina 36. à numero 166. & deinceps.

Rurſum probatur eo, quòd admiſſa diſtinctione hac inter ſubſiſtentiam & naturam, tanquam modum & rem, aptius interpretantur concilia & Patrum dogmata de hoc myſterio loquentia. pagina 37. num. 137

T

Terminus.

TErminus totalis, & adæquatus incarnationis, vt actio, eſt perſona Verbi ſubſiſtens in duabus naturis. tractatu 2. diſputatione 1. dubio 5. pagina 472. num. 139

Probatur ex eo, quòd terminus incarnationis debeat eſſe indiuidua ſubſtantia. ibid. num. 141

Ex eo quòd perſona Verbi ſit adæquatus Terminus incarnationis non bene deducitur id eſſe verificandum de diuina natura. ib. n 143

Terminus formalis, *quo*, incarnationis, vt eſt actio, eſt humanitas prout Verbo vnita ſumpto, ly *vt*, tanquam conditione, & humanitate, vt ratione formali. pag. 473. num. 144

In negotio iſto litem eſſe vocalem. ibidem. Vbi notatur diuiſio termini.

Terminum formalem cuiuſque actionis eſſe illum, qui tanquam forma conſtituit Terminum totalem, vt talem. ibidem. numerò 145

Terminus formalis tranſubſtantiationis nequit eſſe accidens. ibidem, numero 147

Terminum formalem, *quo*, alicuius actionis ſub ratione productionis non debere neceſſariò eſſe productum. pagina 475. num. 155

Regula vulgaris, nempe actiones ſpecie diſtinctas habere debere Terminos ſpecie differentes patitur limitationem. pag. 477. num. 161

Probabiliter defendi poſſe, perſonalitatem diuinam eſſe Terminum formalem, *quo*, incarnationis, vt eſt actio. pagina 478. num. 167

Terminus totalis, *à quo*, incarnationis eſt non eſſe Christi; formalis verò, *a quo*, negatio humanitatis, vt conſtituentis; vel probabiliter, negatio humanitatis & ſimul perſonalitatis conſtituentium. ibid. num. 168

Non bene inferri Terminus eſt naturalis. Ergo nequit actionem ſupernam terminare. tractatu 3. diſputatione 1. dubio 1. pagina 388. num. 8

V

Viſio.

ETiam in hypotheſi, quòd beata Viſio ſit forma ſanctificans, & peccati ex natura rei expulſiua, quamque Deus homini in peccato exiſtenti infunderet, talis Viſio non eſſet pro peccato illo ſatisfactio. tractatu 1. diſputatione 3. dubio 4. pag. 152. num. 9

Optabilior eſſet corporis gloria, & omnium bono

bonorum conſortium ſi perpetuitati coniungerentur, quam Viſio beata ſolùm per horam duratura. pagina 156. numero 185

Cætera de Viſione beata. Vide tomum ſecundum.

Voluntas.

Aliud eſſe voluntatem diuinam conformari debere diuino intellectui, & aliud, Voluntatem diuinam omnia, quæ intellectus, vt amabilia proponit. tractatu primo, diſputatione tertia, dubio ſecundo, pagina nonageſima octaua, numero 108

Quando Voluntas ponit aliquid incompoſſibile cum alio, dicitur effectiuè moraliter cauſare deſtructionem alterius. dubio tertio, pagina 128. numero 244

Regula eſt generalis, quòd quando Voluntas ex parte ſua ponit abſolutè media efficacia ad deſtructionem alicuius, tametſi talis deſtructio non ſequatur de facto, talis voluntas dicitur reſpicere deſtructionem illam, non vt purum obiectum, ſed vt effectum, ſaltem quoad affectum. ibid.num.245

Vnio.

Vnio hypoſtatica varias habet acceptiones. tractatu 3.diſputatione 1. dubio 1. pagina 385

In notabilibus Vnionem hypoſtaticam realiter productiuam non eſſe. pagina 386. num.1

Non quia implicet vt vna, & indiuiſibilis actio ad eſſe naturale, & ſupernaturale rei terminetur. pagina 387. numero 7

Nec ex eo quòd productio animæ rationalis in Chriſto ſit creatio, & aſſumptio ſit ſupernaturalis eductio. pagina 388.à numero 18

Probatur actionem productiuam non eſſe humanitatis realiter vnitiuam cum Verbo ex eo, quòd inter iſtas actiones datur prioritas, & poſterioritas. pagina 389. num 17.& deinde.

Vnionem formaliter non eſſe actionem productiuam humanitatis. ibidem. numero 30

Et probatur ex mente ſanctiſſimi Thomæ. pagina 393. numero trigeſimo primo, 32. & 33

Reſprobatur ex eo, quòd ex vi actionis vnitiuæ humanitatis, hæc intrinſecè mutetur. p.394.n.34

Reſponſioni danti duplicem alietatem, vnam à forma de nouo producta, aliam ex noua denominatione intrinſeca ſola prouenientem. ib.n.35

Occurritur pagina 395.à num.38.& deinde vſque ad num.43

Secundò impugnatur eadem ſolutio. pagina 396. à num. quadrageſimo quarto vſque ad 63

Explicantur momenta ſanctorum à Bernalio allata. pagina 396. à numero 68. & deinde.

Rationes identificantes vnionem humanitatis cum Verbo cum actione illius productiuæ ſatiſfiunt. pagina 403. à num.75. vſque ad 94

Argumentis Cippulli identificantis vnionem cum extremis vnitis reſpondetur. pagina 406. à numero 96. vſque ad 129

Sententia ſtatuens vnionem humanitatis cum Verbo eſſe ſpecialem influxum Verbi in illam, qualem in ipſam aliæ duæ perſonæ non præſtiterint examinatur, pag.415.tract. 3. diſp.1. dubio 2.à numero 5

Vbi refertur Franciſcus de Abra tanquam author illius, cuius fundamenta adducuntur. ibidem à numero quinto vſque ad 19

Rationes aliæ, quas pro influxu effectiuo ſpeciali Verbi iamdiu adduxerat Author, referuntur. pagina 417. à num.10. vſque ad 30

Adducit Author modum componendi ſpecialem influxum vnius perſonæ in effectum ad extra cum æqualitate omnipotentiæ in reliquis perſonis. pagina 419. à numero trigeſimo ſecundo vſque ad 41

Argumenta, quæ contra influxum hunc ſpecialem iamdiu contra ſe obiecerat author. pagina 422. à numero 43. vſque ad 81

Deſeritur influxus iſte ſpecialis, & increpatur ab authore Franciſcus Abra, quippe leuibus fundamentis innixus, ſpecialem iſtum influxum vnius perſonæ in humanitatem defenderit. pagina 430. à numero octogeſimo octauo, vſque ad 105

Inter Verbum & humanitatem duplex dari per æquiualentiam vnionem, vnam ſe tenentem ex parte humanitatis ab illa diſtinctam, & in illa receptam; alteram ex parte Verbi & ab iſto diſtinctam virtualiter. pag. 435. à num.113. vſque ad 154

Rationes, quibus Ripalda fuit motus, vt defenderet, vnionem hypoſtaticam eſſe beatitudinem formalem, afferuntur. dubio tertio, pagina 443. à numero 1. vſque ad 9

Momenta Authoris ad ſuadendum, vnionem hypoſtaticam beatitudinem formalem cenſendam. pagina 444. à numero 10. vſque ad 28

Reſoluit Author ſe communem ſententiam tueri, negantem vnionem hypoſtaticam eſſe beatitudinem formalem. pagina 448. num.29

Vnio hypoſtatica non eſt qualitas, eſt reſpectus,

ctus, non prædicamentalis, ſed tranſcendentalis. ibidem, à numero 30. vſque ad 44

Vnio hypoſtatica abſolutè poteſt dici eſſentialis, & naturalis Chriſto, vt opponitur ſupernaturali ratione compoſiti, & naturæ diuinæ, non verò ratione naturæ humanæ. pagina 453. à numero 45. vſque ad 63

Hypoſtaticam Vnionem eſſe in ratione doni maximam, & in ratione vnionis, tum in vi copulandi, tum in reddendo extrema inſeparabiliora, non verò in faciendo illa magis vnum. pagina 456. à numero 64. vſque ad 88

Vnio hypoſtatica non eſt ſimplex in animæ ſubiectata, duplex eſt, vna in anima, alia in corpore, non tamen datur tertia in humanitate recepta ab ambabus diſtincta. pag. 461. à num. 89. vſque ad 110

FINIS. LL.